...uram nasci non posse filium. Hæc tamen in
...eneruat difficultatem, nam hoc est quod
...chis adempta erat testamenti factio ante
...ur Proculus eam instituit investigationem
...numum posset scribere hæredem? † In quo
...co dum melioris iudicij ingenia, meliora ex-
...bat, maximam habuisse dubitandi rationē Pro
...n: nam etsi certum esset eunuchum non posse
...adhuc dubium erat quis eunuchus diceretur
...n castratus ob lasciuiam vel necessitatem, vel
...n, quia non posset facile generare, vel quia im-
...vel ineptus, vel qui cum vno teste natus, *l. qui*
*...le remilit. l. 5. de ædil. edict. cum alijs.* Vnde post
...factum probatio erat necessaria qua impugna-
...tamentum, tanquam factū à prohibito. † Quod
...ir exemplo, nam Prætor bonorum possessionē
...ptis hæredibus, etiam ex illo testamento in quo
...eritus, nam solum inspicit figuram testamenti,
vt ad multorum iurium explicationem obseruat *Pichard. in*
*princip. 1. de exher. liber. num. 37. ita in l. filio 17. de iniust. rup.*
ex æquitate sustinetur si filius præteritus non contradixerit
(de cuius explicatione consule *Ant. Fab. de error. dec. 13. err.*
*3. & lib. 1. coniect. cap. 19. & lib 9. cap. 14. Osuald ad Donell. lib.*
*6. cap. 13. litera C. Costa in §. & quid si tantum 1. p. num. 77. Cui.*
*lib. 5. Resp. Pap. in d. l. 17.*) facit *l. 4. C. h. t. & l. 5. l. sancimus 17.*
*C. de test. l. qui ex liberis 11. §. testamento, D. de secun. tab.* Valuit
ergo testamentum de facto cum illud vitium fuisset ita in-
trinsecum, vt cerni facile non posset, quod colligi videtur
ex Sueton. in Clau. cap. 16. ibi *Plus notare conatus magna inqui*
*...s reperit qui-*
*...patres se pro-*
...apud *Valer.*
...io valuit de
...sse à Præto-
...ulo, an illa
...eo etiam, &
...n & testari,
...uia cum ca-
...stratus

*...to nullo, quia saltim de facto valebat.*

50-1-2

50

1.096

*tingat quod i...*
*super etiam p...*
*demptus est,*
*qui sermonen...*
*das res suas p...*
*talibus priua...*
*modo compe...*
Secund...
lum ... *l. sin...*
ædilium ed...
res facere...
quærit C...
quam mo...
cendum ...
bosus, sed...
tretur, neq...
cum neque ...
tate, vt probat...
*edict.* † Sed his...
spadonem cu...
id est castratu...
(quod sciam)...
existimo ex ...
sint procreat...
tur species, p...
tione tanto ...
duo nobilior...
rum vis non ...
ramenti hibi...
nem. Nam ...
*Galenus lib. ...*
ri vult, quo...
ptijs Hieog...
eius vires fra...
...
uersio statim ...
priæ substant...
*rabs Abenzoa...*

*poſtbum l. fideicommiſſum 76. de condit. & demonſt.* Quibus rationibus nihil reſpondet *Horoſcius ibi neque Duar. ad titu. de adopt. capit. 9. neque Conan. lib. 2. comment. capit. 15. num. 9.* firmans nullam fuiſſe cauſam cur in ſpadonibus aliud quam in caſtratis ſtatueretur. Quod tamen cauſam habuit, vt dicemus inferius.

85 *Vera interpretatio ad l. 2. §. illud.*

*Balduino ergo in dicto §. ſed illud, Antonio Fabro in iuriſprudent. titulo 10. princip. 1. illatio. 6. & princip. 4. illat. 3. & Pacio centur. 1. quæſt. 32.* aſſentior, qui verius arbitrantur Caium & Iuſtin. loqui de ſpadone, qui non poteſt generare non propter vitium ſeu impedimentum naturale, & perpetuum ſed temporarium, & accidentale, quoniam in adoptante requiritur potentia, non quæ ſtatim poſſet peruenire ad actum ſed quæ poſſet quandoque in actum reduci. Atque ita illa verba, *quod & hi qui generare non poſſunt quales ſunt ſpadones*, intelligi debent id eſt actualiter generare non poſſunt, licet poſtea poſsint. † Verbum illud *NON* accipiendum eſt pro *Nondum* quemadmodum hæ voces promiſcue vſurpantur, vt *in l. cum fidei. 9. D. de fideicommiſ. libert. ibi vt nondum debeat præſtare fideicommiſſum*, id eſt *non debeat*, vt explicauit, *Cuiac. lib. 15. obſeru. capit. 5. & lib. 19. quæſt. Papin. in l. peto, §. fratre, D. delegat. ſecundo*, concinitque illud Virgilij lib. 6. Æneid.

86 *Verbum NON, accipitur aliquando pro nondum.*

*At Phœbi nondum patiens immanis in antro.*

Vnde etſi ſpado nunc non poſsit generare adhuc ſpes eſt, quæ tamen in caſtrato aperte deficit, & ideò ille adoptare valet hic vero minime cum ſecundum naturam vnus poſſit aliquando generare alius autem nun quam: ratio fuit teſte Leone Imperatore nouella 26. *Nam quos natura ad generandum non idoneos agnouit hos neque lex tali beneficio eſt affectura, l. 2. tit. 16. part. 4.* Idque ſignificat *Vlpian. in l. Pomponius 6. §. fin. D. de ædilit. edict.* vbi comparatur ſpado cum eo qui vnum habet teſtem quia in eo aptitudo generandi aperte animaduertitur. Sed hæc omnia ſuſtulit *Leo dicta nouel. 26.* qua permiſit caſtratis adoptare reddita eius rei elegantiratione: *Eunuchis, inquiens, liberorum adquiſitio quæ per legem fit eſt neceſſaria eoque magis quod vna hac ratione, vt patres ſint conſequantur, itaque liberorum miniſterio ipſi frui contingat*



ſtratus eſſet nec poterat inſtituere, quia ſterilitas ei impedimento erat, vtpote deficiente aptitudine illa generandi quæ in ſpadone animaduertitur, propter quam, & inſtituere poſt humum, & matrimonium contrahere non prohibebatur *d. l. ſi ſerua 32. §. 1. ff. de iure dotium.* Hoc autem in caſtrato non inuenitur cum ipſe priuatus ſit aptitudine illa, & impedimentum non ſit temporale, & per caſtrationem impediatur teſtari, & ita cum miſterio Vlpian. non adduxit ſterilitatis rationem, ſed ſolum dixit vſum ita ferre, vt non poſsit inſtituere poſthumum.

Quod ſi hæc tibi non arriſerint, Proculi ſententiam aliter accipio, ſcilicet qui cum eunuchus eſſet & conſequenter nō poſſet teſtari ius teſtamenti faciendi ex Principis indulgentia fuit conſecutus. † Quod fieri conſueuiſſe teſtis locupletiſsimus, eſt Paulus in l. ex facto 43. D. de vulg. & pupil. ſubſt. ibi: *Qui habebat mutum impuberem impetrauit à principe, vt muto ſubſtituere ei liceret Vlpian. in l. 3. §. idem 2. D. de bonis liber. ibi. Idem etſi à principe libcram teſtamenti factionem impetrauit, & Imperat. Iuſtinian. in l. ſi quando 35. in princ. C. de inoffic. teſt. l. obſides 11. de teſtam. iuncta l. ſed ſi 32. de iure fiſ. quibus addoctiſsimum Gregor. Maderam animad. lib ſing. cap. 18. & Pichard. in §. fin. I. quibus non eſt permiſ. num. 16. facit l. 1. ff. admunicipal. & l. 2. §. ſi quis à Principe D. ne quid in loco publ. & quæ tradit Conan. lib. 2. com. cap. 12.* Fueruntque apud Imperatores frequentiſsimæ huiuſmodi poſtulationes quibus iuris laxatio introducebatur, vt poſt legem Papiam orbi & cælibes *ius trium liberorum*, petere conſueuerunt, vt à tutela excuſarentur *Princ. I. de excuſat. tut.* vt in albo decurionum æquarentur pater orbus filios habēti *l. in albo 10. C. de decurion. lib. 10.* vt poſſent ſolidum capere ex hæreditate vel legato, hæredes ſcribi iuxta illud vulgatiſsimum *Iuuenalis locum ſatyra 9. verſ. 87.*

79 *Alia explicatio difficilis dictæ l. 6.*

80 *Ius teſtandi à principe impetrari ſolitum ſicut ius trium liberorum.*

*Iura parentis habes propter me ſcriberis heres*
*Legatum omne capies, &c.*

Huiuſque priuilegij mentio extat multis in locis quos late recenſet *Rader. ad Mart. lib. 2. epigram. 6. ipſi 63. Ramirez ibidē epigram. 91. Duaren. lib. 1. diſp. cap. 40. Gothofred. in l. 1. C. de iure lib. & alij etiam quos plena manu congeſi ſupr. nu. 6.* iuxta

ta quæ Proculus in *dict. l. 6.* illum caſum pertractat, in quo certum eſſet caſtratum factionem habere teſtamentariam, ille autem non potuit eſſe alius niſi quando id impetrauerat ex Principis beneficio (quod vt dixi frequens erat.) Qua in ſpecie quæſitum eſt an poſſet poſthumum inſtituere, videbatur ita dicendum † cum beneficia principalia latiſſimam habeant interpretationem *l. 3. D. de conſtit. princip. cap. cum dilect. 6. de donatio. cum traditis ab Eguin. Barone ibi Ant. Fabro in Iuriſpr. tit. 2. princ. 8. illat. 1. Morla. emporio tit. 8. quæſt. 1. per tot. Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 1. num. 4. Duaren. ad tit. de conſtitution. cap. 3.* Sed ea ratione minime obſtante Proculus aſſeruit caſtratum eo in caſu non poſſe ex ſe naſciturũ poſthumum inſtituere quoniam, vt ait Iuſtinian. in dict. l. ſi quando *ſi talis conceſſio imperialis proceſſerit per quam libera teſtamenti factio conceditur nihil aliud videri principem concedere niſi, vt habeat legitimam, & conſuetam teſtamenti factionem. Neque enim credendum eſt Romanum Principem qui iura tuetur huiuſmodi verbo totam obſeruationem teſtamentorum velle euerti.* Congruit *d. lex 2. §. ſi quis à principe, & quod circa illius exornationem obſeruant Couarru. lib. 3. variar. cap. 6. num. 6. Pinellus in rubr. C. de reſcind. 1. p. cap. 2. num. 8. Mendoça de pactis lib. 1. cap. 5. à num. 45. cum ſequentib.* Cum ergo ius ſemper imitetur naturam (vt poſtea dicam) & per rerum naturam impoſſibile ſit caſtratum generare poſſe, recte Proculus docet non poſſe poſthumum inſtituere etſi à Principe ius condendi teſtamenti impetrauerit. † Neque obſtabit ſi obijcias hoc non debuiſſe à Proculo tractari quoniam diſpenſatio legum, quæ à Principe fit cenſetur impoſſibilis, & ideò non eſt adducẽda in diſputationem, vt notãt *DD. laudati à Thom. Sanch. de matrim. lib. 5. diſp. 5. n. 5. & 12. ex l. cum ſeruus 39. alias ex l. apud Iul. §. conſtat. verſ. ſi vero delegatis primo.* Nam huic ſcrupulo reſpondeo Imperatorum tempore huiuſmodi impetrationes fuiſſe frequentiſſimas, vt probat *Ant. Auguſt. de legibus cap. de lege Papia. & inſinuat d. l. 1. C. de iure liber. & Vlpian. in fragm tit. 16. §. 1.* vbi tradens aliquando virum, & vxorem ſolidum capere poſſe etiam ſi orbi eſſent inter alios caſus connumerat *ſi ius liberorum à principe impetrauerint*, & Matres hoc ius liberorum iure ad legitimam filiorum hæreditatẽ ad-

81 *Principis beneficium latiſſimam habet interpretationẽ.*

82 *Diſpenſatio à principe faciẽda inter impoſſibilia cenſetur.*



admittebantur ex Senatus Conſulto Tertulliano §. *Poſtea I. de Senatu. Conſulto Tertul. & in dict. §. ſi quis à principe*, de eo quod laxato iuris rigore à principe conceditur, agit Iure Conſultus. Quibus ergo adducor, vt credam ea in ſpecie locutum Proculum: nam cum indiſtincte dicat non poſſe poſthumum hæredem inſtituere, neque ſterilitatis mentionem faciat, vt in ſuperiori ſpadonis ſpecie certum efficitur de eo loqui qui alias potuit teſtari ob indulgentiam principalem. Quæ interpretatio (cum de ea difficultate late diſſeruiſſemus) placuit magis nobiliſſimo viro doctiſſimoque iure Cõſult. D. D. Didaco de Arce Reynoſo, noſtri Conchenſis Collegij meritiſſimo alumno, & Salmanticenſis huius Academiæ Legum Anteceſſori Primario, & ideò in hoc tenebricoſo loco mihi plauſibilior videtur.

Ex qua inter caſtratos, & ſpadones differentia deſcendit intellectus ad Caium *in l. 2. §. illud, ff. de adoptionib. & lib. 1. inſtitut. tit. 5. §. ſpadones, & Iuſtin. in §. ſed & illud I. cod.* qui tradunt ſpadones qui non poſſunt generare adoptare poſſe, non vero caſtratos, quod confirmat Modeſtinus *in l. adrogato 40. §. fin. D. eod.* Cuius traditionis ratio in obſcuro latet, nam ſi ſpadonibus qui generare non poſſunt permittitur adoptio, eadem & caſtratis permittenda erat cum ſpado nihil amplius habeat quam caſtratus. Vterque enim ſpe, & aptitudine generandi priuatus exiſtit, & Caius id indicat illis verbis, *quod et hi qui generare non poſſunt quales ſunt ſpadones*, ergo non loquitur de ijs qui etſi non poſſint tamen, & ſpe potiundi matrimonij non deſtituuntur, vt in d. l. 6. † Quinimo ex alio capite augetur difficultas, nam ſi adoptio procedit ſecundum naturæ regulas qua non poteſt filios habere qui generare non poteſt, *l. adoptio 16. D. de adopt. §. minorem I. eodem*, vnde à Caio vocatur adoptio *naturæ imago, & ſimilitudo quædam*, obſeruant *Mercerius lib. 2. opinion. capit. 8. Anton. Faber in iuriſprudent. titulo 10. princ. 3. & princ. 4. illat. 11.* inde ſequitur ſpadonem non poſſe adoptare cum generare non poſſit. Nam quemadmodũ pro monſtro eſt, vt maior ſit filius quam pater, ita & monſtroſum eſt, vt qui generare non poſſit habeat filium. Non enim debet plus eſſe in fictione quam in veritate *l. filio quem pater 23. D. de liber. & poſth.*

83 *Intellectus l. 2. §. illud de adopt.*

84 *Adoptio naturæ imago.*




BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD

# ILL.MI AC REV.MI D.D. FR. PETRI DE GODOY EPISCOPIOXOMENSIS

## DISPVTATIONES THEOLOGICÆ.

## INTERTIAMPARTEM DIVI THOMAE.

TOMVS TERTIVS.

es de este Conv.o de S. Buenav.a de Palencia Dole de Limosna el Canonigo D. Pablo Ortiz. siendo Gar.n N. H.o fr. Joseph de Jesus M.a Pred.or año de 1694

ILL.^MI AC REV.^MI

D.D.F.R. PETRI DE

# GODOY

EPISCOPI OXOMENSIS

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ.

IN TERTIAM PARTEM

DIVI THOMÆ

TOMVS TERTIVS.


DOCTRINAM QVASI PROPHETIAM
EFFVNDAM ET RELINQVAM ILLAM QVÆRENTIBVS SAPIENTIAM
ET NON DESINAM IN PROGENIES ILLORVM
M VS QVE IN ÆVVM SANCTVM: ECCLESIASTICI. 24.
BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA
Et redundauit in aquas plurimas.
Lucem Solemque conuersus est.
Fons paruus in
Rigat totam Sanctam Ecclesiam
quasi torrentem
Sabello.
Arrio.
Caluino.
Hugo.
Marcus Orozco Sculpsit
Matriti. 1666.



ILLVST.MI AC REV.MI

# D. D. FR. PETRI DE GODOY

## ORDINIS PRAEDICATORVM:

SALMANTICENSIS ACADEMIÆ IN SACRA THEOLOGIA MAGISTRI.

EIVSDEMQVE VNIVERSITATIS QVONDAM CANCELLARIJ:

*Diù Vespertinæ, & Primariæ Cathedræ Moderatoris:*

Concionatoris Regij:

*Et nùnc*

EPISCOPI OXOMENSIS.

## DISPVTATIONES THEOLOGICAE

*IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ.*

Tomus Tertius.

CVM PRIVILEGIO REGINAE.

Burgijj Oxomensis, in Ædibus Episcopalibus, excudebat Fr. DIDACVS GARCIA.

*Anno Domini* 1668.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

# ORDINIS PRAE-

# CODOX

## DE

# ILLAST. AC REV. M.

# ANGELICO DOCTORI
# DIVO THOMAE
# AQVINATI,

## AQVILÆ MAGNARVM ALARVM, SOLI ECCLESIÆ FVLGENTISSIMO.

*Fr. PETRVS DE CODOY, clientulus ex Prædicatorum Ordine ad Oxomensem Episcopatum assumptus, se & omnia sua ex animo vouet, & consecrat.*

EN nõ vereor iterato (Magister Angelice) ad Tuos sacratissimos pedes prouolui, & meas lucubrationes, qualescumque illæ sunt, ex indeficienti tamen Thesauro mirabilis Doctrinæ tuæ extractas fulgentissimi Tui Solis micatibus exponenere. Possem quidem, aut temeritatis, aut præsumptionis nota insimulari: nisi ad id Tua me clemẽtia compulisset. Sum etenim pullus ê nidulo Tuo. Tu Aquila magnarum alarum: Et *tanquam Aquila prouocas pullos Tuos ad volandum, & super illos volitas. Sol etiam es* (vt de Paulo, clamabat Chrisostomus homil. 8.) *qui totum prorsus orbem fulgentibus doctrinæ Tuæ radijs illuminasti. Aquila, vt aiunt* (verba sunt Chrisostomi) *cum plumescere pullos suos videt, ad Solem conuertit, & illum nutrit, qui irreuerberata acie aspicit radios Solis; et si lumina deflectit, quasi degenerem negligit. Pullosque ad volandum prouocat, & lassos sustentat.* Quâ Aquila; me ad volandum prouocas, quâ Sol; ad lucis Tuæ pulcherrimos radios, me, velim, nolim, conuertis. Et ne degener inueniar lumina deflectens, fulgido Tuo globo,

*Deuteronomij 32.*

*Chrisost.*

delectatus oculus (vt cum eodem Chrisostomo loquar) ad spectaculum oppositi ê regione luminis, se se violenter intendit, & licet sentiam aciem meam radiorum tuorum imparem esse certamini; desiderio tamen Tui pulcherrimi luminis intuendi libenter inaccessibili radiantis orbis, reluctor corrusco. Et quãuis videam propriæ mentis oculos, ex radijs splendidæ doctrinæ Tuæ hæbetari: cupio tamen, ac semper concupiui mentem Tuam, miro fulgore radiantem, velut eminus intueri, & contra importabiles Solis micatus contentiosa subire certamina.

Quid ergo: potuit nê non dicari tibi, quod tot, tantisque titulis Tuum est? *In generationem, & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo*, canebat Regius vates, Psalm. 88. Quẽ locum versans præexcelsus Augustinus, sic ait: *Obsequantur, inquit Psalmista, membra mea Domino meo. Si non obsequor, seruus non sum: si à me loquor, mendax sum: ergo vt abs te dicam, & ego dicam, duo quædam sunt: vnum Tuum: vnum meum: veritas Tua: os meum.* Nihil aliud, in opusculis meis, Sanctissime Thoma, inueniri poterit, nisi veritates Tuæ, proprio ore prolatæ, proprio stylo exaratæ. Accipe ergo Prę ceptor Angelice, quod Tuum est, dissimulans, & emmendans, quidquid vitij â meo ore, & stylo contraxit.

Psal. 88.

S. Aug.



# Errata corrigenda.

DIsp. 4. num. 47. vbi dicitur, *peccati munditia fœdatur*, lege *immunditia*. Ibidem num. 399. ad finem solutionis tertiæ probationis antecedentis, vbi dicitur, *existente* lege, *existentibus*. Et deficit: *Non tamen dependere potuit à libera carentia peccati simul tempore existente*. Disp. 51. n. 75 vbi in titulo §. dicitur: *Re etur, & refellitur*, lege, *& defenditur*. Et n. 96. vbi dicitur, *ad rationem premij non petitur*, lege, *ad rationem meriti*. Ibidē n. 148. vbi dicitur, *vt continuatum est idem*, lege, *& idem* Disp. 54. n. 85. vbi dicitur, *in naturam cum De*, lege, *in natura*. Ibid. n. 111. vbi dicitur, *pag.* 434. lege, 67. Et n. 114. vbi dicitur, *pag.* 237. lege, 68.

DE mandato Supremi Regalis Consilij Castellæ vidi hunc librum inscriptum: *Disputationes Theologicæ in Tertiam Partem Diui Thomæ*, Authore Illustrissimo D. D. Fr. Pedro de Godoy, Episcopo Oxomensi; demptis his mendis, suo exemplari fideliter respondet. Datum Matriti die septima Augusti. Anni 1668.

*Matthæus Fernandez.*

## TASSA.

MIguel Fernandez de Noriega, Secretario del Rey nuestro Señor, y Escriuano de Camara mas antiguo de los q̄ residen en el Consejo, certifico, que auiendose visto por los Señores dèl, vn libro intitulado: *Tercero Tomo sobre la Tercera Parte de Santo Thomas*, cōpuesto por D. Fr. PEDRO de GODOY, Obispo de Osma, q̄ con licencia de dichos señores ha sido impresso, tassaro̅ â siete maraue dis cada pliego, y el dicho libro parece tiene *docientos y quarenta y ocho pliegos*, cō principios, y tablas, que al dicho respeto monta mil seteciētos y treinta y seis maraue dis. Y al dicho precio, y no mas mandaron se venda el dicho libro: y que esta certificacion se ponga al principio de cada vno, para que se sepa el precio â que se ha de vender. Y para que conste doy la presente en Madrid â siete dias del mes de Agosto de mil y seiscientos y sesenta y ocho años.

*Miguel Fernandez de Noriega.*

# Prologus ad Lectorem.

IN Lucem prodit Tertius Tomus noſtrarum Diſputationum in Tertiam Partem D. Thom. Quo (vt arbitror) ingentiores difficultates de Verbo Incarnato agone Scholaſtico dignæ manẽt expeditæ. Tentauimus enim aliqualem effigiem Seruatoris noſtri, inſtãtibus, ne dicam impellentibus amicis, efformare, & ob legentium oculos proponere. Hoc ipſum filiæ Hyeruſalem amicæ Sponſæ enixê ab illa efflagitabant, Canticorum quinto, illis verbis: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum?* Et illa: *Dilectus meus* (inquit) *Candidus, & Rubicundus, &c.* Quo in loco elegantiſsimam, & omninô exactam ſponſi imaginem deprompſit. Nec mirum, quod illa paucis verbis pulcherrimam, & ſimillimam: Nos autem multis, deficientem, & abſimilem ædiderimus imaginẽ. Illa enim Spiritu Sancto afflata penicillum mouebat: Nos vero licet fidem Catholicam pro regula, & Angelicum Magiſtrũ D. Tho. Aquinatem pro Duce habuerimus; iuxta exigui tamen captus noſtri imbecilitatem neceſsè eſt ſæpê ſæpius cæcutiſſe, & â Prototypo deficere. Sed age videamus, quibus coloribus Sponſa, & quibus Nos effigiem Spõſi depinxerimus: *Dilectus meus* (inquit) *Candidus, & Rubicundus.* Vbi Gloſſa Ordinaria ex Beda: *Condigna* (ait) *quærentibus à parte Sponſæ reſponſio. Per candidum amorem diuinitatis, per rubicundum carnem paſſam accipit, vt Deum, & hominem notet, & in vtroque electus.* Vbi ſubſtantiam Incarnationis, & vnionem duarum naturarum in Chriſto, diuinæ ſcilicet, & humanæ, necnon Incarnationis motiuum mirabiliter expreſsit. Quod & Nos pro modulo noſtro præſtare connati ſumus: dum Primo Tomo Tractatu Primo *de Neceſsitate, & motiuo Incarnationis.* Secundo, *de modo vnionis Verbi Incarnati.* Tertio, *de extremo aſſu-*

Cantic. 5.

Gloſſa Ordin.



*mente.*

*mente*. Ac denique quarto, quod eſt initium Tomi Secundi. *de extremo aſſumpto, ſeu aſſumptibili à Verbo*, Diſputationē inſtituimus. Quæ omnia ad Incarnationis ſubſtantiam, finem, & motiuum, necnon admirabilem vnionem, duarum naturarum in perſona Verbi ſpectant.

Vel *Candidus, & rubicundus*, teſte eodem Beda ibidem, dicitur, propter plenitudinem gratiæ, & virtutum, quibus ab inſtanti conceptionis prædituſ fuit: *Primo mundus, & ſanctus venit in mundum* (ait Beda) *poſt modum paſsione cruentus exiuit de mundo*. Quare & Nos Tractatu quinto *De Gratia perſonali Chriſti* ſermonē inſtituimus. *Caput eius aurum optimum*, ſubdit Sponſa. Vbi Gloſſa Interlinealis: *Ideſt, ipſe, qui eſt caput corporis Eccleſiæ diuina ſapientia plenum*. Qua propter, & Nos Tractatum ſextum *De Gratia capitali Chriſti*: ſeptimum, *de Scientia Animæ Chriſti in communi*: Octauum, *de Scientia beata eiuſdem*: Et nonum, *de Scientia per ſe infuſa, & Scientia per ſe acquiſibili*, dedimus; vt delineatio noſtra, pro captu, imagini, quam Sponſa expreſsit, ſimilis foret. Quibus Secundo Tomo impoſuimus finem.

*V. Beda.*

*Gloſſa Interlin.*

*Manus illius tornatiles aureæ plenæ hiacynthis*. Quibus verbis potentia Chriſti mirum in modum adumbratur, notante Gloſſa ibidem: *Manus eius dicuntur tornatiles, quia in promptu habet facere quod vult; ſicut tornatura, cæteris eſt promptior artibus, & quia in ſe omnem iuſtitiæ regulam tenet*. In cuius gratiam Tractatum decimum, & primum huius Tertij Tomi *de Potentia Animæ Chriſti* inſcriptum, qua potuimus cura elaboratum in lucem damus. Vel ideô: *Manus tornatiles aureæ*, teſte Interlineali, dicuntur, quia in nullo reprehenſibiles. Merito ergo, & Nos Tractatum celebrem *De Impeccabilitate Chriſti*, præcedenti tractatui ſubnectimus.

*Gloſſa ibidem.*

*Venter eius* (addit ſtatim Sponſa) *eburneus diſtinctus ſapphiris*: quibus verbis pulcherrima metaphora vtitur ad deſcribendum Chriſti meritum. Sicut enim venter, non tam ſibi, quam alijs membris cibum capit, concoquit, ac diſtribuit; ita Chriſtus, non tam ſibi, quam nobis, eius membris, ſua merita

direxit. Neque enim meruit ſuam Incarnationem, neque gratiam, & virtutes, quas ab initio conceptionis accepit; meruit tamen ſui nominis exaltationem. Iure quidem, cum hoc ipſum, quod eſt propria merita alijs applicare, gloriam, claritatem, & nominis excellentiam inducat. Qua propter duodecimum Tractatum *de Merito Chriſti ſubiecimus.*

Qualiter autem tractatus iſte, præcedenti tractatui cohęreat, notauit optimê Gloſſa Ordinaria, ibi: *Eburneus dicitur pro decore: quia ab omni peccato immunis.* Ecce impeccabilitatem: *Diſtinctus ſapphiris, quia non totus eburneus, nec totus ſapphirinus, ſapphirus ſublimitatem cœleſtium ſignificat. Diſtinctus ergo, quia partim humana fragilitas eſurie, tentatione, fatigatione, morte: partim diuina celſitudo, miraculis, Reſurrectione, & Aſcenſione monſtratur.* En Meritum Chriſti, quod ex ſubiecto finito, actibus nimirum humanis â creatis potentijs elicitis, & diuinitate, tanquam forma morali infinitê valorante coaleſcit.

*Gloſſa Ordin.*

Electionis, ſeu prædeſtinationis Chriſti ſemel, & iterum meminit Sponſa: *Candidus*, ait, *& Rubicundus, electus ex millibus.* Et paucis interpoſitis: *Species eius, vt Lybani, electus, vt Cedri.* Quare morem Sponſæ gerentes, duplicem de hac re tractatum ædimus tertiumdecimum, ſcilicet, & quartumdecimum, alterum de Adoptione, ſeu Filiatione Chriſti, & alterum de eius Prædeſtinatione. Vnde conſtat quantum curauerimus, vt delineatio, ſeu deſcriptio noſtra, pulcherrimæ illi imagini â Sponſa efformatæ conformis euaderet. Faxit Deus, vt intentum aſſequuti fuerimus. & quod plus appetẽdum eſt, vt labor, & ſtudium noſtrum, nedum legentium mentes ad ſpeculationem pulchritudinis Sponſi inducat; verum, & noſtras voluntates in ardẽtiſsimum amorem ipſius inflãmet. Eſt enim vt Sponſa clamat, *Totus deſiderabilis, & ſpecies eius, vt Lybani.* Vbi Gregorius nomine Sponſæ, ait: *Quod per ſingula ipſius Redemptoris membra laudo totum breui comprehendam. Quomodo Lybanus altitudine, & amplitudine eſt inſignis: ita Dominus inter omnes, qui de terra orti ſunt antecellit, & ſicut ille mons no-*

*D. Greg.*

*bilium ferax est arborum: ita ille omnes Sanctos in se radicatos extollit, & conseruat. Et sicut Cedrus pulchritudine, fortitudine, sublimitate, odore omne decus syluarum antecellit: sic dilectus speciosus forma præ filijs hominũ; quia ipse non accepit ad mensuram, & de plenitudine eius omnes accepimus.* O vtinam sic eius effigiẽ speculemur, vt conformes fieri mereamur imagini eius! Dum hæc perleguntur iam, iam alia parantur, Disputationes, scilicet, in Primã Partem Diui Thomæ. Quæ, Deo iuvante, & vita comite, quantociũs in lucem dabimus. Omnia vero dicta, & dicenda Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sapientum correctioni submittimus: si quid vero repertum fuerit, quod vel catholicæ veritati, vel Angelici Doctoris doctrinæ aduersum esse iudicetur, toto zelo retractamus.

# CARTA QVE ESCRIVIO AL Autor el Iluſtriſsimo Señor, y Reurendiſ.mo P. M. Fr. Iuan Martinez, Confeſſor de la Mageſtad de Felipe Quarto, y del Principe D. Baltaſar, que gozan de Dios: y de ſu Conſejo en el Supremo de la General Inquiſicion: Arçobiſpo electo de Santiago por la Reyna nueſtra Señora D. Mariana de Auſtria, que Dios guarde.

*Eſcriuiola en ocaſion de auer recibido el Segundo Tomo, ſobre la Tercera Parte de Santo Thomas, que ſacò à luz, el Autor.*

## Iluſtriſsimo Señor.

CON las buenas nueuas de la ſalud de V.S.I. he tenido dia muy alegre, y guſtoſo, Nueſtro Señor la continue, como la Igleſia ha meneſter, y le ſuplico.

Y ha ſido ſingular mi gozo, viendo en mis manos el Segundo Tomo de V. Ill. ſobre la Tercera Parte de nueſtro Angelico Doctor Santo Thomas: y recibiendo muy frequentes, y ciertas noticias, de la ſuma prudẽcia, vigilancia, zelo, y ſanto exemplo, con que V. Ill. gouierna ſu Obiſpado, y viendo que â eſſe miſmo tiempo, ſin faltar en nada â lo primero, ſe ocupa tan bien V. Ill. en ſacar â luz tan felizes partos de ſu ingenio, en grande vtilidad de la Igleſia, y de la enſañança publica, tengo cada dia nueua complacencia en auer tenido parte, en que ſe dieſſe â V. Ill. eſſe pueſto, que tan dignamente ocupa.

Bien veo que me podrâ arguir V. Ill. con lo miſmo que ſan Gregorio arguiô â otro Religioſo Monge, amigo ſuio, que tam-

bien

bien se llamaua Fr. Iuan; este tenia gran conocimiento de las excelentes prendas que tenia san Gregorio para ser Pontifice: y deseando el acierto en cosa tan importante, lo solicitô, y procurò con el Emperador tan de veras, que lo consiguiô, y despues, passados algunos años, le dieron à aquel Religioso vn Obispado, y no le quiso admitir, teniendo por mas seguro, y conueniẽte para su quietud el retiro de su celda, que ocupar puestos mayores de gouierno. Escriuiole en esta ocasion san Gregorio, yâ Pontifice, muy apretadamente, diziendole, que parecia no auia cumplido bien con el præcepto de amar al proximo, como â ti mismo, pues â êl le auia puesto en tan grandes ocupaciones, y cuidados, y êl no auia querido entrar en ellos: *Si charitatis virtus, in proximi dilectione consistit: si sic diligere proximos, sicut nos iubemur, quid est, quod me Beatitudo vestra, non ita sicut se diligit? Quo enim ardore, quo studio, Episcopatus pondera effugere volueritis, scio; & tamen hæc eadem Episcopatus pondera, ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo, quia non me, sicut vos, diligitis, qui illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis.* S. Greg. Yo, Señor Ilustrissimo, procurê, y solicitè con el Cesar en diferentes ocasiones, q̃ se diesse â V. Ill. algun Puesto, conueniente â sus grandes meritos, y en fin se consiguiô; y por lo que estos dias me ha sucedido en lo de Santiago, temo no me diga V. Ill. que yo he huido de tomar sobre mis ombros la carga pesada del gouierno, auiendola puesto sobre los de V. Ill. A este argumento yâ se vê quan â la vista se ofrecen muchas, y grandes soluciones, que por manifiestas las dexo; y siempre deuo confessar, que el gouernar pueblos, y almas, y las demas ocupaciones del Prelado, *est onus etiam Angelicis humeris formidandum.* Pero no es la primera vez q̃ Dios ha dispuesto descanso, y alibio entre dos cargas pesadas: y en este estado veo puesto â V. Ill. pues por vn lado tiene la carga pesada del gouierno del Obispado, y por otro el trabajo de la impresion, que tambien ha menester enteramente a vn hombre todo; pero como Dios Nuestro Señor es seruido en entrambas ocupaciones, y son tantas las almas interesadas en ambos

trabajos, dispone la Sabiduria Diuina, que el vno sea aliuio del otro, y assi no se impiden, ni se recargan, antes se ayudan, pues el cansancio, y molestia del gouierno, en los pleytos, y en la Audiencia, se diuierte, y se aliuia con el estudio, con los libros, y la impresion. Esta verdad parece vemos expressada en la bendicion de Isachar, de quien dize la Sagrada Escritura: *Supposuit humerum suum ad portãdum accubans, ô requiescens, inter sarcinas.* Y destas dos cargas, vna era la enseñança, y magisterio de la Ley de Dios al pueblo de Israel: porque aũque el Doctissimo Lyra, nego â Isachar este magisterio: lo vno, porque, *quod ratione studij vocetur asinus, quod est animal valde stolidum, & rude, videtur extraneum: tùm, quia nõ reperitur in Scriptura, quod de Isachar fuerint homines excellentes in scientia super alios*: estas son sus palabras cap. 49. del Genesis; pero a la verdad, està expressado en el lib. 1. del Paralipom. cap. 12. q̃ este Tribu de Isachar era de hombres doctos, que tenian por oficio enseñar al pueblo: y assi dize el Espiritu Santo: *De filijs quoque Isachar viri eruditi, qui nouerant singula tẽpora ad præcipiẽdum, quod facere deberet Israel.* Y el mismo Lyra dize sobre estas palabras: *Erant enim isti studiosi in lege, & sciebant optime consulere, quid, & quomodo esset agendum, & cætera Tribus eorum consilijs acquiescebant.* Y esta expressa contradicion, escusa graue, y prudentemente el gran Obispo Tostado, pues en vnos escritos tan grandes, tan copiosos, y abundantes como los del Doctissimo Lyra, no es mucho se le oluidasse lo que dexaua dicho en el primer lugar del Genesis.

*Lira.*

*Lira.*

La otra ocupacion, ô carga pesada del Tribu de Isachar, era de Labrador, que es el mismo que atribuyô Christo â su Eterno Padre: *Pater meus agricola est.* Y S. Pablo dize a los fieles: *Dei agricultura estis*: y por si mismo se haze â todos patente, quan parecida es la ocupacion de los Prelados, â la del Labrador, que en todos tiempos se ocupa en el trabajo de labrar los campos, y se reconoce que es trabajoso arrancar las maleças, y plantas siluestres; como tambien cuesta trabajo el poner buenas plantas, y arboles que dân fruto; pero entrambas ocupaciones se

ayudan, y vna con otra se hazen gustosas, conociendo el consuelo q̃ causa el desarraigar los vicios de los subditos, y el ver las medras, y frutos de las virtudes de sus almas: y assi juntamente dezimos, *accubans*, ô *requiescens inter sarcinas*.

Yo deseo, Señor Ilustrissimo, que los Señores Prelados, pues siempre se procura que sean los mas doctos, se animassen â escriuir, pues esta ocupacion la tienen tan aprobada con sus obras los mayores Obispos que tuuo la Iglesia, auiendo escrito todos ellos quando estauan en esta ocupacion, y fuerõ ayudados de Dios, para que con su doctrina tuuiesse la Iglesia armas con que defenderse, y luz con que gouernarse: assi lo deseaua, y se lo dezia S. Bernardo â Eugenio Pontifice lib. 1. de considerat. cap. 9. *Non defuere Romani Pontifices, qui sibi otia, inter maxima negotia inuenirent*, para poder escriuir libros; y trae el exemplo de S. Gregorio Magno, que entre las de mas grandes ocupaciones de aquel puesto, escriuiô sobre lo mas profundo del Profeta Ezequiel: *Quando obsidio vrbi, & barbaricus ensis ciuium ceruicib⁹ imminebat, nũquid istud terruit Beatum Papam Gregorium, quominus sapiẽtiam scriberet in otio?* S. Bern.

Lo mismo nos dize san Prospero, hablando de N.P.S. Agustin, que hallandose en la Ciudad de su Obispado Hyponense, la cercô el Exercito de los Vvandalos, y en medio de tantos trabajos, y cuidados, el Santo Doctor estaua cõtra los errores de Iuliano: *Libris Iuliani inter impetum obsidentium Vvandalorũ in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseuerans.* S. Prosp.

Quien duda que entrambos Santos tomauan este exercicio en aquellas ocasiones, para descanso de los mayores trabajos en que se hallauã; y destos mismos exemplares, y demas sagrados Doctores de la Iglesia, q̃ escriuieron siendo actualmente Obispos, podemos responder â otra escusa que algunos podrian alegar, diziendo, que ya se hallan con muchos años para poder entrar en este trabajo, pues todos estos glorioso Doctores en la misma ocupacion, y en edad muy crecida escriuieron: y segun las leyes de la prudencia, y doctrina mas segura, deuemos todos confessar que la

edad, y eſtado para eſcriuir mas a propoſito, y mas cõueniẽte, es la edad de la vegez. Dizelo admirablemente el Cardenal Paleoto, eſcriuiendo *de bono ſenectutis*, y dize, que entre las demas vtilidades que trae la vegez, es muy principal el ſer eſta edad mas apropoſito para imprimir en los libros lo q̃ ſe obrô, y executô quando mas moços, con el exemplo de Caton, que auiendoſe ocupado toda ſu vida en la guerra, ſiempre vencedor, y de ninguno vencido, hallandoſe ya viejo, ſe puſo â eſcriuir, diziendo: *Plus ſe reipublicæ crederet profuturum, ſi diſciplinam militarem conferret in litteras: nam vnius ætatis ſunt, quæ fortiter fiunt, quæ verò pro vtilitate reipublicæ ſcribuntur, æterna ſunt.*

Caton.

Toda la vida paſſada ha empleado V. Ill. en vna guerra continuada de Diſputas, Argumentos, Concluſiones, y Preſidencias de Actos, y todos los demas exercicios cotidianos de las Eſcuelas, que aunque no derraman ſangre; pero ſon muy viuos, y muy ſenſibles, y V. Ill. ha tenido el oficio de Capitan General en eſta milicia literaria, auiendo ſido Cathedratico de Prima en la Vniuerſidad mayor de la Chriſtiandad, donde ha obrado tantas hazañas con ſus eſcritos, y doctrinas, y cõ ellas ha criado tanto numero de Diſcipulos, que ya ſon Maeſtros, y ocupan los mayores pueſtos en Cathedras, Canongias, y Obiſpados: y aunque eſto es beneficio tan grande; pero es temporal, y que paſsô en aquellos tiempos, y en los preſentes juſtamẽte deuemos perſuadirnos, *plus ſe reipublicæ profuturus, credere, ſi diſciplinam militarem conferret in litteras*, pues lo de aquella edad es ya paſſado; pero el eſcriuir aora eſtos libros, ſon beneficios eternos: *Vnius ætatis ſunt, quæ fortiter fiunt; quæ vero pro vtilitate Reipublicæ ſcribuntur, æterna ſunt.* Eſto dize Caton, aun eſcriuiendo materias tan tẽporales, y de la tierra, como las de la Guerra. Que podremos dezir noſotros de lo que V. Ill. eſcriue en ſus libros, pues ſõ los ſagrados myſterios de la Encarnacion del Hijo de Dios Verbo Vnigenito del Eterno Padre? Si de los libros de Caton ſe eſperaua grã prouecho para la Republica, qual ſerâ el fruto, y vtilidad q̃ cauſarân en la Igle-

sia las Materias deſtos libros? Eſtos ſi que ſon verdaderamente eternos, *quæ pro vtilitate Reipublicæ ſcribuntur, æterna ſunt.*

Y porque en el mar inmenſo, y dilatado deſtos ſoberanos myſterios, diſputados con la alteza de ingenio tan ſuperior, no puede la cortedad de nueſtro ingenio llegar â ponderarlo, me bueluo â valer del miſmo Autor, reconociendo la gran conueniencia que dize tiene el que ſe eſcriuan libros, y ſe impriman, quando el Autor ha entrado ya en mas crecida edad, ſiendo muy prouechoſa la vegez para eſcriuir; y aſsi dâ la razon: *Quia non ſolum poſſunt litteris mandare, quæ certius nouerunt, & vſu ipſo experti ſunt, quod non ita alijs cõtingit, verũ etiam, quia eorum ſcripta magis ab omni vana aſſentatione, mendacio, ac mordacitate obſutura eſſe veriſimilius eſt, quo ſe propinquiores reddenda rationi eſſe nouerunt; præſertim vero, cum eadem à ſenis ore proueniant, quæ omni debeant maturitate teneri, ita vt aliorũ, etiam aſperiori cenſura interdum prouocati, nihil tamen inſolens, nihil acre, ſed omnia ab illis dicta ſumma manſuetudine, & moderatione repleta, dignoſcantur.*

Y ſegun eſte ſentir, que verdaderamẽte es grauiſsimo, ſi todo lo grande que V. Ill. tiene de ſabiduria, lo huuiera adquirido a ſolas dentro de ſu celda, ſin auer paſſado por los exercicios de las Eſcuelas que hemos referido, dize eſte Autor, que eſſas miſmas prendas no fuerã tan apropoſito para eſcriuir libros, pues por la experiẽcia ſe eſcriue, *quæ certius nouerunt, & vſu ipſo experti ſunt.* Señor Iluſtriſsimo, lo contenido en eſtos grandes libros es materia tan celeſtial, y diuina, como ſe ha dicho, y aſsi no me atreuo tan preſto â entrar en la cenſura de la ſuſtantia de ſu contenido, porque deſeo verlo mas deſpacio, aunque diré algo aora; pero no me ſufre el coraçon el dilatar mas las muchas, y perpetuas gracias que deuo dar â V. Ill. por la modeſtia, manſedumbre, y corteſia, de que ſiempre vſa en las Materias, y Diſputas deſtos libros. Y celebrando yo eſte punto en algunas ocaſiones, me han dicho los que ſe han criado con V. Ill. que eſte eſtilo es proprio, y natural, y el que ſiempre ha guardado toda la vida en los Generales, y en las Cathe-

dras; y aunq̃ en aquellos exercicios, como tambien en los Pulpitos, se deue guardar mucha modestia, y templança; pero si con el ardor del argumento, ô cõ el feruor de lo q̃ se reprehende, se falta en alguna palabra, esso mismo puede ser de escusa para los oyentes, y es negocio que passa luego, y se oluida; pero en lo q̃ se escriue queda perpetuado, y siẽpre ofende, y en estos tiempos ha habido hartos descuidos, pues en algunos libros hemos visto libelos contra esto, pues escriue Caton las palabras referidas, que por tan graues, y de generoso magisterio, no me atreuo â darlas ajustado romance, y assi las dexo en la fuerça de su proprio estilo. Y porque no se diga que son documentos de Philosophos antiguos, me ha parecido esforçar el mismo intento cõ lo que tan estrechamente nos enseña en este punto S. Gregorio Nazianzeno en la oracion 26. diziendo, que aun disputando con los Hereges, se ha de guardar modestia, y generosidad: *Cum generositate, imprudentiam, & insciti-*
*S. Greg. Naz.* *am, & qui malus ipsius fœtus est, temeritatẽ.* Y luego dize a los que no se pueden reprimir en las Disputas: *Si autem tam immodico, & inexplebili studio flagras, nec morbum sistere, ac reprimere potes, hæc meditare, in his esto, ambitionem istam in his rebus, in quibus periculi nihil subest effunde. Quod si hoc repudias, nec linguam fræno coercere, animique impetum frangere, ac comprimere potes, sed tibi furere, atque insanire certũ est, ad illud saltim tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, nec temerè, ac præcipiti iudicio eum condemnes.*

Siendo, pues, el estilo cortês, y modesto, esso mismo aliuia, y suauiza el trabajo, pues se obra conforme al proprio natural, y se haze mas facil la carga pesada, y molesta de los negocios seculares, de causas, y pleytos que trae la obligacion de Prelado, que demas de ser nueuos, y extraordinarios, que nunca se han exercitado por su misma naturaleza, son de mucho disgusto, y no pueden tener otro mayor aliuio que la ocupacion de la impression. Buen exemplo tenemos en el Santo Obispo N.P.S. Agustin, que hablando cõ experiencia de si mismo, nos

lo dize admirablemente por estas palabras: *Taliũ negotiorum examinatores esse voluit, à quibus excusare nos non possumus, etsi velimus. Christum testem inuoco, quoniam malem per singulos dies, certis horis aliquid manibus operari, & cæteras horas habere liberas ad legendum, & orandum, vel ad agendum aliquid de diuinis litteris, quam tumultuosissimas perplexitates causarum pati de negotijs sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interuenien do præcedendis.* S. Aug.

Confiesso que me he alargado mucho en las circunstancias, y accidentes de la ocupacion que V. Ill. ha tomado en la impresion de sus libros; y como dixe arriba, son tales, que no me atreuo a entrar en su ponderacion; pero por lo que he visto hasta aora, bien puedo dezir con gran seguridad lo que dixo Plinio a Maximo: *Quod senserim de singulis libris tuis accipe: est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiã, & cum magna tua laude diffusũ: in quo tui ingenij simul, doloriſque velis latissimè vectus es, & horum vtrumque inuicem adiumento fuit. Nam dolori sublimitatem, & magnificentiam, ingenio, vim, & amaritudinem dolor addidit.* Plinio.

El Venerable Doctor Iuan Gerson en el primer tomo de sus obras lib. 1. cap. 1. haze vn tratado largo por diferentes capitulos, que intitulô *de laude scriptorum*; y señalando los grandes frutos que causan los que escriuen libros, y el grã bien que hazen a la Iglesia, y las muchas alabanças que por esto merecen, lo cifrô en los versos siguientes. Gerson.

*Prædicat, atque studet scriptor, largitur, & orat*
*Affligitur, sal dat, fontem, lucemque futuris,*
*Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat.*

En lo qual dize, que los que escriuen hazen estas doze buenas obras, de predicar, estudiar, tener misericordia, dar limosna, tener oracion, hazer penitencia, comunicar la sal de la Sabiduria, y el agua de la gracia, alumbrar a los presentes, y futuros, enriquezer la Iglesia, darle armas con que se defienda, lustre, y honor para su autoridad. De cada vno destos doze titulos

haze el Autor vn capitulo en que prueua como todas eſtas virtudes las cauſan en la Chriſtiandad los que eſcriuen libros, lo qual nadie puede negar, y aſsi todo lo que dize es vna verdad cierta, ſegura, y recibida de todos; pero para nueſtro intento deſto miſmo ſe haze mayor argumento, y de realce mas ſuperior, mas apretado, y eſtrecho, pues lo que yo eſcriuo en eſte papel, es haziendo continua inſtancia con V. Ill. para que eſcriua eſtos libros, y para eſſe intẽto me valgo deſte exẽplar, y doctrina de Gerſon, haziendo el argumento de minori ad maximum, pues eſte graue Autor habla en todo eſte tratado de los verſos, y en los capitulos del libro que intitulô *de laude ſcriptorum*, en todos habla de los Eſcritores manuenſes, que con la pluma, tinta, y papel los eſcriuen, y no de los Autores q̃ componen los libros, que los trabajan, eſtudian, y dictan, con tanto deſvelo, y no habla deſtos Autores que componẽ los libros, ſino de los eſcritores que los traſladan, y copian de vnos en otros, que era la ocupacion ordinaria que tenian antiguamente aquellos Santos Monges del deſierto, quando no auia impreſsion: y por eſſo dize el Autor en el titulo, que habla cõ los Monges Celeſtinos de ſu Orden, y cõ los Padres Cartujos, que todos ſe ocupauan en traſladar libros; y deſte principio verdadero hazemos el argumẽto mayor. Pues ſi los que eſcriuian libros, traſladandolos de vnos en otros, ſiendo todos agenos, y ninguno proprio, ſi por ſolo traſladarlos tienen tantos meritos, y hazen tanto ſeruicio a la Igleſia, y alcançan tantas alabanças: quanto mayores ſin comparacion ſerân los meritos, y los ſeruicios para la Igleſia, los beneficios para las almas, y los premios que recibirân de la poderoſa mano de Dios los Autores de eſſos miſmos libros, que los componen, y trabajan con tanto cuidado, y deſvelo como trae conſigo eſta ocupacion? A eſtos tales Autores les vienen mas ſuperiormente las alabanças referidas, y â cada Autor, alegre, y guſtoſamente podremos dezir cõ gran propriedad, y yo lo digo deſde luego a V. Ill. que cõ eſtos libros que cõpone, y de q̃ es Autor, cumple con grandes ventajas las obligaciones de los

pueſtos de Prelado, y de Maeſtro, haziendoſe digniſsimo de todos los meritos, y gracias que refiere Gerſon, aun en grados mas ſuperiores que êl lo dize, y ſe ajuſta eſta verdad, reconociendo que el principal oficio del Obiſpo, es predicar, y enſeñar al pueblo, como lo dize S. Pablo a los Obiſpos Thimoteo, y Tito, y repiten tantas vezes los ſagrados Canones, y Concilios: pues el que haze, y cõpone libros, *prædicat, atque ſtudet, ſcriptor largitur, & orat*; y eſte trabajo con el del gouierno, es nueua carga, como hemos dicho; pero comunica a los Fieles la ſabiduria, y dâ luz de verdadera doctrina para los preſentes, y venideros: *Affligitur, ſal dat, fontem, lucemque futuris*: y cõ eſtos miſmos libros, que actualmente ſe eſtân imprimiendo, ſe dân a la Igleſia armas, teſoros, defenſa, y honor: *Eccleſiam ditat, armat, cuſtodit, honorat.* Con lo qual vemos cumplidas las felizidades que dezia Plinio en la epiſtola 6. *Beatos, quibus datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere facienda: Beatiſsimos verò, quibus vtrumque.* Y pues hablo con tal Prelado como V. Ill. me ha parecido concluir con las palabras de otros dos Prelados tambien muy doctos: el primero es el Arçobiſpo de Tarátaſia libro tercero cap. ſexto, que auiendole embiado vn amigo ſuyo vn libro que auia eſcrito, y compueſto, le reſpondio. *Quid in illo deſiderari poteſt? Quo nihil copioſius, nil doctius, nil grauius, præſtantius nil, cui nec addi quicquam, nec minui poſſe videatur, vt neſcias vtrum in eo magis eluceat eloquentia, an pietas, ſanctitas, an prudentia, doctrina, an religio?* Hallandome, pues, con los libros de V Ill. tan ſuperiores en todo, me ha ſido forçoſo valerme de palabras, y calificaciones agenas: y en eſte miſmo ſentir digo tambien lo que dixo Saluiano a otro Obiſpo llamado Eucherio, que le auia embiado los libros que auia compueſto, y le reſponde en la epiſtola vltima: *Legi libros, quos tranſmiſiſti mihi, ſtylo breues, doctrina vberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, menti tuæ, ac pietati pares.* Lo miſmo, y mucho mas reſpondiera yo â V. Ill. ſi ſupiera dezirlo, a quien ſuplico perdone la moleſtia, y canſancio de papel tan largo, y â N. S. que nos guarde â V. Ill. como

Saluian.

la Igleſia ha meneſter, y todos le pedimos. Deſte ſanto Conuento de Nueſtra Señora del Roſario. Madrid, y Setiembre 14. de 1667.

## Iluſtriſsimo Señor.

Beſa la mano de V.S. Iluſtriſsima, y pide ſu ſanta bendicion, ſu mas afecto ſeruidor.

*Fr. Iuan Martinez.*

# INDEX DISPVTATIONVM.

## Quæ in hoc Tertio Tomo noſtri operis continentur.

*Littera. P. deſignat paginam. Littera. N. numerum marginalem demonſtrat.*


TRACTATVS DECIMVS.

De potentia animæ Chriſti. *Pag.* 1.

DISPVTATIO TRIGESIMA OCTAVA.

An humanitas Chriſti Domini ſimpliciter omnipotens fuerit? *Pag* 4.

§. PRIMVS.

Omnipotentia ſimpliciter excluditur ab anima Chriſti.

*Non potuiſſe eſſe omnipotentem à ſe, vt omnino certum ſupponitur.* Num. 1.

*Non fuiſſe omnipotentem ſimpliciter, etiam per communicationem, probatur.* Anum. 2. vſque ad 4.

§. SECVNDVS.

Duplici argumento occurritur. *Pag.* 6.

*PRimum argumẽtum ſumitur ex Matthæi vltimo capite illis verbis:* Data eſt mihi omnis poteſtas. Num. 5.

*Quæ verba dupliciter explicantur.* Anum. 6. vſque ad 9.

*Secundum argumentum ſumitur à paritate ſcientiæ Dei, quæ potuit ex parte rerum ſcitarum, adæquatè humanitati Chriſti communicari.* Num. 10. & 11.

*Prima ſolutio refertur, & impugnatur.* Anum. 12. vſque ad 14.

*Duplex ſolutio traditur, & defenditur.* Anum. 15. vſque ad 28.

§. VLTIMVS.

Tertium argumentum diluitur. *Pag.* 11.

*VLtimum argumẽtum deſumitur ex eo quod non implicat omnipotentiam diuinam cum humanitate viri, ſub conceptu omnipotentiæ.* Num. 29.

*Reſpondetur primo, negando aſſumptum.* Num. 30. & 31.

*Reſpondetur ſecundo, omittendo, quod poſſit omnipotentia vnitricum humanitate Chriſti; & negãdo quod illam poſſit conſtituere omnipotentem ſimpliciter, & defenditur ſolutio.* Anum. 32. vſq; ad 43.

DISPVTATIO TRIGESIMA NONA.

An Chriſtus, vt homo, fecerit miracula, vt cauſa principalis moralis? *Pag.* 17.

§. PRIMVS.

Quibuſdam præſuppoſitis, vera ſententia defenditur.

*CHriſtum, vt hominem, aliqua fecisſe miracula, vt omnino certum ſupponitur.* Num. 1.

*Non phantaſtica, ſed vera miracula fuiſſe, probatur.* Num 3. & 4.

*Concluſio affimatiua, qua aſſerimus, feciſſe miracula, vt cauſam principalem moralem, adhuc illa quæ tempore Incarnationem præceſſerunt, proponitur, & probatur.* Anum. 5. vſque ad 8.

§. SECVNDVS.

Obiectionibus occurritur. *Pag.* 19.

*ARgumentum difficile contra primam partem concluſionis proponitur.* N. 9. & 10.

# Index Disputationum.


*Refertur, & refellitur prima solutio.* Num. 11. & 12.

*Traditur, & defenditur vera solutio.* A num. 13. vsque ad 25.

*Contra secundam partem conclusionis arguitur ex quadam Diui Thomæ doctrina.* Num. 26.

*Diluitur argumentum, & mens Diui Thomæ explicatur* Num. 27.

DISPVTATIO QVADRAGESSIMA.

An humanitas Christi Domini instrumentaliter physicè, effectus miraculosos causauerit? *Pag.* 25.

§. PRIMVS.

Apperitur status difficultatis, referuntur sententiæ, veraque eligitur, & auctoritate probatur.

*HVmanitatem Christi, non effecisse miracula principaliter physicè. Probatur.* A num. 1. vsque ad 5.

*Sententia negans, fecisse miracula instrumentaliter physicè, refertur.* Num. 6.

*Sententia affirmans, proponitur.* Num. 7.

*Probatur primo auctoritate scripturæ.* A num. 8. vsque ad 13.

*Secundo probatur auctoritate Conciliorum, & PP.* A num. 14. vsque ad 19.

*Tertio specialiter suadetur testimonijs D. Thomæ.* A num. 20. vsque ad 22.

*Interpretatio P. Vazquez ad vltimum testimonium, refertur, & refellitur.* A num. 23. vsque ad 37.

§. SECVNDVS.

Expenduntur alia testimonia Angelici Præceptoris, & ratione nostra sententia probatur. *Pag.* 35.

*TErtium testimonium Angelici Præceptoris proponitur.* Num. 38.

*Explicatio Patris Vazquez refertur, & refellitur.* A num. 49. vsque ad 43.

*Prima ratio pro nostra conclusione proponitur.* A num. 44. vsque ad 51.

*Contrariorum solutiones reijciuntur.* A num. 52. vsque ad 58.

§. TERTIVS.

Vltima conclusionis ratio expenditur. *Pag.* 41.

*DEnique probatur conclusio, eo quod influxus physicus instrumentalis in effectus miraculosos est humanitati Christi possibilis; & consequenter illi attribuendus de facto.* Num. 59.

*Multiplex solutio aduersariorum refertur, & refellitur.* A num. 60. vsque ad 66.

*Quæ contra vltimam solutionem opponit P. Suarez referuntur.* A num. 68. vsque ad 72.

*Eius doctrina reijcitur.* A numero 73. vsque ad 84.

*Aliter præfata solutio reijcitur, probando, non implicare influxum physicum instrumentalem in effectus miraculosos.* A numero 85. vsque ad 92.

§. QVARTVS.

Argumentis ab auctoritate occurritur. *Pag.* 50.

*PRimum argumentum sumitur ex Tridentino sessione 6. de iustificatione cap. 7.* Num. 93.

*Explicatur Tridentinum.* Num. 94. & 95.

*Secundum argumentum desumptum ex Damasceno proponitur, & diluitur.* A num. 96. vsque ad 98.

*Tertium argumentum continens tria Angelici Doctoris testimonia, proponitur.* A num. 99. vsque ad 101.

*Testimonia Diui Thomæ explicantur.* A num. 102. vsque ad 107.

*Quartum argumentum ab auctoritate negatiua desumptum, proponitur, & duplici solutione diluitur.* A num. 108. vsque ad 120.

§. QVINTVS.

Duplici rationi contrariæ sententiæ occurritur, & explicatur necessitas indistantiæ localis ad operationem physicam. *Pag.* 58.

*QVinto arguit Vazquez, ex eo quod de ratione instrumenti physici est contactus physicus passi ratione propriæ virtutis.* Num. 121.

*Respondetur, negando assumptum, cuius doctrina falso Thomistis imponitur, & contraria ex Diuo Thoma probatur.* Num. 122.

*Sextum argumentum sumitur, ex eo quod ad influxum physicum instrumentalem, physicus contactus requiritur, saltim virtute diuina; qui tamen, non potuit in pluribus miraculis à Christo effectis cum indistantia locali contingere.* Num. 123.

*Prima solutio Magistri Lorcæ asserentis, miracula, quæ Christus operatus est in distantia, non physicè, sed moraliter ab illo fuisse causata, refertur, & ex Diuo Thoma refellitur.* Num. 124.

*Secunda solutio distinguens inter instrumentum coniunctum, & separatum, refertur, & refellitur.* A Num. 125. vsque ad num. 129.

*Tertia solutio distinguens inter indistantiam suppositi, & indistantiam localem virtutis, refertur, & refellitur.* A num. 130. vsque ad 132.

*Traditur vera solutio, asserendo indistantiam localem ad contactum effectiuum, esse quidem condi-*

# Index Disputationum.


tionem ex natura rei petitam, non tamen essentialiter exactam. Num 133.

Contra quam doctrinam quadruplex obiectio proponitur. Num. 134 & 135.

Tres obiectiones diluuntur. A num. 136. vsque ad num. 140.

§. Sextvs.

Examinantur solutiones Vincentij ad quartam obiectionem, & traditur vera solutio. Pag. 64.

AD quartam obiectionem respondet Vincentius primo, negando, quod existentia sit solum conditio ad agendum sed est ratio formalis ex parte causæ efficientis. Num. 141.

Secundo respondet, respectu actionis, vt egredientis à principio, existentiam esse conditionem; prout vero est actualitas operantis, præsupponi vt rationem formalem Ibidem.

Tertio respondet, esse quidem conditionem, essentialiter tamen requiri. Ibidem.

Prima solutio reijcitur, probando existentiam non posse esse rationem formalem ex parte principij ad agendum. Num. 142. & 143.

Secunda solutio impugnatur, probando existentiam non esse rationem formalē ex parte principij agēti ad recipiendam actionem. A num 144 vsq; ad 146.

Vltima solutio Vincentij rectè explicata defenditur. A num. 147. vsque ad 151.

§. Septimvs.

Tertium argumentum diluitur, & explicatur, an instrumento correspondeat prædicatum speciale in effectu? Pag. 68.

TErtio arguit Vazquez, ex eo quod humanitas non habet de se vim remotam actiuam in effectus miraculosos; & consequenter non potest eleuata in illos influere. Num 152.

Refertur, & reijcitur duplex solutio. A num. 153. vsque ad num. 159.

Traditur, & defenditur vera solutio. A num. 160. vsque ad num 163.

§. Octavvs.

Duplici argumēto occurritur, & explicatur, an sit dabile instrumentum obedientiale. Pag. 71.

QVarto arguit Vazquez, ex eo quod inter effectum, & causam instrumentalem debet dari ordo efficientis, & effectij; talis autem ordo inter humanitatem Christi, & gratiam habitualem, & effectus miraculosos non datur. Num. 164. & 165.

Quorundam instantia reijcitur. A num 166. vsq; ad 168.

Instatur argumentum. Num 169.

Diluitur. A num. 170 vsque ad 177.

Quintum argumentum sumitur, ex eo quod humanitas Christi non influit physicè in gratiam; & consequenter, nec in effectus miraculosos, assumptum probatur, eo quod gratia de se, & ab intrinseco non dependet ab humanitate Christi: ac proinde non potest Deus facere, quod ab illa dependeat. A num. 170. vsque ad 180.

Instatur, & soluitur argumentum. A num 181. vsque ad num. 185.

§. Nonvs.

Occurritur sexto argumento, & explicatur causalitas passionis Christi respectu Antiquorum Patrum. Pag. 78.

SExtum argumentum sumitur, ex eo quod humanitas Christi eundem influxum exercuit in gratiā Antiquorū PP. quē in nostri gratiā præstat; illam autem physicè non causauit; & consequenter nec nostram. Num. 186. & 187.

Quorundam solutio asserentium, humanitatem Christi, vt in diuina mente existentem, physicè Antiquorum gratiam causasse, refertur, & quibusdam exemplis iuuatur. A num. 188. vsque ad 192.

Prædicta doctrina reijcitur. A num 193. vsque ad num. 196.

Exemplis, quibus iuuabatur occurritur. A numero 197. vsque ad num. 203.

Traditur, & defenditur vera solutio. A num. 204. vsque ad num. 210.

§. Decimvs.

Vltimum argumentum proponitur, & prima illius solutio examinatur. Pag. 86.

VLtimum argumentum sumitur, ex eo quod eo modo influit humanitas Christi in effectus miraculosos, quo passio Christi influit in gratiam iustificantem; passio autem Christi non influit physicè in gratiam; cum physicè non existat. N. 211.

Refertur prima solutio, asserentium, ad influxum physicum effectiuum sufficere existentiam præteritam, quod aliquibus exemplis probatur. Num. 212.

Prædicta solutio reijcitur. Num. 213.

Tribus exemplis, quibus iuuabatur, occurritur. N. 214.

Quorundam sententia de existentia Sacramentorum in instanti terminatiuo, vt efficienter physicè causent, examinantur. A num. 215. vsque ad num. 226.

# Index Disputationum.


§. Vltimvs.

Examinantur alij modi dicendi, & soluitur argumentum. *Pag.* 91.

*Subtilis modus dicendi Nazarij refertur, & reijcitur.* A num. 227 vsque ad num. 230.

*Tertia solutio sumpta ex Caietano refertur, & impugnatur.* Num. 231 & 232.

*Explicatio duplex doctrinæ Caietani à Vincentio tradita examinatur.* A num. 233. vsque ad nu. 236.

*Recentiorum solutio asserentium, passionem Christi in abstracto, nullateus physicè in gratiam nostram influere, refertur, & refellitur.* A numero 237. vsque ad num. 240.

*Traditur, & defenditur vera solutio.* A num. 242. vsque ad num. 244.

*Difficultates aliquæ remissiuè tractantur.* A nu. 245. vsque ad num. 248.

TRACTATVS VNDECIMVS.

De impeccabilitate Christi, & illius morali perfectione. *Pag.* 99.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA PRIMA.

An Christus de potentia absoluta peccare potuerit, aut esse in peccato? *Pag.* 106.

§. Primvs.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.

*Christum numquam de facto peccasse, nec fuisse in peccato, probatur testimonijs scripturæ.* Num. 1. & 2.

*Ratione Diui Thomæ probatur.* Num. 3.

*Triplex obiectio contra rationem Diui Thomæ diluitur.* A num. 4. vsque ad 9.

*Argumenta hæreticorum diluuntur.* A num. 10. vsque ad 17.

*Nec potuisse de lege ordinaria peccare, vt certum supponitur, & probatur.* Num. 18.

*Difficultatis status aperitur.* Num. 19. & 20.

*Refertur triplex sententia.* Num. 21.

§. Secvndvs.

De peccato habituali graui *Pag.* 111?

*Statuitur prima conclusio, qua asseritur, peccatum graue habituale pugnare cum vnione hypostatica nude sumpta, nedum ex natura rei, sed etiã ce potentia absoluta.* Num. 24.

*Prima pars conclusionis probatur.* Ibi vsque ad num 26.

*Rationes aliquæ pro secunda parte conclusionis examinantur.* A num. 27. vsque ad num. 38.

*Probatur secunda pars conclusionis.* Num. 39. & 40.

*Triplex obiectio contra secundam probationem, proponitur, & diluitur.* A numero 41. vsque ad 47.

*Tertio probatur à paritate gratiæ habitualis.* A n. 48. vsque ad 51.

*Denique suadetur ex conceptu sanctitatis infinitæ simpliciter.* Num. 52 & 53.

§. Tertivs.

Obiectionibus in contrarium occurritur. *Pag.* 118.

*Argumentum contra primam partem conclusionis proponitur, & diluitur.* A num. 54. vsque ad num. 57.

*Argumenta contra secundam partem conclusionis diluuntur.* A num. 58. vsque ad num. 91.

§. Qvartvs.

De peccato habituali leui. *Pag.* 128.

*Statuitur secunda conclusio, qua asseritur, peccatũ leue habituale non posse de potentia absoluta cum gratia vnionis componi, & probatur.* A num. 92. vsque ad 95.

§. Qvintvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 129.

*Primum argumentum à paritate gratiæ habitualis non pugnantis essentialiter cum peccato leui habituali, proponitur, & diluitur.* A nu. 96. vsque ad num 101.

*Cætera argumenta proponuntur, & diluuntur.* A n. 102. vsque ad num. 122.

§. Sextvs.

Nullum actuale peccatum posse in humanitate cum vnione ad Verbum componi, auctoritate, & ratione probatur. *Pag* 136.

*Statuitur tertia conclusio, qua asseritur, implicare humanitatem Verbo vnitam delinquere peccato actuali compositum cum vnione.* Numero 124.

*Probatur predicta conclusio ab auctoritate Patrũ,* Num. 125. & 126.

*Duplex euasio proponitur, & reijcitur.* A num. 127. vsque ad num 137.

*Deinde probatur eadem conclusio ratione, cui namque repugnat peccatum habituale, etiam actuale repugnat; humanitati autem Verbo vnitæ essentialiter repugnat peccatum habituale.* A num. 138. vsque ad num. 140.

*Iunioris cuiusdam Theologi euasio reijcitur.* A n. 141. vsque ad num. 147.

# Index Disputationum.


§. Septimvs

Alia ratione nostra conclusio probatur. *Pag.* 142.

*Tertio probatur conclusio, ex eo quod Verbo incumbit specialis obligatio gubernandi humanitatem assumptam.* Num. 148.

*Quorundam argumenta ad probandum huiusmodi obligationem refelluntur.* Ibi vsque ad num. 153.

*Prædicta obligatio probatur.* A num. 154. vsque ad num. 157.

*Solutio Patris Vazquez, cui prædicta ratio displicuit, refertur, & refellitur.* Numero 158. & 159.

§. Octavvs.

Obiectionibus contra rationem istam occurritur. *Pag.* 145.

*Primum argumentum ex Durando sumptum proponitur, & diluitur.* A num. 160. vsque ad num. 164.

*Doctrina Vincentij asserentis, obligationem specialem non esse tribus personis communem, refertur, & refellitur.* A numero 165. vsque ad num. 168.

*Quod prædicta obligatio sit tribus personis communis defenditur.* A num. 169. vsque ad 172.

*Secundum argumentum proponitur, & diluitur.* A num. 173. vsque ad num. 180.

*Vltimum argumentum contra prædictam rationem, proponitur, & diluitur.* A num. 181. vsque ad num. 189.

§. Nonvs.

Alia ratione communis sententia probatur. *Pag.* 153.

*Denique probatur conclusio, ex eo quod posset humanitas assumpta peccare peccato cum vnione composito, posset suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate peccare; nam actiones sunt suppositorum.* Num. 190.

*Prima solutio Marsilij asserentis, non sequi Verbum, vt subsistens in humanitate, adhuc denominatiuè peccare, refertur, & refellitur.* A nu. 191. vsque ad 196.

*Secunda solutio, asserentium, solum sequi Verbum denominatiue peccare, non autem effectiuè, refertur.* Num. 197.

*Prædicta solutio reijcitur primo, probando, adhuc denominatiuè peccare, esse Verbo indecens, & repugnans.* A num. 198. vsque ad num. 202.

*Deinde reijcitur, probando commune axioma, quo asseritur, operationes esse suppositorum, accipiendum esse effectiue, & non pure denominatiuè.* A num. 211. vsque ad num. 222.

*Tertia solutio asserentium, non reputari inconueniens, quod Verbum, vt in humanitate subsistens influat, vt quod in actionem peccaminosam, refertur, & refellitur.* A num. 223. vsque ad nu. 228.

*Vltima solutio eiusdem argumenti refellitur.* A nu. 229. vsque ad num 231.

§. Decimvs.

Obiectionibus contra rationem occurritur. *Pag.* 163.

*Contra rationem, qua §. præcedenti communis sententia probatur, arguitur primo; solum enim sequitur ex peccato humanitatis composito cum vnione, Verbum denominari peccans per communicationem idiomatum, quod inconueniens non est, sicut absque inconuenienti hoc modo denominatur mortuum.* Num 232.

*Respondetur, negando assumptum, sed cum omni proprietate Verbum, vt subsistens in humanitate peccans denominaretur; sicut etiam prout sic subsistens propriè dicitur mortuum, & ex Virgine genitum.* Num. 233.

*Cur autem Verbo, vt subsistenti in humanitate non repugnet mors: peccatum autem illi repugnat, assignatur duplex ratio discriminis.* Numero 238.

*Contra quam doctrinam multipliciter arguitur.* A num. 239. vsque ad num. 247.

*Quibus late occurritur.* A num. 248. vsque ad n. 270.

§. Vndecimvs.

Nec in sensu diuiso potuisse humanitatem Christi peccare, auctoritate, & ratione probatur. *Pag.* 174.

*Statuitur quarta conclusio, qua asseritur, nec ex natura rei, nec de potentia absoluta potuisse humanitatem Christi peccare peccato destruente hypostaticam vnionem.* Num. 271.

*Ratio, qua probat Cardinalis Lugo primam partem conclusionis, refertur, & refellitur.* Num. 272. & 273.

*Probatur primo ab auctoritate PP.* Num. 274.

*Secundo probatur ratione sumpta ex eo quod vnio humanitatis ad Verbum petit ex natura sua omnem operationem humanitatis præcedere.* Num. 275. & 276.

*Ratio, qua P. Vazquez probat secundam partem conclusionis, proponitur, & reijcitur.* A n. 277. vsque ad num. 282.

*Eadem ratio prout aliter explicata à Discipulis Vazquez, refertur, & refellitur.* A num. 283. vsque ad num 288.

*Probatur primo secunda pars conclusionis, ex eo quod iuxta PP. humanitas ex vi vnionis reddita fuit impeccabilis; quæ Doctrina vera non es-*


set,

*set, si posset de potentia absoluta peccare in sensu diuiso vnionis.* A num. 289. vsque ad num. 294.

*Secundo probatur ratione sumpta ex infinita sanctitate gratia vnionis substantialis pugnantis, etiã cum potentia expedita peccandi.* A num. 295. vsque ad num. 298.

*Quatuor obiectionibus contra rationem istam occurritur* A num. 299. vsque ad num. 304.

*Quomodo autem gratia vnionis ex conceptu sanctitatis pugnet cum potentia expedita peccandi, explicatur.* A numero 306. vsque ad numerum 312.

§. Dvodecimvs.

Alia ratio communis sententiæ expenditur. *Pag.* 182.

*TErtio probatur ratione sumpta ex obligatione Verbi gubernandi humanitatem.* Num. 313. & 314.

*Obiectionibus contra istam rationem occurritur.* A n. 315. vsque ad num. 327.

§. Decimvs Tertivs

Probatio ex nostris principijs. *Pag.* 186.

*QVarto probatur secunda pars conclusionis, eo quod humanitas Verbo vnita completur in actu primo ad operandum per subsistentiam, & existentiam Verbi, cum quibus non stat potentia in actu primo ad peccandum expedita.* A num. 328. vsque ad num. 331.

*Denique eadem pars conclusionis probatur, eo quod implicat, Verbum, vt subsistens in humanitate, esse potens peccare, peccato destruente vnionem, non autem stat humanitatem vnitam posse peccare, & suo peccato vnionem destruere, quin Verbum, vt in illa subsistens, sit potens peccare.* A num. 332. vsque ad num. 342.

§. Qvartvs Decimvs.

Argumentis contra primam partem conclusionis occurritur. *Pag.* 191.

*PRimum argumentum Discipulorum Scoti, sumitur ex eo quod in humanitate vnita manet potentia peccandi.* A numero 343. vsque ad 345.

*Fallacia argumenti aperitur.* Num. 347. & 348.

*Diluitur, & instatur argumentum.* A num. 349 vsque ad num. 362.

*Secundum argumentum ex Doctrina Scoti, & Durandi sumitur ex eo quod humanitas ex vi vnionis non impeditur in actu primo ad peccandum.* Num. 363. & 364.

*Diluitur argumentum.* A num. 365. vsque ad num. 368.

§. Qvintvs Decimvs.

Argumenta contra secundam partem conclusionis diluuntur. *Pag.* 198.

*PRimum argumentum contra secundam partem conclusionis sumitur, ex eo quod humanitas Verbo vnita posset omittere actum obedientiæ præceptum; sic autem omittendo peccaret.* N. 369. & 370.

*Solutio Recentiorum Thomistarum refertur, & impugnatur.* A num. 371. vsque ad numerum 375.

*Traditur, & defenditur vera solutio.* A num. 376. vsque ad num. 385.

*Secundum argumentum sumitur, ex eo quod potuit Deus de potentia absoluta decernere, assumere humanitatem, & illius vnionem conseruare vsque ad instans determinatum sub conditione, quod humanitas non peccaret in tali instanti, quod quatuor medijs probatur.* A num 386. vsque ad num. 388.

*Diluitur argumentum in principijs Thomistarum.* A num. 389. vsque ad num. 392.

*Secundo idem argumentum diluitur abstrahendo ab his principijs.* Num. 393. & 394.

*Ad quartam assumpti probationem refertur, & refellitur duplex solutio.* A num 395. vsque ad num. 398.

*Traditur vera solutio.* Num. 399.

*Contra illam difficile argumentum proponitur.* A num. 400. vsque ad num. 402.

*Diluitur argumentum.* A num. 403. vsque ad n. 415.

§. Decimvs Sextvs

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 212.

*EX dictis infertur primo; impotentiam peccandi conuenire humanitati ratione vnionis ad Verbum, non autem ex negatione concursus indifferentis.* Num. 416.

*Secundo colligitur, impotentiam peccandi conuenientem humanitati iuxta nostra principia esse physicam philosophycè; in alijs autem principijs solum Theologicè.* A num. 417 vsque ad num. 419.

*Tertio colligitur, humanitatem vnitam Verbo hypostaticè non potuisse præuideri in statu conditionato coniunctam cum peccato actuali, quod probatur contra Lorcam.* A num. 420. vsque ad num. 425.

*Argumento Lorcæ occurritur, & defenditur solutio.* A num. 426. vsque ad num. 433.

*Quarto infertur, quod etiam si humanitas Verbo vnita traxisset originem ex Adamo per seminalem propagationem, non contraxisset, nec contra-*

# Index Disputationum.


here potuisset peccatum originale. A num. 434. vsque ad num. 436.

*Obiectio ex doctrina Diui Thomæ proponitur, & diluitur.* Num. 437 & 438.

*Quinto infertur, in hypotesi prædicta non posse humanitatem habere debitum contrahendi peccatum originale.* Num. 439.

*Triplex obiectio proponitur, & diluitur.* A num. 440 vsque ad num. 443.

*Sexto infertur, casu, in quo Verbum assumeret naturam peccato infectam, non solum excludendum fore peccatum habituale, sed etiam debitum pœnæ, nedum æternæ, verum etiam temporalis.* A num. 444. vsque ad num. 447.

*Obiectionibus contra istam doctrinam occurritur.* A num. 448. vsque ad num. 458.

§. Vltimvs.

Triplex difficultas ex dictis emergens resoluitur. *Pag.* 221.

*Prima est, an casu, in quo humanitas assumeretur à Verbo, propria personalitate retenta, posset humanitas assumpta peccare.* Num. 459.

*Prima conclusio, in dicto casu non posset humanitas peccare, peccato cum vnione compossito. Quæ probatur ex summa sanctitate, qua humanitas ditaretur.* Num. 460.

*Obiectio in contra proponitur, sumpta ex eo quod peccatum in dicto casu non attribueretur Verbo, & duplici solutione diluitur.* A num. 461. vsque ad num. 464.

*Secunda conclusio. Humanitas sic assumpta, non posset peccare, peccato destruente vnionem. Quæ probatur, eo quod peccatum vnionem destruens imputaretur Verbo in seipso.* A num. 465. vsque ad num 467.

*Obiectio in contra proponitur, ex eo quod humanitas sic vnita esset libera libertate contrarietatis* Num. 468.

*Prædicta obiectio diluitur, & instantijs occurritur.* A num. 469. vsque ad num. 472.

*Tertia conclusio: humanitas sic vnita, non posset peccare peccato impediente primam existentiam vnionis. Quæ probatur ex eo quod vt posset peccare peccato impediente primam existentiam vnionis, oportebat, vt in ipso vnionis instanti haberet potentiam in actu primo expeditam ad peccandum, quod implicat.* A num. 473. vsque ad num. 475.

*Duplex obiectio proponitur, & diluitur.* A n. 476. vsque ad num. 479.

*Secunda difficultas est, an natura Verbo vnita media propria personalitate posset peccare in sensu compossito vnionis, vel saltim in sensu diuiso?* N. 480.

*Prima conclusio, humanitas Verbo prædicto modo vnita, foret impeccabilis peccato cum vnione compossito, quæ probatur, eo quod humanitas sic vnita, foret infinitè sancta.* A num. 481. vsque ad num. 483.

*Argumentum in contra proponitur, & diluitur, variisque instantijs occurritur.* A num. 484. vsque ad num 490.

*Secunda conclusio; persona immediate vnita Deo, non posset peccare in sensu diuiso vnionis, nec peccato dissoluere vnionem, nec peccato vnionem impediente.* Num. 491 & 492.

*Difficile Damasceni testimonium proponitur, & dupliciter explicatur.* Num. 493 & 494.

*Tertia difficultas est, an casu, in quo persona creata vniretur cum existentia diuina immediè, posset peccare in sensu compossito vnionis, vel in sensu diuiso destruendo, vel impediendo vnionem?* Nu. 495.

*Cui difficultati respondetur negatiuè, & resolutio quoad omnes partes probatur.* Numero 495. & 496.

*Obiectioni in contra, & aliquibus instantijs occurritur.* A num. 497. vsque ad num. 502.

DISPVTATIO QVADRAGESSIMA SECVNDA.

An in Christo fuerit, vel potuerit esse fomes peccati? *Pag* 233.

§. Primvs.

Fomitis essentia explicatur.

*Fvisse in Christo appetitum sensitiuum, vt fide certum supponitur.* Num. 1.

*Secundo, vt certum supponitur, fuisse in Christo actu aliquos appetitus sensitiui* Num. 2.

*Prima sententia Durandi asserentis fomitem esse ipsum appetitum sensitiuum, prout de se inclinatu ad obiectum delectabile, refertur, & refellitur.* Num. 3.

*Secunda sententia affirmans, essentiam fomitis consistere in motu inordinato appetitus sensitiui refertur, & reijcitur.* Num. 4.

*Tertia sententia asserens, consistere in morbida qualitate superaddita appetitui, vt improbabilis reijcitur.* A num. 5. vsque ad num. 8.

*Vera sententia statuitur, & probatur.* Numero 9. & 10.

*Obiectioni in contrarium cum varijs instantijs occurritur.* A numero 11. vsque ad numerum 17.

*Ex dictis obiter colligitur, fomitem quoad suam es-*


*sentiam*

# Index Disputationum.


*sentiam, futurum esse in natura condita in puris naturalibus.* Num. 18.

*In natura sic condita negatio, quam fomes superaddit ad entitatem appetitus, non priuatio, sed pura negatio esset.* Num. 19.

*Explicatur Tridentinum.* A num. 20. vsque ad n. 22.

*Causa fomitis existentis in natura in illo statu, explicatur.* Num. 23. & 24.

§. Secvndvs.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 240.

*Referuntur quinque sententiæ.* Numero 25. & 26.

*Prima conclusio. De facto non fuerunt in humanitate Christi motus inordinati appetitus sensitiui, quæ conclusio probatur primo, vt defide ex quinta synodo generali actione 8.* Num. 27.

*Secundo probatur ex Patribus asserentibus, in Christo non fuisse pugnam carnis contra spiritū.* Num. 28.

*Tertio probatur; nam prædicti motus non essent in Adamo in statu innocentiæ; & præterea, nam prædicti motus essent in Christo peccaminosi.* Num. 29.

*Ad idem intentum duplex ratio Diui Thomæ explicatur.* Num. 30.

*Contra conclusionem arguitur, ex eo quod Christus passus fuit interiorem carnis tentationem; quandoquidem à Dæmone tentari permissit.* Num. 31. & 32.

*Respondet Diuus Thomas, tentationem à Dæmone posse esse sine peccato, secus autem tentatio interior à carne.* Num. 33.

*Contra quam doctrinam obstat obiectio difficilis sumpta ex Tridentino, cui variè occurritur à Discipulis Diui Thomæ.* A numero 34. vsque ad n. 45.

*Secundum argumentum sumitur, ex eo quod in appetitu sensitiuo Christi fuit tristitia circa mortem, sed hic actus fuit erga obiectum sensibile ordini rationis contrarium: ergo, &c.* Num. 46.

*Refertur, & refellitur duplex solutio.* A Num. 47. vsque ad n. 51.

*Traditur, & deffenditur vera solutio.* A num. 52. vsque ad num. 62.

§. Tertivs.

Secunda conclusio statuitur. *Pag.* 248.

*Fomes in actu secundo, hoc est, motus inordinati appetitus, non potuerunt esse in Christo, etiam de potentia absoluta.* Num. 63.

*Quæ conclusio probatur primo, ratione ex summa sanctitate humanitatis desumpta.* A num. 63. vsque ad num. 77.

*Secundo probatur ratione sumpta ex obligatione Verbi gubernandi humanitatem.* Num. 78.

*Obiectioni contra rationem istam occurritur.* A nu. 79. vsque ad num. 84.

*Denique probatur, ex eo quod motus prædicti, Deo, vt causæ speciali attribuerentur, quod implicat.* A num. 85. vsque ad 90.

*Obiectionibus contra conclusionem occurritur.* A num. 91. vsque ad num. 104.

§. Qvartvs.

De fomite quoad essentiam sumpto prout in actu primo. *Pag.* 258.

*Tertia conclusio; de facto in humanitate Christi non fuit fomes quoad essentiam.* Num. 105.

*Examinantur aliquorum rationes.* Ibi vsque ad num. 113.

*Probatur prædicta conclusio à paritate Adami, & potentiæ peccandi in actu primo expeditæ, quæ in humanitate Christi non fuit.* Num. 114.

*Deinde, quia ad finem redemptionis non conducit: & insuper, quia in Christo fuerunt virtutes in summo perfectionis gradu.* Num. 115.

*Contra rationem istam obijcitur, nam virtutes in alijs sanctis in gradu heroico existentes, fomitem non extinguunt.* Num 116.

*Adducitur Caietani solutio, & ab impugnationibus P. Vazquez defenditur, & Caietani mens explicatur.* A num. 117. vsque ad numerum 120.

§. Qvintvs.

Obiectionibus contra solutionem occurritur. *Pag.* 262.

*Obiectio difficilis sumitur à paritate habitus vitiosi, qui quantumcumque crescat, non potest omnino inclinationem ad bonum extinguere.* A num. 121. vsque ad 123.

*Refertur, & refellitur duplex solutio.* A num. 124. vsque ad 130.

*Traditur, & defenditur vera solutio, & mens Diui Thomæ explicatur.* A num. 131. vsque ad n. 159.

§. Sextvs.

Quid de potentia absoluta dicendum. *Pag.* 271.

*Vltima conclusio. Fomes sumptus quoad essentiam non potuit esse in humanitate Christi, etiam de potentia absoluta.* Num. 160.

*Probatur ista cõclusio, eo quod implicat in humanitate vnita potentia in actu prima expedita ad motus inordinatos, in qua prout sic fomes quoad es-*

*sentiam consistit.* A num. 160. vsque ad num. 164.

*Contra istam conclusionem arguitur primo, eo quod impedimentum fomitis in humanitate Christi fuerunt virtutes infusæ, istæ autem potuerunt non esse in humanitate Christi.* Num. 165.

*Examinatur duplex solutio Vincentij.* An. 166 vsque ad num 168.

*Argumento respondetur primo, virtutes in summo gradu esse impedimentum sufficiens, non autem vnicum, & necessarium, & defenditur solutio.* A num. 169. vsque ad num. 175.

*Secundo respondetur, esse necessarias, vt ponitiuè fomes auferatur: non autem vt auferatur negatiuè.* Numero 176.

*Secundo arguitur à paritate habitus vitiosi, qui non repugnat in humanitate vnita.* Num. 177.

§. Vltimvs.

Quid de habitu vitioso dicendum. *Pag.* 275.

*Sensus difficultatis apperitur.* Num. 178.

*Refertur duplex sententia, & negatiua præfertur.* Num. 179.

*Duplex illius probatio reijcitur.* A num. 180. vsque ad num 182.

*Probatur primo sententia negatiua ex ratione summæ sanctitatis, quæ non solum opponitur peccato, sed etiam facilitati ad peccandum.* An. 183. vsque ad num. 185.

*Secundo probatur, ex eo quod habitus vitiosus est humanitati indecens.* Num. 186.

*Tertio probatur; nam repugnat humanitati vnitæ effectus primarius habitus vitiosi, nempe facilitas ad peccandum; cum illi repugnet potentia ad peccandum expedita.* A numero 187. vsque ad 189.

*Ex quibus, secundo argumento occurritur, negando, quod habitus vitiosus possit existere in humanitate vnita, & pluribus instantijs occurritur.* An. 190. vsque ad num. 211.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA TERTIA.

An Christus quatenus homo potuerit esse moraliter imperfectus transgressione consiliorum? *Pag.* 283.

§. Primvs.

Quibusdam præsuppositis ratio dubitãdi proponitur.

*Quatuor gradus Christianæ perfectionis distinguuntur, quorum vltimus consistit in adimplendis consilijs.* A num. 1. vsque ad 5.

*Tanquam certum præsupponitur, & probatur, Christum de facto nullum consilium fuisse transgressum* Num. 6. & 7.

*Difficultas est, an potuerit consilia transgredi, & à maiori Dei beneplacito recedere a potentia Dei absoluta.* Num. 8.

*Ratio dubitandi proponitur.* Num. 8. & 9.

§. Secvndvs.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur. *Pag.* 286.

*Sententia affirmans refertur.* Num. 10.

*Sententia negans adducitur.* Num 11.

*Pro conclusione statuitur.* Num. 12.

*Probatur primo ex conceptu summæ sanctitatis pugnantis cum indecentia morali, quæ invenitur in transgressione consilij.* A num. 12. vsque ad nu. 21.

*Secundo probatur, eo quod ex impotentia transgrediendi consilia, non sequitur destrui libertatem in sequela consiliorum.* A num. 22. vsque ad num 25.

§. Tertivs.

Varij modi occurrendi rationi dubitandi excluduntur. *Pag.* 290.

*Prima solutio asserentium necessitatem sequendi consilia in Christo non fuisse physicam, sed moralem; & ideo componi cum libertate, refertur, & refellitur.* A num 26. vsque ad 29.

*Secunda solutio componens libertatem in Christo cum necessitate sequendi consilia, quia illa liberè postulauit à patre, refertur, & reijcitur.* Num. 30 & 31.

*Aliorum solutio asserentium, ideo Christum fuisse liberum in sequela consiliorum, quia potuit petere à patre abrogationem illorum, refertur, & refellitur.* A num. 32. vsque ad 35.

*Quarta solutio asserentium, consilijs non adimi libertatem à Christo, eo quod consilium, & maius beneplacitum Dei non erat de opere perfectiori sed de opere magis libero, refellitur.* A num. 36. vsq; ad 38.

*Aliorum solutio docentium, ideo Christum fuisse liberum in sequela consiliorum, quia nullum fuit ipsi datum de aliquo in particulari, sed tantum, vt quod magis vellet, eligeret, refertur, & reijcitur.* A num. 39. vsque ad num 49.

*Tribus fundamentis, quibus prædicta doctrina suadetur, occurritur.* A num. 50. vsque ad nu. 55.

*Sententia Patris Suarez, parum consona Societatis principijs, examinatur.* A num. 56. vsque ad num. 80.

§. Qvar-

# Index Disputationum.


§. Qvartvs.

Traditur, & defenditur vera rationis dubitandi solutio. *Pag.* 303.

*Respondetur ad rationem dubitandi, ideo Christum fuisse liberum in sequela consiliorum, quia fuit potens ad negationem actus consiliati potentia antecedenti, & in sensu diuiso, quamuis fuerit impotens ad prædictam negationem in sensu composito, & potentia consequenti.* A nu. 81. vsque ad 83.

*Pluribus instantijs contra distinctionem istam occurritur.* A num. 84. vsque ad num. 114.

§ Vltimvs.

Vltima obiectio diluitur, & explicatur, an Christus potuerit remisè, & minus perfectè operari. *Pag.* 312.

*Vltimum argumentum sumitur, ex eo quod potuit Christus elicere actum minus perfectum omisso perfectiori, & intensiori; elicere autem intensiorem actum supposita potentia ad excessum intensionis, erat Christo sub consilio; & consequenter potuit à consilio discordare.* A nu. 115. vsque ad num. 118

*Respondetur argumento, negando assumptum, supposito, quod de opere perfectiori eliciendo fuerit consilium datum.* A num. 119. vsque ad num. 130.

*Contra doctrinam istam obijcitur primo, operi minus perfecto conuenire essentialiter, quod contra consilium sit; & consequenter non stat potentia antecedens in Christo ad actum minus perfectum, præscindens ab illo, vt opposito consilio.* N. 131.

*Respondetur negando antecedens.* Num. 132.

*Secunda obiectio contra prædictam doctrinam, sumpta ex eo quod Christus necessitatus erat ad opus perfectius, non solum quia consultum à Deo, sed etiam quia perfectius est, proponitur, & diluitur.* A num 133. vsque ad num. 148.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVARTA.

An in intellectu humano Christi ignorantia, aut error esse potuerit? *Pag.* 320.

§. Primvs.

Præmittuntur, quæ apud omnes sunt certa.

*Dvplex ignorantiæ acceptio explicatur.* Nu. 1.

*Non fuisse in Christo ignorantiam priuatiuam moralem, nec errorem practicum, vt certum supponitur.* Num. 2. & 3.

*Fuisse de facto ignorantiam purè negatiuam, & potuisse esse de potentia absoluta ignorantiam priuatiuam, non moralem, nec peccaminosam, probatur.* A num. 4. vsque ad num. 13.

§. Secvndvs.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag.* 323.

*Dvbium restat de ignorantia priuatiua non morali, an fuerit de facto in humanitate Christi, & de errore positiuo speculatiuo, an potuerit in illo inueniri, circa quæ quatuor referuntur sententiæ.* A num 14. vsque ad num. 17.

*Prima conclusio; in Christo de facto nulla fuit ignorantia sumpta priuatiuè, & probatur.* A num. 18. vsque ad num. 23.

§. Tertivs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 325.

*Primo arguitur ex illo Marci 13. de die illa nemo scit.* Num. 24 & 25.

*Triplex expositio prædicti testimonij examinatur.* A num. 26. vsque ad 31.

*Verior expositio traditur.* Num. 32. & 33. *quod nempè, dicitur nescire illum diem, quia illum se certo sciebat.*

*Nec sequitur, idem posse dici de Angelis.* A num. 34. vsque ad num. 41.

*Nec sequitur Christum ex industria, & intentione dedisse Apostolis occasionem errandi.* A num. 42. vsque ad num. 46.

*Secundo arguitur auctoritate PP. Christo diei iudicij ignorantiam attribuentium.* Num. 47.

*Exponuntur PP. in vero, & catholico sensu, contra Vazquez, asserentem in opposita fuisse sententia.* A num. 48. vsque ad 54.

*Tertium argumentum sumptum, ex eo quod multarum rerum nescientia fini Incarnationis non obstabat, proponitur, & diluitur.* A nu. 55. vsque ad num. 62.

§. Qvartvs.

Vltimæ obiectioni occurritur, & explicatur, an & qualiter fuerit in Christo admiratio? *Pag.* 335.

*Denique arguitur ex illis verbis Matthæi 8. Audiens Iesus miratus est, ex quibus constat, fuisse admirationem in Christo: admiratio autem ignorantiam præsupponit.* Numero 63. & 64.

*Prima solutio negans in Christo admirationem propriè sumptam, refertur, & refellitur.* Num. 65. & 66.

# Index Disputationum.


*Secunda solutio admittens, solam admirationem cõsistentẽ in delectatione orta ex apprehensione alicuius rei insuetæ, nullo cognitionis defectu præsupposito, refertur, & refellitur.* A num. 67. vsque ad numerum 75.

*Traditur, & defenditur vera solutio.* A num. 76. vsque ad numerum 97.

§ Qvintvs.

De iudicio erroneo speculatiuo. *Pag.* 343.

*Secunda conclusio: actus iste non potuit esse in humanitate vnita, etiam de potentia absoluta.* Num. 98. *Vbi duplex ratio in eius probationẽ excluditur.* Vsque ad numer. 100.

*Probatur conclusio primo, ex eo quod, si humanitas vnita Verbo eraret, Verbum, vt in illa subsistens, esset causa particularis erroris, quod implicat.* A num. 101. vsque ad 103.

*Secundo probatur, ex eo quod assensus speculatiuus erroneus, esset peccaminosus in humanitate vnita.* A num. 104. vsque ad 108.

*Denique probatur ab inconuenienti, quod sequitur nempè, Christum, vt hominem non esse infallibilis auctoritatis in dicendo.* A num. 109. vsque ad numerum 113.

§. Vltimvs.

Soluitur oppositæ sententiæ fundamentum. *Pag.* 347.

*Contra conclusionem arguitur á paritate mortis, cuius Christus vt homo, fuit capax.* A num. 114. vsque ad 116.

*Diluitur argumentum tradendo inter mortem, & errorem discrimen, quantum ad repugnantiam in humanitate vnita.* A num. 117. vsque ad numerum 126.

TRACTATVS DVODECIMVS.
De Merito Christi. *Pag.* 351.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVINTA.

An meritum Christi sit simpliciter infinitũ? *Pag.* 356.

§. Primvs.

Vno præsupposito, referuntur sententiæ.

*Christum aliquid meruisse tanquam fide certum supponitur.* Num. 1.

*Triplici obiectioni occurritur.* A num 2. vsq; ad 8.

*Difficultas explicatur, & quatuor referuntur sententiæ.* A num. 9. vsque ad 13.

§. Secvndvs.

Valor infinitus operationum Christi defenditur. *Pag.* 359.

*Prima conclusio: opera Christi Domini fuerunt valoris infiniti simpliciter, & probatur.* A numero 14. vsque ad numerum 25.

§. Tertivs.

Primum argumentum contrariæ sententiæ diluitur. *Pag.* 361.

*Primum argumentum sumitur, ex eo quod valor operationum Christi exhauriri per aliquod præmium potest, scilicet, per Incarnationem Patris.* Num. 26.

*Refertur, & refellitur duplex solutio.* A num. 27. vsque ad 34.

*Respondetur argumento, non esse contra infinitatem valoris meritorij per infinitum præmium exhauriri.* Num. 35.

*Alia solutio negans, Incarnationem Patris fore in ratione præmij infinitam, etsi subtilis sit, & probabilis; deseritur tamen, quia Nostris principijs non congruit.* A num. 37. vsque ad 45.

*Alia solutione occurritur, & defenditur solutio.* A num. 46. vsque ad 55.

§. Qvartvs.

Cætera argumenta diluuntur. *Pag.* 367.

*Secundum argumentum sumitur, ex eo quod est aliquod præmium possibile, ad quod extendi non potest valor operationum Christi, quod non compatitur cum illius infinitate.* Num. 56.

*Refertur, & refellitur duplex solutio.* A num. 57. vsque ad 68.

*Traditur, & defenditur vera solutio.* A num. 69. vsque ad 80.

*Vltimum argumentum sumitur, ex eo quod ex maiori sanctitate personæ non excrescit dignitas in opere meritorio, quod variè probatur.* A num. 81. vsque ad 84.

*Respondetur, negando assumptum, quando excessus sanctitatis formaliter comparatur ad opus, & defenditur solutio.* A num. 85 vsque ad numerum 90.

§. Qvintvs.

Infinitas operationum Christi in ratione meriti defenditur. *Pag.* 375.

*Secunda conclusio: operationes Christi, non solum fuerunt infinitæ dignitatis, sed etiam meriti infiniti simpliciter, & probatur.* A num. 91. vsque ad 98.

*Contra conclusionem proponitur vnica obiectio sumpta, ex eo quod non stat meritum actu infinitum, nisi ei respondeat præmium infinitum actu, quod in merito Christi non accidit.* Num. 91. & num. 100.

# Index Disputationum.


§. Sextvs.

Examinantur varij modi dicendi. *Pag.* 377.

*Prima solutio aliquorum asserentium respondisse in præmium meritis Christi illius Resurrectionem, quæ est aliquid infinitum, refertur.* Num. 101.

*Duplex obiectio Vincentij contra istam solutionem examinatur.* A num. 102. vsque ad numerum 112.

*Solutio Vincentij ad prædictum argumentum, refertur, & impugnatur.* A num. 113. vsque ad numerum 115.

*Aliorum solutio, refertur, & reijcitur.* A num. 116. vsque ad numerum 119.

§. Vltimvs.

Duplici solutione argumento facto occurritur. *Pag.* 382.

*Respondetur primo, dari de facto præmium infinitum Christi meritis respondens, nempè, non esse peccati, & defenditur solutio.* A num. 120. vsque ad num. 136.

*Secundo respondetur, de ratione meriti actu infiniti, non esse, quod illi respondeat præmium infinitum actu, & pluribus instantijs occurritur.* A numero 137. vsque ad num. 144.

*Ex dictis infertur, contra quosdam Recentiores, Christum non plus meruisse, quam Deus præmia reposit.* Num. 145.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEXTA.

An vt Christus suis meritis, Deum ad remunerandum ex iustitia obligaret, promissione, aut pacto indiguerit? *Pag.* 385.

§. Primvs.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.

*Svpponitur primo, de facto ex parte Dei pactum intercessisse.* Num. 1.

*Secundo supponitur, Deum ex meritis Christi fuisse ex iustitia obligatum.* Num. 2.

*Sententia docens, non potuisse sine pacto obligari, refertur.* Num. 3.

*Opposita sententia defendens, pactum necessarium non fuisse, refertur.* Num. 4.

§. Secvndvs.

Hæc sententia à nobis, vt probabilior eligitur. *Pag.* 389.

*Rationes aliquæ pro hac sententia expenduntur.* A num 5. vsque ad 9.

*Quibus omissis suadetur primo ex Anselmo, & duplex euasio reijcitur.* A num. 10. vsque ad num. 12.

*Secundo probatur à paritate satisfactionis Christi, quam potuisse Deum in ratione satisfactionis sine pacto obligare, probatur.* A num. 13. vsque ad num. 15.

§. Tertivs.

Solutio contrariorum reijcitur, & vlterius nostra conclusio, probatur. *Pag.* 392.

*Respondent contrarij Auctores, satisfactionem Christi fuisse perfectam, perfectione in actu primo, ideoque indiguisse pacto, aut promissione Dei, vt ipsum ad sui acceptationem obligaret, refertur, & refellitur.* A num. 16. vsque ad numerum 22.

*Tertio suadetur conclusio, ex eo quod Christi meritum se extendit ad omne præmium possibile, ad quod illud voluntas Christi applicauerit; est autem possibile, Deum hominibus sua dona conferre sine pacto præcedente.* A num. 23. vsque ad num. 28.

§. Qvartvs.

Tribus argumentis contrariæ sententiæ occurritur. *Pag.* 396.

*Primum argumentum sumitur, ex eo quod Christus de facto, solum ex defectu pacti non meruit Dæmonibus gratiam.* Num. 29.

*Respondetur, negando assumptum, sed id accidit ex defectu applicationis meritorum à Christo factæ pro illis, ibi.* & Num 30.

*Secundum argumentum desumptum, ex eo quod sine pacto, aut promissione non teneretur Deus satisfactionem Christi, adhuc negatiuè acceptare, proponitur, & diluitur.* A num. 31. vsque ad numerum. 35.

*Tertium argumentum sumptum à paritate meriti condigni iustorum, quod sine pacto non potuit Deum ex iustitia obligare, proponitur, & diluitur.* A num. 36. vsque ad 47.

§. Vltimvs.

Cætera argumenta diluuntur. *Pag.* 401.

*Qvartum argumentum ex Diuo Thoma desumptum proponitur, & duplici solutione diluitur.* A num. 48. vsque ad 51.

*Quintum argumentum sumitur, ex eo quod Deum meritis Christi sine pacto, & promissione obligari, dicit maximam imperfectionem, quod varijs modis probatur.* A num. 52. vsque ad numerum 54.

*Respondetur, negando assumptum, & defenditur solutio.* A num. 55. vsque ad 66.

# Index Disputationum.


DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEPTIMA.

Quo tempore Christus meruerit? *Pag.* 406.

§. PRIMVS.

Referuntur sententiæ, & prima conclusio statuitur.

*Refertur triplex sententia.* Num. 1.

*Prima conclusio, Christus meruit in primo suæ conceptionis instanti, & probatur.* A num. 2. vsque ad 8.

§. SECVNDVS.

Argumentis contra istam conclusionem occurritur. *Pag.* 408.

*Primum argumentum desumptum, ex eo quod nulla res operari potest in instanti, in quo primo existit, proponitur, & diluitur.* Num. 9. *Instando in visione beata, quæ operatio est, & tamen in Christo extitit à primo conceptionis instanti.*

*Secundum argumentum sumitur, ex eo quod saltim libera operatio non potest in primo instanti, quo res incipit, illi conuenire.* Num. 10.

*Respondetur, negando assumptum, & defenditur solutio.* Num. 11. & 12.

*Tertium argumentum sumptum à paritate peccati, proponitur, & diluitur.* Num. 13.

*Vltimum argumentum contra rationem Diui Thomæ procedens, duplici solutione diluitur.* A numero 14. vsque ad num. 16.

§. TERTIVS.

Meruisse continuatè vsque ad mortem, probatur. *Pag.* 411.

*Secunda conclusio; meruit Christus in infantia, & toto tempore vitæ mortalis continuatè vsq; ad mortem* Num 17.

*Probatur auctoritate Patrum, & ratione.* Num. 18. & 19.

§. QVARTVS.

Duplici argumento occurritur. *Pag.* 412.

*Primo arguitur, ex eo quod tempore infantiæ in Christo non fuit actus intellectus potens regulare meritum.* Num. 20. & 21.

*Respondetur, negando assumptum; fuit enim in intellectu Christi scientia per se infusa distincta à scientia beata, & independens à sensibus.* A numero 22. vsque ad 25.

*Secundo arguitur; nam Christus in primo istanti meruit omnia dona gratiæ hominibus conferenda: ergo ab illo tunc nihil meruit; aliàs pluries eadem dona meruisset.* Num. 26. & 27.

§. QVINTVS.

Examinatur solutio Vincentij *Pag.* 414.

*Respondet, negando antecedens: nam licet in quouis opere Christi fuerit sufficiens condignitas ad omne præmium possibile, attamen quo ad efficaciam, non cuilibet Christi actioni adæquata hominum redemptio respondet, quo pluribus argumentis suadet.* A num. 28. vsque ad numer. 33.

*Eius tamen solutio ex D. Thom. reijcitur.* A numero 34. vsque ad numerum 36.

§. SEXTVS.

Motiuis Vincentij occurritur, & vera solutio traditur, & alia argumenta soluuntur. *Pag.* 416.

*Notantur tria ante illorum solutionem.* A numero 37. vsque ad 39.

*Illis positis asserimus quamlibet actionem liberam Christi meruisse omnia dona gratiæ, vt causam adæquatam illorum adæquatione effectus, non tamen adæquatione causæ, quæ doctrina fusè defenditur, & varijs instantijs occurritur.* A numero 40. vsque ad numerum 58.

§. SEPTIMVS.

Christum non meruisse post mortem, nec in instanti mortis communis sententia est. *Pagina* 422.

*Primam partem huius doctrinæ probat Vazquez, eo quod Christus post mortem pro hominibus non orat.* Num. 59.

*Cuius falsitas probatur ex Diuo Thoma.* Num. 60.

*Aliorum fundamentum examinatur.* Num. 61. & 62.

*Quibus omissis probatur primo ex Diuo Thoma.* Num. 63.

*Secundo probatur, ex eo quod status viatoris est conditio ad meritum requisita.* Num. 64.

*Solutio P. Vazquez, proponitur, & reijcitur.* A num. 65. vsque ad 70.

*Secunda pars eiusdem doctrinæ, probatur ex Diuo Thoma, & ratione.* Num. 71.

§. OCTAVVS.

Argumenta contra primam partem conclusionis diluuntur. *Pag.* 425.

*Primum argumentum sumitur, ex eo quod Christus nunc in cœlo existens, orat pro nobis ad Patrem; illius autem oratio non potest non esse meritoria.* Num. 72.

# Index Diſputationum.


*Reſpondetur, negando eſſe meritoriam, ſed ſolum eſt impetratoria, quæ doctrina probatur ex D. Tho. & variis inſtantijs occurritur.* Anum. 73. vſque ad 83.

*Secundum argumentum ſumitur, ex eo quod Chriſtus meruit vulnere lateris, quo ſ probatur PP. auctoritate; illud autem poſt mortem accepit.* Num. 84.

*Reſpondetur, negando aſſumptum, & explicando PP. quadrupliciter.* Num 85. & 86.

§. Vltimvs.

Argumentis contra ſecundam partem concluſionis occurritur. *Pag.* 429.

*PRimum argumentum deſumptum, ex eo quod Chriſtus moriendo, nos meritorie redemit, proponitur, & diluitur, explicando multiplicem mortis acceptionem.* Num. 87. 88. & 89.

*Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod voluntarium, aut liberum in cauſa ineuitabili, eſt ad meritum ſufficiens; mors autem Chriſti, in inſtanti phyſico, fuit hoc modo libera Chriſto, proponitur, & diluitur.* Anum 90. vſque ad numerum 92.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA
Octava.

An Chriſtus per actum charitatis meruerit? *Pag.* 431.

§. Primvs.

Ratio dubitandi proponitur, & referuntur ſententiæ.

*RAtio dubitandi eſt; nam libertas ad meritum requiſita, non conuenit actui charitatis Chriſti.* Num. 1.

*Refertur triplex ſententia.* Num. 2. & 3.

§. Secvndvs.

Chriſtum per aliquem actum charitatis meruiſſe, probatur. *Pag.* 432.

*PRima concluſio: meruit Chriſtus per aliquem actum charitatis erga Deum regulatum ſcientia beata.* Num. 4.

*Probatur primo, eo quod iuxta Diuum Thomam, actus cæterarum vi tutum non ſunt meritorij præmij ſupernaturalis, niſi prout ſunt à charitate imperati.* Num. 5.

*Euaſiones iſtius argumenti excluduntur.* Anum. 6. vſque ad 9.

*Secundo probatur, eo quod Chriſto concedendum eſt, meritum maioris perfectionis poſsibilis, & ſolutio Patris Vazquez, reijcitur.* Numero 10. & 11.

*Quod autem prædictus actus reguletur ſcientia beata, probatur* Num. 12.

§. Tertivs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 435.

*PRimum argumentum deſumptum, ex eo quod habitus charitatis, vt regulatus per viſionem beatam, neceſſario operatur omni virtute, quæ poteſt, proponitur, & diluitur.* Anum. 13. vſq; ad numerum 15.

*Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod amor, quo Chriſtus Deo optabat gloriam, & honorem extrinſecum, ſolo numero diſtinguitur ab amore terminato ad perfectiones intrinſecas, proponitur, & diluitur.* Anum 16 vſque ad num 22.

*Tertium argumentum deſumptum, ex eo quod Chriſtus neceſsitatus erat ad maius beneplacitum Dei ſibi cognitum, proponitur, & diluitur, variiſque inſtantijs occurritur.* Anum. 23. vſque ad num 32.

§. Qvartvs.

Secunda ſententia reijcitur. *Pag.* 440.

*SEcunda concluſio: non datur in Chriſto duplex amor erga Deum, alter regulatus ſcientia infuſa, & alter ſcientia beata.* Num. 33.

*Duplex argumentum P. Vazquez pro hac concluſione, refertur, & reſellitur.* Anum 33. vſque ad num. 35.

*Probatur concluſio, eo quod duo accidentia ſolo numero diſtincta, non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto.* Num. 36.

*Prima ſolutio diſtinguens inter accidentia abſoluta, & reſpectiua, reijcitur.* Num. 38. & 39.

*Secunda ſolutio diſtinguens inter accidentia omnino ſimilia, & accidentia diſſimilia, reijcitur.* Numero 40.

*Tertia ſolutio aſſerentium, prædictos actus ſolo numero differre in genere moris; differre autem ſpecificè in linea naturæ, reijcitur.* Num. 41.

*Vltima ſolutio aſſerens, prædictos actus ſpecificè differre, reijcitur.* Anum 42. vſque ad 44.

§. Qvintvs.

Argumenta contrariæ ſententiæ diluuntur. *Pagina* 444.

*PRimum argumentum deſumptum ex Diuo Thoma, proponitur, & diluitur, explicando Diuum Thomam.* Num. 45 & 46.


Secun-

# Index Disputationum.


*Secundum argumentum intendens probare interpræ dictos actus essentialem distinctionem, proponitur, & diluitur.* A num. 47. vsque ad numerum 50.

*Vltimum argumentum intendens probare, obiectum per vtramque cognitionem propositum, esse in ratione obiecti essentialiter distinctum, proponitur, & diluitur.* A num. 51. vsque ad num. 59.

§. Sextvs.

Reijcitur tertia sententia. *Pag.* 448.

*Tertia conclusio: meruit Christus per ipsum actum charitatis beatificum, vt regulatum scientia beata, non solum prout Deo volebat gloriam, & honorem extrinsecum, nec solum prout terminabatur ad proximum, sed etiam quatenus ad Deum terminabatur* Num 60.

*Prima pars conclusionis probatur ex D. Thom. & duplex euasio rejcitur.* A num 61. vsque ad numerum 64.

*Deinde quoad omnes partes suadetur, probando in prædicto actu, etiam vt terminato ad Deum libertatem ad meritum sufficientem.* A num 65. vsque ad numerum 68.

§. Septimvs.

Prima solutio rationis dubitandi, refertur, & reijcitur. *Pag.* 451.

*Prima solutio asserentium, dilectionem beatificam Christi esse liberam libertate essentiali, & hanc esse ad merendum sufficientem, refertur, & vt parum fidei consentanea, reijcitur.* A numero 70. vsque ad 78.

*Difficile testimonium Diui Thomæ in fauorem prædictæ solutionis, refertur, & explicatur.* A numero 79. vsque ad 82.

§. Octavvs.

Refertur, & refellitur duplex solutio. *Pagina* 454.

*Secunda solutio aientium, dilectionem Christi beatificam esse necessariam vagè; non autem indiuidualiter determinatè, refertur, & reijcitur.* A num 83. vsque ad 88.

*Tertia solutio docentium, esse liberam prædictam dilectionem, prout regulatam per scientiam infusam, etsi necessaria fuerit, prout regulata per scientiam beatam, refertur, & impugnatur.* A numero 89. vsque ad 93.

§. Nonvs.

Vera solutio rationis dubitandi traditur. *Pagina* 457.

*Rationi dubitandi occurritur, asserendo dilectionem Christi beatificam, etsi necessaria fuerit, vt terminatam ad bonitatem diuinam, vt est ratio diligendi Deum, & Deo perfectiones intrinsecas; vt autem terminabatur ad bonitatem diuinam, vt est ratio diligendi Deo bona extrinseca, & terminationes intrinsecas liberas, non erat necessaria, sed libera, & prout sic fuit meritoria.* Num 94.

*Pluribus instantijs contra resolutionem istam occurritur.* A num. 95. vsque ad 110.

§. Vltimvs.

Testimonium Diui Thomæ explicatur, & ex dictis aliqua inferuntur. *Pag.* 461.

*Vltimum argumentum sumitur ex doctrina Diui Thomæ, asserentis, Christum non meruisse per charitatem, vt erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris; dilectio autem beatifica solum conuenit Christo, vt comprehensori.* Num. 111

*Respondetur, dilectionem beatificam secundum aliquam considerationem conuenire Christo, vt viatori* A num. 111. vsque ad 113.

*Ex dictis colligitur primo, duplicem fuisse in Christo actum dilectionis proximi, & vtrumque meritorium.* Num 114.

*Secundo colligitur, extitisse etiam in Christo duos actus dilectionis erga Deum, prout illi volebat gloriam, & honorem extrinsecum, vnum regulatum scientia beata, alterum per scientiam infusam.* Num. 115.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA NONA.

An meruerit Christus per actus, ad quos tenebatur ex præcepto positiuo? *Pag.* 463.

§. Primvs.

Ratio dubitandi proponitur, & vera sententia eligitur.

*Ratio dubitandi est: nam Christus ab int insceo fuit impeccabilis: ergo non fuit liber ad obediendum præcepto; & consequenter in illius obseruantia non meruit.* Num. 1.

*Respondetur conclusione affirmatiua, & probatur: nam meruit per actum obedientiæ, quo mortem sibi præceptam acceptauit.* Num. 2.

*Deinde probatur: nam meruit in actibus, ad quos tenebatur lege naturali affirmatiua.* Num. 3.

*Denique: nam actus, ad quos tenebatur ex præcepto positiuo fuerũt liberi Christo, quod probatur discurrendo in principijs D. Th in principijs Scoti, & Doctoris Societatis.* A num. 4. vsque ad 13.

# Index Disputationum.


§. Secvndvs.

Refertur, & refellitur primus modus dicendi. *Pag.* 466.

*Primus modus occurrendi rationi dubitandi, est præceptum Christo impositum non fuisse strictum præceptum; ideoque potuisse illud transgredi sine peccato.* Num. 14.

*Modus iste dicendi reijcitur, probando Christo fuisse à Deo impositum, verum, strictumque subeundæ mortis præceptum.* A num. 15. vsque ad num 42.

§. Tertivs.

Tria argumenta contrariorum diluuntur. *Pagina* 474.

*Obijciuntur primo plura PP. testimonia asserentium, nomine præcepti, nihil aliud intelligi, nisi Patris voluntas Christo manifestata.* Num. 43. & 44.

*Respondetur, PP. negantes Christo præceptum à Patre impositum, vel accipiendos esse de Christo quatenus Deo, vel de præcepto inducente in voluntate Christi necessitatem moriendi oppositam libertati.* A num. 45. vsque ad 58.

*Secundum argumentum desumptum, ex eo quod nomen præcepti multoties in Scriptura, non strictè, sed largè accipitur, proponitur, & diluitur.* A num. 59. vsque ad 64.

*Tertio obijcitur; nam subiectum incapax culpæ, est etiam incapax præcepti positiui; Christus autem fuit impeccabilis.* Num. 65.

*Respondetur, negando assumptum, & instando in lege naturali, qua Christus fuit obligatus, etsi incapax culpæ fuerit.* A num. 66. vsque ad 72.

§. Qvartvs.

Cæteris argumentis occurritur. *Pag.* 481.

*Quarto obijciunt, nam propria obedientia saluatur sine præcepto stricto: ergo ex obedientia Christi in moriendo, malè intulimus rigorosum præceptum.* A numero 73. vsque ad numer. 75.

*Respondetur, negando antecedens, & defenditur solutio.* A numero 76. vsque ad numerum 82.

*Secundo respondetur, prætermisso antecedenti, negando consequentiam; & defenditur solutio.* A num. 83. vsque ad 87.

*Vltimum argumentum sumitur à paritate voti, cuius Christus capax non fuit: ergo nec præcepti stricti.* Num. 88.

*Prima solutio negat, Christum incapacem fuisse vouendi, imo docet, de facto plura vota emisisse.* Num. 89.

*Vt verius defenditur, Christum capacem voti non fuisse, fuisse tamen capacem iurandi, & præcepti stricti positiui, & assignatur discrimen.* A numero 90. vsque ad 97.

§. Qvintvs.

Refertur, & refutatur secundus modus dicendi. *Pag.* 490.

*Secunda solutio rationis dubitandi est; ideò Christum fuisse liberum in operibus præceptis, quia præceptum Christo impositum, solum erat de opere quoad substantiam, non autem quoad circunstantias.* Num. 98.

*Reijcitur prædictus modus dicendi, probando, etiam circunstantias fuisse præceptas, nec ex hoc adimi libertatem à Christo.* A num. 99. vsque ad num. 116.

*Diuus Thomas, quem Authores istius modi dicendi in sui fauorem adducunt, explicatur, & triplici obiectioni occurritur.* A num. 119. vsque ad numerum 121.

§. Sextvs.

Tertius, & quartus modus dicendi, referuntur, & reijciuntur. *Pag.* 496.

*Tertius modus componendi libertatem Christi in adimplendo præcepto positiuo moriendi, cũ illius impeccabilitate; eo quod necessitas moriendi fuit consequens liberam Christi postulationem, refertur, & refellitur.* A num. 122. vsque ad num. 126.

*Quartus modus conciliandi libertatem Christi Domini in operibus præceptis, eo quod potuit petere præcepti dispensationem, refertur, & impugnatur.* A num. 127. vsque ad numerum 164.

§. Septimvs.

Fundamenta contrariorum diluuntur. *Pag.* 509.

*Dependentia præcepti moriendi à libera Christi voluntate, probant illius Authores primo; ex eo quod Christus liberè elegit vitam mortalem, quod inferunt ex Scriptura, & ex Patrum testimonijs.* A num. 165. vsque ad numerum 167.

*Respondetur, negando assumptum, & explicantur Scripturæ, & PP. testimonia.* A num. 168. vsque ad 171.

# Index Disputationum.


*Secundum argumentum desumptum ex Paul. ad Hebræos, illis verbis:* Tum dixi ecce venio, &c. *Proponitur, & diluitur.* Anum 172. vsque ad num. 174.

*Tertium argumentum desumptum ex Matthæo cap. 26. illis verbis:* An putas, quia non possum rogare Patrem meum? *Adiuncta Chrysostomi auctoritate, proponitur, & diluitur.* Anum. 175. vsque ad 178.

§. Octavvs.

Traditur verior modus dicendi, & obiectionibus in contrarium occurritur. *Pag.* 512.

*Respondetur ad rationem dubitandi, impeccabilitatem Christi cum præcepto, & libertate Christi in operibus præceptis, rectè componi, per hoc, quod supposito præcepto moriendi, poterat Christus non mori potentia antecedenti, & in sensu diuiso; non autem potentia consequenti, & in sensu composito, & negatione mortis sumpta negati è, non priuatiuè, quod latè explicatur, & pluribus instantijs occurritur.* Anum. 179. vsque ad num 229.

§. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 528.

*Colligitur primo, Christum fuisse liberum in adimplerione præceptorum legis naturalis.* Num. 230.

*Secundo colligitur, meruisse Christum per actus omnium virtutum, siue infusarum, siue acquisitarum.* Num 231.

*Tertio colligitur, si actus virtutum naturalium eliceretur à Christo sine motiuo supernaturali, vel actus virtutum infusarum, non procederent ex motiuo charitatis, non fore meritorios præmij supernaturalis.* Num 232 & 233.

*Quarto infertur, aliquod Christi meritum fuisse à primo instanti conceptionis, vsque ad mortem physicè continuatum.* Num. 234.

*Quinto infertur, primum meritum in Christo fuisse actum charitatis.* Num 235.

*In quo autem sensu redemptio nostra, principaliter passioni Christi attribuatur, explicatur.* Numero 237.

*Denique infertur, non meruisse Christum per actus pertinentes ad partem vegetatiuam.* Num. 238.

*Contra quam doctrinam tria argumenta proponuntur, & diluuntur.* Anum. 239. vsque ad numerum 242.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA.

An Christus sibi potuerit de condigno mereri vnionem suæ humanitatis ad Verbum? *Pag.* 533.

§ Primvs.

Quibusdam præsuppositis, aperitur difficultas.

*Supponitur primo, per opera antecedentia vnionem humanitatis ad Verbum, non potuisse de potentia absoluta Incarnationem condignè mereri.* Num. 1.

*Secundo supponitur, potuisse humanitatem Christi per opera antecedentia mereri Incarnationem de congruo.* Num. 2.

*Tertio supponitur, Incarnationem, prout dicit vnionem humanitatis ad secundam Trinitatis personam sumptam in particulari, potuisse de potentia absoluta sub condigno merito cadere.* Numero 3.

*Difficultas procedit de operibus, quæ tempore, vel natura supponunt factam vnionem humanitatis ad Verbum, & ab eodem Verbo, vt vnito humanitati eliciuntur.* Num. 4.

§. Secvndvs.

Eligitur vera sententia, & aliqua motiua expenduntur. *Pag.* 534.

*Prima sententia affirmat. Secunda sententia negat, & hæc à Nobis eligitur.* Num. 5.

*Primum fundamentum pro illa desumptum, ex eo quod apud PP. hæc est bona consequentia:* Gratia datur, vt operemur: *ergo non quia operamur, vt inefficax reijcitur.* Num 6. & 7.

*Secundum fundamentum desumptum ex Augustino, ad idem intentum probandum, proponitur, & reijcitur.* Num. 8 & 9.

*Nec probatur rectè, eo quod alias de facto Christus per opera subsequentia, Incarnationem meruisset.* Anum. 10. vsque ad 12.

*Nec ex eo quod implicat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ.* Anum. 13. vsque ad 16.

*Nec denique, ex eo quod meritum non potest essentialiter connecti cum præmio.* Num. 17.

§. Tertivs.

Fundamentum nostræ sententiæ proponitur. *Pag.* 538.

*Probatur nostra sententia, eo quod principium meriti non potest cadere sub merito operis precedentis ab ipso.* Num. 18.

# Index Disputationum.


*Referuntur quinque solutiones.* A num. 18. vsque ad num 21.

*Prima distinguens assumptum, illudque concedens de lege ordinata: negans autem de potentia absoluta, reijcitur.* A num. 22. vsque ad 25.

*Secunda id concedens de merito exigente præuiam existentiam, vt causet; negans autem de merito præuiam existentiam nõ exigente ad causandum meritorié, reijcitur.* A num. 26. vsque ad 28.

§. Qvartvs.

Triplex alia solutio impugnatur *Pag.* 541.

*Tertia solutio id cõcedens de principio meriti sub eo statu, sub quo est principium merendi, negans autem eeedem principio sub diuerso statu, reijcitur.* A num. 29. vsque ad 32.

*Quarta solutio asserens, principium meriti non posse cadere sub merito operis subsequentis, solum natura; benè tamen operis tempore subsequentis, reijcitur.* A num. 33 vsque ad 35.

*Vltima solutio asserens, principiũ meriti non posse esse præmium actus procedentis ab ipso, quoad existentiam absolutam principij, benè tamen quoad existentiam comparatiuam, reijcitur.* A num. 36. vsque ad num. 41.

§. Qvintvs.

Fundamentum contrariæ sententiæ proponitur, & traditur prima solutio. *Pag* 545.

*Fundamentum contrariæ sententiæ sumitur, ex eo quod principium meriti potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso, quod varijs medijs probatur.* A num. 42. vsque ad 45.

*Respondetur primo, admittendo assumptum de principio meriti pure effectiuo, negando autem de principio effectiuo, & formali, & defenditur solutio.* A num. 46. vsque ad 49.

§. Vltimvs.

Secunda solutio traditur, & ab impugnationibus liberatur. *Pag.* 548.

*Secundo respondetur ad principale argumentum, distinguendo antecedens, illudque negando de principio essentiali meriti, concedendo autem de principio accidentali, quæ solutio explicatur, & pluribus instantijs occurritur.* A num. 50. vsque ad num. 59.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA PRIMA.

Quæ dona sibi Christus meruerit? *Pag.* 551.

*Difficultas explicatur.* Num. 1.

§ Primvs.

De continuatione Incarnationis.

*Potuit Christus de potentia absoluta me erimerito condigno, continuationem vnionis hypostaticæ, illam tamen de facto non meruit.* Numero 2.

*Quod potuerit illam mereri, probatur.* Numero 3. & 4.

*Quod illam de facto non meruerit, probatur.* A numero 5. vsque ad 8.

§. Secvndvs.

Occurritur argumentis in contra. *Pag.* 553.

*Contra primam partem conclusionis arguitur primo; eo quod principium totius meriti non potest sub merito cadere, Incarnatio autem, vt continuata est principium totius meriti in Christo.* Num. 9.

*Respondetur, negando minorem, quæ solum est vera de Incarnatione quoad substantiam, falsa autem de illa, quatenus continuata.* Num. 10.

*Secundum argumentum sumptum, ex eo quod inter principium meriti, & præmium petitur realis distinctio, quæ inter Incarnationem quoad substantiam, & ipsam prout continuatam non datur, proponitur, & diluitur.* A num. 11. vsque ad 15.

*Tertium argumentum desumptum, ex eo quod gratia vnionis præstat operibus Christi totum valorem, quem potest, non autem tribuit illis valorem actu meritorium continuationis Incarnationis, proponitur, & diluitur.* Num. 16.

*Quartum argumentum desumptum, ex eo quod meritum condignum non est supra inclinationem principij significantis; continuatio autem Incarnationis est in ratione præmij supra inclinationẽ gratiæ vnionis, proponitur, & diluitur.* Num. 17. & 18.

*Contra secundam partem conclusionis arguitur; nam Christo debet attribui, quidquid dignitatis est, si contradictionem non implicat, proponitur.* Numero 19.

*Cui argumento respondetur, & varijs instantijs occurritur.* A num. 19. vsque ad 25.

§. Tertivs.

De Maternitate Beatissimæ Virginis. *Pag.* 559

*Non meruit Christus Virginis Maternitatem, hoc est, ex Beatissima Virgine nasci.* N. 26.

*Quæ conclusio probatur, eo quod principium mediatum meriti non potest sub merito cadere actus cuius est principium, & multiplex solutio reijcitur.* A num. 26. vsque ad num. 45.


§. Qvar-

# Index Disputationum.


§. Qvartvs.

Contraria sententia cum suis fundamentis proponitur. *Pag.* 564.

*Primo arguitur eo quod Beatissima Virgo meruit esse mater Christi, merito saltim de congruo: ergo Christus meruit suam natiuitatem ex illa, proponitur.* Num. 46. & 47.

*Solutio Lorcæ negantis antecedens, proponitur, & reijcitur.* Num. 48. & 49.

*Respondetur argumento, concesso antecedenti, negando consequentiam, & probationes consequentiæ diluuntur.* A num. 50 vsque ad 52.

*Secundum argumentum desumptum ex eo quod principium mediatum morale potest causari moraliter ab eo cuius est principium: ergo pariter principium mediatum physicum, proponitur, & diluitur.* A num. 53. vsque ad num. 58.

*Vltimum argumentum desumptum ex eo quod non est contra rationem præmij, quod illi essentialiter repugnet posterioritas ad meritum in ordine executionis: ergo nec erit contra rationem meriti repugnantia essentialis præcedendi in hoc ordine præmium, proponitur, & diluitur.* A num. 59. vsque ad num. 64.

§. Qvintvs.

De gratia habituali, & virtutibus consequentibus ipsam. *Pag.* 571.

*Non meruit Christus de facto gratiam habitualem, nec dona ipsam consequentia.* Num. 65.

*Duplex ratio probatiua illius conclusionis refellitur.* A num. 65. vsque ad num. 67.

*Probatur conclusio primo ex Theologorum vnanimi consensione.* Num 68.

*Secundo probatur, eo quod Christus non meruit gratiam habitualem per actus procedentes ab ipsa; omnis autem actus meritorius Christi à gratia habituali processit.* Ibi vsque ad num 72.

*Primum argumentum sumptum ex auctoritate scripturæ, diluitur.* Num. 73.

*Secundo arguitur, eo quod secundum Diuum Thomam Christus sanctificatus fuit modo adultorum secundum propriam dispositionem: & consequenter motus liber charitatis præcesit gratiam habitualem.* Num. 74.

§. Sextvs.

Refertur, & defenditur prima huius argumenti solutio. *Pag.* 574.

*Prima solutio huius argumenti est, explicando doctrinam Diui Thomæ de dispositione tanti concomitanti, ex quo non sequitur actum charitatis præcessisse ordine naturæ gratiam habitualem.* Num. 75.

*Contra quam explicationem plura opponuntur, & diluuntur.* A num. 76. vsque ad num 99.

§. Septimvs.

Defenditur secundus modus dicendi, & alijs argumentis occurritur. *Pag.* 579.

*Secunda solutio concedit in Christo dispositionem præuiam ad gratiam habitualem, & negat meritum condignum illius.* Num. 93.

*Contra quam solutionem arguit Vincentius argumento satis difficili.* Ibidem.

*Triplex solutio reijcitur.* A numero 94. vsque ad 96.

*Traditur vera solutio ad argumentum Vincentij, & pluribus instantijs contra illam occurritur.* A num. 97. vsque ad num. 116.

§. Octavvs.

Referuntur sententiæ circa essentialem animæ beatitudinem, & verior eligitur. *Pag.* 586.

*Supponitur, potuisse Christum de potentia absoluta mereri beatitudinem animæ, carendo illa in primo conceptionis instanti.* Numero 117.

*Difficultas est, an supposito quod anima Christi Domini fuerit à primo instanti conceptionis beata, de facto illam meruerit, vel potuerit mereri de potentia absoluta, & refertur triplex sententia.* Num. 118.

*Potuit Christus de potentia absoluta beatitudinem animæ habitam in primo instanti conceptionis meruisse, quod triplici argumento probatur.* Num. 119.

*Deinde probatur, soluendo rationes implicationis, quæ ab auctoribus solent opponi.* A num. 120. vsque ad num. 133.

§. Nonvs.

Christum non meruisse de facto beatitudinem essentialem. *Pag.* 591.

*Prædicta conclusio probatur.* Numero 134. & 135.

*Contra illam arguitur primo, eo quod non est de ratione meriti, quod tempore præmium præcedat: ergo ab inconuenienti carentiæ beatitudinis essentialis, non bene à Diuo Thoma probatur, Christum illam non meruisse.* Num. 136.

*Prima explicatio rationis Diui Thomæ reijcitur.* Num. 137. & 138.

# Index Disputationum.


*Reponuetur argumento, antecedens esse verum de ratione meriti non habentis conditiones cum præmio incompatibiles: secus autem si illas habeat, & hoc in præsenti contingere.* Numero 139.

*Contra quam doctrinam plura opponuntur, & diluuntur.* A num. 140. vsque ad num. 152.

*Secundum argumentum desumptum ex eo quod Christus sanctificatus fuit in primo conceptionis instanti per motus liberi arbitrij; isti autem in nobis, licet non mereantur gratiam, gloriam de condigno merentur: ergo idem est dicendum in Christo, proponitur, & diluitur.* A num. 153. vsque ad num. 159.

§. Decimvs.

De gloria corporis, nominisque exaltatione. *Pag.* 598.

*Meruit Christus gloriam corporis, nominisque exaltationem.* Num. 160.

*Vtraque pars vt fidei certa probatur auctoritate sc. ipturæ, & rationibus Diui Thomæ.* A num. 160. vsque ad num. 163.

*Fundamentum Catherini oppositum asserentis desumptum ex eo quod finis aduentus Christi fuit solum nostra redemptio, proponitur, & diluitur.* A num. 164. vsque ad num. 170.

*Secundum argumentum desumptum ex eo quod Christus non meruit gloriam essentialem animæ: ergo nec gloriam corporis, proponitur, & diluitur.* Num. 171.

*Tertium argumentum est; nam Christus solum meruit ablationem impedimenti: ergo gloriam corporis, saltim directè non meruit.* Num. 172.

*Scoti existimatio impugnatur.* A num. 173. vsque ad num. 176.

*Traditur vera solutio.* A num. 177. vsque ad n. 185.

*Ex dictis colligitur primo, Christum per primum actum meritorium meruisse omnia auxilia gratiæ pro alijs actibus distinctis à primo.* Num. 186.

*Secundo colligitur, meruisse per primum actum cæteros actus meritorios, quatenus sunt dona Dei.* N. 187.

*Tertio colligitur, meruisse suam resurrectionem.* Nu. 188.

*Denique infertur, obtinuisse suis meritis, iudiciariam potestatem, Regiam, Sacerdotalemque dignitatem, & supremum rerum omnium dominiū, non tamen rationem capitis per influxum moralem in membra.* A num. 189. vsque ad num. 198.


## TRACTATVS TERTIVS
### Decimvs.
### De adoptione Christi.

## DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SECVNDA.


Quæ forma præstit formaliter esse filium Dei adoptiuum? *Pag.* 611.

§. Primvs.

Quibusdam præsupositis, & relatis sententijs prima conclusio statuitur. *Ibidem.*

*Præmittitur adoptionis affinitio, & conditiones adoptionis explicantur.* Num. 1.

*Præmittitur secundo de fide esse Deum filios adoptare, & probatur.* Num 2. & 3.

*Sicut filius naturalis, duplicem acceptionem admittit, nempe, fundamentalem, & formalem; ita filius Dei adoptiuus dupliciter dicitur, formaliter scilicet, & fundamentaliter, & de hoc fundamento inquiritur, quæ sit forma illud formaliter præstans.* Num. 4.

*Variæ Theologorum sententiæ in hac parte referuntur.* A num. 5. vsque ad num. 8.

*Prima conclusio.* Diuinitas Spiritus Sancti extrinsecè nobis vnita non præstat per modū formæ filiationem adoptiuam. *Statuitur contra Lesium, cuius sententia aliquibus auctoribus suæ familiæ parum tuta, imo & suspecta videtur.* Num. 8.

*Probant aliqui conclusionem, nam ex opposito sequeretur iustos esse filios Dei naturales, non adoptiuos.* Num. 9.

*Reijcitur.* Num. 10. 11 & 12.

*Suadetur conclusio auctoritatibus D. Tho.* Nu. 13.

*Deinde ratione ex dictis auctoritatibus desumpta; nam forma præbens filiationem adoptiuam, est quæ terminat formaliter spiritualem generationem: hanc autem non terminat Spiritus Sanctus, sed gratia habitualis.* Num. 14. & 15.

*Probatur tertio ex eo quod forma dant esse filium Dei adoptiuum, præbet effectum sanctitatis, & iustificationis, diuinitas autem Spiritus Sancti non bis extrinsecè vnita non sanctificat formaliter.* Num. 16. & 17.

*Quarto probatur conclusio ab inconuenienti, sequiturnamque ex contraria sententia, omnes iustos esse sanctos, & Deo gratos infinitè simpliciter.* Num. 18.

*Tres euasiones proponuntur.* Num. 19.

*Præcluduntur vero.* A num. 20. vsque ad nu. 23.

*Aduersus doctrinam traditam instatur dupliciter.* Num 23. & 24.

*Respondetur.* Num. 25 & 26.

*Denique probatur ad hominem contra Lesium docentem,*

centem, ex gratia habituali, & diuinitate Spiritus Sancti constari vnicam formam præbentem filiationem adoptiuam ingrediente gratia in recto, & diuinitate in obliquo. Cum qua doctrina non stat diuinitatem esse formam à qua principaliter filiatio adoptiua præstatur. Num. 27. & 28.

§. Secvndvs.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 618.

Primo arguit Iesius ex eo quod homo existens in gratia viuit Spiritu Dei, atque illius diuinitate, quod probat diuersis auctoritatibus sacræ Scripturæ Num. 29. & 30.

Respondetur explicado verum sensum prædictarum auctoritatum. Num. 31. 32. & 33.

Secundo arguit, ex eo quod filius constituitur per communicationem naturæ eiusdem cum natura patris, specificè, vel numericè Num. 34.

Respondetur, id requiri ad filiationem naturalem, secus ad adoptiuam, ad quam sufficit benevolentia extrinseca, vel communicatio naturæ secundum conuenientiam analogam. Num. 34.

Obijcitur: nam Angelus ratione suæ naturæ participat naturam diuinam secundum conuenientiã analogam, & tamen non est filius adoptiuus Dei ratione talis participationis: talis ergo participatio non sufficit ad filiationem adoptiuam. Num. 35.

Respondetur, & explicatur, quæ communicatio naturæ secundum conuenientiam analogam, & in quibus prædicatis talis conuenientia sufficiat ad filiationem adoptiuam, & in quibus prædicatis non sufficiat. Num. 36.

Replica notabilis proponitur. Num. 37. Et soluitur A num. 38. vsque ad numerum 46.

Denique arguit Lesius, ex eo quod homini in iustificatione præter gratiam, & cætera dona, donatur etiam diuinitas, quæ donatio Spiritui Sancto per appropriationem tribuitur: Deitas autẽ sic donata, est sufficiens ad fundandam filiationem Dei adoptiuam. Num. 46. & 47.

Ad argumentum cum suis probationibus respondetur. A num. 48 vsque in finem § Ibidemque referuntur varij modi explicandi specialem modum quo Deus est in animabus iustorum.

§. Tertivs.

De forma præstanti de facto filiationem adoptiuam. Pag. 624.

Secunda conclusio. Nec sola acceptatio extrinseca Dei, nec actus, vel habitus charitatis præstant de facto formaliter filiationem adoptiuam: sed gratia habitualis filium adoptiuum constituit. Num. 57.

Probatur ibidem ex eo quod illa forma præbet de facto filiationem adoptiuam, quæ de facto præstat iustificationis effectum; talis autem est gratia habitualis, vt constat ex Tridentino sessione 6. cap. 7. vnde probantur omnes partes conclusionis. N. 58. & 59.

Secundo probatur conclusio. Nam illa forma præbet formaliter esse filium Dei adoptiuum, quæ formaliter terminat spiritualem generationem: spiritualis autem generatio non terminatur formaliter ad extrinsecam acceptationem diuinam, nec ad actum, vel habitum charitatis; sed ad gratiã habitualem. A num. 60. vsque ad nu. 63. Vbi ostenditur hoc argumentum efficax esse, etiam in sententia Scoti, non distinguentis realiter gratiam à charitate, eo quod necessario debet admittere, versari inter illas distinctionem ex natura rei.

Tandem suadetur conclusio quoad secundam, & tertiam partem. Num. 64.

§. Qvartvs.

Argumenta contrariorum diluuntur. Pag. 626.

Primum argumentum procedit à paritate, quia homo constituitur filius adoptiuus alterius per solam acceptationem extrinsecam ad eius hæreditatem: ergo per solam acceptationem extrinsecam ad hæreditatem diuinam constituitur filius Dei adoptiuus. Respondetur reddendo rationẽ disparitatis. Numero 65.

Proponitur quædam replica. Num. 66.

Et explicatur, an & quo sensu vnus Angelus possit alium adoptare. Ibidem.

Secundo principaliter arguitur, ex eo quod licet sit verum, quod Deus homini quem ad suam hæreditatem acceptat, infundat donum gratiæ habitualis; non tamen constituitur filius Dei adoptiuus per donum gratiæ creatum, sed per suum increatum amorem. Quod probatur primo ex D. Thom. q. 27. de verit. art. 1: Secundo ex eodem Angelico Magistro quæst. 28 de veritate art. 2. Num. 67. & 68.

Ad primam probationem respondetur. Num. 69.

Displicent solutiones quas adhibent Vazquez, & Suarez ad secundam probationem. A num. 70. vsque ad num. 77.

Vera solutio assignatur. Num. 77.

Consistens in eo quod licet esse dilectum denominatione extrinseca præcedat prioritate naturæ habitualis gratiæ infusionem, esse vero dilectum denominatione intrinseca, hoc est, digni vt diligatur præstatur formaliter à gratia; extrinseca autem denominatio dilecti, nec sufficit ad iustificandum, nec ad constituendum filium. Num. 78.

*Tertio arguitur, & instatur contra datam solutionem, & intenditur probari, per donum gratiæ nõ constituihominem acceptum ad vitam æternam; ac per consequens non præstari ab illa esse filium adoptiuum, sed ab extrinseca denominatione dilecti.* Num. 79.

*Respondetur.* Numero 80. & 81.

*Denique contra secundam partem conclusionis arguitur, intendendo probare, charitatem esse formam, quæ de facto iustificat; ac per consequens, illam esse, quæ constituit filium Dei adoptiuum. Assumptum suadetur primo ex Concilio Tridentino. Secundo ex D. Thom. Tertio ex Diuo Augustino.* Num. 82. 83. & 84.

*Respondetur.* A num. 85. vsque ad finem §.

§. Qvintvs.

De modo quo gratia præstat filiationẽ adoptiuam. *Pag.* 632.

*Tertia conclusio.* Gratia habitualis se ipsa adæquatè, nullo extrinseco fauore expectato filium Dei adoptiuum constituit. *Num.* 89.

*Probatur in primis auctoritate D. Thom. deinde ratione ex eadem auctoritate desumpta: quia, nimirum forma constituens spiritualiter genitum, constituit filium adoptiuum Dei: gratia autem habitualis se sola, nullo extrinseco fauore expecta to constituit spiritualiter genitum.* Num. 90. 91. & 92.

*Solutio quæ adhiberi potest huic rationi impugnatur.* A num. 93. vsque ad num. 96.

*Denique probatur conclusio; nam forma se sola de facto iustificans, absque aliquo fauore extrinseco, filium adoptiuum constituit, gratia autem habitualis se sola est forma de facto iustificans; quæ ratio tripliciter confirmatur.* A num. 97. vsque ad num. 100.

§. Sextvs.

Tribus argumentis occurritur. *Pag.* 635.

*Primum contrariorum argumentum desumitur ex eo quod gratia habitualis ratione entitatis intrinsecæ, est insufficiens ad excludendum peccatum: quia gratia habitualis est bonitatis, & valoris finitij; peccatum autem est grauitatis infinitæ simpliciter.* Num. 101.

*Huic argumento multipliciter respondetur.* A nu. 102. vsque ad 107. *Vbi duæ replicæ aduersus doctrinam traditam proponuntur, & soluuntur.* Num. 108. & 109.

*Secundum argumentum contendit probare, gratiã habitualem ratione suæ intrinsecæ entitatis, non posse præstare ius condignum hæreditatis diuinæ; acper consequens non posse præstare filiationem adoptiuam.* Numero 110. & 111.

*Respondetur ad argumentum cum omnibus suis probationibus.* A nu. 112. vsque ad num. 115.

*Tertium argumentum sumitur ex eo quod ius hæreditarium ad gratiam, requisitum ad filiationem adoptiuam non possesubsistere absque promissione diuina, & illius ordinatione superaddita infusioni gratiæ habitualis.* Num. 116.

*Respondetur iuxta diuersas Theologorum sententias.* Num. 117. 118. & 119.

*Sed melius, & consequentius ad dicta respondetur iuxta propriam sententiam ius meritorium ad gloriam vt hæreditatem, esse ius solius connaturalitatis, & secundumquid, & competere potest absque pacto, & promissione diuina superadditis* Num. 120.

*Quartum argumentum tendit ad probandum, solam gratiam habitualem absque visione beatifica non posse constituere perfectum, & completam filiationem adoptiuam Dei; ac proinde gratiam se solam sine aliquo superaddito hoc munus non posse perfecte præstare.* A nu. 121 vsque ad 123.

*Respondetur.* A numero 123. vsque ad finem §

§. Septimvs.

Vltimo argumento occurritur, & explicatur an possit Deus homini in gratia perseueranti gloriam in æternum negare. *Pag.* 641.

*Vltimum argumentum sumitur ex eo quod potest Deus de potentia absoluta homini existenti in gratia gloriam in perpetuum negare: homo autem sic excluſus à gloriæ consequutione filius adoptiuus non esset, ac per consequens sola gratia habitualis non præstat esse filium adoptiuum.* Num. 128.

*Solutio asserentium, ad filiationem adoptiuam requiri diuinam ordinationem, non vt rationem formalem iuris ad gloriam, sed tantum vt conditionem, proponitur.* Num. 129.

*Sed reijcitur.* Num. 130.

*Solutio Capreoli, & aliorum negantium suppositagratiæ infusione, & conseruatione vsque in finem posse Deum denegare gloriam.* A num. 131. vsque ad 134.

*Solutio hæc displicet frequentius Theologis, & parum vrgenter impugnatur ab aliquibus, vt ostenditur.* A num. 135. vsque ad num. 140.

*Vrgentius impugnatur.* A num. 141. vsque ad num. 143.

*Fundamento Capreoli occurritur.* A num. 144. vsque ad num. 150. *Vbi notandæ replicæ proponuntur, & soluuntur.*

*Tertia solutio quam principali argumento adhibet P. Ripalda, refertur, & impugnatur.* A num. 151. vsque ad num. 162. *Vbi plures replicæ referuntur, & soluuntur.*

*Vera solutio argumenti assignatur.* Num. 163. *Consistens in eo quod sine acceptatione ad hæreditatem, vel in re, vel in iure, non stat filiatio adoptiua, bene autem sine acceptatione in re; in casu autem quod Deus homini in gratia existenti denegaret in perpetuum gloriam, maneret acceptatio ad illam in iure, quamuis non in re.*

*Contra quam solutionem pluta, & valde notanda obijciuntur.* A num. 164 vsque ad finem §.

§. Octavvs.

Quid de potentia absoluta dicendum? *Pag.* 652.

*Quarta conclusio.* Implicat contradictionem esse filium Dei adoptiuum sine gratia habituali. *Ibi.*

*Hanc conclusionem necessario debent defendere omnes qui asserunt de potentia absoluta, non posse poni effectum iustificationis sine gratia habituali.* Num. 178.

*Et hæc sententia suppositа probatur primo.* Ibidem.

*Secundo probatur supponendo aliam sententiam inter Theologos frequentiorem, nimirum, quod licet possit remitti peccatum, vel per actum charitatis, & perfectæ contritionis, vel per extrinsecã Dei condonationem: positiua tamen sanctificatio per formam accidentalem, non potest nisi à gratia habituali præstari.* Num. 179.

*Tertiò probatur abstrahendo ab his sententijs, ex eo quod idem est esse filium Dei adoptiuum, ac esse spiritualiter genitum; implicat autem esse spiritualiter genitum sine gratia habituali.* Num. 180.

*Quarto probatur, ex eo quod ad omnem filiationem requiritur conuenientia filij cum patre in natura, ad naturalem conuenientia per generationem accepta: ad ciuilem adoptiuam, conuenientia suppositа antea adoptionem; ac per consequens ad filiationem spiritualem supernaturalem, qualis est filiatio adoptiua exigitur conuenientia cum Deo in natura diuina sub conceptu naturæ. Implicat autem talis conuenientia cum Deo, sine gratia habituali.* Num. 181.

*Denique probatur conclusio, ex eo quod implicat Deum filium adoptiuum efficere sine affectu efficaci communicandi suam naturam sub conceptu naturæ.* Num. 182.

§. Nonvs.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 654.

*Primum argumentum contra conclusionem sumitur ex eo quod non implicat hominem sanctificari sanctitate positiua sine gratia habituali: homo autem sanctus sanctitate positiua necessario esset filius adoptiuus Dei, ac per consequens sine gratia habituali, &c. Maio em defendunt plures extra Scholam D. Thom. et ex Thomistis Magister Medina, & Illustrissimus Araujo.* Num. 184.

*Respondetur omissa maiori, negando minorem, & explicatur solutio.* A num. 185. vsque ad nu. 187.

*Secundum argumentum procedit ex eo quod potest Deus de potentia absoluta velle homini efficaciter gloriam absque voluntate efficaci conferendi gratiam habitualem; homo autem in isto casu esset filius adoptiuus Dei: ac per consequens sine gratia habituali esset filius adoptiuus* Num. 188.

*Respondetur.* Num. 189. *Omissa maiori, negando minorem: & plures replicæ contra solutionem proponuntur, & soluuntur.* A num. 190. vsque ad num. 199.

*Tertium argumentum procedit ex eo quod potest Deus de potentia absoluta hominem beatificare, sine gratia habituali: homo autem in tali casu esset filius adoptiuus Dei: ac per consequens sine gratia habituali daretur filiatio adoptiua,* Nu. 200.

*Respondetur omissa maiori, negando minorem, & eius probationibus sit satis.* Num. 201. 202. & 203.

*Vltimum argumentum procedit ex eo quod Deitas potest nobiscum vniri media vnione accidentali de potentia absoluta: Deus autem sic vnitus constitueret filium adoptiuum.* Num. 204.

*Respondetur negando maiorem, & eius probationibus sit satis.* A num. 205. vsque ad num. 208. *inclusiue.*

§. Decimvs.

Quinque corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 660.

*Colligitur primo ex dictis, relationem filiationis adoptiuæ diuinæ esse relationem realem: eo quod sequitur ad realem generationem spiritualem.* Num. 209.

*Colligitur secundo, adoptare creaturam rationalem in filium, non esse proprium alicuius ex diuinis personis, sed commune tribus.* Num. 210.

*Noua quædam sententia ex P. Ripalda refertur,*

& impugnatur. Num. 212. 213. & 214.
Colligitur tertio, solam creaturam rationalem esse capacem filiationis adoptiuæ Dei, probatur, & defenditur. A num. 215. vsque ad nu. 218.
Colligitur quarto, Angelos existentes in gratia esse filios Dei adoptiuos. Probatur, & defenditur. N. 218. 219. & 220.
Colligitur quinto, præscitum existentem in gratia esse filium Dei adoptiuum, cuius oppositum tenuit Gabriel, vt refert Medina, cuius sententia vt hæretica, aut temeraria reijcitur. Num. 221.
Et obiectionibus fit satis. A num. 222. vsque ad num. 226.

§. Vltimvs.

Alia tria corollaria ex dictis. Pag. 664.

SExto colligitur, prædestinatum existentem in peccato mortali pro tempore, quo est in illo, non esse filium adoptiuum Dei, nec esse dicendum absolute filium Dei. bene tamen cum hoc addito, scilicet, secundum electionem æternam. Et prima pars probatur. Num. 227. Secunda vero. Num. 228.
Obiectionibus contra vtramque partem corollarij fit satis. A num. 229. vsque ad num. 239. Vbi resoluitur, an Deus plus diligat peccatorem prædestinatum, quam iustum præscitum.
Septimo colligitur, Patres veteris testamenti in gratia, & charitate existentes, verè fuisse filios adoptiuos Dei. Quod Medina docet secundum fidem tenendum, & probatur. A num. 240. vsque ad num. 244.
Fundamenta contrariæ sententiæ quam tenuere aliqui, quos suppresso nomine, refert Medina, quam que tenuisse Alexandrum, refert Vazquez, proponuntur, & soluuntur. A num. 244. vsque ad num. 253.
Denique colligitur ex dictis, quatuor esse gradus filiationis adoptiuæ. Primus & imperfectissimus est, reproborum existentium in gratia. Secundus iustorum, qui prædestinati erant ad legem veterem pertinentium. Tertius prædestinatorum in gratia existentium ad legem nouam pertinentium. Quartus, & perfectissimus est beatorum, iam Deum videntium. A num. 254. vsque ad num. 260.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA TERTIA.

An Christus in quantum homo sit filius adoptiuus Dei?

§. Primvs.

Relatis sententijs vera eligitur, & auctoritate probatur. Pag. 671.

CHristum vt Deum, vel vt subsistentem in natura diuina non esse filium Dei adoptiuum, est certum secundum fidem. Et omnes Auctores concedunt non esse absolute asserendum Christum esse filium adoptiuum Dei. Vnde tota difficultas in eo posita est: an Christo vt homini competat esse filium adoptiuum Dei? Num. 1.
Duplex in hac parte versatur sententia: prima affirmans, secunda negans: Auctores vtriusque referuntur. Num. 2. & 3.
In censura sententiæ affirmantis dissident Auctores secundæ sententiæ. Num. 4.
Conclusio responsiua est. Christus in quantum homo non est filius adoptiuus Dei. Et probatur primo testimonijs Concilij Francofordiensis cuius auctoritas defenditur. A nu. 5. vsq; ad 12

§. Secvndvs.

Tres aliæ solutiones eiusdem argumenti reijciuntur, & examinatur error Felicis, & Elipandi. Pag. 674.

OCcurrunt aliqui argumento sumpto ex Concilio, asserendo, Concilium solum excluisse adoptionem Christi in sensu Nestoriano, in quo illam adstruebant Felix, & Elipandus: non autem in sensu in quo modo ab aliquibus Auctoribus catholicis defensatur. Num. 13.
Felicem, & Elipandum non fuisse Nestorianos contendit Vazquez. A num. 14. vsque ad nu. 17.
Oppositum sentiunt communiter Theologi, quibus standum est, & probatur. A num. 17. vsque ad num. 23.
Occurritur motiuis Patris Vazquez. A num. 23. vsque ad num. 29.
Impugnatur igitur prædicta solutio expendendo verba Concilij. A num. 29. vsque ad 35.
Tertio alij argumento facto occurrunt, non diffiniri à Concilio, Christum secundum humanitatem, vel Christum vt homo est, filium adoptiuum non esse, sed quod Christus absolute filius adoptiuus non sit, quæ sunt valdè diuersa. Num. 35.
Hæc solutio impugnatur. A num. 36. vsque ad 42.

§. Tertivs.

Variæ rationes pro nostra conclusione expenduntur. Pag. 681.

RAtio qua Magister Sententiarum probat conclusionem, nimirum, quia ad filiationẽ adoptiuam requiritur transitus de filio iræ, ad esse filiũ per gratiam, communiter displicet Theologis, & reijcitur. A num. 43. vsque ad num. 46.

*Et similiter ratio alia, quæ etiam insinuatur à Magistro, scilicet, quod ad adoptionẽ requiritur, quod adoptandus prius sit, & post modum adoptetur in filium.* Num. 46.

*Neque placet ratio sumpta ex D. Bonauentura, qui temperans rationem Magistri asserit, personam adoptabilem debere esse indifferentem ad filiationem iræ, & ad filiationem gratiæ.* Numero 47.

*Quarta etiam ratio quæ sumitur ex Scoto, & defenditur à suis discipulis, nimirum, quod ad extraneitatem personæ adoptandæ in filium, requiritur, quod ex vi suæ generationis non competat ipsius ad hæreditatem adoptantis, nec dispositio exigens de congruo huius, vel formam illum præstantem; naturæ autem assumptæ à Verbo ex vi suæ formationis, licet non competat ius ad hæreditatem Dei, quod à sola gratia habituali præstatur; conuenit tamen dispositio petens de congruo huius, nempè, hypostatica vnio; ineffícax ostenditur.* Anum. 48. vsque ad nu. 52.

*Quinta ratio, quæ sola placuit Vazquez, impugnatis rationibus D. Thom. & aliorum, scilicet requiri, vt quis adoptari possit in filium, quod non secundum naturam; sed solo affectu coniungatur adoptanti; humanitas autem Christi, non fuit Deo solo affectu coniuncta, sed re ipsa per physicam, & realem vnionem, nisi aliunde iuuetur, & ad rationes D. Thom. quas ipse impugnauerat reducatur, ineffícax est.* Anum. 53. vsque ad num. 58.

§. Qvartvs.

Duplici ratione Angelici Præceptoris communis sententia probatur. *Pag.* 685.

*Prima ratio probatiua sumitur ex D. Thom. in 3 dist. 10 quæst. 2. quæ ad hanc formam reducitur: filio adoptiuo non conuenit hæreditas adoptantis, nec ius ad illam per naturam, sed per gratiam, vt constat ex diffinitione adoptionis: Christo autem ratione propriæ naturæ secundum quã à Patre æterna liter procedit, conuenit habere ius ad diuinam hæreditatem.* Num. 59.

*Solutiones quæ adhiberi possunt huic rationi impugnantur.* Anum. 60. vsque ad 69. *Vbi mens D. Thom. & diuersæ eius auctoritates explicantur.*

*Secunda ratio ex D. Thom. sumpta est, quod filiatio non conuenit naturæ, sed hypostasi, aut personæ; sed persona, aut hypostasis Christi filius adoptiuus non est: non ergo potest esse filius adoptiuus, etiam in quantum homo.* Numero 70. 71. & 72.

§. Qvintvs.

Triplex contrariorum solutio reijcitur. *Pag.* 688.

*Argumento facto tripliciter potest occurri. Primo asserendo filiationem conuenire suppositio, non ratione esui sed ratione naturæ; ac proinde ad adoptionem nõ peti extranei atem suppositis, sed naturæ.*

*Secundo, quod licet Christus, vt subsistens in diuinitate filius naturalis sit, prout tamen in humanitate subsistens qualiter persona humana dicitur, non est formaliter filius Dei naturalis, sed solum identice, & materialiter: ac proinde potest de Christo pro vt sic dici adoptiua filiatio.*

*Vel tertio responderi potest, negando minorem argumenti; nam extraneitas ad adoptionem requisita, non est extraneitas entitatiua, sed extraneitas à iure. Licet autem persona Christi, vt subsistens in humana natura, non sit entitatiue extranea à Deo, est tamẽ extranea ab ipso per negationẽ iuris ad illius hæreditatem.* Num. 73. 74. & 75.

*Nulla tamen ex his solutionibus eneruat vires rationis D. Thom.* Anum. 76. vsque ad num. 91.

§. Sextvs.

Obiectionibus contra istam rationem occurritur. *Pag.* 693.

*Arguitur primo aduersus rationem D. Thom. nam ex illa sequitur casu in quo Spiritus Sanctus humanitatem assumeret fore filium Dei adoptiuum, vtpote quia non esset filius Dei naturalis.* Num. 92.

*Respondetur.* Num 93. & 94.

*Secundo arguitur, quia humanitas Christi Domini est sancta sanctitate substantiali, & est sancta sanctitate accidentali per gratiam habitualem; & tamẽ sanctitas accidẽtalis est sanctitas imperfecta respectu sanctitatis substantialis: pariter ergo non obstante quod filiatio adoptiua sit imperfecta filiatio, & filiatio naturalis summè perfecta, poterit affirmari de Christo, vt subsistente in humanitate.* Num. 95.

*Respondetur primo.* Anum. 96. vsque ad nu. 101. *Vbi plures replicæ notandæ enodantur.*

*Secundo respondetur.* Anum. 102. vsque ad 104.

*Arguitur tertio, & replicatur contradicta, quia nõminus opponitur esse sanctum per essentiam, & esse sanctum per participationem, quam esse filiũ naturalem, & esse filium adoptiuum: sicut ergo in Christo licet tantum reperiatur vna persona, quia tamẽ duas terminat naturas datur capacitas vtriusque denominationis, etiã datur capaci-

tas filiationis naturalis, & adoptiuæ, propter diuersas naturas terminatas. Num. 105.
Respondetur. Num 106. & 107.
Aduersus solutionem forti èr insurgitur. Num. 108. 109. 110.
Sed respondetur. A num. 111. vsque ad 116.

§. Septimvs.

Soluitur primum contrariæ sententiæ argumentum, & explicatur, an Christus, vt homo, sit seruus? Pag. 699.

ARgumentum primum sumitur ex eo quod Christus vt homo, vere, & propriè est seruus Dei. ergo etiam quatenus homo est filius Dei adoptiuus. Numero 117. & 118.
Ab hoc argumento facili negotio se expediũt Vazq̃z, & Hurtado, & alij eiusdẽ Familiæ, negantes in Christo veram, & propriam rationem seruitutis; quorum motiua referuntur. A num. 119. vsque ad num. 124.
Opposita tamen sententia est D. Thomæ, & communis Theologorum, asserens, Christum vt hominem vere, & propriè esse seruum; non quidem seruitute legali, sed seruitute naturali fundata in ratione creaturæ; quæ amplectenda est, & probatur. A n. 124. vsque ad num. 137.
Et vt motiuis in contrarium fiat satis, quatuor præ notantur. A num. 138. vsque ad nu. 142.
Concilium Francofordiense explicatur. A nu. 142. vsque ad num. 155.
Qualiter intelligendi sint Patres, traditur. Numero 155.
Motiuis sumptis à diffinitione seruitutis, quam tradidit Philosophus, respondetur. Num. 156. & 157.
Ad argumentum principale respondetur, concessa vera seruitute, negando ex hoc sequi concedendam esse filiationem adoptiuam: cuius probationibus & alijs pluribus replicis fit satis. A num. 158. vsque ad 166.

§. Octavvs.

Cætera argumenta diluuntur. Pag. 709.

SEcundum argumentum contra conclusionem sumitur ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ proponuntur, & explicantur A numero 167. vsque ad 174.
Tertium argumentum sumitur ex eo quod, cui conuenit forma adæquata, & vnica alicuius effectus, conuenit effectus; sed gratia habitualis est vnica, & adæquata causa, filiationis adoptiuæ, & conuenit Christo, &c. Num. 175.
Respondetur. Num. 176.
Gratiam habitualem non præstare effectum filiationis adoptiuæ nisi in subiecto capaci: Christus autem subiectum capax non est. Num. 176.
Quæ solutio impugnatur à Recentioribus. Num. 177. & 178.
Et aliter respondent ipsi. Num. 179.
Sed reijcitur. Numero 180. & 181.
Et defenditur solutio data. A num. 182. vsque ad num. 185.
Ostenditur stare in aliquo subiecto capacitatem ad formam cum incapacitate ad effectum secundarium. Num. 184.
Secundo respondetur ad principale argumentum asserendo, gratiam habitualem non quomodocumque esse formam adæquatam filiationis adoptiuæ, sed vt habitam per spiritualem generationem. Num. 186.
Et duabus obiectionibus contra hanc solutionem fit satis. Num. 187. & 188.
Quarto arguitur, ex eo quod ad rationem filij adoptiui sufficit extraneitas naturæ: quod multiplicitersuadetur. A num. 189. vsque ad numerum 192.
An Christus in quantum homo sit persona extraneæ naturæ à Deo? responderi potest primo, negando naturam humanam in Christo esse extraneam Deo, extraneitas namque dicit non solum negationem identitatis cum Deo; sed etiam negationem coniunctionis cum illo. Num. 193.
Obiectionibus contra hanc solutionem occurritur. A nu. 194 vsque ad 198.
Secundo respondetur ad argumentum negando sufficere ad adoptionem extraneitatem naturæ si persona extranea non sit, quamuis subsistat in extranea natura. A num. 199. vsque ad 204.
Quædam replica proponitur. Num. 204.
Soluitur. A num 205. vsque ad 207.
Quinto arguitur, ex eo quod licet Christus quatenus persona humana formaliter non sit extraneus à Deo extraneitate entitatiua; est tamen extraneus à Deo extraneitate iuris ad hæreditatem creatã, ad quam vt homo ordinatur; hæc autem negatio iuris, sufficit, vt filius adoptiuus dicatur, prout ordinatur, & acceptatur ad hæreditatem Num. 208.
Respondetur primo iuxta primam rationem D. Tho. negando maiorem. Num. 209.
Secundo respondetur. A nu. 210. vsque ad 219. Vbi obiectiones, & replicæ notandæ diluuntur.
Denique arguitur argumento Durandi: nam filius Dei non naturalis formaliter, ordinatus per gratiam ad diuinam hæreditatem, est vere, & propriè filius adoptiuus ipsius; Christus autem, vt

homo, non est Filius Dei naturalis formaliter, cum non sit Filius per naturalem generationem, & per gratiam ordinatur ad diuinam hæreditatem. Num. 220.

Respondetur dupliciter: primo, negando maiorem: secundo concessa maiori, negando minorem, de quo Disputatione sequenti. Num. 221.

Ex dictis sequitur primo, humanitatem Christi, etsi gratiosè fuerit assumpta ad esse personale Verbi, adoptiuam tamen, vel adoptatam non esse, probatur, & defenditur. A numero 222. vsque ad numerum 224.

Secundo colligitur, quid si contraria sententia adstruens adoptionem in Christo, non est hæretica, vel erronea, aut errori proxima, non est temeritate, nec improbabilitate notanda, probatur, & explicatur. Num. 225.

## DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVARTA.

An Christus, in quantum homo, sit formaliter Filius naturalis Dei?

### §. *Primus.*

Relatis sententijs, prima reijcitur. *Pag.* 722.

OMnes Theologi conueniunt, & fatentur in sensu materiali, & identico, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem Dei, & est certum secundum fidem. Num. 1.

Dissentiunt tamen grauiter, an scilicet, in sensu formali, sit verum, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem Dei: & in plures diuiduntur sententias. Prima negat, Christum, vt hominem, siue ly vt determinante naturam, siue determinante, reduplicatiué, aut specificatiué suppositum, vt in humanitate subsistit, esse in sensu formali Filium Dei naturalem. Hanc tenet Franciscus del Castillo.

Secunda sententia docet: Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem: ly vt reduplicante naturam, Verbo substantialiter coniunctam, vt fundamentum filiationis naturalis. Hanc tenet Petrus Hurtado.

Tertia docet. Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem: ly vt non reduplicante naturam, vt fundamentum filiationis naturalis, sed specificante illam, vt subiectum sanctificationis moralis à persona Verbi vnita, ex qua sanctificatione consurgit naturalis filiatio. Ita Vazquez, Suarez, & alij.

Quarta docet: Christum, vt hominem, non esse Filium naturalem Dei formaliter, nec specificato supposito, nec determinata natura; esse tamen filium proprium filiatione fundata in vnione humanitatis ad Verbum. Hanc sine duce tenet Ber. al.

Vltima, & vera sententia defendit: Christū, vt hominem, ly vt reduplicante, vel specificante naturam, non esse Filium Dei vllo modo; specificante tamen suppositum terminans humanitatem, esse Filium Dei naturalem filiatione fundata in generatione æterna, & per gratiam vnionis humanitati communicata. Hanc tenent Thomistæ cum alijs pluribus. Num. 2. & 3.

Prima conclusio: Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, ly in quantum reduplicante humanitatem, vt fundamentum filiationis.

Hæc conclusio est contra Hurtado, vnicum sectatorem oppositi. Conclusio est expressa D. Thom. & probatur eius authoritate. Num. 4.

Secundo probatur ratione: nam Christus, vt homo, nec est, nec dici potest Filius naturalis Trinitatis; sed si esset Filius naturalis Dei filiatione fundata in humanitate, quatenus vnita Verbo, esset Filius naturalis Trinitatis, &c. Numero 5.

Tertio probatur, ex eo quod filiatio naturalis Dei petit fundari super naturalem actionem; non autem super actionem liberam; actio autem productiua humanitatis, & vnitiua eiusdem ad Verbum, non sunt actiones Deo naturales, sed liberæ. Num. 6. 7. & 8.

Denique probatur, ex eo quod iuxta omnium Philosophorum, & Theologorum consensum, Filius naturalis est, qui à Patre per generationem naturalem procedit; sed Christus, quatenus homo, ratione naturæ humanæ non procedit à Deo per naturalem generationem. Latè explicatur, & defenditur hæc ratio. A numero 9. vsque ad numerum 21.

### §. *Secundus.*

Argumentum contrariæ sententiæ diluitur. *Pag.* 727.

FVndamentum contrarij Authoris est: nam Christus, vt homo, generatur à Deo generatione propria viuentium, eo quod Christus, vt homo,

*mo, humanitate reduplicata, procedit viuens à viuente, & à principio coniuncto: Deitas namque eſt magis Chriſto coniuncta, quam Pater creatus eſt coniunctus Filio per ſemen, & procedit in ſimilitudinem naturæ; cum homo ſit Deo ſimilis in natura intellectuali.* Num. 22.

*Reſpondetur, negando antecedens: ad cuius probationem tripliciter reſpondetur, & obiectionibus occurritur.* A num. 24. vſque ad numerum 27.

§. Tertius.

Secunda ſententia reiicitur. *Pag.* 729.

*Secunda concluſio:* Chriſtus, vt homo, non eſt Filius naturalis Dei filiatione fundata in ſanctificatione humanitatis à Verbo, ly vt ſpecificante humanitatem.

*Statuitur contra Authores tertiæ ſententiæ: & probatur primo ex D. Thom. & ratione ex ipſo deducta.* Num. 28. & 29.

*Secundo probatur, ex eo quod forma dans filiationem naturalem, debet eſſe naturalis, & non gratioſa reſpectu ſubiecti filiationis: diuinitas autem ſanctificans Chriſtum, vt hominem, non eſt Chriſto, vt homini naturalis, ly* vt *determinante naturam; ſed per gratiam illi conuenit.* Numero 30. & 31.

*Tertio probatur, ex eo quod filiatio naturalis petit pro fundamento naturalem generationem: Chriſtus autem, vt homo, ratione diuinitatis ſanctificantis humanitatem non eſt genitus à Deo naturali generatione.* Num. 32.

*Solutiones, quæ adhiberi poſſunt huic rationi ex Suarez, & ex alijs Authoribus, latè, & efficacitèr impugnantur.* A numero 33. vſque ad 51.

§. Quartus.

Obiectionibus in contrarium occurritur. *Pag.* 734.

*Fundamentum contrariæ ſententiæ eſt, quia Chriſtus, vt homo, ratione diuinitatis ſanctificantis humanitatem, eſt Filius Dei; non adoptiuus: ergo naturalis. Maiorem ſuadent: quia ratione diuinitatis eſt hæres bonorum: idem autem videtur eſſe hæredem, ac eſſe filium.* N. 52.

*Reſpondetur.* Num. 53. 54. & 55. A num. autẽ 56. vſque ad num. 68. *Plures replicæ, & inſtantiæ non contemnendæ diluuntur.*

§. Quintus.

Tertia ſententia refellitur. *Pag.* 739.

*Tertia concluſio:* Chriſtus, in quantum homo, nõ eſt Filius Dei proprius, ly *in quãtum* reduplicante humanitatẽ Diuino Verbo coniuncta.

*Statuitur contra tertiam ſententiam, & eſt expreſſa D. Thom. vt oſtenditur.* Num 69.

*Deinde probatur, ex eo quod filius proprius, & filius naturalis idem ſunt: Chriſtus autem, vt homo, ly* vt reduplicante naturam, *non eſt filius naturalis, vt fatetur Author oppoſitæ ſentẽtiæ. Maior probatur dupliciter: primo ratione: deinde authoritate Concilij Francofordienſis.* N. 70. & 71.

*Euaſiones autem, quæ adhibentur verbis Concilij, proponuntur, & refellantur.* A num. 72. vſq; ad num. 80. *Vbi etiam tertia ratio probatiua concluſionis aſſignatur.*

*Quarta ratio probatiua procedit, ex eo quod filiatio propria, vt à contrario Authore explicatur, conſiſtit in relatione ſuper creatione humanitatis fundata, & in coniunctione humanitatis ad Verbũ; at ſecundum D. Th. in hac 3. p. q. 32. art. 3. Chriſtus, vt homo, non eſt Filius Dei, nec ratione creationis, nec ratione iuſtificationis. Cuius ratio eſt: quia quod dicitur de aliquo ſimpliciter, nõ poteſt de eodem dici ſecundũ rationẽ imperfectã.* N. 81.

*Solutiones, quæ adhiberi poſſunt huic rationi, proponuntur, & refutantur.* A num. 82. vſque ad numerum 86.

*Tandem probatur concluſio ex duplici inconueniẽti: nam ſequitur ex contraria ſententia, Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium proprium ſolius Diuini Verbi. Sequitur ſecundo, Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium Trinitatis; conſequens autem eſt contra D. Auguſt. & contra D. Tho. imo & contra Concilium Toletanum* 11. *in confeſsione fidei cap.* 10. Num. 86. & 87.

*Hoc argumentum quatenus ex ſecundo inconuenienti procedit, non ſolum militat contra tertiam ſententiam, ſed etiam contra primam, & ſecundã, & diuerſimodè à contrarijs Authoribus ſoluitur: quatuor ſolutiones referuntur, & impugnantur.* A num. 88. vſque ad num. 94.

§. Sextus.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pagina* 745.

*Primo arguitur, ex diuerſis locis Sacræ Scripturæ* A numero 95. vſque ad num. 97.

*Explicantur authoritates, & quid ex illis efficacitèr colligatur, oſtenditur.* A numero 98. vſq; ad numerum 104.

*Secundo arguitur authoritate Hugonis de Sancto*

*Victore. Tertio authoritate D. Hilarii, quorum mens latè explicatur.* A numero 105. vſque ad numerum. 117.

*Denique arguitur, quia Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei filiatione fundata in creatione, & dependentia naturæ rationalis á Deo; & aliàs illius humanitas fundans filiationem prædictam, eſt Dei propria ratione coniunctionis ad Verbum: Chriſtus ergo reduplicatiuè, vt homo, eſt proprius Filius Dei, &c.* Numero 118. & 119.

*Reſpondetur.* Numero 120. 121. & numero 122.

## §. *Septimus.*

Vera ſententia explicatur. *Pagina* 752.

*QVarta concluſio: Chriſtus, in quantum homo, per gratiam vnionis eſt Filius Dei naturalis formaliter. ly* in quantum *determinante in recto, non naturam, ſed ſuppoſitum, vt in illa ſubſiſtens, non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè.*

*Et prima pars concluſionis probatur primo: nam Chriſtus, in quantum homo, eſt Filius Dei naturalis, vt multoties aſſerit ab Adriano Primo in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ſub nomine proprij filij: hoc autem verificari nequit in ſenſu materiali, & identico, quia Chriſtum, in quantum hominem, eſſe Filium naturalem aliquid addit ad hoc, quod eſt Chriſtum hominem eſſe filium naturalem ſine particula,* in quantum.

*Secundo: nam Chriſtus, vt homo, eſt ſubiectum prædeſtinationis ad eſſe Filij naturalis Dei, de quo Diſputatione ſequenti.*

*Tertio: quia per ſe, & formaliter, petitur ab vnione hypoſtatica, Verbum vt eſt Filius naturalis Dei: quod tripliciter probatur.* Num. 123. 124. & 125.

*Secunda verò pars concluſionis probatur: ex eo quod denominatio filij non conuenit in recto naturæ, ſed perſonæ: vnde infertur, quod Chriſtus, in quantum homo, non eſt Filius Dei naturalis: ly* in quantum *determinante naturam in recto, ſed ly* in quantum *determinante in recto ſuppoſitum, vt in humanitate ſubſiſtens, & in obliquo naturam. Quod autem non ſit Filius Dei naturalis, vt ſubſiſtens in humanitate, ly vt ſumpto reduplicatiuè, ex eo patet: quia vt talis propoſitio, reduplicatiuè ſumpta, eſſet vera, requirebatur, Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, quia in humanitate ſubſiſtit; at quamuis ſit Filius Dei naturalis, hoc non habet, quia in humanitate ſubſiſtit; ſed quia ſubſiſtit in Deitate, vt communicata Verbo per æternam generationem: ex quo etiam deducitur probatio tertiæ partis concluſionis.* Numero 126. & numero 127.

## §. *Octauus.*

Obiectionibus contra iſtam concluſionem occurritur. *Pagina.* 753.

*ARguitur primo ex auctoritate D. Thomæ, aſſerentis, quod Chriſtus, in quantum homo, non eſt Deus, nec perſona diuina: ergo nec Filius Dei naturalis.* Num. 128.

*Reſpondetur, explicando D. Thom.* Num. 129. & 130.

*Secundo arguitur, ex eo quod Chriſtus, vt homo, non procedit à Patre naturali generatione, quod requirebatur, vt eſſet, in quantum talis, Filius Dei naturalis.* Numero 131.

*Reſpondetur.* Num. 132.

*Et quibuſdam replicis valdè notandis occurritur.* A numero 133. vſque ad numerum 138.

*Alia ſolutio, quæ aſſignari poterat argumento ſecundo, refertur.* Num. 138.

*Sed reiicitur.* Num. 139.

*Tertio arguitur, ex eo quod vt de Chriſto, in quantũ homine, ly* in quantum *determinante ſuppoſitũ, verificaretur eſſe Filium Dei naturalem formaliter, requiritur, quod hypoſtaſis Verbi ſub conceptu filiationis formaliter vniatur humanitati; at hypoſtaſis Verbi non vnitur humanitati formaliter ſub conceptu filiationis: quod multipliciter probatur. Primo: quia filiatio, vt filiatio, eſt formaliter relatio: hypoſtaſis autem Verbi non vnitur humanitati formaliter ſub conceptu relationis; aliàs illam conſtitueret relatam.*

*Secundo: quia hypoſtaſis Verbi, vt filiatio, non ſolum relationem importat, ſed etiam de connotato naturam diuinam, vt per generationem communicatam; ſed humanitati non fuit vnita diuina natura formaliter, nec hypoſtaſis Verbi, quatenus ſubſiſtit in illa, ſed ſolum ſub conceptu ſubſiſtentis abſolutè.*

*Tertio: nam ſub ea ratione vnitur humanitati formaliter, ſub qua ab humanitate petitur, vt exiſtat; ab humanitate autem non petitur ſub conceptu filiationis ſubſiſtentis in natura diuina, aut referentis Verbum ad Patrem; ſed ſolum ſub munere terminantis naturam creatam.*

*Quarto: nã hypoſtaſis Verbi, non ſolum eſt perſonalitas, & filiatio formaliter, ſed etiam eſt relatio formaliter, qua Verbum refertur ad Patrem relatione Verbi ad dicentem, & tamen non vnitur humanitati formaliter ſub munere conſtituentis Verbum in ratione Verbi: ergo ſimiliter, &c.*

*Quinto, ſi Verbum naturam irrationalem aſſumeret, non vniretur illi ſub ratione filij formaliter, quia vt in illa ſubſiſteret non eſſet filius naturalis Dei; cum non eſſet perſona.*

*Sexto: nam ſi Pater humanitatem aſſumeret, non vniretur formaliter humanitati aſſumptæ ſub conceptu Patris formaliter; aliàs vt homo eſſet Pater, quod eſt falſum; cum vt homo nullũ Filium generaret. Denique: nam cui non vnitur fundamentum filiationis formaliter, nec formaliter vnitur relatio; fundamentum autem relationis hypoſtaſis Verbi ſub conceptu relationis, non vniri humanitati: ſuadetur primo, quia tale fundamentum eſt natura diuina, vt habita per generationem; natura autem diuina ſub conceptu naturæ; cum prout ſic ſit vitalis, nequit humanitati vniri; aliàs illam conſtitueret viuentem vita Dei.*

*Secundo: nam humanitati Chriſti non vnitur paſſiua Verbi generatio, quæ eſt fundamentum proximum filiationis Verbi; aliàs illam genitam conſtitueret generatione diuina.* A num. 140. vſque ad numerum 143.

*Reſpondetur ad argumentum cum ſuis probationibus, vſque ad quartam inclusiuè.* A numero 145. vſque ad numerum 148.

*Ad quintam, prima ſolutio aſſerit, in caſu quo Verbum naturam irrationalem aſſumeret, non vniretur illi ſub ratione filij formaliter, propter incapacitatem naturæ: ſecus autem quando vnitur naturæ rationali.* Num. 148.

*Secundo reſpondetur ab alijs, negãdo antecedens: nã etiam in caſu, quo Verbum naturam equinam aſſumeret, ex vi vnionis traheretur illa natura ad eſſe Verbi in vnitatem ſuppoſiti, quod ſuppoſitum eſt Filius naturalis Dei.* Num. 150.

*Et rationibus in contrarium fit ſatis.* Numero 151. & 152.

*Vt feratur iudicium de his ſolutionibus tria prænotantur.* Num. 153. & 154.

*Quibus prænotatis aſſerendum eſt, caſu in quo Verbum naturæ equi vniretur, fore Filium Dei naturalem per communicationem idiomatum, eo modo, quo homo Filius Dei naturalis dicitur per hanc communicationem; non tamen diceretur, Chriſtum, in quantum equum, Filium Dei naturalem per gratiam vnionis.* Numero 155.

*Solutio Curiel ad vltimam probationem, refertur.* Num. 157.

*Sed reijcitur.* A numero 158. vſque ad numerum 162.

*Vera ſolutio vltimæ probationis, traditur.* A numero 163. vſque in finem §.

## §. *Vltimus.*

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 762.

*EX dictis in hac, & præcedenti Diſputatione colligitur primo: quod ſi Spiritus Sanctus humanitatem aſſumeret, non eſſet Filius naturalis, nec Filius adoptiuus Dei; benè tamen eſſet Filius Dei filiatione fundata, in creatione humanitatis. Probatur quoad omnes partes, & reſpondetur cuidam obiectioni.* A num. 166. vſque ad 170.

*Secundo colligitur: Chriſtum, vt hominem, non eſſe Filium naturalem ſui, vel Spiritus Sancti; ſed ſolius Patris Æterni.* Num. 171. & num. 172.

*Denique colligitur, filiationem, qua Chriſtus, vt homo, eſt Filius Beatiſſimæ Virginis, non realem, ſed rationis eſſe. Quod docuit D. Thom plucibus in locis citatis.* Num. 173.

*Et probatur ibidem, ex eo quod filiatio, etſi ſupra natiuitatem fundetur, non ad naturam, ſed ad ſuppoſitum immediatè comparatur, vt ſubiectum immediatum denominationis, & inhæſionis; at ſuppoſitum Chriſti Domini cum ſit aliquid increatum capax ſuſceptiuum accidentis realis non eſt, ſiue abſoluti, ſiue relatiui; aliàs intrinſecè mutaretur realiter.*

*Contra hoc corollarium obijcitur primo: quia Chriſtus, vt homo, eſt Filius Virginis eiuſdem rationis nobiſcum; nos autem ſumus Filij per relationem realem.* Num. 174.

*Reſpondetur ibidem: Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium eiuſdem rationis nobiſcum, ſumpto filio fundamentaliter, & abſolutè; ſecus autem ſumpto filio formaliter, & relatiuè.*

# Index Diſputationum.


*Replicatur primo, ſequi ex ſolutione falſum eſſe affirmare abſolutè, Chriſtum eſſe Filium Beatæ Virginis vniuocè nobiſcum: nam abſoluta rei denominatio ſumitur ab eo quod eſt formale.* Num. 175.

*Replicatur ſecundo aduerſus ſolutionem: quia Beatiſsima Virgo eſt Mater Chriſti ſumpti* Matre *relatiuè eiuſdem rationis vniuocè cum alijs fœminis, vt ad proprios filios comparatis: Chriſtus ergo eſt Filius relatiuè eiuſdem rationis nobiſcum.* Num. 176.

*Reſpondetur ad primam replicam, in denominationibus relatiuis hoc peculiare inueniri, quod quamuis relatio non exiſtat exiſtente proximo fundamento abſoluto, denominatio conſurgat.* Num. 177.

*Duæ ſolutiones, quæ aſsignari poterant ad ſecundam replicam, referuntur, & reijciuntur.* Numero 178. & 179.

*Vera ſolutio traditur.* Num. 180.

*Secundo principaliter obijcitur aduerſus vltimum corollarium: nam poſito reali fundamento, & reali termino, realis conſurgit relatio: in Chriſto autem eſt reale fundamentum relationis proximum, & remotum, nempè, natura humana, & paſsiua generatio; & alias terminus realis exiſtit, ſcilicet, Beata Virgo.* Numero 181.

*Reſpondetur ex Diuo Thoma.* A numero 182. vſque ad num. 186.

*Tertio principaliter obijcitur: nam iuxta Diuum Thomam, non ſolum filiatio, ſed etiam generatio paſsiua, & natiuitas eſt propriè ſuppoſitorum, quorum, & non naturarum eſt propriè eſſe, fieri, pati, & agere, & non obſtante, quod ſuppoſitum Chriſti ſit aliquid increatum, eſt in illo realis natiuitas, & paſsiua generatio ex Virgine, vt docet idem Diuus Thomas.* Numero 187.

*Reſpondetur.* Numero 188.

*Et replicæ notandæ aduerſus ſolutionem, proponuntur, & ſoluuntur.* A numero 189. vſque ad numerum 192

*Denique principaliter obijcitur, ex eo quod relatio, qua humanitas Chriſti refertur ad Beatam Virginem, tanquam effectus ad cauſam, eſt relatio realis; at hæc eadem eſt relatio filiationis ad Virginem: Chriſtus ergo eſt realiter* relatiuè *Filius Beatæ Virginis.* Numero 193. & 194.

*Reſpondetur.* Num. 195. & 196.

*Et pluribus replicis notabilibus aduerſus ſolutionem fit ſatis.* A numero 197. vſque ad numerum 203.

TRACTATVS QVARTVS DECIMVS.

De Prædeſtinatione Chriſti. *Pagina* 773.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QUINTA.

An Chriſtus, vt homo, prædeſtinatus ſit eſſe Filius naturalis Dei?

§. PRIMVS.

Quibuſdam præſuppoſitis ratio dubitandi, proponitur. *Pag.* 775.

*QVot modis accipiatur prædeſtinatio, & quid requiratur ad prædeſtinationem ſtrictè acceptam, traditur.* Num. 1. 2. & 3.

*Chriſtum aliqua ratione eſſe prædeſtinatum, deſide eſt.* Num. 4.

*Quod in examen vocatur eſt, an Chriſtus, quatenus homo, aut hic homo ſit propriè prædeſtinatus ad eſſe Filium Dei naturalem? Et ratio dubitandi ſatis difficilis eſt: nam prædeſtinatio ſubiecti ad aliquem terminum petit, quod terminus ad quem ordinatur ex vi prædeſtinationis, non contineatur intrinſecè in ſubiecto prædeſtinato, eo quod ſubiectum ex vi prædeſtinationis ordinatum ad terminum, debet eſſe termino prius, illique ex gratia conueniens, & quod ad ipſum perueniat ex vi prædeſtinationis; ſi autem in ſe includit terminum, nequit terminum præcedere, nec illum ex vi prædeſtinationis habere, nec terminus ex gratia conuenire ſubiecto: cum ſupponatur iam habitus, & ad ſubiecti conſtitutionem pertineat; at Chriſtus, vt homo, vel hic homo (ſignato Chriſto) intrinſecè continet filiationem Dei naturalem: quia Chriſtus, vt homo, eſt compoſitus ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate; ſubſiſtentia autem Verbi eſt ipſa filiatio Dei naturalis, &c.* Num. 5.

*Qua ratione conuinctus Durandus, tenuit ſententiam negatiuam, & addit, minus propriam eſſe iſtam propoſitionem:* Hic homo (*ſignato Chriſto*) prædeſtinatus eſt eſſe Filius natu-

ralis Dei; *quam iſta*: Filius Dei prædeſtinatus eſt eſſe homo. *Cuius ſententiæ adhæſit Lorca, aſſerens, dictam propoſitionem admittendam eſſe vt veram; non tamen vt propriam, pro qua ſententia citat Diuum Bonauenturam, & alios.* Num. 6.

*Secunda, & probabilior ſententia affirmat propoſitionem iſtam*: Chriſtus, in quantum homo, prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis, *non ſolum eſſe veram, ſed propriam; ac per conſequens, Chriſtum, in quantum hominem, propriè fuiſſe prædeſtinatum eſſe Filium Dei naturalem. Hanc tenet D. Thom. & eius Diſcipuli, & plures alij extra Scholam D. Thom. qui citantur.* Num. 7.

*Quæ ſententia ſtatuitur pro concluſione. Et probatur celebri illo teſtimonio D. Pauli ad Romanos cap. primo*: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute. *Quem locum in rigore, & proprietate ſermonis intelligit, & explicat Divus Thomas.* Ibidem numero 8.

*Reſponderi poteſt prædictum locum varias interpretationes admittere diuerſas ab ea, quam aſſignauit Diuus Thom. ſed licet negari non poſſit has interpretationes, probabiles eſſe propter authoritatem Patrum, probabiliorem autem eſſe D. Thom. interpretationem, oſtenditur.* A num. 9. vſque ad 13.

*Secundo reſponderi poteſt cum Lorca, expoſitionem D. Thom. eſſe omnium probabiliſſimam, quatenus in ea verbum* prædeſtinatus, *accipitur in rigore, & quatenus pro termino aſſignatur filiatio naturalis Dei quoad eſſe, & non præciſè quoad manifeſtari, & hominibus declarari; ſed ex hoc non ſequi hanc propoſitionem: Chriſtus, in quantum homo, vel in hic homo Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis, ſit propria, ſed tantum, quod ſit vera: nam ad eius veritatem ſufficit, quod prædeſtinatum ſit ab æterno, hunc hominem (ſignato Chriſto) eſſe Filium naturalem Dei, quod non ſufficit ad proprietatem talis propoſitionis.* Num. 14.

*Prædictam ſolutionnem aduerſari Diuo Thoma, non ſolum defendenti veritatem dictæ propoſitionis, ſed etiam eius proprietatem, probatur expendendo plures authoritates Angelici Magiſtri.* A num. 15. vſque ad numerum 18.

*Deinde impugnatur prædicta ſolutio ratione.* Numero 20. 21. & 22.

*Secundo probatur concluſio auctoritate Diui Auguſtini, & ſolutiones, quas adhibent Vazquez, & Lorca, impugnatur.* A numero 23. vſque ad numerum 28.

*Tertio probatur alia auctoritate Diui Thom. & reijcitur explicatio Lorcæ tanquam omninò voluntaria.* Num. 29. 30. & 31

*Tandem probatur ratione ex locis Diui Thom. deſumpta: nam ad id, quod Chriſto, vt homini conuenit in tempore ex gratia, prædeſtinatus eſt ab æterno; at Chriſto vt homini conuenit per gratiã vnionis eſſe in tempore Filium naturalem Dei: Chriſtus ergo, vt homo, vel vt ſubſiſtens in humana natura prædeſtinatus eſt ab æterno, vt eſſet Filius Dei naturalis.* Num. 32.

## §. Secvndvs.

Quatuor ſolutiones rationis dubitandi excluduntur. *Pag.* 783.

*Prima ſolutio rationis dubitandi eſt Caietani, aſſerentis, Chriſtum vt hominem, meditari poſſe dupliciter. Primo, vt Incarnatum abſtrahendo à modo vero Incarnationis per vnionem perſonalem, & à modo ab hæreticis conficto per vnionem accidentalem. Secundo, vt Incarnatum per vnionem realem perſonalem: dicit ergo, Chriſtum primo modo conceptum, eſſe ſubiectum prædeſtinationis: ſecundo autem modo conceptum eſſe terminum.* Num. 33.

*Hæc Caietani ſubtilitas diſplicet, non ſolum exteteris, verum etiam Thomiſtis: & reijcitur.* A num. 34. vſque ad numerum 36.

*Secundus modus dicendi, eſt Cornelij aſſerentis, ſubiectum prædeſtinationis Chriſti eſſe Chriſtum, vt hominem, vel hunc hominem (ſignato Chriſto) vt concretum exiſtentiæ; non vero, vt concretum ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, fuiſſeque prædeſtinatum ad Diuini Verbi ſubſiſtentiam, per quam ex vi prædeſtinationis Filius Dei naturalis conſtituitur.* Num. 37.

*Hic modus dicendi tanquam à veritate, & à mente Diui Thom. alienus, reijcitur.* A numero 38. vſque ad numerum 41.

*Tertius modus dicendi eſt Patris Suarez, aſſerentis, ſubiectum prædeſtinationis eſſe hunc hominem ſingularem; non tamen conflatum ex hac ſubſiſtentia determinata, & natura humana vnita, ſed ex ſubſiſtentia hac, vel illa vagè ſumpta, vt abſtrahit ab humana, & diuina.* Numero 42.

*Qui modus dicendi tanquam diſſonans principijs D. Thom. reijcitur.* A numero 43. vſque ad numerum 46.

*Quartus modus dicendi eſt Patris Vazquez, aſſerentis, ſubiectũ prædeſtinationis eſſe hũc hominẽ*

*in concreto importata in recto natura, & connotata in obliquo subsistentia, non determinatè accepta, sed vagè; sed tit enim concreta substantiua naturarum directè significare, & supponere pro natura.* Num. 47.

*Qui modus dicendi licet falsus, parum tamen efficaciter ab aliquibus impugnatur, quorum impugnationes, reseruntur, & soluuntur.* A numero 48. vsque ad numerum 60.

*Efficacius vero impugnatur prædictus dicendi modus.* A numero 61. vsque ad numerum 66.

§. Tertius.

Examinantur duo alij modi dicendi. *Pagina* 790.

*Quintus modus dicendi, & occurrendi rationi dubitandi est, quorundam Recentiorum, qui distinguunt duos prædestinationis modos, alterum prædestinationis absolutæ, qua res aliqua per gratiam extra causas constituitur, & alterum prædestinationis respectiuæ, nempè, rem iam constitutam præintellectam ordinantem ad aliquem finem, qui gratiosus sit, & supra exigentiam subiecti. Docent igitur, Christum esse prædestinatum Filium Dei naturalem, non prædestinatione ordinatiua, sed prædestinatione absoluta.* Num. 67.

*Hic modus dicendi proprietatem prædestinationis Christi non saluat. Et impugnatur.* A num. 68. vsque ad num. 71.

*Sextus modus dicendi pro subiecto prædestinationis Christi constituit ipsum Christum, vt possibilem, & pro termino, Christum vt existentem, & quia existentia Christi, vt hominis, non includitur in Christo possibili, nec est de ratione illius, asserunt, quod quia Christus potuit non existere; & consequenter Filius Dei naturalis non esse, ly* esse *dicendo existentiam, potuit prædestinari, & de facto prædestinatus est, vt existeret, & esset Filius Dei. Ita Medina, & Aluarez.* Numero 72.

*Hic modus dicendi, non est conformis Augustino, nec Diuo Thom. nec veritati. Primum, & secundum ostenditur.* A numero 72. vsque ad numerum 74.

*Tertium autem, relictis impugnationibus minus efficacibus, & inefficacia detecta.* A numero 75. vsque ad num. 79.

*Impugnatur fortius.* A numero 80. vsque ad numerum 83.

*Argumentis autem in fauorem prædicti modi dicendi, & pluribus aliis replicis occurritur.* A numero 84. vsque ad numerum 99.

§. Quartus.

Explicatis subiecto, & termino prædestinationis Christi ratio dubitandi, diluitur *Pagina* 799.

*His modis dicendi relictis, asserendum est, Christum vt hominem, scilicet, vt subsistentem in humanitate, hac numero subsistentia esse propriè prædestinationis subiectum, fuisseque prædestinatum, vt in humanitate subsistens, etiam in Deitate subsisteret, & vt sic subsistens esset genitus à Deo Patre, & Filius naturalis illius. Quod probatur, tùm ex impugnatione aliorum modorum dicendi: tùm, quia est doctrina Diui Thom. tùm denique: nam inter Christum, vt hominem, & ipsum Christum, vt Deum, inuenitur sufficiens distinctio, ad rationem satisfacientis, & creditoris, & ad rationem merentis, & præmiantis: erit ergo sufficiens distinctio inter Christum vt hominem, & ipsum, vt Deum, ad hoc vt quatenus homo sit prædestinationis subiectū, & quatenus Deus, Deique Filius naturalis, sit prædestinationis terminus.* Num. 100.

*Vt rationi dubitandi occurratur, prænotatur primo: subiectum prædestinationis Christi esse duplex,* quod, & quo: *& similiter prædestinationis terminus dupliciter sumi pro termino* qui, & *pro termino* quo, *subiectum prædestinationis* quod, *est hic homo; subiectum* quo *est humanitas: terminus autem* qui, *est Filius Dei naturalis, & terminus* quo *est filiatio naturalis.* Num. 101.

*Secundo notatur, terminum* quo *à subiecto* quo *realiter distingui: terminus autem* qui *non differre realiter à subiecto* quod *prædestinationis Christi; inter subiectum autem* quod, & *terminum* qui *esse distinctionem virtualem, aut rationis.* Num. 102. & 103.

*Quibus suppositis ad rationem dubitandi respondetur, quod terminus* quo *prædestinationis petit non includi, in subiecto* quo *eiusdem prædestinationis. in subiecto autem prædestinationis* quod, *licet petat non includi formaliter: non tamen petit non includi realiter.* Num. 104.

*Sed contra hanc resolutionem obstant plura, & non leuia argumenta.*

*Primo arguitur, ex eo quod Christus, vt homo, importat formaliter, non solum humanitatem, sed etiam subsistentiam, per quam subsistit humanitas; subsistentia autem, per quam humanitas subsistit, est* formalissimè *Diuini Verbi filiatio: Christus ergo vt homo, qualiter est prædestinationis subiectum, formaliter claudit filiationem Dei.* Num. 105.

# Index Diſputationum.


*Reſpondetur ad hoc argumentum cum tribus alijs replicis notabilibus.* A num. 106. vſque ad numerum 113.

*Secundo arguitur, ex eo quod eo ipſo, quod terminus realiter includatur in ſubiecto, non poteſt illi conuenire ex gratia, eo quod id, quod neceſſario conuenit alicui ſubiecto, nequit illi ex gratia conuenire; eo autem ipſo, quod realiter conueniat ſubiecto, neceſſario illi conuenit, id ipſum tribus alijs probationibus ſuadetur.* Num. 114. 115. & 116.

*Reſpondetur.* A numero 117. vſque ad numerum 130. *Vbi plures replicæ notabiles diſſoluuntur.*

*Tertio principaliter arguitur, ex eo quod humanitas non eſt ſubiectum* quo *prædeſtinationis Chriſti, quia quod non eſt ſubiectum* quo *termini prædeſtinationis, non eſt ſubiectum* quo *prædeſtinationis, ſicut quod non eſt ſubiectum* quod *termini, ſubiectum* quod *prædeſtinationis non eſt* Num. 131.

*Reſpondetur.* Numero 132. & 133.

*Plura autem, quæ aduerſus ſolutionem opponi poſſunt, diluuntur.* A num. 134. vſque ad numerum 144.

*Quarto arguitur, ex eo quod Verbum, vt in humanitate ſubſiſtens, eſt terminus prædeſtinationis Chriſti, quia id eſt terminus prædeſtinationis, quod ab æterno eſt diſpoſitum, vt per gratiam in tempore fiat: ab æterno autem diſpoſitum eſt, vt per gratiam vnionis in tempore Verbum in humanitate ſubſiſtat; quod etiam tribus alijs probationibus ſuadetur: ergo vt ſic nequit eſſe terminus, quia ſubiectum, & terminus aliqua ratione debent diſtingui.* Num. 145. & 146.

*Ad argumentum cum pluribus alijs replicis, fit ſatis.* A numero 147. vſque ad numerum 156.

*Denique arguitur: nam licet factum ſit, quod hic homo eſſet Filius naturalis Dei: hæc tamen propoſitio:* Hic homo factus eſt Deus, vel Filius Dei naturalis, *non eſt vera in rigore ſermonis, vt docet Diuus Thomas in hac tertia parte quæſt. 16. artic. 7. & in hac quæſtione art. 1. ad 3. Pariter ergo quamuis ſit prædeſtinatum, quod hic homo (ſignato Chriſto) eſſet Filius naturalis Dei; hæc tamen propoſitio:* Hic homo prædeſtinatus eſt eſſe Filius Dei naturalis, *non poteſt in proprietate ſermonis concedi.* Num. 157.

*Solutio, quam adhibet Pater Vazquez huic argumento, refertur, & vt inſufficiens reijcitur.* A numero 159. vſque ad numerum 161.

*Alia ſolutio Patris Suarez, tanquam inſufficiens, reijcitur.* Num. 162. & num. 163.

*Solutio alia Cardinalis Lugo, refertur.* Num 164. & refellitur num. 165.

*Quare his dicendi modis relictis vera ſolutio argumenti, traditur.* A numero 166. vſque ad numerum 168.

## §. Vltimvs.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pagina* 816.

*Ex dictis in diſcurſu Diſputationis, colligitur primo, veram eſſe iſtam propoſitionem:* Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis, *etiamſi non addatur particula* in quantum homo: *quia quando prædicatum habet vim appellandi, etiam ſi ex parte ſubiecti non exprimatur ſignum ſpecificatiuum, facit ſubiectum ſtare, non pro materiali abſolutè, ſed ratione ſignificati formalis.* Num. 169.

*Contrarium docuit Vazquez.* Num. 170.

*Cuius fundamento reſpondetur.* Num. 171.

*Secundo colligitur, hanc propoſitionem:* Filius Dei prædeſtinatus eſt eſſe homo, *non eſſe veram in rigore ſermonis: & probatur.* Numero 172.

*Tertio infertur, non eſſe concedendum, quod Filius Dei prædeſtinatus ſit ad gloriam ſibi eſſentialem, nec ad beatitudinem creatam humanitatis.* Numero 173.

*Quarto colligitur, non eſſe concedendam iſtam propoſitionem:* Filius Dei prædeſtinatus eſt Filius Dei: *quem autem verum ſenſum poſſit admittere, traditur.* Num. 174.

*Ea quæ opponi poſſunt huic conſectario, vide.* Numero 175. 176. & 177.

*Quinto colligitur, humanitatem Chriſti non poſſe dici proprie prædeſtinatum ad gloriam, nec ad filiationem Dei naturalem, vtramque docet D. Thom.* Num. 178.

*An autem hæc ſit cum proprietate admittenda: Humanitas Chriſti prædeſtinata eſt ad vnionem hypoſtaticam? Affirmat Vazquez, quem alij Recentiores ſequuntur.* Num. 179. & 180.

*Negant Medina, Cabrera, & alij ex Thomiſtis.* A num. 181. vſque ad numerum 184.

*Litigium eſt de ſolo nomine, & quomodo loquendum ſit, traditur.* Numero 185. 186. & 187.

*Et obiectionibus contra reſolutionem iſtam, reſpondetur.* A numero 188. vſque ad numerum 191.

*Ex quibus conſequitur reſolutio alterius dubij, an,*

*scilicet, Christ⁹, vt homo possit dici prædestinatus ad gloriã, & cætera dona, quæ consequũtur vnionem?* Nu. 192.

*Quid senserint Scotus, Durandus, Suarez, & Vazquez.* Ibidem.

*Asserendum est primo: essentialem animæ beatitudinem non fuisse finem principaliter intentum per Christi prædestinatione n, doctrina est D. Thom.* Num. 193.

*Secundo asserendum est:* Christum, vt homi nem non dici prædestinatum simpliciter,& absoluté ex ordine ad beatitudinem. *Ita Thomistæ, probatur, & ab impugnationibus liberatur.* A num. 195. vsque ad 209.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEXTA.

An Christus nobis meruerit nostram prædestinationem?

§. PRIMVS.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 825.

*PRo tituli intelligentia, & vt ad punctum difficultatis accedatur, notatur primo, prædestinationem accipi, & pro actu increato secundum entitatem, & intrinsecam perfectionem. Secundo pro eodem actu secundum terminationem liberam actiue consideratum. Tertio terminatiuè passiuè. Primo modo accepta non potest habere causam, in secunda consideratione dissidium est inter Theologos, an habeat causam. Tertio modo accepta sicut effectus prædestinationis causantur, etiam prædestinatio causatur secundum terminationem passiuam.*

*Secundo notatur, prædestinationem Christi fuisse causam finalem prædestinationis nostræ. Tertio fuisse nostræ prædestinationis exemplar.*

*Deinde notatur prædestinationem (quæ in actu practico intellectus supponente electionem, & antecedente vsum, illumque regulante consistere, dictum est prima parte quæstione 23.) diuersa decreta importare circa gratiam, & gloriam: nam connotat antecedenter efficacem electionem ad gloriam, & gratiam liberalem, & gratuitam spectantem ad ordinem intentionis: & importat consequenter decretum executiuum mediorum efficaciter conducentium ad gloriam.* A num. 1. vsque ad 6.

*Variæ sunt Theologorum sententiæ in hac parte. Prima negat, meruisse Christum nostram prædestinationem adæquate, siue pro decreto intentiuo, siue executiuo sumatur. Secunda docet, meruisse illam quoad decretum executiuum, secus quoad decretum efficax intentiuum. Tertia, meruisse illam quoad decretum intentiuum, & executiuum. Dissidium autem quod inter Auctores huius sentẽtiæ versatur, explicantes veram sententiam apparebit, Auctores citantur.* Numero 7. 8. & 9.

*Prima conclusio.* Meruit Christus prædestinationem nostram sumptam pro decreto executiuo adæquate: quod autem ita contigerit, non est catholica veritas: sed tantum probabilior sententia. *Prima pars probatur ex Paulo ad Ephesios 1. illis verbis:* Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in id ipsum. *Numero* 10.

*Solutiones quæ ab aduersarijs adhibentur argumento sumpto ex auctoritate D. Pauli, referuntur, & impugnãtur.* A num. 11. vsque ad numerum 18.

*Secundo, & efficacius suadetur conclusio, ex eo quod non stat mereri omnes nostræ prædestinationis effectus; & non mereri prædestinationem sumptam pro decreto exequenti. Christus autem meruit omnes nostræ prædestinationis effectus à primo vsque ad vltimum. Hæc ratio prosequitur, & præmissæ probantur.* A num. 19. vsque ad num. 23.

*Secunda conclusionis pars, quæ statuitur contra Vazquez, probatur ex eo quod non est veritas catholica, quod Incarnatio Christi non sit nostræ prædestinationis effectus, & similiter merita Christi, quod prosequitur, & obiectionibus fit satis.* A num. 24. vsque ad num. 35.

§. SECVNDVS.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 832.

*ADuersus primam partem conclusionis arguitur primo, ex eo quod Christus non meruit omnes nostræ prædestinationis effectus, quia non meruit nobis applicationem baptismi, quæ nostræ prædestinationis effectus est, vt videtur docere D. Tho.* Num. 36. & 37.

*Respondetur.* A num. 38. vsque ad numerum 42.

*Secundo principaliter arguitur, ex eo quod auxilia sufficiẽtia, reprobis, & prædestinatis communia, non sunt præmium meritorum Christi, cum ea auxilia sint effectus voluntatis antecedentis, qua*

# Index Diſputationum.


*Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quæ volũtas prior eſt decreto mittendi Chriſtum, &c.* Num. 43.

*Reſpondetur primo.* Num. 44.

*Reſpondetur ſecundo.* Num. 45.

*Et quibuſdam replicis fit ſatis.* A num. 46. vſque ad num 51.

*Denique arguitur, ex eo quod Incarnatio Chriſti, fuit primus, & potiſſimus noſtræ prædeſtinationis effectus: Chriſtus autem ſuam Incarnationem non meruit, &c.* Num. 52.

*Huius argumenti vera ſolutio inferius tradetur, ſolutio Medinæ, refertur, & reijcitur.* Numero 53.

§. Tertius.

Chriſtum electionem efficacem ad gloriam, prout eſt dilectio, meruiſſe. *Pag.* 837.

*Secunda concluſio.* Meruit Chriſtus electionem efficacem prædeſtinatorum ad gloriam ſub ratione dilectionis, non aliquorum vage, ſed determinate horum, qui prædeſtinati ſunt.

*Prima par. probatur primo, ex D. Paulo ad Epheſios primo illis verbis* : Qui benedixit nos omni benedictione in cęleſtibus in Chriſto Ieſu; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem *Num.* 54. & 55.

*Secundo probatur ratione, ex eo quod Chriſtus præuiſus fuit merens ante electionem efficacem prædeſtinatorum ad gloriam, quia in ſententia Scoti, & diſcipulorum eius, contra quos procedit concluſio, Chriſtus fuit finis prædeſtinationis hominum, & electionis illorum ad gloriam, & efficaciter intentus ante hominum electionem; in hac autem efficaci intentione potuit Chriſtus vt merens videri.* Num. 56.

*Solutio Scoti, & diſcipulorum eius refertur.* Nu. 57.

*Sed efficaciter impugnatur.* A num. 58. vſque ad 61.

*Secunda pars probatur, ex illo Ioannis 15.* Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Secundo, quia ſi Chriſtus ſolum meruiſſet electionem aliquorum, & non iſtorum determinatè, non eſſent iſti præ alijs ſpecialiter obligati, quoad primam electionem ad gloriam.* Num. 62.

§. Quartus.

Argumenta contrariorum diluuntur. *Pagina* 839.

*Aduerſus concluſionem arguunt primo Auctores oppoſiti, ex eo quod in Scriptura diſtinguitur, inter prædeſtinationem, & electionem, & prædeſtinatio meritis Chriſti attribuitur, electio autem beneplacito diuinæ voluntatis, quæ diſtinctio non aliter poteſt ſaluari, niſi prædeſtinatio in ordine executionis adſcribatur meritis Chriſti, in ordine autem intentionis anteuertat Chriſti merita, quod dupliciter confirmatur.* A nu. 63. vſque ad nu. 65.

*Reſpondetur.* A num. 66. vſque ad numerum. 69.

*Arguunt ſecundo, ex eo quod prædeſtinatio noſtra eſt tã gratuita ac prædeſtinatio Chriſti: at hæcita eſt gratioſa vt nulla merita ſupponat: prædeſtinatio ergo noſtra quoad decretum intentiuum nõ eſt ex meritis Chriſti.* Num. 70.

*Reſpondetur.* Num. 71.

*Tertio arguunt: Chriſtus, vt conſtat ex oratione Toã nis 17. non petijt à Patre vt prædeſtinatos eligeret, ſed vt electionem cõpleret illos à malo ſeruãdo, & dando eis vitam æternam: non ergo meruit electionem intentiuam, ſed tantum complementum, & executionem.* Num. 72.

*Reſpondetur.* Num. 73.

*Denique, & efficacius obijciunt: nam meritum Chriſti fuit effectus electionis efficacis prædeſtinatorum ad gloriam, eo quod voluntas efficax medij efficaciter conducentis ad finem, neceſſario præſupponit efficacem finis intentionem; & conſequenter electio intentiua prædeſtinatorum non fuit præmium meritorum Chriſti.* Num. 73. & 74.

*Prima ſolutio aſſerentium, medium amatum efficaciter in ordine ad finem ab actu voluntatis diſtinctum, ſupponere neceſſario efficacem intentionem finis: ſecus autem quando eligitur in ordine ad actum voluntatis vt finem; reijcitur.* A num. 75. vſque ad 77.

*Secunda ſolutio, quæ colligitur ex Vazquez, conſiſtens in eo quod id ſolum efficacem electionem ad gloriam ſupponit, & ex illa imperatur, quod propriè eſt gratia reſpectu prædeſtinati; ſecus autẽ id, quod quamuis ad finem prædeſtinationis concurrat, gratia tamen non eſt propriè reſpectu prædeſtinati: merita autem Chriſti, licet conducant ad finem noſtræ prædeſtinationis, non ſunt propriè gratia. Diſplicet, & reijcitur.* A num. 78. vſque ad 80.

*Tertia ſolutio quorundam Recentiorum aſſerentiũ, merita Chriſti Domini poſſe eſſe effectus imperatos ex electione efficaci prædeſtinatorum ad gloriam, & nihilominus meritoriè illam cauſare præcedente mutua cauſalitate in diuerſo genere*

cause, impugnatur. Numero 81. & nume ro 82.

Quarta solutio P. Suarez, quam ex parte sequitur noster Albelda, distinguentis duplex genus actionum, scilicet, generalem affectum Christi ad gloriam Patris querendam, & speciales aliquas actiones, orandi pro hoc, vel illo, & offerendo aliquam actionem pro beneficio præstando his potius, quam illis. Qua distinctione supposita docet, meritum fundatum in actionibus primi generis, non esse effectum electionis prædestinatorum ad gloriam: bene tamen meritum in alijs actionibus fundatum. Ex quo (inquit) sequitur, Christum non meruisse electionem prædestinatorum ad gloriam per actiones speciales; nō autē quod per actiones primi generis illā non meruerit. N. 83. & 84.

Hic modus dicendi impugnatur §. sequenti.

§. Quintvs.

Reijcitur iste modus dicendi, & explicatur quibus meritis Christus electionem prædestinatorum meruerit. Pag. 844.

Tertia conclusio. Meruit Christus electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam, per actiones non indifferenter oblatas, sed specialiter applicatas pro electis.

Hanc conclusionem tuentur contra Suarez, Vazquez, Herice, Alarcon, & alij plures: & probatur ab his Auctoribus, ex eo quod, vt cōstat ex Luca cap. 22. Christus perseverantiam postulauit pro electis, & consequenter æternam salutem; sed meritum alicuius doni, est etiam meritum, æternæ electionis ad illud, &c. Num. 85.

Quod argumentum inefficax esse monstratur. Nu. 86.

Aliter probatur conclusio, ex illis verbis Ioannis 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Quilocus ad intentum inducitur iuxta explicationem D. Thom. sumptam ex Augustino. Nu. 87.

Secundo probatur: nam si electio prædestinatorum ad gloriam non esset ex meritis Christi specialiter applicatis pro illis, sed pro omnibus indifferenter oblatis, sequeretur prædestinatos non esse Christi affectui specialiter obligatos; consequens est nimis durum. Num. 88.

Solutiones, quæ huic argumento assignantur, & assignari possunt, referuntur, & late impugnantur A num. 89. vsque ad nu. 98.

Denique probatur conclusio, ex eo quod vt electio prædestinatorum sub ratione dilectionis, sit præmium meritorum Christi, del et necessario supponi applicatio meritorū specialiter pro illis: Suarez autem fatetur electionem sub ratione dilectionis fuisse præmium meritorum Christi: tenetur ergo fateri præsupponi ad electionem applicationem specialem meritorum Christi pro electis. Num. 99.

Duæ solutiones, quæ huic argumento assignantur, reijciuntur. Numero. 100 & 101.

§. Sextvs.

Vera solutio vltimi argumenti traditur, & alijs argumentis occurritur. Pag. 848.

Relictis ergo prædictis solutionibus, ad argumentum factum respondetur, quod licet merita Christi efficaciter conducant ad æternam prædestinationem; non tamen conducunt vt media ex illius amore electa, sed vt causæ. Numero 102.

Deinde contra tertiam conclusionem arguitur, ex eo quod Ioannis 17. fatetur, Christus prædestinatos esse sibi à Patre datos; at si Christus speciali applicatione meritorum ex iustitia meruisset eorum electionem, non possent dici dati. Numero 103.

Respondetur facile. Num. 104.

Secundo arguitur, ex eo quod Christus Antiquis Patribus non meruit specialem dilectionem per actiones specialiter applicatas pro illis: nam specialis actio pro Patribus Antiquis, vel esset oratio, qua Christus postulasset gratiam, & hoc non, quia oratio est respectu doni, non dati sed conferendi; gratia autem supponitur Antiquis Patribus data. Vel esset gratiarum actio pro gratia illis antea collata; & hoc non potest dici: nam actio essentialiter aliud supponens, non potest esse meritoria illius, sed gratiarum actio pro aliquo beneficio, beneficium datum essentialiter supponit. Nu. 105.

Propter hoc argumentū Vazquez ait, excipiendos esse Antiquos Patres à merito Christi specialiter applicato pro illis. Num. 106.

Sed reijcitur. Ibidem, & numero 107.

Secunda solutio Recentiorum asserentium, quod quādo præuidetur aliquod beneficium decretatum esse dependenter ab alterius oratione post beneficium factum fundenda; prudenter potest pro tali beneficio tametsi iam facto orari; Christus autem benemeruit decretum voluntatis diuinæ de gratia Antiquis PP. danda dependenter ab oratione Christi futura. Num 108.

Sed nec placet ista solutio, & reijcitur. A numero 109. vsque ad 112.

*Ad argumentum ergo reſpondetur, diuiſionem illam in eo factam non eſſe adæquatam, itaque potuit Chriſtus meritum ſpecialiter ad PP. Antiquos dirigere per actus obedientiæ, charitatis, & humilitatis.* Numero 113.

*Et inſtatur argumentum manifeſtè in ſententia P. Suarez.* Num. 114.

*Tertio arguitur ab inconuenienti. nam ſequitur ex noſtra ſententia, voluntatem diuinam in negotio prædeſtinationis expectaſſe voluntatem humanam Chriſti, & illi ſe conformaſſe, non è contra, hoc autem maximum inconueniens videtur eſſe.* Num. 115.

*Reſpondetur concedendo ſequelam, pro prima, & ſecunda parte, & negando illam pro tertia parte, nec hoc eſt vllũ inconueniens, nam quod Chriſtus pro his hominibus eligendis ſua merita applicuerit, fuit præ volitum à voluntate diuina inſpirante Chriſto huiuſmodi ſpecialem directionem, & ad illam ſuam voluntatem humanam applicante, & præmouente.* Num. 117.

*Sed contra hanc ſolutionem obſtat quartum argumentum: nam iuxta illam ideo Chriſtus ſua merita pro his eligendis ſpecialiter applicat, quia Deus vult meritorum Chriſti ſpecialem applicationem. ſed volitio diuina ſpecialis applicationis meritorum Chriſti pro electis, ſupponit efficacem electionem illorum, & ex illa imperatur. Quod tripliciter, & ſatis efficaciter probatur ab his Auctoribus.* Anum. 118. vſque ad numerum 121.

*Ad hoc argumentum, quod ſanè difficile eſt, cum pluribus alijs replicis emergentibus, & notatu dignis, reſpondetur.* A num 122. vſque ad n. 133.

§. Septimvs.

De electione ſub conceptu electionis. *Pag.* 855.

*Quarta concluſio.* Meruit Chriſtus electionem efficacem prædeſtinatorum ad gloriam, ſub conceptu electionis, ideſt, ſub ratione dilectionis præ deſtinatorum præ reprobis: non tamen meruit reprobationem hominum negatiuã, aut poſitiuam.

*Prima pars concluſionis probatur ex illo loco Pauli ad Epheſios 1.* Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem *Ex quo loco iuxta communem explicationem PP. probatur concluſio.* Num. 134.

*Euaſiones aduerſariorum præcludantur.* Numero 136. 137. & 139.

*Secunda pars concluſionis probatur primo ex Paulo ad Hebræos 12. iuxta explicationem D. Thom. quæ communis eſt apud PP.*

*Secundo probatur ex PP. ad illa verba Matthæi* 11. Confiteor tibi pater, &c. Numero 140.

*Denique probatur: nam Chriſtus in primo aduentu geſſit munus fideiuſoris, & mediatoris pro hominibus, aduocati, & redemptoris, cui muneri non conuenit ſua merita dirigere ad promerendum, quod hominibus gratia, & beneficium non eſt, ſed potius negatio gratiæ, &c.* Num. 141.

§. Octavvs.

Oppoſita argumenta diluuntur. *Pagina* 857.

*Contra primam partem concluſionis arguit Suarez, vt Chriſtus meruiſſet electionem prædeſtinatorum præ reprobis, neceſſe erat quod ſua merita applicuiſſet determinatè pro electis, ante illorum electionem: hoc autem non potuit contingere, & c.* Num. 142.

*Reſpondetur negando minorem: & argumentum inſtatur in ſententia Suarez.* Num. 143.

*Secundo arguitur, ex eo quod meritum electionis cõparatiuæ eſt meritum dilectionis vnius, & non dilectionis alterius; at Chriſtus non meruit non dilectionem, vel non electionem reproborum, vt in ſecunda parte concluſionis dictum eſt, &c.* N. 144.

*Solutio Recentiorum aſſerentium, non eſſe de eſſentia electionis comparatiuæ, vnum eligi, & alium non eligi, ſed non eligi ex vi decreti quo alter eligitur, reijcitur.* Num. 143.

*Vera ſolutio aſſignatur.* Num. 146. & ſequenti.

*Et replicis aduerſus illam reſpõdetur.* A num. 148. vſque ad 151.

*Deinde contra ſecundam partem concluſionis arguitur, ex eo quod Chriſtus poſtulauit à Patre excluſionem reproborum à gloria, quod ſuadetur à paritate quorundam iuſtorum, qui id poſtulauerunt, & ex illis verbis Ioannis cap. 17.* Nunc autẽ pro eis rogo, non pro mundo, &c. Numero 153.

*Reſpondetur.* Num. 154.

*Sed aduerſus ſolutionem tripliciter replicatur.* Nu. 155. & 156.

*Sed reſpondetur.* A num. 157. vſque ad numerum 159.

*Sed ſupereſt contra dicta quædam difficultas: nam in frequentiori Theologorum doctrina, non ſolum permiſſio peccati in electis, ſed etiam permiſſio peccati*

*catiin reprobis est effectus prædestinationis electorum: & consequenter meritorum Christi, qui meruit omnes nostræ prædestinationis effectus.* Num. 160.

*Respondetur.* Numero 161. 162. & numero 163.

§. NONVS.

Explicatur modus quo erga decreta diuina exercuit Christus meritoriam causalitatē. *Pag.* 862.

QVinta conclusio. Merita Christi nō exercent causalitatem meritoriam erga diuina decreta, sub conceptu terminationis actiuæ, formaliter, nec virtualiter, vt in se, & ratione sui, sed vt in bonitate diuina eminenter contenta.

*Conclusio est communis inter discipulos D. Thom. qui citantur.* Num. 164.

*Et prima pars illius probatur ex D. Thom. 1. parte quæst. 19. art. 5. Vbi docet, voluntatis diuinæ sumptæ pro actu, nullam posse causam assignari.* Num. 164.

*Communis responsio est D. Thom. loqui de actibus voluntatis diuinæ secundum intrinsecam perfectionem, & entitatem; non tamen excludere, quod decreta libera Dei sub conceptu liberæ terminationis actiuæ terminent causalitatem meritoriam operum Christi.* Num. 165.

*Hæc tamen responsio impugnatur.* Num. 166. 167. & 168.

*Secundo probatur prima pars conclusionis, ex eo quod decretum sub conceptu terminationis actiuæ est aliquid increatum; increato autem repugnat ab aliquo dependere, & causari.* Numero 169.

*Tres solutiones, quæ assignari possunt, proponuntur.* Num. 170.

*Sed refutantur.* Numero 171. 172. & numero 173.

*Deinde secunda pars conclusionis probatur, ex eo quod causans virtualiter aliud, dicitur, & est ratio illius; at Deo nil præter Deum potest esse ratio volendi, vt docet D. Thom. Secundo probatur explicando quid sit virtualiter ab alio causari.* Num. 174.

*Tandem vltima pars probatur: nam merita Christi Domini aliqua ratione mouent voluntatem diuinam; sed non meritoriè formaliter, nec meritoriè virtualiter in suo esse formali; ergo mouent illam, vt eminenter in Dei bonitate cōtenta. Quod tribus exemplis confirmatur.* Num. 176. & 177.

§. VLTIMVS.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 865.

COntrariam sententiam nostræ conclusioni tenent Suarez, Vazquez, & alij citati. Nu. 178.

*Et contra conclusionem arguitur primo, ex eo quod actum aliquem sub merito cadere, est à meritis moueri; sed decretum Dei prædestinantis cecidit sub meritis Christi, ab illis ergo motum fuit.* Num. 179.

*Respondetur solutione insinuata inter probandam cōclusionem.* Ibidem.

*Contra quam solutionem tres obiectiones notandæ opponuntur, & soluuntur.* A num. 180. vsque ad num. 184.

*Sed adhuc aduersus hucusque dicta, insurgunt aliæ tres obiectiones notatu dignæ, quæ proponuntur, & diluuntur.* A num. 185. vsque ad numerum 190.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

An Christus meruerit prædestinationem Angelorum sub termination ad gratiam, & gloriam?

§. PRIMVS.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag.* 868.

SVpponitur primo, Christum Angelis damnatis non meruisse beatitudinem.

*Secundo supponitur, non redemisse Angelos bonos.*

*Deinde cũ communi Theologorum sententia supponitur, Christum pro Angelis mortuum non fuisse, & in examẽ vertitur, an meruerit Angelis beatis gratiam, gloriamque essentialem?*

*Qua in re duplex è regione opposita versatur sententia, prima negans, secunda affirmans.* Anu. 1. vsque ad numerum 5.

*Auctores ibidem citantur.*

## §. SECVNDVS.

Prædicta sententia pro conclusione statuitur. *Pag.* 869.

*SEntentia affirmans pro conclusione statuitur, quæ probatur à Suarez pluribus Sacræ Scripturæ testimonijs, quæ licet non omnino conuincant, tamen satis probabilem reddunt conclusionem.*

*Deinde probatur, ex eo quod Christus non solum hominum, sed etiam Angelorum fuit caput: ratione autem capitis est influere vitam in membra* Num. 6.

*Solutiones, quæ assignari possunt referuntur.* Num 7.

*Impugnantur autem.* Ibidem, & Numero 8.

*Secundo probatur conclusio ex PP. & effugia præcluduntur.* Num. 9 10 & 11.

*Tertio probatur testimonijs D. Thom. quæ expenduntur, & euasionibus occurritur.* A num. 12. vsque ad 15.

*Denique probatur ratione, ex eo quod Christo attribui aeberet quidquid dignitatis est, nisi oppositum sit reuelatum, vel ex reuelatis efficaciter colligatur: Christum autem meruisse Angelis gratiam, & gloriam est dignitas ipsi possibilis, & oppositum nec reuelatum est, nec ex reuelatis colligitur.* Num. 16.

*Plures solutiones, quæ huic argumento adhiberi solent, referuntur, & latè impugnantur.* A num. 17. vsque ad num. 26.

## §. TERTIVS.

Argumentis ab auctoritate occurritur. *Pag.* 874.

*PRimum argumentum contrariorum sumitur ex duplici loco Sacræ Scripturæ.* Num. 27. & 28.

*Cui fit satis.* Numero 29 & 30.

*Secundum argumentum sumitur ex pluribus auctoritatibus D. Thom. quæ expenduntur.* A num. 31. vsque ad 34.

*Respondetur, & explicatur mens D. Thom.* A nu. 35. vsque ad 44.

## §. VLTIMVS.

Cætera argumenta diluuntur. *Pag.* 879.

*TErtium argumentum procedit, ex eo quod si Angeli accepissent gratiam iustificantem ex meritis Christi, sanctificati fuissẽt illius sanguine, & passione: hoc autem falsum esse suadetur, tum ex D. Bernardo, tum ex Augustino, tum denique, quia aliàs Christus mortuus fuisset pro Angelis.* Num. 45. & 46.

*Solutio P. Suarez negãtis, Christum per suam passionem, & mortem meruisse Angelis gratiam, sed per actus charitatis, & aliarum virtutum refertur, & reijcitur.* Num. 47. & 48.

*Vera solutio assignatur, & replicis emergentibus occurritur.* A num. 49. vsque ad numerum 53.

*Vltimum argumentum procedit, ex eo quod decretum mittendi Christum fuit posterius peccato primi parentis; illiusque præuisionem supponit; peccatum autem primi parentis supposuit Angelorum peccatum, & hoc Angelorum gratiam: decretum ergo mittendi Christum fuit posterius de-*

creto

*creto gratiæ iustificantis Angelos.* Numero 54.

*Solutio distinguentium duplex decretum dandi gratiam Angelis, alterum antecedens Christum, omnino liberale, alterum subsequens Christum, & ex illius meritis, refertur, & impugnatur.* Anum 54. vsque ad 57.

*Vera solutio argumenti distinguit erga Christum duplex decretum, vnum intentiuum, alterum executiuum: primum non supponit præuisionem peccati originalis: secundum fuit posterius præuisione peccati Adami, vt absolute futuri. Ex vi autem primi decreti præuisus fuit Christus veniens in carne passibili, orions, & merens, & intuitu meritorum Christi præuisi in tali decreto fuit Angelis collata gratia.* Num. 58. & 59.

*Ex dictis colligitur primo, Christum Angelis meruisse, non solum gratiam habitualem, sed etiam auxilia actualia.*

*Colligitur secundo, meruisse illis prædestinationem sumptam, non solum pro decreto executiuo; sed etiam pro decreto intentiuo gloriæ, & gratiæ iustificantis.* Num. 60.

(.?.)



# TRACTATVS DECIMVS.

## De Potentia Animæ Christi.

DE Quo D. Thom. in primo dist. 43. art. 1. 2. & 3. In 3. Sentent. dist. 14. q. 1. art. 4. ad Annibaldum in eadē distinctione, & quæst. art. 5. & in hac 3. p. q. 13. quam diuidit in quatuor articulos. Docens in primo: *animam Christi non habuisse omnipotentiam simpliciter*, quod probat in argumento sed contra; *nam illud, quod est proprium Dei, non potest alicui creaturæ conuenire; sed proprium est Dei esse omnipotentem, secundum illud Exodi 15.* Iste Deꝰ meus, & glorificabo eum. *Et postea subditur*: Omnipotens nomen eius: *ergo anima Christi; cum sit creatura, non habet omnipotentiam.* Deinde id probat in corp. art. *nam potentia cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi; forma autem, vel est ipsa rei natura, vel naturam cōstituit: vnde manifestum est, quod potentia cuiuslibet rei, consequitur naturam ipsius; ac proinde omnipotentia consequenter se habet ad naturam diuinam: anima autem Christi est pars humanæ naturæ: ergo est impossibile, quod habeat omnipotentiam.* Articulus primus.

In secundo articulo docet: *non habuisse omnipotentiam respectu immutationis creaturarum*, quod probat in argumēto sed contra: *nam eiusdem est transmutare creaturas, cuius est conseruare; sed hoc est solius Dei, secundum illud Hebræorum 1.* Portans omnia Verbo virtutis suæ: *ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarū.* Articulus secūdus.

*non ergo conuenit animæ Christi.* In corpore artic. præmittit primo. *Triplicem esse creaturarum transmutationem. Prima est naturalis, quæ fit à principio agente secundum ordinem naturæ. Secunda est miraculosa, quæ fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem, & cursum naturæ: sicut resuscitatio mortuorum. Tertia est, secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil.*

*Secundo præmittit: animam Christi considerari posse dupliciter. Vno modo secundum propriam naturã, & virtutem. Alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti.* His præsuppositis docet: *animam Christi secundum propriam naturam, & virtutem, siuè naturalẽ, siuè gratuitã, habuisse potẽtiã ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ cõuenientes, prout autem est instrumentum Verbi habuisse instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas ordinabiles ad incarnationis finem, non autem ad immutationes creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil: nam istæ correspondent creationi rerum, prout ex nihilo producuntur, solus autem Deus potest creare; & consequenter solus Deus potest illas in nihilum redigere.*

Articulus tertius.

In tertio articulo docet: *animam Christi secundum propriam naturam, & virtutem, sicut non poterat immutare exteriora corpora, ita etiam non potuisse, proprium corpus immutare à naturali dispositione; eo quod anima secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum corpus, prout vero erat instrumentũ Verbi sibi hypostaticè uniti, fuisse illi totaliter subiectam omnẽ propriĩ corporis dispositionem, quia tamen virtus actionis, non propriè attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur Verbo Dei, quam animæ Christi.*

Articulus quartus.

In quarto articulo inquirit: *Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis?* Quod idẽ est, atque inquirere, an potuerit exequi omnia, quę voluit? Et respondet: *animam Christi potuisse exequi, quidquid voluit, quasi per se implendum;* & rationem reddit: *non enim*

*conueniret sapientiæ eius, vt aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subiaceret.* Quæ doctrina intelligenda est de ijs omnibus, quæ per se ipsum facere poterat, vel per virtutem naturalem, vel per virtutem gratuitam, & super naturalem, qua non vt instrumentum, sed vt causa principalis agebat; *id autem, quod voluit, vt implendum virtute diuina, sicut resuscitationem propriꝝ corporis, & alia huiusmodi miraculosa opera non potuisse exequi propria virtute, sed secundum quod erat diuinitatis instrumentum.*

Contra quam doctrinam non obstat, id, quod dicitur Matth. 1. quod ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Ex quo sequi videtur, non potuisse in omnibus exequi suæ voluntatis propositum. Vt enim docet D. Thom. solutione ad 1. ex Parente Augustino. *Quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus: à suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit, & ita factum est.* Secundo respondet, *voluntatem istam Christi non fuisse de eo, quod per ipsum fiendum erat, sed de eo, quod erat fiendum per alios, quod non subiacebat humanæ voluntati ipsius.* Ex qua doctrina constat, animam Christi secundum propriã virtutem, non habuisse omnipotentiam respectu eorum, quæ voluit, vt adimplenda per alios; ad illa tamen virtutẽ habebat, vt instrumentum diuinitatis; poterat enim, vt Verbi instrumentum in actus alienæ voluntatis influere. An autem prædicta voluntas, efficax fuerit. An autem veletas, seu voluntas inefficax? Non est vna Theologorum sententia, quibusdam primum, alijs secundum docentibꝰ. Certum est non fuisse efficacem efficacia infalibiliter cum effectu connexa; quandoquidem non fuit effectum sortita; non enim fuit occultatus; quod tamen Christus, iuxta secundam solutionem D. Thomæ volebat, nec isto efficaciæ genere, potest vnus homo efficaciter velle id, quod ex alterius pendet voluntate, potest tamen velle vnus homo id, quod ex alterius pendet voluntate adhibendo omnia media, quæ in illius potestate sunt constituta, vt illum

*Cuidam obiectioni occurritur dupliciter.*

ad volendum inclinet, quæ voluntas dici potest aliquomodo efficax in quantum prædicta media efficaciter causat, & hoc efficaciæ genere inconueniens non est, voluntatem Christi aliquando voluisse id, quod per alios exequendum erat, & huius conditionis fuisse volũtatem illam, qua voluit latere, & non potuit, videtur non obscure colligi ex Agathone Papa relato â D. Thom. solutione ad 1. ex prædicto testimonio inferẽte humanam voluntatem in Christo, eo quod prædicta voluntas non potuerit assequi intentum: si namque fuisset velleitas, aut inefficax voluntas, non concluderet argumentum; cum etiam voluntas Dei inefficax, non semper impleatur.

# DISPVTATIO TRIGESIMA OCTAVA.

## An humanitas Christi Domini simpliciter omnipotens fuerit?

### §. I.

*Omnipotentia simpliciter excluditur ab anima Christi.*

Nu. 1. HVMANITATEM Christi nõ habuisse, nec potuisse habere omnipotentiam à se, extra cõtrouersiam est, cõstatque euidenter primo: nam vnius naturæ proprietas, non potest à se alteri naturæ competere; sed omnipotẽtia est proprietas naturæ diuinæ: ergo non potest conuenire humanitati à se. Deinde: nam potentia operatiua alicui conueniens à se, consequitur eius naturam; sed omnipotentia non potest consequi ad humanitatem: ergo non potest illi competere à se. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo: nam omnipotentia est virtus factiua omnis entis

per

per modum principij proximi: ergo solum potest consequi ad principium radicale effectivum omnis entis; humanitas autem huius conditionis non est, vtpote limitata, & finita: ergo ad illam non potest cimanatiuè omnipotentia se habere. Secundo probatur: nam omnipotentia est ens increatum, & à se; & consequenter ens omnimode independens; sed quod realiter dimanat ab aliquo, realiter dependet ab illo: ergo nequit dimanare ab humanitate; & consequenter non potest illi conuenire à se. Denique probatur minor: etenim omnipotētia est infinita per essentiam: ergo solum potest contineri in radice per essentiam infinita; & consequenter soli naturæ diuinæ, quæ infinita est per essentiam, potest conuenire à se.

2 *Conclusio statuitur.*

Hoc breuiter præsuppositō, quod examinamus, est, an humanitas ex vi vnionis ad Verbum omnipotens simpliciter fuerit constituta? Conclusio est negatiua, illam docet D. Thom. *in præsenti art.* 1. Cui omnes Theologi consentiunt in eo gradu certitudinis, vt Vazquez *disp.* 57. *cap.* 1. ab omnib⁹, vt dogma fidei asserat esse receptam, & Suarez *disput.* 31. *sect.* 1. sequi euidēter ex certis fidei principijs, & facili ratione suadetur: nam solus Deus omnipotens esse potest; sed Christi humanitas Verbo hypostaticè vnita, ita distincta à diuinitate permansit, & in permixta cum illa, vt dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis nō est constituta omnipotens, nec dici potest esse omnipotentem simpliciter. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior autem ostenditur primo ratione D. Thom. *in præsenti*: cū enim vnumquodque agat secundum quod est in actu, & in actu constituatur per formam, quæ, vel est ipsa rei natura, vel rei naturam constituit, & omnipotentia diuina sit virtus, per quam Deus agit ad extra, consequenter est proprietas consequens diuinam naturam; sed proprietas naturam aliquā consequēs soli conuenit habenti talē naturā, nec potest enuntiari de aliquo, de quo nō prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo omnipotētia simpliciter solum potest conuenire, cui conuenit esse Deum; & consequenter solus De⁹ est omnipotens.

*Vazq. Suar.*

3 *Secundo probatur maior.*

Secūdo probatur maior: nam omnipotentia respicit pro termino omne id, quod contradictionem non implicat, vt docet, & explicat D. Thom. 1. *part. q.* 25. *art.* 3. cui omnes Theologi consentiunt; sed terminus potentiæ factiuæ debet in illius subiecto contineri eminenter, vel formaliter: ergo solus ille omnipotens esse potest, in quo omne, quod non implicat fieri, continetur aliquo ex prædictis modis. At soli Deo potest huiusmodi cōtinentia competere; quia habet esse illimitatum, infinitum, & vndique incircunscriptum; quidquid autem De⁹ non est, habet esse finitum, & limitatum; & consequenter non potest omne ens factibile in se ipso eminenter cōtinere: ergo soli Deo conuenit omnipotentia simpliciter.

4 *Tertiò probatur maior.*

Tertio probatur maior: nam de ratione omnipotentis simpliciter est independentia ab alio agente priori, nullique subordinari in agendo; sed solus Deus potest huiusmodi independentia, & insubordinatione gaudere; nam omne, quod Deus non est, à Deo in agendo, vt à causa prima dependet, sicut etiam in essendo: ergo solus De⁹ est omnipotens simpliciter. Denique probatur: nam omne ens creatum dependet in fieri, & conseruari ab omnipotente simpliciter; aliàs simpliciter omnipotens non esset, si aliquod creatum existens sub illius efficientia non caderet; sed à solo Deo omne ens creatum dependet in fieri, & conseruari; cum nullum sit ens creatum, quod saltim in primo fieri possit dependere à se ipso: ergo soli Deo conuenit, esse omnipotentem simpliciter.

*Quarto prob. maior.*

★★★★★★★★★★★★★★★
★★★★★★★★★★
★★★★★★★★
★ ★

## §. II.

### *Duplici argumento occurritur.*

5 *Arguitur 1.*

ARguitur primo ex Matthæi vltimo capite, illis verbis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, quæ accipienda esse de Christo, quatenus homine, docet Hieronymus relatus à Diuo Thoma in Catena, his verbis: *Illi potestas data est, qui paulò ante Crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit*, quę solũ de Christo, vt homine, verificari possunt. Et Seuerianus etiam à D. Thom. relatus illa intelligit de humanitate in abstracto, sic dicens: *Filius quippè Dei, Virginis Filio, Deus, homini, diuinitas, carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit*; sed vt docet D. Thom. explicans prędicta verba: *Potentia Dei, nihil aliud est, quam omnipotentia*: ergo humanitas Verbo vnita habet in se omnipotentiam; & consequenter est omnipotens simpliciter.

*S. Hier.*

*Seuer.*

6 *Respõd.*

Respondeo cum D. Thom. ad dictum locum Matthæi, *& in 3. distinct. 14. quæst. vnica art. 4. ad 1. & ad Annibaldum in eadem distinctione quæst. vnica art. 5. ad 1.* Verba illa, dupliciter posse exponi: primo de Christo secundum diuinitatem, cui data est omnipotentia, sicut data est illi essentia per generationẽ æternam, per quam Verbo communicata est essentia, & natura Dei, & cum illa omnis diuina perfectio; ex quo non potest colligi, humanitatem esse omnipotentem simpliciter, sed tantũ esse vnitam Verbo Dei, quod simpliciter est omnipotens. Secundo possunt exponi de Christo, quatenus homine, non quia humanitati esse omnipotentem conueniat, sumpta humanitate in abstracto; sed illi sũptæ in concreto, non ratione humanitatis, sed ratione suppositi terminantis humanitatem; quia per gratiam vnionis in tempore factum est, vt Verbum, quod in se ipso ab æterno erat omnipotens, cum omnipotentia vniretur, & esset omnipotens prędicaretur de Christo per gratiam factam humanitati.

Nec obstant verba Seueriani, quæ videntur denotare, datam esse omnipotentiam, & omnia, quæ Deus habet humanitati in abstracto; non enim sũt illi data, vt formæ, suos effectus, vel quasi effectus formales eidem cõmunicantes; sed data est humanitati potẽtia, sicut data est illi natura diuinitatis, videlicet, quia est illi vnita in vnitate personę; vnde sicut ex hoc non infertur, humanitatem esse deam per vnionem, sed esse deitati vnitam, ita nec licet colligere ex vi vnionis factam esse omnipotentem, sed omnipotentiæ in persona Verbi vnitam. Notat autem D. Thom. ideo dici post resurrectionẽ datam omnem potestatem Christo, nõ quia tunc primo fuit data, sed quia primo fuit perfectè omnipotentia manifestata, quia tunc potuit totũ mundum conuertere; in Scriptura autem dicitur aliquid fieri, quando innotescit, iuxta illud: *Ego hodie genui te*, dictum Christo ab inferis resurgenti, quia per Resurrectionẽ manifestata est hominibus æterna generatio Verbi terminantis humanitatem.

7 *Verba Seueriani explicantur.*

*Psal. 2.*

8 *Secũda explicatio D. T.*

Secundo D. Thom. explicat prædicta verba, ita vt nomine potestatis, non omnipotentia accipiatur, sed quidam honor præsidentiæ, sicut dicimus homines in potestatibus, illos, qui prę sident alijs. Tertio ab alijs explicantur de omni potestate spirituali ad salutem hominum ordinata, quæ conuenit Christo secundum humanitatẽ; non autem omnipotentia simpliciter.

9 *Explicantur verba Ioan. 13.*

Iuxta secundum sensum, quo D. Thom. prędictum testimonium accepit, explicat etiam verba illa Ioannis 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*, id est, inquit D. Thom. *In potestate eius dedit Deus Christo homini ex tempore, quæ tamen fuerant in potestate Filij ab æterno*; quia scilicet, per vnionem Verbi cum humanitate factum est, vt ea, quę de Filio Dei ab æterno dicebantur, de illo vt subsistente in humanitate in tempore dicerẽtur. Qua-

liter

liter etiam *in præsenti art. 1. ad 1.* explicandum censet Ambrosium super illud Lucę 1. *Hic erit magnus*, asserentem, *potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore acceptarus*. Sicque accipiendi sunt alij Patres, qui in contrarium solent opponi, eo quod asseruerint, omnia posse Christum, vt hominem. Sunt enim intelligendi de Christo, vt homine, non ratione humanitatis, nec secundum humanitatē, sed ratione suppositi terminantis humanitatem. Aliter hæc verba Ioannis explicantur à Chrisostomo, & Theodoreto in Catena D. Thom. relatis, nempè, de salute omnium fidelium, quę Christo commissa est. Verba Theodoreti sunt: *Quia ergo Pater omnia ei commisit in manus, id est, salutem ei commisit fidelium.*

*S. Amb.*

*Chrisost. Theod.*

10 *Secūdū argumē-tum.*

Secundo arguitur: non minus infinita est Dei scientia, quam eius potentia; sed humanitati Christi communicata est scientia omniū, quæ scit Deus: ergo etiam omnium potentia; & consequenter est omnipotens simpliciter.

*Cōfirmatur 1.*

Confirmatur, & explicatur primo: vt enim docet D. Thom. *supra q. 10. art. 2.* anima Christi cognouit omnia, quę scit Deus scientia visionis, etsi non omnia, quæ Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ: ergo etiam habuit potentiam ad omnia de facto producta à Deo, esto illam non habuerit ad omnes creaturas posibiles. Patet consequentia: primo à paritate rationis. Secundo: nam licet omnium posibilium cognitio sit simpliciter infinita in doctrina D. Thom. & ideo animæ Christi negetur; cognitio tamen omnium, quæ habitura sunt aliquando existentiam nō est infinita simpliciter, ideoque animæ Christi conceditur: ergo pariter, etsi potentia factiua omnium posibilium sit simpliciter infinita, ideoque animę Christi neganda; potentia autem factiua omnium, quæ aliquando existunt, simpliciter infinita non est; ac proinde non est cur humanitati Christi negetur.

11 *Cōfirmatur 2.*

Confirmatur secundo: est enim sententia probabilis, posse animam Christi omnia posibilia, tam in Verbo, quam extra Verbum cognoscere. Imo aliqui secuti Durandum, asserunt de facto animam Christi cognouisse omnes creaturas posibiles; & consequenter vis cognoscitiua omniū posibilium, simpliciter infinita non est: ergo pariter potentia omnium posibilium effectiua, non est infinita simpliciter; ac proinde non est vnde humanitati Christi repugnet. Cōfirmatur, & vrgetur tertio; vt enim docet D. Thom. *in 3. dist. 14. q. vnica art. 4. ad 2. & ad Annibaldum in eadem distinct. q. vnica art. 5. ad 2.* anima Christi habuit scientiam practicam omnium rerum; sed scientia practica est causa rerū ad quas terminatur; per hoc enim à scientia speculatiua distinguitur: ergo fuit potens omnia producere; & consequenter fuit omnipotens simpliciter.

*Cōfirmatur 3.*

*S. Tho.*

12 *Prima solutio D. Tho. Mat. 18*

Ad hoc argumentum D. Thomas Matthæi 28. *cap.* respondet, negando consequentiam: disparitatem autem constituit in eo quod scientia, vel cognitio fit secundum assimilationē cognoscentis ad cognitū, ad quam non requiritur, quod per essentiā cognoscentis habeatur; sed potest haberi per species, vel inditas, vel à rebus acceptas. Et ideo necessarium non est, quod essentia cognoscentis sit omnium, vel illa in actu cōtineat, sed sufficit, quod sit capax recipiendi omnium rerum similitudines, quę est infinitas potentiæ receptiuæ non repugnans entitati creatæ; nam materia prima est in potentia receptiua formarum sine termino in infinitum. Potentia vero actiua sequitur ad actum; vnumquodque enim agit, in quantū est in actu; & ideo qui habet omnipotentiam actiuam, habet potentiam ad actum omnium, quod esse non potest, nisi habeat infinitam potentiam, quod humanitati Christi non potest conuenire.

13 *S. Tho.*

Qua solutione etiā vsus est D. Th. 3. *ad Annibaldū distinct. 14. quæst. vnica art. 5. ad 3.* his verbis: *Quod obijcitur de omni scientia, dicēdum, quod nō est simile, quia omnipotentia ponit in creatura potentiā actiuā infinitā, sed omnis scientia nō; non enim importat rerum causalitatem; sed assimilationem.* Cuius rationem dederat in corpore articuli, quia nempè,

*Vnumquodq; habet pati, secundum quod est in potentia; agere autē secundū quod est in actu; vnde infinitas potentiæ activæ ponit infinitum in actu repugnans creaturæ; sed infinitas potentiæ passiuæ, non nisi infinitum in potentia, quod creaturæ non repugnat, vt patet in materia prima.* Cum ergo omnipotentia ponat potentiam actiuam infinitam; omnis autē scientia non ponat potētiam infinitam actiuam, sed tantum passiuam; ideo non potuit humanæ Christi naturæ omnipotentia communicari, sicut omnis scientia.

14 *Illā D. Tho. in præsenti retractat.*

Huius tamen solutionis meminit Angelicus Doctor *in hac q. art. 1. ad 2.* etsi non vt à se traditæ, illamque vt insufficientem reiecit. Verba D. Tho. sunt: *Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de scientia, & de potentia activa, sicut quidam dicunt. Nam potentia activa consequitur ipsam naturam rei; eo quod actio consideratur, vt egrediens ab agente. Scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam scientis, sed potest haberi per assimilationē scientis ad res scitas secundum similitudines susceptas.* Quę solutio eadem est cum illa, quam ex D. Thom. adduximus, illamque reijcit D. Thom. his verbis: *Sed hæc ratio non videtur sufficere; quia sicut aliquis potest cognoscere per similitudinē susceptam ab alio: ita etiam potest agere per formā ab alio susceptam; sicut aqua, vel frigus calefacit per calorem susceptum ab igne: non ergo per hoc prohibetur, quin sicut anima Christi per similitudines omnium rerum sibi a Deo inditas, potest omnia cognoscere: ita per easdem similitudines possit ea facere.*

15 *Respōd. aliter cū D. Tho.*

Vnde aliter ad argumentum respondeo cum D. Thom. *in 3. dist. 14. art. 4. ad 3. & 4. argumentum.* Et *in præsenti art. 1. ad 2.* concessa maiori, distinguendo minorem: scientia omnium, quæ scit Deus scientia visionis, concedo minorem: scientia omnium, quæ scit Deus scientia simplicis intelligentiæ, nego minorem, & consequētiam. Rationem autem discriminis assignat D. Thom. loco ex Sententiarijs relato: quia nempè, vniuersalitas possibilium cōmensuratur diuinæ essentiæ; quia secundum hoc infinita potest, quia habet esse illimitatum. Vniuersalitas autem eorum, quæ scit scientia visionis non commensuratur essē tiæ diuinæ; cum ad plura facienda extendatur: & ideo, quamuis sit humanitati Christi communicata scientia illorum omnium, quæ Deus cognoscit scientia visionis, non tamen est illi communicata omnipotentia, nec scientia omnium, quæ Deus per simplicem notitiam cognoscit.

16 *Ad 1. cō firmatio nem.*

Ad primam cōfirmationem, quę contra istam solutionem procedit, cō cesso antecedenti, nego consequentiā. Ad primā probationē, nego paritatē rationis. Disparitas autem est duplex: prima est: nam omnia, quę Deus scientia visionis cognoscit, possunt cognosci finito modo; ideoque per cognitionem finitam, vt docet D. Thom. *q. 20. de Veritate art. 4. ad 4.* sicut Deus quāuis infinitus sit, cognoscitur à beatis finito modo, & per cognitionem finitam. Quæ autem de facto producitua sunt, non omnia possunt modo finito produci; sed sunt aliqua existētia, quæ petunt produci modo infinito, & in producente infinitam virtutem, efficaciamque infinitam, nempè illa, quæ efficiuntur per creationem, vt docet D. Thom. *in hac q. art. 1. ad 2. & 1. p. q. 45. art. 5.* ideoque potest humanitas Christi omnia existentia cognoscere, non tamen potest omnia existētia producere. Secunda disparitas est, quia inter actu existentia continetur Christi humanitas, quæ non potest se ipsam efficienter causare, nec illa, quibus à Deo, vt à causa prima applicari debet ad causandum, vtpote causa secunda, quę à prima in agendo dependet, & ab illa debet applicari, & moueri. in eo autem, quod se ipsam cognoscat nulla impossibilitas est, quam ratione discriminis, etiam tradit D. Thom. *in præsenti art. 1. ad 2.* quam ita concludit: *Et inter cætera manifestum est, quod non potest creare se ipsam.*

Secūda ratio discrimi nis.

Ad secundā confirmationem, quæ doctrinam traditæ solutionis impugnat, respondeo, in sententia D. Thom. omnia possibilia in Verbo non posse ab anima Christi cognosci quidditatiuè; eo quod non possunt omnia in

17 *Ad 2. cō firmatio nem.*

Verbo cognosci, ex vi cognitionis illi⁹, nisi Verbū infinito modo cognoscatur. Extra Verbū autē posse omnes creaturas possibiles de potētia absoluta cognosci probabilius, cēsuimus *tomo præcedenti Disput. 35.* idque ex Angelico Doctore deduximus. Cæterum hoc ideo est; quia omnes creaturę possibiles, quamuis numero sint infinitę, possunt in se ipsis finito modo cognosci: sicut Deus quamuis infinitus sit per essentiam, potest quidditatiuè cognosci per cognitionem finitam ex modo tendendi in ipsum: potentia autem factiua omnium possibilium, non potest omnia finito modo causare; cum inter illa sint creaturæ potentes terminare creationem, quæ infinitatem in modo operandi expoſcit.

18 *Respod. secundo*

Et ex his respondeo secundo, prætermissa vtraque antecedentis parte, negando consequetiam ob rationem assignatam. Qui namque docent posse omnes creaturas possibiles in Verbo cognosci ab intellectu creato, & de facto fuisse cognitas ab anima Christi Domini; ideo id asserunt, quia cēsent, posse omnes creaturas possibiles modo finito, etiam in Verbo cognosci; & consequenter per cognitionem finitam, quæ ratio in potentia productiua omnium possibilium non militat, vt constat ex dictis. Ex quibus etiam habetur alia discriminis ratio, nempè, quia inter possibilia continetur ipsa humanitas, & ea, quibus moueri debet ad operandum à Deo, quę possunt ab humanitate cognosci, non autem possunt ab humanitate produci; alias se ipsam efficeret, & ea, quibus ad agendum applicaretur, quod implicat.

19 *Ad 3. cō firmatio nem respond. 1.*

Ad tertiam confirmationē, omissa Caietani solutione, asserentis, D. Thom. sententiam, quam ibi tenuit, retractasse *in hac quæstione art. 1. ad 3.* vbi negat, animam Christi habuisse scientiam practicam omnium rerum, quas cognouit. Hoc, inquam, recursu omisso, quia necessarius non est. Respondeo primo, distinguendo maiorem, explicandoque D. Thomam: scientiam practicam obiectiuè, idest, attingentem modum, quo à Deo res, quas attingit, procedunt, concedo maiorem: scientiam practicam quoad modum, & quæ sit practica practicè, vt ibi explicat D Thom. nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet scientia, quæ est practica quoad modum, & practicè, sit causatiua sui obiecti; scientia tamen, quę solum obiectiuè est practica, idest, attingens modū, quo res cognita à sua causa procedit, nō est sui obiecti causatiua: & hoc secundo modo asseruit D. Thom. scientiam animæ Christi esse practicam *loc. in argumento allegato*, non autem priori modo; cum expressè asseruerit, non esse practica practicè, & hoc est, quod in præsenti negauit.

20 *Respōd. secundo*

Respondetur secundo, distinguēdo maiorem, explicandoque Divum Thomam: scientiam practicam actiuè, concedo maiorem: scientiam practicam operatiuè, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet scientia, quę est operatiuè practica, & alijs terminis, dicitur ars, sit factiua sui obiecti; scientia autem, quæ actiuè solum est practica, non est sui obiecti factiua; sed ideo practica dicitur, quia potest ad operationem rectam dirigere; vnde visio beata est cognitio, non solum speculatiua, sed etiam practica, quia dirigit voluntatē, vt Deum cognitum diligat, quamuis factiua Dei, ad quem terminatur non sit.

21 *Obijcies primo.*

Sed aduersus solutionem primæ, & secundæ confirmationis obijcies aliquis primo: nam etsi verum sit, & à D. Thom. assertū, necessariam esse ad creandum virtutem, efficaciamque simpliciter infinitam, est tamen sententia aliquorum probabilis, negans, esse necessariam: ergo eadem probabilitate poterit quispiam defendere, fuisse animę Christi concessam virtutem productiuam omnium de facto existentium, imo & omnium possibilium, qua in sententia D. Thomę omnia existentia cognouit, & in aliorum sententia cognouit omnes creaturas possibiles. Patet consequentia ex dictis ad primam, & secundam confirmationem; solum enim id negauimus; quia ad creandum, virtus infinita re-

qui-

quiritur; ac proinde, si est probabile virtutem infinitam non esse ad creandum necessariam, nulla erit disparitas inter virtutē cognoscitiuam omniū, & virtutem omnium factiuam.

22 *Obijcies secūdo.* Secundo, nam sequitur ex nostrę solutionis doctrina, potuisse ad minus habere, & quod de facto habuerit humanitas Christi virtutē productiuam omnium rerum possibilium ipsa humanitate exceptą; consequens non admittemus: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela: inde namque inferebamus discrimen inter scientiam, & potentiam productiuam; vt quamuis omnia cognouerit humanitas Christi, non tamen potuerit omnia producere, quia inter omnia continetur ipsa humanitas, quæ potest se ipsā cognoscere, non autem potest se efficere; at hoc discrimen respectu aliorum ab humanitate non militat: ergo sicut potuit humanitas omnia possibilia cognoscere, ita potuit omnia præter se producere.

23 *Tertio obijcies.* Tertio obijcies; nam admisso, vt Nos concessimus, posse humanitatē Christi cognoscere omnia possibilia in se ipsis extra Verbum; admittenda est consequenter possibilis vna species creata omnia possibilia continens in esse repræsentatiuo; sed admissa hac specie, vt possibili, non est cur repugnet vna forma limitata cōtinēs entitatiuè virtualiter, aut eminenter omnes creaturas possibiles: ergo erit possibilis virtus limitata, & finita causatiua per modum principij *quo* omnium rerum possibilium. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: sicut enim omnes res possibiles, sunt perfectionis infinitæ in essendo, ita in ratione obiecti cognoscibilis, & repręsentabilis sunt perfectionis infinitæ; sed prima infinitas non obstat, vt contineri possint repræsentatiuè in forma aliqua creata, & finita, etiam in genere cognoscibili: ergo secunda infinitas obstare non potest, vt contineri possint entitatiuè in aliqua forma creata, & in linea entis finita.

24 *Ad 1. replicam respond.* Respondeo ad primam replicam, prætermisso antecedenti, & omissa illius sententiæ probabilitate, negando consequentiam, iuxta nostram doctrinam. Nos enim sententiam nostram defendimus, iuxta mentem Angelici Præceptoris, iuxta quam non est probabile, posse virtutem creatiuam cōmunicari creaturæ ob rationem supra assignatam, quia nempè, creatio petit in creante virtutem, efficaciamque infinitam. Qui autem oppositam sententiam tenuerint, vti poterunt secunda ratione, nempè, repugnare omnino, quod idem possit se ipsum efficienter causare; & consequenter esse omnino implicatorium, quod alicui enti creato omnipotentia conueniat, quæ est potentia productiua omnis entis producibilis: ac proinde ex eo quod sententia tenens, posse virtutem creatiuam alicuius entis cōmunicari creaturæ admittatur, vt probabilis, non sequitur, posse eadem probabilitate defendi, quod omnipotentia possit communicari creaturæ.

25 *Ad 2. respondeti potest 1.* Ad secundam replicam respondeti potest primo, prętermisso consequēti, nihil contra sententiam, quam in præsenti defendim⁹, sequi. Cum enim de ratione omnipotentiæ sit, extendi ad omne ens producibile; esto admittatur, posse creaturæ communicari vim productiuam omnis entis prętер ipsam, non sequitur, quod omnipotēs sit, quia ad hoc necessariū erat, quod nullum ens creabile, aut producibile virtutem illius effectiuam effugeret, quod tali creaturę non conueniret; cum ipsa producibilis sit, & non contineatur sub eius virtute effectiua.

26 *Respōd. secundo* Respondeo secundo, negando sequelam. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: inde, vt ex causa, & ratione sufficienti discriminis, concedo maiorē: vt ex causa, & ratione vnica, & adæquata discriminis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Quia licet impossibilitas conueniendi creaturæ virtutem productiuam omnis entis ab ipsa distincti, non probetur hac ratione, potest aliūde probari, & alia ratione ostendi, nēpè, illa, quam ex creatione desumpsimus. Et insuper, quia cum præter humanitatem, & quamuis aliam creaturam in particulari, sint possibiles spe-

cies

cies entis creati inæqualis perfectionis infinities infinitæ, quas actu in virtute alicuius creaturæ contineri, vt in principio effectiuo implicatorium censetur; fit consequens, vt quamuis ex illa ratione discriminis non probetur repugnantia producēdi totam entis collectionem, ipsa humanitate excepta; perperam exinde inferatur non repugnare humanitati Christi vim productiuam omnis entis præter ipsam.

27 *Ad 3. respōdetur*

Ad tertiam replicam, concessa maiori, nego minorem. Ad probationē, concessis maiori, & minori, nego cōsequentiam. Ratio autem discriminis est: tùm, quia minus requiritur ad continētiam repræsentatiuam, quam ad continentiam entitatiuam; vnde forma accidentalis potest formā substantialem in esse repræsentatiuo continere, non tamen in esse entitatiuo, vt constat in specie impressa lapidis, quæ licet accidens sit, continet in esse repræsentatiuo essentiam lapidis, quæ substantialis est, non tamen illam continet, nec continere potest in esse entitatiuo: ac proinde ex eo quod infinitum possit repręsentatiue contineri in forma limitata, & finita; non sequitur posse infinitum in forma entitatiuè finita contineri entitatiuè, eminenter, vel formaliter.

28 *Ratio à priori assignatur*

Tùm etiam, & est ratio à priori: nam ad continentiam intentionalem, & repręsentatiuam, sufficit conuenientia in gradu immaterialitatis inter speciem, & obiectum; potest tamen aliqua forma creata conuenire in eodem immaterialitatis gradu cum omni creatura possibili; & consequenter potest omnis creatura possibilis cōtineri repręsētatiuè in forma limitata, & finita. Ad continentiam autem entitatiuam requiritur adæquatio cum perfectione contenta, vel excessus supra illam. Vel enim est continentia formalis, vel continentia eminentialis; prima petit æqualitatem; secunda petit excessum continentis ad contentum. Et quia vnū ens finitum nequit collectionem possibilium excedere in perfectione, vel in perfectione adæquare; fit consequens, vt nullum ens limitatum, & finitum possit continere entitatiuè totam collectionē creaturarum possibilium; ac proinde nulli enti limitato, & finito potest conuenire virtus productiua omnis creaturæ possibilis.

## §. Vltimus.

### *Tertium argumentum diluitur.*

29 *Tertiū argumētum.*

DENIQVE principaliter arguitur: non implicat omnipotentiam diuinam cum humanitate vniri sub conceptu omnipotentię, ita vt illi præstet suum effectum, vel quasi effectum formalem; sed omnis perfectio, omnisq; possibilis dignitas, est humanitati Christi attribuenda, nisi obstet fini Redemptionis, vel maiorem perfectionem excludat, cuius conditionis vnio omnipotentię non est: ergo omnipotentia de facto fuit prædicto modo vnita cum humanitate Christi, illique communicata; & consequenter est simpliciter omnipotens; iste namque est omnipotētiæ effectus, vel quasi effectus formalis. Secunda consequentia colligi videtur ex prima: hæc ex præmissis infertur. Minor supponitur. Et maior probatur à paritate: potest enim diuina essentia vniri cū intellectu creato sub cōceptu speciei intelligibilis, necnon sub ratione Verbi; & sic de facto mentibus beatorum vniri, docent Discipuli D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. potest etiam vniri cum natura creata sub munere, & conceptu existentię, & de facto sic vniri; est cōmunis Thomistarum sententia *in hac 3. p. infra quæst.* 17. *art.* 1. & 2. potest etiam vniri cum natura creata sub cōceptu subsistentię, & de facto sub hoc conceptu esse vnitam subsistentiā personalem Verbi cum humanitate Christi, est de fide. Ac denique potest vniri cū natura rationali sub conceptu sanctitatis, & sic esse vnitam de facto cū humanitate Christi, docuimus cū frequen-

quentiori Theologorum sententia *tomo primo Disput.* 21. ergo pariter potest vniri cum qualibet natura creata sub conceptu, & ratione omnipotentię, & sic fuit de facto vnita cum humanitate Christi, & illi communicata; ac proinde humanitas Christi Domini est omnipotens simpliciter.

30 *Respõdetur.* 1.

Respondeo primo, negando maiorem, cum communi Thomistarũ sententia, asserentium, contradictionem involuere, quod omnipotentia sub cõceptu omnipotentię vniatur cum natura creata, ita vt illam potentem ad operandum constituat. Quæ doctrina etiam alijs extra Scholam D. Thomæ est communis. Nec vrgent paritates in probationem maioris inductæ; omnipotentia namque non potest sub cõceptu omnipotentiæ vniri cum natura creata, ei præstando suum effectũ, vel quasi effectum formalem, etiam inadęquatè, nisi illam physicè informet; eo quod, cum operari sequatur ad esse essentię, forma præstans esse operativum proximũ, vel radicale, debet constituere subiectum in aliquo esse essentiæ substantiali, vel accidentali, quod sine identitate cum illo, vel physica illius informatione prę̃stare non potest; physica autem informatio naturę creatę, vel identitas cum illa repugnat omnipotentiæ, & cuiuis perfectioni diuinę; ideoque omnino repugnat omnipotentiam naturæ creatæ vniri sub conceptu omnipotentiæ, illi etiam inadæquatè præstãdo suum effectum, vel quasi effectum formalẽ; & consequenter implicat naturã creatam potentem ad operandum, vel aliqui deficiendum per omnipontiam constitui.

*Omnipotentia sine physica informatione vel identitate nõ præstat suum effectũ formalem.*

31 *Vnio per modũ speciei physicam informationẽ nõ petit.*

Vnio autem per modum speciei, Verbi, subsistentiæ, existentiæ, & sanctitatis, non petit physicam informationem, sed informatio moralis est ad sanctificandum sufficiens, ad rationẽ speciei sufficit informatio intelligibilis, ideat, obiectiua determinatio, quæ etiam ad rationem Verbi sufficit; ac denique de ratione existentiæ, & subsistentiæ non est informatio physica, sed vnio per modum termini, in quibus modis vnionis nulla imperfectio importatur Dei prędicatis repugnãs: ac proinde paritates in probationem maioris inductæ non vrgent, nec illis probatur, posse omnipotentiam diuinam vniri cum natura creata formaliter sub conceptu omnipotentiæ, illamque constituere potentem ad operandum, vel aliquid efficiendum, cõsulantur ea, quæ fusè docuimus *supra Disp.* 21. *à num.* 226. *& Disp.* 31. §. 5. *fusiusque Tract. de Visione Dei, & Tract. de Charitate*, quibus in locis ea, quæ contra assignatum discrimen obstare possunt, obiecimus, & diluimus.

32 *Respõdetur.* 2.

Quia tamen non desunt Theologi, asserentes, posse omnipotentiam diuinam vniri cum natura creata sub conceptu omnipotentiæ, illamque potentem constituere ad aliquid efficiendum; ne sententiam, quam *in præsenti* defendimus cum communi Theologorum, nostris coarctem' principijs: ideo respondeo secundo, distinguendo maiorẽ: ita vt humanitati præstet suum effectum, vel quasi effectum formalem adæquatum, nego maiorem: inadæquatum, omitto maiorem; & cõcessa minori, distinguendo consequẽs distinctione maioris. Solum enim sequitur omnipotentiam de facto esse inadæquatè humanitati vnitam, illique præstare suum effectum, vel quasi effectum formalem inadæquatum, constituendo ipsam potentem ad aliquos omnipotentię effectus. Non autem sequitur, esse adæquatè vnitam humanitati, illi præstando suum effectum formalem adæquatum, quod requirebatur, vt humanitas per omnipotentiam sibi vnitam constitueretur omnipotens simpliciter. Et quidem de facto essentia diuina, quæ est species cõprehensiua Dei, vnitur mentibus beatorum, vt forma in esse intelligibili; & tamen, quia non adęquatè, sed inadæquatè vnitur, non constituit intellectum beati adæquatè cognoscẽtem Deum, nec ipsum comprehendentem. Pariter ergo in præsẽti, quamuis admittatur possibilis, vnio omnipotentiæ sub conceptu omnipotentiæ cum humanitate Christi, & de facto talis vnio concedatur, non secundum adæquatum, sed inadæquatũ effectũ,

vel

vel quasi effectum formalem; non sequitur, humanitatem Christi esse omnipotentem simpliciter; quia ad hoc requirebatur, quod omnipotentia adæquate vniretur cum illa, quæ vnio impossibilis est, eo quod non potest humanitas ab omnipotentia sibi vnita recipere effectum omnipotentiæ adæquatum; cum non possit se ipsam, etiam ratione omnipotentię producere; & consequenter non possit ab omnipotētia constitui omnis entis productiua, qui est effectus, vel quasi effectus formalis adæquatus omnipotentiæ.

33 *Oppones.* Sed oppones: humanitas ab omnipotentia vnita redderetur infinitè potens: ergo omnipotens simpliciter per illam constitueretur. Consequentia videtur bona: nam solus ille, qui est simpliciter omnipotens, est potens infinitè: ergo si humanitas esset infinitè potens, esset simpliciter omnipotens. Antecedens autem ostenditur primo, reddetur enim humanitas per omnipotentiam sibi vnitam potens producere omne ens ab ipsa humanitate distinctum, sub quo infinitę species continentur inæqualis perfectionis: ergo esset infinitè potens. Secundo probatur: nā à diuinitate sibi vnita in ratione sanctitatis constituitur sancta infinitè simpliciter, quia diuinitas vnita, infinita est simpliciter in ratione sanctitatis, quāuis humanitati, non per essentiam, sed per gratiosam communicationem cōueniat; sed etiam omnipotentia humanitati vnita est infinita simpliciter in ratione potentiæ productiuæ: ergo quāuis humanitati non conueniat per essentiam, & à se, sed per gratiosam communicationem, & ab alio, constituet illam potentem infinite simpliciter.

34 *Resp. 1.* Respondeo primo, prętermisso antecedenti, negando consequentiā. Ad probationem dicatur, quod licet de facto solus ille sit infinitè potens, qui est omnipotens simpliciter; eo quod omnipotentia nulli præter Deum de facto cōmunicatur in ratione principij productiui, vt vera sentētia docet; & aliàs nō est dabilis forma creata infinitæ perfectionis, in qua, vt in principio *quo* perfectiones inæquales sine termino contineantur; dato tamen impossibili à Nobis admisso, quod scilicet, possit omnipotentia naturæ creatæ vniri, vt principium *quo* effectivum, poterit ratione omnipotentiæ vnitæ continere perfectiones inæquales syncathegorematicè infinitas; ac proinde constituetur per illam potens infinitè, non tamen constituetur omnipotens; quia ratione illius non poterit natura habens sibi omnipotentiam vnitam, cōstitui potens ad producendam se ipsam, quæ etiam cōtinetur sub obiecto omnipotentię simpliciter. Nec amplius antecedētis probationes conuincunt.

35 *Instabis.* Instabis: à diuinitate vnita in ratione sanctitatis, constituitur humanitas sancta infinitè simpliciter: ergo ab omnipotentia vnita constitueretur potens infinitè simpliciter. Patet consequentia; nam ideo humanitas sanctificatur infinitè simpliciter à diuinitate vnita, quia diuinitas est infinita simpliciter in ratione sanctitatis; sed omnipotentia est in ratione potentię productiuę simpliciter infinita: ergo vnita humanitati constitueret illam potētem infinitè simpliciter. Sed idem est potens infinita simpliciter, quod simpliciter omnipotens: ergo admissa vnione omnipotentiæ sub conceptu omnipotentiæ cū humanitate Christi; consequenter est asserendum esse omnipotentem simpliciter.

36 *Resp.* Respondeo, concesso antecedenti, & permisso consequenti, distinguēdo minorem subsumptam idem est de facto, & vera sententia supposita, negante possibilitatem vnionis omnipotentię cum natura creata, concedo minorem: si opposita sententia admittatur, nego minorem, & consequentiam. Nam licet, iuxta veram sententiam idem sit potens infinitè simpliciter, quod simpliciter omnipotens; eo quod posse infinitum non potest, nisi ab omnipotentia præstari, quæ in vera sententia, non potest communicari creaturæ communicatione formali, sed soli conuenit Deo, quem cōstituit omnipotentem simpliciter; admisso tamen, quod possit omnipotētia vniri cum natura creata in ratione principij productiui, posset illi vniri inad-

æquatè, & ita vniri deberet; eo quod implicat in omnium sententia vnio omnipotentiæ adæquata, quia non potest naturę creatæ pręstare vim ad producendum se ipsam. Etsi taliter illi vniretur, quod daret illi vim productiuam omnium entium præter ipsam, vt etiam in solutione argumenti prætermisimus, constitueret illam simpliciter infinitè potentem, non in omni linea, sed in linea potentiæ ad extra cõmunicabilis: sicut humanitas est sancta infinitè simpliciter, nõ in omni linea, nec in linea sanctitatis, vt sic, vtpote cum à Deo in rationi sancti excedatur; benè tamen in linea sanctitatis ad extra communicabilis: eo quod in ista linea non potest ab alio excedi, nec est dabile magis sanctum. Et sicut ex hoc non sequitur, esse æque sanctã, ac Deũ, nec quod sit sancta omni sanctitatis genere: ita ex eo quod humanitas ab omnipotentiâ vnita redderetur potens infinitè simpliciter in linea potentiæ ad extra communicabilis, non sequeretur, esse æquè potentem, ac Deum, nec sequeretur, esse omnipotentem simpliciter; quia ad hoc necessarium erat, quod posset producere omne ens, quod humanitati non conueniret, quandoquidem sui productiua non esset.

38 *Secũdo respond.* Secundo, ad principalẽ replicam respondetur, negando antecedens. Ad primam illius probationem, nego antecedens. Quamuis enim admittatur posibilis vnio inadæquata omnipotẽtię cum natura creata, non sequitur, posse illam constituere productiuam omnis entis distincti à tali natura; non enim posset illam constituere productiuam entis creabilis, & petentis terminare creationẽ; aliàs posset se ipsam producere; cum terminus creationis sit ens in quantum ens, sub quo omnis entitas creata continetur: ac proinde non posset illam constituere productiuam omnis entis à tali natura distincti; cum sub ente producibili distincto à quauis natura in particulari, cõtineãtur aliqua, quæ non possunt, nisi per creationem fieri.

39 *Ad 2 antecedentis probationẽ.* Ad secundam antecedentis probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Disparitas autem est, nam forma alicui subiecto vnita nõ potest illi pręstare id ad quod non inuenitur in tali subiecto capacitas, non quidem ex defectu formæ, sed ex defectu capacitatis subiecti; vnde diuina essentia vnita beatorum mentibus, vt forma in esse intelligibili, non dat illis, quod possint comprehendere Deum, quamuis ipsa ex se sit Dei comprehensiua, quia in intellectu creato non inuenitur ad hunc effectum, vel quasi effectum capacitas. Est autem humanitas Christi capax, vt sanctificetur infinitè simpliciter, non vero est capax, vt sit potens simpliciter infinitè: nam ad hoc necessum erat, quod haberet vim productiuam syncathegorematicè infinitam, & quod esset productiua omnis entis, saltim ab illa distincti, quod non potest humanitati, nec alteri naturę creatæ competere, vt proximè dicebamus: & ideo à sanctitate infinita simpliciter, redditur humanitas infinitè simpliciter sancta; ab omnipotentia autem, quamuis sit infinita simpliciter, non constitueretur infinitè simpliciter potens. Et ex his potest claritatis gratia ad secũdam antecedentis probationem responderi, distinguendo maiorem: quia forma vnita est infinita in ratione sanctitatis, & quia aliàs est in humanitate capacitas ad effectum sanctitatis simpliciter infinitum, concedo maiorem: præcisè, quia forma vnita est sanctitas infinita simpliciter, nego maiorem: & concessa minori, nego cõsequentiam ob rationem assignatam.

40 *Replicabis.* Sed dices, non stat capacitas in natura creata, vt illi vniatur omnipotentia formaliter sub conceptu omnipotentiæ, absque capacitate vt ratione omnipotentiæ sibi vnitę sit productiua omnis entis: ergo admissa prędicta capacitate, admittenda est necessario capacitas in natura creata, vt ab omnipotentia vnita constituatur potens infinitè simpliciter; & consequenter omnipotens. Consequentia est bona. *Antecedens probatur 1.* Antecedens ostenditur primo: non enim dari potest in aliquo subiecto capacitas ad recipiendum calorem, absque capacitate, vt à calore recepto, cõstituatur

tuatur potens ad omnem effectum à calore producibilem: ergo pariter nõ stabit capacitas in natura creata, vt illi vniatur omnipotẽtia in ratione principij *quo* productiui, absq; capacitate, vt ratione omnipotentiæ sibi vnitę possit in omnem effectum ab omni potentia producibilem; & consequenter, vt possit producere omne ens.

41 *Secundo probatur antecedens.*

Secundo idem antecedens probatur, non stat prędicta capacitas, in natura creata, absque capacitate vt ratione omnipotentiæ, illius terminum possit attingere; sed eo ipso quod aliqua natura sit capax, vt ratione omnipotentiæ, eius terminũ possit attingere, necessario etiam est capax, vt ratione omnipotẽtię sit productiua omnis entis: ergo non stat capacitas in natura creata vnionis formalis omnipotẽtiæ cũ ipsa per modũ principij *quo*, sine capacitate, vt ab illa constituatur omnis entis productiua. Consequẽtia est bona. Minor certa; potens namque attingere aliquam rationem formalem obiectiuã, potest etiam attingere omne id, quod sub illa continetur; vnde, quia intellectus noster est potens cognoscere ens, vt ens, etiam est potens cognoscere omne ens; sed formalis terminus omnipotentiæ est ens producibile, vt sic, sub quo omne ens producibile continetur: ergo eo ipso quod natura creata sit capax attingendi terminum omnipotentię, est capax producendi omne ens. *Maior probatur.* Maior autem probatur; nulla enim potentia, nullus habitus, nullaque facultas operatiua potest in actum exire, nisi sub ratione formali propria obiectiua; quo circa intellectus nihil cognoscere potest, nisi sub ratione entis, aut veri, nec voluntas potest aliquid amare, nisi sub ratione boni, quia bonum est ratio formalis obiectiua voluntatis, & ens, aut verum est ratio formalis obiectiua nostri intellectus; sed actus egrediens à natura creata ratione omnipotentiæ sibi vnitæ per modum principij *quo*, esset actus omnipotentiæ, sicut effectus à subiecto calido causatus ratione caloris, est effectus caloris: ergo attingere deberet terminũ omnipotentiæ formalem; & consequenter natura creata operans virtute omnipotentiæ sibi vnitæ, illum terminum attingeret.

42 *Respõd. Ad primã probationẽ.*

Respondeo, negando antecedẽs. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam sub vi productiua caloris, nullus continetur effectus, in quo non sit eadem ratio producibilitatis à natura caloris receptiua; & consequenter non stat capacitas receptiua caloris, absque capacitate ad producendum ratione caloris recepti omnem effectum illius. Sub omnipotentia autem continentur plures effectus, in quibus, vt ratione omnipotentiæ producantur à natura creata, nulla repugnantia inuenitur, supposita sententia asserente, posse omnipotentiam naturæ creatæ vniri, vt principium *quo* productiuum; in aliorum autem productione omnimoda repugnantia inuenitur, vt in termino creationis, & in ipsa natura creata, cui omnipotentia vniretur; ideoque ex capacitate vnionis omnipotentiæ per modum principij *quo* conueniente naturæ creatæ respectu aliquorum effectuum, non infertur capacitas in tali natura, vt illi omnipotentia vniatur, vt est causatiua omnium; & consequenter non sequitur capacitas, vt sit omnis entis productiua.

43 *Ad secũdam probationẽ.*

Ad secundam antecedentis probationem respondendum est consequenter ad sententiam admissam, distinguendo maiorem, absque capacitate, vt ratione omnipotentię possit attingere terminum formalem illius vt *quod*, nego maiorem vt *quo*, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, neganda est consequẽtia. Vt enim ex attingentia termini formalis omnipotentiæ inferatur vis productiua omnis entis contenti sub tali termino, requiritur, vt terminus formalis omnipotentiæ, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod* attingatur; si autem talis terminus solum attingatur vt *quo*, attingendo vt *quod*, aliquam particularem rationem, in qua inuenitur contractus, ex tali attingentia, non sequitur vis productiua

ua omnis entis sub termino formali omnipotentiæ contenti. Vt autem natura creata ratione omnipotentię operetur, non est necessarium, vt ratione illius attingat rationem entis vt *quod*, sed sufficit si illam attingat vt *quo*, attingendo vt *quod*, ens aliquod particulare; vnde non infertur, quod possit ratione omnipotentię sibi vnitæ producere omne ens. Quod vero, vt natura creata ratione omnipotentiæ operetur, sufficiat attingere vt *quo* terminum omnipotentiæ formalem: patet primo in actibus à nostro intellectu elicitis, qui non semper vt *quod* rationem entis attingunt; cognitio enim, qua homo à Nostro intellectu cognoscitur, non attingit vt *quod* gradū entis, sed hominē attingit vt *quod*, & rationem entis vt *quo*, & hoc sufficit, vt ab intellectu nostro procedat. Constat secundo in actione, qua forma aliqua, virtute diuina educitur de potentia subiecti, quę non attingit rationem entis vt *quod*, sed tantum vt *quo*; aliàs non eductio, sed creatio esset; cum per hoc creatio ab aliis actionibus distinguatur, quod est productio totius entis ex nihilo, & terminus eius formalis est ens in quantum ens; & tamen prædicta actio ab omnipotētia procedit; cum sit à Deo, qui omnia ratione omnipotentiæ operatur: ergo vt actio aliqua ab omnipotentia procedat, non est necessarium attingere illius terminū formalē vt *quod*, sed sufficit illum attingere vt *quo*. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 14. §. 3.* ad illa verba: *Si vero quæritur, quare Deus non ei dederit potentiam faciendi omnia.* (?)

*M. Sēt.*

# DISPVTATIO TRIGESIMANONA.

## An Christus, vt homo, fecerit miracula, vt causa principalis moralis?

## §. I.

*Quibusdam præsuppositis vera sententia defenditur.*

Nu. 1. IN HAC Disputatione, vt omnino certum, & indubitatũ supponimus, Christum, vt hominem aliqua fecisse miracula. Constat hoc ex *Matth. 8. capitulo*, vbi legitur, leprosum à lepra mundasse, filium Centurionis sanasse, ventis, & mari imperasse, Dęmones ab obsessis corporibus expullisse, quæ omnia miracula sunt, & supra communẽ ordinem rerum. Et *Mattæi cap. 11.* Ioanni per Discipulos interroganti, an esset verus Mesias? Christus respondit: *Ite, & renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, Leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* His miraculis sui aduentus veritatẽ Discipulis Ioannis contestans *Ioannis 4.* vbi refertur hominem á Dęmone obsessum ab opressione Dęmonis illum expellendo liberasse: Socrum Simonis à febre curasse, & infirmis ad eius præsentiam adductis per manuum impositionem sanitatem restituisse *6. etiam, & 8. cap.* Lucæ, & Ioannis 6. & 11. *cap.* passimq; alibi plura miracula à Christo, vt homine referuntur patrata, quod Esaiæ *61. capitulo*, fuisse de ipso prænuntiatum: constat ex Lucæ *cap. 4.* illis verbis: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, &c.*

*Matth. 8. cap.*

*Matth. cap. 11.*

2 *Si respõdeatur.*

Nec respondere sufficit hæc, & alia, quę à Christo referuntur patrata, non fuisse vera miracula, sed phantastica, illusoria, & apparentia, virtute, & arte Dęmonis facta, eo modo quo à magis Pharaonis *Exodi 7.* referuntur miracula effecta, & *Matth. 26.* prędicitur de Anti Christo facturum signa mendatia, quod de miraculis Christi perfidos Iudæos sensisse, refert Hieronimus *Matthæi 26. cap.* ad illa verba: *Qui autem tradidit eum, &c.* & de Vigilantio, & Eunomio refert Lindanus *Dialog. 2.* ac de Vvaldensibus testantur Turrecremata *lib. 4. summæ cap. 35.* Michael de Medina *lib. 2. de recta fide cap. 7.* & Castro de hæresibus verbo *Miraculum.*

*Matth. 26. cap. Turrec. Medin. Castro.*

3 *Prædicta resonsio, vt hæretica reijcitur 1.*

Non, in quam, sufficit, tùm; quia omnes Ecclesiæ PP. hęc, & alia à Christo facta, non phãtastica, sed vera fuisse miracula docent. Tùm etiam; nam ideo teste Chisostomo *Homil. 36. in*

*Ioannem cap. 5.* in miraculo quinque panum, ne ſuſpicio, aut dubitatio oriretur de veritate miraculi, non ſolum miraculum fecit tot homines ſaturando, ſed voluit, vt multæ fracmentorū reliquiæ ſupereſſent. Et mundato leproſo, vt imprudentibus ſilentium imponeret, illum ad Sacerdotem miſit *vade*, inquiens: *Oſtende te Sacerdoti*, Lucæ 5. *Et in nuptijs vinum Architiclino ferri imperauit.* Et Ioannis 5. cap. *Vt crederetur miraculum, & nemo falſum, & ſimulatum opinaretur, non ſolum languentem ſanauit, ſed vt lectum auferret iuſſus eſt.* Et homilia 64. *in Ioannem cap.* 12. *Ideo*, ait Chriſoſtomus: *Lazarus manducabat cum Chriſto, vt verè, & non phantaſticè reſurrectionis ſignum daretur, nēpè, quia poſt tot dies, & viueret, & comederet.* Et homilia 63. in Ioannem cap. 11. *Ideo Lazarum poſtquam exiuit ligatus è monumento, iuſsit à vinculis ſolui, vt cum tangentes, noſcerent verè reſurrexiſſe.* Tùm denique: nam miracula Chriſti facta ſunt ad conteſtandam eius diuinitatem, eumque verum eſſe Meſiam, vt conſtat ex illis verbis Matth. cap. 11. *Ite, & renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis cæci vident, claudi ambulāt, &c.* His miraculis reſpondens Ioanni interroganti, an eſſet verus Meſias; ſed falſis miraculis veritas oſtendi non poteſt: fuerunt ergo vera miracula, & non phantaſtica, aut apparentia.

*Luc. 5.* *Ioan. 5.* *Ioann. cap. 12.* *Ioann. cap. 11.* *Matth. cap. 11.*

**4** *Nō fuerunt virtute Dæmonis facta.*

Et ex his ſecundo, vt omnino certum, & indubitatum ſuppono nō fuiſſe virtute, aut arte Dęmonis facta; vt enim 1. *p. q.* 110. *art.* 4. docet, probatque D. Thom. cui omnes Theologi aſſentiūtur, vera miracula ſolum poſſunt effici virtute diuina: cū ergo ea, quæ Chriſtus fecit, vera miracula fuerint, non fuerunt ab ipſo, Dęmonis virtute facta: quod ipſe Chriſtus teſtatur Ioannis 4. illis verbis: *Pater in me manens ipſe facit opera.* Et cap. 5. ibi: *Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiant, ea ipſa opera, que ego facio teſtimonium perhibent de me.* Et Lucæ 11. *Si in digito Dei ęjcio Dæmonia, &c.* vbi nomine digiti virtus ſignificatur diuina, iuxta illud Exodi 8. *Digitus Dei eſt hic.* vbi etiam probat Chriſtus non in Beelzebu Principe Dęmoniorum ſe ejicere Dęmonia; quia aliàs Sathanas ageret contra ſe, & regnum eius eſſet diuiſum.

*Ioan. 4.* *Luc. 11.*

His poſitis, quod inquirimus, eſt, an Chriſtus, quatenus homo, influxerit in miracula, vt cauſa principalis moralis? Concluſio eſt affirmatiua accipienda, non ſolum reſpectu miraculorum ſubſequentium incarnationem, ſed etiam reſpectu eorum, quæ illam tempore præceſſerunt. Prima pars, quæ communis eſt apud Theologos ſuadetur; vt enim cum D. Tho. *ſupra quæſtione 8. art. 2.* & infra *quæſt. 19. art. 4.* docent communiter Theologi, omne donum gratiæ hominibus conceſſum à Deo, cauſatur ex meritis Chriſti; ſed effectus miraculoſi ſunt dona gratiæ à Deo hominibus cōceſſa; vt enim docet D. Thomas *infra q. 43. art. 1. ad tertium*, ordinantur ad manifeſtandam hominibus Chriſti diuinitatem, & doctrinę ab ipſo tradi tæ veritatem, quod abſque dubio gratia eſt: ergo effectus miraculoſi fuerunt ex meritis Chriſti, Chriſtuſq; vt homo illos meritoriè cauſauit.

**5** *Concluſio ſtatuitur.* S. Tho.

Dices; ex hoc tantum haberi Chriſtum moraliter cauſaſſe miracula, nō autem concludi, quod illa effecerit, vt cauſa principalis moralis, vt aſſerit noſtra concluſio. Sed contra primo: nam cauſa, quę eſt prima in aliquo genere, eſt in tali genere cauſa principalis; ſed Chriſtus, vt homo, eſt cauſa miraculorum, prima in genere cauſæ moralis: ergo cauſat illa principaliter moraliter. Maior conſtat: nam cauſa inſtrumētalis, cauſat in virtute alterius, cui in agendo ſubordinatur; ſed cauſæ primæ, vt tali, repugnat in virtute alterius cauſare, alijque ſubordinari: ergo in eo genere, in quo cauſa aliqua eſt prima, nequit eſſe inſtrumentalis. Minor etiam non minus aperta videtur; nam cauſa, quæ in aliquo genere priorem non præſupponit, eſt in tali genere prima; ſed Chriſtus, vt homo, non ſupponit cauſam priorē in genere cauſę moralis, nec ab aliqua cauſa iſtius generis dependet; cum ſolum dependeat à Deo, qui cauſa moralis non eſt: ergo Chriſtus, vt homo, eſt cauſa, licet

**6** *Dices.* *Sed contra 1.*

non

non prima absolutè, prima tamen in genere causæ moralis.

7 *Contra secũdo.* Contra secundo: nam causa, quæ in effectum influit per virtutem sibi propriam, & adæquantem, vel excedentem perfectionem effectus, non est causa instrumentalis, sed principalis illius; sed Christus, vt homo, influit moraliter in effectus miraculosos per virtutem sibi propriam excedentem in genere moris perfectionem miraculorum: ergo influit in illa moraliter principaliter.

*Contra tertio.* Denique: nam dato, causam impetratoriè, aut meritoriè de congruo influentem, esse causam instrumentalem moralem, quæ autem influit meritoriè de condigno, causa principalis est in genere causæ moralis; sed Christus, vt homo, meruit de condigno effectus miraculosos: ergo non vt instrumentum morale, sed vt causa principalis in hoc genere, effectus miraculosos causauit.

8 *Secunda pars conclusionis probatur.* Deinde secunda pars conclusionis suadetur: nam etiam miracula ante Incarnationem patrata, fuerũt dona gratiæ factæ hominibus à Deo; cum fuerint ordinata ad illorum spiritualem salutem; sed quod Christum tempore antecesserint, non obstat, vt illa meritoriè de condigno causauerit: ergo sic in illa influxit; & consequenter principaliter moraliter. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; vt enim cum D. Tho. *supra q. 2. art.* 11. & cum frequẽtiori Theologorum sententia *Tom. 1. Disp. 13. num. 50.* ostẽdimus: gratia Antiquorum PP. fuit effectus meritorum Christi, non solũ in genere causæ finalis, sed etiam in genere causæ efficientis meritoriæ; alias non esset cum proprietate verũ, Christum Antiquos PP. à peccato redemisse; & tamen gratia Antiquis PP. data tempore præcesit Christum, & illius merita: ergo antecessio temporis non obstat causalitati meritoriæ; & consequenter miracula ante Incarnationem patrata, fuerunt effectus Christi venturi in genere causæ efficientis moralis principalis.

## §. II.

### *Obiectionibus in contrarium occurritur.*

CONTRA primam partem conclusionis obstat argumentum difficile; nam idem respectu eiusdem, non potest influxum meritorium, & physicum effectivum exercere; sed Christus, vt homo, physicè causauit miracula post Incarnationem facta: ergo non causauit illa moraliter meritoriè. Consequentia est bona. Minor *Disputatione sequenti constabit.* Maior autem ostenditur primo: nam ille, qui meretur expectat effectum ab alio, videlicet, à præmiante; qui autem effectum physicè causat, illum continet in se: ergo non stat, quod idem respectu eiusdem, influxum effectivum, & meritorium exerceat.

9 *Contra 1. partẽ conclusionis arguitur.*

Secundo probatur maior: vt enim docet D. Thomas 1. *p. quæstione 62. artic. quarto. In ordine ad finem duplex actio consideratur, alia quæ est factiua finis; alia vero, quæ est meritoria finis; quando, scilicet, finis excedit facultatem operantis propter finem*: ergo iuxta D. Thom. actio, quæ factiua finis est, nequit esse meritoria illius; alias malè distingueret inter actionem factiuam finis, & actionem meritoriam illius; ac proinde idem respectu eiusdem effectus, non potest exercere concursum effectivum, & concursum meritorium; alias actio, qua effectum efficeret, esset meritoria eiusdẽ, in quo non minor repugnantia inuenitur, quam in eo quod actio factiua finis sit actio meritoria illius.

10 *Secundo probatur maior.*

11 *Respõdetur 1.* Huic obiectioni respondeti potest primo: veram esse maiorem de influxu effectiuo physico principali, & influxu meritorio; secus autem de influxu effectiuo instrumentali; cum enim merẽs mereatur præmiũ à causa principali præstandum, si idem effet me-

rens, & causa principalis efficiens, mereretur apud se, & præmium sibi à se ipso exhibendum, quod implicare videtur; vt enim docet D. Thom. *infra q. 48. art. 6. in 3. argumento. Ille, qui meretur expectat effectum ab alio*, quam propositionem nõ negat in solutione argumenti, sed tanquam veram suppo nit. Et videtur manifesta; nam mereri est inferioris; quo circa Deus capax merendi non est, quia superiorem non habet; idem autem respectu sui inferior esse non potest; ergo nequit apud se mereri, nec à se expectare effectum, vel præmium à se præstandum. Quæ ratio de influxu instrumentali non militat; cum possit causa influens instrumentaliter, effectum ipsum, quem instrumentaliter causat, à causa principali expectare, & apud illam mereri. Ex quibus ad vtramque antecedentis probationem constat solutio.

12 *Deseritur prædicta solutio.*

Hæc tamen doctrina, quę aliquibus placuit ex nostris, difficilis mihi redditur, ex alia Angelici Præceptotis 2. 2. q. 24. *art.* 10. *in corpore*, vbi expresse docet, peccatum mortale efficienter, & meritoriè corrumpere charitatem: primum, quia est charitati contrarium; secundum, quia, qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, dignus est, vt ei Deus sub trahat charitatem, ex quo habetur, vt non esse charitatis, quod per peccatum efficitur, ab eodẽ peccato demeritoriè causetur. Ex qua doctrina tale argumentum contra prædictam solutionem consurgit, non minus est de ratione pœnę, quod infligatur ab alio, & vt ab alio infligẽda timeatur, quam de ratione præmij, quod ab alio expectetur; sed hoc non obstante potest id, quod in pœnã infligitur, effectiuè principaliter à merente pœnam causari: ergo etiam poterit id, quod in prẽmium confertur, effectiuè principaliter à merente præmium prouenire. Consequentia tenet à paritate rationis. Maior constat; sicut enim præmium est à Iudice per iustitiam remunerati-uam, ita pœna est à Iudice per iustitiam punitiuam, & non minus vna, qua altera iustitia est ad alterum: ergo non minus est de ratione pœnæ, quod ab alio infligatur, quam de ratione præmij: quod vt ab alio conferendum expectetur. Minor autem probatur ex doctrina adducta Diui Thomę; nam peccans peccato mortali, non instrumentaliter, sed principaliter physicè charitatem corrumpit; & consequenter non esse charitatis, est ab illo effectiuè principaliter; & tamen hoc ipsum non esse charitatis, est pœna eiusdem peccati: ergo id, quod in pœnam infligitur, causatur à merente pœnam effectiuè principaliter.

13 *Vera solutio traditur.*

Quare prætermissa hac solutione, vel in sua probabilitate relicta, respondeo cum Diuo Thoma *infra quæstione 48. art. 6.* vbi idem argumentum proposuit, his verbis: *Non videtur eiusdem esse operari per modum meriti, & per modum efficientiæ; quia ille, qui meretur, expectat effectum ab alio; sed passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti: non ergo per modum efficientiæ.* Cui argumento ita respondet: *Ad tertium dicendum, quod passio Christi secundum quod comparatur ad diuinitatem eius, agit per modum efficientiæ: in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi, agit per modum meriti, &c.* Iuxta quam doctrinam ad argumentum factum respondeo, distinguendo maiorem: idem sub vna, & eadem ratione, concedo maiorem: idem sub diuersis rationibus, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam in actu meritorio Christi duplex inuenitur respectus, nempè, ad animam Christi, ipsum liberè elicientem, & ad diuinitatem eleuantem, conferentemque virtutem instrumentaliter effectiuam, vt constat ex doctrina Diui Thomæ: sub priori consideratione miraculosos effectus meretur, sub secunda consideratione, eosdem instrumentaliter operatur.

S. Tho.

Contra quam distinctionem non obstat prima probatio maioris: nam causans meritoriè, non continet effectum in se physicè ea ratione, qua meritoriè causat, sed alia; vnde potest quatenus merens illum expectare ab alio. Nec est necessarium, quod, quia

14. *Prima probatio maioris nõ obstat*

sub

sub alia ratione continet talem effectum, illum expectet à se, & apud se ipsum mereatur; quia cum talis effectus contineatur in duplici causa, potest prout contentus in vna expectari, vt ab illa conferendum, vt præmium, & non expectari, vt ab alia cõferendum, maximè, si in tali causa, non principaliter, sed instrumentaliter cõtineatur, vt in præsenti cõtingit: nam Christus, vt homo, non principaliter, sed instrumentaliter physicè continet effectus miraculosos; vnde vt causa merens, potest illos expectare à Deo, qui causa principalis est, & non à se ipso prout instrumentaliter physicè continente effectus miraculosos.

15 *Secũda probatio diluitur.*

Ad secundam probationem dicatur, actionem factiuam finis non excedentis facultatem operantis, non posse esse meritoriam finis; quia meritum supernaturale, quod est meritum simpliciter, & de quo ibi loquitur D. Thom. non habet pro termino id, quod non excedit facultatem operantis; meritum enim supernaturale solũ respicit per se supernaturale præmiũ; si autem finis effectus excederet facultatem naturæ, posset esse præmium operantis, quamuis ab ipso merente efficeretur: & quia opera miraculosa facultatẽ naturalẽ humanitatis Christi excedebant, potuerunt sub meritis Christi cadere, quamuis à Christo, vt homine instrumẽtaliter physicè causarentur.

16 *Probatur hæc explicatio ex cõtextu D. Thom.*

Quod autem hæc sit mens D. Tho. patet ex verbis ipsius, loco ex 1. *p. relato*, ibi: *Quælibet res ad vltimum finem per suam operationem pertingit; quæ quidem operatio in finẽ ducens, vel est factiua finis, quando finis non excedit virtutem eius, quod operatur propter finem; sicut medicatio est factiua sanitatis, vel est meritoria finis, quando finis excedit facultatem operantis propter finem, vnde expectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem vltima excedit, & naturam Angelicam, & humanam; vnde relinquitur, vt tam homo, quam Angelus suam beatitudinem meruerint.* Vbi vt clarè constat, tota ratio, cur finis possit cadere sub merito est, quia excedit facultatem naturę; & quia beatitudo supernaturalis, de qua ibi loquitur D. Thom. est supra facultatem, nõ solum naturæ humanæ, sed etiam naturę Angelicæ, infert D. Thom. tam hominem, quam Angelum suam meruisse beatitudinem.

17 *Instabis primo.*

Sed instabis primo; nam pro eodem reputat D. Thom. finem excedere facultatem operantis, & non posse effici per actionem illius, sed tantum meritoriè ab ipso causari; & non excedere facultatem operantis, & per illius actionem effici posse, non tamen sub illius merito cadere: ergo sentit D. Tho. eo ipso, quod finis efficiatur per actionem operantis propter finem, non posse illi correspondere in præmium, nec ab illo meritoriè causari.

18 *Instabis secũdo.*

Secundo; nam si homo in vi gratiæ, & charitatis, quæ illi infunduntur in via, posset effectiuè physicè gloriam in se ipso causare, non posset gloriam mereri, saltim per illas actiones, quibus gloriam physicè efficeret; & tamen gloria excederet facultatem hominis naturalem: ergo actio effectiua finis, etiam si facultatem operantis excedat, non potest esse meritoria illius. Consequentia tenet. Minor constat: nam actus supernaturalis, ex eo quod ab homine in vi gratię efficiatur, non tollitur, quod supernaturalis sit, & quod naturalem hominis facultatem excedat: ergo pariter, quod gloria efficeretur ab homine in vi gratiæ, & charitatis, non tolleret, quod excederet facultatem eius naturalem. Maior autem probatur; non enim potest aliquis mereri, quod in sua cõtinet potestate, cũ de ratione præmij sit, quod expectetur ab alio; sed in eo casu homo iust⁹ haberet gloriam in sua potestate: ergo non posset illam mereri.

19 *Prima replica diluitur*

Respondeo ad primam replicam, pro eodem à Diuo Thoma reputari, loquendo de fine vltimo, excedere, & non excedere facultatem operantis, ac posse effici, & non posse effici ab illo, sed tantum meritoriè causari; quia in re ita contingit, vt finis non excedens facultatem naturæ, efficiente; obtineatur ab intendente fi-

nem, & non meritoriè: cæterum ratio cur sub merito operantis propter finem non possit cadere, non est, quia efficienter ab illo causetur, sed quia facultatem naturæ non excedit, ideoque non potest cadere per se sub merito supernaturali. Nam quamuis efficeretur ab intendente finem, posset etiam moraliter meritoriè ab eodem causari, si excederet facultatem naturæ.

20 *Ad secūdā resp.* Ad secundam replicam, nego maiorem. Ad probationem, distinguo maiorem: si sit potestas in operando, & in efficiendo independens, concedo maiorem: si sit potestas dependens in operando, & subordinata superiori potestati, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam homo iustus, esto in vi auxiliorum gratiæ posset efficienter physicè gloriam causare, posset per modum causę secundæ Deo, vt causæ primæ subordinatæ, eiusque influxu indigentis; ac proinde posset à Deo gloriam, vt præmium expectare, illamq; apud ipsum mereri. Nam sicut primæ solutionis Auctores docent, causam efficientem instrumentalem posse id, quod instrumentaliter physicè efficit expectare à causa principali, & ab illa, vt præmiū obtinere, non autem id posse expectare à se; ita nos dicimus de causa efficienti principali secunda, posse effectum à se efficiendum expectare à causa prima, illumque mereri, vt à causa prima obtinendum, non autem potest illum expectare à se, nec apud se ipsam mereri. Nam ratio cur causa instrumentalis potest à causa principali effectū à se efficiendum expectare, non potest alia esse, nisi quia ab illa in efficiendo dependet, eique subordinatur, quæ ratio pari efficacia militat in causa secunda comparata cum prima; ac proinde idem est asserendum.

21 *Replicabis.* Sed dices; esto possit per vnam actionem mereri effectum efficiendū ex vi alterius actionis; non tamen potest causa secunda efficiens principalis, per actionem, per quam effectum aliquem principaliter causat, ipsum effectum à prima causa mereri: ergo actio effectiua finis, nō potest esse meritoria illius; & consequenter actio, qua Christus, vt homo, efficienter physicè causabat miracula, non potuit esse meritum respectu illorum, nec meritorium concursum in miracula exercere. Probatur antecedens, eatenus enim potest dari meritum in homine, vt Deus conferat effectum ab ipso homine efficiendum, quatenus potest mereri concursum Dei in ordine ad talem effectum; sed actio, qua fit effectus à causa secunda supponit concursum diuinum; cum mediante illo actio fiat; & consequenter non potest illum mereri; principium enim meriti non potest sub eodem merito cadere: ergo nequit causa secunda mereri à causa prima effectum à se ipsa efficiendum per actionem factiuam effectus.

22 *Respōd.* Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem dicatur, concursum præuium diuinum, per quem causa secunda completur, applicaturque ad agendum, Deoque subordinatur, esse priorem actione, qua causa secunda agit; & consequenter non potest cadere sub merito eiusdem actionis; eo quod principium meriti non potest sub eodem merito cadere. Concursus autem simultaneus diuinus, quo Deus, vt causa prima influit in effectum simul cum causa secunda, non est prior actione, qua causa secunda agit; ac proinde potest cadere sub merito actionis causæ secundæ, si actio libera, & capax merendi sit: & hoc sufficit, vt causa secunda per actionem, per quam in effectum influit, effectum ipsum mereatur.

23 *Instabis.* Sed instabis: concursus simultaneus diuin⁹, quo Deus, vt causa prima influit in effectum simul cum causa secunda, est identificatus cum actione causæ secundæ: ergo non potest causa secunda concursum Dei in effectum per suam actionem mereri: idem namq; respectu eiusdē non potest esse præmium, & meritum, aut rationem meriti, & rationem præmij sortiri.

24 *Respōd.* Respondeo, distinguendo antecedens, est identificatus ratione, & identitate essentiali, nego antecedēs:

est

est identificatus realiter, & non essentialiter, concedo antecedens: & nego consequentiã. Nam eo ipso, quod concursus Dei in effectum, sit ratione distinctus ab actione causę secundæ, illique non essentialis, sed ab illa separabilis, potest vno decreto decerni actio, qua causa secunda influit, & alio decreto decerni concursus Dei cum causa secunda in effectum, & hoc secundum decretum ab actione causæ secundæ, vt à Deo pręuisa moueri; & consequenter, tam decretum diuinũ, quam concursus simultaneus per decretum determinatus, & volitus cadere sub prædictę actionis merito. Quod si terminus per actionem aliquã causæ secundæ productus, taliter cõnectatur cum illa, vt inseparabiles sint essentialiter, eodemque decreto diuino necessario decernantur actio, & terminus illius, non poterit iste terminus cadere sub merito actionis, per quam producitur, v. g. Verbũ mentale, quod est terminus dictionis intellectualis, quia essentialiter cũ illa connectitur, & non potest nõ decerni decreto decernente dictionem, non potest sub illius merito cadere, & idem de impulsu per actionem voluntatis producto est dicendum; nam meritum, & præmium petunt distincta terminare decreta. Habitus tamen, qui etiam per actum intellectº producitur, quia taliter inter se comparantur, quod potest existere actus intellectus, & nõ subsequi habitus, Deo suspendente concursum, potest esse præmium actus, per quem efficienter causatur; possunt enim distinctis decretis decerni, quorum vnum alterum præsupponat, & actum in executione prę uisum, ab illoque, vt præuiso moueri: & consequenter poterit decretum executivum habitus supponens decretum executivum actus, & ipsum actum præuisum, sub illius merito cadere.

25 *Superior doctrina explicatur*

Ex quo infero, cum diximus Christum per actus, quibus efficiebat miracula, meritoriè illa causasse, non esse intelligendum de prædictis actibus, prout erant fieri miraculi ab illis effecti loquendo formaliter: quia cum fieri effectus, & effectus ipse connectantur essentialiter, & eodem decreto necessario decernantur, non potest effectº cadere sub merito sui fieri. Sed intelligendum esse de illis actibus sumptis sub alia ratione, v. g. cum Christus orabat, vt aliquod miraculum fieret, ipse actus orationis meritoriè causabat miraculum, & etiam instrumentaliter physicè, quatenus eleuatus à Deo influebat in miraculosum effectum; cæterũ egressus miraculi ab isto actu, vt eleuato, in quo fieri miraculi consistebat, non causabat meritoriè effectum miraculosum, sed tantum physicè: & ratio habetur ex dictis, quia nempè, actus orandi, & effectus miraculosus, non connectuntur essentialiter inter se, & diuersis decernuntur decretis, decretumque de effectu miraculoso efficiendo per ipsum orationis actum, decretũ de orationis actu supponebat, & ab actu orationis, vt prævisso mouebatur: fieri autem effectus miraculosi essentialiter cum illo connectitur, & necessario eodem decreto decernitur; ideoque non potest effectus miraculosus sub merito sui fieri cadere.

26 *Secundo arguitur.*

Deinde contra secundam partem conclusionis arguitur ex Diuo Thoma *q. 29. de Veritate art. 4. ad 9.* vbi docet, quod sicut Deus dupliciter nos iustificare dicitur, nempè, efficienter, & in quantum est finis à nobis cognitus, & amatus: *Ita Christus secundum quod homo, dupliciter dicitur nos iustificare, vno modo secundum suam actionem, in quantum nobis meruit, & pro nobis satisfecit; & quantum ad hoc non potest dici caput Ecclesiæ ante Incarnationem. Alio modo per operationem nostram in ipsum, secundum quod dicimur per fidem eius iustificari; & per hunc modum, etiam poterat dici caput Ecclesiæ ante Incarnationem secundum humanitatem. Vtroque autem modo est caput Ecclesiæ secundum diuinitatem, & ante, & post.* Quam doctrinam repetit solutione *ad 10. 11. & 12. arguentum*: ergo iuxta D. Thom. Christus, in quantum homo, non est caput Patrum Antiquę Legis, & illorum, qui ante Incarnationem fuerunt per influxum me-

S. Tho.

ritorium, ſed tantum per influxum finalem; & conſequenter miracula ante Incarnationem facta, non cauſauit meritoriè, & in genere cauſæ efficientis moralis, ſed ſolum in genere cauſę finalis.

27 *Reſpõd.* Reſpondeo, Chriſtum, eo modo, quo promeruit nobis gratiam, non meruiſſe Antiquis Patribus, qui ante Incarnationem fuerunt, nempè, merito quoad ſubſtantiam, & modum tali; eo quod modus connaturalis merito in cauſando, illique connaturaliter debitus, eſt cauſare prędexiſtendo præmio in tempore, illudque tempore præcedendo; & quia iſtum modum habuit reſpectu noſtri, nõ autem reſpectu Antiquorum Patrum, ſed illorum gratiam cauſauit per præexiſtentiam meriti ſolum in diuina cognitione, qui eſt modus connaturalis cauſandi cauſæ finalis; ideo non eodem modo nobis, & Antiquis Patribus meruit; nobis namque meruit ſecũdum modum connaturalem debitum merito, nempè, cum prędexiſtentia in tẽpore ad præmium; Antiquis autem Patribus meruit ſine tali modo; & ideo nõ cauſauit illorum gratiam meritoriè quoad modum; benè tamen meritoriè quoad ſubſtantiam cum modo cauſæ finalis: ex quo tantum ſequitur, non cauſaſſe miracula ante Incarnationem facta meritoriè quoad ſubſtantiam, & modum, non autem, quod illa non cauſauerit meritoriè quoad ſubſtantiam, ſicque accipiendam eſſe Angelici Præceptoris doctrinam, monſtrauimus *tomo primo Diſput. 13. num. 50. & num. 63.* Et hæc de iſta diſputatione appiicanda litteræ Magiſtri, *vbi Diſputatio præcedẽs,* *M. Sẽt.*

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA.

## An humanitas Christi Domini instrumẽtaliter physicè effectus miraculosos causauerit?

### §. I.

*Aperitur status difficultatis, referuntur sententiæ, veraque eligitur, & auctoritate probatur.*

Nu. 1. *Nõ fuit causa principalis physica miraculorũ.*

IN HAC Disputatione supponimus tãquam certũ, Christum, vt hominẽ, non effeciſſe miracula efficiẽtia physica principali, in quo omnes Theologi conſentiunt, nullo, quem viderim dempto, traditurque à D. Thom. *infra q. 43. art. 2. & in præſenti q. 13. art. 2.* vbi docet, animam Christi non potuiſſe efficere miraculoſas tranſmutationes ſecundum propriam virtutẽ, naturalem, vel gratuitam, ſed tãtum vt inſtrumentum diuinitatis. Idipſum docuit *q. 6. de potentia art. 3. & 4. in 2 Sententiarum diſt. 18. q. 1. art. 3. 3. Contra Gentes cap. 102. 1. p. q. 105. art. 7. & 8. q. 110. art. 4. q. 114. art. 4. 1. 2. q. 113. art. 10.* quibus locis, & paſsim alibi docet Angelicus Doctor, ſolum Deum poſſe propria virtute miracula facere.

S. Tho.

2 *Proba-- tur 1.*

Et probatur primo ex Bernardo *lib. de diſpenſatione, & præcepto*, vbi ait: *Ille ſolus poteſt legem immutare, qui legem condidit; ſicut patet in legibus humanis, quod ſolus imperator poteſt legem immutare, vel diſpenſare in lege, qui condidit legem.* Quæ verba refert D. Thom. *q. 6. de potentia art. 4.* ſed ſolus Deus legem curſus naturalis inſtituit: ergo ſolus Deus poteſt curſum naturalem rerum inuertere, vel in illo diſpẽſare. Sed in quolibet miraculo curſus naturalis rerum inuertitur, in illoque diſpenſatur: ergo ſolus Deus poteſt per propriam virtutem, & vt cauſa principalis miraculoſum opus efficere; & conſequenter humanitas Chriſti Domini, vel Chriſtus, quatenus homo, non influxit in effectus miraculoſos, vt cauſa efficiens phyſica principalis

S. Bern.

Secundo probatur; eſt enim de ratione miraculi talis ſimpliciter, vt fiat prẽter, aut ſupra ordinem totius naturæ creatę; ſed nullus prẽter Deum poteſt aliquid efficere propria virtute, quod ſit ſupra ordinem totius naturæ creatæ: ergo nullus præter Deum

3 *Secundo proba-- tur.*

poteſt

poteſt miraculum facere propria virtute, & vt cauſa principalis. Conſequentia eſt bona. Maior eſt D. Thom. *locis citatis*, & patet; non enim ſufficit ad rationem miraculi, quod ſit ſupra ordinem naturæ particularis; aliàs motus violentus lapidis ſurſum eſſet miraculoſus; cum ſit præter ordinem naturæ lapidis, imo & contra lapidis naturam, quod nullus dixit: ergo eſt de ratione miraculi, quod ſit ſupra ordinem totius naturæ creatæ. Minor autem probatur; quod enim fit principaliter ab aliqua cauſa creata, non eſt ſupra ordinem talis cauſæ; & conſequenter non eſt ſupra ordinem totius naturæ creatæ: ergo nullus præter Deum poteſt per propriam virtutem, & vt cauſa principalis efficere id, quod eſſentialiter petit eſſe ſupra ordinem totius naturæ creatę.

4 *Obijcies* Obijcies: actus charitatis cauſatur à voluntate creata, vt à cauſa efficiente phyſica principali; & tamen eſt ſupra ordinem totius naturæ creatæ: ergo ſtat effectum à cauſa creata principaliter cauſari, & eſſe ſupra ordinē omnis naturę creatæ, quod petit ratio miraculi; & cōſequenter male ex hoc principio probatur à D. Thoma, non poſſe miraculum tale ſimpliciter efficienter principaliter cauſari à cauſa creata. Maior eſt communis ſententia Thomiſtarum 2.2. *quæſt.* 23. *art.* 2. & 1. *p. q.* 12. *art.* 5. quibus locis fusè oſtendimus, actus vitales, eſto ſupernaturales ſint, non inſtrumentaliter, ſed principaliter effici à potentijs vitalibus. Minor autem probatur: nam actus charitatis eſt ſupernaturalis; ſed de ratione entis ſupernaturalis eſt, eſſe ſupra omnem naturam, non ſolum creatam, ſed etiam creabilem, vt tenet communis Theologorum ſententia 1. *p. quæſt.* 12. ergo actus charitatis eſt ſupra ordinem totius naturæ creatę.

5 *Reſpõd.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Nam licet actus charitatis ſit ſupra omnem naturam ſubſtantialem, tam creatam, quam creabilem acceptam ſecundum ſe, quod ſufficit ad rationem entis ſupernaturalis; non tamen excedit virtutem innatam gratię, & habitus charitatis, nec naturam ſubſtantialem, vt eleuatam per gratiam, & habitum charitatis, ſed illi prout ſic cōnaturalis eſt, & hoc ſufficit, vt à voluntate creata, vt à cauſa phyſica principali cauſetur. Miraculum autem petit eſſe ſupra ordinē omnis naturę, nō ſolum ſubſtantialis, ſed etiam accidentalis, tam creatæ, quam creabilis; ideoque non poteſt ab aliqua cauſa creata principaliter phyſicè effici. Quod autem hoc ſit de ratione miraculi patet; plus enim requiritur in aliquo effectu, vt miraculoſus ſit, quā, vt ſit ſupernaturalis; aliàs omnis effectus ſupernaturalis, eſſet miraculoſus ſimpliciter, quod nullus Theologorum aſſeruit; omnes enim Theologi, etiam intra ordinē gratiæ diſtingunt effectus miraculoſos ab alijs, qui miraculoſi non ſunt, ſed intra illum ordinem connaturales; ſed de ratione entis ſupernaturalis eſt exceſſus ſupra exigentiam omnis naturæ ſubſtantialis, tam creatæ, quam creabilis, vt cōmunis tenet ſententia 1. *p. q.* 12. *art.* 1. & *alibi*, inferendo ex hoc principio implicare ſubſtantiam ſupernaturalē creatam: ergo hoc ſolum non ſufficit ad rationem operis miraculoſi, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod ſit ſupra omnem naturam creatam, & creabilem, nedum ſubſtantialē, quæ dicitur natura ſimpliciter, ſed etiam accidentalem, quę eſt, & dicitur natura ſecundum quid. Sed cum hoc exceſſu non ſtat, quod ab aliqua cauſa creata poſſit principaliter effici; cum ad hoc ſit neceſſarium, quod vel ipſa ſecundum ſe habeat virtutem ad efficiendum miraculum, vel quod eleuari poſsit per virtutem ſupernaturalem, ratione cuius principaliter illud efficiat, illudque in ſe pręcontineat: ergo cum exceſſu ſupra omnem naturam creatam exacto ad rationem operis miraculoſi, non ſtat, quod poſsit effici principaliter phyſicè ab aliqua cauſa creata.

Hoc igitur ita ſuppoſito, quod in examen vertimus, eſt, an humanitas Chriſti, vt inſtrumentum phyſicum diuinitatis cauſauerit effectus miraculoſos? Qua in re duplex vtraque celebris, & e regione oppoſita verſatur ſen

6

tia.

Prima sẽtẽtia.

Vazq. Durãd. Ferrar.

tentia. Prima docet, non causasse Christum, vt hominem miracula, quæ patrauit, vt physicum instrumẽtum, sed solum, vt instrumentum morale, hãc, vt probabiliorem tenet Vazquez *infra disp.* 133 *cap.* 2 *&* 3. *& in hac quæst. disp.* 57. *cap.* 5. pro illa referens Durandum *in* 3. *distinct.* 14. *quæst.* 5. *ad* 2. & Ferrarã 3. *Contra Gentes cap.* 102. §. *circa rationem, & §. considerandum vlterius*, verũ ibi Ferrara duplex genus instrumenti distinguit, alterum deferens imperium principalis agentis, alterum propria actione coagens cum principali agente, & hoc secundum instrumenti genꝰ negat respectu effectus miraculosi, primum concedit; non tamẽ explicat, an solum sit instrumentum morale, an vero sit physicum, etsi minus propriè rationem instrumenti sortiatur. Referũtur etiam pro hac sententia ex Antiquioribus Alexander Alensis. 3. *p. q.* 13. *art.* 3. *membro* 3. Altisiodorensis *parte* 3. *Tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 1. Divus Bonauẽtura *in* 3. *dist.* 13. *art.* 2. *q.* 2. Occhamus *ibidem dub.* 3. Scotus *in* 4 *dist.* 1. *q.* 1. 4. *&* 5. & ex nostris Petrus de Soto. 2. *p. de instructione Sacerdotis*, & Magister Cano *in relectione de Sacramentis*. Eidẽ sententiæ adhærent ex Recentioribus Societatis Raguſa *disp.* 36. §. 6. *& disp.* 106. §. 3. Beccanus *cap.* 10. *q.* 9 Gaspar Hurtado *Disp.* 8. *difficultate* 4. & non nulli alij Recentiores ex eadem familia.

Alex. Altiſ. D. Bon. Occhã. Scotus. Petrus de Soto. M. Can.

Ragus. Beccan. Gaſpar. Hurt.

7 Secũda sẽtẽtia. S. Thomas.

Secunda, per extremum affirmat, humanitatem Christi præter concursum principalem moralem, habuisse concursum physicum instrumẽtalem in effectus miraculosos. Ita D. Thom. *in* 3 *dist.* 14. *q. vnica art.* 4. *q.* 6. *de potentia art.* 4. 1. 2 *q.* 112. *art.* 1. *ad* 2. *in hac.* 3. *p. q.* 19 *art.* 1. *ad* 2. *q.* 43. *art.* 1. *&* 2. *q.* 48. *art.* 6. *q.* 52. *art.* 1. *&* 2. *q.* 56. *art.* 5. *q.* 62. *art.* 1. *&* 2. *& in præsenti q.* 13. *art.* 2. D. Thom. sequuntur Paludanus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. Capreolus *in eadem distinctione q.* 1. *art.* 3. *in* 3. *Sententiarum distinct.* 15. *q. vnica art.* 3. *ad argumentum Durandi cõtra primam conclusionẽ*. Magister Soto *in* 4. *dist* 1. *q.* 2. *art.* 3. §. *Hæc autem responsio. & quæst.* 2. *art.* 5. *in principio*. Refertur etiã Ferrara 4. *Contra Gentes cap.* 57. non tamen loquitur de humanitate Christi, sed de Sacramentis Nouæ Legis, quibus concedit concursum physicum instrumentalem, non in gratiam iustificãtem, sed in dispositiones ad gratiam. Illam expressè docent Caietanus *in præsenti q.* 13. *art.* 2. vbi Lorca *disp.* 53. Cabrera *disp.* 3. Nazarius *controuers.* 2. Aluarez *disput.* 66. *concluſ.* 2. Illustrissimus Arauio *dub.* 2. Magister Sancto Thoma *disput.* 15. *art.* 2. Zippullus *dub.* 2. Vincentius *relect. de Gratia Christi q.* 6. *concluſ* 4. *pag.* 785. & Choqueti⁹ *de origine gratiæ lib.* 2. *disp.* 6. *cap.* 1. Tenent etiam ex PP. Societatis Valentia *tom.* 4. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *& disp.* 11. *q.* 3. *punct.* 2. Suarez *in præsenti disput.* 31. *sect.* 3. Albertinꝰ *tom.* 1. *principio* 2. *corollario* 3. *punct.* 3. Puente Hurtado, & Tanerus *disp.* 1. *de Incarnat. q.* 5. *dub.* 7. *dubitatione* 2. & alij ex eadem familia relati à Choquetio *vbi supra*.

Caiet. Lorca. Cabrer. Nazar. Aluar. Araujo. Mag. S. Thom. Zippul. Vincẽt. Choq. Valent. Suar. Albert. Hurt. Taner.

8 Cõclusio Probant Recẽtiores ex Scriptura.

Quæ sententia sit nostra conclusio: pro illa Auctores nostri plura cõgerunt Scripturę, & Patrum testimonia, selectiora sunt verba illa Lucæ cap. 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et cap. 8. Christus de se ipso loquens, dixit: *Noui virtutem de me exisse.* Quę verba plus significare, quã causalitatem moralẽ; ac proinde physicam causalitatem, probant aliqui Recentiores: nam meritum, oratio, & similia, quæ solum causant moraliter, non exeunt à merente, nisi tantum secundum effectum meriti, non autem secundum virtutem, quę sit illius effectus causa; at Euangelista de Christo, Christusque fatetur, virtutẽ de se ipso exisse, quæ erat miraculorum causa: ergo intelligi non potest de virtute meritoriè, aut moraliter causante, sed de virtute efficiẽter physicè in miracula influente.

9 Ponderatio ista non vrget 1.

Huic tamen ponderationi rectè respondet Vazquez *disp. allegata cap.* 6. nomine virtutis non intelligi in prędictis testimonijs qualitatẽ aliquam, quę sit miraculorum principium, sed ipsum miraculosum effectum, quem Christus appellauit virtutem, iuxta phrasim Scripturæ, Matth. 11. & Lucę 10. vbi dicitur: *Quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ fa-*

Mat. 11 Luc. 10.

ctæ

*Marc. cap. 7. Actor. 19.*

*Sæpè in Scriptura nomẽ virtus accipitur pro effectu miraculoso.*

10 *Secũdo.*

11 *Ex illis testimonijs aliter pẽderatis, probatur conclusio.*

ctæ sunt in te, &c. Hoc est, miracula, & signa. Et Marc cap. 6. *Non poterat ibi virtutes facere.* Et Actorũ 19. ibi: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli.* Quibus locis nomine *virtutis* intelliguntur ipsi effectus miraculosi. Pariter ergo in testimonijs adductis nomine *virtutis*, quã Christus à se exisse fatetur, miraculum intelligitur. Et quidem ita esse prędicta verba accipienda, probo ad hominẽ: nam dicti Recentiores docent, Christum loqui de se ipso, non vt Deo, sed vt homine; aliàs non probarent influxum physicum humanitatis in effectus miraculosos; at virtus, qua humanitas Christi influit, non exijt à Christo, vt homine, sed vt Deo; nam mediante illa virtute eleuatur humanitas, potẽsque constituitur ad miracula patranda, non autẽ eleuatur à se, sed à Deo, qui est causa principalis illorum: ergo nomine virtutis non intelligitur forma, quæ est miraculi principium, sed miraculosus effectus, iuxta phrasim Scripturæ relatam.

Deinde: nam esto nomine virtutis intelligeretur aliquid, quod esset principium miraculi, non inde colligeretur, non posse accipi prædicta verba de merito causante moraliter: ergo etiam ex hac parte ponderatio Recentiorum non vrget. Probo antecedens: nam meritum exit à merente tanquam à principio sui: ergo etiam virtus meriti à merente dicitur exire; & consequenter quamuis verba *supra* adducta accipiantur non de effectu miraculoso, sed de virtute, quæ est illius principium, non colligitur ex illis virtus physicè effectiua.

Licet autem nomine virtutis, non forma, quæ sit principium miraculi, sed miraculosus effectꝰ accipiatur: ac proinde verba adducta ex ea ratione non vrgeant, tamen satis efficaciter nostram conclusionem ex alia consideratione suadent: exitus namque effectus ab aliqua causa absolutè sumptus, importat exitum physicum, sed in prædictis testimonijs asseritur absolutè virtutem, ideſt, miraculosum effectum à Christo, vt homine, exijsse: ergo ineptè de exitu morali explicantur; & consequenter attribuendus est Christo, vt homini præter influxum moralem, influxus physicus instrumẽtalis in effectus miraculosos. Consequentia tenet. Minor ex verbis adductis constat: non enim asseritur in prædictis testimonijs virtutem, ideſt, miraculum moraliter à Christo, vt homine, exijsse, sed absolutè asseruit Euangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et Christus de se loquens, ait: *Noui virtutem de me exisse.* Maior autem probatur: effectus namque non exit à causa morali, sed à causa physica, à causa morali inducta; in hoc enim causa moralis à physica causa distinguitur, quod hæc causat influendo in effectum, & illum extra causas ponendo: causa autem moralis non ita, sed mouendo voluntatem alterius, vt aliquid efficiat; intuitu tamen causæ moralis merentis, vel impetrantis, mãdãtis, vel cõsiliantis: ergo exitus effectus à causa absolutè, & sine aliqua limitatione prolatus, denotat exitum physicum.

12 *Explicatur, et vrgetur 1.*

*Silues. Caiet. Armill. Tabien. Nauar. Medin. Enriq. Ledesm.*

*Laymã. Sãchez*

Vrgetur, & explicatur: effectum à causa efficiente exire, idem est, quod effici ab illa; sed effectum effici ab aliqua causa absolutè, & sine limitatione dictum, importat physicam efficientiam: ergo effectum à causa efficiente exire absolutè, & sine limitatione dictum, physicam efficientiam importat. Maior cum consequentia tenet. Minor autem præterquamquod videtur ex ipsis terminis constans, probatur: vt enim docẽt Siluester *verbo Excommunicatio vltimo quæst. 4. dicto 3.* Caietanus *verbo Excommunicatio paulò post principium.* Armilla *num 2.* Tabiena *excommunicat. 5. casu 49.* Nauarrus *in summa cap. 27. num. 51.* Medina *lib. 1. summæ cap. 11. §. 2.* Enriquez *lib. 13. de excommunicatione cap. 17. num. 2.* Ledesma *de excommunicatione dub. 6.* & alij, quos lato calamo referunt, & sequuntur Layman *in summa lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 6. num. 6.* & Thomas Sanchez *lib. 3 de matrim. disp. 49. num. 2.* excommunicatio lata contra aliquid facientes, non comprehendit mandantes, vel consiliantes, nisi in ipsa exprimantur; ideoq; cum Iudex intendit,

tendit, mandantes, & consiliantes sua ex communicatione ligare, illos expressè nominat, cum tamen mandãs, & consilians furtum peccato furti teneantur, vt pote in furtum moraliter influentes, & causæ morales illius; at si effectum effici ab aliqua causa, absolutè, & sine limitatione dictum, influxũ efficientem non importaret, hæc doctrina, quam Sanchez asserit esse communem, vera non esset: ergo effectum effici ab aliqua causa absolutè, & sine limitatione dictum, denotat influxũ physicum. Probo minorem: censura contra facientes furtum comprehendit omnes, de quibus absolutè verificatur facere furtum; sed si effectum effici ab aliqua causa dictum absolutè, nõ importat physicum influxum, sed vel physicum, vel moralem, mandans, & consilians furtum, absolutè dicerentur furantes, & furtum facientes; cum verè sint causæ moralesin furtum moraliter influentes: ergo comprehendentur sub excommunicatione lata contra furantes, vel quod idem est, contra facientes furtum.

13 *Confirmatur secundo.* Vrgetur, & explicatur secundo: nã estò cum proprietate esset verum, effectum exire à causa morali, non tamen est ita proprium, ac exire à causa physica, sicut nec causa moralis, ita propriè, ac physica obtinet rationem causæ, vt omnibus debet esse inconfesso; sed Scripturę verba sunt cũ maxima proprietate accipienda, cum ex tali acceptione aliquid absurdum non sequitur: ergo testimonia adducta sũt de exitu physico, & non tantum de morali accipienda. Patet consequentia: quia ex ista explicatione nullum inconueniens sequitur, vt ex dicendis constabit. Sicque illa accepit D. Tho. *infra q. 43. art. 4.* illis verbis: *Secundo propter modum miraculafaciendi, quia scilicet, quasi propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alij, vn de dicitur Lucæ 6. Quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Vbi Divus Thomas duplicem modum faciendi miracula agnoscit, nempè, orando, quod est mor aliter influere in effectus miraculosos, & propria potestate operando, qui modus patrandi miracula non potest à primo distingui, nisi per influxum physicum, quem probat ex verbis Lucę 6. cap. *Et virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Sentit ergo Divus Thomas verba illa non de influxu morali, sed de physico in effectũ miraculosos esse explicanda. *Lucæ. 6*

S. Tho.

14 *Secundo probatur conclusio auctoritate Conciliorum, & Patrum.* Secundo suadetur conclusio ex Cõcilio Ephesino *canone 11.* vbi asseritur, *carnem Christi esse viuificatricem*, eo quod facta sit propria Verbi. Et Sophronius in Epistola Synodica, quæ habetur in 6. Synodo *actione 11.* dicit: *Verbum per carnem suam effeciſſe opera, quæ erant diuinitatis inditia.* Et Cyrillus *lib. 4. in Ioannem*, sic ait: *Hac de causa in excitandis mortuis, non solum Verbo, atque imperio, vt Deus vtebatur, verum etiam carnem suam, quasi cooperatricem, nonnunquam adhibebat, vt re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse.* Et infra de filia Principis Synagogæ à Christo suscitata, sic ait: *Vt Deus, & Verbo, & carnis suæ contactu eam excitauit, vnam ab vnoſe Christo, Deo videlicet, atque homine operationem producens.* Ac denique Eutymius *cap. 19 in Luccam* de Christi carne, sic loquitur: *Quemadmodum ferrum quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes, ita quoque sancta ipsius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis sunt, operabatur*; at hæc non possunt cum proprietate accipi, vt debent, nisi humanitati Christi concursus, & influxus physicus in miracula attribuatur: ergo asserendum est instrumentaliter physicè miraculosos effectus causasse.

15 *Minor per singulas partes probatur.* Minor per singulas partes probatur: nam carnem Christi esse viuificatricem, idem est, quod esse effectricẽ vitæ; sed hoc soli causæ physicæ conuenit propriè, non autem causę morali, sicut esse homicidam, quod idem est, ac esse causam effectiuam homicidij, soli causæ physicę in homicidium influenti conuenit propriè, non autem mandanti, vel consulenti homicidiũ, quæ causæ morales sunt, & ideo de homicidio tenentur, vt late probat Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrimonio Disp. 49. num. 2.* plures referens, & asserens, esse sententiam communem: ergo

Sanch.

*Verba Concilij Ephesini ponderantur.*

go verba ex Concilio Ephesino relata, quibus asseritur, carnem Christi esse viuificatricem, quod etiam docet Cyrillus, non possunt acipi cum proprietate, nisi humanitati Christi influxus physicus effectiuus in effectus miraculosos concedatur.

16 *Deinde verba Sophronij.*

Deinde: nam causa moraliter solum influens, nõ dicitur cum proprietate facere id, quod solum moraliter causat, quo circa mandantem, vel consulentem, non dici cum proprietate facere, pluribus relatis docet Sãchez, vbi *supra*, asserens, communem sententiam esse; cum tamen mandans, & consulens, vt causæ morales influant: vnde mandans, vel consulens homicidiũ subsecuto effectu homicidij reatu tenentur, vt docent communiter Theologi; sed Sophronius in epistola citata, docet: *Verbum per carnem suam effeciſſe opera, quæ erant diuinitatis indicia*, ideſt, opera miraculosa, quibus Christus se Deum esse monstrabat, vt docet D. Thomas *infra q.43. art.4.* Et Cyrillus: *Carnem suam, vt operatricem talium operum adhibuisse*: ergo vt hęc cum proprietate verificentur, vt debent, concedendus est carni, & humanitati Christi influxus physicus effectiuus.

17 *Verba Cyrilli.*

Præterea: nam de causa morali nõ propriè dicitur cooperari cum causa physica; benè tamen quod illam moraliter ad operandum moueat, & excitet: vnde cooperantes ad furtum, à mandante, consulente, & alio quouis modò moraliter concurrente distinguntur, iuxta cõmunem Theologorum sententiam; & consequenter propriè cooperantes non dicuntur; sed iuxta Cyrillum: *Verbum carnem suam, vt cooperatricem in miraculorum patratione, quandoque adhibebat*: ergo non solum moraliter, sed etiam physicè prædictos effectus causabat. Nec obstat Cyrillum vti particula *quasi*, quę diminutiua est: nam ideo illa particula est vsus, vt excluderet æqualitatem, quę in cooperando insinuatur, & quia caro Christi, quamuis cooperaretur diuinitati, illi nõ adæquabatur, dixit, fuisse cooperatricem non absolutè, sed addendo particulam *quasi* diminuentem ab æqualitate in concurrendo, non à concursu physico extrahentem.

*Solui-tur quæ-dam ob-iectio.*

18 *Instrumentum physicũ, et causa principalis eãdẽ operatiõẽ producunt*

Vlterius: nam solum de instrumẽto physico est cũ proprietate verum, vnam, & eandem operationem cum causa principali producere; sed vt docet Cyrillus: *Caro Christi, & illius diuinitas vnam, & eandem producebant operationem*: ergo verba Cyrilli non possunt accipi cum proprietate, nisi asseratur, humanitatem Christi fuisse physicum instrumentum in miraculorum patratione. Denique: quod docet Eutymius, nempè, sicut ferrum candens, quę propria sunt ignis operatur, ita quoque caro Christi propter coniunctionem cum Verbo operari, quæ sunt propria Dei, non potest cum proprietate esse verum, si tantum moraliter in prædicta opera Dei propria influat, & licet vtrumque saluari possit per influxum moralem, aptius tamen, & melius absque dubio saluatur concesso carni Christi influxu physico instrumentali in effectus miraculosos, qui ex mente Eutymij sunt Deo proprij, quia nempè, ab illo solũ principaliter possunt causari: ergo ille influxus concedendus est carni Christi, & eius humanitati.

*Verba Eutimij expen-duntur.*

19 *Ex his auctoritatibus instaura tur argumentum*

Et ex his vires accipit argumentũ hoc ab auctoritate sumptum, & ita explicatur: nam verba Scripturę, & Patrum, non solum sunt propriè accipiẽda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis, non sequitur cõtradictio in Scriptura, vel in Patribus, nec aliquod absurdum cõtra rationem naturalẽ, in quo nullus poterit inficiari; sed dato, quod testimonia adducta possint explicari propriè per causalitatem solum moralẽ, aptius tamen meliusque, & cum maiori proprietate accipiuntur, concesso carni, & humanitati Christi influxu physico instrumentali, quod saltim probationes factæ videntur manifestè conuincere; & aliàs ex eo quod sic accipiantur, non sequitur contradictio in Scriptura, vel in Patribus; cum nullibi influxus iste in Scriptura negetur, nec à PP. reijciatur, nullumque incõueniens, sequitur cõtra rationem na-

turalem, vt ex argumentorum solutione manifestè constabit: ergo attribuendus est carni Christi, & illius humanitati influxus physicus instrumẽtalis in effectus miraculosos.

20 *Tertio probatur conclusio auctoritatibus D. Thomæ.*

Tertio suadetur conclusio testimonijs Diui Thomæ, quem Nobis in hac parte contrarium frustra Vazquez contendit probare. Et in primis, loquendo de miraculis in speciali, virtutem physicam instrumentalem concessit Divus Thomas *infra q. 43. art. 4.* humanitati Christi, vbi duplicem modum concurrendi ad effectus miraculosos humanitati Christi concedit, nẽpè, orando, & potestatiuè; concursus autem moralis explicatur per ly *orando*; cum ergo alium modum distinguat, scilicet, *potestatiuè*, necessario est accipiendus de concursu physico instrumentali. Quem duplicem modum concurrendi in opera miraculosa, etiã distinxit Chrisostomus, *homilia 36. in Ioannem cap. 5. homilia. 63. cap. 11. & homilia. 64. in Ioannẽ cap. 12. & D. Tho. q. 6. de potentia art. 4.* Vbi vtrumque modum sanctis aliquando conuenire, concedit, probatque ex Gregorio *lib. 2. dialogorum cap. 30. & 31.* Explicansque Angelicus Doctor, virtutem, qua sancti cooperãtur admiracula, docet, non esse permanentem, sed transeuntem, his verbis: *Sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis, in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur, quæ non permanent, nisi per præsentiam agentis principalis, vt lumen in aere, & motus in instrumento, & talis virtus potest intelligi donum gratiæ gratis datæ, quæ est gratia virtutum, vel curationũ, vt sic, hæc gratia, quæ datur ad operandum supernaturaliter, sit similis gratiæ prophetiæ, quæ datur ad supernaturaliter cognoscendum.*

*Chrisost.*

21 *Ex hac doctrina D. T. duplex argumẽtũ deducitur.*

Ex qua doctrina duplex argumentum consurgit. Primum est: postulatiuè miracula efficere, distinguitur ab hoc, quod est illa efficere orando; sed efficere miracula orando, est efficere illa moraliter: ergo potestatiuè miracula efficere, est illa efficere physicè. Secundum est: virtus ad patranda miracula, orando, merendo, vel impetrãdo, vel quouis alio modo morali, non est cur debeat esse transiens, & nõ permanens, imo quod sit permanens patet: nam virtus ad orandum, merendum, & impetrandum in hominibus iustis est permanens; at virtus in Sanctis residens ad cooperandum Deo in miraculis, est transiens, vt docet Divus Thomas, & idem in humanitate Christi cõtingere ex ratione illius infertur: ergo Sancti, & Christi humanitas media prædicta virtute, non moraliter, sed physicè ad effectus miraculosos concurrunt.

22 *Secunda auctoritas D. Tho.*

Eadem doctrina clarè colligitur ex D. Thom. *in præsenti q. 13. art. 2.* vbi docet: *Animam Christi, vt instrumentum Verbi habuisse instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, immutationes vero creaturarum secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout, scilicet, producuntur ex nihilo, & sic sicut solus Deus potest creare, ita solus Deus potest creaturas in nihilum redigere, &c.* Ex quibus verbis tale argumentum consurgit, Divus Thom. illum concursum instrumentalem concedit humanitati Christi in transmutationes miraculosas, quem docet, esse impossibilem in ordine ad rerũ creationem, & illarum anihilationem eidẽ humanitati; sed concursus moralis non repugnat in ordine ad istas transmutationes; benè tamen physicus, vt docet D. Thom. *1. p. q. 45. art. 5.* ergo concursus quem humanitati Christi concedit in ordine ad immutationes primi generis, non est tantum moralis, sed physicus.

23 *Respondet P. Vazq.*

Huic testimonio Angelici Præceptoris respõdet Vazquez *disp. 166. cap. 2.* doctrinam D. Thomæ, tam *in hac quæst. art. 2.* quam *1. p. q. 45. art. 5.* non esse accipiendam de instrumento physico, sed de instrumento morali, eo quod ad rationem instrumenti physici præuia actio necessaria non est; benè tamen ad rationem instrumenti moralis, nec enim morale instrumentum dicitur id, quod solum impetrat aliquid à Deo, sed id, quod impetrat faciendo aliquid circa rem, in qua effe-

ctus à Deo deriuatur, vt cum quis tāgit egrotum, & tactu suo impetrat à Deo sanitatē, & quia nulla causa creata potest aliquid præuium operari circa rem, quæ creatur, nec circa aliquid illius, ideo nulla causa creata potest dici instrumētum morale creationis, vel anihilationis.

24 *Reijcitur 1.* Hęc tamen interpretatio omnino insufficiēs est, & reijcitur primo: nam si impetrans mediante contactu rei, in qua est introducendus effectus à Deo, est instrumentum morale, etiam erit instrumentum morale impetrans sine medio cōtactu; sed non implicat causam creatam à Deo impetrare creationem, vel anihilationem: ergo non implicat instrumentum morale creationis, vel anihilationis. Consequentia tenet. Minorem fatetur Vazquez; ex eo enim solum negat, posse dari instrumentum morale creationis, quia de ratione instrumenti moralis est medio contactu impetrare; contactus autem circa rem creandam repugnat: ergo impetratio sine contactu non repugnat respectu creationis, & anihilationis. Maior autem probatur, eo ipso, quod impetrans mediante contactu, sit causa instrumentalis moralis, impetrans sine medio contactu non est causa principalis: ergo eo ipso concedendum est, esse causam moralem instrumentalem. Consequentia patet: sicut enim in genere causę physicæ, non est medium inter causam principalem, & instrumentalem, ita in genere causæ moralis medium non datur: ergo si impetrans absque medio contactu nō est causa principalis moralis, est causa moralis, instrumentalis; & consequenter est instrumentum morale.

Antecedens autem probatur: nam causa instrumentalis moralis differt essentialiter à causa principali morali in genere, & linea causæ; sicut causa instrumentalis physica essentialiter distinguitur in ratione causæ à causa physica principali; sed causa impetrās mediante contactu non differt essentialiter in ratione causæ moralis à causa sine contactu impetrante, sicut causa impetrans media oratione vocali, non differt essentialiter in ratione causę moralis à causa solo actu interiori impetrante: ergo eo ipso quod impetrans mediante contactu sit instrumētum morale, impetrans sine contactu non est causa principalis moralis.

25 *Secūdo.* Secundo reijcitur: nam iuxta hanc doctrinam concedendum est, posse humanitatem Christi, vt causam principalem ad anihilationem, & creationē concurrere, non autem, vt causam instrumentalem; at hoc ridiculum est, & contra Divum Thomam *in præsenti art. 2. & 1. p. q. 45. art. 5.* vbi vtrumque negat creaturæ, & humanitati Christi, nempè, & principalem, & instrumentalem concursum: ergo interpretatio tradita, extorta est, & omnino insufficiēs. Probatur maior: potest humanitas Christi impetrare à Deo creationem, & anihilationem cuiuscumque rei creatæ, imo & illas condignè mereri, si sua merita applicet, vt Deus aliquid de nouo creet, vel vt aliquid in nihilum redigat; sed in eo casu esset causa principalis moralis creationis, & anihilationis; cum sine contactu impetraret: ergo concedendum est, posse humanitatem Christi, vt causam principalē ad creationem, & anihilationem concurrere, non autem, vt instrumentum.

26 *Tertio.* Tertio: nam Divus Thomas *1. p. q. 45. art. 5.* sententiam de concursu instrumentali posśibili creaturæ ad creationem, refert ex Auicena, & ex Magistro Sententiarum, illamque, vt falsam impugnat, sed Auicena non loquitur de instrumento morali, sed de physico: ergo hunc concursum censet D. Thomas impossibilem creaturæ, & humanitati Christi in creationem, & anihilationem. Maior cum consequentia tenet. Minor autē probatur: vt enim refert D. Thom. sententia Auicenæ erat, quod prima substantia separata creata, creat aliam post se, & substantiam orbis, & animam eius, & quod substantia orbis creat materiā inferiorum corporum; at hoc intelligi nequit de causa instrumētali morali. Tùm; quia eam Auicena nō cognouit. Tùm: quia orbes cęlestes in inferiores substantias concursum moralē impetrat erium mediāte contactu ne-

queunt, exercere: ergo sententia Auicenæ erat de instrumento physico, nō autem de instrumento morali: ergo Divus Thomas illius sententiam reijciens, censet creaturæ impossibilem concursum physicum instrumētalem in creationem, & anihilationem, & de isto concursu loquitur, cum negat humanitati Christi virtutem ad anihilandum, prout est instrumentum Verbi.

27 *Quarto reijcitur*

Quarto reijcitur ad hominē contra Vazquez: vt enim hic Auctor, *locis allegatis* fatetur, actio præuia, ad instrumentū physicum necessaria nō est; sed instrumentum morale dicitur ad modum, & imitationem instrumēti physici: ergo contactus præuius rei, in qua est à Deo inducendus effectus, non exigitur ad rationem moralis instrumenti; & consequenter ex hoc principio non redditur impossibilis creaturæ concursus moralis instrumentalis in creationem, & anihilationem.

28 *Respondebis.*

Respondebis ex doctrina istius Auctoris: instrumenta moralia dici ad instar, & modum instrumētorum artis, licet autem instrumenta naturæ actionem præuiam non petant, in instrumētis artis exigitur; & ideo necessarius est contactus rei, in qua inducendus est effectus ad rationem instrumenti moralis.

*Contra.*

Sed contra: nam iuxta hanc doctrinam intra ordinem naturę dantur instrumenta physica non petentia actionem præuiam, & instrumenta, ad quorum influxū instrumentalē actio præuia est necessaria; sed nulla est ratio assignabilis, cur instrumenta moralia dicantur per analogiam ad vnum instrumentorū genus, & non per analogiam ad aliud: ergo negata actione præuia in instrumentis physicis, vt vniuersaliter requisita, gratis, & absque fundamento exigitur in moralibus.

29 *Quinto reijcitur*

Denique impugnatur istius Auctoris doctrina: nam dato contactū physicum rei, in qua est à Deo introducendus effectus, requiri ad instrumentum morale, etsi rectè colligatur, non posse dari instrumētum morale ad creandum, id tamen non colligitur respectu anihilationis; at D. Tho. negat humanitati Christi virtutē instrumētariam, nō solū respectu creationis, sed etiam respectu anihilationis: ergo non rectè de instrumento morali explicatur. Minor constat ex littera D. Thom. consequentia rectè deducitur, & maior probatur; etsi causa creata nequeat contactu physico erga terminum creationis versari; eo quod solum nihilum ante creationem supponitur; & consequenter ante illam nequit physicum terminare contactum, res tamen anihilanda ante anihilationem supponitur; ac proinde potest antequam anihiletur contactui physico subijci, illumque præuiè ad anihilationē à Deo factam terminare: ergo ratio ista, vt à prædicto Auctore explicatur, etsi probet respectu creationis, in ordine ad anihilationem non probat.

30 *Respondet Vazquez.*

Respondet Vazquez. Anihilationem consistere in suspensione concursus, quo Deus res in esse conseruat; licet autem possit causa creata impetrare prędictam suspensionem concursus tangendo rem anihilandam à Deo, attamen iste contactus non potest prę uiè ad suspensionem concursus se habere; quia ad illam nihil conducit; cū non sit inductio effectus, sed suspensio concursus rem aliquam conseruantis; & ideo nequit dari instrumentum morale anihilationis; quia ad hoc necessarium erat, quod præuius rei anihilandæ contactus proueniens ab instrumēto, ad anihilationem conduceret. Ita Vazquez *loco ex 1. p. allegato cap. 2. num. 7.*

31 *Reijcitur solutio.*

Hęc tamen doctrina omnino insufficiens est, argumentumque in suo robore relinquit, quod probo clarè ni fallor: nam contactus rei anihilandæ à Deo, esto non conducat physicè ad suspensionem concursus, potest tamē moraliter ad illam conducere; sed conducentia physica contactus antecedētis, necessaria nō est ad concursum instrumentalem moralem: ergo ex defectu conducentiæ contactus prę uij respectu anihilationis, insufficienter probatur impossibilitas instrumenti moralis ad illam. Consequentia tener

Minor est certa, maximè, in sententia Auctoris, quem impugnamus: nam Sacramentum Baptismi est morale instrumentum ad gratiam regenerationem; & tamen ablutio corporis, quę est contactus physicus prævius, nõ habet physicam conducentiam ad gratiam in sentẽtia asserente Baptismum esse solum morale instrumentum: ergo ad concursum instrumẽtalem moralem conducentia physica prævij cõtactus ad effectum inducẽdum necessaria non est. Maior autem probatur: cum enim Deus ad impetrationem alicuius sancti corpus mortuum contingentis, mortuum resuscitat, contactus ad vitæ restitutionem conducit moraliter, quia vel est conditio, vel impetratorie concurrit; sed nõ repugnat, quod contactus rei anihilandæ a Deo vt conditio, vel vt impetrans cõducat ad suspensionem concursus: ergo potest concurrere ad illam conducentia morali.

32 *Cõfirmatur 1.* Explicatur, & vrgetur primo: ideo contactus corporis resuscitandi, potest ad resurrectionem concurrere cõcursu morali, quia potest Deus ad præces sãcti mortuum redigere ad vitam, expectato, vt conditione contactu; sed potest ad prẽces creaturę rem aliquam redigere in nihilum expectato, vt conditione contactu rei in nihilum redigendæ: ergo potest contactus physicus moraliter ad anihilationem conducere.

33 *Cõfirmatur 2.* Explicatur, & vrgetur secundo: sicut potest quis impetrare resuscitationem mortui cum cõtactu, & sine illo, potest etiam impetrare anihilationẽ interueniente, & non interueniente contactu; sed impetrans interueniente contactu est instrumentum morale: ergo potest dari morale instrumentum anihilationis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: licet impetrans resurrectionem sine cõtactu corporis resuscitandi morale instrumentum non sit; impetrans tamen cum contactu interueniente, morale instrumentum est respectu suscitationis, vt fatetur Vazquez: ergo pariter quamuis impetrans anihilationem, absque interuentu contactus, morale instrumentum non sit, impetrans tamen anihilationem mediante cõtactu morale instrumẽtum erit. Patet consequentia. Tùm à paritate rationis. Tum etiam: quia vtrobique moralis conducentia in contactu reperitur, & in nullo casu physica: ergo vtrobique est eadem ratio.

34 *Secundo respõdẽt alij.* Secunda solutio est: Divum Thomam, cum negat humanitati Christi virtutem instrumẽtariam respectu anihilationis, non loqui de potentia absoluta, ita vt hac potentia inspecta, non potuerit ad alicuius rei anihilationem concurrere instrumentaliter, sed tantum de lege ordinaria, quia, nẽpè, cum non statuerit aliquid anihilare, sed potius oppositum, non statuit, nec decreuit Christo homini, tribuere virtutem, vt instrumentaliter ad anihilationem concurrat, nec paratus est cum illo ad anihilandum concurrere; & ideo attenta lege ordinaria de facto statuta à Deo, non habet Christus, vt homo, virtutem instrumentariam respectu anihilationis.

35 *Rejcitur 1.* Cæterum nec ista solutio est ad mẽtem Diui Thomæ, & rejcitur primo: quod namque humanitas Christi, prout est instrumentum Verbi, non possit ad alicuius rei anihilationem concurrere, probat Divus Thomas, quia immutatio creaturarum, prout sunt vertibiles in nihilum, correspondet creationi rerum, prout scilicet, producuntur ex nihilo; & ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus Deus potest creaturas in nihilum redigere, qui etiã solus eas in esse conseruat; sed creare, ita soli Deo conuenit, quod nec de potentia absoluta possit conuenire creaturæ, vt de mente Divi Thomæ docent omnes illius Expositores *prima parte quæstione 45. artic. quinto*: ergo cum negat *in præsenti*, humanitati Christi virtutem instrumentariam respectu anihilationis, non loquitur de lege ordinaria, sed de potentia absoluta, sentitque, etiam inspecta tali potentia, non posse humanitatem Christi instrumentaliter ad anihilandum concurrere.

36 *Cõfirmatur.* Vrgetur, & explicatur: quod humanitas, vt instrumentum morale, nequeat

queat de lege ordinaria ad anihilationem concurrere, non ideo verum est, quia soli Deo conuenit creare, & anihilare; sed quia Deus statuit non redigere aliquam creaturam in nihilum; ideoque non est paratus cum humanitate Christi ad anihilandum concurrere; at impotentiam instrumentalem respectu anihilationis, non probat Divus Thomas; eo quod Deus statuerit, nullam anihilare creaturam; sed quia solus Deus est potens anihilare, sicut solus potest creare: ergo non loquitur de impotentia de lege ordinaria, sed secundum absolutam potentiam.

37 *Secūdo reijcitur*

Secundo reijcitur; etenim ex eo quod Deus statuerit intuitu precum, & impetrationis Christi, nullam rem anihilare, non sequitur, Christum non habuisse virtutem instrumentariam moralem respectu anihilationis; sed Divus Thomas docet, non habuisse humanitatem virtutem instrumentariam respectu anihilationis: ergo non, quia Deus dictum decretum habuerit, sed quia ab intrinseco repugnat instrumentalis concursus respectu anihilationis, quod cum solum verum sit de concursu physico instrumentali, asserendum est necessario, de illo Divum Thomam loqui, non autem de concursu instrumentali morali. Minor cum consequentia tenet. Maior autē probatur; quod Deus de facto statuerit, non anihilare aliquid intuitu precum, & impetrationis Christi, non sufficit, vt dicatur, Christum non habere virtutem impetratoriam respectu anihilationis; sed virtus instrumentalis moralis in virtute impetratoria consistit: ergo illud decretum non sufficit, vt de humanitate Christi dicatur, non habere virtutem instrumentalem respectu anihilationis. Minor, & consequentia non indigent probatione. Maior autem probatur: quod Deus de facto statuerit, quod Christus non mereretur efficacitèr Incarnationem Patris, non sufficit, vt dicatur, Christum non habere virtutem ad illam merendam. Insuper; quod Deus statuerit, quod Christus nō mereretur efficaciter salutem Angelis, qui ceciderunt, & hominibus prescitis, non sufficit, vt verè dicatur, Christum non habere virtutem meritoriam salutis hominū præscitorum, & Angelorum, qui ceciderunt: ergo pariter, quod Deus statuerit de facto, quod Christus, quatenus homo, non impetraret de facto creaturæ anihilationem, non sufficit, vt verè dicatur non habere virtutem impetratoriam respectu anihilationis.

## §. II.

### *Expenduntur alia testimonia Angelici Præceptoris, & à ratione nostra sententia probatur.*

PRAETER testimonia adducta, quę in specie de miraculis loquuntur, extant plura, quibus Angelicus Doctor concursum physicum instrumentalē respectu gratiæ humanitati Christi apertè concessisse videtur; cumque, vt contrarij fatentur eodem modo quantum ad concursum physicum sit respectu miraculorum, ac respectu gratiæ philosophandum, rectè ex illis concursus physicus instrumētalis respectu miraculorum in humanitate deducitur. Tertium igitur in ordine testimonium D. Tho. habetur *in hac 3. p. infra q. 48. art. 6.* vbi docet, efficiens principale salutis hominū esse Deum, quia verò humanitas Christi est diuinitatis instrumētum, & ex consequenti omnes actiones, & passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute diuinitatis ad salutē humanā, ideo passio Christi efficiēter causat nostrā salutē; at D. Th. in hoc textu nō loquitur de efficiētia morali: ergo sentit, Christum, & illius passionem instrumentaliter physicè in gratiā, & salutē nostrā influere. Minor, in qua est difficultas, probatur inā in articulis præcedētibus dedit Divus Thomas passioni Christi omnem moralem causalitatem, do-

38 *Tertia auctoritas D. T. est.*

cens *in primo artic.* esse causam nostræ salutis per modum meriti, *in secundo* per modū satisfactionis, *in tertio* per modum sacrificij, *in quarto* per modū redemptionis, in quibus modis causandi continetur omnis causalitas moralis: ergo cum *in sexto* docet, passionem Christi causare salutem hominū per modum efficientiæ attribuit illi physicum influxum instrumentalem.

39 *Respōd. Vazq.*

Huic aperto Diui Thomæ testimonio conatur occurrere Vazquez 3. *p. Disp.* 133. *cap.* 4. asserens, passionem Christi comparari posse ad voluntatem humanam, & ad voluntatem diuinam, & sub prima consideratione esse causam meritoriam; quia in ratione merentis humanitas Christi est prima, Deus namque non meretur, nec capax merendi est; sub secunda autē, rationem efficientis sortiri, non physicè principaliter, aut instrumentaliter, imo nec per modum instrumenti moralis, quia ad hoc requirebatur cōtactus, quem passio Christi non habet respectu hominum; sed ideo sic inspecta rationem efficientis sortitur, quia per voluntatem diuinam fuit assumpta, vt medium in ordine ad gratiam hominibus impertiendam, & ad illorum salutem: & quia medium respectu finis se habet, vt causa efficiēs, ideo Divus Thomas asseruit, passionem Christi prout comparatur ad diuinitatem per modum efficientis nostram salutem causare. Quam doctrinam deducere intendit Vazquez ex D. Thoma *art. 6. allegato in solutione 3. argumenti*, vbi docet passionem Christi secundum quod comparatur ad diuinitatem eius, agere per modum efficientis, in quantum verò comparatur ad voluntatem animę Christi agere per modum meriti.

40 *Displicet illi solutio, & reijcitur 1.*

Hæc tamen istius Auctoris doctrina omnino friuola est, & absque vllo fundamento, nihil aliud, quam verba continens. Quod probo primo: nam D. Thom. tribuit passioni Christi efficientiam distinctam ab efficientia meritoria, redemptiua, satisfactoria, & impetratoria; aliàs cum omnes istos modos causandi in articulis præcedentibus passioni Christi attribuisset, superfluè *in art. sexto* illi attribueret modum concurrendi efficienter; sed efficientia ab his omnibus distincta, non potest non esse physica: ergo sentit physicè efficienter in hominum salutem influere. Secundo: vt enim faretur Vazquez, passio Christi comparata ad voluntatem diuinam, efficienter influit in gratiam; sed non efficienter moraliter: ergo physicè efficienter. Probo minorem: efficientia moralis, vel in merito, vel in satisfactione, vel in impetratione consistit; sed prout comparatur ad voluntatem diuinam non concurrit meritoriè, satisfactoriè, vel impetratoriè; cum hæc omnia illi conueniant per comparationem ad voluntatem humanam, vt prædictus Auctor docet: ergo vt comparatur ad diuinitatem non influit efficienter moraliter. *Secūdo.*

41 *Tertio.*

Tertio: nam efficientia moralis, vel principalis est, vel instrumentalis, sicut causa efficiens physica adęquatè in principalem, & instrumentalem diuiditur; sed vt comparatur ad voluntatem diuinam non influit in dona gratiæ, vt instrumentum morale, nec vt causa principalis moralis: ergo, vt sic non influit moraliter humanitas Christi; & consequenter sub hac consideratione nullum influxum exercet, vel habet influxum physicum instrumentalem. Maior cum consequentia tenet. Minor pro prima parte docetur ab hoc Auctore; eo quod de ratione instrumenti moralis est pręuius contactus physicus rei, in qua est inducendus effectus; passio autem Christi huiusmodi contactum non habet. Pro secunda autem parte probatur: nam efficientia principalis moralis, est efficientia meritoria; sed passio Christi sub hac consideratione non influit meritoriè in dona gratię. Tum, quia influxus per modū meriti conuenit passioni Christi, prout comparatę ad voluntatem humanam, vt prædictus Auctor docet: tum etiam, quia de influxu meritorio non potest Divus Thomas explicari; cum in *art.* 1. illum passioni Christi attribuisset: ergo prout sic comparata non influit meritoriè in dona gratię.

Quarto

42 *Quarto.*

Quarto reijcitur; vt enim aliquid rationem medij sortiatur, sufficit meritorius influxus: ergo ex eo quod passio Christi, vt comparata cum voluntate diuina obtineat rationem medij respectu nostræ salutis, non sequitur, quod prout sic comparata aliam efficientiam, quam meritoriam exerceat; at de efficientia meritoria non potest Divus Thomas explicari, vt *proximè* dicebamus: ergo ineptè explicatur de efficientia passionis per modum medij, nisi ei physica efficientia attribuatur.

43 *Quinto reijcitur* S. Tho.

Denique reijcitur, expendendo solutionem Diui Thomæ *ad 3. argumentum*, quod ita procedebat: *Non videtur eiusdem esse, operari per modum meriti, & per modum efficientiæ; quia ille, qui meretur expectat effectum ab alio; sed passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti: non ergo per modum efficientiæ.* Cui argumento respondet: *Ad tertium dicendum, quod passio Christi secundum quod comparatur ad diuinitatem, agit per modum efficientiæ, in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi agit per modum meriti, &c.* Ex quibus in hunc modum insurgo, Divus Thomas hoc argumento cõtendebat probare, passionem Christi non posse physicam efficientiam in nostram salutem exercere: ergo argumento respondens, physicam efficientiam in passione Christi tuetur. Consequentia est bona; aliàs superfluè argumento occurreret. Antecedens autẽ probo. Maior istius argumenti non accipitur de efficientia morali, sed de efficientia physica: ergo argumentum contra physicam efficiẽtiam procedit. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Maior consistit in hoc, quod nõ videtur eiusdem esse operari per modum efficientiæ, & per modum meriti, quam in aliquo sensu admittit Divus Thomas, vt veram, nempè, quod idem secundum eandem rationem, non potest per modum meriti, & per modum efficientis operari, sed loquendo de efficientia morali, est in omni sensu falsa, imo idem est per modum meriti, & per modum efficientiæ moralis operari: ergo maior argumenti non procedit de efficientia morali, sed de physica efficientia; & cõsequenter cũ D. Thom. argumento tertio occurrens, docet, passionem Christi, vt comparatam ad voluntatẽ animæ illius operari per modum meriti; prout vero comparatur ad diuinitatem ipsius efficiẽter in hominũ salutem influere, non potest de efficiẽtia morali explicari. Qualiter autem passioni Christi physica efficientia cõueniat, cum physicè non existat, *inferius* examinabitur. Alia plura testimonia D. Thomæ pro influxu physico humanitatis in gratiam iustificantem apud Commẽtatores videantur.

44 *Tertio probatur conclusio ratione.*

Tertio principaliter probatur nostra conclusio: humanitas Christi, vt instrumentum Verbi influit in effectus miraculosos; sed non, vt instrumẽtum morale: ergo vt instrumentum physicum. Consequentia tenet: non enim datur medium inter instrumentum physicum, & morale: ergo si humanitas Christi est instrumentum respectu miraculorum, & non est instrumentum morale, erit necessario instrumẽtum physicum. Maiorem concedit Vazquez, saltim respectu aliquorum, quę Christus, vt homo, effecit mediante contactu physico, estque expressa Diui Thomę *in præsenti art. 2.* & pluribus alijs in locis, & videtur non obscurè colligi ex communi Patrum loquutione, nempè, humanitatẽ Christi esse organum diuinitatis in ordine ad dona gratiæ, quę hominibus diuina largitate tribuuntur; esse namque organum diuinitatis, si propriè accipiatur, vt debet, denotat, esse instrumentum in ordine ad illa dona, cumque eadem ratio sit respectu miraculorum, asserendum est, etiam in ordine ad illa fuisse humanitatem Christi instrumentum.

*Humanitas Christi est organum diuinitatis.*

45 *Minor probatur 1.*

Minor autem ad quam tota difficultas reducitur, ostenditur primo: nã sicut instrumentum physicum dicitur per respectum ad causam physicam principalem, ita instrumentum morale dicitur per comparationem ad causam principalem moralem; sed diuinitas comparatione cuius humanitas est instrumentum, non est causa principa-

lis moralis, ſed phyſica reſpectu miraculorum: ergo humanitas in ordine ad illa non eſt inſtrumentum morale.

*Secundò probatur minor.*

Secundo probatur: nam inſtrumentū mediat inter effectum, & cauſam principalem, in cuius virtute operatur, vt conſtat, diſcurrendo per inſtrumenta, ſiuè artis, ſiuè naturæ: calamus namque pennicillus, Serra, & alia inſtrumenta artificialia, mediant inter cauſas principales artificiales, & artificioſos effectus, calor, frigiditas, & alia inſtrumenta naturalia mediant inter effectus, & cauſas principales naturales, quorum inſtrumenta, aut virtutes inſtrumentariæ dicuntur, & ſic de alijs inſtrumētis; ſed humanitas Chriſti prout moraliter influens in effectus miraculoſos, non mediat inter illos, & Deum, vt illos cauſantem, influit namque moraliter, orando, impetrando, & merendo, meritum autem non mediat inter effectum, & Deum, ſed potius Deus prout cauſans phyſicè præmium, mediat inter præmium, & meritum: ergo prout moraliter influit in effectus miraculoſos, nō influit inſtrumentaliter.

46 *Cōfirmatur 1.*

Confirmatur, & vrgetur primo ad hominem contra Vazquez, qui vt *ſupra* vidimus, aſſerit, quod, quia inſtrumentum morale dicitur adinſtar inſtrumenti artificialis, in quo actio aliqua præuia datur erga rem, in qua inducendus eſt artificialis effectus, ideo non ſaluatur ratio inſtrumenti moralis, niſi phyſicus interueniat contactus rei, in qua effectus eſt inducendus; ſed non minus eſt de ratione inſtrumenti artificialis, quod mediet inter effectū, & cauſam principalem agentem, quā quod aliquid pręuiè operetur: ergo non ſaluatur ratio inſtrumenti moralis, niſi mediet inter effectum, & cauſam principalem; cuius comparatione dicitur, & eſt inſtrumentum; & conſequenter cum humanitas Chriſti, quatenus moraliter influit, non mediet inter Deum, vt phyſicè patrantem miracula; non erit, vt ſic inſtrumentum reſpectu Dei, vt phyſicè principaliter operantis; ſed non reperitur in Deo alia conſideratio cauſæ, ſub qua reſpectu illius inſtrumentum dici poſsit: ergo humanitas, prout moraliter influens inſtrumentum morale non eſt.

47 *Cōfirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur ſecundo: nam inſtrumentum agit, vt motum à cauſa principali, & in virtute illius, vt conſtat diſcurrendo per omnia inſtrumentorum genera, quo circa Divus Thomas pluribus in locis docet, cauſam ſecundam principalem, eſſe aliqua ratione inſtrumentum, cauſæ primę comparatam; quia, nempè, ab illa mouetur, applicaturque ad operandum, nec poteſt ſine illius motione operari; ſed humanitas prout moraliter influens in effectus miraculoſos nō mouetur à Deo, vt phyſicè efficiente miracula, ſed potius Deum mouet ad miracula efficienda: ergo humanitas Chriſti, vt moraliter influens, non eſt inſtrumentum Dei, vt phyſicè efficientis miracula.

48 *Reſpōd. Vazq.*

Nec ſufficit reſpondere cum Vazquez, mediationem inſtrumenti inter cauſam principalem, & effectum, requiri in inſtrumentis phyſicis, non autem in inſtrumentis moralibus. Tùm, quia volūtariè aſſeritur. Tum etiam, quia vt *proximè* arguebamus ad hominem contra Vazquez, quia inſtrumenta artificialia ad quorum inſtar dicuntur inſtrumenta moralia, expoſcunt actionem præuiam, infert ipſe, non poſſe aliquid dici inſtrumentum morale, niſi pręuiè operetur in re, in qua inducedus eſt effectus: ergo ſi omne phyſicum inſtrumentum petit operari motum à principali agente, & in virtute illius, non poterit ſaluari ratio inſtrumēti moralis, abſque iſta cōditione.

*Cōtra 1.*

*Cōtra 2.*

Tum denique: nam in genere cauſæ phyſicæ non poteſt ſaluari diſtinctio inter inſtrumentum, & cauſam principalem, niſi per hoc, quod inſtrumentum phyſicū agat in virtute principalis agentis: ergo pariter diſtinctio inſtrumenti moralis à cauſa principali morali non poteſt ſubſiſtere, niſi inſtrumentum morale influat in virtute agentis principalis, & vt motum ab illo.

49 *3. probatur minor arg.*

Tertio principaliter minor argumenti probatur: idem ſecundum eandem rationem non poteſt eſſe cauſa

efficiens

efficiens moralis principalis, & in eodem genere instrumentalis; sed Christus, in quantum homo, est causa efficiens principalis moralis respectu miraculorum: ergo non influit in illa, vt instrumentum morale. Consequentia est bona. Maior videtur certa: non enim minus distinguntur intra genus causę moralis, causa principalis, & causa instrumentalis, quam intra genus causæ physicę; sed non potest eadem causa secundum eandem rationem principaliter, & instrumentaliter physicè in vnum, & eundem effectum secundum eandem rationem influere: ergo pariter intra genus causę moralis non potest ratio instrumenti cum ratione causę principalis moralis in vna, & eadem causa coincidere. Minor autem loquendo de donis gratiæ, de quibus est eadem ratio, ac de effectibus miraculosis, vt aduersarij fatentur, est expressa Diui Thomæ 4. *Contra Gentes cap. 74. & in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2. in corpore.* Et colligitur; *ex solutione ad 2.* vbi docet, quod orans in oratione est sicut principale agens; Christus autem oratione dona gratię hominibus meruit; & consequenter, sicut agens principale.

S. Tho.

50 Deinde probatur: nam Christus, in quantum homo, meruit nobis merito condigno; imo & superabundanti omnes miraculosos effectus, vt vidimus *Disp. 39. num. 5. & sequentibus*, nec ab aduersarijs negatur; sed merēs, saltim merito cōdigno, est causa principalis moralis præmij, quod meretur condignè: ergo Christus, vt homo, est causa principalis moralis respectu miraculorum. Probatur minor: intra genus causæ moralis datur causa principalis, vt omnes fatentur; sed huiusmodi principalitas nulli alteri potest melius conuenire, quam merito condigno merenti: ergo merens merito condigno, est causa principalis moralis. Secundo: nam causa physica ratione propriæ virtutis continens sufficiēter effectum, est causa principalis in genere physico: ergo causa moralis ratione propriæ virtutis sufficienter cōtinens effectum, quem moraliter causat, est causa principalis moralis; sed merens condignè præmium sufficienter moraliter, illud in se cōtinet ratione propriæ virtutis: ergo est causa principalis moralis præmij, quod condignè meretur.

Quod amplius vrgetur; ex eo namque Sacramenta sunt instrumēta physica, vel moralia gratiæ nos iustificantis, quia illam ratione propriæ virtutis non continent sufficienter, nec physicè, nec moraliter; sed Christus, quatenus homo, ratione propriæ virtutis continet sufficienter moraliter dona gratiæ, & effectus miraculosos: ergo est causa efficiens principalis moralis illorum. Confirmatur, & vrgetur secundo, ex Concilio Tridentino *sessione 6. decreto de iustificatione cap. 7.* vbi enumerans causas nostræ iustificationis, docet, causam efficientem, esse Deum, causam meritoriam, Christū, vt hominem, & instrumentalem, Sacramentum Baptismi: ergo ex mente Concilij causa meritoria, vt talis, causa instrumentalis non est; quandoquidem inter causam instrumentalem, & meritoriam distinguens, hanc attribuit Christo, vt homini, & illam Sacramento Baptismi; & cōsequenter Christus de condigno merens miraculosos effectus, est causa principalis moralis, non autem in hoc genere instrumentalis.

51 *Cōfirmatur 1.*

*Cōfirmatur 2.*

Huic argumento responderi potest ex Doctrina Patris Vazquez *vbi supra*, Christum, vt hominem duplicitèr patrasse miracula, nempè, medio contactu physico rei, in qua inducendus erat effectus, & sine tali contactu, & cum priori modo se gessit, fuisse instrumentum morale; cum autem secundo modo, fuisse causam meritoriam. Hæc tamen solutio precisa, & reiecta manet ex dictis *in hac Disput. num. 24. & sequentibus.* Et insuper impugnatur: nam ex eo quod Christus contingeret infirmum, cui salus, aut vita erat restituenda non ideo nō merebatur condignè effectum miraculosum, nec ratione talis contactus desinebat illum in se continere moraliter sufficienter ratione propriæ virtutis; sed cum sine contactu sanitatem impetrabat, ideo influebat principaliter

52 *Respondebis 1. ex doctrina Vazq.*

moraliter, quia illum in se continebat sufficienter moraliter: ergo etiam effectus illos, quos medio contactu causabat, efficiebat principaliter moraliter; & consequenter ex contactu interueniente, non cadebat à ratione causæ principalis moralis, nec constituebatur illorum instrumentum morale.

53 *Cōfirmatur 1.* Quod amplius vrgeri potest: si Sacramenta moraliter sufficienter ratione propriæ virtutis in se continerent gratiam, nos iustificantem, non causarent gratiam, vt instrumēta moralia, sed vt causæ principales morales; & tamen medio cōtactu corporis gratiam in anima efficerent: ergo quod Christus, vt homo, medio contactu physico aliquos effectus miraculosos patrauerit, dummodo illes continueret moraliter sufficienter ratione propriæ virtutis, non probat tales effectus causasse, vt instrumentū morale. Minor cum consequentia tenet. *Maior probatur 1.* Maior autem cōstat primo ex cōmuni Theologorum sententia, asserente, ideo Sacramenta instrumentaliter causare gratiam in anima, quia illam non continent sufficienter, ratione propriæ virtutis: ergo si illam sic continerent, quamuis mediante contactu corporis gratiam causarent in anima; non ideo essent instrumenta moralia. *Secundo probatur.* Secundo probatur maior: si Sacramenta physice sufficienter ratione propriæ virtutis gratiam in se continerent, quamuis illam medio contactu causarent, non essent physica instrumenta gratiæ nos iustificatis, sed causæ physicæ principales, vt omnibus est inconfesso: ergo pariter si gratiam in se continerent, sufficienter moraliter ratione propriæ virtutis, quamuis mediante contactu corporis gratiam causarent in anima, nō influerent in illam influxu instrumentali morali, sed morali principali.

54 *Cōfirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: quod causa physica medio contactu pretuo operetur effectum, non extrahit illam à ratione causæ principalis, nec instrumentum constituit, dummodo effectum in se contineat ratione propriæ virtutis continentia sufficiente: ergo pariter, quod causa moralis in effectum mediante contactu influat, si effectum in se contineat ratione propriæ virtutis continentia sufficiente morali, non extrahit illam à ratione causæ principalis moralis, nec in ratione moralis instrumenti constituit.

55 *Respondebis 2.* Secundo responderi potest ex doctrina à Nobis tradita *D. part. 39. num. 13. & sequentibus*, vbi diximus, idem secundum eandem rationem, non posse esse causam meritoriam, & instrumentalem physicam; benè tamen secundum diuersas rationes, quod ex Diuo Thoma *infra q. 48 art. 6. solutione ad 3.* deduximus. Ex qua doctrina potest argumentum factum solui asserendo, quod licet causalitas meritoria principalis, & causalitas instrumentalis moralis, non possint vni, & eidem secundum eandem rationem competere, possunt tamen in aliqua causa inueniri secundum diuersas rationes: si namque causalitas meritoria principalis, & causalitas physica instrumentalis, quæ plus distant, possunt eidem causæ secundum diuersas rationes competere, à fortiori videtur idem dicendum de causalitate morali principali, & de causalitate instrumentali morali, nempè, quod licet non possint eidem causæ competere secundum vnam rationem, possint tamen in eadē causa secundum diuersas considerationes coincidere.

56 *Reijcitur.* Sed contra; vt enim operationes Christi sub aliqua consideratione obtinerent rationem instrumenti moralis, necesse erat, quod sub tali consideratione deficerent à perfecta continentia morali effectus per illas causandi; sed sub nulla possunt à perfecta continentia deficere: ergo sub nulla obtinere possunt rationem instrumenti moralis. Consequentia tenet. Maior ex dictis habetur. Minor autem probatur: sub omni consideratione dignificantur à Verbo, ab illoque infinitè valorantur: ergo sub omni consideratione continent perfectè moraliter id, quod moraliter causant; & cōsequenter sub nulla deficere possunt à perfecta continentia morali, quod tamen necessarium erat, vt rationē moralis instrumenti subirent. Ex quibus

patet

*Causa principalis moralis alicuius effectus, potest esse physica instrumentalis illius.*

patet discrimen inter munus instrumenti physici, quod in nostra sententia actionibus Christi attribuitur simul cum ratione causæ meritoriæ, & principalis moralis, & inter munus causæ moralis instrumentalis: nam cum perfecta continentia morali, ratione cuius sunt causæ principales in hoc genere, stat negatio perfectæ continentiæ physicæ, & in effectus miraculosos, nō per propriam virtutē, sed virtute causæ principalis influere, in quo ratio physici instrumenti consistit, negatio tamen continentiæ moralis perfectæ, non potest illis competere, quod necessarium erat ad rationem instrumēti moralis; & ideo potest humanitas Christi esse causa principalis moralis respectu miraculorum, & simul physicè instrumentaliter in miraculosos effectus influere, non autem vt moralem instrumentum.

57 *Opponenes.*

Sed dices: hac ratione non probari mortem Christi in facto esse, sepulturam Christi, & illius Ascensionem in Cœlum, & corpus Christi mortuum esse instrumenta physica respectu salutis hominum, & respectu miraculorum, sed de his omnibus docet Divus Thomas *infra* in nostram salutem influere: ergo hęc, saltim non erunt instrumenta physica, sed instrumenta moralia. Probatur maior: mors Christi in facto esse, sepultura Christi, illius Ascensio in Cœlum, & corpus Christi iam mortuum, non causant meritoriè moraliter: nam Christi meritum tantum fuit in via; & consequenter non sunt causæ principales morales respectu nostræ salutis, sed hac ratione probauimus Christum, vt hominem, per actiones, quas in statu viæ elicuit, non causasse miracula, & dona gratiæ, vt instrumentum morale, quia fuit causa meritoria, & moralis principalis: ergo mors in facto esse, corpus Christi mortuum, & alia, quæ enumerauimus, saltim in vi huius rationis non erunt instrumenta physica, sed instrumenta moralia.

58 *Respōd.*

Respondeo, quod licet hac ratione non probetur passiones Christi, & actiones ipsi conuenientes statu viatoris elapso non esse instrumenta moralia, nec directè ista ratione probetur quod sint instrumenta physica, indirecte tamen, & per consequentiam mediatam, hoc secundum facta ratione conuincitur; semel namque admisso Christum, vt hominem per actiones, quas exercuit in via physicè in dona gratiæ, & miracula instrumentaliter influxisse, non est, cur negetur influxus physicus instrumentalis actionibus, & passionibus, quas elicuit, & sustinuit statu viatoris transacto: ac proinde cum primum ratione facta probatur, etiam hoc secundum ex consequenti deducitur. An autem simul cū influxu physico etiam obtinuerint rationem instrumenti moralis? Nec excludimus, nec docemus; & quidem, si causalitas moralis instrumentalis illis adaptari possit, libenter id admitteretur à Nobis, vt omnis dignitas possibilis humanitati Christi attribuatur. Sit tamen satis difficile moralem influxum instrumentalem corpori Christi, illius sepulturæ, morti in facto esse, resurrectioni, & ascensioni adscribere, etsi ille influxus moralis non admittatur validissimum argumentum pro Nostra sententia consurgit: non enim potest negari aliqua ratione in salute nostram influere, cumque meritoriè non influant, si non causant, vt instrumenta moralia, per euidentem consequentiā infertur, causare instrumentaliter physicè.

## §. III.

### *Vltima conclusionis ratio expenditur.*

59 *Denique probatur conclusio.*

DENIQVE probatur conclusio: Christo, vt homini, de facto attribuenda est omnis dignitas, & perfectio non implicans, aut cum statu redemptoris non pugnans, nisi oppositū sit reuelatum; sed virtus effectiua instrumentaliter physicè miraculorum, est dignitas, & perfectio non implicās,

nec

nec statui redemptoris repugnans, nec ab illo per reuelationem excusata ergo est Christo, vt homini, de facto attribuenda; & consequenter physicè, vt homo in miracula influxit, influxu physico instrumentali.

60 *Respondetur 1.*

Huic argumento multipliciter potest occurri ex doctrina aduersariorū. Primo, distinguendo maiorem; illamque concedendo, si in perfectione, & dignitate possibili inconnaturalitas non interueniat: secus autem, si inconnaturalitas aliqua intercedat; in concursu autē physico instrumentali respectu miraculorum datur inconnaturalitas, eo quod fit per auxilium extrinsecum non media virtute intrinseca, vel saltim sine virtute intrinseca permanente; & ideo quamuis sit possibilis, & dignitas, seu perfectio, Christo attribuenda non est. Sicut hac ratione *Tractatu de Merito Christi*, cum cōmuni sententia docebimus, Christum non meruisse sibi de facto gratiam habitualem, etsi potuerit de potentia absoluta illā sibi promereri, quia ad hoc requirebatur, quod actus supernaturales meritorios per qualitatem fluidam, & non permanentem, non connaturaliter eliceret. Secundo respondeti potest, concessa maiori, negando minorem. Nam licet concursus instrumentalis physicus in effectus miraculosos, & in alia dona gratiæ implicatorius non sit, dignitas tamen non est; cum possit creaturæ irrationali competere, & creaturæ rationali, quamuis sit peccato infecta; ac proinde non est, cur humanitati Christi attribuatur.

*Respondebis 2.*

61 *Respondebis 3.*

Tertio occurri potest, concedendo maiorem: si dignitas magna sit, & in eius defensione magna difficultas non adsit: secus autem, cum dignitas parua est, & defensatu difficilis; & quia concursus physicus instrumentalis parum dignitatis habet, & aliàs difficile potest defendi; ideo attribuendus humanitati Christi nō est, maximè, cum ei cōueniat, tam in dona gratiæ, quam in effectus miraculosos concursus meritorius condignus, qui eximiæ dignitatis, atque perfectionis est. Denique respondet Vazquez, & frequentius alij eius sententiæ adhærentes, concedendo maiorem, & negando minorē: quod scilicet, non implicet concursus physicus instrumentalis in humanitate Christi respectu miraculorum; eo quod in humanitate nō est virtus physicè effectiua illorum, implicat autē concursus, siuè instrumentalis, siuè principalis sit, sine virtute suppositā principali, aut instrumentali.

*Quarto respondet Vazq.*

Nulla tamen ex his solutionibus argumento facto satisfacit, nō prima: dignitas namque, & perfectio positiua propter solam negatiuam imperfectionem, quæ in eius conuenientia inuenitur, humanitati Christi neganda non est; sed physicè instrumentaliter influere in effectus miraculosos, dignitas est, & positiua perfectio, inconnaturaliter autem influere, solum est imperfectio negatiua: ergo excludendus non est ab humanitate Christi physicus in miracula influxus, eo quod in illa inconnaturaliter influat. Consequentia est bona. Minor constat: nam carentia perfectionis repugnantis, solum est negatiua imperfectio; at connaturaliter in miracula influere est perfectio repugnans creaturę; aliàs non negaretur humanitati Christi: ergo inconnaturalitas influxus in miraculosos effectus est tantum negatiua imperfectio. Maior autem non min' aperta videtur. nam in Christo, vt homine plures admittuntur negatiuę imperfectiones: nam habitus virtutum in ipso, non sunt in summo intensionis gradu possibili de potentia absoluta; & consequenter sunt negatiuè imperfecti, caruit etiam comprehensione Dei per intellectum creatum, quæ carentia, etiam est imperfectio negatiua: ergo positiua dignitas, seu positiua perfectio non est ab humanitate Christi excludenda ob solam negatiuam imperfectionem, quę in eius cōuenientia inuenitur.

*Prima solutio impugnatur.*

62

Et ex his constat disparitas ad exēplum in fauorē solutionis adductum: nam actus supernaturales, vt connaturaliter eliciantur petunt à principio permanente procedere, vt *Tractatu de Gratia Christi Disputatione vigesimatertia* docuimus, & probauimus: ac proinde illos elicere media qualitate flui-

*Exemplum in solutione adductum nō obstat.*

63

da est inconnaturalitas, imperfectionem priuatiuam importans, ideoque humanitati Christi negandum: influxus autem physicus in effectus miraculosos, non petit à creatura procedere media qualitate permanente, eleuãte: imo, quod ab illa procedat repugnat; si namque non repugnaret, sic deberet ab humanitate Christi procedere, & idcirco inconnaturaliter in miracula influere, non est priuatiua, sed tantum negatiua imperfectio ob quã vitandam, non debet positiua dignitas, & perfectio, quæ in tali influxu inuenitur humanitati Christi negari.

64 *Instauratur argumẽtũ.* Ex quib⁹ argumentum factum in hunc modũ vrgetur, & roboratur: si actibus honestis ordinis supernaturalis repugnaret procedere à gratia inhærente, permanente, aut transeunte: non ideo relegandi essent ab humanitate Christi; & tamen tali repugnantia supposita, non elicerentur ab illa connaturaliter, sed per auxilium extrinsecum: ergo pariter quamuis effectibus miraculosis repugnet à principio intrinseco permanente procedere, & ideo non possit ab humanitate causari, vt à principio cõnaturaliter influẽte, non ideo negandum est, instrumentaliter ab illa causari. Patet consequentia: primum namque ideo cõtingeret, quia elicere actus supernaturales, perfectio, & dignitas est, illos autẽ non elicere ratione principij permanẽtis, esset tãtum negatiua imperfectio; sed id ipsum contingit in influxu physico instrumentali respectu miraculorum: ergo est humanitati Christi attribuendus.

65 *Explicatur, & confirmatur.* Explicatur, & vrgetur secundo: etenim Auctores docentes, effectus miraculosos ab humanitate Christi causari per potentiam actiuam obedientialem adiutam auxilio tantum extrinseco, id asserunt, quia censent implicatoriam qualitatem supernaturalem, etiam transeuntem, quæ sit virtus vt *quo*, respectu talium effectum, & qui docent, ab humanitate causari media motione intrinseca, aut qualitate facilè transeunte, non autem media qualitate supernaturali permanente, id docent, quia censent implicatoriam huiusmodi qualitatem, quod si huiusmodi qualitates implicatoriæ non sint, absque fundamento negabitur, illis humanitatem Christi eleuari; sed inconnaturalitas consistens in negatione concursus per qualitatem repugnantem respectu alicuius effectus, solum est negatiua imperfectio: ergo ratione talis inconnaturalitatis, negãdus non est humanitati Christi influxus physicus instrumẽtalis in effectus miraculosos.

66 *Secũda solutio reijcitur primo.* Nec magis secunda solutio satisfacit. Primo: nam influere physicè in effectus miraculosos aliqua perfectio est: ergo etiam est aliqua dignitas. *Secũdo.* Secundo: nam subsistentia Verbi potuit cum natura irrationali vniri in communi Theologorum sententia; & tamen quod humanitas Christi ei fuerit vnita, dignitas maxima est: ergo ex eo quod influxus physicus instrumentalis in effectus muraculosos posit naturę irrationali competere, non probatur dignitatem non esse in humanitate Christi. *Tertio.* Tertio: nam ministrum Sacramẽti in illius effectum influere, dignitas est, & talis censetur ab omnibus; & tamen talis influxus potest à ministro peccato infecto exerceri: ergo quod influxus physicus instrumentalis conuenire, posit creaturæ peccato infectæ, non probat dignitatem nõ esse. *Quarto.* Quarto: nam quod Sacramenta nouę legis physicè, aut moraliter, vel vtroque modo in gratiam iustificantẽ influant, dignitas illorum præ Sacramentis antiquis censetur ab omnibus Theologis; & tamen vterque influxus, tam physicus, quã moralis potest creaturę irrationali competere, & de facto conuenit aquæ in Baptismo, quę irrationalis est, & vt instrumentum physicum, vel morale, vel vtroque modo influit in gratiam regenerantem: ergo ex eo quod influxus physicus instrumentalis in miraculosos effectus possit conuenire irrationali creaturæ, nõ probatur dignitatem, non esse.

67 *Tertia solutio impugnatur.* Deinde tertia solutio reijcitur: nã licet prædictus influxus magna dignitas, & perfectio non sit, est tamen aliqua dignitas, & aliqualis perfectio: ergo quamuis difficilis sit, dummodo

non

*Cuidam obiectioni occurritur.*

non posit implicatoria conuinci adscribenda est humanitati Christi. Nec obstat, quod humanitati Christi conueniat influxus meritorius condignus in dona gratię, & in effectus miraculosos, qui maioris perfectionis, & dignitatis est, quam influx⁹ physicus instrumentalis; & ideo pro influxu physico adstruendo in humanitate laborandũ non sit: nam etiam intellectui Christi conuenit visio beata, quæ perfectior est scientia infusa; & tamen pro hac scientia adstruenda, à Theologis laboratur, & ista scientia supposita, quę longè acquisitam excedit, scientia acquisita in eodem intellectu adstruitur ab omnibus Theologis, vt intellectus Christi perfectus sit omni perfectione posibili. Pariter ergo in præsenti, quãuis influxus meritorius condignus in dona gratię, & in effectus miraculosos perfectior sit, quam influx⁹ instrumentalis; quia tamen in hoc influxu aliqua perfectio inuenitur, est simul cum priori humanitati Christi attribuendus, dato, quod sit ei posibilis, quantumvis in illo adstruendo, difficultas aliqua imo, & maxima inueniatur.

68 *Contra vltimã solutionẽ opponit Ripalda.*

Contra vltimam solutionem plura opponunt Recentiores, præcipuè, Ripalda *tom. 1. de ente supernaturali lib. 2. disp. 40. sect. 2.* probans, dari in omni ente creato potentiam obedientialẽ actiuã, media qua potest concurrere Deo extrinsecè assistente, & concursu indebito iuuante ad omnem effectum, qui contraditionem non implicat. Hæc tamen doctrina de potentia obedientiali immediatè actiua in supernaturales effectus nobis placere non potest, illamque fusè reiecimus *Tract. de Visione, & Tract. de Charitate*, loquendo in simili de actiuitate intellectus, & voluntatis in actus supernaturales vitales. Suarez *disp. 31. sect. tertia*, contra solutionem istam sic arguit: non enim est asserendum, nihil posse Deum per creaturam efficere, quod creatura per vires suę naturæ efficere non posit: ergo non repugnat humanitatem Christi eleuari ad efficienda miracula per concursum physicum instrumentalem; est enim eadẽ ratio. Antecedens probat primo exẽplo Sacramentorum Nouæ Legis, quę physicè efficiunt gratiam, quam ex se, & propria virtute minimè efficere possunt. Secundo: exemplo intellectus, & voluntatis, quæ potentiæ à Deo eleuantur ad actus, ad quos ex se virtutem naturalem non habent, nẽpè ad visionem Dei, & amorem supernaturalem eiusdem: ergo verum est, quod natura potest eleuari ad opera, ad quæ ex se, & per proprias vires non potest.

*Displicet eius doctrina de potentia obedientiali immediatè actiua.*

69 *Contra istam solutionẽ arguit Suarez.*

Si dicatur: ideo intellectum, & voluntatem posse eleuari ad visionem, & amorem supernaturales, quia per proprias vires possunt in actus amandi, & intelligendi in genere; & ideo mirum non est, quod possint virtute diuina eleuari ad actus in eodem genere perfectiores. In contrarium arguit primo: nam licet intellectus, & voluntas possint per proprias vires efficere rationes intellectionis, & amoris, quatenus sumptę genericè possunt in qualibet specie saluari, prout tamen rationes illæ sunt reipsa contractæ ad actus supernaturales, non possunt ab his potentijs viribus naturæ attingi, sicut ratio qualitatis potest effici à calore, nõ tamen prout ad esse gratiæ contracta; & tamen dictę potentiæ eleuantur ad efficiendam rationem illam contractam ad actus supernaturales: ergo pariter humanitas, quãuis per proprias vires non posit in effectus supernaturales influere, poterit, vt eleuata.

70 *Si respõdeatur.*

71 *Opponit primo.*

Secundo: nam etiam humanitas Christi potest ratione sui aliquam qualitatem efficere; & consequenter attingere rationem qualitatis, vt sic: ergo si intellectus potest eleuatus efficere visionem beatificam: quia potest per proprias vires attingere intellectionem, vt sic, poterit etiam humanitas eleuata efficere gratiam; quia ratione sui, & per proprias vires potest efficere qualitatem, vt sic, gratiæ, & alijs qualitatibus naturalibus communem. Quo argumento Ripalda, & alij Recentiores vtuntur.

72 *Secundo*

Hoc tamen argumentum, nisi aliunde iuuetur, non vrget: nam primum exemplum, quo probatur antece-

73 *Argumẽtum P. Suarez non vrget.*

tecedens ab aduersarijs negatur, secũdum autem, etsi veram contineat doctrinam, & rectè ex illo inferatur, posse naturam eleuari ad aliquid efficiendum, ad quod ex se vires proportionatas non habet, non tamen ex illo deducitur posse humanitatem Christi, & quamuis aliam creaturam eleuari ad efficienda miracula, & cętera dona gratiæ, quod, argumentum intendit: ergo intentum non conuincit. Assũptum probatur primo: nam in intellectu creato estò non sit potentia proportionata ad visionem supernaturalem, est tamen potẽtia remota ad illam, vt fusè ostendimus *Tract. de Visione Dei* 1. *p. q.* 12. *art.* 5. & *Tract. de Charitate*, 2. 2. *q* 23. *art.* 1. & 2. at huiusmodi potentia improportionata, & remota respectu miraculorum, & respectu donorum gratiæ in humanitate Christi ab aduersarijs negatur, nec illam probat Suarez: ergo ex eo quod intellectus creatus sit eleuabilis ad visionem supernaturalẽ, ad quam ex se vires proportionatas non habet, non colligitur efficaciter id ipsum de humanitate Christi in ordine ad miracula, & ad dona gratiæ dicendum.

*Assũptũ probatur* 1.

74 *Secũdo.* Secundo: nam in visione beatifica est aliquod prædicatum intellectui correspondens, quod sine concursu intellectus non potest causari à Deo, de potentia absoluta, in veriori Theologorum sententia, vel saltim ex natura rei, quod à nemine potest negari; at in gratia, v. c. nullum prædicatum elucet, quod petat in humanitatem Christi reduci, nec exigentia essentiali, nec etiam connaturali: ergo ex eo quod intellectus creatus possit eleuat⁹ influere in visionem beatificam, non rectè infertur, posse humanitatem Christi, vt à Deo eleuatam, efficienter in habitualem gratiam influere. Consequentia patet: nam assignata sufficiente disparitate, argumẽtum à paritate sumptum euanescit; sed disparitas ista, quã inter intellectum comparatum cum visione beatifica, & humanitatem cõparatam cum gratia, constituit Vazquez 1. *p. disput.* 176. *cap.* 5. est sufficiens, vel saltim insufficiens non ostẽditur à Suarez: ergo argumentum à paritate intellectus desumptum, ineficax est. Minor autem discursus facti est certissima, nec indiget probatione, sicut nec maior assumpta; prædicatum namque intellectionis conuenies visioni beatificæ, essentialiter in veriori sententia, vel saltim connaturaliter ab intellectu dependet, in quo nullus dissentire potest: ergo est aliquod prędicatum in visione beata, quod vel essentialiter, vel saltim ex natura rei petit in intellectum reduci, vt in causam propriam sui, saltim proximitate potentiæ.

75 *Opponit Suarez* 1. Nec obstat, quod Suarez opponit, nempè, intellectum creatum non habere ex se sufficientes vires ad rationẽ intellectionis, vt contractam per differentiam supernaturalitatis; & tamen, vt eleuatus à Deo, in illam, vt sic contractam influere: ergo quamuis humanitas Christi non habeat ratione sui vires sufficientes ad influendum in gratiam, & in miracula, poterit in illam influere, quatenus à Deo eleuata. *Respõd.* Non inquam obstat: nam in sententia Patris Vazquez, non ideò humanitas nõ potest physicè efficere gratiam ex diuina eleuatione; quia in ordine ad illam sufficientes vires non habeat ratione sui, sed quia nullas vires habet in ordine ad talem effectum, nec proximè, nec remotè; at verò intellectus creatus, etsi respectu visionis, & intellectionis, vt contractæ per differẽtiam supernaturalitatis, non habeat vires proportionatas, habet tamen aliquas vires, scilicet, potentiam remotam, quam colligit ex prędicato intellectionis, quod quamuis sit contractum, nõ potest ab alio principio, quam ab intellectu effici: ergo paritas non tenet.

76 *Opponit* 2. Nec obstat, quod idem Auctor opponit secundo, nempè, in gratia reperiri rationem communem qualitatis, in quam humanitas Christi est potens rationi sui; cum possit per propriam virtutem qualitates naturales efficere, quæ cum gratia in ratione qualitatis conueniunt; sed intellectus est remotè potens in intellectionem supernaturalem, quia est ratione sui potens in gradum communem intellectionis, & hoc ideo, quia potest ratione sui in-

tellectionem naturalem efficere, quæ cum intellectione ſupernaturali conuenit in ratione illa communi: ergo humanitas ratione ſui erit remotè potens in gratiā; & conſequenter à Deo poterit eleuari, vt in illam proximè influat.

77 *Reſpōd.* Non inquam obſtat: nam intellectus nō ideo adſtruitur remotè, & improportionatè potens reſpectu intellectionis ſupernaturalis, quia ratione ſui eſt potens in actum naturalem intelligendi conuenientem cum actu ſupernaturali in ratione intellectionis, vt ſic; aliàs voluntas poſſet, vt eleuata intelligere; cum ratione ſui poſsit efficere actum naturalem volendi cōuenientem genericè cum intellectione in ratione actus vitalis, ſed quia ratio intellectionis intellectui, vt cauſę propriæ reſpondet, eique tribuit ſpeciem; & conſequēter eſt potens in omnem intellectionem, proximè quidē, & proportionatè, cum illa ratio coniungitur cum differentia proportionata cum viribus naturalibus, remotè autem, & improportionatè, cum contrahitur per differentiam ſupernaturalem, vireſque naturales intellectus excedentem; at ratio qualitatis, vt ſic, communis calori, v.c. & gratiæ, non reſpondet humanitati, vt affectę, v.g. calore, tanquam proprius eius effect', nec humanitati, vt actiuæ per calorē tribuit ſpeciem; ſed actiuitas caloris à gradu caloris inferiori ſpecificatur, & hic gradus, illi, vt proprius effectus reſpondet: ergo ex eo quod intellectus ſit remotè potens ad intellectionem ſupernaturalem, non rectè probatur in humanitate Chriſti potentia remota ad gratiam efficienter cauſandam, idemque eſt dicendum reſpectu miraculorum.

78 *Cōfirmatur* 1. Confirmatur, & vrgetur primo: aliter reſpondet intellectui creato gradus intellectionis, ac humanitati Chriſti, aut illius qualitatibus naturalibus ratio qualitatis vt ſic: ergo ex eo quod adſtruatur in intellectu potētia remota ad viſionem, quia contrahit rationem intellectionis, perperam infertur in calore, v.c. vel in humanitate Chriſti, quatenus calore affecta, potentia improportionata, & remota in ordine ad influēdum in gratiam habitualem. Conſequentia patet: nam ex inęquali, & diuerſa comparatione, non poteſt eadem potentia colligi. Antecedens autem prętерquamquod ex *proximè* dictis conſtat; euidenti ratione probatur: nam gradus intellectionis reſpondet intellectui, tanquā cauſę propriæ ſui, & ſine cuius concurſu non poteſt effici, vel de potentia abſoluta, vt tenet verior ſententia, vel ſaltim connaturaliter, quod nulla poteſt negare; at ratio communis qualitatis, nō ſic reſpondet calori, nec humanitati Chriſti, vt omnibus eſt inconfeſſo, nec ab aliquo poteſt negari; cum gradus ille cōmunis connaturaliſsimè poſsit cauſari ſine vllo caloris, vel humanitatis cōcurſu: ergo aliter comparatur cum intellectu creato ratio intellectionis vt ſic, ac ratio qualitatis cum calore, vel cum Chriſti humanitate.

79 *Cōfirmatur* 2. Confirmatur, & vrgetur ſecundo: ex eo quod calor, v.g. poſsit calorem producere, & rationem qualitatis, quę contracta eſt ad calorem; non benè infertur poſſe ex diuina eleuatione producere viſionem beatam: ergo argumentum hoc, quo poſt Suarez vtūtur Recentiores, inefficax eſt. Antecedens probatur: ſi namque illa conſequentia eſſet bona, ſequeretur, poſſe voluntatem ex diuina eleuatione efficere viſionem beatam, eo modo, quo illam efficit intellectus; conſequēs abſurdum eſt: ergo conſequentia nulla. Minor conſtat: ſi namque poſſet voluntas efficere viſionem beatificam, eo modo, quo illam efficit intellectus, ſequeretur, poſſe hominem voluntate intelligere, imo auditu, viſu, aliiſque potentijs corporeis, de quibus idem argumentum, ac de voluntate militat; conſequens abſurdum eſt: ergo, & illud ex quo ſequitur. Maior autem probatur: voluntas propria, & innata virtute efficit volitionem naturalem, & vt abilla contractam, rationē actus vitalis communem viſioni beatificæ, & actibus voluntatis: ergo ſi calor eleuari poteſt ad producēdam gratiam, eo modo, quo intellectus ad producendam viſionem, quia cauſat ratio

nem

nem qualitatis, gratiæ, & calori communem, poterit etiam voluntas eleuari ad efficiendam visionem beatificam, eo modo, quo illam efficit intellectus, & idem est de potentia visiua, & auditiua dicendum, quod nempè, eodem modo sint eleuabiles ad visionem beatificam efficiendam; cũ idem argumentum possit fieri de illis, vt cõsideranti facili negotio constabit.

80 *Recẽtioris cuiusdã solutio.*

Huic obiectioni Recentior quidã respondet, negando sequelam. Et ad probationem ait: intelligere, & videre Deum, esse effectum formalem non solius visionis, aut intellectionis, sed etiã ab intellectu proueniens; etenim effectus formalis non datur solum à forma, sed etiam ingrediente subiecto, quo circa personalitas Verbi vnita naturæ bruti, personam non constituit; quia quamuis forma sit eadẽ cum illa, quæ de facto fuit cum humanitate vnita, natura tamen, quæ est subiectũ personalitate terminatum, esset diuersa, & esse personam, est effectus formalis non à sola forma, sed etiam à subiecto dependens: quia ergo voluntas non est intellectus, quamuis eleuata efficeret, & reciperet visionem aut intellectionem, eo modo, quo illam intellectus efficit, & in se recipit, non diceretur videns, nec intelligens per illam.

81 *Reijcitur primo.*

Hæc tamen solutio omnino insufficiens est, & reijcitur primo: nam licet effectus formalis intelligẽdi sit ab intellectu *effectiuè*, & etiam *sustentatiuè* ingenere causæ materialis: quia efficit intellectionem, illam recipit; & sustentat, non tamẽ est ab illo ingenere causæ formalis, sed in hoc genere adæquatè ab intellectione causatur; sed volũtas in hypotesi admissa, intellectionẽ efficeret, sustentaret, & reciperet: ergo ab intellectione constitueretur intelligens. *Secundo* Secundo: nam vel intellectio præberet voluntati effectum formalem proprium ratione vltimæ differentiæ, vel non; si primũ, non posset nõ intelligere: nã iste est effectus formalis, quem intellectio præstat ratione suæ vltimæ differentiæ: si verò asseratur secundum, frustra recurritur ad confusionem causarum, & ad asserendum effectum intelligendi, non præstari ab intellectione adæquatè, sed simul cum intellectu. Quod probo: vt enim voluntas non constituatur ab intellectione intelligens, sufficit, quod intellectio non præbeat voluntati proprium effectum formalem, quem præstat ratione vltimæ differẽtiæ, perquã constituitur in ratione intellectionis: ergo si asseratur intellectionem tum talis non fore voluntati secũdum suã vltimam differentiam communicandam, frustra ad aliud recurritur, ad saluandum, non forè constituendam intelligentem ab illa.

82 *Tertio reijcitur*

Quod autẽ hoc recursu obiectio non diluatur, probo, & vltimo traditam solutionem reijcio. Voluntas in illo casu per intellectionem viueret; sed non vita vegetatiua, sensitiua, aut appetitiua: ergo viueret vita intellectiua formaliter: ac per consequens ab intellectione reciperet proprium effectum formalem, qui ab illa ratione vltimę differentiæ præstatur. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur. Prima ex prẽmissis infertur. Minor probatione non indiget. Et maior probatur: nam viuere est se mouere; sed in hypotesi admissa voluntas intellectionem eliciens, & illam in se recipiens, se per intellectionem moueret: nam aliquid se mouere, in nullo alio consistit, quam in habendo à se motum, voluntas autem à se haberet intellectionem; cum in illam per propriam virtutem influeret: ergo volũtas in data hypotesi per intellectionẽ viueret.

83 *Denique reijcitur argumẽtum.*

Denique principaliter reijcitur argumentum: si namque aliquid probaret, conuinceret posse calorem ratione innatę virtutis, non solum instrumentaliter, verum etiam principaliter gratiam iustificantem efficere: consequens non admittit Suarez, nec Recentiores eius argumento vtentes: ergo nec probat, concursum instrumentalem calori in gratiam possibilem. Probo sequelam: intellectus lumine gloriæ eleuatus influit in visionẽ beatam, vt causa principalis partialis, in contrariorum sententia in Nostra autem, vt pars causę principalis; quia ex illo, & lumine gloriæ vnica causa principalis

cipalis integratur: ergo si ex eleuatione intellectus in visionē infertur, posse calorem in efficientiam gratię eleuari, probatur, posse calorem in gratiam principaliter physicè influere. Scio, Patrem Suarez non concedere intellectui principalem in beatificam visionem influxum, sed tantum instrumentalem: alij tamen, & frequentius concursum principalem tribuunt intellectui in visionem, quod Nos fusè ostendimus *Tract. de Charitate*, & videtur necessario concedendum in sententia asserente, intellectum influere in visionem beatificam partialiter partialitate causæ, quia ei correspondet vitalitas, & supernaturalitas lumini.

*Intellectus concurrit principaliter ad visionē beatam.*

84 Qua doctrina præsuppositā, vel asserendus est impossibilis cōcursus principalis partialis, vel dicendū conuenire intellectui respectu visionis. Quod probo: non enim potest dici concurrere instrumentaliter, eo quod tota visio eius virtutem excedit, & aliàs non suppetit alia ratio: ergo concedendū est, concurrere principaliter. Probo maiorem: omnis effectus proueniens à duplici causa partiali, adæquatè sūptus excedit quamlibet illarum seorsim: ergo admisso, vt possibili concursu principali partiali, non probatur intellectum instrumentaliter in visionem influere ab excessu visionis supra intellectum. Consequentia est bona. Et antecedens probatur: si effectus nō excedit quamlibet causam seorsim, in qualibet adæquatè continetur; at eo ipso quod in qualibet seorsim adæquatè contineatur, non est ab illis partialiter: ergo vt à duabus causis aliquis effectus procedat partialiter, partialitate causæ, adæquatè sumptus quamlibet ex illis seorsim sumptam excedit.

85 Vnde hac impugnatione vltimæ solutionis, vt ineficaci omissa, aliter est impugnanda, & quia præcipua eius impugnatio in argumentorum solutione cōsistit, quod *infra* præstabimꝰ, breuiter in hunc modum reijcitur. In hoc, quod Christi humanitas instrumentaliter physicè influat in gratiam habitualē, & in effectus miraculosos, nulla implicatio intercedit; sed quidquid contradictionem non implicat est omnipotentiæ attribuendum, vt possibile: ergo humanitatem Christi physicè instrumentaliter influere in gratiam habitualem & in effectus miraculosos, est possibile attenta absoluta potentia. Minor cum consequentia tenet. Maior autem præterquam quod ex argumentorum solutione cō stabit. Probatur: non enim potest implicationis ratio assignari.

*Aliter vltima solutio impugnatur.*

86 Respondent contrarij, implicationem esse, quod influeret, & non influeret; primum supponitur in nostra sententia, & secundum probant: nam est implicatio in terminis causam in effectum influere, & non habere virtutem ad influendum, sicut implicat videre sine virtute ad videndum, & implicat intelligere, quod non habet in se virtutem ad intelligendum: humanitas autem Christi non habet in se virtutē ad influendum in gratiam iustificantem, & in effectus miraculosos; & ideo implicat actualis influxus humanitatis in illa.

*Respondent contrarij.*

87 Sed contra: vt humanitas Christi influat physicè in gratiam iustificantem, & in effectus miraculosos, non requiritur, quod ratione sui possit influere, sed sufficit, quod possit ab alio virtutem accipere, per quam influat in tales effectus; sed non est vnde assignetur implicatio capacitatis in humanitate Christi recipiendi in se virtutē, media, qua reddatur potens ad sic influendum: ergo talis influxus non implicat. Consequentia est bona. Maior constat in aqua de facto calefaciente ratione caloris ab extrinseco recepti, quin in se, & ratione sui habeat calefaciendi virtutem, quin potius ratione sui calefactioni repugnat. Minor autem probatur: nam ratio implicationis à contrarijs assignata est, quod influat sine virtute, quam ratione sui habeat ad sic influendum; at hęc ratio non probat; quod non possit dictum influxum præstare per virtutem ab extrinseco receptam: ergo ad hunc modum influxus, nulla implicatio assignatur.

*Contra.*

88 Dices, quod nisi ratione sui habeat virtutem inchoatam, & remotam, nō

*Respondebis.*

potest constitui potens per virtutem ab extrinseco: nam hæc, virtutem inchoatam, & remotam præsupponit: humanitas autem Christi non habet ratione sui, etiam inchoatam virtutē ad influendum in gratiam, & in effectus miraculosos, eo quod in gratia iustificante (& idem est de alijs effectib⁹ dicendum) nullum prędicatum datur tali virtuti respondens, petensq; in illam reduci, quod tamen necessarium erat, vt ratione sui remotā, & inchoatam virtutem haberet ad influendum in gratiam iustificantem: ideoque non potest per virtutem ab extrinseco aduenientem potens proximè constitui ad illum influxum præstandum. Quod patet exemplo intellectus, in quo virtutem remotam, & inchoatam respectu visionis agnoscimus, quia vitalitas visionis tali virtuti respondet, petitq; in intellectū reduci, & quia aliàs est idē tificata cū supernaturalitate in eadem visione reperta, indiget intellectus virtute illum eleuante, per quā reddatur potēs proximè ad influendū in illam.

89 *Cōtra 1.* Sed cōtra primo: nam aqua influit in calorē, ratione caloris ei ab extrinseco aduenientis; & tamē in aqua nulla virt⁹ præsupponitur, etiam inchoata, & remota ad producendū calorē: ergo stat, effectū ab aliqua causa effici ratione virtutis ab extrinseco aduenientis, quin in tali causa supponatur virt⁹, etiā inchoata, & remota respectu talis effect⁹; & cōsequēter ex hoc, quod in Christi humanitate ratione sui inspecta, nō detur virt⁹ inchoata, & remota ad influendū physicè in gratiam habitualē, nō probatur implicare, quod ratione virtutis illi communicatæ ab extrinseco constituatur potens ad influēdum physicè in gratiam.

90 *Secūdo.* Deinde: nam esto huiusce modi virtus inchoata, & remota præsuppositā ad virtutem eleuantem, necessaria sit ad influxum principalē; ad influxum tamen instrumentalem, necessaria nō est: ergo ex negatione illius in humanitate Christi non probatur implicans, & impossibilis influxus physic⁹ instrumentalis in gratiam habitualem, & in effectus miraculosos. Consequentia patet. Et antecedens probatur: necessitas virtutis inchoatę, & remotæ probatur à suis Auctorib⁹, ex eo quod causæ influenti in effectū debet in illo prędicatum aliquod correspōdere, per ēs in talem causam reduci; at hæc correspondētia prędicati effectus ad causam, solum petitur ad influxum principalem, non vero ad instrumentalem: ergo virtus inchoata, & remota ad eleuationem suppositā, solum est necessaria ad principaliter influendum, non vero ad influxum, & cōcursum instrumentalem. Consequentia tenet: Maior continet aduersariorum doctrinā.

Minor autem ostenditur primo ad hominem contra Vazquez: vt enim constat ex ipso 1. *p. disp.* 176. *cap.* 5. quia in beatifica visione vitalitas intellectui respondet, petens in ipsum reduci, & supernaturalitas lumini, docet intellectum, non instrumentaliter, sed vt causam principalem partialem in visionē influere: ergo illa correspondētia prædicatorum cum causa, & formalitatum in causam reductio, solum petitur ad rationem causę principaliter influentis, non autem ad rationem causę physicæ instrumentalis.

91 *Minor probatur 1.*

Secundo probatur ex differentia, quæ inter causam principalē, & instrumentalē versatur, quod principalis agit per virtutē suæ formę, cui assimilatur effectus: causa vero instrumentalis non agit per virtutē suæ formæ, sed solum per motum, quo à principali agente mouetur: vnde effectus non assimilatur instrumento, sed agenti principali, vt docet D. Th. *infra q.* 62. *art.* 1. *in corp.* & ratio est: nam causa instrumentalis, nō propter se agit, sed ministerialiter propter causam principalē: vnde instrumentū non quæritur propter se ipsum, sed vt eo agens principale vtatur, vt docet D. Tho. 3. *Contra Gentes cap.* 112. sed si causæ instrumentali deberet correspōdere prædicatu in effectu, quod peteret in ipsū reduci, ageret per virtutē suæ formæ, siue q; effectum assimilaret, & ageret propter se, nēpè, vt in effectu suam causaret similitudinem: ergo illa correspōdentia, & prædicatorū in causam reductio, necessaria in causa instrumentali non est, sed solum ad causam principalem to-

92 *Secūdo.*

S. Tho. *Instrumentum non agit per virtutē suæ formæ, sed per motum principalis agentis.*

talem, aut partialem exigitur; & consequenter virtus mediatè, & remotè actiua in causa instrumentali necessaria non est: ac proinde ex illius negatione in humanitate Christi per comparationem ad gratiam, perperam à contrarijs infertur implicatio influxus physici instrumentalis humanitatis in illam, & in miraculosos effectus.

## §. IV.

### *Argumentis contrariæ sententiæ ab auctoritate occurritur.*

93 *Arguit 1. Vazquez ex Concilio Trident.*

CONTRA istam conclusionem opponit Vazquez primo: Concilium Tridentinũ *sess 6. de iustific. cap. 7.* vbi enumerans omnes causas nostrę iustificationis, ait: Deum esse causam efficiẽtem, Christum causam meritoriam, & Sacramẽtum Baptismi esse causam instrumentalem; at si humanitas Christi esset causa instrumentalis physica gratię nos iustificãtis formaliter, deberet Concilium illius mentionẽ facere, & illam enumerare; sicut etiam gloriam Dei, & Christi, & vitam æternam statuit, vt causam nostræ iustificationis finalẽ; aliàs diminutè processisset in assignãdis causis iustificationis: ergo humanitas Christi non est causa instrumentalis physica nostræ iustificationis; & consequenter nec respectu miraculorum, respectu quorum eandem esse rationem, & eodem modo discurrendum, ac respectu gratię iustificantis, sentiunt nostrę sententię Auctores.

94 *Respõd.*

Hoc tamen argumentum nullius esse efficaciæ, docent Recentiores Societatis, oppositę sententię adhærẽtes, & merito: nam Concilium solum recensuit causas nostræ iustificationis, quas certum est de fide in nostra iustificatione inueniri, nõ autem illas, quæ in disputatione Theologorũ versãtur; quod autẽ humanitas Christi instrumentaliter physicè influat in gratiam iustificantem, catholicum dogma nõ est, nec veritas fidei, sed tantum sententia probabilis, & nostro iudicio opposita probabilior; & ideo non debuit à Concilio recenseri. Et quidem Concilium non meminit causalitatis moralis instrumẽtalis in humanitate Christi respectu nostræ iustificationis, quã tamẽ illi cõpetere, docet Vazquez: ergo ex eo quod causalitatis instrumẽtalis physicæ non meminerit, perperam omnino infertur, excludendam esse ab humanitate Christi.

*Instatur argumẽtum.*

95 *Euisio P. Vazquez præcluditur.*

Nec refert, quod inquit Vazquez, causalitatem moralem instrumentalem, esse eandem cum causalitate meritoria, quam Concilium in humanitate Christi asignauit; & ideo non oportuit, illius mentionem facere. Non inquam refert: vt enim docet ipse *1. p. d. p. 166 cap. 2.* causalitas moralis instrumentalis diuersa est à causalitate meritoria: vnde respectu creationis, & anihilationis negat esse possibilem concursum instrumentalem moralẽ; cum tamen non neget, imo nec negare possit possibilem respectu creationis cõcursum meritoriũ moralẽ: ergo sui oblitus Vazquez, causalitatẽ instrumentalẽ moralẽ cum concursu meritorio in præsenti confundit. Et ex his ad argumẽtũ in forma admissa doctrina maioris, nego minorẽ. Nam Concilium solũ debuit recentere causas certas nostrę iustificationis, nõ autẽ illas, quas in illa intercenire sublite Theologorum versatur, & probabiliter asseruntur, & negãtur, qualis est causalitas physica instrumentalis humanitati Christi conueniens respectu nostræ iustificationis.

96 *Opponunt 2. Damas.*

Secundo obijciunt Damascenum *lib. quomodo ad imaginem D. ifacti sumus, propè finem*, vbi cum dixisset, virtutem diuinam per tactum corporis sanasse infirmos, & diuinam voluntatem per humanam effecisse miracula, modum efficientię explicans, ait: singulas naturas, diuinam, scilicet, & humanam effecisse sibi propria, vnam cũ consortio alterius duplici actione mediante: sicut quando serra ignita scindendo vrit, altera est actio scindendi, altera vrendi procedentes à diuersis

prin-

principijs. Verba Damasceni sunt: *Sic quando diuinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio diuinitatis, altera humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extensione, & tactu positus erat; diuinæ autem naturæ in excitatione puellæ.* Eandem ferè doctrinam tradunt Athanasius *serm. 4. contra Arrianos*. Sophronius *in Epistola Synodica, quæ habetur in 6. Synodo actione 11.* Et Leo Papa *epist. 10. cap. 4.* Ex quibus verbis sic inferunt Recētiores: iuxta Damascenū in suscitatione puellę (idemque iudicium ferendum est in quouis alio miraculo) finis humanæ actionis in extensione manus, & tactu positus erat; at si humanitas medio contactu in puellæ suscitationem instrumentaliter physicè influeret, finis humanæ actionis in contactu non esset; cum vlterius talis actio trāsiret, nempè, ad miraculosum effectum, ad quem, vt ad finem ordinaretur: ergo iuxta Damascenum, & alios Patres, illius modum loquendi imittantes, humanitas Christi physicè instrumentaliter in miraculosos effectꝰ nō influit.

*Damas.* *Athan.* *Leo Papa.*

97 *Respōd.*

Respondeo, explicando, & distinguendo maiorem: finis humanę actionis, prout ab humanitate propria virtute, & principaliter operante, in extē sione, & contactu positus erat, concedo maiorem: prout ab humanitate diuina virtute eleuata, & instrumentaliter influente, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Solum enim sequitur, humanitatem, vt propria virtute & principaliter operantem in contactu corporis sistere, nec prout sic effectus miraculosos attingere, quod libēter fatemur; non autem, quod prout virtute diuina eleuata instrumētaliter influit, sistat in contactu corporis; sic enim vlterius transit, nempè, in mortui corporis suscitationē, & in alios effectus miraculosos. Quam doctrinam, & distinctionem satis indicat Damascenus, cū ait, in suscitatione puellæ duplicē actionē interueniſſe, alteram propriam diuinitatis, & alteram propriā humanitatis, & huius finē in extensione manus, & contactu positum esse. Nam actio propria humanitatis, vt sic, est abilla, vt per propriam virtutem agēte; actio vero, quæ ab humanitate, vt eleuata ab agente principali, instrumē taliter erat, non dicitur, nec est humanitati propria, sed potius principalis agentis: ac proinde cum Damascenus loquatur de actione humanitatis propria, cum docet, sistere, in extensione, & contactu, accipiendus est de actione humanitatis, vt principaliter, & propria virtute operantis.

Et quidem hoc argumento, etiam aduersarij tenentur: nam licet non tribuāt humanitati Christi efficientiam physicam instrumentalem in effectus miraculosos; concedunt tamen efficientiam moralem instrumentalem: ergo non sistit actio humanitatis adequatè in contactu; sed vlterius transit, saltim transitu morali: sicut ergo ipsi interpretari tenentur Damascenum, & explicare, asserendo, quod actio humanitatis sistit physicè in contactu, nō autem sistit moraliter: sic Nos dicimus, sistere physicè principaliter, non autem physicè instrumentaliter. Quam explicationem verba Damasceni, nō tam permittunt, quam petunt, ob ea, quę *proximè* dicebamus.

98 *Damasceni auctoritas etiā aduersarios præmit.*

Tertio obijciunt: tria Angelici Doctoris testimonia, in quibꝰ videtur oppositę sententię fauere. Primum habetur *in 3. Sentent. dist. 16. q. 1. art. 3. in corp.* vbi docet, solum Deum, qui naturam instituit, posse legē, & cursum naturę impositum immutare: *Et ideo nec aliqua virtꝰ corporalis, nec spiritualis, aut animæ, aut Angeli, nec etiam animæ Christi, potuit ad immutationem legis naturæ impositæ diuinitus, nisi per modum orationis, aut intercessionis; & ideo hoc fuit signū deitatis Christi, quod imperando, signa perficiebat, & non orando, sicut alij sancti.* Verba sunt D. Thom. ex quibus sententia oppositа dupliciter confirmatur, primo, in hunc modū: efficere miracula per modū orationis, aut intercessionis, est moraliter illa causare; sed iuxta D. Thom. anima Christi, hoc tantum modo miracula effecit: ergo solum moraliter, & nullatenus physicè.

99 *Tertio opponūtur tria D. Th. testimonia. Primū est.*

*Pōderatio 1.*

Secundo, vt enim docet D. Thom. quod Christus imperando signa facie-

*Secūda.*

bat,& non orando,fuit in illo diuinitatis ſignum:ergo, vt homo,nõ fecit miracula,vel ſigna imperando,ſed ſolum orando. Patet conſequentia: nã ſi, vt homo,imperando faceret,opus factũ, non indicaret diuinitatem;cum poſſet in humanitatem reduci. Tùnc vltra; ſed imperando,facere miracula eſt illa efficere phyſicè; cum contraponatur à Diuo Thoma modo efficiendi orando,aut intercedendo,in quo eſt poſita efficientia moralis: ergo Chriſtus, vt homo,ſolum moraliter patrauit miracula; & conſequenter non fuit cauſa phyſica inſtrumentalis miraculorum.

100 *Secũdũ teſtimonium.*

Secundũ habetur *q. 6. de Potentia art. 4. in corp.* vbi duplicem modum faciendi miracula diſtinguẽs,nempè, orando,aut impetrãdo, & poteſtatiuè cooperando,& vtrumque ſanctis Angelis,& hominibus attribuens: ſecundum modũ, qui efficientiam phyſicã præſeferre, videbatur, explicans; ait, conſiſtere in hoc: *Quod imperium Dei deferunt,& præſentant creaturis,in quibus miracula fiunt*; at deferre imperiũ Dei,& illud præſentare creaturis, eſt operari,non phyſicè,ſed moraliter:ergo in Angelis, & hominibus ſanctis, non agnoſcit D. Thomas concurſum aliquem phyſicum in effectus miraculoſos;& conſequenter nec illum in humanitate Chriſti concedit. Prima cõſequentia ex præmiſſis colligitur. Secunda probatur. Tùm; quia nulla ratio cogit ad diſtinguẽdum quoad hoc inter ſanctos homines,& humanitatẽ Chriſti. Tum etiam; quia de ſanctis, etiam dicitur, effeciſſe miracula, vt conſtat ex illo Actorum 5. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna,& prodigia multa in plebe*: ergo ſi hoc ſaluatur per efficientiam moralẽ, id etiam in humanitate Chriſti ſufficiet. Tum deniq; nã exinde colligebamus *ſupra* humanitatem Chriſti fuiſſe phyſicum inſtrumẽtum reſpectu miraculorum, quia non ſolum orando,ſed etiam poteſtatiuè patrauit miracula; at hoc etiam conceditur ſanctis: ergo ſi illo non obſtante negatur illis phyſicus in miracula influxus, ſine fundamento humanitati Chriſti conceditur.

*Actor. 5.*

101 *Tertium teſtimonium.*

Tertium habetur 2.2. q. 178. *art.* 1. *ad* 1. vbi docet: *Quod ſicut prophetia ſe extendit ad omnia, quæ ſupernaturaliter poſſunt cognoſci: ita operatio virtutum, ideſt, virtus patratiua miraculorum, ſe extendit ad omnia, quæ ſupernaturaliter fieri poſſunt, quorum cauſa eſt diuina omnipotentia*;ſed inter ſupernaturaliter factibilia continentur creatio,& anihilatio: ergo virtus miraculorum patratiua poteſt ad creationẽ, & anihilationem concurrere; at iuxta D. Thom. 1. *p. q. 45. art. 5.* nulla creatura poteſt concurſum phyſicũ principalem, aut inſtrumentalem reſpectu creationis, aut anihilationis præſtare: ergo concurſus, quem præſtat virtus patratiua miraculorum in miraculoſos effectus,non eſt phyſicus,etiam inſtrumentalis,ſed tantũ moralis;& conſequenter humanitas Chriſti indigens prædicta virtute, & illa mediante eleuata,non phyſicè adhuc inſtrumentaliter,ſed moraliter tantum in miracula influit.

S. Tho.

102 *Ad 1. teſtimoniũ reſpond.*

Hæc tamen teſtimonia non vrgẽt: non primum; vt enim docet D. Tho. in 4. diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 2. *Orans in oratione eſt, ſicut principale agens*: vnde cum docet nullã virtutem creatam poſſe legẽ naturæ immutare,niſi per modum orationis,loquitur de immutatione principaliter cauſata à creatura, & ſic verum eſt, quod nulla virtus creata per modum agentis principalis poteſt miracula facere, niſi orando, aut intercedendo: ex quo non ſequitur, quod nulla virtus creata poſsit phyſicè inſtrumentaliter ordinem naturæ immutare, & in miracula influere.

103 *Replicabis.*

Sed dices: orans poteſt ſua oratione effectum poſtulatũ cauſare, illum condignè merendo,& etiam non condinè,ſed cõgruè, vel ſolũ impetratoriè;ſed quãuis orans merẽs de condigno effectũ principaliter concurrat;ſecus autẽ cum ſolũ de congruo meretur,aut impetratoriè influit:ergo falſum eſt,orantẽ in oratione, ſicut principale agens ſe habere; quãdoquidem poteſt etiam orando inſtrumentaliter concurrere. Probatur minor: nã cauſa principalis,ſiuè moralis ſit,ſiuè phy

ſica,

fica debet cũ effectu in suo ordine adæquari; sed licet oratio condigna adæquetur moraliter cũ effectu, oratio tamen solũ meritoria de congruo, vel solũ impetratoria, non adæquat suum effectum in morali æstimatione: ergo oratio, sic cõcurrẽs, nõ est causa principalis moralis, sed tãtũ instrumẽtalis effectus, quem impetrat, vel meretur.

104 *Respõd.* Respondeo, cõcessa maiori, & permissa minori, negando consequentiã. Sufficit enim nobis, quod orans possit principaliter influere in effectum orationis, etsi non sẽper principaliter cõcurrat in ordine ad illũ, vt vera sit doctrina D. Tho. quod nẽpè, nulla virt⁹ creata potest in genere causæ principalis ordinẽ naturæ immutare, & miracula efficere, nisi tantum per modũ orationis; quandoquidem orando oratione condigna ordinẽ naturæ immutabit, & miracula patrabit, quidquid sit, an cum oratio non meretur de cõdigno, sed tantum de congruo, aut impetratoriè concurrit, sit causa principalis, aut instrumentalis per ordinẽ ad effectum dicenda. Et ex his in forma ad primam illationẽ ex verbis D. Th. respõdeo, concessa maiori, distinguẽdo, & explicando minorem: solũ hoc modo in genere causæ principalis, concedo minorem: solum in omni genere causæ, nego minorem, & consequẽtiã.

*Ad 1. põderationem.*

105 *Ad secũdam.* Ad secundam illationẽ ex primo testimonio factam, dicatur: dupliciter posse effici miracula imperãdo. Vno modo, vt propria virtute efficienda: alio modo, vt efficienda, non virtute propria, sed alterius, vt principalis agẽtis, priori modo illa efficit Christus, vt Deus, & ex tali modo agẽdi miracula per imperiũ rectè probatur diuinitas: nulla enim creatura potest per propriam virtutẽ ordinem naturæ immutare, in quo ratio miraculi est posita. Humanitas autem Christi, vel Christ⁹, quatenus homo, secũdo modo imperando ad miracula concurrit. Ex quo nõ probatur diuinitas in principio *quo* efficiente. Videatur D. Th. *infra* q. 43. art. 4. *ad* 3. illis verbis: *Dicendũ, quod quãdo aliquod particulare opus, propriũ est alicuius agentis, tunc per illud particulare opus probatur tota virtus agẽtis, sicut cum ratiocinari sit propriũ hominis ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso, quod ratiocinatur circa quodcumq; particulare propositum. Et similiter cũ propria virtute miracula facere sit solius Dei, sufficienter ostensum est, Christum esse Deum, ex quocumq; miraculo, quod propria virtute fecit.*

106 *Ad 2. testimoniũ D. Tho.* Nec magis secundum testimoniũ vrget, imo *ibi* D. Th. nostram sententiam expressit; docuit enim sanctos quandoque orando, quandoque potestatiuè cooperãdo, miracula efficere, & ad hoc virtute nõ permanente, sed fluida, & per modũ transeuntis eleuari; efficere autẽ miracula cooperando nõ potest sine physico influxu saluari, & ad influẽdum moraliter meritoriè, aut impetratoriè, virtus permanens, non repugnat, vt *superius* arguebam⁹; ergo D. Thomas in secundo testimonio clarè est pro Nostra sententia. Vnde miror Patrem Vazquez, Caietanũ reprehendere, eo quod illo testimonio Angelici Præceptoris vtatur pro sua sententia; cum ita expressè illi assistat, vt crediderim, hunc Auctorẽ, Divum Thomam non legisse, vel illum intelligere noluisse. Nec ponderatio in oppositum alicuius ponderis est. Nam licet intimatiua imperij delatio, solum moralem influxum dicat, vt cũ quis imperiũ Regis intimat subditis; executiuè tamen imperium diuinum deferre per influxum physicum fit, & hoc modo sancti, cum potestatiuè cooperando, miracula efficiunt, deferunt diuinum imperium, participando physicam virtutem ab illo, & illa mediante physicè influendo in opus miraculosum.

107 *Ad tertium.* Ad tertium testimonium dicatur, Divum Thomam intelligendum esse de omnibus, quæ possunt supernaturaliter fieri circa creaturas existentes, non autem de omnibus absolutè, vt ipse clarè docuit *in præsenti art.* 2. vbi ait, potuisse animam Christi, vt instrumentum Verbi in illas miraculosas immutationes, quæ ad finem redemptionis conducunt, non tamen in omnes possibiles: non enim potuit etiam, vt instrumentum Verbi ad annihilationẽ concurrere. Quod autem etiam *loco*

*in argumento adducto*, de physica virtute loquatur, patet ex *proximè* dictis: docet namq; virtutem miraculorum, posse per modum transeuntis, non autem permanenter creaturæ cõmunicari; at virtus moraliter solum concurrens, non est vnde repugnet cõmunicari permanenter creaturæ: ergo non loquitur de virtute moraliter, sed physicè effectiua miraculorum.

103 *Quarto obiciũt Recentiores.*

Quarto arguunt Recentiores ab auctoritate negatiua in hũc modum: nam concursus physicus humanitatis Christi in effectus miraculosos, nõ est adstruendus sine auctoritate Scripturę, Conciliorum, aut Patrum; sed ex nullo ex his sufficienter colligitur: ergo sine fundamento conceditur. Illatio tenet. Maior ex eo constans videtur: nam cum liberum sit Deo humanitati Christi concursum physicum in effectus miraculosos cõcedere; de his autem, quę pendent ex libera voluntate Dei, nobis aliter non constet, quam ex reuelatione diuina, quæ innotescit auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, non videtur adstrui posse sine hac auctoritate. Minor autẽ probatur: nam si aliqua esset auctoritas Scripturæ, maximè, illa Luc. 6. *Et virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ex qua habetur, miracula à Christo, vt homine, effici, quod etiam ex Cõcilio Ephesino, & ex Patribus colligitur; sed totum hoc potest cum proprietate saluari, absque physica efficientia solum per efficiẽtiam moralẽ: ergo physicus humanitatis concursus in effectº miraculosos, nõ habetur ex auctoritate Scripturæ, Cõciliorum, aut Patrũ. Maior cum consequentia tenet.

109 *Minor probatur 1.*

Minor autem ostenditur primo: nã de Christo, vt homine, cũ proprietate dicitur, nos redemisse à peccato, & à Dęmonis potestate; & tamen non fuit causa physica redemptionis, sed tantũ causa moralis pro nobis satisfaciens, & merens: ergo vt de Christo, vt homine cũ proprietate dicatur, miracula efficere, & ab illo, vt homine virtutem, (hoc est effectum miraculosum exire) cõcursus physicus necessarius non est, sed sufficit concursus moralis.

110 *Secundo*

Secundo: nã effectũ à causa exire, idem est, quod ab illa causari, ab illaq; dependere; sed effectus moraliter à Christo causatus, cum proprietate dependet ab illo, & cũ proprietate ab illo causatur: ergo vt miraculosus effectus cum proprietate dicatur à Christo, vt homine, exire, ab illoq; causari, concursus physicus necessarius nõ est, sed sufficit cõcursus meritorius, & moralis. Minor probatur dupliciter. Primo: nam causa meritoria, & moralis est cum proprietate causa; & cõsequẽter ab illa cũ proprietate causatur, & dependet effectus: ergo vt cũ proprietate dicatur effectus causatus à Christo, sufficit influxus moralis. Secundo: nã à causa finali cum proprietate dicitur, effectum dependere, & causari; & tamen non exit ab illa immediatè, sed mediante causa efficiẽte ab illa mota, & ad agendũ excitata: ergo quãuis effectus causæ moralis, non exeat ab illa immediatè, sed mediante causa physica, vt mota à causa morali, cũ proprietate dicetur à causa morali causari.

111 *Cõfirmatur.*

Quod amplius confirmari potest: nã causa principalis moralis est magis propriè causa, quam causa physica instrumentalis: ergo effectus cum maiori proprietate dicitur à causa morali principali causari, quã à causa physica instrumẽtali; sed exire effectum à causa, idem est, quod ab illa causari: ergo cũ maiori proprietate dicitur, effectũ exire à causa principali morali, quã à causa physica instrumẽtali; & consequenter, vt à Christo, quatenus homine, dicantur, exijsse effectº miraculosi, sufficit causalitas principalis moralis multo magis, quam influxus physicus instrumentalis, quẽ humanitati Christi attribuit Nostra sententia.

112 *Respõd.*

Huic argumento respondeo, concessa maiori, negando minorem. Licet namque influxus physicus instrumentalis expressè reuelatus non sit, nec ex reuelatis euidenter inferatur; (aliàs sententia opposita catholicè sustineri non posset) colligitur tamen satis probabiliter ex auctoritate Scripturæ, & modo loquendi Cõciliorum, & Patrum, vt §. 1. vidimus. Ad protionem minoris, concessa maiori, nego minorem. Ad primam probatio-

nem

nem, concessa maiori, & prætermissa minori, nego consequentiam: disparitas autem est; nam redemptio a peccato, & à Dęmonis potestate est effectus moralis, vnde vt Christo, vt homini attribuatur absolutè, sufficit, esse ab illo moraliter; at vero effectus miraculosi sunt physici, quare, vt absolutè alicui causę attribuantur, debent physicè ab illa causari.

113 *Ad secũdam.* Ad secundam minoris probationem, nego maiorem. Nam à causa formali, propriè suus effectus causatur; & tamen non dicitur cum proprietate de effectu causę formalis, quod exeat à causa formali: ergo vt dicatur cum proprietate, exire à causa efficiẽte, non sufficit, quod ab illa moraliter solum causetur, sed requiritur, quod physicè ab illa efficiatur. Et ratio est: nam exire effectum à causa idem est, quod effici ab illa, licet autem effectꝰ causæ moralis, propriè causetur à causa, non tamen absolutè dicitur ab illa effici, vt §. 1. arguebamus, vnde consulens, & mandans homicidium, non dicuntur propriè homicidæ; homicida autem idem est, quod efficiens homicidium: ergo non dicuntur propriè efficientes homicidium, nec sub hoc nomine veniunt in excommunicatione, quæ fertur contra homicidas, vel facientes homicidium, vt *supra* ex cõmuni sententia arguebamus. Licet ergo, vt effectus miraculosus dicatur propriè causari à Christo, quatenus homine, sufficiat, quod sit ab illo moraliter meritoriè: hoc tamen non sufficit, vt absolutè dicatur effici ab illo: & consequenter, nec sufficit, vt dicatur exire, vt Scriptura, & Patres loquuntur, nec vt illius caro dicatur viuificatrix, vt loquitur Concilium Ephesinum. Si enim homicida absolutè non dicitur influens in homicidium influxu tantum morali, per mãdatum, vel consilium, nec fur absolute dicitur, consulens, aut mandans furtum: pariter non potest dici absolute viuificans, quod moraliter solum dat vitam.

114 Et ex his ad ea, quę in argumento dicuntur, constat solutio, ad illud autem, quod dicitur de causa finali, negãdum est, quod effectus ab illa exire dicatur, licet propriè causetur ab illa. Et quidem causa efficiens diffinitur, quod est à qua primo incipit motus: & tamen causalitas finalis præcedit mouendo efficiens; quia tamen motus non est a causa finali executiuè, non dicitur incipere ab illa. Pariter ergo licet effectus dicatur propriè à causa finali causari: non tamen dicitur ab illa exire, quia hoc denotat egressum executivum.

115 *Obijcies* Sed dices: effectus causæ moralis propriè dicitur effici ab illa: ergo vt effectus miraculosi dicantur effici cũ proprietate à Christo, quatenus homine, sufficit, quod sint ab illo moraliter. Consequẽtia patet. Antecedẽs probatur: dicitur causari ab illa, vt causa efficiente propriè; sed quod ab aliquo est, vt à causa efficiente propriè, propriè efficitur ab illo: ergo effectꝰ causæ moralis propriè effici dicitur ab illa. Cõsequentia tenet. Minor certa videtur: nam idem est effici quod causari à causa efficiente: ergo idem est, propriè effici, quod causari ab aliquo, vt à causa propriè efficiente. Maior autẽ probatur: nam causa moralis vniuocè in ratione causæ cõuenit cum causa physica; & consequenter est cum proprietate causa. Nam prædicatum, quod vniuocè de aliquibus dicitur, cum proprietate de omnibus prædicatur; sed causa moralis non est propriè causa materialis, nec formalis, nec finalis: ergo est propriè causa efficiens. Patet consequẽtia: nam de quo propriè dicitur aliquod prædicatum commune propriè debet prædicari aliquod ex mẽbris diuidẽtibus illà ratione cõmunẽ. Vnde si de aliquo prædicatur propriè animal, propriè debet esse rationale, vel irrationale; sed causa adęquatè diuiditur in efficientem, materialẽ, formalem, & finalẽ: ergo de quo propriè dicitur ratio causæ in communi, debet propriè prędicari aliquod ex his membris; & consequenter si causa moralis est cum proprietate causa, & non finalis, materialis, vel formalis, erit propriè causa efficiens; & consequenter effectꝰ causæ moralis dicetur causari ab illa, vt à causa propriè efficiente.

116 *Respondetur 1.*

Respondeo, distinguendo antecedens: propriè absolutè, nego antecedens, cum addito, cõcedo antecedẽs, & nego consequentiam. Licet enim (dato, quod causa efficiẽs moralis propriè rationem causæ participet) debeat propriè participare rationẽ causę efficientis, vt argumentum conuincit: non tamen inde conuincitur nomine causæ efficiẽtis *absolutè dicto* cõprehendi, nec nomine efficiẽtiæ *dictæ absolutè* efficientiam moralem intelligi: vt constat in exemplis supra adductis. Supposito namque, quod causa efficiens moralis vniuocè in ratione causæ efficiẽtis cum causa physica efficiẽte conueniat; & cõsequenter propriè rationem causæ efficientis sortiatur, mandans, & consulens homicidium, vel furtum propriè sunt causę efficiẽtes furti, vel homicidij: & tamen non dicuntur absolutè fur, nec absolutè homicida: nec sub nomine efficientis furtum, vel homicidium intelliguntur, consulentes, aut mandantes, sed solum illa exequentes, vel executiuè efficientes, nec consulentes, aut mandantes dicuntur absolutè coefficientes, vel cooperantes; sed solum illi, qui cum exequente executiuè ad furtum, & homicidium concurrunt: ergo ex eo quod causa moraliter solum ad miracula concurrens, sit cum proprietate causa, non sequitur nomine causæ miraculum efficientis absolutè, & sine restrictione prolato causam moralem intelligi. Et huius ratio esse potest: nam primęua impositio huius nominis *causa efficiens* fuit ad significandam causam physicè efficiẽtem. Deinde per extensionem significat causam efficientem moralem, quando autem aliquod nomen isto modo duo significata comprehendit, dictum sine restrictione sumitur pro priori significato, vt constat in hoc nomine *filius*, quod ex primęua impositione significat naturalem, & per extensionem filium adoptiuum, etiam propriè significat, & tamen sub nomine *filij* absolutè, non venit filius adoptiuus, sed naturalis, & vt adoptiuum comprehendat extẽsio expressa, aut subintellecta ratione alicuius causę requiritur. Vt quando alia lex fauorabilis pro filijs statuitur, quia fauores sunt ampliandi, non solũ ad naturales, sed etiã ad adoptiuos extenditur. Ideoque sub nomine efficiẽtię miraculi, aut causæ efficientis illius, nisi aliquid addatur, intelligenda est causa physicè efficiens miraculum, quamuis demus causam efficientem moralem cũ proprietate esse causam, & rationem causæ efficientis cum proprietate sortiri.

117 *Respõd. secũdo.*

Secundo responderi potest ex dictis §. 1. Ad primam probationem minoris, distinguẽdo minorem: cum proprietate absolutè, tranſeat minor: cũ æquali proprietate, ac interueniente physico influxu in miracula, nego minorem, & consequẽtiam. Verba enim Scripturæ, non solum sunt cum proprietate accipienda, quando ex huiusmodi acceptione nullum inconueniens sequitur, sed etiam cum maiori proprietate posibili, eadem conditione seruata, quod, nempè, nullum inconueniens sequatur. Licet autem influxus effectiuus moralis possit dici propriè efficientia: non tamen cum æquali proprietate, ac influxus physicus effectiuus, & cum alias ex huiusmodi influxu humanitatis Christi in miracula nullum inconueniens sequatur; fit vt verba Scripturę, Conciliorum, & Patrum, quibus humanitati Christi attribuitur efficientia miraculorum, sint de physica efficientia accipienda.

118 *Oppones 1.*

Sed oppones primo: nam sequitur ex hac solutione, humanitatem Christi principaliter physicè influere in effectus miraculosos; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Probatur sequela; esto efficientia physica instrumentalis, sit propria efficientia, non tamen ita propria, ac efficientia physica principalis; sed iuxta solutionis doctrinam, verba Scripturæ attribuentia humanitati Christi efficientiam in miracula accipiẽda sunt cum maiori proprietate posibili: ergo accipi debent de efficientia physica principali. Secũdo: nam esto efficientia physica instrumentalis sit magis proprie efficientia, quam efficientia moralis meritoria, non tamen ita dignitatem ostendit; cũ

*Oppones 2.*

illa

illa posit rebus inanimatis, & homini in peccato existenti competere. Secus autem efficientia moralis meritoria, præcipuè cōdigna; sed verba Scripturæ melius accipiuntur in sensu maiorem dignitatem demōstrante in humanitate Christi, quam in sensu magis proprio, maximè si alter sensus proprius sit, qualiter in præsenti contingit: ergo accipienda sunt de efficientia morali meritoria, non autem de efficientia physica instrumentali. Tertio: nam esto efficientia physica principalis excedat in proprietate efficiendi meritoriam moralem, non autē eam excedit efficientia physica instrumentalis, sed potius ab illa exceditur: ergo verba Scripturę accipienda sunt, non de efficientia physica instrumentali, sed de efficientia meritoria. Consequentia tenet ex doctrina solutionis. Antecedens autem probatur primo: nam causa efficiens principalis est causa cum maiori proprietate, quam causa instrumentalis; & consequenter cū maiori proprietate efficit; sed causa meritoria est causa efficiens principalis: ergo in proprietate efficiendi excedit causam physicam instrumētalem. Secundo: nam causa meritoria conuenit vniuocè in ratione causæ efficientis cum causa efficiente physica principali; causa autem physica instrumentalis non conuenit vniuocè in ratione causæ efficientis cum causa principali physica; cum dependenter ab illa rationem causę participet: qua ratione causa principalis secunda, non conuenit vniuocè in ratione causę cū prima, quia, nempè, dependet ab illa, eique subordinatur; sed vniuocè participans rationē causæ efficientis, cum maiori proprietate efficiens est, quam id, quod solum analogicè rationem illam participat: ergo causa meritoria excedit causam physicam instrumentalem in proprietate efficiendi.

*Tertio oppones.*

119 *Ad 1. replicā respōdetur.*

Respōdetur ad primam replicam, negando sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Nam humanitatē Christi physicè principaliter influere in gratiam, & in alios effectus miraculosos, implicatorium censetur, iuxta frequentiorem, & veriorem sentētiā; & ideo hæc maior proprietas illi attribuenda non est. Quod si efficientia principalis physica gratiæ ab intrinseco non repugnaret, de facto foret humanitati Christi attribuenda. Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem; si sensus magis proprius alium maioris dignitatis, & minus proprium excluderet, & cum illo repugnaret, transeat minor: si illum sensum non excludat, nego minorem, & consequentiam. Quia cum efficientia physica instrumentali rectè efficiētia moralis meritoria componitur, & compatitur; vnde, vt maior dignitas, quæ in meritoria efficientia inuenitur, saluetur in humanitate Christi, non est cur verba Scripturę illi efficientiam attribuētia, à maiori proprietate deficiāt, & cum minori proprietate accipiantur.

*Ad secūdam.*

Ad tertiam, nego antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: intra idem genus causandi, concedo maiorem: in diuerso genere, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet causa physica principalis cum maiori proprietate sit causa, quam physica instrumentalis, quia in eodem genere sunt, nēpè, in genere causæ physicæ, & eadem ratione, causa principalis moralis excedat moralem instrumentalem: causa tamen principalis moralis non excedit causam physicam instrumentalem, sed potius ab illa exceditur in proprietate efficiendi. Ad secundam probationem dicatur, vel causam physicam instrumentalem vniuocè conuenire in ratione causę efficiētis cum causa physica principali, vel causam principalem moralem non conuenire vniuocè in ratione causę efficiētis cū causa efficiēte physica principali. Vnde ex isto capite non potest maior proprietas in causa meritoria, quā in causa instrumentali physica inferri. Ratio autem doctrinæ traditæ est: nam conuenientia vniuoca inter causā physicā principalem, & instrumentalem, non potest alia ratione negari, nisi propter dependentiam instrumēti à causa principali: hæc autem, etiā cōuenit causæ

120 *Ad tertiam.*

*Ad secūdam probationē.*

meri-

meritoriæ, esto principalis sit; non enim potest effectum proprium causare, nisi dependenter a causa efficiente physica: ergo vel concedenda est vniuoca conuenientia inter causam principalem physicam, & instrumētalem; vel asserendum, causam meritoriam, esto principalis sit, non conuenire vniuocè cum causa physica efficiēte principali. Nec ideo solum negatur conuenientia vniuoca inter causam secundā, & primam, quia secunda à prima dependet, sed quia Deo, & creaturis nullum prædicatū vniuocum esse potest. Et quidem, quod ex sola dependentia analogia non inferatur. Patet in causa efficiente comparata cum finali, inter quas vniuoca conuenientia in ratione causę interuenit; & tamen causa efficiens essentialiter à finali dependet: non ergo ex sola dependentia tollitur vniuocatio, nec infertur analogia.

## §. V.

### *Duplici rationi contrariæ sententiæ occurritur, & explicatur necessitas indistantiæ localis ad operationem physicam.*

121 *Primo arguit Vazq.*

DEINDE arguit Vazquez, ratione ad hominem contra Thomistas: nā de ratione instrumenti physici est, quod ratione propriæ, & innatę virtutis operetur operatione contingente passum, in quo est inducēdus effectus; sed Christus plura patrauit miracula, sine tali coniunctione: ergo in illa non se habuit, vt physicum instrumentum, sed vt instrumentum morale. Consequentia est bona. Maior (inquit Vazquez) est doctrina Thomistarū. Minor autē cōstat ex cap. 8. Matt. *Vbi seruum Centurionis absentem re-* *Matth. cap. 8.*

*suscitauit.* Et Ioannis 4. *Filium reguli distantem sanauit.* Et Ioannis 11. *Sola voce Lazarum in Lymbo existentem ad vitam restituit*: at in nullo ex his casibus potuit humanitas Christi propria, & innata virtute pręuiam operationē elicere physicè contingentem subiecta, in quibus effectus miraculosi fuerunt inducti: ergo vera est minor argumenti facti. *Ioan. 4.* *Ioan. 11.*

122 *Respōd.*

Respōdeo, negando maiorem, quæ falso Thomistis imponitur. Nam licet plures in instrumēto physico exigant præuiam operationem, quę strictè sit operatio, & alij operationem, vel aliquid per modum operationis, idest, quod instrumētum, non omnino otiosum, & quietū sit, sed sub aliquo exercitio, nempè, actionis, vel passionis: nullus tamen docuit operationem ab instrumēto propria virtute causatam debere contingere passum, in quo effectus principalis est inducendus; est enim expressè contra Divum Thom. *in hac 3. p. q. 62. art. 1. ad 2.* vbi docet, aquam propria virtute corpus abluentem, animam abluere virtute diuina: non ergo requiritur ad rationem physici instrumēti contactus physicus subiecti, in quo effectus principalis est inducendus per actionem pręuiam ab illo elicitam mediante propria virtute; sed sufficit, quod virtute diuina cōtingat subiectū talis effectus. Vnde quamuis in miraculis adductis Christus per propriam virtutem non cōtigerit subiecta, potuit in effectus miraculosos influxum physicum exercere, illa contingendo virtute diuinitatis. *S. Tho.*

123 *Arguitur 2. & replicatur contra solutionem.*

Sed contra hanc solutionem obstat secundum argumentum: vt enim in illa admittimus, vt Christi humanitas physicè in prædicta miracula influeret, debuit physicus contactus adesse, licet non propria virtute, benè tamen virtute diuinitatis; sed nec propria, nec aliena virtute, potuit Christi humanitas subiecta loco distantia physico contactu contingere: ergo in illa physicum non exercuit influxum. Cōsequētia cum maiori tenet. Minor autem probatur: nam ad cōtactum physicum, vt constat ex Diuo Thoma 1. p. *quæst. 8. art. 1.* requiritur indistantia

loca-

localis; ibi enim docet omne agens debere coniungi ei, in quod immediate agit, quod probat ex philosopho 7. physicorum textu 10. docente, *quod mouens, & motum oportet esse simul* ex quo principio colligit D. Thom. Deū esse in omnibus rebus; quia in omnib⁹ immediatè operatur: ergo Christi humanitas, nec propria, nec aliena virtute potuit subiecta loco distātia physico contactu contingere: ac proinde illa miracula non processerunt ab illa, vt ab instrumento physico, sed tantū, vt ab instrumento morali.

124 *Solutio Lorcæ.* Hoc argumento conuictus Lorca *disp.53. conclusione* 2. docuit miracula, quæ Christus operatus est indistantia, non physicè sed moraliter ab illo fuisse causata. Alia verò, in quibus conditiones requisitæ ad physicum influxum adfuerunt, physicè operatum fuisse. Hæc tamen solutio displicet, & *Reijcitur.* 1. reijcitur primo ex D. Thoma in hac *tertia parte q.48 art.6.ad 2.* vbi docet, passionem Christi, etsi corporalis sit per spiritualem cōtactum efficaciam sortiri, *& q.56.art.1.ad 3* idipsum docet de resurectione Christi, nempè esse causam efficientem resurectionis nostræ virtute diuina, *quæ quidem virtus præsentialiter attingit omnia loca, & tempora, & talis contactus virtutis sufficit ad rationem huius efficientiæ*: ergo iuxta D. Tho. humanitas Christi, quę resurexit, causa efficiens est nostrę resurectionis ratione contactus virtualis, quia virtute diuina comparatur absque indistantia locali. Secundo: nā localis indistantia so. im est conditio agentis creati ad agendum: ergo potest à Deo suppleri; & consequenter quamuis nullum agens creatū possit virtute propria, & connaturaliter in passum loco distans operari, poterit tamen de potentia absoluta, & virtute diuina. Denique: quia res corporea non minus improportionata est ad agendū circa rem spiritualem, quam circa rem loco distantem; sed quamuis nequeat propria, & connaturali virtute agere circa rem spiritualem, potest virtute diuina: ergo pariter, etsi nulla res creata valeat operari indistans connaturaliter propria virtute, poterit virtute diuina.

*Reijcitur.* 2. *Deniq; reijcitur*

125 *Secunda solutio Magist. Albelda* Secunda solutio est: humanitatē Christi esse instrumentum coniunctum diuinitatis; quādo autem causæ principali instrumentum realiter coniunctum est, sufficit, quod causa principalis realiter sit præsens passo, vt instrumentum coniunctum, in illud realiter operetur, ideoq; humanitas Christi coniuncta diuinitati potest in subiecta à se distantia, quæ diuinitati sunt præsentia operari. Ita Magister Albelda *1.p.disp.16.ad 4. argumentu.* Cuius doctrina videtur ab Angelico Doctore insinuata in hac *3.p.q.56.art.1.ad 3.* vbi docet resurectionem Christi quia causat nostram resurectionem non propria, sed diuina virtute, quæ omni loco præsentialiter adest, posse nos virtualiter contingere, estò à nobis distās sit; & præterea hac ratione probatur; causa namque principalis potest in rē ab ipsa distantem influere medio instrumento indistanti: sicut sol in minerales terræ physicè efficienter influit, quia licet distet suppositò, non tamen distat virtute, quæ est illius instrumentū: ergo pariter si causa principalis indistans sit à subiecto, in quo est inducendus effectus, poterit illius instrumentum in tale subiectum operari, quamuis loco distet ab illo. Quod amplius confirmari potest: nam phantasia in capite existēs, physicè mouet appetitum sensitivum residentem in corde, tanquam instrumentum animę, quamuis loco distet ab illo, quia anima cuius est instrumentum præsēs est cordi. Appetitus etiam sensitivus, vt instrumentum animæ mouet physicè pedem, quia licet distet ab illo, anima cuius est instrumentum à pede non distat: pariter ergo humanitas, vt est instrumentum coniunctum diuinitatis, poterit physicè influere in subiecta loco ab ipsa distantia; quia diuinitas, cuius est instrumentum est illis intimè præsens.

126 *Reijcitur.* 1. Cæterum contra hanc solutionem facit primo: nam D. Thomas, quod resurectio Christi instrumentaliter operetur nostram resurectionem, quantumuis sit distans loco fundat in eo quod diuina virtute operatur, quæ

omni-

omnibus præsentialiter adest: ergo instrumentum quãtumuis coniunctum sit non potest virtute causæ principalis creatę in rem loco distantem operari. Deinde: nam manus est instrumentum coniunctum in ordine ad motum localem; & tamen vna manus nõ potest aliam mouere localiter, nisi illã immediatè contingat, vel saltem mediante virtute ab vna manu ad aliam diffusa: ergo vt instrumentum cõiunctum physicè operetur, non sufficit sola indistantia localis causę cuius est instrumentum. Prętera: quia instrumentum non agit per causam principalem, nec mediante illa; benè tamen causa principalis medio instrumento, & in illo operatur: ergo licet possit causa principalis physicè influere in rem loco à se distantem ab ipsa, & indistantem ab instrumento, in quo, & per quod principalis causa operatur, non tamen è contra poterit instrumẽtum influere in id, quo distat loco quãuis causa principalis ab eo localiter sit indistans. Insuper: nam licet possit causa principalis non existens in se ipsa, sed tãtum in virtute à se decisa, quæ est illius instrumentum, efficienter in effectum influere: instrumentum non existens in se ipso formaliter, non potest physicè influere media causa principali existente; at hoc non alia ratione, nisi quia causa principalis medio instrumento operatur, non vero instrumentum in causa principali, & illa mediante: ergo eadem ratione, quamuis causa principalis possit influere physicè in rem, à qua distat loco, non tamẽ distantem ab instrumento, non vero poterit instrumentum physicè influere in rem à se ipso distantem, quamuis à causa principali non distet. Deniq; nam iuxta D. Tho. & cõmunem Thomistarum doctrinam, non solum humanitas Christi, sed etiam sancti operati sunt miracula instrumentaliter physicè, & plura operati sunt, absque indistantia locali; & tamen non sunt instrumenta coniuncta diuinitatis: ergo quod humanitas Christi operata sit miracula in rem distantem localiter, ex ratione instrumenti coniuncti non prouenit.

*Secundo.*

*Tertio.*

*Quarto.*

*Quinto.*

Nec doctrina solutionis rectè ex Diuo Thoma deducitur: nã mens, & sensus Angelici Præceptoris est, quod licet causa creata non possit propria virtute in rem localiter distãtem physicum influxum habere, potest tamen virtute diuina, & hoc ideo, quia virtus diuina omnibus præsentialiter adest, quare sicut ipsa principaliter influit in omnia, ita potest instrumento ab illa assumpto virtutem cõmunicare, qua possit in quamcumque rem, etsi ab illo distantem operari. Nec iuvatur prima ratione, ob discrimen cõstitutum: quia nempè, causa principalis operatur medio instrumento, & in illo virtualiter existit; secus autem instrumẽtum media causa principali. Et sicut ob hanc rationem potest causa principalis non existẽs influere medio instrumento existente, non autem è contra; ob eandem poterit causa principalis influere sine indistãtia loci formali propter virtualem indistantiam, quam in instrumento sortitur: secus vero instrumentum ob indistantiam causæ principalis poterit physicè influere.

127 *Non fauet D. T. huic solutioni.*

*Solui-tur prima ra-tio, qua inniti-tur.*

Nec denique secunda consideratione iuvatur, eo quod ex anima, & appetitu resultat causa adæquata motus, quo membra mouentur, anima ingrediente, vt radice, appetituque, vt potentia proxima loco motiua, non autem est necessarium, quod causa adæquata efficiens secundum omnes partes sit indistans localiter à subiecto in quod operatur, sed sufficit, si secundũ aliquid ex constituentibus causam, talem indistantiam habeat; & ideo quãuis appetitus sit localiter distans à pedibus, potest pedes mouere localiter propter indistantiam animæ: ex qua, & appetitu adęquata causa talis motus conflatur. Humanitas autem quãuis sit instrumentum coniunctum diuinitatis: non tamen cum illa vnicam causam constituit; ideoque nõ potest in rem loco distantem influere instrumentaliter, ob solam indistantiam localem diuinitatis, cuius est instrumentum. Et quidem non est minus de ratione volitionis, quod feratur in rem cognitam, quam de ratione operationis physicæ, ferri in rem præsentẽ phy-

128 *Solui-tur secũda.*

sicè;

ficè; & tamen non petitur ad rationē volitionis, quod feratur in obiectum cognitum à voluntate, sed sufficit, quod ab anima cognoscatur, quia ex voluntate, & anima vna volitionis causa resultat: ergo pariter cū ex duobus vnica causa consurgit, vt ab vtroque egrediatur operatio, sufficiet alterius indistantia localis.

129 *Si dicas*

Si dicas: etiam ex Verbo, & humanitate conflatur vna causa influens in effectus miraculosos, Verbo se habente, vt *quod*, & humanitate, vt *quo*: ergo vt humanitas operetur instrumentaliter physicè, sufficiet indistantia Verbi suppositantis humanitatem, quamuis humanitas non sit indistans localiter. *Respondetur.* Respondeo, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam ad constituendum principium operativum, vel operans, suppositum vt conditio se habet: natura autem in suis potentijs completa ingreditur, vt ratio formalis, & vt principiū *quo* constans ex proximo, & radicali. Vnde invariato hoc principio, quamuis varietur suppositum, remanent operationes specificè invariatę. Et ideo potest indistātia physica naturæ, aut principij radicalis, ex quo, & principio proximo, causa, vt *quo* adæquata cōflatur sufficere, vt physicū exerceat influxum, non autem sufficit indistantia sola suppositi, vt influat physicè conflatum ex illo, & natura. Quę doctrina exemplo, & instantia adducta fit clara, vt enim voluntas Verbi velit aliquod obiectum, sufficit ab humanitate cognosci, quamuis à voluntate non apprehendatur, non autem sufficit, vt humanitas existens in Verbo appetat; quod Verbum ratione diuinitatis, obiectum volitum apprehendat, vt omnibus est compertum, cuius rei non potest alia ratio esse discriminis, nisi illa, quam assignauimus: pariter ergo in præsenti.

130 *Aliorū solutio.*

Aliorum solutio est: ad physicam efficientiam, & physicum contactum virtualem, non requiri præsentiam, seu indistantiam suppositi, sed sufficere presentiam virtutis; licet autem humanitas Christi non sit se ipsa presens rebus, in quibus operatur miracula; illis tamen præsens est sua virtute, non propria, & connaturali, sed virtute à Deo communicata, vt instrumentaliter effectum miraculosum efficiat, & tangat subiectum, in quo effectus miraculosus recipitur. Ita Coquetius *lib. 2. de gratia disp. 6. cap. 4.* in hoc sensu interpretans Divum Thomam, & Vincentium aientes, humanitatē Christi in efficientia physica miraculorū habuisse contactum physicum virtualem. *Coquet.*

Hæc tamen doctrina, nisi ad eam, quam dabimus, reducatur, non placet, licet namque virtus increata Dei, cui subordinatur humanitas, omni loco præsens sit; virtus tamen in humanitate recepta, illam eleuans ad agendum instrumentaliter, non est omni loco præsens, sed distans non minus, quam ipsa humanitas: & aliàs ex hac virtute intrinsecè humanitati inhærente non diffunditur per loca intermedia alia virtus vsque ad subiectum, in quo effectus miraculosus recipitur, vt prædictus Auctor fatetur, & omnibus est incōfesso: ergo humanitas nō est præsens subiecto, in quo physicè agit, nec formaliter per se ipsam nec virtute per quam eleuatur, vt agat; sed instrumentaliter operatur in rem distantem localiter. 131 *Dupliccet.*

Dices: non esse præsentem præsentia virtutis formali, bene tamen virtuali. Cum enim causet physicè instrumentaliter gratiam in anima, illam necessario tangit virtuali contactu. Nā ipsa efficientia physica, contactus est virtualis: ac proinde est animæ virtualiter præsens. Sed contra: nam præsentia hęc virtualis, & virtualis contactus, consistens in physica efficiētia formę in anima receptę, à nullo Theologorū negatur, qui humanitati Christi concedunt influxum physicum in effect' miraculosos, nec potest ab vllo negari: cum eo ipso, quod anima v.g. causet physicè gratiam in illa receptam, ipsam effectiuè tangat; at præsētia virtutis, quam prædictus Auctor humanitati Christi concedit, vt instrumentaliter physicè agat, est contra quosdam Auctores negantes dictā præsentiam: ergo loquitur de præsen- 132 *Dices.* *Replicatur.*

tia

tia virtutis, non ſolum effectiua, & virtuali, ſed etiam formali, vel in ſenſum, quem impugnat, coincidit.

133 *Vera ſolutio aſſignatur.*

Vnde ad ſecundum argumentum reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem dicatur, ad contactum formalem neceſſario localem indiſtantiam, & præſentiam requiri; ad contactum autem effectivum, & virtualem, ſimultatem agentis, & paſsi, & localem indiſtātiam eſſe quidem cōditionem ex natura rei petitam; non tamen eſſentialiter, ita vt à Deo neutiquā poſsit ſuppleri, vnde humanitas localiter diſtans, potuit virtute diuina, quæ legibus naturæ nō ſubeſt, nec alligatur, in ſubiecta à ſe diſtantia phyſicè inſtrumentaliter agere, & phyſicè operari effectus miraculoſos. Et quidē res corporea, propria, & connaturali virtute, non poteſt agere in ſpiritum; & tamen poteſt virtute diuina: ergo pariter, etſi propria, & cō naturali virtute non poſsit agere indiſtans, poterit virtute diuina. Nec obſtat doctrina Philoſophi: loquitur nāque de agente, & paſſo, attento modo connaturali agēdi, iuxta quem ſimultas ſuppoſiti, aut virtutis eſt neceſſaria. Nec contrarium ex doctrina Diui Thomę colligitur: Deus namque connaturaliter agit, cū influit in res creatas, & immediatè illas tangit contactu formali virtutis; cum ipſo idētificatę, quia in omni re creata efficit ſe ipſo aliquid ab illo immediatè dependens. Ex quo rectè à D. Thom. colligitur immediata Dei præſentia in omnibus rebus creatis, de quo conſulendi ſunt Diſcipuli D. Thom. *loco ex* 1. *p.* aſsignato.

134 *Aduerſus ſolutionem obijcitur* 1.

Sed contra hanc ſolutionem, quæ communis eſt apud noſtros, obſtant aliquæ obiectiones. Prima eſt: nam ex illa ſequitur, poſſe Deum in rem ſibi diſtantem operari; conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela: poteſt creatura operari virtute Dei in rem ſibi diſtantem; ſed quod poteſt creatura virtute Dei, poteſt Deus propria, & connaturali virtute: ergo poteſt Deus operari in rem à ſe ipſo diſtantem. *Secundo*: nā vnio formæ cū materia, ſolum vt conditio cōcurrit ad effectū formalem formę; & tamen non poteſt de potentia Dei abſoluta forma ſuum effectum præſtare ſine vnione cum materia: ergo quāuis indiſtantia localis agentis à paſſo, vel vnio agentis cum illo, ſolum vt cōditio concurrat ad effectum cauſæ efficientis, non poterit agens, etiam de potentia abſoluta, abſque tali indiſtantia operari. *Tertio*: apprehenſio obiecti, ſolum vt conditio ad actum voluntatis concurrit, in probabiliori ſententia, de qua *in* 2. *Phyſicorum*; & tamē non poteſt voluntas, etiam de potentia abſoluta, velle obiectum nō apprehenſum, & media apprehenſione ipſi vnitum: ergo idem quod prius. *Denique*: nam exiſtentia ſolum eſt conditio ad agendum ex parte cauſę efficiētis; & tamen implicat, etiam de potentia abſoluta, cauſam agere, niſi præexiſtat: ergo quamuis coexiſtentia agentis, & paſsi in loco, vel indiſtantia localis, ſolum ſit conditio ad agendum, implicabit actio phyſica, abſq; dicta coexiſtentia, vel indiſtantia locali.

*Tertio.*

*Quarto.*

135 *Cōfirmatur* 1.

Confirmatur, & vrgetur: nō min⁹ eſt neceſſaria ad agendum coexiſtētia in loco, quā coexiſtentia in tempore; ſed hæc eſt indiſpenſabilis de potentia Dei abſoluta: ergo & illa; & conſequēter nec propria, nec aliena, etſi diuina virtute, poterit humanitas Chriſti phyſicè operari effectus miraculoſos in ſubiectis loco diſtantibus.

*Cōfirmatur* 2.

Confirmatur, & vrgetur ſecundo, ſi poſſet humanitas Chriſti Domini in rem à ſe diſtantem operari, maximè, quia influit non propria, ſed diuina virtute, quę omnibus localiter adeſt; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. *Maior* conſtat ex doctrina D. Thomę *vbi ſupra*. *Minor* autem probatur: nam humanitas operatur virtute diuinitatis, quæ coexiſtit omni tempori; & tamen ex hoc non infertur, poſſe humanitatem virtute diuinitatis phyſicè influere in rem diſtantem tempore ab ipſa: ergo pariter ex eo quod operetur virtute diuinitatis, quæ præſens eſt omni loco, non ſequitur, poſſe in rem loco ab humanitate diſtantem operari.

136 *Reſp. ad* 1. *replic.*

Reſpondeo ad primam replicam, negando ſequelam. Creatura namque

poteſt

potest connaturaliter, & inconnaturaliter operari: Deus autem non est capax operandi inconnaturaliter; sed quidquid operatur, connaturaliter operatur: cumque ad connaturalem modum operandi physica præsentia exigatur; fit consequens, vt Deus non possit in rem à se ipso distantem operari. Præterea: nam quod humanitas in rem à se distantem operetur, prouenit ex eo quod agit, non propria, sed Dei virtute, qui omnibus rebus præsentialiter adest, vt ex Diuo Thoma vidimus: Deus autem superiorem se non habet, in cuius virtute operetur, ideoque agere non potest in rem ab ipso distantem. Ad sequelæ probationem, concessa maiori, nego minorem: nam quod creatura possit in rem à se distantem operari, prouenit ex eo quod agit non propria, sed alterius virtute à nullo loco distante: Deus autem non potest alterius virtute operari, & ideo non sequitur posse in rem distantem à se ipso operari.

137 *Respondetur. 1. à secundam replicam.*

Ad secundam respõdetur primo, negando maiorem. Nam licet vnio formæ cum materia non sit ratio formalis informandi in actu primo, & tamen ratio formalis informandi in actu secundo, est enim formę causalitas: ac proinde ratio formalis illam constituens in actu secundo causantem, sicut actio in causa efficiente, & si non sit ratio formalis, illam constituens in actu primo effectiuam; est tamen ratio formalis constituens in actu secundo efficientem, & sicut ob hanc rationẽ non potest causa efficiens in actu secũdo absq; propria actione causare, etiá de potentia Dei absoluta: ita nec forma potest, etiam de potentia absoluta, absque vnione cum materia effectum formalem præstare.

138 *Respõdetur, 2.*

Respondeo secundo, cõcessis maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est: nã forma causat suum effectum formalem se ipsam communicando materiæ, ad quam communicationem vnio essentialiter requiritur. Vnde etsi conditio tantum sit, est essentialis conditio: ac proinde indispensabilis etiam de potentia absoluta: causa autẽ efficiens non agit præbendo se ipsam formaliter, sed ex se efficiendo effectum, in quo modo agendi non includitur essentialiter vnio efficientis cum subiecto, in quo causatur effectus: ac proinde talis vnio, seu indistantia non est vnde, vt conditio essentialis exigatur: ac per consequens non est cur indispensabilis de potentia absoluta asseratur. Et quidem forma non potest effectum formalem præbere, media virtute ab ipsa forma distincta, seu necessario illam præstare debet se ipsa: & tamen causa efficiens potest per virtutẽ diffusam indistantem à passo operari, quamuis ipsa suppositaliter distet, vt constat in Sole influente in numeralibus terræ, a quibus suppositaliter distat, ob indistantiã virtutis a Sole per intermedia diffusæ: ergo pariter quãuis forma non possit, etiam de potentia absoluta, absque intrinseca vnione causare, poterit causa efficiens operari absque indistantia locali, & absque vnione cum passo.

139 *Ad 3 obiectionẽ respõdetur.*

Et ex his ad tertiam obiectionem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Nam intra lineam conditionis datur conditio essentialis, & conditio solum connaturalis. Quarũ prima est insupplebilis, etiam de potẽtia absoluta; secus autem illa, quæ solum connaturaliter est requisita. Dicimus ergo, apprehensionem finis, vel obiecti appetibilis esse conditionem essentialiter exactam, vt voluntatis actus eliciatur; & ideo non posse de potentia absoluta voluntatem sine illa operari. Approximatio autem agentis ad passum, vel indistantia localis ab ipso, est conditio solum connaturaliter petita ad agendum: & ideo potest de potentia absoluta suppleri. Ratio autem discriminis est: nam voluntas est potentia rationalis participative: ideoque non potest absque præuia ratione operari. Quę ratio nec alia similis reperitur, vt probetur dependentia essentialis agentis ab indistantia locali, & approximatione ad passum in agendo, & ideo non est cur asseratur, esse conditionem indispensabilem, & essentialem.

Deinde: nam omnis appetitus cõ- 140

sequitur

ſequitur aliquam formam: appetitus naturalis ſequitur formam naturalē, appetitus elicitus formam apprehenſam, & ſicut in naturali eſſentialiter forma naturalis requiritur, ita ad elicitum forma apprehenſa; & conſequenter apprehenſio obiecti eſſentialiter præſupponitur; nō autem eſt ratio aſſignabilis, cur dependentia agentis naturalis in agendo ab inditantia locali, & approximatione ad paſſum, eſſentialis ſit: ideoque aſſerēdum eſt, ſolum eſſe conditionem exactam connaturaliter.

## §. VI.

### *Examinantur ſolutiones Vincentij, & traditur vera ſolutio.*

14.1 *Tres ſolutiones M. Vincentij.*

AD vltimam obiectionem Magiſter Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q. 6. pag. 784.* tres adhibet ſolutiones. Primo reſpondet, negando argumenti maiorem, quod, nempè exiſtentia ſit ſolum cōditio in cauſa efficiente ad agendum; ſed eſt ratio formalis ex parte cauſæ efficientis. Sicut namque calefacere præſupponit eſſentialiter calorem formalem, aut eminētialem in cauſa efficiēte, ita agere, vel facere ſecundum rationem communem, præſupponit per ſe, & eſſentialiter in agente eſſe exiſtentiæ: eo quod ſicut proprius terminus calefactionis eſt calor: ita proprius terminus actionis, vt actio, eſt eſſe, vel ſubſtantiale, vel accidentale. Quam ſolutionem veriſimam cenſet, ſibique cæteris gratiorem faretur: quia tamen non omnes huic doctrinę conſentiunt. Reſpōdet ſecundo: actionem poſſe conſiderari dupliciter: primo, vt actio egrediens ab agente: ſecundo, vt eſt actualitas operantis. Et quidem, ſi primo modo conſideretur, tranſeat, quod exiſtentia ſit ſolum requiſita, vt conditio. Secundo autem modo inſpecta, præſupponit exiſtentiam, tanquam rationē formalem: eo quod actio non eſt prima, ſed ſecunda actualitas; exiſtentia autē eſt actualitas prima, ſine qua res nihil ſunt. Quam ſolutionem ſufficientiſsimam cenſet: quia tamen eam labefactare, quis poterit, aſſerendo actionē tranſeuntem non recipi in agente, ſed in paſſo. Reſpondet tertio: terminum actionis, neceſſario debere præcontineri in agente, ſiuè inſtrumentale, ſiuè principale ſit: implicat autem rem nō exiſtentem præcontinere in ſe actu formali, aut eminentiali actionē, vel actionis terminum: vnde licet exiſtētia, ratione ſui tantum conſiderata, non excedat limites requiſitæ conditionis ad agendū; prout tamen neceſſaria eſt ad hoc, vt cauſa agens præcontineat in ſe in actu formali, aut eminentiali terminum actionis, neceſſario, & eſſēntialiter pertinet ad agendum, vnde ſine illa non poteſt cauſa efficiēs, etiam de potentia Dei abſoluta, operari.

14.2 *Impugnatur 1. ſolutio Primo.*

Cæterum contra primam ſolutionem facit; vt enim Magiſter Vincentius docet *q. 7. concluſione 2. pag. 911.* humanitas in Chriſto propriam exiſtētiam non habet, ſed per Verbi exiſtentiam exiſtit. Quę doctrina eſt D. Tho. *infra q. 17. art. 2.* illamque omnes Diſcipuli Diui Thomæ ſequuntur. Et ex illa manifeſtè infertur, exiſtētiam nō eſſe rationem formalem in cauſa efficiente, vt agat. Quod probo: variata namque ratione formali agendi, ſeu principio *quo* formali, non poteſt eadem actio conſiſtere; ſed actiones humanitatis, inſpectæ ſecundum phyſicum eſſe, ſunt eiuſdem ſpeciei cum illis, quas eliceret, exiſtens propria exiſtentia, & propria perſonalitate ſubſiſtens, vt omnibus eſt inconfeſſo: ergo exiſtentia non eſt ratio formalis agendi in humanitate, ſed tantum requiſita conditio. Patet conſequentia: nam exiſtentia Verbi, & propria exiſtentia humanitatis eſsētialiter diſtinguūtur, imo diſtant infinitè: ergo ſi operationes humanitatis ſub vtraque exiſtentia non diſtinguūtur, exiſtētia non eſt ratio formalis agendi, nec principium *quo* formale in humanitate operandi.

Deinde:

143 *Secũdo.* Deinde: nam falsum est, existẽtiam esse terminum actionis, sicut calor est calefactionis terminus: nam calor est terminus formalis *quo* respectu calefactionis, & à quo specificatur; at existẽtia non est terminus *quo* actionis, sed tantum complemẽtum termini; aliàs actio, qua Virgo Beatissima Christum genuit ab existentia Verbi, vt à termino formali specificationem sumeret, cuius contrariũ docet prædictus Magister *pag.* 927. ergo existentia non sic ad actionem se habet, sicut calor ad calefactionem, quandoquidem existentia ingreditur, vt conditio ad terminãdã actionẽ; calor verò terminat calefactionem, vt terminus *quo* formalis.

144 *Impugnatur 2. solutio. Primo.* Et ex his secunda solutio reijcitur, primo: nam actio, vt egrediens comparatur ad causam, vt ad principium activum; vt vero recepta comparatur ad illam, vt ad subiectum receptivũ; sed non est assignabilis ratio, cur ad efficiendam actionem existentia sit conditio, & ad illam recipiendam, vt ratio formalis concurrat: ergo si in prima consideratione munus conditionis exercet, in secunda ratio formalis non est, sed tantũ requisita cõditio. *Secũdo.* Deinde: nam quod existentia necessaria in causa efficiente sit, prouenit ex eo quod agit in quantum est in actu; sed hoc illi conuenit in quantum principio actiuo: ergo si in illa, prout sic, existentia ratio formalis non est, nequit subinduere munus rationis formalis in illa, vt receptiua actionis. *Tertio.* Præterea: nam existentia increata, qua sola existit humanitas, in sententia D. Thom. quam sequitur Magister Vincentius *loco nuper assignato*, non est principiũ *quo* effectivum actionũ humanitatis, nec principium *quo* receptivum earũdem: ergo existentia non est ratio formalis ad actionem, vt à principio egredientẽ, nec ad illam, vt in principio receptam. Consequentia est bona: nam idem est, esse principium *quo* receptivum, & rationem formalem: ergo si existentia, qua humanitas existit in Christo, non est principium *quo* receptivum actionum humanitatis, non est ratio formalis recipiendi. Antecedens autem probatur primo: nam in sententia communi Thomistarum, de qua D. Thom. 1. *p. quæst* 12. *art.* 5. respectu actionũ vitalium idem est principium *quo* elicitivum, & receptivum, ex quo inferunt Discipuli D. Thomę, vbi *proximè*, lumen glorię; quia vt principiũ *quo* proximè elicitivum visionis beatificæ cõcurrit, esse etiam principium *quo*, subiectumq; receptivum eiusdẽ; sed vt Vincentius in hac solutione admittit, existentia humanitatis Christi non est principium *quo* effectivum actionum humanitatis: ergo esse nequit subiectum *quo* susceptivum earundem.

145 *Impugnatur 2.* Secundo: nam inde efficaciter suadetur, existentiam humanitatis Christi non esse principium *quo* agẽdi; quia aliàs actiones humanitatis Christi physicè consideratæ, eiusdem rationis nõ essent cum illis, quas in proprio supposito eliceret; sed hæc ratio, etiam conuincit non esse subiectum *quo* receptivum: nam etiam variato subiecto *quo*, non possunt non variari; saltim numericè actiones, & accidentia recepta: ex quo inferunt Nostri Thomistæ, non manere eadem accidentia in genito, quæ ante pręextiterant in corrupto, eo quod forma variatur: ergo sicut negatur, esse principium *quo* effectivum actionum humanitatis, negandum pariter est esse subiectum *quo* receptivum.

146 *Tertio.* Tertio: nã si existentia increata vt *quo* actiones humanitatis reciperet, intrinsecè mutaretur, non minus, quã si esset subiectum *quod*, vt constat in lumine gloriæ, quod intrinsecè mutatur per receptionem visionis, quam tamen nõ vt *quod* recipit, sed tantum vt subiectum *quo* illius; sed existentia increata incapax est intrinsecæ mutationis, non minus, quam alię perfectiones diuinæ, quas esse immutabiles, fides catholica docet: ergo subiectum *quo* actionum humanitatis non est, sed tantum requisita conditio. *Vltimo reijcitur* Tandem pręfata solutio reijcitur: vt enim cum communi Thomistarum sententia docuit Vincẽtius vbi *supra pag* 907. existentia non est prima actualitas in entitate creata, sed supponit actualitatẽ entitatiuam essentiæ, à qua realiter

distinguitur, & in qua realiter subiecta tur: ergo ex eo quod actio sit non prima, sed secunda actualitas, debeatque primam necessario supponere: perperam infert Vincentius, existentiam esse rationem formalem in causa secunda creata, vt recipiat actualitatem actionis.

147 *Vltima solutio Vicentij probatur.*

Vnde his omissis solutionibus standum est vltimę, quam tradit Vincentius, & iuxta illam occurrendum est vltimæ obiectioni, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: eo quod existentia est conditio essentialiter requisita ad agendum. Simultas autem, seu approximatio agentis ad passum, est conditio, non essentialiter, sed connaturaliter tantum exacta; indeque prima, non potest suppleri, etiam de potentia absoluta; benè tamen secunda conditio. Et quidem dari conditiones essentialiter exactas intra lineam conditionis: constat primo in paternitate diuina, quam solùm, vt cõditionem ad generandum se habere, docent probabiliter plures; & tamen essentialiter exigi à nemine potest negari; cum solum ob defectum istius, filius generare non possit. Constat secundo in apprehẽsione obiecti, quam esse conditionem, & nõ rationem formalem in obiecto voluntatis, frequentior, & verior sententia tenet; & tamẽ essentialiter exigi communi cõsensione docetur. Ac denique, alijs omissis, constat in obscuritate, quæ ad obiectũ fidei, non vt ratio formalis, sed vt conditio se habet; & tamen sine illa implicat assensus fidei: non ergo ex eo quod existentia sit solum conditio ad agendum, licet inde argumentari, posse sine illa causam efficientem agere: nec ex eo quod approximatio sit solũ conditio ad agendum, illicò inferendum est, non posse diuinitus suppleri, cum conditio intra lineam cõditionis manens, abstrahat à requisita essentialiter, & à requisita tantum connaturaliter; & consequenter à dispensabili, & indispensabili, etiam de potentia absoluta. Sed vt rectè argumentemur, aliquid addendum est, nempè, quod vt conditio se habet; & aliàs non est vnde probetur simultatem agentis cũ passo esse ex conditionibus essentialiter petitis; ex quo rectè infertur, diuinitus posse suppleri: quia ergo hæc minor subsumpta vera est in approximatione: secus autem in existentia; fit cõsequens, quod causa creata non possit non existens in se, vel in sua virtute, agere etiam de potentia absoluta, possit tamẽ sine indistantia locali, & sine simultate agẽtis cum passo, actio physica agentis creati subsistere.

148 *Existentiã esse cõditionẽ essentialiter requisitã ad agẽdum: probatur ex Vincentio.*

*Probatur in principijs extra Scholã D. T. cõmunibus,*

*In sententia D. T. suadetur.*

Ratio autem cur existentia sit cõditio essentialiter exacta ad agendum, ea est, quam tradit Vincentius, quia, nempè, implicat, causam efficientem agere, & influere in effectum, quin actionem, & effectum cõtineat in actu formali, vel virtuali: hæc autem continentia implicat sine existentia; ideoque implicat, actionem egredi à causa secunda, nisi physicè præexistat. Quod autem sine existẽtia implicet, causam creatam continere actionem, & terminum continentia in actu formali, vel virtuali, facile probatur in sententia extra Scholam D. Thomæ communi, asserente, existentiã esse indistinctam ab essentia: cum enim, in hac sententia, essentia rei creatæ sit nihil sine existentia, & per illam à nihilo distinguatur; nihilo autem omnis actualis continentia repugnet; fit cõsequens, quod existentia essentialiter ad prædictam continentiam exigatur; at verò in sententia Diui Thomę distinguente realiter existentiam ab essentia, & statuente in re creata duplicem actualitatem, alteram entitatiuam, quæ subiectum est existentiæ, alteram existentialem, quæ in essẽtia actuali, actualitate essentię, recipitur, & per hanc actualitatem à puro nihilo extrahitur, & à nihilo distinguitur, non ita pervia est essentialis necessitas existentiæ. Cur enim prima actualitas ad cõtinentiam effectus sine existentia non sufficiet? Nihilominus, etiam in ista sententia, asserendum est, existẽtiam esse conditionem essentialem, vt in agente creato præcontineatur effectus: & ratio est manifesta: vt enim Auctores istius sententiæ docent, actualitas essentiæ, ità ab existentia distinguitur, quod illam essentialiter connotat: ita vt implicet

con-

contradictionem, dari actualitatem essentiæ sine actualitate existentiæ, quod in præsenti non probandum, sed supponēdū est: omnes enim Discipuli D. Tho. in hac doctrina consentiant: cū ergo implicet, contineri effectum in causa actu formali, vel virtuali sine actualitate essentiæ, quę actualitas, vt ratio formalis dictam continentiam præstet, & huiusmodi actualitas essentialiter connotet existētiam, & implicet sine illa; fit consequens, quod implicet, causam creatam sine existentia operari, & quod existentia sit conditio essentialis ad agendum.

149 *Contra istā resolutionē obstat grauis difficultas.*

Sed contra hanc solutionem non leuis scrupulus pungit: vt enim fatentur Nostri Thomistæ, tenetque communis Philosophorum consensus, existentia ad agendum non est conditio concomitans, sed vt præintellecta exigitur in causa efficiente, vt in actu primo actiua; sed sic exigi non infertur ex doctrina assignata: ergo solutio insufficiens est. Probatur minor: actualitas entitatiua connotans essentialiter existentiam, est ratio formalis materiæ, vt recipiat formam, illamque, & compositum causet; & tamen ex hoc non infertur, existentiam esse conditionem in materia præintellectā pro priori ad formam, & compositum, sed tantum concomitantem, conuenientemq; materiæ in instanti reali, in quo causat: ergo ex eo quod actualitas entitatiua sit causę efficiēti ratio formalis agendi, connotetque essentialiter existentiam, nō sequitur existentiam requiri in causa efficienti, vt conditionem antecedentem, pręintellectamque pro priori naturę ad agēdum, sed tantum cōcomitantem in instanti reali, in quo causat.

150 *Respōd.*

Respondeo, nobis ad præsens sufficere, quod existentia sit conditio essentialiter requisita ad agendum, saltim concomitans, quod illa ratione probatur: nam per hoc subsistit discrimen inter approximationem, & existentiam; cum illa, nec vt conditio cō comitans, essentialiter requiratur. Vt autem probetur, esse conditionem antecedentem, requirique, vt præintellectam pro priori naturę, aliquid addendum est, nempè, causam efficientem agere, vt est in actu completo, actualitate entitatiua se habente, vt ratione formali, & complemento istius actualitatis ingrediente, vt conditione, & quia actualitas entitatiua per existentiam completur; fit consequens, requiri existentiam, vt pro priori actus primi in causa efficiente ad agendum: secus in materia contingit; non enim recipit formam, vt in actu completo, sed potius vt in via ad formam, & existentiam; ideoque licet in eodem instanti reali debeat existētiam habere, non tamen debet, vt existens pro priori naturæ præintelligi.

151 *Duplex ratio discriminis assignatur. Prima.*

Ratio autem huius discriminis est duplex. Prima: quia causa efficiens est perfectior in causando, quam materia, vnde non mirum, quod actualitatem completam petat, pro signo, quo causat: materia autem tale complementum non postulet. Secunda: nam causa efficiens constituit effectū sub existentia, illamque ab effectu non recipit, vnde effectus petit abilla, vt existente causari; id autem quod effectus exigit in causa efficienti, debet illi pro priori naturæ competere, & in illa pro signo, & priori naturæ intelligi. Cæterum materia prima recipit à forma, & composito existentiam, nec illam suo effectui communicat; ideoque non petit, cōcipi existens pro priori, & signo suæ causalitatis, sed vt tendens, & in via ad existentiam. Cæterum de his plura apud Nostros Thomistas *lib. 1. Physicorum*, tractantes, an materia prima habeat existētiam partialem, an vero existat per existētiam totius, vbi hoc secundum ab omnibus Discipuli D. Thom. docetur.

*Secūda*

*Ad confirmationem.*

Ad confirmationem ex *infra* dicendis, quid dicendum sit, constabit.

(.§.)

★★★★★★★★★★★★★★★

★★★★★★★★★★

★★★★★★★★

★★

## §. VII.

*Tertium argumentum diluitur, & explicatur, an instrumento correspondeat prædicatum specia le in effectu?*

152 *Tertio arguit Vazq̃z*

TERTIO arguit Vazquez ratione: humanitas, verbi causa, de se non habet vim remotam, actiuam, & influxiuam in gratiam, aut in effectus miraculosos; sed quod de se nullatenus est activum, non potest eleuari ad agendum: ergo non influit phisicè humanitas Christi in gratiam, nec in effectus miraculosos, sed solum influit moraliter. Consequentia est bona. Minor videtur certa: non enim alia ratione nequit potentia auditiua, etiam ex eleuatione videre, nec potentia visiua audire, nec potentia sensitiua intelligere, nisi quia de se non habent actiuitatem remotam in ordine ad prædictos effectus: ergo quod de se actiuitatem, saltim remotam non habet respectu alicuius effectus, non potest in illum, vt eleuatum influere, nec ad influendum eleuari.

Maior autem probatur: omni causę ratione actiuitatis innatæ influenti in aliquem effectum, debet in effectu respondere aliqua formalitas petens, in talem causam reduci, sed in gratia nulla formalitas inuenitur, respondens humanitati Christi ratione suæ innatæ virtutis, petensque in illam reduci: ergo humanitas de se, & ratione suæ innatæ virtutis, non habet actiuitatem, adhuc remotam in gratiam: idemque, & eadem ratione est dicendum de effectibus miraculosis. Consequentia cum minori tenet. Maiorem autem probat: non enim aliunde infertur, in intellectu nostro actiuitas remota, & mediata in ordine ad visionem beatificam, nisi quia in illa reperitur vitalitas intellectualis correspondens intellectui, petensque in illum reduci: ergo verũ est vniuersaliter omni causæ ratione sibi innatę virtutis, quamuis mediatè, & remotè influenti in aliquem effectum, debere in tali effectu reperiri formalitatem aliquam tali causę respõdentem, & quæ in illam petat reduci.

153 *Respondent aliqui 1.*

Huic argumento respondeti solet primo: in gratia, & in quouis effectu miraculoso dari aliquod prædicatum respondens humanitati Christi, scilicet, rationem entis, aut rationem qualitatis, quæ prędicata possunt ab humanitate ratione suæ innatę virtutis produci, non quidem, vt contracta ad esse gratiæ sed prout inueniuntur cum alijs differentijs coniuncta, & per illam contracta, quod sufficere, vt humanitas eleuata influat physicè in gratiam, & in effectus miraculosos: probant paritate intellectus creati potentis ex eleuatione elicere visionem beatificam: quia potest per proprias vires efficere naturalem intellectionem conuenientem cum visione beatifica in ratione intellectionis.

154 *Secunda aliorum solutio.*

Secundo alij respondent, negando ad influxum physicum, etiam principalem, exigi quod causæ influenti ratione sibi innatę virtutis respõdeat in effectu formalitas petens in talem causam reduci; vnde ex eo quod in gratia, nullum prædicatum humanitati respondeat, non sequitur, quod in illam influxum physicum exercere non possit. Quæ doctrina iuuari potest exẽplo aquæ calidę principaliter causantis calorem; cum tamen in calore producto, nulla inueniatur formalitas, quæ petat in aquam reduci ratione sibi innatę virtutis.

155 *Prima solutio reijcitur*

Sed neutra solutio est sufficiens, & prima reijcitur ex dictis §. *tertio*: nam correspondentia prædicatorum effectus ad causas, à quibus pendet, est correspondentia formalis, vt constat in visione beatifica, in qua ratio intellectionis formaliter intellectui respõ-

der,

det, & ratio supernaturalis correspondet formaliter lumini: & quia intellectui per se ratio intellectionis vitalis tribuitur, & per se illam respicit, abillaque specificatur; ideo habet virtutem innatam remotam in visionem beatificam, quę vt eleuata, illam principaliter causat; at prędicatum entis, & prædicatum qualitatis, quæ reperiuntur in gratia non respondent humanitati Christi correspondentia formali, nec huiusmodi prædicata petunt in humanitatem reduci: ergo admissa, vt necessaria correspondentia formalitatum effectus ad causas, à quibus physicè exigitur, non potest gratia efficienter physicè ab humanitate causari.

156 *Opponit Ripald.*

Sed instat contra hanc doctrinam Ripalda *libro secundo de ente supernaturali disputatione* 39. *num.* 9. potest calor eleuari ad influendum physicè in vnionem supernaturalē duorum graduum caloris inter se, & cum subiecto, Sol etiam potest ex eleuatione physicè influere in lucem corporum beatorum, quam supernaturalem esse, docent plures apud Salas 1. 2 *quæstione* 5. *tractatu* 2. *disputatione* 14. *sect.* 16. Similiter potest substantia creata eleuari ad producendam subsist ētiam supernaturalem, quam possibilem esse supponit: ergo poterit humanitas Christi eleuari ad producendam physicè gratiam. Patet cōsequentia: nam ideo potest calor, vt eleuatus, in vnionem supernaturalem physicè influere, quia potest ex se efficere vnionem naturalem conuenientem cum supernaturali in ratione communi vnionis, & Sol, ideo potest in lucem supernaturalem eleuatus influere, quia de se potest in lucem naturalem similem cum supernaturali in prædicato lucis vtrique communi; & ideo potest substantia creata eleuari ad subsistentiam supernaturalem, quia de se potest efficere naturalem illi similem; sed potest humanitas ex proprijs viribus efficere qualitates naturales conuenientes cum gratia in ratione qualitatis: ergo potest eleuata, efficienter physicè in gratiam habitualem influere. Antecedens autem probat: nam ideo intellectus potest eleuari ad physicè efficiendam visionem beatificam, quia potest ex proprijs viribus efficere naturalem intellectionem similem visioni beatificę; sed calor ex proprijs efficere potest vnionem naturalem similem supernaturali, Sol lucem similem luci supernaturali, & substantia creata subsistentiam similem subsistentiæ supernaturali: ergo possunt eleuari ad prædictos supernaturales effectus.

157 *Hæc obiectio Vaz. . . quia nō præmit.*

Hæc tamen obiectio parum, aut nihil potest contrarium Auctorem, cuius est argumentum, vrgere: quia in exemplis adductis eadem difficultas; si non maior inuenitur, atque in influxu physico humanitatis in gratiam: vnde idem per idem illis probatur, & omnia negabit Vazquez sua ductus ratione. Nec ideo in intellectu conceditur ab hoc Auctore potentia inchoata, remota, & improportionata in ordine ad visionem beatificam, quia potest ex proprijs viribus efficere cognitionem naturalem in ratione cognitionis cum visione beata conuenientem, & illi in hoc prædicato similem, sed quia in visione inuenitur formalitas per se correspondens intellectui, petensque in illum reduci, nec potens sine illo effici, quæ ratio in prędictis exemplis non militat; ideoque in illis potentia inchoata, remota, & improportionata non probatur.

158 *Instat Ripald.*

Sed adhuc insistit Ripalda: nam intellectus de se ęque insufficiens est, in visionem beatificam, atque est calor ad vnionem supernaturalem, Sol ad supernaturalem lucem, substantia naturalis ad supernaturalem subsistentiam, & humanitas ad gratiam: ergo ideo habet inchoatam potentiam eleuabilem ad visionem, quia ex proprijs viribus potest efficere cognitionem naturalem conuenientem cum visione beata in ratione cognitionis. Verum nec obiectio ista vrget contrariū Auctorem, qui consequenter ad suæ rationis doctrinā facile antecedens negabit: nam humanitas (idemque est de alijs exemplis dicendum) est insufficiens negatione potentiæ, etiam in-

*Nec ista obiectio contrariū Auctorē vrget.*

choatæ, improportionatæ, & remotę; intellectus autem in ordine ad viſionem beatificam, ſolum eſt inſufficiens per negationem potentiæ proportionatæ, proximæ, & completæ habens potentiam inchoatam, & remotam, & hoc ob rationem differentię aſsignatã; vnde etſi ſit de ſe inſufficiens ad eliciendam proprijs viribus viſionem beatam, habet tamen ſufficiẽ tiam, & actiuitatẽ remotam, ad illam ex eleuatione eliciendam.

159 *Secũda ſolutio reijcitur*

Deinde ſecunda ſolutio reijcitur: cauſa namque principalis in hoc ab inſtrumẽtali diſtinguitur, quod illa propter ſe intendit effectum, vt in illo ſe diffundat media ſui ſimilitudine: cauſa autem inſtrumentalis, non ſibi, ſed cauſę principali effectum quærit, & aſsimilare intendit, vt ex Diuo Thoma §. 3. vidimus; ſed niſi aliqua formalitas in effectu, cauſæ principali reſpondeat, non poteſt hæc doctrina eſſe vera; prædicatum namque, in quo effectus cauſę, principali aſsimilatur, illi per ſe correſpondet: ergo correſpondentia ita in effectu cauſæ principalis neceſſario requiritur. Nec contrarium huius doctrinæ exemplo adducto cõuincitur: aqua namque non cauſat calorem ratione ſibi innatæ virtutis, imo ratione illius productioni caloris reſiſtit, ſed cauſat ratione caloris, cui in calore producto formalitas correſpondet, nẽpè, prædicatum caloris, in quo calor productus calori producenti aſsimilatur: correſpondentia autem formalitatum effectus ad cauſam, non eſt ratione illius, quod *ſubiectiuè*, & vt *quod* tantùm ad efficientiam concurrit, ſed ratione illius, quod vt *quo*, & vt principium formale ad effectum comparatur.

*Ad exẽplũ in cõfirmatiõnẽ ſolutionis adductum reſpond.*

160 *Prima ſolutio aſsignatur.*

Vnde his omiſsis ſolutionibus ex dictis §. 3. reſponderi poteſt primo, conceſſa maiori, negando minorem; vt enim cauſa influat in effectum, ſufficit, quod vel ratione innatæ virtutis, vel ratione virtutis ab extrinſeco aduenientis contineat effectum in ſe, vt conſtat in aqua calida influente, & efficienter cauſante calorem; quem tamen ratione innatæ virtutis non continet, imo illi⁹ productioni repugnat, ſed tantum ratione caloris aduenientis aquę ab extrinſeco. Quæ doctrina eſt Diui Thomæ *in hac tertia parte quæſtione nona articulo primo ad ſecundum*, ibi: *Sicut aliquis poteſt cognoſcere per ſimilitudinem ſuſceptam ab alio: ita etiam poteſt agere per formam ab alio ſuſceptam: ſicut aqua, vel ferrum calefacit per calorem ſuſceptum ab igne*: ergo ex eo quod in humanitate Chriſti non detur virtus innata, & remota, ratione cuius influat efficienter in gratiam, nec in effectus miraculoſos, non ſequitur, quod eleuata à Deo per virtutem in ſe receptam, & a Deo ſuſceptam non influat. S. Tho.

161 *Ad probationẽ minoris reſpond.*

Ad minoris probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Nam exempla in antecedenti adducta procedunt de influxu vitali in operationem. Non enim valet aliqua potentia videre, niſi in viſionem vitaliter influat, nec audire, aut intelligere, niſi influat vitaliter in auditionem, & intellectionem. Vnde ſi auditus eleuaretur à Deo ad influendum in viſionem, aut intellectionem inſtrumentaliter, vt eſſe poſsibile, docent Auctores Noſtræ ſententiæ; non ideo videret, nec intelligeret; quia ad has denominationes exigitur influxus vitalis; nec Deus in nobis cauſans intellectionem, & viſionem, conſtituitur his actibus intelligens, & videns; quia eos non cauſat vitaliter, eſt autem de ratione actionis vitalis, quod ab intrinſeco procedat ratione innatæ virtutis, ſaltim remotè influentis; ideoque, nec auditus videre, nec viſus audire poteſt: quia in ordine ad iſtos actus virtutem innatam prædictæ potentię non habent; ex hoc tamen non colligitur, eſſe vniuerſaliter verum, non poſſe aliquid eleuari ad agendum, influendumque in effectum in ordine ad quẽvim remotam, & inchoatam non habet, vt conſtat in aqua, & ferro, quæ ratione caloris, efficienter calorem efficiunt, ad quem innatam, & inchoatam potentiam non habent.

162 *Secunda ſolutio traditur*

Secundo ex ibidem dictis reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: ad agendum principaliter, trãſeat minor: ad agendum inſtrumenta-

liter,

liter, nego minorem, & distinguo consequens distinctione minoris. Solum enim sequitur, humanitatem Christi non posse influere principaliter physicè in gratiam, & in effectus miraculosos; non autē quod physicè instrumentaliter nequeat influere. Quod autem ad influxum instrumentalem non requiratur vis inchoata, & remota, ex principijs cōtrariorum colligitur: nā illius necessitatem probāt, ex eo quod causę influenti debet in effectu formalitas respondere, potens in illam reduci; at ista correspondentia necessaria non est in causa instrumentali: ergo nec virtus inchoata, & remota. Minorem §. 3. probauimus ad hominē contra Vazquez, & ex doctrina Angelici Præceptoris, & discrimine, quod statuit inter causam principalem, & instrumentalem, & præterea constat in calore instrumentaliter ignem causante, vt instrumento connaturali; & tamen in igne producto, nullum datur prædicatum specialiter correspondēs calori; non enim prædicatu entis Deo formaliter respondens, nec prædicatum substantiæ, quod calori producenti non conuenit: dicta ergo correspondentia respectu causæ instrumentalis necessaria non est; & cōsequenter nec vis inchoata, & remota, quæ ex tali correspondentia probatur. Nec obstat probatio minoris: nā vidēs est causa principalis visionis, & intelligens intellectionis, & vniuersaliter, vt quis vidēs actione aliqua cōstituatur influēs principalis in actum vitalem exigitur, vt docet cōmunis Thomistarum sententia 1. p. q. 12. art. 5. & 2. 2. q. 23. art. 1. & 2. & pluribus alijs locis.

163 *An cōstituēda sit potentia obedientialis remotè actiua.*

An autem in humanitate Christi sit constituenda potentia obedientialis actiua, saltē remotè? Sub lite Theologorum est positum, quibusdam affirmantibus, alijs negantibus. Et quidem ex dictis constat, non dari in illa actiuitatem remotam per se exactam ab effectibus miraculosis: datur etiam in illa potentia obedientialis immediatè receptiua formæ eleuantis, & illa mediante vt *quod* influens in effectus miraculosos: etsi hoc sufficit, vt sit remotè, & mediatè actiua, asserendum est in humanitate dari potentiam obediētialem remotè, & mediatè actiuam. An etiam, vt res aliqua ad agendum supernaturales effectus eleuetur, necessarium sit, quod ratione suę propriæ, & innatæ virtutis, posset aliquē effectum causare connaturaliter, sub litè etiam Theologorum versatur, quibusdam negantibus, alijs è contra affirmātibus, quibus magis assentior: si namque res, quæ ex se nullius actiuitatis esset, posset ad miracula physicè efficienda eleuari, & causandum physicè gratiam; sequeretur posse ens rationis instrumentaliter physicè in gratiam, & in effectus miraculosos influere; consequens absurdum est: ergo in entitate eleuabili ad influxum physicum aliqua actiuitas illi connaturalis supponitur. Probatur sequela: si namque nulla realis actiuitas præexigitur in entitate eleuabili, non est ratio, cur realis entitas in illa prærequiratur: ergo entitas non realis, sed rationis eleuabilis erit ad influendum physicè in gratiam, & in effectus miraculosos, saltem in sentētia asserēte, formam physicè inherentem ad eleuationem necessariam non esse.

## §. VIII.

### *Duplici argumento occurritur, & explicatur, an sit dabile instrumentum obedientiale?*

164 *Quinto arguitur*

QVINTO arguitur: inter effectū, & causam instrumentalē debet dari ordo efficientis, & effecti; sed talis ordo inter humanitatem Christi, & gratiam habitualē non potest dari: ergo gratia habitualis non potest ab humanitate Christi, vt à physico instrumento procedere. Cōsequētia est bona. Maior constat: nam inter causam principalē, & effectum, ideo prædictus ordo cōsurgit, quia effectus

exit à causa principali, & hæc agit in effectum, sed etiam exit ab instrumento, & instrumentum agit in effectum: ergo inter causam instrumentalem, & effectum datur ordo efficientis, & effecti. Minor autē probatur: extrema de se ad inuicem non relata, non possunt mutuo referri, absque præuia mutatione; sed humanitas, & gratia non correferūtur de se, nec ex efficientia, intrinsecè possunt mutari: ergo non possunt referri ordine efficientis, & effecti. Maior à Nobis supponitur, vt vera in doctrina D. Thom. Minor pro prima parte est certa: nam gratia de se non petit effici ab humanitate Christi; aliàs ab illa, vt ab instrumento non obedientiali, sed connaturali procederet, nec humanitas ex proprijs potest in gratiam influere. Quod ab eodem inconuenienti probatur: & insuper: quia entitas naturalis nō potest ex proprijs in supernaturalem influere: ergo non correferuntur de se. Pro secunda parte probatur primo ex parte humanitatis: si namque humanitas mutaretur, esset ratione alicuius qualitatis, illam afficientis, & eleuantis intrinsecè ad influendum in gratiam: hæc autem omnino repugnat; eo quod prędicta qualitas, vel est ad causandam gratiam sufficiens, & hoc non; aliàs humanitas prædicta qualitate eleuata esset causa principalis gratiæ, quod Auctores nostrę sentētiæ inficiantur: vel est de se insufficiens; quod etiam non potest dici; aliàs egeret vlteriori eleuāte, & sic daretur processus in infinitū: ergo ex parte humanitatis non est dabilis mutatio. Quod autem ex parte gratię nulla assignetur mutatio ex influxu humanitatis, probatur: nam eadem est gratia omnino invariata intrinsecè, quę à Deo media humanitate causatur, & quæ à Deo se solo illam efficiente procederet: ergo gratia ex influxu humanitatis intrinsecè non mutatur.

165 *Dices.* Si dicatur: gratiā ex influxu mutari, quia transit de non esse ad esse intrinsecum: cōtra sic argumentor; si posset gratia primam existentiam ab humanitate recipere, vt ab instrumento physico, posset etiam iam existens ex sola efficientia Dei instrumentaliter physicè ab humanitate conseruari; sed hoc repugnat: ergo, & quod primam existentiā ab humanitate physicè influente recipiat. Sequela est certa. Et minor argumēto facto probatur: vt iam existens sine influxu humanitatis, ab illa conseruaretur, deberet ad illam referri; & consequenter mutari, sed non mutaretur intrinsecè; cum nullum intrinsecum prædicatum ex tali influxu conseruatiuo reciperet, quod in illa non daretur, quatenus primo existente: ergo repugnat, quod gratia primo existens ex sola efficientia diuina, conseruetur ab humanitate, vt ab instrumento physico.

166 *Cōuincitur Vazquez prædicto argumento.* Hoc argumento fusè, & confusè satis proposito conuincitur Vazquez, vt asserat, repugnare instrumentum obedientiale assumptum pro libito, & voluntate diuina ad causandos physicè supernaturales effectus. Quod nonnulli Recentiores instant in influxu morali, quem Vazquez humanitati Christi concedit in gratiam habitualem, & effectū miraculosos: sicut enim (inquiunt ipsi) potest gratia moraliter ab humanitate causari pro sola voluntate diuina, quin ab intrinseco dependeat ab illa, & quin ex tali influxu mutetur: ita etiam poterit absque tali mutatione dependere ab humanitate, vt ab instrumento physico. Hæc tamen instantia non videtur satis vrgēs: nam causalitas moralis non est immediatè in effectum, sed in voluntatem causæ principaliter effectum causantis, atq; adeò, per hoc solum quod voluntas causæ principalis moueatur à causa morali ad producēdum effectum, absque vlla mutatione in illo potest moralis causalitas intercedere; cęterum causalitas physica immediatè est in effectum, vnde vt in illo noua dependentia, & novus ordo consurgat; videtur aliqua mutatio requiri. Et quidē causa physica creata, ordine reali prædicamētali refertur ad suum effectū; & tamen in causa morali non consurgit necessario talis ordo, ex eo quod moraliter causet; cum possit non existens extra causas, moraliter in effectū influere; & tamen non existens, non potest

reali-

realiter ad effectum referri: dispar ergo est ratio inter causalitatem physicam, & moralem: ac proinde ex vna ad aliam non instatur argumentum.

167 *Obijcias* Si obijcias: causa moralis existens realiter ad effectum refertur; sed humanitas Christi existens extra causas, plures effect⁹ morali influxu causauit: ergo ad illos realiter referebatur; & tamen absque physica mutatione, aliàs argumentum Auctoris contrarij corrueret, quod in negatione physicæ mutationis in humanitate fundatur: ergo etiam absque tali mutatione potuit ad gratiam referri ordine efficientis instrumentaliter physicè, & consequenter illius argumentum instatur in causalitate morali. Respondere poterit Vazquez primo, negando maiorem: cum enim, vt *proximè* dicebam⁹, causa moralis non influat immediatè in effectum, sed mouendo voluntatē causæ principalis efficientis, & meritum, vel impetratio, quæ causæ morales sunt, non referantur ad Deum, qui est causa principalis gratiæ, & aliorum effectuum, quos Christi humanitas meruit, respectu causæ efficientis; fit consequens, vt nec ad ipsos effectus possit ordine efficientis referri.

*Respõd. Vazq̃z primo.*

168 *Secũdo respondebit.* Vel secundo, concessa maiori, & minori, & consequentia, negando minorem subsumptam: verè namque humanitas Christi mutabatur; cum causabat moraliter per actus, quibus merebatur, & impetrabat. Nec sequitur argumentum prædicti Auctoris corruere: non enim loquitur Vazquez de huiusmodi mutatione per actum meritorium, & impetratorium, nec illam negare potest; sed de alia, quę necessaria est ad influendum physicè in gratiam, & in effect⁹ miraculosos, & quā Discipuli Diui Thomæ esse necessariā fatētur, nempè, ratione formæ eleuantis humanitatē Christi, & illius actus, tam naturales, quam supernaturales, vt instrumentaliter influant physicè in prædictos effectus. Hęc est, quam prędictus Auctor negat, & huius repugnantiam suo argumēto connatur suadere.

169 *Vrgetur contra Vazq̃z* Potest tamen adhuc contra illius fundamentū instari, insistendo in causalitate morali, quam Vazquez in humanitate Christi in ordine ad gratiā, & alios effect⁹ supernaturales fatetur. Hoc ipso, quod gratia habitualis ab humanitate Christi causetur moraliter refertur realiter ad illam ordine effectus ad suam causam efficientem; & tamen per hoc, quod causetur moraliter ab humanitate Christi non suscepit mutationem intrinsecam: ergo ex eo quod intrinsecè non mutetur, ex influxu physico instrumentali humanitatis in gratiam, perperam infertur nō posse ad humanitatem referri. Consequentia benè infertur. *Minor* videtur certa: nam in gratia à Christo meritoriè causata, nullum est prędicatum intrinsecum, quod in illa non daretur sine influxu meritorio causata: ergo ex influxu meritorio intrinsecè non mutatur. Maior autem constat primo: nā causalitas moralis vera causalitas est: ergo effectus causæ moralis verè, & realiter ab illa dependet; sed in reali dependentia ordo realis effecti ad causā efficientem fundatur: ergo gratia ex meritis Christi causata realiter ad ipsum tali ordine refertur. Deinde: nam esto causa finalis non influat immediatè in effectum, sed in causam efficientem, illam immediatè mouendo, effectus causæ finalis realiter ad illam refertur: ergo licet causa moralis immediatè in effectum non influat, sed tantum mediatè, mouendo causam efficientem, effectus causæ moralis ad illam realiter debet referri ordine effecti ad efficiens; & consequenter gratia ex hoc, quod moraliter ab humanitate Christi efficiatur realiter ad illam, ordine effecti refertur. Et quidem si Vazquez istum ordinem admittat, difficile ab instātia facta se expediet. Quid quid tamen de illa sit

170 *Ad argumentum Vazq̃z respond.* Ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, concessa maiori modò proximè explicando, nego secundam partem minoris. Vt enim à Discipulis Diui Thomæ docetur, vt humanitas Christi influat instrumentaliter physicè in gratiam, constitui debet in illa forma aliqua intrinsecè eleuans, siuè motio virtuosa sit, siue

qua-

qualitas transiens, aut permanens: ac proinde ex parte humanitatis datur mutatio intrinseca sufficiens, vt in illa ordo efficientis fundetur, nec sequitur, humanitatem forma intrinseca supernaturali eleuatam esse causam principalem: quia licet prædicta forma sufficiens sit, vt virtus instrumentaria; nō tamen est sufficiēs, vt principium *quo* principale: nec ex omni sufficientia causalitas principalis infertur; calor namque, vt ignis proprietas, est in suo ordine sufficiens ad producendum ignem; & tamen causa principalis ignis non est: quia sufficientia caloris est sufficientia virtutis instrumentariæ. Semen etiam à generāte decisum, est in suo ordine sufficiēs generationis principium; & tamen causa principalis nō est, ob rationem assignatam.

171 Deinde etiam ex parte gratię datur sufficiens mutatio, vt ordine effecti ad efficiens, ad humanitatem referatur; licet namque nullum habeat intrinsecum prædicatum receptū ex influxu humanitatis, quod non haberet casu, quo solum ex influxu Dei extra causas poneretur: ac proinde non mutetur mutatione entitatiua: quia tamen transit de non esse ad esse terminans distinctum influxum ab illo, quē in prædicto casu terminaret, mutatur mutatione formali, exercendo dictam terminationem. Quod autem huiusmodi mutatio sufficiat, vt ad humanitatem referatur, probo clarè: homo namque ab alio homine genitus, realiter ad illum refertur, relatione geniti, & filij, ad quem nullam relationem diceret, productus à solo Deo: & tamen in tali homine, nullum datur prædicatum intrinsecum, quod eidem nō conueniret casu, in quo existentiam acciperet productus sola efficientia diuina, sed prædictum ordinem fundat, quia terminat diuersam actionem, habetque diuersum terminandi exercitium: ergo hęc sola mutatio sufficit fundare ordinem effecti ad efficiens.

172 *Ad repli cā resp.* Et ex his ad impugnationem tradi tæ solutionis constat solutio, & in forma, concessa sequela, nego minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: mutatione entitatiua, nego maiorem: mutatione terminatiua, cō cedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: licet enim gratia existens sola efficientia diuina, de nouo terminans influxū conseruativū media humanitate Christi, maneret entitatiuè invariata, vt pote nullam entitatem intrinsecam de nouo recipiens; mutaretur tamen mutatione terminatiua, exercendo rationem termini influxus diuersi ab eo, quo primo producta fuerat, quod sufficere, vt ad humanitatem referatur, constat ex dictis.

173 *Instabis.* Replicabis: mutatio tantum terminatiua, non sufficit relationem realem fundare: ergo solutio tracita est nulla. Probatur antecedens: Verbum terminans in tempore humanitatem, mutatur terminatiuè; cum de nouo terminet humanitatem, quam antea non terminabat, in quo mutatio terminatiua videtur consistere; & tamen non refertur ad humanitatem relatione reali prædicamentali, vt omnibus debet esse inconfesso; aliàs mutaretur entitatiuè intrinsecè, quod derogat fidei: ergo mutatio tantum terminatiua, non sufficit realem relationem prędicamentalem fundare.

174 *Respondetur 1.* Huic obiectioni respondeti potest, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, & minori, distinguo consequens: in subiecto capaci relationis realis, nego consequentiam: in subiecto talis relationis incapaci, cō cedo consequentiam. Instoque argumentum in generatione passiua sufficiente, in omnium sententia, fundare relationem realem filij, quam tamen iuxta D. Thom. *infra q. 35. art. 5.* non fundat in Christo Domino per ordinē ad Beatissimam Virginem: eo quod Christi suppositū, cui immediatè relatio filiationis inhęret, capax relationis realis, nō est ratione immutabilitatis. Pariter ergo in præsenti, quamuis mutatio solum terminatiua sit de se sufficiens relationis realis fundamentum, illam in Verbo non fundat; quia est incapax relationis realis.

175 *Resp. 2.* Vel secundo respondetur, distinguendo primum antecedens: mutatio terminatiua perficiens subiectum ter-

mina-

*minatiuè* immutatum, nego antecedens: mutatio non perficiens, concedo antecedens, & nego consequentiã. Contra quam distinctionem non obstat antecedentis probatio: nã ex hoc, quod Verbum de nouo terminet humanitatem, quam antea non terminabat, non accipit perfectionem, sed sola humanitas est, quæ perficitur ex tali terminatione, ideoque ex illa nõ cõsurgit relatio realis prædicamentalis in Verbo. Ex hoc autem, quod gratia habitualis, quæ antea solum dependebat à Deo de nouo ab influxu humanitatis Christi in conseruari dependeat, ab humanitate *effectiuè* perficitur, quatenus ab illa, vt ab instrumento physico recipit continuationem existẽtiæ: vnde sicut illam relatione reali respiceret, si ab illa primam reciperet existentiam, ita illam respicit, continuationẽ existentiæ recipiendo. Et quidem humanitas ex vi actionis, qua diuino Verbo vnitur, realiter ad Verbum refertur, vt docet D. Thomas *in hac 3. p. supra q. 2. art. 7.* & tamen, vt plures volunt, ex vi illius actionis, nullam recipit entitatem; cum doceant, vnionem humanitatis ad Verbum non esse aliquid realiter ab humanitate distinctũ: vnde humanitas ex vi talis actionis nõ mutatur *entitatiuè*, sed tantum *terminatiuè*, terminans distinctam actionẽ, ab illa, qua fuit producta; cum tamen Verbum, etsi de nouo dicatur terminans humanitatem, nullam relationẽ realem suscipiat, cuius discriminis alia ratio esse non potest, nisi ea, quam assignauimus, nempè, Verbum non perfici, ex eo quod terminet; humanitas autem ex eo quod Verbo vniatur perficitur.

176 *Vrgebis.* Cæterum ex hoc exemplo contra solutionem insurges. Nos enim *Disp. 11. à num. 4.* docuimus, modum vnionis humanitatis ad Verbũ, realiter *entitatiuè* ab humanitate distingui, quod ex D. Thoma intulimus, ex eo quod Angelicus Doctor *supra q. 2. art. 7.* docet, relationem vniti consequi in humanitate ad mutationem illius: mutatio autẽ absque nouitate entitatis nõ potest contingere; at si ad relationem realem prædicamentalẽ sufficeret mutatio terminatiua perficiens subiectum *terminatiuè* immutatum, illa doctrina corrueret, vt constat ex dictis: ergo inconsequenter ad ea, quæ *loco allegato*, docuimus, discurrimus in præsenti.

177 *Respõdetur.* Respondeo, admissa doctrina maioris, negando minorẽ. Nam ex vnione humanitatis ad Verbum resultat noua relatio prædicamentalis nouitate formali terminatiua, ideſt, relatio ad terminum distinctum formaliter ab illo, quem humanitas ratione suæ actionis productiuę inspiciebat; ideoque, vt talis relatio resultet, mutatio entitatiua præexigitur: ex eo autem quod gratia, quę in suo esse dependet à solo Deo, de nouo ab humanitate instrumentaliter conseruetur, non resultat relatio noua nouitate formali, sed tantum nouitate materiali: nam instrumentum, & causa principaliter agens, non sunt termini distincti formaliter; ideoque, vt gratia, quę antea solum ad Deum referebatur, de nouo respiciat humanitatem, non pręexigitur nouitas entitatiua, sed terminatiua sufficit.

178 *Quinto arguitur.* Quinto arguitur: humanitas Christi Domini non influit physicè in gratiam: ergo nec in effectus miraculosos influxum physicum instrumentalẽ habet. Consequentia tenet: quoad hoc enim eadem ratio est de miraculis, ac de gratia iustificante. Antecedens autem probatur: id quod de se, & ab intrinseco ab aliquo non dependet, non potest dependere ab illo dependẽtia stricta, & causali, etiam de potentia absoluta; sed gratia habitualis non dependet de se, & ab intrinseco ab humanitate Christi: ergo non potest dependere ab illa, vt ab instrumento physico; & consequenter humanitas non influit in gratiam iustificantem instrumentaliter physicè. Consequentia est bona: nam dependentia à causa physica instrumentali, est dependẽtia stricta, & causalis. Minor est certa: nam si gratia iustificans de se ab intrinseco, ab humanitatis influxu depẽderet, esset humanitas instrumentum connaturale gratiæ, quod nullus docuit, nec docere potest.

179 *Maior probatur 1.*

Maior autẽ ostenditur primo: quia namque materia prima de se non dependet à subiecto, nec de potentia absoluta, potest ab illo depẽdere, & quia anima rationalis à materia non dependet, non potest fieri dependens ab illa, etiam de potentia absoluta; aliàs hac potentia inspecta, posset anima rationalis de potentia materiæ educi, quod nemo dixit, & quia humanitas v.g. (& idẽ est de quauis substãtia dicendum) de se non dependet ab aliquo, vt à subiecto inhæsionis, implicat, quod ab illo dependeat: ergo vera est vniuersaliter maior, quod, nempè, id quod de se non dependet ab aliquo dependentia stricta, & causali, non possit dependere ab illo, etiam de potentia absoluta.

180 *Secũdo.*

Secundo probatur maior ratione à priori: nam vnum dependere ab alio est illo indigere, vt sit; sed quod de se alio non indiget, non potest de potentia absoluta manens intrinsecè invariatum, illo de nouo indigere: ergo quod de se ab aliquo nõ dependet, nõ potest dependere ab illo de potentia absoluta. Consequentia probatione non indiget. Maior est in sentẽtia Thomistarum communis, ea ratione asserentium, non posse de potentia absoluta vnum effectum à duplici causa ad æquata eiusdem ordinis dependere, & constat: non enim alia ratione anima rationalis probatur à materia indepẽdens, nisi quia, vt sit, indigentiam materiæ non habet, & è contra, inde probatur, accidens dependere à subiecto, quia illo indiget, vt sit. Minor autem constat primo: inde namque Nostri Thomistæ probant, nõ posse effectum ab vna causa adæquatè in actu secundo causatum, alterius concursu indigere: quia de se hanc indigentiam non habet; & consequenter non potest talem indigentiam habere: ergo sentiũt id, quod de se, & ab intrinseco alio ad essendum non indiget, non posse de potentia absoluta, illo indigere ad essendum. Secundo: nam id, quo aliquid indiget ad essendum naturaliter ab eodem exigitur, in illudque indigens, naturaliter inclinatur, sicut naturaliter inclinatur ad esse; sed id, quo res aliqua de se, & ab intrinseco ad essendum non indiget, non exigitur naturaliter ab illo, nec in illud naturaliter inclinatur: ergo eo, quo res aliqua de se, & ab intrinseco ad essendum non indiget, non potest de potentia absoluta indigere. Tertio: nam indigentia alicuius ad essendum est intrinseca indigenti: ergo quod de se aliquo non eget, vt sit, non potest invariatum manens, illo de nouo indigere; nouitas enim intrinseci prędicati, non potest sine intrinseca mutatione contingere.

181 *Instatur argumẽtum.*

Respondeo, hoc argumentum instari in humanitate Christi, quæ de se, & ab intrinseco non dependet à subsistentia Verbi, nec illa naturaliter indiget, vt omnibus est inconfesso; & tamen de facto à subsistentia Verbi depẽdet; sustentatur enim ab illa non minus, quam sustentaretur à propria personalitate: ergo maior in probationẽ antecedentis assumpta, non est vniuersaliter vera. Ad argumentum respondeo, negãdo antecedens. Ad illius probationem distinguo maiorem: quod de se non depẽdet ab aliquo, nec in se, nec in alio cõtento eminenter in illo, aut in cuius virtute operatur, concedo maiorem: quod de se nõ dependet ab aliquo in se tantum, nego maiorẽ: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet gratia habitualis de se, & ab intrinseco non dependeat ab humanitate Christi sumpta in se ipsa, & ratione sui; dependet tamen ex se, & ab intrinseco à Deo, in cuius virtute humanitas influit in gratiam, & hoc sufficit, vt humanitas in virtute accepta à Deo possit *physicè* in gratiam iustificantem influere; cum enim Deus sit Auctor, & causa prima gratię habitualis, non naturaliter, sed liberè causans illam, potest dupliciter illam causare, vel per se ipsum immediatè, vel assumendo instrumentum, cui virtutem influxiuam in gratiam communicet, & quod non virtute propria, sed virtute Dei, cuius est instrumentum, *physicè* influat in gratiam habitualem.

*Ad illud Respõd.*

182 *Ad primã probationẽ maioris.*

Contra quam distinctionem non obstat prima maioris probatio: nam materia prima, anima rationalis, & humanitas à nullo subiecto inhæsionis,

vel informationis ab intrinseco dependent, ideoque non possunt obedientialiter à subiecto depẽdere: nam ad hoc erat necessariũ, quod depẽdẽtia cõnaturalis ab vno, supplieretur per aliud, illud eminenter continens, vel dependeret ab vno in virtute alterius, à quo dependeret ab intrinseco: gratia autẽ dependet ab intrinseco à Deo, vt à causa libera illius; ideoque potest dependere ab humanitate Christi, à qua ab intrinseco, & connaturaliter non dependet, nõ quidem, vt virtute propria influente, sed virtute Dei, à quo dependet connaturaliter. Et quidem, quia humanitas ab intrinseco dependet à propria subsistentia, & hęc eminenter continetur in subsistẽtia Verbi, potest obedientialiter à subsistentia Verbi dependere, vt gerente munus subsistentię propriæ creatæ: ergo si obedientialiter non potest à subiecto informationis dependere, est, quia à nullo subiecto informationis dependet connaturaliter.

183 *Ad secũdam.*

Nec obstat secunda probatio: vt enim vnum ab alio dependeat per potentiam obedientialem, non petitur, quod illo per se, & ab intrinseco indigeat, sed sufficit, quod indigeat ad essẽdum aliquo, cuius vices gerat, vel in cuius virtute agat. Primum constat in humanitate Christi dependente à subsistentia Verbi, quin illa ab intrinseco egeat: quia eget propria subsistentia, cuius vices gerit subsistentia Verbi, illam continens eminenter. Secundũ in gratia habituali inuenitur, quæ licet ab intrinseco non egeat humanitate Christi ad essendum: quia tamen ab intrinseco eget diuino concursu, in cuius virtute humanitas Christi influit, potest ab illa dependere obedientialiter, nõ quidem ab humanitate ratione sui, & ratione propriæ virtutis, sed in virtute diuinitatis, cuius instrumentum est, influente. Ex quibus constat, rationem Thomistarum, vt probent, non posse vnum, & eundem effectum à duplici causa adæquata simul actu dependere, subsistere; quia, nempè, vtraque ex illis causis, propria virtute operatur, atque adeò, si dependẽs adæquatè ab vna, nequit connaturaliter dependere ab alia, nec etiam obedientialiter potest; quia hęc dependentia non foret ab alia causa, vt gerente vices alterius, nec in virtute alterius operante, à qua dependet connaturaliter, sed foret ab illa ratione propriæ virtutis, quod implicat. Cuius doctrinæ veritatem profundius examinare, præsentis instituti nõ est: consulantur Thomistæ 2. *Physicorum*, vbi hæc difficultas fusè discutitur.

184 *Replicabis.*

Sed dices: dependentia vnius ab alio idem est, quod indigentia illius ad existendum; sed gratia hominibus media humanitate Christi collata, non indiget, vt existat concursu humanitatis, nec vt propria virtute operantis, nec vt influentis virtute diuina: ergo non dependet ab illa, etiam vt operante virtute diuina. Cõsequentia tenet. Maior constat ex dictis, & ex doctrina Thomistarũ supponitur: minor autẽ ostenditur primo: quod enim sine altero, vel sine illius cõcursu potest existere, non indiget illo, vt sit; sed eadem numero gratia, quam Deus cõfert media humanitate Christi, posset sine cõcursu humanitatis conferri; nec enim prædicata specifica gratiæ, nec prædicata indiuidualia ab influxu humanitatis habent dependentiam: ergo vt existat, influxu humanitatis, nõ eget. Secundo: nam indigentia intrinseca nõ potest de nouo competere sine variatione intrinseca entitatis; sed ex hoc, quod gratia conferatur à Deo, media humanitate Christi, non variatur gratia entitatiuè: ergo vt existat influxu humanitatis non indiget.

185 *Respõdetur.*

Respõdeo, concessa maiori, distinguo minorem: non indiget concursu humanitatis absolutè, concedo minorem: attento concursu, quo de facto à Deo causatur, nego minorem, & cõsequentiam. Contra quam distinctionem nõ vrgent probationes minoris. Non prima: nam licet eadem gratia numero, quæ de facto à Deo cõfertur mediante influxu humanitatis, possit produci, & existere sine illo; non tamẽ cõcursu de facto præstito à Deo; cum mediante humanitate physicè influente, illam causat: nam casu in quo Deus illam se solo sine instrumẽto causaret,

diuer-

diuersus esset influxus: ex quo solum sequitur, gratiam, quæ de facto datur, nõ egere influxu humanitatis, vt existat absolutè, & attento omni concursu possibili: non tamen, quod non egeat humanitatis influxu, vt existat attento concursu, quo Deus influit in gratiam, cum mediante humanitate, tanquam physico instrumento ad gratiæ productionem concurrit. Et hoc sufficiens est, vt gratia ab humanitate dependeat, non quidem dependentia essentiali, nec in facto esse, & in conseruari, sed tantum dependentia in fieri. *Instatur* Et quidem idem homo numero, qui de facto à Deo, & alio homine simul producitur, potest à Deo solo causari, quin ex hoc inferatur, hunc numero hominem, v.g. Petrum ab homine nõ produci, quod non alia ratione est verum, nisi quia licet foret idem homo, non tamen foret idem concursus diuinus. Et ex hoc solum infertur, hominem ab homine non dependere essentialiter, nec dependentia in facto esse, & in conseruari; non tamen, quod ab homine non dependeat in fieri vnus homo ab alio, cum homo, non solum à Deo producitur, sed etiã ab alio homine generatur. *Nec vrget secũda probatio.* Nec magis secunda probatio vrget: vt enim nouitas indigentiæ in fieri superueniat, non est necessaria nouitas entitatiua in subiecto, sed sufficit nouitas terminatiua, hoc est, quod diuersam terminet actionem, qua fiat, vt *in solutione quarti argumenti* docuimus. Constatque in Petro v.c. à Paulo producto, cui ex vi huius dependentiç non conuenit entitas aliqua, quæ eidem non conueniret casu, in quo à solo Deo fieret, sed solum nouitas terminatiua, hoc est, terminatio actionis nouç, & distinctç. Id ipsum in re nostra contingit: nam licet gratiæ medio influxu humanitatis productæ, non conueniat entitas distincta ab ea, quæ eidem gratiæ conueniret casu, in quo fieret à solo Deo; noua terminatio ei conuenit, cum terminet actionẽ distinctam, & hoc sufficere, vt noua indigentia ei competat; constat *in exemplo adducto.*

## §. IX.

### *Occurritur sexto argumento, & explicatur causalitas Passionis Christi respectu Antiquorum Patrum.*

SEXTO arguitur: humanitas Christi eundem influxum exercuit in gratiam Antiquorum Patrum, quẽ præstat respectu gratiç subsequentium Incarnationem; sed gratiã Antiquorum Patrum non causabit per influxũ physicum, sed tantum per moralem influxum: ergo nostram gratiam moraliter tantum causat. Consequentia est legitima. Minor videtur certa: nam physica efficientia, necessario physicã existentiã in causa supponit, siuè causa instrumentalis sit, siuè causa principalis, vt cõmuniter docent Philosophi, & ex ipsis terminis patẽs videtur, quod enim, nec existit, nec extitit, quo modo potest physicam actionem efficere. *Maior probatur 1.* Maior autem ostenditur primo: nam gratia Antiquorum Patrum fuit eiusdem rationis cum nostra quoad physicam entitatem: ergo ab eisdem causis physicis, ac nostra causata: nam variata causa physica, effectus physicè debet variari; & consequenter eodem modo, ac nostra ab humanitate Christi processit. *Secũdo.* Secundo: nullum enim est fundamentum, vt in gratiam eiusdem rationis cum alia quoad physicam entitatem, diuersum influxum humanitati Christi attribuamus: ergo eundẽ influxum exercuit humanitas Christi in vnam, & in alterã gratiam. *Tertio.* Tertio: nam in Scriptura eodem tenore verborum dicitur Christus causa gratiæ omnium hominũ, & omnium Redemptor: ergo eodem modo est causa gratiæ omnium hominum precedentium, subsequentiumque Incarnationem. *Quarto.* Præterea: nam verba Scri-

186 *Arguitur 6.*

turæ

turæ asserentis, Christum gratiã Antiquorum Patrum causasse, sufficienter explicantur per causalitatem moralẽ sine physica efficientia: ergo pariter cum Scriptura Sacra docet, Christum causare nostram gratiam, & miracula efficere, sufficienter explicabitur per causalitatem moralem.

187 *Cõfirmatur.* Quod amplius vrgetur: nam esto ad primam existentiam gratiæ Antiquis Patribus datæ, nõ potuerit humanitas Christi physicum influxum habere ex defectu physicæ existẽtiæ: respectu tamen continuationis illius à tẽpore Incarnationis, potuit influxum physicũ exercere, si semel in nostram gratiam physicum influxum exercet; & tamen nec in primũ esse gratiæ physicè humanitas Christi influxit, nec in eius conseruationẽ physicè influit, sed tãtum moraliter: ergo nostræ gratiæ non physica, sed moralis tantum est causa.

188 *Prima solutio, quæ potest adhiberi argumento facto.* Huic argumento responderi potest primo, concessa maiori, negando minorem. Licet namque existentia physica præsens, coexistentiaque cum effectu, necessaria sit in instrumento physico causæ naturalis creatæ ad physicam efficientiam; in instrumentis diuinæ virtutis talis existentia non petitur, vt physicum influxum exerceant, sed sufficit, quod existãt existentia præsenti, præterita, vel futura; vnde humanitas Christi per hoc tantum, quod futuram existentiam haberet, potuit influere instrumentaliter physicè in gratiam Antiquorum Patrum, & de facto physicè in illam influxit. Doctrinam istam satis insinuat Capreolus *in 4. Sẽtent. dist. 13. q. 1. art. 4 pag. mihi* 161. ibi: *Hoc enim non est nouum, nec inconueniens de causa efficiente instrumentali. Quod patet in simili: nam passio Christi per virtutem instrumẽtalem in se existentem habuit effectum in prædestinatis præcedentibus Christi passionem, & in sequentibus.* Quibus satis insinuat, passionẽ instrumentaliter physicè gratiã Antiquorum Patrum causasse: nam meritorium influxum, non vt instrumẽtum, sed vt causa principalis exercuit. Eidem sententiæ adhæsisse videtur sapientissimus Magister Soto *in 4. dist. 1. q. 2.* non longè à principio, ibi: *Hæc autem responsio, &c.* Illamque vt probabilem defendit Medina *in præsenti q. 13. art. 2. pag. 355.* vbi docet, quod sicut imagini Christi potuit cõmunicari virtus, vt qui eam contemplatus fuerit eius virtute sanetur; potuit etiam præconceptioni Christi futuri, & Cruci affigendi, hæc virtus cõmunicari; cum sit verior Christi imago, quam illius effigies depicta: ergo Christus præcõceptus in gratiam Antiquorum efficientem physicum exercuit influxum. Et in hunc sensum explicat Magister Medina sentẽtiam Capreoli, & Soti, quod, nempè, sicut plures dicunt obiectum, vt apprehẽsum, & in sui conceptu repræsentatũ, efficienter physicè influit in actum volũtatis: ita Christus, vt apprehensus, & in conceptu repræsentatus Antiquorum Patrum mẽtibus, vt futurus, efficiẽter physicè gratiam Antiquorum Patrum causauit.

*Capreol.* *Soto. Medin.*

189 *Arguit in fauorẽ huius solutionis. Primo.* Quorum sententia verosimilis sit primo: nam quantum ad physicam efficientiam eadem ratio esse videtur de re physicè præterita, ac de re physicè futura; sed passio Christi præterita physicè influit in gratiã, vt plures docent: ergo etiam passio Christi futura. Deinde: nam iuxta D. Thomam *infra quæst. 56. art. 1. ad 3.* ideo resurrectio Christi potest physicè in rem loco distantem influere, quia operatur virtute diuina, quæ omnib⁹ prẽsẽs est loco; sed passio Christi operatur virtute diuina, quæ omni durationi est præsens: ergo potest efficienter influere physicè in rem tempore distantem; & consequenter absque existentia in tempore physicè efficienter causabit. Patet consequentia: ad agendum enim physicè, non solum coexistentia in tempore exigitur, sed etiam præsentia localis: ergo si instrumenta diuinę virtutis possunt efficienter physicè influere, absq; sui præsentia locali, ratione prẽsentiæ, quam diuina virtus habet, cuius vi efficienter influunt, poterũt etiam, absque coexistentia in tempore: quia virtus Dei, qua eleuantur omni durationi est prẽsens. Prẽterea: nã licet passio in se ipsa non extiterit tẽpore Antiquo-

*Secũdo.*

*Tertio.*

tiquorum Patrum, existebat tamen in sui apprehensione, & in conceptu, qui est imago intentionalis illius; sed hæc existentia sufficit, vt physicam efficientiam habuerit in gratiam Antiquis Patribus datam: ergo illam de facto habuit. Consequentia cum maiori tenet. *Minor* autem probatur: vt enim plures Caietanum sequentes, docent, finis per hoc, quod in apprehensione existit, influit efficienter physicè in actum voluntatis: ergo vt passio Christi influat efficienter physicè in gratiam tempore antecedentem, sufficit, quod tunc temporis in sui apprehensione extiterit. Secundo: nam obiectum influit efficiẽter physicè in actum intellectus, vt docet frequentior Thomistarum sententia; & tamẽ non existit physicè in se, sed tantùm in specie sui: ergo pariter passio Christi, quã uis ante Incarnationem physicè in se non extiterit: quia tamen in sui conceptu existebat, potuit in gratiam influere.

191 *Si respõdeatur primo.*

Si forte dicatur: speciem diffundi ab obiecto; ideoque obiectum nõ existens formaliter, virtualiter existit in specie, quod ad physicum influxũ sufficere, constat in generante iam mortuo, efficiẽter prolem causante: quia existit virtualiter in semine ab ipso de cisso. Conceptus autem repræsentans passionem Christi futuram non diffunditur ab illa: ac proinde non existit virtualiter in conceptu: cumque aliũde supponatur carens physica existentia formaliter, nullatenus potest physicam efficientiam habere. In contrarium arguitur: nam Angelus cognit⁹ influit physicè efficienter in cognitionem sui, etsi non supponatur existens in se ipso, quia existit in specie sui; & tamen species Angelicæ non sunt diffusæ ab obiectis effectiue, sed infusæ à solo Deo, vt cum D. Thoma tenent Theologi cõmuniter contra Scotum: ergo quod species passionis Christi futuræ, non sit ab ipsa effectiuè non impedit, quod existere in illa sufficiat ad physicam influentiam.

*Contra est.*

192 *Si respõdeatur secundo*

Si dicatur secundo: diuersam esse rationem; nam species infusa à Deo repræsentans naturam Angelicam, influit in actum intellectus ratione propriæ virtutis, & quia aliàs continet naturam obiecti in esse repræsentatiuo, & ad hoc est instituta, vt vices obiecti gerat: fit consequens, vt actus efficienter abspecie impressa causatus, effectiuè tribuatur obiecto: apprehensio autem, & conceptus passionis Christi futurę, si gratiam efficienter causaret, non esset ratione propriæ virtutis, sed vt eleuata à Deo, & virtute Dei, cui vt causæ principali subordinaretur; ideoque licet apprehensio, & conceptus passionis Christi futuræ, effectiuè instrumentaliter in gratiam iustificantem influerent, nõ inde passioni Christi effectiuè debet attribui, nec ab illa effectiuè procederet. In contrarium obstat: nam species deseruientes fidei, cum entitatiuè sint naturales, nõ possunt in actum fidei supernaturalem influere ratione propriæ virtutis, sed influunt, vt eleuatę per virtutem supernaturalem; & tamen, quia eleuantur, vt repræsentantes obiecta, actus ab illis procedens effectiuè respondet obiectis: ergo vt passioni Christi futuræ effectiue gratia respondeat, non requiritur, quod species repræsentatiua illius influat in gratiam ratione proprię virtutis, sed sufficit, quod ad influendum in gratiam, eleuetur, vt repræsentans passionem Christi futuram, illamque intentionaliter continens; sed potuit ita contingere, quod nempè, imago intentionalis passionis Christi futuræ eleuaretur à Deo, vt repræsentans passionem: ergo potuit passio isto modo instrumentaliter physicè in gratiã Antiquorum Patrum influere; & consequenter asserendum est de facto, ita euenisse.

*In contrarium obstat.*

Hæc tamen solutio quomodocũque explicetur, difficilis valdè est. Primo: quia res extitura pro tempore futuritionis non existit quamuis extitura sit: ergo pro tali tempore non potest efficienter physicè influere, quam uis pro suo sit effectura. Patet consequentia: nam efficientia physica est actus entis existentis physicè: ergo ea ratione, qua de aliquo physica existentia negatur, debet physica efficientia negari; & consequenter, si futuri-

193 *Ostenditur difficultas, quã patitur prædicta solutio. Et cõtrà illam arguitur primo.*

tionis

tionis tẽpore de re futura physica exi ſtẽt ia negatur, nõ poteſt de illa pro ta li tẽpore physica efficientia affirmari.

*Secũdo.* Secũdo, & explicatur magis ratio præ cedẽs: quia finis mouet intẽtionaliter, vt exiſtẽs in apprehenſione, nõ poteſt pro tẽpore, pro inſtanti, vel pro ſigno aliquo mouere intẽtionaliter, pro quo in apprehenſione non exiſtat; ſed efficientia physica conuenit rei, vt exiſtẽti physicè: ergo nequit talis efficientia affirmari pro tempore, vel inſtanti pro quo, vel in quo physica exiſtentia negatur.

*Tertio.* Deinde: nã ſi ob aliquã ratio nẽ poſſet paſsio Chriſti futura efficien ter physicè influere in gratiã Antiquis Patribus datam, maximè, quia agit in virtute Dei, quæ virtus omni tempori eſt præſens; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo physicè in gratiã Antiquorũ Patrũ non influxit. Maior cõtinet vnicũ fun damentũ doctrinę, quã impugnamus. Minorẽ autẽ probo primo: nã virtus, qua paſsio Chriſti eleuatur ad agendũ, non eſt virtus increata Dei, ſed forma accidentalis creata paſsioni intrinſecè inhęrens; ſed licet virtus increata Dei omni durationi ſit præſens: forma tamen creata accidentalis intrinſecè inhærens paſsioni, illamq; intrinſecè eleuans, præſens omni durationi non eſt: ergo ex eo quod agat in virtute Dei, quæ omni durationi eſt præſens, malè infertur, potuiſſe physicè influere in gratiã tẽpore antecedentẽ. Secundo: nã ſi hac ratione aliquid probatur, con uincitur, paſsionẽ Chriſti poſsibilẽ po tuiſſe efficiẽter physicè in gratiã, alioſ que effectus influere; conſequens falſiſsimũ eſt, nec ab aliquo aſſertũ: ergo ratio facta inſufficiens debet cenſeri.

Minor cum cõſequentia tenet. Maior autem, vel ſequela probatur; vel enim ad physicam efficientiam requiritur exiſtentia virtutis, & exiſtentia ſubiecti eleuati per talem virtutem, vel ſuf. ficit exiſtentia virtutis: ſi hoc ſecundum aſſeratur, ſequitur inconueniens illatum, nimirum, potuiſſe paſsionem Chriſti poſsibilem, efficientiam phyſicam exercere, quandoquidem exiſten tia ſubiecti agentis ſupponitur non ne ceſſaria ad agendum. Si primum dicatur, ſequitur, paſsionem Chriſti futuram non potuiſſe physicè agere, quãuis Dei virtus exiſtat, quandoquidem præter exiſtentiam virtutis, ſupponitur exiſtentia etiam ſubiecti neceſſaria ad physicam efficientiam: ergo vel ratio facta non probat paſsionem Chriſti futuram, potuiſſe efficienter physicè influere, vel conuincit paſsionem Chriſti poſsibilem, potuiſſe talem efficientiam habere.

194. *Respondebis.* Dices: hoc inconueniens non ſequi: nam exiſtẽtia physica in omnium ſententia eſt neceſſaria ad agendum: hæc autẽ non conuenit paſsioni Chriſti poſsibili; benè tamen paſsioni Chriſti futurę; de qua verum eſt, futuritionis tempore eſſe aliquando exititurã, & ideo potuit in virtute Dei efficienter physicè in gratiam tempore antecedentem influere: ſecus autem paſsio Chriſti tantum poſsibilis.

*Sed contra.* Sed contra: nam exiſtentia, quam omnes neceſſariam ad physicam efficientiam fatentur, non eſt exiſtẽntia futura, ſed præſens formalis, aut virtualis, hoc eſt, in ſe, vel in effectu ab illa relicto; ſed paſsio Chriſti futura nõ eſt præsẽs in ſe, nec in aliquo effectu ſui: ergo nõ potuit physicam exercere efficientiam.

*Cõfirmatur.* Vel ſi potuit; quia virtus Dei erat præſens, etiam potuit paſsio Chriſti poſsibilis. Explicatur, & vrgetur: vt paſsio Chriſti ageret virtute propria, neceſſum erat, exiſtere aliquo ex prædictis modis, vt Auctores, quos impugnamus, fatentur: quia tamen non agit virtute propria, ſed virtute Dei, quæ eſt omni tempore præſens, potuit præſentem habere efficientiam, abſque exiſtentia præſenti: ergo pariter quamuis paſsio Chriſti poſsibilis, non poſſet virtute propria physicam efficientiam habere; virtute tamen diuina omni tẽpori præſente, potuit quãuis eſſet poſsibilis physicam efficientiam habere, quod à nemine aſſertum inueni: nec mirum; cum mente non ſit perceptibile.

195 Et ex his impugnata relinquitur prędicta ſententia prout à Mag. Medina explicata: ſequitur namque ex illa, paſsionem Chriſti poſsibilem potuiſſe efficienter in gratiam, & in alios effectus influere; conſequens eſt falsũ:

ergo & prædicta ſolutio. Conſequentia tenet. Minor omnibus conſpicua. Et probatur: nam paſsio Chriſti poſsibilis non potuit moralem exercere efficientiā; aliàs, vt redimeremur ex toto rigore iuſtitiæ exiſtentia Chriſti Domini neceſsaria non fuiſſet: ergo multo minus potuit phyſicā efficientiā habere. Sequela autē probatur primo: nā Auctores aſſerentes, finē in apprehenſione in actū voluntatis influere, id cōcedunt, fini tantū poſsibili: ergo ſi exē plū quo vtitur Mag. Medina eſt ad rē, id ipsū probat de paſsione Chriſti poſsibili. Secundo probatur: nā obiectum media ſpecie influit efficiēter phyſicè in actum intellectus, non ſolū quando exiſtit, vel extiturū eſt, ſed etiā merè poſsibile, vt Auctores dictæ ſententiæ fatentur: ergo ſi paſsio Chriſti futura influit efficiēter in gratiā Antiquis Patribus datā; quia conceptus repreſentans paſsionē Chriſti futuram, qui eſt imago intētionalis eius, fuit eleuatus ad phyſicū influxum in gratiā, potuit etiam paſsio Chriſti repræſentata vt poſsibilis, exercere dictum influxum.

196 *Impugnatur vlteriùs prædicta ſententia.*

Deinde prędicta ſententia ſic explicata impugnatur: nam fides paſsionis Chriſti futuræ nō fuit inſtrumentum phyſicū influens in gratiam Antiquis Patribus datā: ergo etiā ſi efficientia phyſica fidei, vel paſsionis Chriſti ſuffi ceret, vt paſsioni Chriſti efficiētia phyſica tribueretur, talē efficientiā non habuit. Conſequentia eſt bona. Antecedens autē probo primo: quia ex oppoſito fieret, ſolam fidem ſuffeciſſe, vt Antiqui Patres iuſtitiā conſequerentur, & gratiā; conſequens aſſerendum non eſt: ergo. Patet ſequela. Nam poſ ſito inſtrumento ad cauſandam gratiam deſignato, ſtatim cōſequitur gratia: ergo ſi fides Antiquorum Patrum fuit inſtrumentum ad cauſandam gratiam inſtitutū, fide ſola gratiā cōſecuti fuiſsēt: ſicut modo in lege gratiæ attritione poſita medio Sacramēto Pœnitentiæ, gratia infalibiliter ſequitur: ex quo fieret, fuiſſe Antiquos Patres melioris conditionis, quoad hoc, iuſtis in lege gratiæ exiſtentibus. Secundo probatur antecedens: nā ſine fundamento cōceditur fidei paſsionis Chriſti futuræ, quod negatur fidei paſsionis Chriſti præteritæ; ſed fides paſsionis Chriſti præteritæ nō influit inſtrumentaliter phyſicè in gratiā iuſtificantem, ſed tantū remotè ad illam diſponit: ergo fundamento caret; & conſequenter eſt falsū, fidem Antiquorū Patrum paſsionis Chriſti futuræ phyſicā efficientiam inſtrumētalem habuiſſe.

197 *Primū motiuū dictæ ſententiæ. Soluitur primo.*

Nec motiua in oppoſitum vrgent: non primum: nam res, quæ præteriit, poteſt relinquere effectum, in quo exiſtat virtualiter. Quā exiſtētiam ad phyſicum influxum ſufficere, conſtat in viuente iam mortuo, cui effectiuè attribuitur proles, eo quod licet non exiſtat formaliter in ſe ipſo, exiſtit virtualiter in ſemine à ſe deciſſo; res autē futura nec in ſe, nec in effectu ſui poteſt exiſtētiā habere. Vnde ex eo quod paſsio Chriſti, quæ præceſsit, modo influat phyſicè in gratiā, non rectè colligitur id ipſum eſſe de paſsione futura aſſerendum. Quomodo autem paſsio Chriſti, quę præceſsit, influat de præſenti in gratiam, in ſolutione vltimi argumenti explicabimus.

198 *Soluitur ſecundum.*

Ad ſecundum, conceſsis maiori, & minori, nego cōſequentiam. Ad illius probationē, conceſſo antecedenti, nego conſequentiā. Nam licet vtrumq; neceſſarium ſit ad agendum, nēpè, approximatio localis, & coexiſtentia in tēpore: non tamen vtrumque eodem modo requiritur, ſed primū connaturaliter tantū: ſecundū autē requiritur omnino eſſentialiter, ideoq; virtus diuina poteſt primū diſpenſare, nō autē ſecundū ſupplere. Et ratio eſt: nā vt agens aliquod influat virtute diuina, debet ſupponi capax ſubordinationis, & recipiendi virtutē, qua ad agendū applicetur, virtuosūq; conſtituatur; cū autē exiſtentia ſit prima omniū actualitas, nulla entitas ſine illa poteſt Deo, vt agenti ſubordinari, & eius virtutē recipere, qua potēs ad agēdū cōſtituatur; ideoq; ſine exiſtētia in tēpore, nihil poteſt phyſicè efficienter influere. Præſentia autē, vel approximatio localis, nō eſt actualitas prima, eſſentialiter ab omni alia actualitate ſuppoſita, ſed eſt conditio ad connaturaliter agendum exacta. Vnde quamuis nul-

la entitas creata possit sine approximatione locali, physicè in aliam influere, id potest virtute diuina efficere, quæ quia præsens est omni loco, potest ipsa in omnib⁹ cõnaturaliter physicè influere, & agens creatum eleuare ad agendũ dictã conditionem supplendo. Et quidem si hoc fundamentum vrgeret, probaret, non solum instrumẽtaliter, sed etiam principaliter physicè, posse rem futuram in aliquẽ effectum influere, quod prędicti Auctores non dicent. Quod autem sequatur, patet: nam ignis Salmanticæ existens, potest principaliter Romę comburere, virtute diuina defectũ præsentiæ supplente: ergo si paritas à pręsentia locali ad coexistentiam in tempore vrget, probat, posse rem futuram, non solum instrumẽtaliter, sed etiam principaliter physicè effectum tempore antecedentem efficere.

199 *Soluitur 3.* Ad tertium, concessa maiori, nego minorem. Ad primã probationem dicatur, Caietanũ, illiusque sententiã tenentes nõ fini, sed apprehensioni finis efficientiã in actum voluntatis tribuere, eo quod in actu voluntatis prædicatũ aliquod meditantur, petens in actũ intellectus reduci, videlicet, rationalitatis participatę cõuenientis actui voluntatis, quod in gratia respectu apprehensionis fidei nõ militat: nullũ enim prędicatum in gratia iustificante invenitur, petẽs in apprehẽsionẽ passionis futurę reduci: ac proinde hac paritate non probatur efficiẽtia passionis futuræ, nec apprehẽsionis eius in gratiã.

200 Ad secundã, concessis maiori, & minori, nego consequentiã. Ratio autem discriminis est: nã actus intellect⁹, vtpote intellectualis partus petit procedere à potẽtia intellectiua fęcundata per obiectũ vel in se, & ratione sui, quando per se ipsum potest cum potẽtia vniri, vel in aliquo vices eius supplẽte, scilicet, specie impressa, quæ obiecti naturam continet in alio esse, nẽpè, repręsentatiuo, & ad hoc destinata, à natura est, vt repræsentet, & illud intra potẽtiã constituat, vt ab vtroq; intellectualis partus procedat; ideoq; intellectio attribuitur obiecto effectiuè, non quidem obiecto in seipso, sed in specie vices eius gerente, eiusq; defectum supplente, & illius continente naturam. Quæ ratio etiam militat in actibus intellectus ab speciebus, vt virtute supernaturali eleuatis procedentibus. Nã etiam huiusmodi actus petunt ab obiecto, & potẽtia procedere, quãuis ex eo quod supernaturales sunt, eleuationẽ. tùm in potentia, tùm etiam in speciebus exposcunt: gratia autem habitualis non petit ex se à passione Christi, nec in se, nec in sui specie procedere: vnde si species repræsentans passionẽ Christi futuram, eleuata fuisset ad physicè gratiam causandũ, non vice passionis Christi, sed vice propria id efficeret: ac proinde non passioni Christi futuræ, sed illius imagini intentionali esset efficientia gratię adscribẽda. Et quidẽ, vt *supra* arguebam, si istæ probationes aliquid vrgẽt, conuincũt, nõ solũ de passione Christi futura, sed etiã merè possibili, potuisse efficiẽter physicè in gratiã iustificantem influere, quod nullus Theologorũ asseruit.

201 *Respõdetur 2. ad motiua prædictæ sententiæ.* Vel secũdo respondeo, dato, quod prędicta existẽtia in specie repręsentata sufficeret, vt passioni Christi futurę attribueretur influxus in gratiã habitualẽ: inde tamen, nõ sequitur, ita de facto euenisse: nã ad hoc necessũ erat, vt species repræsẽtans passionẽ à Deo eleuata fuisset, & vt instrumentũ physicũ destinata ad causandã physicè gratiã. Quod omni firmo fundamento carere, *supra* mõstrauimus, & amplius ostenditur. Nã Sacramẽtis Nouæ Legis efficientia gratiæ cõceditur, quæ tamẽ efficientia Sacramentis Antiquę legis negatur. Itẽ contritioni imperfectæ in lege gratiæ cõceditur, vt pars est Sacramenti Pęnitẽtiæ, quod gratiã iustificãtẽ efficiat, & vltimo ad illã disponat, quod tamen attritioni in statu legis Antiquæ non tribuitur, sed necessaria erat cõtritio, vt homines illi⁹ status à peccato personali resurgerẽt, ab illoq; mũdarẽtur per gratiã habitualem, in quo homines in lege gratiæ existentes, præferũtur hominib⁹ legis antiquę ob nostri Redẽptoris aduẽtũ, quẽ illi futurũ meditabãtur: nos autẽ præsẽtẽ aspexim⁹: quo ergo fũdamẽto causalitas, quæ fidei nostræ negatur, scilicet, phy

ſica in gratiam: fidei Antiquorũ Patrũ concedetur? Certe nullo. Si autẽ fidei cauſalitas iſta nõ datur, nec cõceptui, qui eſt terminus actus fidei paſsionẽ futuram referẽs, eſt adſcribenda. Præterquamquod, id etiam eodẽ argumento conuincitur: nã conceptus terminans actũ fidei noſtræ paſsionẽ Chriſti præteritam repræſentans, phyſice in gratiam iuſtificantẽ non influit: ergo cõceptus repreſentans paſsionẽ Chriſti futuram, dicta efficiẽtiam nõ habuit.

202 *Obiicies.*

Sed dices: potuit conceptus repreſentans paſsionẽ Chriſti futurã eleuari ad cauſandã phyſicè gratiam Antiquis Patribus datã, & hoc ad dignitatẽ Chriſti ſpectabat: ergo ita de facto euenit. *Reſpõd.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & prætermiſſa minori, negãdo cõſequẽtiã. Non enim omne poſsibile ſpectãs quomodolibet ad dignitatẽ Chriſti neceſsè eſt, factũ concedi. Nam potuit Chriſtus Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti mereri: potuit etiã mereri ſaluationẽ omniũ hominũ, & hęc ad dignitatẽ Chriſti ſpectarẽt, quæ tamẽ non conceduntur de facto, potuerunt etiã Antiqua Sacramenta in vi meritorũ Chriſti, ita inſtitui, vt continerent gratiã, illãq; efficienter cauſarent, & quod attritio vltimo ad gratiã iuſtificantẽ diſponeret; & tamẽ nihil horum de facto eueniſſe conceditur: ergo ex eo quod fuerit dicta eleuatio poſsibilis, & aliquo modo ad dignitatẽ Chriſti ſpectaret, nõ ſequitur de facto, ita eueniſſe.

203 *Inſtabis.*

Inſtabis: ideo meritũ Incarnationis Patris, & ſaluationis omniũ de facto negatur: quia ita reuelatũ eſt, Chriſto autẽ debet cõcedi omne, quod poſsibile eſt, & adeiꝰ dignitatẽ pertinet, niſi oppoſitũ ſit reuelatũ, vel ex reuelatis inferatur. Cauſalitas etiam Antiquis Sacramentis negatur ob cõmunẽ Theologorũ conſensũ, diſcrimen ſtatuentiũ inter noſtra Sacramẽta, & Antiqua, quod noſtra, gratiã cõtinent, & cauſant: ſecus antiqua; ſed Deus ad illorũ præsẽtiã gratiã cauſabat; at quod imago intentionalis paſsionis Chriſti eleuaretur ad cauſandã phyſicè gratiã nõ eſt impoſsibile, & quod eleuata nõ fuerit reuelatũ nõ eſt, nec ex reuelatis colligitur, nec communi Theologorũ conſenſu firmatur: ergo cõcedendum eſt, ita contigiſſe de facto. *Reſpondetur.* Reſpondeo, quod licet dictę eleuationis negatio, nec reuelata ſit, nec ex reuelatis inferatur, nec cõmuni Theologorũ habeatur conſenſu: pauci nãq; hoc punctũ attingunt, infertur tamen ex his, quæ cõmuni Theologorũ cõſenſu ſtatuuntur: omnes enim conformiter docent homines in Lege Gratiæ, ob Chriſti Dñi aduentũ, in medijs ad gratiæ conſequutionẽ hominibus ante Legẽ Gratię antecedere: ex quo infertur, vt quę in lege gratiæ admittuntur, nõ inde ante legẽ gratiæ ſint concedenda, quæ tamen in lege gratiæ negãtur, negari ante legẽ gratię; ſed fides paſsionis Chriſti præteritæ, & conceptus illam præteritam repreſentans, dicta eleuatione non gaudet, vt omnes fatentur: ſola namq; contritio intra Sacramentũ ad efficientiam gratiæ eleuatur: ergo etiam debet fidei Antiquorum Patrũ negari.

204 *Vera ſolutio principalis argumẽti aſsignatur.*

Hoc igitur modo dicendi in ſua probabilitate qualiſcumq; ſit relicto: ad argumentum reſpõdeo, negando maiorem. Ad primam probationem, cõceſſo antecedenti, nego conſequentiã. Non enim neceſſum eſt, vt variata cauſa efficiente phyſicè effectus varietur, vt conſtat in homine à Deo, & homine producto, qui potuit à Deo ſolo produci, invariata phyſicè entitate: ergo ex eo, quod gratia Antiquorum Patrũ ſit eadem cũ noſtra quoad phyſicam entitatem, non ſequitur, debere vtramq; gratiam ab eiſdem cauſis procedere: & quidem dicta identitas, non obſtat, vt noſtra gratia phyſicè à Sacramentis Nouę Legis cauſetur; cum tamen Antiquorum Patrum gratia ab illius temporis Sacramentis phyſicè cauſata non fuerit.

205

Ad ſecundã, nego antecedens: fundamentũ autẽ eſt: nam phyſica efficiẽtia Chriſti futuri in gratiam tempore antecedẽtem, principijs Philoſophię repugnat: ſecus autẽ in gratiam poſt Incarnationem datam; ideoque licet gratia ſit eadem entitatiuè cum fundamento reſpectu vnius conceditur efficientia, quę reſpectu alterius negatur.

Et quidem si hæc efficientia statueretur à Nobis ob intrinsecā gratiæ indigentiam fundamento careremus. Nā in eadem entitate invariata, intrinseca indigentia nequit fundari. Nos autem non sic discurrimus, sed in condecētia ad humanitatem Christi, & facti possibilitate, quæ cū militet respectu gratiæ secutę post Christi aduentū, nō autem respectu gratiæ, quæ tępore Incarnationē Christi præcessit: fit consequens, vt quamuis gratia sit eadē maximo cum fundamento statuatur efficientia humanitatis in gratiam post Christum natum, quæ in gratiam anteriorem Christo negatur.

206 *Ad tertiā probationē respond.*

Ad tertiam probationem, prętermisso antecedenti, nego consequentiam. Nam licet verba sint eadem, non sequitur in eodem sensu respectu gratiæ in vtroque statu esse accipienda; eo quod de gratia Antiquorū Patrum loquendo non possunt aliter, quā de causalitate morali explicari ob rationem assignatam, in ordine vero ad gratiam post Christi aduentum largitam, possunt explicari de causalitate physica; & consequenter debent in hoc sensu vsurpari; eo quod, vt *supra* arguebamus, efficientia asserta absolutè physicū influxū denotat, & in rigore illū dicit, vel saltim in pręsiori, & magis rigorosa acceptione. Verba autē Scripturæ in rigore sunt accipienda cū possunt sine inconuenienti sic accipi. Et in magis rigorosa acceptione sunt accipienda; cū incōueniens nō sequitur in Scriptura, vel ratio nō cōtradicit.

207 *Ad quartam.*

Et ex his ad quartam probationē constat solutio. Nam de gratia Priscorum Patrum loquēdo, sufficienter explicantur verba Scripturę exprimentia illius causalitatem de efficientia, & causalitate morali: quia ratio Philosophica acceptionē pro physica efficientia, si nō euidēter, vrgentissimè tamē excludit. Quæ ratio respectu gratiæ subsequētis Incarnationē nō militat; & ideo verba Scripturę exprimentia causalitatem in gratiā ab humanitate Christi, loquendo de gratia nostra, nō explicātur sufficienter de causalitate morali, quia possunt, & cōsequēter debēt de physica efficientia explicari.

Ad confirmationē, posset aliquis respondere, negando minorē. Cum enim respectu conseruationis gratię datę Antiquis Patribus à tēpore Incarnationis sit possibilis physicus humanitatis influxus, videtur adstruēdū esse, consequenter ad ea, quæ proximè dicebamus; eum respectu primi esse, istius gratiæ ob impossibilitatem negetur. Melius tamen respondetur, concessis maiori, & minori, negando consequētiam. Nam conseruatio est continuata productio, vnde est eadē cum actione terminata ad primū esse, qua propter negata efficientia physica humanitati Christi in gratiam quoad primum esse, cogimur, negare illam respectu conseruationis eiusdē rationi naturali innitentes.

208 *Ad confirmationem duplex solutio assignatur.*

*Secunda solutio præfertur.*

Sed dices: stat invariato effectu quoad physicam entitatem, causam physicè efficiētem variari, vt *superiùs* dicebamus: ergo stabit etiam variari causam efficientem physicam invariata manente actione; & consequenter ex eo quod eadem actione gratia conseruetur, & fiat: perperam à Nobis infertur, quod si humanitas Christi in primum esse gratiæ Antiquorum Patrum, physicum influxum nō habuit, illo respectu conseruationis eiusdem gratiæ caruisse. Et confirmabis: vt enim *Tract. de Merito Christi* docebimus, stat meritū conseruationis gratiæ sine merito gratiæ quoad primū esse: ergo pariter stare poterit influxus physicus humanitatis in conseruatione gratiæ, etiā si in primū esse gratię nō influat.

209 *Replicabis.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: nam dependentia effectus à causa efficiēte nō est essentialis; ideoq; invariata essentia, & entitate effectus, potest causa efficiēs variari. Actio autem à principio proximo depēdet essentialiter, & ideo hoc variato non potest actio invariata manere, nisi dependentia sit à duplici principio, non secūdum ea, in quibus inter se distinguuntur, sed sub cōceptu, & ratione vtrique principio communi. Ad cō firmationem, concesso antecedenti, nego cōsequentiam. Ratio autem differentiæ est: nam invariata actione exe-

210 *Respōdetur.*

*Ad confirmationem.*

quenti, potest de potentia absoluta decretum voluntatis diuinæ virtualiter multiplicari, ita vt vno decreto primo decernatur prima existentia, & alio decreto decernatur conseruatio. Et quia causalitas meritoria immediate erga voluntatem præmiantis exercetur: fit consequens, vt possit exerceri circa decretum conseruationis gratiæ, quin circa decretũ primę existẽtię exerceatur: causalitas autẽ physica est immediatè in actionem exequentẽ; & per cõsequens, hac invariata, nõ potest nouitas causæ physicæ efficientis exerceri.

## §. X.

### *Vltimum argumentum proponitur, & prima illius solutio examinatur.*

211 *Deniq; arguitur.*

DENIQVE arguitur: eo modo influit humanitas Christi in effectus miraculosos, quo passio Christi influit in gratiam iustificantem; sed passio Christi non influit physicè, sed moraliter tantùm in gratiam: ergo humanitas, non physicè, sed tantum moraliter causat effectus miraculosos. Cõsequentia tenet. Maior constat exinde namque argumẽtabamur *supra* ad probandum, humanitatem Christi physicè influere in gratiam, & effectus miraculosos, quia iuxta D. Thom. passio Christi physicè influit in gratiam: ergo eo modo influit humanitas in effectus miraculosos, quo passio Christi influit in gratiam. Minor autẽ probatur: nam ad physice influẽdũ physica existẽtia requiritur, iuxta cõmune Philosophorũ sententiam; sed passio Christi modo non existit physicè: ergo nõ potest physicè in gratiam influere.

212 *Prima solutio iuxta sẽtentiam Capreoli et aliorũ*

Huic argumento respõderi potest primo, negando minorẽ. Etenim passio Christi, vt physicum instrumentũ, modo influat in gratiam iustificantẽ, sufficit existentia præterita, & quod aliquando physice extiterit, etsi modo physice non existat: ita à fortiori Capreolus, Soto, & Medina, vbi *supra citati*. Cũ enim id cõcedant passioni Christi futuræ, necessario idem dicent de passione prętcrita. Quod expressè docet Cabrera *in hac 3. p. q. 19. disp. vnic. & q. 62. art. 1. disp. 3. §. 12. & 13.* Quod autem existentia præterita ad physice causandum sufficiat, suaderi videtur primo: quia Deus ob supremum dominium vti potest quacumque creatura, vt obedientialiter influat in quoscumque effectus: ergo potest rem præteritam assumere, vt instrumẽtaliter physice influat in gratiam iustificantem, modo existẽtem. Deinde: nã ob hoc supremum dominium potest vti quacumque creatura, vt influat in effectũ loco distantem: ergo etiam vti potest entitate creata, vt influat in effectum tempore distantem. Prętcrea: nam dispositiones præuiæ ad formam substantialem influunt physice in illam, vel in eius vnionẽ cum materia in instanti generationis; & tamen in illo instanti physice non existunt, vt tenet communis sententia Thomistarum *in libris de generatione, & corruptione*, vbi docent, in corruptione fieri resolutionem, vsque ad materiam primam, nullumque accidens præcedens in corruptо, manere idem numero in genito; eo quod accidentia non subiectantur immediatè in materia prima, sed in toto cõposito: ergo ad influendum physicè sufficit existentia præterita. Deniquе: nã Sacramenta influunt physicè instrumentaliter in gratiam iustificantem in instanti vltimo terminatiuo, vt communiter docent Thomistæ *infra q. 62.* esto in illo instanti non existant physicè; cum sint entia successiua, de quorum ratione est, vt desinãt per *primum non esse*; & consequenter in illo instanti, verum est dicere, *nunc non est Sacramentum*, v. c. Baptismi, *& immediatè ante hoc instans fuit*: ergo causant physicè in instanti, in quo non sunt, quia antea extiterunt; & consequenter ad causandum modo physicè, sufficit aliquando extitisse.

213 *Impugnatur*

Hęc tamẽ doctrina difficillima est, & impugnatur ex dictis §. *præcedenti*; nam res præterita, post se nihil relin-

*Primũ motiuũ solutionis.*

*Secũdũ.*

*Tertium*

*Quartũ.*

*prædicta solutio.*

quens, de præsenti nihil est, nec existit formaliter, aut virtualiter: ergo non potest physicè efficienter causare, magis, quàm si nunquam extitisset. Patet consequentia: nam causalitas physica effectiua est secunda actualitas supponens primam actualitatem, nempè, existentiam; ergo cui existentia non conuenit formalis, aut virtualis, non potest effectiua causalitas conuenire.

*Cõfirmatur, & vrgetur primo.*

Confirmatur, & vrgetur: quia namque finis causat, vt existens in apprehẽsione, non potest causalitas finalis cõpetere rei non apprehensę formaliter, aut virtualiter; sed causalitas physica effectiua conuenit causæ, vt physicè existenti: ergo causa non existens physicè formali, aut virtuali existẽtia, nõ potest physicè influere; sed res prȩterita, quę nullum effectum reliquit, nõ existit physicè in se ipsa formaliter, nec virtualiter in aliquo suo effectu: ergo non potest physicè efficienter influere.

*Cõfirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur secundo, inter rem præteritam, & futuram, solum esse potest discrimẽ, quod præterita existere potest virtualiter in effectu relicto, secus autẽ res futura; sed res futura non potest ante se physicè efficienter influere, vt §. *præcedenti* mõstrauimus: ergo res præterita, quę nullum effectum modo existentem reliquit, non potest modo physicè efficienter influere; & consequenter, vt passio Christi Domini, modo influat physicè in gratiam, non sufficit, præterijsse, nisi modo existat in aliquo effectu suo, quod an ita sit? inferius examinabimus.

214. *Soluitur primũ fundamẽtũ dictæ solutionis*

Nec motiua in oppositum vrgent: non primum, cui facile occurritur, distinguendo antecedens: qualibet creatura existente, concedo antecedens: non existente, nego antecedens, & cõsequentiam. Nam res prȩterita non existens de prȩsenti, nec formaliter, nec virtualiter, de præsenti nihil est: ac proinde non subditur de præsenti supremo dominio Dei. Ex quo vlterius fit, vt Deus illa vti, ad aliquid efficiendum non possit.

*Soluitur secũdum.*

Ad secundum, cõcesso antecedenti, nego consequentiam, ob rationem discriminis §. *præcedenti* assignatam: quia nempè, res loco distans, absolutè physicè existit, etsi cũ entitate loco distante physicè nõ coexistat; ac proinde capax est, vt eleuetur, & vt eleuata in rem loco distantẽ physicè influat: res autem præterita non existit physicè absolutè; ac proinde eleuari ad physicè efficiendum non potest.

*Soluitur 3.*

Ad tertiam, concessa maiori, distinguo minorem: non existunt in illo instanti formaliter, concedo minorem: virtualiter, nego minorem, & cõsequentiam. Qualiter autem dispositiones prȩuię existãt virtualiter in instanti generationis *loco allegato*, fusè à Nostris Thomistis discutitur. Et cõmunis resolutio est, existere in illo instanti in materia, vt figillata per illas. Quæ figillatio consistit in entitate materiæ, vt connotante has, vel illas dispositiones, vt tẽpore immediato præcedentes. Hæc namque est natura materię, vt actuata antecedenter per calorem citra octo petat formam ignis in instanti generationis. Et vt actuata frigiditate citra octo in tempore immediatè præcedenti ad instans generationis, naturaliter petat formã aquæ, & sic de alijs formis dicẽdum. Vnde dispositiones tẽpore immediato prȩcedẽtes existũt virtualiter in istanti generationis, & ratione huius virtualis existentię, possunt in illo instanti physicè influere in formam substãtialem, vel vnionem illius cũ materia prima: ex quo non sequitur, quod entitas omnino præterita possit physicum influxum præstare. Vel secundo alij respõdent, ad physicum influxum præstandum, sufficere rem existere existentia in mensura immediatè præcedenti: & quia dispositiones illæ, etsi non existat in instanti generationis extiterunt tẽpore immediatè præcedenti: fit consequens, vt possint physicè influere in instanti generationis: ex quo non sequitur, passionem Christi tot ȩculis prȩcedentem, posse modo physicè efficiẽter influere.

215. *Prima aliquorũ solutio ad vltimũ fũdamẽtũ.*

Ad vltimum responderi potest primo: Sacramenta, etsi in vltimo instanti formaliter non existant; existere virtualiter, vt autem causa, etiam principalis causet, sufficit virtualiter existere, vt constat in generãte iam mor-

tuo physicè influente in prolem in instanti generationis, quia virtualiter existit in semine à se decisso. Passio autem Christi modo, neque existit in se formaliter, nec existit virtualiter, vt in hac sententia supponitur, ideoque non potest physicè influere.

216 *Impugnatur.*

Cæterum cõtra hanc solutionem facit: nam virtus illa ratione cuius Sacramentum dicitur existere virtualiter in instanti productionis gratiæ, aut est virtus increata Dei, aut forma creata eleuans Sacramentum, aut qualitas aliqua virtute Sacramenti causata, & in eo instanti existens; nullum horum potest dici: ergo Sacramẽtum in instãti, in quo influit in gratiã, non existit virtualiter. Maior est certa à sufficiẽti numeratione. Minor pro prima parte constat ex dictis §. *præcedenti*. Et insuper: nam ratione virtutis increatę eleuantis, etiam potuit passio Christi modo existere, sufficienter, vt causaret; si Sacramẽtum modo in instanti, in quo non existit formaliter, posset virtualiter existere ratione prædictæ virtutis. Pro secunda parte probatur: nam forma eleuans Sacramentum est in illo, vt in subiecto inhæsionis, vt omnes Discipuli Diui Thomæ fatentur; sed non existente subiecto non potest accidens illi inhærens existere, nisi miraculosè conseruaretur à Deo sine subiecto, vt in accidentibus Eucharistiæ contingit: ergo in instanti, in quo Sacramentum non existit, non potest forma illud eleuans connaturaliter, saltim existere. Cumque istius solutionis Auctor non recurrat ad miraculum, nec possit recurrere, cum ad talem recursum nullum adsit fundamentum, non potest Sacramentum existere virtualiter ob existentiam formę ipsum eleuantis intrinsecè. Denique eadem minor pro tertia parte probatur: nã virtus illa non causatur ab instrumento in instanti, in quo desinit esse; cum in illo instanti Sacramentũ non sit, qua ratione non potest causare gratiam in doctrina solutionis, iuxta quam recurritur ad existentiam virtualem in aliquo, virtute Sacramenti causato. Nec in duratione immediatè antecedenti vltimum instans: cum iuxta Auctoris doctrinam, in tali duratione non possit gratiam causare, & eadem ratio sit de gratia, ac de qualitate prædicta: ergo Sacramentum non existens formaliter in vltimo instanti, non potest in tali instanti virtualiter existere ratione alicuius formę ab ipso Sacramẽto causatæ, & in illo instãti existentis.

217 *Aliorũ solutio.*

Secundo respondetur ab alijs: Sacramentũ in instanti productionis gratiæ existere ratione indiuisibilis terminatiui, quod est de ratione Sacramenti, sicut *mutatum esse* indiuisibile est de ratione motus, & hoc sufficere, vt in illo instanti Sacramentũ physicè causet. Ita Suarez *disp. 8. de Sacramentis sect. 2.* Granados *disp. 4. sect. 3.* & Noster Serra *q. 62. art. 1. dub. 2. ad 3.* Passio autem Christi secũdum nil sui existit physicè modo, ideoque non potest physicè efficienter causare. Si opponas primo: *mutatum esse* terminatiuum motus, si datur, efficienter causatur à partibus motus, & tamen in instanti terminatiuo tales partes nõ existunt: ergo res non existens physicè efficienter causat. Respondebunt, negando maiorem. Sicut enim indiuisibilia continuatiua motus non causantur efficienter à partibus motus, ita nec indiuisibile terminativum à partibus motus efficitur, sed se ipso ab agẽte procedit.

*Suar. Gran. Serra.*

*Si opponas primo.*

*Respondebunt.*

218 *Si secũdo obijciatur.*

Si opponas secundo: non solum indiuisibile Sacramenti, sed etiam totum Sacramentum efficienter physicè influit in gratiam; sed quamuis indiuisibile tunc existat, Sacramentum tamen non existit, cum non existant partes, ex quibus Sacramentum componitur: ergo res non existens, causat physicè efficienter; ac per cõsequens, adhuc eadem difficultas subsistit. Respondent, quod sicut globus perfectè sphęricus, dicitur tangere perfectè planum, quia indiuisibile globi tangit indiuisibile spacij, quamuis partes globi ratione sui non tangant: ita vt totum Sacramẽtũ dicatur efficere gratiam, sufficit, quod indiuisibile terminativũ illam efficiat. Si opponas tertio: Sacramentum est ens successivum; sed successiua desinunt per primum non esse: ergo in illo instanti Sacramentũ

*Respondebunt.*

*Si tertio obijciatur.*

non

non est; & consequenter non existens, physicè influit. Respõdent, entia successiua secundum partes, ex quibus componuntur desinere per *primum nõ esse*; at secundum esse completum, & terminativum incipere per *primum sui esse*, quod nihil aliud est, quam quod indumbile terminativum, hoc modo incipiat.

*Respondebunt.*

219 *Tertia solutio Thomistarũ cõmunis.*

Tertio respondent alij: Sacramẽtum; cum sit ens successivum, sicut incipit per *vltimum sui non esse*: ita desinit per *primum non esse*, vnde in instãti terminatiuo Sacramentũ non existit intrinsecè, quia tamen extrinsecè existit, potest in illo instanti efficienter physicè in gratiam influere. Hęc est frequens Thomistarum doctrina *in fra q 62. art. 1.* Si obijcias: existere extrinsecè in illo instanti, est tunc non existere, & immediatè antea extitisse; sed quod immediatè ante hoc instans præcesserit, dummodo in illo instanti non sit, non sufficit ad causandũ physicè magis, quam multo tempore: præcessisse: ergo vel Sacramentum in illo instanti non influit physicè in gratiam, vel si influit, potest etiam Christi passio, etsi tot sæculis præterita, physicè efficienter influere. Respondẽt, negando minorem. Quod enim multo tempore præcessit, non est duratione contiguum cum his, quę modo de præsenti existunt; id autem quod immediatè præcessit, est contiguum duratione cum existentibus in hoc instãti: sicut autem contiguitas in loco sufficit ad physicè agendum: ita contiguitas in duratione: ac proinde dispar est ratio inter rem adæquatè pręteritam, & rem, quæ immediatè extitit, quoad physicum influxum præstandum.

*Si obijcias.*

*Respondent.*

220 *Contra prædictam doctrinã obijcitur primo.*

Si obijcias contra istam doctrinã, primo: non enim sola pars Sacramenti immediatè ante hoc instans præcedens, sed etiam aliæ partes, ex quibus Sacramentum coalescit, concurrunt physicè ad gratiam; aliàs non verificaretur de Sacramẽto, quod in gratiam influat physicè, sed de parte Sacramẽti; sed partes nõ immediatæ ad instans, in quo gratia causatur, non existunt in illo instanti, nec intrinsecè, nec extrinsecè; cum non existant intrinsecè in illo instanti, nec immediatè præcesserint: ergo res non existens vllo modo in prædicto instanti, efficiẽter physicè causat; & consequenter id ipsum de passione Christi præterita poterit affirmari. Secundo: existere extrinsecè formam (hoc est immediatè præcessisse) non sufficit, vt in instanti extrinseco præbeat suum effectũ formalem, & similiter præextitisse immediatè materiam, non sufficit, vt in instanti extrinseco, in quo intrinsecè nõ existit physicè recipiat formam: ergo pariter existere extrinsecè non sufficit ad influxum physicum effectivum.

*Secũdo.*

221 *Tertio.*

Tertio: si contiguitas durationis sufficeret, vt res nõ existẽs intrinsecè in hoc instanti physicũ influxum præstet; sequeretur posse motum successivum, non solum influere physicè in instanti terminatiuo, sed etiam in instanti initiatiuo; consequens est falsum; aliàs Sacramentum posset physicè in gratiam influere, antequam esset in instanti, in quo incipit extrinsecè, in quo est verũ dicere, nunc nõ est Sacramentum, & immediatè post hoc instans erit: ergo doctrina tradita est falsa. Probatur sequela: sicut entitas, quæ modo non est, & immediatè antea fuit, contiguatur durationi cum entitate modo existente: ita entitas, quæ modo non est, & immediatè erit, est contigua durationi cum re modo existente: ergo si contiguitas durationis sufficit, vt entitas modo non existẽs, & immediatè antea existens, physicum influxum modo exerceat, etiã sufficiet, vt entitas modo non existẽs, immediatè post extitura, in instanti initiatiuo physicum præstet influxu; & consequenter poterit motus, & quodvis ens successivum efficienter physicè influere in instanti initiatiuo, in quo vltimo non est, & immediatè post erit.

222 *Respondẽt Auctores solutionis Ad 1. obiectionẽ.*

Respondebunt huius solutionis Auctores, ad primam obiectionem, distinguendo minorem: formaliter ratione sui, concedo minorem: virtualiter, & ratione alterius, scilicet, partis immediatæ ad instans, nego minorẽ & consequentiam. Sicut enim in sen-

tentia

tentia Patris Suarez, & aliorum, qui secundam solutionem tuentur, vt Sacramentum dicatur physicè gratiā causare, sufficit, quod existat physicè in instanti productionis gratiæ indiuisibile terminativum, quod est aliquid Sacramēti, & illi detur virtus causatiua gratiæ, quia Sacramētum complet, & attendendo ad partes Sacramenti præteritas: ita in hac tertia solutione, vt totum Sacramentum dicatur influere, sufficit existentia extrinseca partis immediatæ ad instans, in quo gratia producitur, cui datur virtus causatiua gratię, non inspectæ ratione sui tantum, sed respectu habito ad alias partes, ex quibus Sacramentum conflatur.

223 *Ad secūdam.*

Ad secundam, concesso antecedēti, negabunt consequentiam: ob discrimen, quod inter effectum formalē, & effectum in genere causæ efficientis versatur: nam effectus formalis est ipsa forma cōmunicata subiecto; ideoq; intelligi nequit effectus formalis formæ existens intrinsecè, quin eodē modo forma existens cōcipiatur: at verò effectus causæ efficientis adæquatè ab illa distinguitur; ideoque potest in aliquo instanti causare, in quo instanti nō existat intrinsecè causa, sed solum extrinsecè. Per quod ad exemplum subiecti receptiui cōstat solutio: nam etiam subiectum se ipso recipit formā; ideoque non stat in aliquo instanti recipere, in quo non existat intrinsecè. Et quidem in communi sententia generans, non existens formaliter in instanti generationis, per hoc solū, quod virtualiter existat in semine à se decisso, influit efficienter in prolem; & tamen hoc non sufficit, vt relationem paternitatis recipiat, & relatione paterniratis ad filiū genitum referatur: ergo ex eo quod existentia extrinseca non sufficiat in subiecto ad recipiendum formam existentem intrinsecè, minus rectè colligitur, non sufficere in causa efficiente ad concursum effectivum præstandum.

224. *Si dicas*

Si dicas: non stat Sacramentū physice influere in instanti productionis gratię, quin forma existens solum extrinsecè, det effectum formalē intrinseco tunc existentem: ergo si in hoc aliqua implicatio invenitur, etiam implicat influxus physicus Sacramenti extrinsecè tunc existentis. Consequētia tenet, & antecedens probatur: nō stat Sacramentum in prædicto instanti influere, quin in eodem instanti sit potens proximè ad influendum; cum ab actu ad potentiam recta argumentatio sit, & cōsequentia euidenti à posteriori, potentia ex actu inferatur; sed non stat Sacramētum esse potens proxime in prędicto instāti influere, quin forma non existens intrinsecè, det effectum formalem intrinsecè tunc existentem: ergo non stat Sacramentum in prędicto instanti influere: quin forma non existens intrinsecè, det effectū formalem intrinseca existentia gaudētem. Minor, in qua est difficultas, probatur: Sacramentum esse potens proxime influere, existit intrinsecè in instanti productionis gratiæ; sed hoc posse, est effectus formalis formæ non existentis in prædicto instanti intrinsecè: ergo non stat Sacramentum esse potens in instāti productionis gratiæ, quin forma nō existens intrinsecè prę-stet effectum formalem intrinsecè tūc existentem. Maior videtur certa: nam influxus actualis infert à posteriori potentiam ad influendum; sed in illo instanti existit actualis influxus intrinsecè: ergo Sacramentum esse potens influere, existit intrinsecè. Minor autem probatur: nam prædictum posse, est effectus formalis formæ supernaturalis eleuantis Sacramentum; sed hęc forma non existit intrinsecè in illo instanti; cum in illo nō existat subiectū, videlicet, Sacramentum; & consequēter non possit existere forma, quæ cū accidens sit, non potest sine subiecto existere: ergo illud posse, est effectus formæ non existentis in prædicto instanti intrinsecè.

225 *Respondebunt.*

Huic obiectioni respondebunt Auctores istius doctrinæ, negando antecedens. Ad probationem, distinguendo maiorem: quin in eodem instanti sit potens existētia extrinseca potentiæ, concedo maiorem: existentia intrinseca potentiæ in eodem instanti, nego maiorem, & negando minorem. Cum enim Sacramentum non sit in

prædicto instanti potens per existētiā intrinsecam concreti, sed tantum extrinsecam in illo instanti; fit cōsequēs, vt nunquam verificetur formam non existentem intrinsecè, dare effectum formalem intrinsecè existentem. Nec contra hanc distinctionem obstat probatio maioris: cum enim influxus actualis non dependeat à forma operatiua in genere causę formalis, sed in genere causæ efficientis, cuius concursus non petit continuationem in duratione, sed tantum contiguitatem: fit cōsequens, vt sicut in hac sententia Sacramentum non existens intrinsecè, sed tantum extrinsecè, efficienter influit in gratiam, etiam potentia cum simili modo existendi in eandem gratiam influat.

226 *Ad 3. respondere debent.*

Ad tertiam principalem obiectionem, vt consequenter loquātur istius solutionis Auctores tenentur meo iudicio respondere: quod sicut in instanti terminatiuo ens successiuum existēs solum extrinsecè, & per *primum sui nō esse*, potest vt physicum instrumentum assumi: quia cum effectu est duratione contiguum, ita, & obsimilem causam post assumi in instāti initiatiuo, in quo est verum dicere, *nunc non est, & immediatè erit*, quia etiam in illo instanti, & extrinsecè existit, & contiguatur duratione cum effectu in tali instanti existente. Quod autem Sacramēta nō sic fuerint assumpta, non oritur ex implicatione, sed ex voluntate diuina, qua statuit, vt Sacramenta non influerent in gratiam, nisi sua significatione perfecta, & completa, quæ datur in instanti terminatiuo: secus autem in instanti initiatiuo. Hęc & alia late tractant Commentatores Diui Thomæ *infra q. 60.* à quibus pro nunc abstinemus: Nobis enim sufficit à Sacramētis causantibus gratiam, & in illam physicè influentibus, non fieri consequentiam ad passionem Christi pręteritam, vt simili modo influat. Omnes namq; Auctores, qui causalitatem physicam Sacramentis attribuunt, eis aliquem modum physicè existendi adscribunt, qui passioni Christi non conuenit.

## §. Vltimus.

### *Examinantur alij modi dicendi, & soluitur argumentum.*

227 *Modus subtilis Nazarij.*

Secunda istius argumenti solutio, & secundus modus explicandi causalitatem physicam instrumentalem passionis Christi in gratiam, quæ hominibus post Christum confertur, est Nazarij *in hac 3. p. q. 48. art. 6 cōtrou. vnica*, vbi docet, gratiam attribui passioni Christi prætéritæ, tanquam physico instrumento, non quia passio modo non existens, sit causans formaliter gratiam: cum enim nunc physicè non existat, nō potest esse formaliter causans, sed tantum terminatiuè; sed quia tempore, quo extitit fuit formaliter causans, & influens; tunc enim Deus passionem Christi, vt instrumentum physicum causativum gratiæ assumpsit, & tunc formaliter causalitatē physicam instrumentalem exercuit. Nec sequitur tunc gratiam, quæ ab illa est causanda, extitisse; cum enim passio sit instrumentum diuinę virtutis participat excellentiam modi, quo diuina virtus causat: modus autem causandi, diuinæ virtutis est, vt nō statim ac actio illius exiitit, causetur effectus; sed tēpore à Deo statuto, vnde actio, per quam Deus agit ad extra, ab æterno existit in Deo; & tamen effectus ad extra producti non existunt ab æterno, sed in tempore inceperunt, iuxta beneplacitum voluntatis diuinæ. Quia ergo passio Christi participat modum istum agendi, vtpote cum sit diuinæ virtutis instrumentum: fit consequēs, vt quamuis in tempore, in quo existebat, fuerit assumpta in ordine ad gratiam causandam, & tunc suam causalitatem instrumentalē formaliter exercuerit, non sequatur gratiam ab illa causandam, pro eo tempore extitisse; sed quod successiuè existat secundum

bene-

beneplacitū diuinæ voluntatis: ac pro inde tunc causauit gratiā, nō pro tūc exiturā, sed extiturā pro tempore à Deo statuto. Ex quo sequitur, nunc causare terminatiuè; quia ponitur ei⁹ terminus, non tamen causat formaliter, quia physicè non existit.

228 *Reijcitur 1.* Hæc tamen doctrina subtiliter magis, quam solidè excogitata est, & reijcitur primo: nam id, quod actioni per quā Deus agit propter eius summam actualitatem, & infinitatem attribuitur, non est ad actionem limitatam, & finitam extendendum; sed quod actio, per quam Deus agit ad extra ab æterno existens, non coniugatur cum effectu ab æterno, illumque ab æterno nō inferat, sed in tempore diuina voluntate statuto, conuenit prædictæ actioni ob summam actualitatem: actio autem per quam humanitas Christi instrumentaliter operatur, limitata est, & finita: ergo modus iste operandi ad actionem humanitatis extēdendus nō est. Maior cum consequentia tenet. Minor pro secunda parte constat: humanitas namque non influit instrumētaliter per actionem Dei increatam, sicut nec causa secunda, quæ agit, vt primæ subordinata, potest per actionem Dei increatam influens in actu secundo constitui: ergo actio, per quam passio, & humanitas Christi instrumētaliter influunt, limitata est, & finita. Pro prima autē parte nō minus nota videtur. Quod enim actio, per quam Deus agit ad extra, ab æterno existat quoad omnem actualitatem, & ab æterno nō inferat proprium effectum, prouenit ex independentia ab effectu quoad entitatem, & actualitatem: hæc autem omnimoda independentia ab effectu illi conuenit ob summam actualitatē, & infinitatem: ergo modus ille existēdi, & influendi conuenit actioni diuinæ ratione summæ actualitatis, & infinitatis.

229 *Reijcitur 2.* Deinde prędictus modus dicendi impugnatur: excellentia namque actioni Dei increatæ, in modo agendi cōueniens, non consistit in eo, quod influat in effectum, cum physicè non existit, sed in eo, quod existens ab æterno, non inferat existentiam æternam effectus, sed tantum in tempore à diuina voluntate statuto: ergo ex eo quod passio, & humanitas Christi sit instrumentum cōiunctum diuinitatis, & ob hanc rationem participet excellentiā modi, quo diuina voluntas causat, nō sequitur, gratiam, quæ hominibus modo infunditur, attribui passioni Christi, modo physicè non existenti ratione influxus in gratiam, quem quando extitit, exercuit. Consequentia tenet ex doctrina ipsius Nazarij. Antecedēs autem constat: nam actio increata Dei, non solum existit physicè ante existentiam effectuum, sed etiā existit modò, & in æternum existet, & coexistit omni entitati creatæ: ergo excellētia illi competens, non est, quod physice non existens, physicè in proprios effectus influat, sed quod ab æterno existens quoad entitatem, & omnem actualitatem non inferat effectum, vt ab æterno existentem, & sibi coexistētem, sed extiturum in tempore, à diuina voluntate statuto.

230 *Denique arguitur* Denique reijcitur: nā passio Christi non exercuit suam causalitatem formaliter, illo tempore, quo extitit, respectu gratiæ, quæ nobis datur, nec modo exercet formaliter prędictam causalitatem, & influxum effectiuum: ergo nunquam de illa verificatur, quod formaliter illam causalitatē exerceat. Consequentia tenet. Minor à Nazario conceditur, & cōstat ex dictis. Maior autem probatur: non enim exerceri potest formaliter influxus à causa instrumentali, nisi causa principalis, in cuius virtute causat, summæ exercuerit formaliter concursum effectiuum principalem; sed causalitas effectiua diuina non exercetur formaliter in gratiam, quæ modo nobis infunditur, tēpore passionis Christi, nec antea exercita fuit: ergo passio Christi tunc tēporis, non exercuit formaliter influxum instrumentalem. Maior cū consequentia tenet. Minor autem probatur: tunc enim efficientia, & causalitas effectiua operationis diuinę exercetur formaliter cum ad effectum terminatur, Deumque formaliter efficiētem denominat; sed tempore passionis Christi non fuit terminata opera-

tio

tio diuina ad gratiam, quæ modo infunditur, nec Deum denominauit prædictam gratiam formaliter causātem; aliàs ab æterno diceretur Deus causās effectus creatos; & consequenter effectus creati essent causati ab æterno, quod est hæreticū: ergo diuina causalitas nō exercetur formaliter tempore passionis Christi in gratiam, quæ modo nobis infunditur, nec tēpore, quod passionem Christi præcessit; & consequenter tunc temporis nō potest causalitas effectiua instrumentalis passionis Christi formaliter exerceri.

231 *Tertia solutio ex Caietano.*

Tertia solutio sumitur ex Caietano *in hac 3. p. infra q. 56. art. 1. circa solutionem ad 3.* vbi docet, passionem Christi, ideo dici causam nostrę iustificationis, quia humanitas, quæ est vniuersale instrumentum coniunctum diuinitatis per ipsam determinata est, vt in nostram iustificationem influeret, quia ex hoc quod passa est, intelligim⁹ communicatam sibi virtutem remissiuam peccatorum, & ex hoc, quod resurrexerit, cōmunicata est sibi virtus resuscitatiua mortuorum, quod magis explicans loquendo de resurrectione, addit: sic enim resurrectio Christi dicitur causa nostræ resurrectionis, quoniam per ipsā Christus homo, instrumentum efficax constitutus est ad resuscitandos homines in vitam æternam.

232 *Cōtra illā obstat*

Contra quam solutionem statim difficultas insurgit: vt enim verum sit, humanitatem Christi constitui instrumētum efficax nostræ iustificationis, quia passa est, necessario requiritur, quod passio causalitatem exerceat in formam, per quam humanitas instrumentum nostrę iustificationis constituitur; sed causalitas moralis non sufficit; causalitas autem physica non potest passioni præteritæ, nunc non existenti competere: ergo argumentum factum data solutione nō soluitur, sed in suo robore perseuerat. Maior constat: nā ly *quia* causalitatē importat: ergo vt humanitas eleuetur ad nostrā salutē causādā, *quia* passa est, debet passio influere in formā eleuantē humanitatē, illāq; aliqua ratione causare. Minor pro secuda parte cōstat ex dictis: nā res nō existens physicè, non potest physice influere; sed passio Christi nūc non existit: ergo nō potest physicè influere in formā eleuantē humanitatem. Pro prima autem parte aperta videtur primo: nam moraliter causare formam physicè causantem non sufficit, vt causans illā moraliter, causet physicè effectum physicè à forma causatum; aliàs Christi meritum efficiens moraliter gratiam iustificātem, diceretur causans physicè effectum, qui physicè à gratia præstatur: ergo moralis influxus passionis in formam eleuantem humanitatem, vt sit instrumentum physicum nostræ iustificationis, non sufficit vt passioni Christi physicè attribuatur nostra iustificatio. Secundo eadem minor pro prima parte probatur: causalitas passionis in nostram iustificationem, quam contendit Caietanus saluare, eadem est cum causalitate resurrectionis Christi in nostram resurrectionē, vt constat ex eius verbis, & ex doctrina Angelici Præceptoris, quam Caietanus explicat, & defendit; sed causalitas resurrectionis Christi in nostram resurrectionē moralis esse non potest: Christus namq; post mortem non meruit in communi Theologorum sententia: ergo causalitas moralis passionis Christi in formam eleuantem humanitatem, vt sit instrumentum physicum nostræ iustificationis, ad intentum præsens, & ad tuendam doctrinam D. Thomæ non sufficit.

233 *Prima Vincentij prædictæ doctrinæ explicatio*

Doctissimus Noster Vincentius *relectione de Gratia Christi q. 6. pag.* 818. post varios modos dicendi recensitos, & reiectos, Caietanum sequens dupliciter illius doctrinam explicat. Primo, asserendo, cum docet Caietanus, humanitatem Christi accepisse virtutem remissiuam peccatorum, eo quod passa est, & mortua, in eo sensu esse accipiendum, in quo dicimus communiter causam vniuersalem determinari per causas particulares ad particulares effect⁹: ita humanitas Christi, quæ est vniuersale instrumentum ad omnes effectus gratię per passionem, est determinata ad gratiam remissiuam peccatorum in nobis causandam; &

per

per resurrectionem determinata fuit ad resurrectionem causandam, ad modum, quo ab Astrologis asseritur, Solem, qui est in hoc vniuerso visibili causa valdè vniuersalis, secundum quod variis celestib⁹ Zodiaci signis accōmodatur, varios effectus in hæc inferiora operari, pro diuersa signorum qualitate, ac virtute. Ita Christus, vt homo, Soli iustitiæ ad diuersa suę vitę, mortis, resurrectionis, & ascensionis signa accōmodatus, in diuersos suæ virtutis effectus se explicat, quin ex hoc arguatur aliqua in virtute Christi limitatio, sed potius magna in influendo amplitudo, & vniuersalitas.

234 *Secūda explicatio Vincentij.*

Secundo: ex aliorum sententia, quam sibi asserit, non displicere, aliter Caietani mentem explicat, asserendo, Deum voluisse, & decreuisse, assumere humanitatem ad diuersos effectus, vt immutatam diuersis immutationibus, nempè, vt per passionem immutatam assumpsit illam vt instrumentū ad nostram iustificationem, & vt realiter per resurrectionem immutatam assumpsit humanitatem, vt instrumentum ad nostram resurrectionem, & quia passio prętērita manet virtualiter in humanitate, vt per illā immutata, & similiter resurrectio in humanitate, quatenus immutata per illam: fit consequens, vt assumpta humanitate, quatenus sic per passionem immutata; vt instrumento physico nostræ iustificationis, passio ipsa virtualiter ad eundem effectum assumatur, idemque dicendū sit de resurrectione Christi comparatione ad nostram resurrectionem.

235 *Vtraque explicatio est difficilis: & cōtra primam facit.*

Vtraque tamen explicatio est difficilis, & contra primam facit: id enim quod physicè non existit, nec in se, nec in aliquo effectu, non potest physicè determinare causam de se vniuersalem ad particulares effectus; sed passio Christi non existit modo physicè formaliter in se ipsa: ergo nisi assignetur aliquis effectus physicè à passione Christi causatus, in quo virtualiter existat, non potest humanitas Christi per illam determinari, vt instrumentaliter physicè causet nostram iustificationē. Idemque de resurrectione Christi dicendum in ordine ad nostram resurrectionem. Minor cum consequentia tenet. Maior autem constat primo in exemplis, quibus vtitur Vincentius: nam causa secunda non existens physicè formali, aut saltim virtuali existentia, non potest concursum causæ primæ physicè determinare. Astra etiam physicè non existentia, non possunt vniuersalem Solis concursum temperare, vt varios effectus influat in hæc inferiora. Secundo ratione à priori; quod enim physicè non existit aliquo ex prædictis modis non potest physicè agere: ergo nec potest physicè causā vniuersalem determinare.

236 *Cōtra secundam*

Deinde contra secundam facit: nā humanitatem Christi esse realiter immutatam per passionem, & resurrectionem nihil intrinsecum ponit in humanitate, sed solum denominationem extrinsecam sumptam à passione, & resurrectione prætēritis; sed concretum resultans ex obiecto, & denominatione extrinseca desumpta à forma prætērita, non potest physicum influxum habere sumptum formaliter; cum forma, quę modo non est, esse ne queat actionis principium: & consequenter nec subiectum, vt denominatum ab illa: ergo humanitas, vt passione, & resurrectione prætēritis immutata, non potuit assumi à Deo, vt instrumentum physicum nostrę iustificationis, & resurrectionis: ac proinde passio, & resurrectio Christi non possunt nunc virtualiter physicè in prædictos effectus influere, ex eo quod De⁹ decreuerit humanitatem, vt per passionem, & resurrectionem immutatam eleuare, vt physicum instrumētum ad nostram iustificationem, nostramque resurrectionem, nisi forte doctrina Vincentij accipiatur de immutatione humanitatis per aliquid supernaturale humanitati intrinsecum ex passione, & resurrectione relictum iuxta proximè à Nobis dicenda.

237 *Solutio quorundā Recētiorum Thomistarum.*

Denique: nonnulli Recentiores discipuli Diui Thomæ facili negocio ab argumenti difficultate se expediūt explicando doctrinam Angelici Præceptoris de passione, & resurrectione Christi in concreto, idest, de Christo,

qui

qui passus est, & resurrexit, ita vt cum docet, passionem, & resurrectionem Christi causare efficienter nostram iustificationem, sensus sit, Christum, qui passus est, & qui resurrexit, illos effectus causare; Christus autem physicè existit; & consequenter potest physicè efficienter influere. Quibus fauere videtur Divus Thomas *infra q. 56. art. 1. ad 3.* vbi de resurrectione loquens, sic ait: S. Tho. *Dicendum, quod resurrectio Christi non est propriè loquendo causa meritoria nostræ resurrectionis, sed est causa efficiens, & exemplaris. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum diuinitatis, & operatur in virtute eius, vt supra dictum est.* Quibus verbis aperte indicare videtur, catenus resurrectionem Christi efficienter in nostram resurrectionem influere, quatenus humanitas, secundum quam resurrexit instrumentaliter influit in illam. Cum ergo de passione eodem modo, ac de resurrectione loquatur quoad physicam efficientiam; asserendum est consequenter, non passionem ipsam, sed humanitatem Christi secũdum quam passus est, efficiẽter physicè influere in nostram iustificationem.

238 *Non est admittẽda, & reijcitur primo.*

Hęc tamen explicatio admittenda non est. Primo: quia iuxta illã passio Christi prout ab illius humanitate distincta non exercet effectivum influxum, sed tantum humanitas Christi; sed hoc ad mentem Diui Thomæ non est; aliàs explicata causalitate humanitatis, & influxu illius in nostram iustificationem, *in hac q. art. 2. & 3. superfluere art. 6. q. 48.* in quo Divus Thomas inquirit: *Vtrùm passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiæ?* Et affirmatiuè respondet. Si namque non passio, sed humanitas per modum efficientiæ operatur; vt quid determinato iam in præsenti humanitatem efficienter in nostram iustificationem influere, iterum id ipsum *infra q. 48. art. 6.* in quæstionem vocaret? ergo prędicta explicatio admittenda nõ est.

239 *Secudo.*

Secundo: nam si hæc explicatio admittatur, poterit eodem modo explicari Divus Thomas, cum *infra q. 48. art. 1. & sequentibus*, docet, passionem Christi causasse nostram salutem per modum meriti, satisfactionis sacrificij, & redemptionis, asserendo loqui, Angelicum Doctorem non de passione, vt ab humanitate distincta, sed de Christo ratione humanitatis secundũ quam passus est; sed hoc admitti non potest; aliàs nulla causalitas passionis Christi, vt ab humanitate distincta, ex mente Diui Thomæ haberetur, quod asserendum non est: ergo nec prædicta explicatio admittenda.

240 *Tertio.*

Denique: nã post verba ex D. Tho. relata hæc alia sequuntur: S. Tho. *Et ideo sicut alia, quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est ex virtute diuinitatis eius sunt nobis salutaria, vt supra dictum est: ita & resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis virtute diuina.* Sed alia, quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, etiã prout ab humanitate distincta nobis salutaria fuerunt: ergo Christi resurrectio, iuxta mentem Diui Thom. vt ab humanitate distincta, nobis salutaris est, & vt sic sumpta efficienter in nostram resurrectionem influit; vnde cum Angelicus Doctor docet, resurrectionẽ Christi nostram salutem efficere, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, operatur virtute diuinitatis, non loquitur de humanitate excludendo influxum resurrectionis, sed potius illum includẽdo, vt constat ex verbis proximè à Nobis adductis, & sensus est, quod quia Christi humanitas secundum quam resurrexit, est diuinitatis instrumentũ, ideo Christi resurrectio, sicut & alię actiones, & passiones Christi nobis salutaris fuit, influendo in nostram resurrectionem, tanquam actio humanitatis per illam in nos influentis.

241 *Duplex vera solutio assignatur, explicatur, & defenditur mens Cajetani.*

His igitur in sua probabilitate relictis, respondetur argumento duplici ter. Primo, sustinendo solutionẽ Cajetani. Ad cuius impugnationem dicatur, humanitatem Christi, ideo constitui instrumentum efficax nostræ iustificationis per passionem, & per resurrectionem instrumentũ efficax nostræ resurrectionis, quia Deus destinauit

uit humanitatē ad primum effectum causandum, quia passionem subijt, & ad secundum effectum, quia resurrexit: ly *quia* dicente non rationem formalem eleuandi humanitatē, nec cōstituendi illam in ratione subtracti eleuabilis, sed conditionem ad prædictos effectus. Sicut enim in causis naturalibus dantur aliqua solum vt conditiones se habentia: ita in instrumentis obedientialibus, quæ à Deo pro sua voluntate assumuntur ad aliquos effect' causandos, possunt aliqua, vt conditiones se habere. Et ita dicimus de facto se habuisse passionem & resurrectionem, vt Deus destinaret humanitatem ad causandum instrumentaliter nostram iustificationem, & nostram resurrectionem. Vt autem ad istos effectus tanquam conditiones concurrant, non requiritur, quod physicè illis coexistant, sed sufficit quod aliquādo extiterint, & quod Deus decreuerit, humanitatem eleuare ad illos effectus causandos, quia passio, & resurrectio extiterunt. Potest enim ens rationis, vt modus, & conditio ad effectum realē concurrere, vt constat in relatione rationis constituente demōstrationem, quæ vt causet realiter scientiam à prædicta relatione, quæ est obiectum Logicæ tanquam à modo, & conditione dependet; & consequenter ens reale, quod aliquando extitit, potest vt conditio concurrere ad effectum realem causandum, etsi physicè non existat, cum talis effectus producitur, & in hoc sensu, etiam potest doctrina Vincentij explicari.

*Quod tātū vt conditio cōparatur, non requiritur quod coexistat effectui.*

242 *Explicatur, qua ratione passio, & resurrectio existant virtualiter in humanitate.*

Secundo respondeo ex dictis *Tom. 1. Disp. 3. num. 59.* vt causa efficiens, siuè instrumentalis, siuè principalis physicè efficienter causet, sufficere, quod existat, quando causat formaliter in se ipsa, aut virtualiter in effectu à se causato; cum in se ipsa existebat, & existētē formaliter tempore existentiæ effectus, qui de præsenti à tali causa procedit, & cōstat in generante iam mortuo, cui proles genita efficienter attribuitur: quia licet non existat formaliter in se ipso, existit tamen in instanti, in quo fœtus animatur, virtualiter in semine à se deciso, cuius doctrinæ alia exempla adduximus *vbi proximè*: vt ergo passioni Christi, vt causæ physicè efficienti, gratia nostra iustificans attribuatur, sufficit, quod licet modo nō existat in se ipsa formaliter; existat tamen virtualiter in aliquo modo supernaturali ab illa causato physicè; cū formaliter existebat, & nunc in humanitate perseuerante, & in hoc sensu potest accipi doctrina Vincentij asserentis; ideo passioni Christi attribui efficienter nostram iustificationem: quia humanitas Christi eleuatur ad nostrā iustificationem causandam, vt realiter immutata mutatione intrinseca præstita à prædicto modo supernaturali formaliter, & à passione Christi efficienter, quia ab illa fuit modus ille efficienter causatus.

243 *Obijcies aduersus solutionem. Primo.*

Contra quam doctrinam præter illa, quæ *loco allegato* obiecimus, & diluimus. Obijciet aliquis primo: modum istum ex passione Christi in humanitate causatum sine vllo fundamēto constituj; & consequenter ad illum recurrendum non esse. Secundo: nam vt gratia nostra iustificans ratione prædicti modi posset, vt causæ efficienti attribui passioni Christi, opus erat, vt humanitas per talem modum affecta efficeret gratiam iustificantem in virtute passionis Christi præteritæ; sed quamuis ille modus supernaturalis à passione Christi causatus, in humanitate admittatur: non tamen potest verificari, humanitatem in virtute passionis Christi influere in gratiam nobis infusam: ergo adhuc admisso prædicto modo, non subsistit physica efficientia passionis Christi in gratiā, quæ modo nobis infunditur. Maior cū cōsequētia tenet. Minor autē cōstat: nā vt vna causa dicatur agere in virtute alterius, debet forma, per quam agit, esse virtus illius causæ, in cuius virtute agit, vt constat in exemplo seminis à generante deciso; sed modus ille à passione Christi causatus, non est virtus passionis Christi, sed Dei, in cuius virtute fuit à passione causatus; cum passio solum instrumētaliter prædictum modum causaueritid autem, quod ab instrumento causatur, non est virtus instrumenti, sed agentis principalis, à

*Secundo*

quo

quo instrumentum eleuatur ad agendum: ergo quamuis modus ille à passione causatus, in humanitate admittatur, non potest ratione illius dici, quod humanitas Christi influat in gratiam iustificantem in virtute passionis Christi præteritæ.

244 *Resp. ad primã obiectionem*

Respondeo ad 1. replicã, negando antecedens; vt enim prædictus modus adstruatur, sufficit pro fundamento talis modi possibilitas, & decentia, quæ inuenitur, vt passioni Christi efficientia gratiæ nos iustificãtis attribuatur: adiuncto, quod sine illo non potest efficientia passionis Christi saluari. Ad secundam, concessa maiori, nego minorem: ad probationem, cõcedo maiorem, & nego minorem: nec conuincitur probatione ibi facta: non enim est contra rationem instrumẽti, quod in virtute illius aliud instrumentum agat, vt constat in Sacramentis influentibus in gratiam, non solum in virtute Dei, vt causæ principalis illius, sed etiã in virtute Christi, vt hominis, vt instrumenti vniuersalis, cui omnia Sacramenta subordinantur, vt instrumẽto coniuncto diuinitatis. Sicut ergo virtus, per quam eleuantur Sacramenta ad causandam gratiam in nobis, nõ solum est virtus Dei, vt causæ principalis, sed etiam humanitatis Christi, vt causæ instrumentalis: quia talis virtus à Deo causatur principaliter, & ab humanitate Christi instrumentaliter: ita modus ille supernaturalis, quem diximus, fuisse ex passione Christi relictũ, est virtus Dei, vt causæ principaliter influentis in gratiam iustificantem, & passionis Christi, vt causæ instrumentalis; & consequenter humanitas influit in gratiam iustificantem, non solum in virtute Dei, sed etiam in virtute passionis, non quidem vt instrumẽti ab humanitate condistincti, sed vt vnum idemque instrumentum cum humanitate constituentis. Sicut enim actiones humanitatis, non sunt instrumenta, ab illa ex æquo distincta, sed simul cum humanitate vnum instrumẽtum constituunt: ita passio, quam humanitas subijt, simul cum ipsa vnum constituit instrumentum, passione determinante medio illo modo humanitatem, vt instrumentaliter influeret in gratiam iustificantem: sicut per resurrectionem determinata fuit, vt nostram resurrectionem causaret: vnde humanitatem agere in virtute passionis, est agere in virtute sui, vt patiẽtis, & agere in virtute resurrectionis præteritæ, est agere in virtute sui, vt resurgentis. Et hęc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri, vbi duę præcedentes.

245 *Per quid eleuetur humanitas ad influẽdum in effectus miraculosos.*

Restabat pro complemento Tractatus agere de virtute, per quam humanitas Christi instrumentaliter physicè influit in effectus miraculosos, an scilicet, hoc illi competat ratione potentiæ obediẽtialis immediatè, & proximè influentis, vt aliqui volunt. An ratione omnipotentiæ illam informãtis intrinsecè, & intrinsecè eleuantis, vt alij contendunt. An per extrinsecã subordinationem ad Deum, vt extrinsecè illi assistentem, sibique subordinantem, vt nonulli senserunt. An denique per aliquam formam creatam supernaturalem intrinsecam, vt placet Nostris Thomistis, à quibus supersedemus, quia fusè de illis egimus *Tract. de Charitate, & Tract. de Visione Dei*, vbi potentiam obedientialem immediatè actiuam exclusimus, & intellectum creatum non posse per omnipotentiam, vt per formam vt *quo* operatiuam potentem ad beatificam visionem constitui, monstrauimus, nec extrinsecã subordinationẽ ad Deum, ad intellectum eleuandum sufficere, sed intrinsecam formam illum eleuantem requiri, vt beatificam visionem eliciat, fusè probauimus, & ex eisdem principijs est in præsenti inferendum, non influere humanitatem in effectus miraculosos ratione potentiæ obediẽtialis immediatè, & proximè actiuæ, nec posse per omnipotentiam, vt per formam eleuari, nec extrinsecam ad Deum subordinationem, Deique extrinsecam assistentiam sufficere, sed formam creatam humanitati intrinsecam, ad hunc finem esse necessariam, vt nempè, virtuosa, potensque constituatur ad influendum physicè in effectus miraculosos, vt asserunt Nostri Thomistę.

*Forma creata humanitati intrinseca est constituenda.*

246 Disidium autem, quod inter Discipulos D. Thomæ versatur circa huiusmodi formam, per quam eleuatur humanitas ad causandū physicè gratiā, & effectus miraculosos, an scilicet, sit motio, vel qualitas? Quibusdam affirmātivus primum, aliis secundum, hoc inquam disidium philosophicum est, & omnibus instrumentis commune, ideoq; ab illius prolixa discusione abstinemus, Auctoribus secundæ sententię adhærendum esse censentes. Primo, quia motio sine termino in subiecto, quod per illā mutatur, repugnat: ac proinde si motio in instrumento recipitur, debet aliquid per illam in instrumento produci: ex quo vlterius fit, vt in hoc termino potius, quam in motione, forma instrumentum eleuās consistat, & cum talis terminus, nec relatio sit, nec vbi, nec quantitas, nec ad aliud prædicamentum à qualitate distinctum expectet, necessario est asserendū ad prædicamentum qualitatis pertinere. Secundo: nam auxilium, quo Deus adiuvat causas secundas, siuè efficax, siuè sufficiens, non in motione, sed in fluida qualitate consistit: ergo idem dicendum est de forma, per quā humanitas Christi eleuatur ad influxū prçstandū in effectus miraculosos Denique, & à priori: nā principiū *quo* operandi non motio, sed qualitas est: forma autem humanitatem eleuans est principium *quo* operandi: ergo non in motione, sed in qualitate per motionem producta consistit.

*Talis forma non motio, sed qualitas est.*

247 Consequenterque est asserendum dari in humanitate Christi formam aliquam supernaturalē à qua recipiat posse per modum actus primi in effectus miraculosos influere. Quod patet: nam omne de facto operans, est potens in actu primo operari; sed humanitas Christi actu influit influxu physico in effectus miraculosos: ergo est potens in actu primo ad influendū in illos; sed nō ratione suæ innatę virtutis, quę entitatiuè naturalis est; & consequenter impotens ad effectus supernaturales: ergo datur in illa forma supernaturalis, per quam potēs in actu primo proximo constituatur ad miraculosas operationes.

*Talis forma dat posse per modū actus primi.*

An autem forma dans posse proximum humanitati, distincta sit à forma illam ad operationem applicante? sub lite inter Discipulos D. Thomæ versatur, alij negant, alij affirmant, & his adhęrendum existimo: sicut enim implicat potentia idētificata cum actu secundo, ita implicat potentia ratione propriæ entitatis connexa essentialiter cum actuali operatione: ergo non solum implicat forma creata dās posse proximum operari identificata cum actu secundo, sed etiam implicat entitas creata dans posse proximum ad operandum, ratione sui essentialiter connexa cum actu secundo; sed qualitas applicans humanitatem Christi ad actu influendum in effectus miraculosos, est essentialiter connexa; cum operatione actuali: ergo realiter distinguitur à qualitate, per quam redditur in actu primo potens proximè in prędictam operationem influere. Quo argumento efficaciter suadetur: auxilium efficax physicè applicans, & & prædeterminans causas secundas ad operandum, semper realiter ab auxilio sufficienti distingui. Nec sequitur dari simul in eodem subiecto duo accidentia solo numero distincta: nam distinctio huiusmodi qualitatū, non numerica, sed specifica est, sumpta ex distincto modo tendendi in eandem operationem, scilicet, per modum dantis posse, qualiter ab vna respicitur, & per modum applicantis qualiter respicitur ab alia. Et hęc de isto Tractatu dicta sufficiant.

248 *Alia forma ad operatiōnē applicans debet assignari.*

TRACTA-

# TRACTATVS VNDECIMVS.

## De impeccabilitate Christi, & illius morali perfectione.

DE QUO D. Thom. in 3. dist. 15. ad Annibaldum in eadem dist. Et in hac tertia parte quæst. 15. Vbi postquam quæst. 14. egerat de defectibus corporis â Christo in humanitate assumptis quęst. 15. tract. de defectibus animæ â Christo susceptis. Quæstionẽ diuidit in decẽ Articulos. *Docens in primo: defectum peccati assumere nõ debuisse; eo quod Christus suscepit nostros defectus, vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatẽ humanæ naturæ cõprobaret, & vt nobis fieret exemplũ virtutis: ad quæ, defectus peccati conducentiam habere non potuit. Et ideo Christus nullo modo assũpsit defectũ peccati, nec originalis, nec actualis, secundum illud, quod dicitur Petri secundo,* qui peccatum non fecit. Articulus primus.

In secundo Articulo docet *non fuisse fomitem peccati in Christo. Quod probat primo: nam virtus moralis facit rationalem partem animæ, in qua est, rationi esse subiectam; & tanto magis, quanto perfectior fuerit: ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus ad id, quod est contra rationem; & consequenter quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur virtus fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradũ; consequens est, quod in eo fomes peccati non fuerit.* Probat secundo. *Nam defectus iste,* in quo fomitis essentia consistit, Articulus secundus.

sistit, *non est ordinabilis ad satisfaciendum; sed potius inclinat ad contrarium satisfactioni*; Christus *autem eo fine Incarnatus, vt pro nobis satisfaceret, non debuit defectus assumere inordinabiles ad satisfactionem, & illi contrarios: non ergo assumi debuit à Christo.*

Articulus tertius. In tertio Articulo docet, *non fuisse in Christo ignorantiã.* Quod intelligendum est de ignorantia priuatiua; negatiua namque, quæ nescientia propriè dicitur, non potest in humanitate assumpta negari: cum enim non cognouerit omnes creaturas possibiles, vt disp. 33. docuimus, aliquas ex illis non sciuit. Quod autem in Christo non fuerit ignorantia priuatiua consistens in carentia scientiæ debitæ, probat Angelicus Doctor. *Sicut enim in Christo fuit plenitudo gratiæ, & virtutis: ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ, vt constat ex* q.7. art.9. & q.9. art.1. *sicut autem plenitudo gratiæ, & virtutis excludit fomitem peccati: ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ opponitur. Vnde sicut in Christo non fuit fomes peccati: ita non fuit in eo ignorantia.*

Articulus quartus. In quarto Articulo docet: *animam Christi fuisse passibilem passione corporali: eo quod animæ, & corporis vnum est esse; & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necessè est, quod anima per accidens perturbetur, scilicet, quantum ad esse, quod habet in corpore. Corpus autem Christi passibile fuit, & mortale; ac per consequens necessè fuit, vt etiã anima hoc modo passibilis esset.* Docet etiam, *fuisse passibilem passione animali; eo quod passiones animæ propriſsimè dicuntur affectiones appetitus sensitiui, quæ fuerunt in Christo: sicut & cætera, quæ ad naturam hominis pertinent*: & consequenter illius anima fuit passibilis passione animali; cum triplici tamen discrimine â modo, quo dictæ passiones in nobis existunt. *Primo quoad obiectum, plerumque enim in nobis ad illicita feruntur: non autem in Christo. Secundo quoad principium, quia in nobis frequenter iudicium rationis præuenitur: in Christo autẽ omnes motꝰ appetitus sẽsitiui oriebãtur secundũ iudiciũ rationis. Tertio quantũ ad effectũ, quia in no-*

bis

*bis quãdoq; motus sensitiui impediunt rationẽ, quod in Christo non accidit: quia motus naturaliter humanæ carni cõueniẽtes, sic ex eius dispositione, in appetitu sensitiuo manebant, quod ratio ex illis nullomodo impediebatur facere, quæ conueniebant.*

Et discurrẽdo ad passiones in particulari: *Docet in Art. 5. fuisse in Christo dolorẽ sensibilẽ, quod esse de fide cõstat in illo Isaiæ 53. cap.* Verè lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Probatq; D. Th. nã in quo est læsio corporis, & sensus læsionis; est dolor sensibilis; sed vtrũq; fuit in Christo, cuius corp⁹ ladi poterat, quia erat passibile, & læsioni subiectũ: Nã anima Christi habebat perfectè omnes potẽtias naturales: ergo fuit in illo verus dolor sensibilis. Notat autẽ Caietanus*: læsionẽ corporis, & perceptionẽ doloris, quæ per sensũ tact⁹ exercẽtur non esse id, in quo formaliter dolor consistit; sed causas illi⁹. Dolor enim cõsistit formaliter in passione appetitus cõsurgẽte ex lęsione corporis, sẽsu tact⁹ percepta. Nõ tamẽ ex hoc ratio D. Th. infirmatur; cũ enim dolor ex prædictis causis naturaliter cõsurgat: illis in Christo existẽtib⁹, dolor etiã existit, & illarum existentia probata, etiam existentia doloris probatur. Articulus quintus

Solutione ad 1. & 2. docet D. Th. explicando doctrinã Hilarij lib. 10. de Trinit. vbi dolorem videtur in Christo negasse: *non negasse existentiam doloris, sed necessitatẽ illum patiendi per comparationẽ ad causam primam doloris, & aliorũ defectuum naturaliũ, quæ est peccatũ originale: quia in Christo non fuit peccatum. Quantum autem ad causam proximam horum defectuum, quæ est cõpositio ex contrarijs, fuisse in Christo necessitatẽ doloris, & aliorum defectuum naturalium, qui consequuntur ad talem compositionẽ. Fuit enim corpus Christi cõpositũ ex contrarijs, & sine dono impassibilitatis in hac vita mortali.* Si opponas doctrinã D. Th. supra q. 14. art. 3. ad 2. vbi docet: causã remotã mortis, & aliorũ defectuũ corporaliũ in humana natura esse cõponi ex cõtrarijs: proximã autẽ causã esse peccatũ, per quod subtracta est originalis iustitia: ergo falsũ est, quod in præsenti docet, nẽpè, causã

proximâ, quod idẽ est ac remotâ, defectuũ corporaliũ esse peccatũ; causã autẽ illorum proximã esse componi ex cõtrarijs. Respõdet Caietanus, & benè, attentis causis secundũ se, cõpositionẽ ex contrarijs esse remotam, quia præcedit peccatum, & peccatum causam proximam; quia illam præsupponit. Comparatiuê autem ad exequutionẽ, peccatũ esse causam priorem, & ideo remotam; compositio autẽ ex contrarijs, vt expedita est posterior: prius enim fuit, quod peccatum substraheret iustitiã originalẽ, per quam dolor, & alij corporales defectus impediebãtur in humana natura, & illa sublata, ex cõpositione ex contrarijs defectus illi sequũtur, & sic vtrũq; dictũ D. Th. cõcordat. Secũdo responderi potest, in natura humana nudè considerata sine omni dono gratiæ impediẽte, causã proximã mortis, doloris, & aliorũ defectuũ corporaliũ, esse componi ex contrarijs: secus autẽ in natura iustitia originali ornata, per quã huiusmodi defect⁹ erãt impediti. Hac enim suppositione facta, nõ poterat aliquis ex illis defectibus sequi, nisi mediãte peccato iustitiã originalẽ excludẽte, illosq; causante proximè, non vt illorũ causa per se, sed per accidens, nẽpê remouendo prohibens.

Articulus sextus.

In sexto Articulo docet: *fuisse tristitiam in Christo. Quod esse de fide constat ex Matthæi cap.* 8. Tristis est anima mea vsque ad mortem. *Quod probat D. Thomas supponendo* in principio corporis articuli: *quod sicut dolor sensibilis est in appetitu sensitiuo: ita & tristitia; cum differentia pœnes motiuum; nam obiectum doloris sensibilis est lasio sensu tactus percepta. Obiectum autem, & motiuum tristitia, est nociuum, seu malum interius apprehensum, siue per imaginationem, siuè per rationẽ; sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiæ, vel pecuniæ.* Quo supposito ita subsumit; *sed potuit anima Christi apprehendere aliquid, vt nociuum, & quãtũ ad se, sicut passio, & mors eius fuit, & quantũ ad alios; sicut peccatum Discipulorum: ergo potuit in eo esse tristitia, alio modo quam in nobis secundum illa tria, quæ assignata sunt articulo quarto.*

Notat

Notat D. Thomas solutione ad secundum contra Stoicos: *in animo sapientũ posse esse tristitiam, non de malo opposito bono honesto, quod cum vera sapientia stare non potest, nec accidere verè sapienti; benè tamen de malo opposito bonis secundarijs pertinentibus ad corpus, quæ mala sapienti possunt accidere, & de illis quantum ad appetitum sensitivum tristari, his malis apprehensis: non tamen ita vt illius ratio turbetur. Et secundum hoc intelligitur, quod non contristabit iustum quidquid illi acciderit: quia nempè, ex nullo accidente, illius ratio perturbatur, nec animi tranquilitas perditur.* Est autem doctrina D. Thom. accipienda, de malo culpæ grauis præsente; hoc enim cum iustitia, & vera sapientia esse nequit: ac proinde, nec de illo potest sapiens tristari. De malo autem grauis culpæ præterito, sapiens pœnitet; ac per consequens tristatur: nã pœnitẽtia est tristitia; de malo etiã culpæ leuis præsenti potest sapiẽs tristari. Hæc enim cum vera sapiẽtia, & iustitia esse potest. Nam septies in die cadit iustus.

*In principio corporis articuli docet D. Thom. quod delectatio diuinæ contemplationis: ita per dispensationẽ retinebatur in mente Christi, quod non deriuabatur ad res sensitiuas, vt per hoc dolor sensibilis excluderetur.* Quæ doctrina etiam est ad tristitiam extendenda; & ex illa manifestè consequitur Angelicum Doctorẽ sentire: quod si delectatio diuinæ contemplationis redundaret in vires sensitiuas, nõ posset in appetitu esse dolor, & tristitia. Sed in contrariũ obijcies; cum delectatione diuinæ contẽplationis existente in voluntate, cõponitur in eadẽ volũtate tristitia; vt constat ex doctrina â nobis tradita tom. 2. Disp. 32. vbi contra Canũ cum cõmuni sentẽtia docuimus, Christũ delectatione beatifica nunquã caruisse: & simul cũ illa, tristitiam, nõ solũ in appetitu, sed etiam in illius voluntate extitisse ergo pariter cũ redundantia beatificæ visionis in appetitum sensitivũ, posset esse in illo dolor sensibilis, & tristitia; & cõsequenter superfluè D. Tho. recurrit ad nõ redundantiã delectationis beatificæ in vires sensitiuas, vt dolori, & tristitiæ locus relinquatur.

Respondeo D. Thom. in allegatis verbis, non loqui de tristitia, sed de dolore sensibili. Nec est eadem ratio de tristitia, ac de dolore. Et differentia ex vtriusque obiecto sumitur. Nam obiectum doloris sensibilis est læsio corporis, sensu tactus percepta. Eo autem ipso, quod delectatio beatifica redundaret in vires sensitiuas; esset Christus beatus, non solum beatitudine animæ, sed etiam beatitudine corporis; & cõsequenter esset incapax lęsionis corporalis, quæ est obiectum doloris sensibilis. Cum quo capacitas ad dolorem, qui est actus appetitus sensitiui stare non potest. Obiectum autem tristitiæ est nociuum interius, proprium, vel alienum. Et quia licet nocivum proprium non possit stare cum beatitudine corporis, potest tamen stare cum illa nocivum alterius; fit consequens, vt cum delectatione beatifica redundante in vires sensitiuas, & cum beatitudine corporis, stare possit tristitia in appetitu sensitiuo: non quidem de malo proprio: benê autem de malo alterius. Qua doctrina cessat difficultas obiectionis propositæ. Non enim excluderetur dolor sensibilis per redundantiam delectationis in partem sensitiuam, ex eo quod duo actus contrarij non possent esse simul in appetitu circa idem obiectum sub diuersis rationibus, sed quia per illam tollitur obiectum doloris sensibilis, vt proximê dicebamus.

Articulus septimus.

In Articulo septimo docet D. Thom. *fuisse in Christo timorem quantum ad hoc, quod appetitus sensitiuus naturaliter refugit corporis lasionem, & per tristitiam, si sit præsens, & per timorem si sit futura. Non autem quantum ad incertitudinem futuri euentus. In Christo namque talis incertitudo non fuit.* Quam doctrinam explicat Caietanus, de incertitudine positiua, quæ non potuit esse in intellectu, nec in imaginatiua Christi; potuit tamen esse in Christo incertitudo negatiua. Hoc est negatio actualis considerationis, per scientiam infusam futuritionis mali. Et hanc, inquit Caietanus, sufficere vt in Christo fuerit timor mali futuri, â tristitia distinctus. Quod intelligendũ est de timore consi-

stente in fuga simplici mali futuri non apprehensi, vt certo futuri. Non autem de timore consistente in fuga efficaci absoluta. Ad hanc enim incertitudo positiua requiritur. Pro quo videatur Nazarius controuersia vnica circa istum articulum.

Articulus octauus.

In octauo docet, *fuisse admirationem in Christo, eo quod admiratio est de aliquo nouo, & insolito; licet autẽ in Christo non potuerit esse aliquid novũ, & insolitum quantum ad scientiam diuinam, nec quantum ad scientiam beatam, nec quantum ad scientiam inditam: potuit tamen aliquid esse ipsi novum, & insolitum quantum ad scientiam experimentalem: ergo quantum ad hanc scientiam potuit esse in illo, & de facto fuit admiratio.* Quomodo autem sine ignorantia priuatiua admiratio in Christo esse potuerit? videbimus *Disp. 44.*

Articulus nonus.

In nono docet: *fuisse in Christo iram, non per vitium, sed per zelum: eo quod ira est passio composita ex tristitia, & appetitu vindictæ; sed in Christo fuit tristitia, potuit etiam esse in illo appetitus vindictæ, non contra ordinem rationis, quæ est ira per vitium, sed secundum ordinem iustitiæ, quæ est ira per zelum: ergo ira per zelum esse potuit in Christo.* Notandum est autem compositionem iræ, ex appetitu vindictę, & tristitia, non esse accipiendam constitutiuè, & formaliter, sed causaliter: quia nempê, vterque affectus concurrit ad iram; tristitia quidem antecedenter; appetitus autem vindictæ constitutiuè.

Articulus decimus.

Tandem in Articulo decimo docet: *Christum fuisse viatorem, & comprehensorem, nam aliquis dicitur viator, ex eo quod tendit in beatitudinem, & comprehensor, quia illam possidet; sed Christus fuit beatus quantum ad partem animæ superiorem, & caruit in hac vita beatitudine corporis: ergo fuit comprehensor in quantum habebat beatitudinem propriam animæ. Et simul viator in quantum tendebat in beatitudinem secundum id, quod illi de beatitudine deerat, scilicet, beatitudinem corporis.*

# DISPVTATIO QVADRAGESIMAPRIMA.

## An Christus de potentia absoluta peccare potuerit, aut esse in peccato?

### §. I.

*Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.*

Nu. 1. *Christũ de facto nunquã peccasse, est fidei veritas.*

CHRISTVM nũquã de facto peccasse, nec in peccato fuisse, veritas catholica est, & in primis de peccato actuali, constat ex illo Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et 1. Petri cap. 2. illis verbis: *Qui* (scilicet Christus) *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ex quibus testimonijs habetur, Christum nullum in se admisisse actuale peccatum. Hinc Sponsa Canticorum 5. de Spõso loquens, aiebat: *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.* Quæ verba Richardus Victorinus, & alij, quos refert Illustrissimus Araujo *vbi infra* interpretãtur de Christo, & candidus appellatur, quia innocens, & electus ex millibus, quia solus fuit sine dolo peccati inuentus, iuxta illud Isaiæ cap. 53. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quod etiam diffinitũ fuisse a Damaso *epist.* 1. quæ est ad Paulinum in professione fidei refert Vazquez *vbi infra.*

1 Petri cap. 2.

Cant. 5.

Isaiæ cap. 53.

2 Peccatũ originale nõ cõtraxit.

Deinde de peccato originali, cõstat ex illis verbis Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei:* quæ verba accipienda esse de natiuitate in vtero, qua primo humanitas fuit formata, & personæ Verbi vnita: patet primo ex alijs verbis Angeli ad Beatũ Ioſephum: *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Etenim de eadem natiuitate vtrobique fit sermo; hęc autẽ verba accipiũtur de natiuitate in vtero: ergo etiam verba priora. Secũdo; nam Angelus eo tendebat, vt Mariam non amittendæ virginitatis redderet certam, & Ioſephum securum illius integritatis; sed neutrum consequeretur, loquendo de natiuitate ex vtero; nam Baptista ex vtero natus fuit Sanctus, & non ideo illius Mater ipsum sine corruptione concepit: vt ergo Angelus Mariam redderet de Virginitate in Christi conceptione conseruanda securam, & Ioſephum de integritate non amissa certiorem, oportuit, vt loqueretur de natiuitate in vtero, & nõ solum de natiuitate ex vtero.

Luc. 1. cap.

3 Nullũ omnino peccatũ cõmiſit

Et de quouis genere peccati patet ex Paulo ad Hebrços 4. vbi de Christo loquens, sic habet: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Et

Et cap. 7. ibi: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus, &c.* Quibus in locis, & passim alibi omne genus peccati remouetur à Christo, quod insuper probatur ratione Diui Thom. *q.* 15. *art.* 1. Christus namque nostros defectus assumpsit, ex fine satisfaciendi pro nobis, & vt veritatem humanæ naturæ ostenderet; ac deniq; vt nobis virtutis exemplum daret, sed ad nihil horum potest peccatum conducere: ergo nullum assumpsit peccatum. Maior cum consequentia tenēt. Minor autem per singulas partes probatur: peccatum namque non potest ad satisfaciendum conducere; cum potius satisfactionis virtutem impediat, nec ex illo demōstratur veritas humanæ naturę; non enim est naturę humanæ conforme, sed potius contra eius inclinationem; ac denique esse nequit virtutis exemplum; cum potius virtuti contrarietur: ergo peccatum conducere non potest ad illos fines, propter quos Christus nostros defectus assumpsit.

4 *Opponnes* 1. Si opponas primo; posse peccare est prædicatum naturę humanæ essentiale; & consequenter pertinet ad illius veritatem; sed hoc posse, peccando cognoscitur; cum potentia quælibet per actum manifestetur sicut causa cognoscitur per effectum: ergo peccatum conducit ad manifestandam naturæ humanę veritatem; & consequēter potuit ex hoc fine à Christo Domino assumi.

5 *Secūdo.* Secundo; oportuit enim, vt Christus omnium virtutum nobis exēplū præberet; & consequenter vt se in actibus omnium virtutū exerceret; cum virtutis exemplum per illius exercitiū præbeatur; sed sine peccato non potuit actum pœnitentiæ exercere; est enim non de alieno, sed tantum de proprio peccato, vt verior docet sententia; & consequenter sine peccato non potuit pœnitentiæ exemplum dare: ergo ex fine præbendi nobis virtutis exēplum, oportuit, vt peccatum assumeret. Tertio, vt enim ait Paulus ad Roman. 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, & hoc ideo, quia in illo originaliter fuerunt, quia ex illo originem trahunt; sed Christus etiam originaliter fuit in Adam; vt enim docet D. Thom. *infra quæst.* 31. *artic.* 1. de Adamo: *Caro Christi fuit sumpta*: ergo in Adamo peccauit.

*Ad Roman.* 5.

Respōdeo ad primā obiectionē, distinguēdo maiorē: est prædicatū naturæ humanæ essentiale, secundū quod est ex Deo, nego maiorem: secundum quod facta ex nihilo, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo cōsequēs distinctione maioris: nec sequitur oportuisse peccatum à Christo assumi, vt veritas humanæ naturę prout est ex nihilo per illud dignosceretur; sufficiens namque fuit Christo suæ naturæ veritatem ostendere, secundum quod est ex Deo, ipsique subordinatur, non autem fuit necessariū illam etiam manifestare prout ex nihilo facta, potest ab ordine diuinæ sapientiæ per peccatum excidere. Vel secundo responderi potest, distinguendo maiorem: est de essentia humanæ naturæ secundum naturalem eius inclinationem, nego maiorem: vt extra, vel contra naturalem inclinationem, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: vel distinguo consequens distinctione maioris: solum enim illa oportuit assumere, quæ manifestant veritatem humanæ naturæ secundum eius inclinationem; peccatū autem, etsi indicet naturæ defectibilitatem, illius tamen inclinationem nō manifestat; cum sit contra naturam, hoc est, contra eius inclinationem, vt docet D. Tho. *in præsenti*, & cum illo omnes Theologi 1. 2. *q.* 71. *art.* 1.

6 *Ad* 1. *obiectionē respondetur primo.*

*Secūdo respond.*

7 *Ad* 2. *respond. ex D. Tho.*

Ad secundam respondet D. Tho. in præsenti art. 1. ad 5. *Quod pœnitens potest laudabile exemplum dare, non ex hoc, quod peccauit, sed in hoc, quod voluntarie pœnam sustinet pro peccato, vnde Christus dedit maximum exemplum pœnitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pœnas subire.* Sed dices; actus, quo Christus aliorum pœnas voluntariè acceptauit, non pertinet ad eandem virtutem, ad quam spectat actus, quo quis voluntariè sustinet pœnam pro peccatis propriis; cum iste à pœnitentia eli-

*Instabis.*

ciatus,

ciatur; secus autem actus, quo Christ⁹ pœnas voluntarias suscepit; sed oportuit Christum præbere exēplum omnium virtutum: ergo oportu t, quod actum pœnitentiæ exerceret ad quem peccatum proprium conducit.

8 *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam: potuit enim Christus suo exemplo homines ad pœnitentiam mouere dolendo de aliorum peccatis, & pœnas sustinendo pro illis; atque adeo ad illum finē actus virtutis pœnitentiæ necessarius nō fuit, nec conueniens; cum enim peccatum proprium supponat, esto peccatum non repugnaret in humanitate assumpta, non fuisset actus pœnitentiæ virtutis ad exēplum Christi expediēs; debebat enim esse exemplar omnium virtutum sine aliquo malo exemplo, qualiter esse non posset, si peccatum commisisset, quod necessario ad actū pœnitentiæ supponitur.

9 *Ad tertiam.* Ad tertiam respondet D. Tho. *in hac q. art. 1. ad 2.* nos fuisse in Adamo contentos secundum seminalem rationem, quia ex illo originem traximus medio semine virili; Christus autem etsi fuerit in Adamo secundum corpulentam substantiam, quia carnē sumpsit ex Virgine, quæ in Adamo fuit cōtenta, non tamen secundum seminalē rationem, quia non fuit conceptus medio semine virili, sed virtute Spiritus Sancti, Virgine ministrāte materiam, ex qua caro Christi fuit sūpta; & ideo nos originale peccatum per generationem contraximus: secus autem Christus, nam originale peccatum, quod Scripturæ testimonijs solum habetur, ab illis solum contrahitur, qui ab Adamo medio semine virili originem trahunt.

*Christus fuit in Adamo secundum corpulēt. substantiā, nō verò secūdū seminalem rationem.*

10 *Arguitur ex Scripturæ testimonijs. Primū est.* Contra hanc tamen catholicam veritatem opponi solent duo Scripturæ testimonia. Primum est 2. ad Corinthios 5. vbi Paulus de Deo loquēs, sic ait: *Eum*, scilicet, Christum, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; sed illud verè est, quod à Deo factum est: ergo fuit in Christo peccatum. Secundum est illud Psalmi 21. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum meorum*; sed hæc verba ex persona Christi dicuntur, vt tenet communis Patrum consensus: ergo fuerunt aliqua delicta in illo. His ducti imprudentes quidam hæretici ausi fuere blasphemo spiritu asserere in Christo fuisse peccata imo desperasse in Cruce; ideoque fuisse damnatum, ita quidam Prœmōstratensis Apostata relatus à Castro *lib. 1. de hæresibus*, & à Prateolo in Elencho hæresum, verbo *Anti Christiani*, & verbo *Præmonstratē sis Apostata*: eundem errorem amplexati sunt alij Calbinianam doctrinam sectātes, quos refert Lindanus *Dialogo 2.* asserentes, Christum in peccatū inobedientiæ incurrisse; cum postulauit à Patre, vt ab ipso Calix Passionis transiret.

*Secūdū.*

Huius tamen delirij falsitas constat ex dictis, & insuper primo testimonio in contrarium adducto, manifestè probatur; in illo nāque asseritur, Christum non nouisse peccatum, ex quo manifestè infertur, peccatum non cōmisisse; nam si cōmisisset, nouisset notia experimentali. Deinde; nam dicitur, Deum, Christum fecisse peccatū; sed Deus nequit peccatum causare: ergo non de peccato intelligitur, sed eatenus asseritur, Christum factum esse peccatum, quia Hostia pro peccatis est factus, vt explicat D. Thomas *in præsenti art. 1. ad 3.* iuxta illud Oseæ 4. cap. *Peccata populi mei comedunt Sacerdotes*, idest, Hostias pro peccatis oblatas, quas secundum legem Sacerdotes comedebant. Vel secundo potest dici, Christum à Deo factum peccatum, idest, habentem similitudinē carnis peccati propter corpus passibile, & mortale, quod assumpsit.

11 *Retorquetur cōtra hæretic⁹ 1. testimonium.*

Secundum testimonium multipliciter explicatur. Primo in sensu negatiuo, idest, longè à salute mea verba delictorum meorum, quandoquidem nulla commisisti: ita Euthimius, & Iansenius, quorum explicationem refert, & non reprobat Vazquez *vbi infra numero 5.* Secundo explicatur de operibus Christi honestis, quæ ab ipso delicta appellantur, non quia in se delicta fuerint, sed quia, vt delicta sunt ab hominibus reputata. Ita Rufinus, Tertio

*Explicatur 1. testimoniū primo.*

*Secūdo.*

12 *Secūdū testimonium explicatur primo.*

*Secūdo.*

*Tertio.*

expli-

explicatur quoad pœnam, ita vt delicta hominum, quæ ipsorum fuere quoad culpam, fuerint Christi quoad pœnam: ita vt sensus fiat, salus remota est à verbis, quæ fundo propter delicta mea, ideſt, quæ mihi causa totius generis humani imputantur; nostra enim peccata, sibi propria, suaque fecit, vt eorum pœnas lueret. Ita Genebrardus ad hæc verba, & Hilarius in Psalmum 68. explicans similia verba: *Domine tu scis insipientiã meam; & delicta mea à te non sunt abscondita.* Illud autem, *quare me dereliquisti?* non est accipiendum de derelictione quoad culpam, sed quoad pœnas, quas in Cruce sustinuit: ita vt sensus fiat, *quare me dereliquisti?* ideſt, meæ humanitatis tutelã, meæ carnis defensionem omnem consolationem suspendens, vt enim Carthusianus inquit *de Orthodoxa fide art.* 56. in Christo passionis tempore nulla fuit redundantia consolationis superiorum virium ad inferiores; est autẽ quærimonia de doloris magnitudine non diffidentiam exprimens, sed Crucis acerbitatem, vt explicat Augustinus *de gratia noui testamenti cap.* 6.

13 *Vltimo explicatur.*

Vltima explicatio est, quod delicta hominum appellet delicta sua, eo quod, quæ membris cõueniunt, Christo capiti attribuuntur, iuxta regulam Ticonij ab Augustino approbatam *libro de Doctrina Christiana cap.* 31. quia, scilicet, Christi, & Ecclesiæ vna persona æstimatur: vnde delicta membrorum appellat peccata sua, qua phrasi, modoque loquendi sæpè vtitur Scriptura Psalmo 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Et Psalmo 68. *Domine tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Quibus locis, & passim alibi peccata hominum, peccata Christi dicuntur, non quia ab illo commissa fuerint, sed quia à membris eius commissa, illaque Christus in se delenda suscepit.

14 *Cõtra illã obiicit Iansenius.*

Quæ explicatio videtur cum præcedenti coincidere, illam tradit D. T. *in præsenti art.* 1. *ad* 1. eaq; vsus est Augustinus *Psalmo* 21. *expositione* 1. & 2. displicuit tamen Iansenio, eo quod de peccatis loquendo non possunt, quæ membris conueniunt, Christo capiti attribui: ergo regula Ticonij in præsenti locum non habet. Antecedens probatur primo; nam quæ mẽbris Ecclesiæ conueniunt, solum possunt capiti attribui quando ex capitis influxu operantur; at homines non peccant ex influxu Christi, vt capitis: ergo quãuis bona opera, quę ex influxu Christi eliciunt possint Christo, vt illorum capiti attribui; illorum tamen peccata Christo, vt capiti accommodari non possunt.

*Antecedẽs probatur* 1.

Secundo: nam in Concilio Basiliẽsi inter alias propositiones Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni, vt scandalosa, & erronea damnatur hæc propositio: *Christus quotidiè peccat*, & hæc, *Christus quotidiè peccauit*, & addit Concilium quamuis de Capite Ecclesiæ Christo dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo vnum sunt, referantur; at si cum de peccatis agitur ea, quæ Ecclesiæ mẽbris conueniunt, possent Christo capiti attribui, immerito illa propositio, vt erronea damnaretur: ergo regula Ticonij approbata, expositaque ab Augustino, cum agitur de peccatis non tenet.

15 *Secundo.*

Hæc tamen obiectio non vrget; vt enim ex dictis constat sæpè in Scriptura peccata hominum, sua Christus appellauit; & consequenter etiam cum agitur de peccatis locum habet dicta regula, vnde negandum est antecedens. Ad cuius primam probationem dicatur, quæ membris conueniunt, nõ solum capiti attribui; cum ex capitis influxu operantur, sed etiam cum à capite aliqua ratione in se ipso suscipiuntur; tunc enim quamuis capitis non sint *influxiuè*, aut *effectiuè*, sunt tamen capitis *reputatiuè*, & vt capitis reputãtur, quatenus illa in se suscipit, vt pro illis satisfaciat: & quia Christus omnium hominum peccata in se suscepit, delenda; ideo hominum delicta, Christi delicta dicuntur.

16 *Respõd. Quæ mẽbris conueniũt, Christo capiti attribuuntur, etiã cũ de peccatis agitur. Ad* 1. *antecedentis probationẽ.*

Ad secundam probationẽ admissa cẽsura prædictę propositionis, non ob Concilij auctoritatem, eo quod schismaticum contra Eugenium IV. fuisse, docet Vazquez *vbi infra*, nec quod ad dogmata à Nicolao V. appro-

17 *Ad secũdam.*

batum

batum quamuis aliqua illius acta confirmauerit, sed quia de se scandalosa videtur, nego minorē: quamuis enim peccata hominum possint Christo capiti attribui, & peccata Christi dici, hoc intelligendum est; cum ex modo proferendi, non denotatur influxus, & quia istę propositiones: *Christus peccat*, & *Christus peccauit*, denotant influxum Christi in peccata, ideo non sunt admittendæ, sed vt scandalosæ vitandæ. Cum autem Christus delicta, aut peccata hominum, sua dicit; non denotatur influxus Christi in peccata, & ideo possunt in prædicto sensu admitti: non tamen ideo prædictus modus loquendi est à nobis vsurpandus, quod rectè aduertunt Recentiores in præsenti: non enim omnibus æqualiter omnia licent, vnde licet Scriptura vtatur prædicto modo loquendi, à nobis vsurpandus non est, quod etiā multoties accidit in modo loquendi Patrum, qui non semper est imitandus, vt de illa propositione: *Verbum Dei assumpsit hominem*, quæ in Patribus inuenitur, plures Theologi notarunt; quāuis enim illa plures Patres vsi fuerint, à nobis vsurpanda non est, sed piè, & in sano sensu explicanda.

18 *Secūdo suppo-nimus, Christū de lege ordinaria, peccare non potuisse.*

Secundo exploratum est apud omnes, non potuisse Christum de lege ordinaria peccare. *Probatur primo.* Quod patet primo; id namque est de lege ordinaria, vel ordinata possibile, quod Deus statuit aliquando efficere, vel permittere; at Deus non statuit aliquando permittere peccatum in Christo, sed potius oppositum; aliàs aliquando peccasset, quod est contra fidem: ergo Christum peccare non est de lege ordinaria, vel ordinata possibile. *Secūdo.* Secundo; nā Christus fuit beatus ab istanti cōceptionis, & carentia beatitudinis, non fuit de lege ordinaria possibilis; sed cum beatitudine, non potest vllum peccatum componi: ergo peccatum non fuit Christo de lege ordinaria possibile.

*Tertio.* Denique; nam cum gratiæ plenitudine nullum peccatum componitur; sed Christus fuit gratia plenus ab instanti conceptionis, iuxta illud Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, nec de lege ordinaria potuit plenitudini gratiæ carere; cum illius animæ debita sit omnis gratię plenitudo propter coniunctionem ad Verbum: ergo hac potentia inspecta, non potuit vllum peccatum admittere.

19 *Sensus difficultatis explicatur*

Quod igitur in presenti inquirimus, est, an Christus, etsi non peccauerit de facto, nec de lege ordinaria, vel ordinata peccare, vel esse in peccato potuerit; de potentia tamen absoluta potuerit esse in peccato, vel peccatum cōmittere, non quia Deus vires præbeat ad peccandum, vel ad peccatum sua potentia speciali iuvet concursu; id enim omnes Theologi impossibile censent; aliàs Auctor peccati esset, quod omnino implicat, sed quia vtendo sua absoluta potētia auferat à Christo dona cū peccato repugnantia, v.c. beatitudinem, & gratiam habitualem, supernaturalesque virtutes, vel talia dona humanitati non tribuat, vt potuit de potentia absoluta in communi Theologorum sententia; eo quod cū vnione humanitatis ad Verbum essentialem connexionem non habent.

20

Vnde sensus præsentis difficultatis est, an casu, in quo Verbum humanitatem assumeret sine aliquo gratię dono, præter gratiam substantialē vnionis, posset illius humanitas esse in peccato habituali, vel actuale peccatum cōmittere in sensu composito vnionis, hoc est, peccato cum vnione composito, vel in sensu diuiso, diuisione sumpta *positiuè*, hoc est, vnione per peccatum destructa, vel *præcisiuè*, hoc est, à peccato, vt terminante potentiā antecedentem vnione præcisa, ad modum, quo homo iustus potest peccare, non peccato cum gratia composito, sed gratia per peccatum destructa, & homo *physicè* prēmotus ad actum, habet potentiam antecedentem ad illius negationem, non vt coniungendā cum physica prēmotione, nec prēmotione per actum destructa; sed ad negationem actus secundum se *præcisiuè* à physica prēmotione?

21 *Prima sētētia.*

Qua in re triplex versatur sententia. Prima docet, in eo casu posse humanitatem Christi esse in peccato habituali, & actuale cōmittere in sensu composito vnionis, non solum cum

po-

potentia ad peccandum, sed etiam cũ actuali peccato vnione non dissoluta, sed cum peccato retenta. Ita quidam, quos sine nomine refert Magister *in* 3. *dist.*12.§.4.illam expresse tenent Scotus in eadem *dist.q.*1. Durandus *quæst.* 2.*num.*7. Gabriel *q. vnica*, Marsilius *q.*3.*art.*2.*in* 4 *p. art. conclus.*4. & 5. quos sequuntur Recentiores Scotistæ, Faber *in eadem dist.* & Castillo *disput.* 18 *de Incarnatione q.*1.licet autem non explicent, an peccatum in prædicta hypotesi foret in humanitate possibile ex natura rei, an vero de potentia absoluta; primum tamen ex illorum dictis colligitur; nullam enim oppositionem, adhuc ex natura rei, inter peccatum, & vnionem hypostaticam agnoscunt; ac per consequens tenentur fateri, supposito, quod humanitas maneret vnita Verbo sine gratia habituali, & sine visione beatifica posse ex natura rei esse in peccato habituali, & actuale cõmitere: in quo nonnullos Recentiores deceptos inuenio, oppositum Scoto attribuentes, nimirum humanitatem Verbo vnitam naturaliter peccare non posse. His etiam adiungi possunt, Alensis *3.p q.*14. *membro* 1.& Henricus *quodlibet.*6.*q.*6 qui, quamuis asserant, humanitatem Verbo vnitam, non posse de potentia absoluta peccare, id tenent eo quod existimant, non potuisse, etiam de potentia absoluta, Verbo vniri sine gratia habituali, & visione beata; cum quibus donis peccatum actuale, & habituale essentialiter repugnant: vnde consequenter tenentur asserere casu, in quo sine prædictis donis humanitas Verbo vniretur, posse peccare: quia tamen hypotesim implicatoriã censent, ideo docent, humanitatem vnitam, non posse de potentia absoluta peccare. Secunda sententia docet, nõ posse etiam de potentia absoluta vllum peccatum componi cum vnione hypostatica, in sensu tamen diuiso humanitatem Verbo vnitam sine visione beatifica posse peccare, peccato destruente vnionẽ, non quidem ex natura rei, sed de potentia absoluta. Hanc tenet Puente Hurtado *in præsenti disputatione* 59. & 60.

*M. Sẽt. Scotus. Duran. Gabr. Marsil.*

*Faber. Castillo.*

*Alensis. Henric.*

Secũda sẽtẽtia.

*Hurt.*

Tertia, & vera sententia defendit, humanitatem Verbo vnitam nõ posse, etiam de potentia Dei absoluta esse in peccato habituali, nec actuale committere, nedum in sensu composito, nimirum, vnione cum peccato retenta, sed nec etiam in sensu diuiso vnione per peccatum destructa. Hanc tenent ex Antiquioribus Magister Sententiarum *in* 3.*dist.*12. D.Thom. *ibi q* 2.*art.* 1.& 2. Bonauentura *art.* 2.*q* 1.& 2. Richardus *art.*2 *q*1.& 2. Paludanus *q.*2. Capreolus *q. vnica art.*1.& 3. Almainus *in* 3. *dist.* 1 *q.* 2. & Dionisius Cisterciensis *in* 3 *q* 3. *art* 2. Tenent etiam omnes Discipuli D.Thom. *in præsenti q.* 15. *art.*1. Medina *dubio vnico*, Cabrera *disput vnica conc.*2. Aluarez *disput* 68. Nazarius *controuers. vnica*, Lorca *disp.*57. *memb.*2. *num.* 24 Illustrissimus Araujo *q.*15. *dub.*1. Mag. Sancto Thoma *disput.*16. *art.*1. Zippullus *q.*15.*art.*1.*dub. vnico*,& Vincẽtius *de Gratia Christi q.*1.*pag.*32 eidem sententiæ adhærent ex Patribus Societatis Suarez *disp.*33. Vazquez *disp.*61. Beccanus *cap.* 12. *q.*3. & 4. Granadus *controu.*1 *de Incarnatione tract.*10.*disp.* 2. Tannerus *disp.*1.*q.*5.*dub.* 8. Hurtado Complutensis *disp.*6.*difficul.*7. Lugo *disp.*26. Amicus *disput.*24. Bernal *disp.*43.*sect.*1.& 2. quos frequenter alij Recentiores sequuntur.

23 Tertia, & vera sẽtẽtia.

*M. Sẽt. D. Tho. Bonau. Richar. Palud. Capreol Almain. Dionis. Medin. Aluar. Nazar. Lorca. Araujo. S.Tho. Zippul. Vincẽt. Suar. Vazq. Beccan. Gran. Tanner. Hurt. Lugo. Amicº. Bernal.*

## §. II.

### *De peccato habituali graui.*

SIT PRIMA CONCLVSIO. *Peccatũ graue habituale pugnat cum vnione hypostatica ab omni dono accidẽtali præcisa, nedum ex natura rei, verum etiam de potentia absoluta.* Ita Auctores secundæ, & tertiæ sententiæ. Et pro prima parte breuiter suadetur primo: gratia namq; habitualis ex natura rei pugnat cum peccato habituali graui, vt tenet vera, & communis sententia 1. 2. *q.*113.*art.*2.aliàs sanctitas perfecta nõ

24 *Prima cõclusio.*

*Prima pars probatur* 1.

esset:

esset: ergo gratia substantialis vnionis, quæ multo perfectior est in ratione sanctitatis ex natura rei pugnat cum eodem peccato.

25 *Secundo.* Deinde: nam esto gratia habitualis repugnantiam naturalem cum peccato nō haberet, non ideo talis repugnantia esset gratię vnionis substantiali neganda: ergo ex natura rei pugnat cum peccato graui. Antecedens constat primo: nam gratia vnionis est perfectior in ratione sanctitatis gratia habituali: ergo licet gratia habitualis vi expulsiua connaturali peccati nō gauderet, non ideo est idem de gratia vnionis dicendum. Secundo; nam gratia substantialis vnionis est infinita in ratione sanctitatis; secus autem gratia habitualis.

26 *Tertio.* Denique; nam quod gratia habitualis non possit ex natura rei expellere peccatū mortale, inde probatur; quia nempè, in peccato mortali est grauitas offensæ infinita, vel saltim superioris ordinis ad gratiam habitualem, & ideo ab illa expelli ex natura rei nō potest; at hæc ratio in gratia vnionis non militat, est enim infinita in ratione sanctitatis, & superioris ordinis ad grauitatem offensæ: ergo ex natura rei pugnat cum peccato graui.

27 *Secūda parte cōclusionis probant aliqui primo.* Secunda pars conclusionis variè à Theologis probatur. Primo; quia omne, quod à Verbo assumitur immediatè, vel mediatè, necessario constituitur adoratione, & veneratione dignū; sed peccato habituali repugnat dignitas adorationis: ergo implicat, quod assumatur à Verbo; & consequenter implicat, manere in humanitate assumpta. Contra hanc tamen rationē obstat primo; non enim minus est de ratione vnionis ad Verbum sanctificare naturam immediatè assumptam, quā significare ea, quæ mediatè assumuntur; sed potest immediatè vniri Verbo natura sāctificationis incapax, vt cum communi Theologorum sententia docuimus *Disput.* 18. §. 4. *à numero* 54. de natura irrationali: ergo poterit assumi à Verbo mediatè, incapax adorationis, nisi ex alio capite repugnet.

*Reijcitur 1.*

28 *Secundo* Secundo; quia non solum assumptio mediata, vel immediata, est sufficiens causa adorationis, sed etiam contactus Christi, vt constat in Vestimentis, in Cruce, in Corona, & alijs, quæ ex solo contactu ad Christum adoratione Latriæ sunt digna; & tamen hoc non obstante potest aliquid *physicè* tāgere Christum, quin dignum adoratione reddatur, vt constat in manu illius, qui alapa Christum percussit, quæ *physicè* Christum tetigit, quin ex hoc digna adoratione euaserit: ergo pariter poterit Christo coniungi, & à Verbo assumi *mediatè* res adorationis incapax, vel saltim ex isto capite non repugnat illi assumptio. Denique; nam offensa moraliter subiectatur in Deo, & ex hoc euadit infinitæ grauitatis, vt alibi fusè docuimus cum frequentiori Thomistarum doctrina; & tamen veneratione digna non redditur; quia de se est incapax venerationis: ergo peccatum poterit assumi à Verbo, quin ex hoc dignum veneratione reddatur, eo quod de se venerationi repugnat. *Tertio.*

29 *Secundo ab alijs probatur.* Secundo ab alijs probatur; nam Verbo ratione vnionis incumbit obligatio gubernandi humanitatem, sicut Pater, Dominus, Maritus & Tutor tenentur gubernare filios, seruos, vxorem, & pupilos: ergo eadem obligatione tenetur peccatum, quod est malum morale, ab humanitate depellere; & consequenter si ab humanitate assumpta peccatū habituale, si forte præcessisset tempore in illa, nō statim depelleret, Verbo imputaretur ad culpam, quod implicat; & consequenter implicat, peccatum habituale in humanitate assumpta manere.

30 *Hoc argumētū efficax non est.* Cæterum contra hanc rationem obstat: nam licet efficax sit ad probandum, non posse humanitatem assumptam peccatum actuale committere, vel omittendo actualiter peccare; nō tamen videtur conuincere de peccato habituali: quod patet primo; nam obligatio ratione vnionis in Verbo gubernandi humanitatem, probatur exēplis adductis in Patre, Domino, in Marito, & in Tutore, sed licet isti teneantur prȩcauere in illis, qui suæ curæ sūt cōmissi, ne incidant in peccata actualia, & id non facere, ipsis imputetur ad

*Reijcitur primo.*

cul-

culpam, non tamen tenentur ad procurandum, vt ſtatim media contritione habituale peccatum, quod contraxerunt, depellant: ergo Verbum non tenetur ad ſtatim excludendum peccatum habituale ab humanitate aſſũpta. Patet conſequentia; ſicut namque eſt in poteſtate Verbi, ab humanitate excludere peccatum habituale: ita eſt in poteſtate Patris, v.c. curare vt filius ſe diſponat ad remiſsionem peccati, & hoc illi perſuadere: ergo ſi Pater ratione curę paternæ, non tenetur procurare, Verbum non tenetur expellere.

31 *Secundo* Secundo id ipſum probatur: non enim conuenit Verbo maior obligatio gubernandi humanitatem, & illius mala, ſua directione vitandi, quam inſit humanitati; ſed ſi humanitas peccaſſet non teneretur ſtatim ſe diſponere ad remiſsionem, expulſionemque ſui peccati habitualis: ergo Verbum aſſumens naturam peccato infectam, non teneretur peccatum habituale depellere ab humanitate aſſumpta in primo inſtanti aſſumptionis. Conſequẽtia tenet. Maior videtur certa; non enim eſt, vnde poſsit maior obligatio oſtendi. Minor autem probatur; vt enim *Tractatu de Pœnitentia* communis ſententia docet, homo non tenetur pœnitere de peccato præterito, & ſe ad illius remiſsionem diſponere ſtatim, atque peccauit: ergo ſi Verbum humanitatem aſſumeret, quæ in inſtãti, vel tempore antecedenti ad aſſũptionem peccaſſet, non obligaretur humanitas in primo inſtanti aſſumptionis ſe ad iuſtificationem diſponere, & de peccato à ſe commiſſo dolere; & conſequenter non incumberet Verbo obligatio excludendi ab illa in inſtanti aſſumptionis peccatum habituale.

32 *Tertio.* Tertio probatur; nam huiuſcemodi obligatio, vel conuenit ante aſſumptionem Verbo, vel ex aſſumptione cõſurgit; neutrum poteſt dici: ergo repugnantia peccati habitualis in humanitate aſſumpta, non poteſt in obligatione morali Verbi fundari. Maior cum conſequentia tenet. Minor pro prima parte conſtat: nam obligatio excludendi peccatum habituale ſundatur à ſuis Auctoribus in obligatione gubernandi, & regendi humanitatem aſſumptam; ſed obligatio gubernãdi humanitatẽ oritur, in eorundem ſententia, ex vnione humanitatis ad Verbum; & conſequenter non poteſt aſſumptionem præcedere: ergo obligatio excludendi peccatum habituale ab humanitate aſſumpta, nõ poteſt Verbo ante aſſumptionem competere. Pro ſecunda parte probatur; vt enim prædicti Auctorès fatentur, peccatum habituale excluditur per gratiam vnionis formaliter, ſiuè hoc præſtetur à modo ſubſtantiali vnionis, ſiuè à ſubſiſtentia Verbi ratione illius, quod explicat, & addit ſupra lineam abſolutam, ſiuè à Deitate incluſo, de quo eſt inter illos controuerſia, & modò non diſputamus; & taliter per gratiam vnionis excluditur, vt repugnent eſſentialiter; ſed ex vi vnionis ad Verbum, non poteſt in ipſo conſurgere moralis obligatio in ordine ad effectum, vel quaſi effectũ formalẽ eſſentialiter cum tali vnione cõnexum; nã obligatio moralis non eſt ad effectus formæ formales, ſed ad actus eliciendos, vel omiſsiones actus vitandas: ergo prædicta obligatio non poteſt in Verbo ex vi aſſumptionis cõſurgere.

33 *Tertio arguunt alij.* Tertio arguunt alij; nam gratia vnionis pugnat ex natura rei cum peccato habituali, & illud quantum eſt de ſe naturaliter excludit: ergo vt conſeruetur in humanitate aſſumpta peccatum habituale ſimul cũm vnionis gratia, debet à Deo ſpeciali influxu cõſeruari. Patet conſequentia; nã eo ipſo, quod gratia vnionis naturaliter pugnet cum peccato habituali, naturaliter petit, deſinere in ſubiecto, cui gratia vnionis eſt facta; & conſequẽter vt nõ deſinat ad præſentiã illi⁹, neceſſariũ eſt ſupernaturaliter conſeruari; ac per cõſequẽs per ſpecialẽ influxũ conſeruativũ; ſed Deo repugnat ſpeciali influxu cauſare, aut conſeruare peccatum habituale; aliàs ipſi, vt Auctori attribueretur, quod implicat: ergo implicat peccatum habituale in humanitate aſſumpta manere.

Si dicas; vt gratia vnionis componatur ſimul cum peccato habituali 34

*Si respõdeatur illis.*

non peti, quod peccatum conseruetur speciali influxu, sed sufficere gratiam vnionis specialem influxum effectiuum terminare, in quo nulla est repugnantia; & cõsequenter in eo quod peccatum habituale cum vnionis gratia componatur nulla repugnantia inuenitur, esto ex natura rei per gratiam vnionis à subiecto excludatur.

35 *In contrarium obijciũt.*

Contra hanc euasionem obijciunt ijdem Auctores, gratia vnionis cõcursu sibi debito effecta, vel conseruata naturaliter excludit peccatum habituale: ergo vt terminans potentiorem influxum effectivum, vel conseruativum à fortiori illius exclusionem exposcit connaturaliter; ac proinde vt cum gratia vnionis terminante potentiorem influxum, conseruetur peccatũ habituale, debet ipsum terminare influxum aliquem potẽtiorem, & specialem: ex quo fit, vt ad simultaneam coexistentiam gratię vnionis, & peccati habitualis non sufficiat specialis Dei influxus terminatus ad gratiam vnionis, sed insuper requiratur specialis Dei influxus terminatus ad peccatum.

36 *Confirmant.*

Quod amplius confirmant; in præsentia namque agentis potentioris agens minus potens, non agit, vel si incipit agere statim ab actione incepta desistit: ergo in præsentia gratiæ vnionis, vt terminantis specialem, & potẽtiorem influxum, causa influens in peccatum non agit, vel si in peccatum influxerit, desistit ab influxu in illud, nisi potentioris agentis influxu conseruetur specialiter.

37 *Ratio ista est insufficiẽs*

Cæterum contra hanc rationem obstat, sequi ex illa habitus vitij, & virtutis acquisitę, non posse de potentia absoluta simul esse in eodem subiecto; consequens est falsum: ergo ratio insufficiens. Sequela probatur; vitium, & virtus acquisita opponuntur contrariè, vt cum communi sententia docuimus *prima secundæ quæstione 71. artic. 1.* & consequenter in gradibus intensis pugnant ex natura rei; contraria namque in gradibus intensis simul esse non possunt: ergo si vt illa, quæ ex natura rei opponuntur simul de potentia absoluta coexistant, requiritur specialis Dei concursus ad vtrumque terminatus, vt vitium cum virtute coexistat, requiretur specialis Dei concursus terminatus ad habitum vitij; at Deo repugnat speciali concursu in habitus vitiosi primam existentiam, aut conseruationem influere, vt cum frequentiori Theologorum sententia docuimus *prima secundæ quæstione 71. articulo primo*: ergo ex ratione facta colligitur vitium, & virtutem acquisitam, non posse de potentia absoluta in gradibus intensis in eodem subiecto coexistere.

38 *Si respõdeas.*

Quod si dicatur, vel Deo non repugnare specialem influxum in habitum vitij, vel non posse cum virtute acquisita in gradibus intensis componi de potentia absoluta: in contrarium obstat sententiam, quam propugnamus esse Theologis communem, & adeò apud ipsos certam, vt ferè omnes sententiam contrariam aliqua censura dignam existiment; at repugnare omnino, Deum speciali influxu in habitum vitij influere, docet frequentior sententia, quod etiam vitium, & virtus acquisita, quamuis opponantur contrariè, possint in gradibus intensis simul esse de potentia, absoluta communis sententia tenet: ergo conclusio prę sens, non est alliganda rationi, ex qua prædicta inconuenientia parum Theologis grata inferuntur, sed aliter est probanda.

39 *Probatur primo conclusio.*

His igitur argumentis in sua probabilitate relictis, missis etiam Sanctorũ Patrum auctoritatibus, quas conclusione tertia adducemus, suadenda est nostra conclusio primo: implicat, humanitatem vnitam esse in peccato habituali, & Verbum, vt in illa subsistẽs, non denominari peccatorem; sed hæc denominatio repugnat; est enim omnino indecens Verbo: ergo implicat, humanitatem vnitam esse in peccato habituali, quam rationem fusius *infra* prosequemur.

40 *Secũdo.*

Secundo, non enim stat, peccatum habituale in humanitate assumpta manere, quin actuale peccatum moraliter perseueret; sed implicat existentia,

aut

aut perſeuerantia moralis peccati actualis præcedentis in humanitate aſſumpta: ergo implicat in illa peccatũ habituale. Conſequentia tenet. Minor conſtat; vt enim *concluſione tertia* monſtrabimus, implicat actuale peccatum in humanitate aſſumpta, eo quod Verbũ in illud ſpeciali influxu influeret; ſed hęc ratio non minus de exiſtentia morali, quam phyſica exiſtẽtia peccati actualis conuincit; cum etiam deberet in illud, vt moraliter exiſtens, Verbum influere: ergo implicat perſeuerantia moralis peccati actualis præteriti in humanitate aſſumpta. Maior autem de qua 1. 2. *q.* 113. *art.* 2. breuiter pro nunc ſuadetur; nam peccatum habituale dependet in fieri, & in conſeruari à voluntate creata, vt à prima cauſa deficiente; cum Deus cauſa peccati non ſit; ſed voluntas creata cauſat, & conſeruat peccatum habituale mediante peccato actuali: ergo implicat exiſtentia peccati habitualis, abſque morali exiſtentia, & perſeuerantia peccati actualis. Patet conſequentia; effectus namque in genere cauſę efficientis nequit cauſa non exiſtente conſeruari: ergo vt peccatum actuale præteritum influat in conſeruationẽ peccati habitualis debet exiſtere, ſaltim moraliter.

41 *Contra iſtam rationẽ oppones* 1.

Oppones primo; non minus depẽdent obligatio voti ab actu libero vouentis, & vinculum matrimonij à conſenſu libero contrahentium, quã peccatum habituale à peccato actuali; ſed ſtat perſeuerare obligationem voti, abſque exiſtentia morali actus liberi vouentis, & vinculum matrimonij, abſque eo quod exiſtat moraliter conſenſus liber contrahentium: ergo ſtat etiam perſeuerantia peccati habitualis, abſque morali exiſtentia peccati actualis prędcedentis; & conſequenter ex eo quod in humanitate aſſumpta, nequeat perſeuerare moralis exiſtentia peccati actualis, quod in humanitate ante aſſumptionem præceſsiſſet, & ex quo cauſatum fuit peccatum habituale, perperam à nobis probatur repugnantia habitualis peccati ſimulcũ vnione ad Verbum. Conſequentia cũ minori tenet. Maior autem probatur; ſicut enim peccatũ habituale eſſentialiter ab actuali peccato dependet: ita obligatio ex voto, & vinculũ matrimonij eſſentialiter dependẽt ab actu libero vouentis, & ab actu libero contrahentium: ergo non minus dependent.

Reſpondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem reſpondeo primo, negando antecedens; poteſt enim Deus, ſua vtens abſoluta potentia vinculo matrimonij duos ligare ſine libero conſenſu illorum, & hominem obligare ad omnia, quæ ſunt religionis ſine illius libera voluntate, non autem poteſt ſe ipſo peccatũ habituale cauſare; & conſequenter non eſt eadem dependentia. Secundo reſpondeo, diſtinguendo antecedens: in fieri, concedo antecedens, in conſeruari, nego antecedens, & conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt duplex. Prima, quia dependentia peccati habitualis à voluntate creata, eſt tanquam à cauſa prima, & adæquata; cum Deus cauſa prima peccati eſſe nequeat; dependentia autem à cauſa prima eſt ab illa in fieri, & conſeruari: vinculum autẽ matrimonij, & vinculum religionis non dependent à voluntate creata, vt à cauſa prima, & adæquata; ideoque non mirum, quod in conſeruari ab actu libero illius non dependeant. Secunda differentia eſt; nam peccatum habituale non poteſt eſſentiam peccati habere, niſi voluntariũ ſit; peccatũ enim in tantũ eſt peccatũ, in quantũ eſt voluntarium, non autẽ poteſt rationem voluntarij conſeruare, niſi conſeruet dependentiã à volũtate creata, & ideo ſubſiſtere nequit ſine dependentia ab illa; vinculum autẽ voti, & vinculum matrimonij, etſi in fieri volũtaria ſint, non tamen ſunt eſſentialiter voluntaria, & ideo conſeruari poſſunt ſine influxu libero vouentis, & ſine libero contrahentium conſenſu moraliter exiſtentibus.

42 *Reſpõd. Poteſt Deus vinculo matrimonij aut voti homines ligare ſine libero conſenſu illorum.*

Oppones ſecundo: per attritionẽ ſupernaturalem ſufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ, & eius effectum, ſcilicet, gratiam, tollitur exiſtentia moralis peccati antecedentis; & tamẽ illa poſita, niſi Sacramẽtum ſuccedat,

43 *Opponis* 2.

permanet peccatum habituale: ergo non dependet in conseruari à peccato præcedenti, vt moraliter perseuerãte; & consequenter ruit fundamentũ nostræ rationis. Consequentia tenet. Minor est certa; nã peccatũ mortale non tollitur extra Sacramentũ, nisi media contritione perfecta: ergo posita sola attritione, si Sacramentum non subsequatur, perseuerat peccatum habituale. Maior autem probatur; existentia moralis peccati cõsistit in peccasse actualiter, & negatione retractationis efficacis præcedẽtis peccati; sed attritio ad Sacramentum sufficiens, est dolor efficax præcedentis peccati; & consequenter est efficax retractatio illius: ergo per attritionem sufficientem ad Sacramentum, & effectum Sacramenti, retractatur præcedens peccatũ; & consequenter tollitur illius existentia moralis, quę à nõ retractatione depẽdet.

44 *Respõd.* Respondeo, negando maiorẽ. Ad illius probationem, distinguo maiorẽ: in negatione retractationis efficacis perfectæ, concedo maiorem: imperfectæ, nego maiorem: & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam: nam præcedens peccatum est offensa Dei, auersio ab ipso, & conuersio ad creaturam, tãquã ad vltimũ finẽ, attritio autem esto supernaturalis sit, & ad Sacramentum cũ effectu sufficiens, est dolor imperfectus de peccato, nõ quia est offensa, & malum Dei, sed vel ob eius turpitudinẽ, vel ob pœnas inferni, vel ob alia mala pœnæ, quatenus à Deo infligenda, nec est auersio à creatura, & conuersio in Deum, tanquam in vltimum finem, & ideo quamuis sit dolor efficax peccati, non est perfecta retractatio illius; vnde nec sufficit ad tollẽdam eius existentiam moralem sufficientem, vt influat in conseruationẽ peccati habitualis.

45 *Si instes* *Respõd.* Nec obstat, si dicas; cum attritione sufficienti ad gratiam medio Sacramento Pœnitentiæ non stare affectum aliquem peccati mortalis: ergo tollit existentiam illius. Nam respondetur, verum esse antecedens de affectu peccati mortalis, vt *physicè* existente, falsum autem de illo, vt perseuerante *moraliter* existentia sufficiente ad influendũ moraliter in peccatum habituale, vt sic enim cũ attritione componitur; cum enim, vt *proximè* dicebamus, peccatum præcedens auertat à Deo, & cõuertat ad creaturã, sitque offensa grauis Dei, nisi adsit dolor efficax illius, prout est Dei offẽsa, cor hominis auertens à bono cõmutabili, & ad Deum virtualiter, saltim cõuertens, nõ retractatur perfectè; & cõsequenter manet cum sufficienti existentia, vt influat in conseruationem habitualis peccati.

46 *Oppones 3. & instabis contradicta.* Sed oppones tertio, & aduersus dicta replicabis, saltim contritione perfecta tollitur existentia moralis præcedentis peccati; & tamen per illam non tollitur peccatum habituale: ergo nõ dependet in sua conseruatione à peccato præcedente, vt perseuerante moraliter. Maior constat; nam attritio ideo non tollit existentiam moralem præcedentis peccati, quia nõ est dolor perfectus de peccato, vt est offẽsa Dei; sed contritio est perfectus dolor: ergo est tetractatio perfecta; & consequenter tollit existentiam moralẽ peccati præcedentis. Minor autẽ probatur; si nãque contritio tolleret peccatum habituale, esset forma iustificans; cõsequẽs aduersatur frequentiori Thomistarũ sententię 1.2.q.113 *art.* 2. neganti vim iustificandi formaliter contritioni perfectæ, & amori Dei super omnia supernaturali: ergo per contritionem non tollitur peccatum habituale.

47 *Respõd.* Respondeo, cõcessa maiori, distinguendo minorem: non tollitur *directè* per directam, & formalem oppositionem cũ illo, concedo minorẽ: *indirectè* ratione indirectę oppositionis, nego minorem, & consequentiam: nec sequitur esse formam ad iustificãdum sufficientem: nam ad hoc opus erat, vt excluderet peccatum habituale per directam, formalemque oppositionem, sicut per gratiam excluditur, eo quod constituit hominem obiectum diuinę dilectionis amicabilis, non autem sic tollit peccatum habituale, sed ratione oppositionis cum causa illam conseruante, quæ solum est oppositio indirecta cum habituali peccato. Et quidẽ omnes Thomistæ fatentur, visionem beatificam esse incompatibilem essentia-

tia-

tialiter cū peccato, etiam habituali; & tamen non esse, nec esse posse formam iustificantē, est apud ipsos frequentis: item communiter docent dilectionē Dei super omnia esse incompatibilem essētialiter cum peccato habituali, eo quod implicatorium censent voluntatem habere duos vltimos fines, vnum *actualiter*, qua ratione per dilectionē fertur in Deum, & alium *habituaiiter*, qua ratione est cōuersa ad creaturam per habituale peccatum; & tamen dilectionem Dei super omnia non esse ad sanctificandum sufficientem, frequenter ab eisdem docetur: ac denique personalitatem Verbi sub expresso personalitatis conceptu, non posse cum peccato habituali componi, tenent Discipuli D. Th. & tamen sub tali conceptu non sanctificare humanitatē Christi formaliter, nō obscure sed efficaciter ex eorūdem cōmunibus principijs deduximus *supra Disp. 21. à num. 118.* non ergo quæcumque incompatibilitas cum peccato habituali infert vim iustificatiuā formalem. Sed de his plura 1.2. *quæst.* 113. *art.* 2.

48 *Secūdo probatur conclusio.* Deinde probatur conclusio: nam gratia habitualis iustificans, non solū ex natura rei, verum etiam essentialiter pugnat cum peccato habituali, vt tenet frequentior, & vera Theologorum sententia 1.2. *q.* 113. *art* 2. & hoc ideo, quia est formalis, aut specialis participatio sanctitatis increatæ; sed gratia vnionis importat sanctitatē increatam vnitam humanitati, & illi cōmunicatam per vnionem substantialem: ergo pugnat cum peccato habituali graui, nō solum ex natura rei, sed etiā repugnantia essentiali; & consequenter implicat de potētia absoluta, & nō potest cum gratia vnionis componi; ac proinde nec in humanitate vnita, & à Verbo assumpta manere. Patet consequentia; si namque formalis participatio sanctitatis increatæ excludit peccatum habituale per repugnantiā essentialem cum illo, à fortiori sanctitas ipsa increata substantialiter vnita, debet repugnantia essentiali cum eodem peccato gaudere.

49 *Respondebis.* Respondebis: ideo gratiæ habituali repugnantiam essentialem cum peccato conuenire, quia *physicè* inhærent animæ, & illā *physicè* informat, quod diuinitati personaliter vnitæ non competit; ac proinde, quamuis increata sanctitas sit, non infertur essentialiter repugnare cum peccato habituali in humanitate assumpta, quam *physicè* non informat.

*Cōtra 1.* Sed contra primo; nam gratia habitualis non ideo pugnat cum peccato graui essentialiter, quia *physicè* inhæret animæ, sed quia illam constituit obiectum congruum diuinæ dilectionis *simpliciter*; peccatum autem graue Deo exosam animam reddit, & dignam odio, & inimicitia diuina, quæ in eodem subiecto essentialiter repugnant; at Deitas personaliter humanitati vnita, quamuis illam *physicè* non informet; illam tamen obiectum dignum diuini amoris amicabilis constituit, vt ex *alibi* dictis, & communi Theologorum sententia supponimus: ergo quamuis *physicè*, non informet humanitatem, cui vnitur, essentialiter cum peccato graui habituali repugnat.

50 *Secundo* Secundo; quamuis enim non informet *physicè* humanitatem ab illa, saltim ex natura rei excludit peccatū habituale; aliàs nullatenus illam sanctificaret; cū de ratione sanctitatis sit, saltim ex natura rei peccatum excludere: ergo pariter sine physica informatione pugnabit cum eodem peccato essentialiter. *Tertio.* Tertio; sine physica informatione humanitatis constituit illam dignam visione beatifica, & omnibus donis gratiæ: ergo sine physica informatione excludit indignitatē peccati, & cum illo essentialiter pugnat.

51 *Quarto.* Denique: nam peccatum habituale; cum non sit entitas physica, sed vel priuatio, vel entitas positiua moralis non informat *physicè* animam: ergo vt sanctitas substantialis diuina, essentialiter excludat ab humanitate peccatum habituale physica informatio necessaria non est. *Cōfirmatur.* Confirmatur; nam in sententia in antecedēti supposita, nō solum gratia peccatum excludit, sed etiam peccatum gratiam; & tamē peccatum, entitas physica non est, sed moralis; & consequenter non informat

*physicè* animam: ergo quamuis Deitas humanitatem sanctificans, non informet illam *physicè* essentialiter peccatū excluderet, si aliquod præcessisset in illa.

52 *Vltimo probatur conclusio.*

Denique principaliter suadetur cōclusio; implicat esse subiectū aliquod sanctum *infinitè simpliciter*, & esse in peccato graui; sed humanitas per vnionem ad Verbum sanctificatur *infinitè simpliciter*: ergo implicat peccatum graue cum vnione ad Verbum in humanitate coniungi. Cōsequentia probatione non indiget. Minor est communis Theologorum sententia *supra q.7.* Maior autē ostenditur primo; nā sancto *infinitè simpliciter* maius in ratione sancti dari non potest; sed si sanctum *infinitè simpliciter*, posset cū peccato graui cōponi, illo maius in ratione sancti esset dabile; quod enim caret immunditia peccati, sanctius est illo, quod peccati munditia fœdatur: ergo implicat esse sanctum *infinitè simpliciter*, & esse in peccato graui.

*Maior probatur 1.*

53 *Secūdo.*

Secundo, implicat esse obiectum dignum cōplacentia diuina infinita sine termino, & esse dignum displicentia graui diuina; sed sānctum *infinitè simpliciter* est obiectum dignum complacentia diuina sine termino in infinitū; peccato autē graui infectum, est obiectum dignum displicentia graui diuina: ergo implicat esse sanctum *infinitè simpliciter*, & esse graui culpa fœdatū.

*Tertio.*

Denique, vt enim traditur ex Dionisio *Sanctitas est immaculata puritas*: ergo esse infinitè sanctum est esse purum à munditia peccati, & mundum *infinitè*; sed implicat esse *infinitè* mundum, & esse immundum *simpliciter*, qualiter subiectum culpæ grauis constituitur immundum per illam: ergo implicat esse sanctum *infinitè simpliciter*, & esse in peccato graui-

★★★★★★★★★★★★★★

★★★★★★★★★★

★★★★★★★★

★ ★

## §. III.

### *Obiectionibus in contrarium occurritur.*

CONTRA primam partem conclusionis arguitur; peccatum habituale non potest tolli sine physica mutatione peccatoris; sed Deitas, vt forma sanctificans, non immutat *physicè* humanitatem: ergo non habet vim excludendi peccatum ab illa; & consequenter precisa à donis gratiæ, *physicè* immutantibus animam, posset ex natura rei cum peccato graui componi. Maior est doctrina nostris Thomistis communis, quam plures extra Scholam Diui Thomæ tuentur *prima secundæ quæst. 113. art. 2.* Minor autem probatur; nam Deitas non sanctificat *physicè* humanitatem, sed tantum *moraliter*, vt cum veriori sententia docuimus *supra Disputatione 21.* eo quod non radicat *physicè*, sed tantum moraliter dona ad ordinem gratiæ spectantia, nempè, gratiam, lumē, & charitatem, & alias supernaturales virtutes; sed quod non *physicè*, sed moraliter tantum sanctificat, non potest *physicè*, sed *moraliter* tantum mutare: ergo Deitas, vt sanctificans, non immutat *physicè* humanitatem.

54 *Cōtra 1. partē cōclusionis arguitur.*

Respondeo, distinguendo maiorē: sine physica mutatione ab ipsa forma sanctificāte formaliter, nego maiorē: ab ipsa, vel ab alia forma proueniente, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam licet ipsa Deitas prout moraliter sanctificans, non immutet physicè humanitatem: quia tamē vt sanctificet supponit vnionem physicam humanitatis ad Verbū illam immutantis physicè; fit, vt casu, in quo humanitas tempore præcessisset aliquo peccato infecta, non mundaretur ab illo sine physica mutatione, non quidem præstita à Deitate, vt sanctificāte formaliter, sed ab vnione,

55 *Respōd.*

qua

*Subiectū quod iustificatur debet physicè mutari, sed nō necessario à forma sāctificāte.*

qua humanitas vniretur immediatè hypostasi Verbi, & mediatè Deitati. Quod autem non exigatur mutatio physica præstita ab ipsa forma sanctificante, etiam in sententia Thomistarū: Patet; nàm plures Thomistæ docent, posse hominem de potentia absoluta à peccato mundari sine gratia habituali; mutatione tamen peccatoris facta per actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia; & tamen ijdem Doctores sentiunt, contritionem, aut dilectionem, etiam in illo casu, nō esse formam sanctificantem formaliter: non ergo requirunt mutationem physicam præstitam à forma sanctificante, sed abilla, vel ab alia.

56 *Quod maximè in sāctificatione humanitatis à Deitate verificatur*

Quod si eorū aliqui docēt, nō posse hominē à peccato mūdari sine physica mutatione præstita formaliter à forma iustificante, loquūtur de puro homine; nō autem de illo, cuius humanitas assumeretur à Verbo, & quia sentiūt, non posse purum hominem à peccato mūdari sine gratia habituali, etiam de potentia absoluta; hæc autem non potest vniri moraliter, quin etiam physicè vniatur, consequenter docent, non posse de iniusto, iustum, vel non iniustum constitui, sine physica mutatione à forma iustificante præstita: Deitas autē potest immediatè vniri in ratione formæ sanctificantis vnione solum morali, hoc est, quin eidem humanitati immediatè physicè vniatur; ac proinde potest iustificare humanitatē, absque eo quod eadem, vt forma sanctificans, physicè humanitatem immutet, licet non absque præuia physica mutatione, quia vnionem physicā antecedenter necessario requirit.

57 *Instatur argumētū in sāctificatione humanitatis à Personalitate Verbi.*

Vbi obiter est aduertendum, hoc argumentum eaſdē vires habere, esto asseratur, humanitatē sanctificari ab hypostasi Verbi ratione illius, quod explicat, & ad lineam absolutā superaddit; nam etiā in hac sententia hypostasis Verbi non sanctificat humanitatē radicando physicè dona supernaturalia, sed solum radicatione morali, hoc est, morali exigentia; sed Deitas ideo non sanctificat physicè, quia dona supernaturalia physicè nō radicat: ergo personalitas, quāuis physicè humanitatem terminet, cōpleat, & subsistentem, atque personatam constituat; nō tamen sanctificat physicè, sed tantum moraliter; & consequenter prout sanctificans, physicè non immutat. Quod si dicatur physicè sanctificare, quia effectū sanctitatis præstat mediante physica vnione: id ipsum de diuinitate affirmabitur; cum eius sanctificatio in physica vnione fundetur.

58 *Cōtra 2. partē cōclusionis arguitur.*

Deinde contra secundam partem conclusionis arguitur; gratia habitualis iustificans, potest de potentia absoluta cū peccato graui componi: ergo etiam gratia substantialis vnionis potest de potentia absoluta cū eodem simul in humanitate existere. Antecedens docēt plures Theologi 1. 2 q. 113. art 2. quorū sententia, eo falsa existimetur, non tamen potest improbabilis censeri. Consequentia autem probatur; nam gratia habitualis cōstituit hominem obiectū congruum dilectionis Dei amicabilis; peccatum autē reddit illum obiectum dignum odij, & inimicitiæ Dei; & tamen simul potest esse cum peccato de potentia absoluta: ergo pariter quāuis gratia vnionis substantialis humanitatem constituat dignam dilectione Dei amicabili, poterit cum peccato graui componi, & simul cum illo in humanitate existere.

59 *Respondetur.*

Respondeo, permisso antecedēti, negando consequentiā. Ad illius probationē dicatur: esse simul vnum, & idem subiectum dignum odio, & inimicitia, & dignum amore amicabili, non minorē repugnātiam involuere, quam simul tempore amare, & odio habere vnum, & idem obiectū, quod non diffitentur Auctores cōponētes simul gratiā, & peccatum graue de potentia absoluta, vt autem illorū simultatē possibilē esse tueantur, cōsequenter docēt, gratiā se ipsa nō reddere hominē obiectū cōgruum dilectionis amicabilis, sed adiuncto nō esse peccati ex vi alterius voluntatis diuinæ distinctæ à voluntate infusiua gratiæ ex natura rei cum illa connexæ, siuè hoc nō esse peccati sit ratio formalis obiectiua partialis, siuè tantū requisita cōditio, vt gratia cōstituat hominē obiectū congruū dilectionis Dei amicabilis.

60 Vnde admissa antecedentis doctrina ad probationem consequentiæ, distinguo maiorem: consequenter ad doctrinam Auctorum illius sententiæ, gratia se sola constituit obiectum dignum dilectionis Dei amicabilis, nego maiorem: adiuncto non esse peccati, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam gratia substantialis vnionis, eo quod est in sanctificando infinita se sola constituit humanitatem, cui vnitur obiectum dignum dilectione Dei amicabili, & complacentia infinita; nam licet non esse peccati necessarium sit, vt prædicti effectus, vel quasi effectus præstentur humanitati, hoc tamen non esse, quod cum gratia habituali est connaturaliter solum connexum, est annexum essentialiter cū gratia vnionis substantiali propter suam infinitatem, vt *superius* arguebamus.

61 *Instabis* Sed dices; in sententia admittente, possibilem coexistentiam gratiæ, & peccati grauis, de potentia absoluta, componi peccatum graue cum gratia habituali, etiam infinitæ intensionis, si infinita intensio gratiæ possibilis concedatur; & tamen gratia infinitè intensa esset in sanctificando infinita: ergo quamuis gratia vnionis sit infinita in ratione sanctitatis, poterit de potentia absoluta cum peccato graui componi, semel admissa compositione gratiæ cum peccato, vt possibili.

62 *Respōd. Etsi admittatur vt possibilis coexistentia peccati cum gratia habituali, etiā infinitè intens., cū gratia tamē vnionis omnino repugnat.* Respondeo, prætermissa maiori, distinguendo minorem: infinitate inferioris ordinis ad grauitatem offensæ, concedo minorem, eiusdem, vel superioris ordinis, nego minorem, & cōsequentiam. Nam infinitas gratiæ substantialis vnionis est superioris ordinis ad offensæ grauitatem, & infinitatem, & idcirco sufficiens ad non esse peccati inferendum, & peccatum destruendū ex suis prædicatis intrinsecis, ablq; aliquo fauore extrinseco: gratia autē habitualis gaudens infinita intensione, quamuis infinitam vim sanctificatiuam haberet; illius tamē infinitas esset inferioris ordinis ad offensæ grauitatem: vnde cum gratia creata secundum suam essentiam adstruatur à prædictis Auctoribus insufficiens ad peccati expulsionem sine noua voluntate Dei, eo quod est ordinis inferioris, quāuis infinitè intendatur, adhuc defenditur insufficiens, quia illius infinitas inferioris ordinis est: infinitum autē ordinis inferioris non adæquat infinitum ordinis superioris, imo in pluriū Theologorum sententia infinitum ordinis inferioris non adæquat finitum ordinis superioris.

Et quidem gratia habitualis, quāuis esset infinitè intensa, nō posset esse principium condignæ satisfactionis pro peccato graui, quam condignitatem præstat satisfactioni gratia substātialis vnionis, quod non potest aliunde oriri, nisi quia gratiæ habitualis infinitas inferioris ordinis esset; gratia autem vnionis superioris ordinis est ad offensæ grauitatem. Pariter ergo huic discrimini innitendo admissa illa sententia est dicendum, gratiam, quamuis infinitæ intensionis, posse cum peccato graui componi: secus autem gratia vnionis substantialis. Et quoad aliquid esse admittendam differentiam istam, etiam à nostris Auctoribus: cōstat; vt enim conclusione secunda dicemus, gratia vnionis pugnat essentialiter cum peccato veniali: gratia autem habitualis, quamuis esset intensionis infinitæ posset cum peccato veniali componi: ergo aliquid est concedendum gratiæ vnionis propter suam infinitatem, quod gratiæ habituali, etiam infinitè intensę, negatur.

63 *Aliud solutionis motiuū.*

*Vltimū.*

Secundo arguitur; peccatum habituale non opponitur gratiæ vnionis priuatiuè, aut contradictoriè, contradictione formali, aut virtuali; sed vt cū illa non posset de potētia absoluta coexistere, oporteret illi opponi aliquo ex prædictis modis: ergo potest de potentia absoluta cum gratia vnionis cōponi. Consequentia tenet. Minor est certa; nam oppositio contraria non includens essentialiter cōtradictoriam, non sufficit ad incompossibilitatem essentialem, vt constat in calore, & frigiditate, & alijs, quę contrariè opponuntur; & tamen possunt de potentia absoluta esse simul, quia non includūt essētialiter cōtradictionē. Maior autē pro prima parte constat. Tūm; quia peccatum habituale, in sententia pro-

64 *Secundo arguitur.*

babi-

babili, consistit in positiuo; & consequenter non opponitur priuatiuè formę sanctificanti, quę etiam positiua est. Tùm etiam; quia, vt plures docēt, consistit in carentia conformitatis cū lege; & consequenter non in carentia vnionis hypostaticæ. Tùm tertio; quia vt alij docent, consistit in priuatione gratiæ habitualis; ac per consequens non in priuatione gratię vnionis; non enim potest in carentia duplicis formæ consistere. Tùm deniq; nam peccatum habituale existit in puro homine, in quo priuatio gratię vnionis non existit, sed pura negatio.

65 *Maior pro secūda parte probatur.*

Pro secunda parte probatur, & in primis de contradictione formali certum est; nam hæc consistit in negatione formę oppositæ: peccatum autem habituale non constituitur negatione gratiæ vnionis; aliàs in quocumque talis negatio daretur, existeret in illo habituale peccatum; quod autem nō opponatur cum illa virtualiter contradictoriè: Probatur; nam sicut cōtradictio formalis petit esse eiusdē de eodē: ita id exigit virtualis; sed formalis petit esse de eodem subiecto, non solum identitate reali, sed etiam identitate rationis, vt docet D. Thom. 1. p. q. 39. art. 1. ad 2. vbi ait: *Quod quia essentia, & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem sequitur, quod aliquid possit affirmari de vno, quod negetur de altero; & per consequens, quod supposito vno, non supponatur alterum*: ergo contradictio virtualis petit, esse de eodem subiecto re, & ratione: at gratia vnionis, & peccatum habituale nō respiciunt subiectum idem ratione; nā peccatum est in anima secundum capacitatem naturalem; gratia autem vnionis conuenit humanitati secundū capacitatem obedientialem, quæ duæ potentiæ differunt ratione ratiocinata: ergo non opponuntur virtualiter contradictoriè.

S. Tho.

66 *Confirmatur.*

Quod amplius vrgetur; quæ namque pugnant contradictoriè virtualiter, opponuntur contrariè, vel priuatiuè formaliter; sed peccatum habituale, & gratia vnionis non opponuntur formaliter priuatiuè, vel contrariè: ergo non pugnant virtualiter cōtradictoriè. Maior cum consequentia tenet. Minor pro prima parte *ex proximè* dictis constat. Pro secunda probatur; vt enim ex Aristotele communiter circumfertur; vni vnum tantum cōtrariatur; sed peccato habituali opponitur gratia accidentalis nostra cōtrariè: ergo gratia vnionis non contrariatur cum illo. Secundo probatur; nam contraria sunt, *quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto se expellunt*; & consequenter quod libet ex contrarijs habet vim sui contrarij expulsiuam; sed peccatum habituale non potest gratiam vnionis expellere, *vt infra* dicemus: ergo non opponitur illi contrariè. Tertio probatur; nam contraria sub eodem genere sunt, vt constat ex diffinitione cōtrariorum *proximè* adducta; sed peccatum habituale, & gratia vnionis non sunt sub eodem genere: ergo non opponuntur contrariè.

67 *Respōd.*

Respondeo, negando secundā partem maioris; opponitur enim peccatum cum gratia vnionis virtualiter cōtradictoriè, sicut odium, & amor de eodem obiecto virtualiter contradictoriè opponuntur, & alia, quæ extrema positiua cum sint, essentialiter repugnant. Ad cuius improbationem dicatur, contradictionem, siuè formalis, siuè virtualis sit, petere pro conditione identitatem subiecti oppositam distinctioni, etiam rationis, subiecti affirmationis à subiecto negationis, & sine tali identitate contradictionē amitti, posseque verificari, vt in exemplo D. Thom. conspicitur; nam istæ duæ propositiones sunt veræ: *Essentia communicatur. Paternitas non communicatur*; cum tamen Paternitas, & essentia solum distinguantur ratione: quia nempè, est distinctio rationis, subiecti affirmationis à subiecto negationis; nam Paternitas, de qua negatur communicatio, est subiectum ratione diuersum ab essentia, de qua affirmatur: non autem petit identitatem oppositam distinctioni rationis capacitatum eiusdem subiecti; aliàs odium, & amor supernaturalis eiusdē obiecti non pugnarent inter se, nec contrariè, nec virtualiter cōtradictoriè; cum amor su-

per-

pernaturalis conueniat ratione potentiæ obedientialis; odium autem naturale alicuius potentiam naturalem odio habentis respiciat, nec peccatum, & gratia opponi posset priuatiuè, nec contrariè; cum etiam subiecto insint secundum capacitates ratione distinctas, nempè, naturalem, & obedientialem: potentia autem obediētialis inspecta ab vnione hypostatica, & naturalis secūdum quā inest animę peccatū, etsi distinguātur ratione ratiocinata, non inducunt diuersitatem subiecti à subiecto; cum idē subiectum sit, quod ratione vtriusque recipit formas, sed tantum diuersitatem capacitatū eiusdem subiecti; atque ideo non impediunt virtualem contradictionem inter peccatum habituale, & gratiam vnionis.

68 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem: si namque peccatum habituale in priuatione gratię habitualis consistat, opponitur etiam vnioni hypostaticæ oppositione priuatiua, non stricta, quæ solum datur inter priuationem, & formam, qua priuat, quæ oportet esse debitam subiecto qualiter vnio hypostatica nō est debita subiecto peccati habitualis; sed oppositione priuatiua *largè*, quæ consistit in incompossibilitate priuationis cum forma, siuè debita, siuè indebita sit: & quia peccatum habituale, quamuis in priuatione gratię habitualis cōsistat, est incompatibile essentialiter cum gratia vnionis, eo quod prę stat effectus morales essentialiter pugnantes cum effectu gratiæ vnionis; fit consequens, vt cum illa opponatur priuatiuè, oppositione priuatiua sumpta, non *strictè*, sed *largè* pro incompossibilitate extremi priuatiui cum positiuo.

69 Si autem peccatum habituale in aliquo positiuo consistat, opponetur gratiæ vnionis oppositione contraria, etiam nō *strictè* accepta, sed *largè* pro incompatibilitate vnius extremi positiui cum alio, qualiter opponuntur duæ formę substantiales in eadem materia, duæ personalitates in eadem natura, & odium, & amor respectu eiusdem obiecti, & etiam fides, & scientia de eadem propositione inter quę oppositio contraria versatur, non *strictè* sumpta secundum omnes cōditiones ad contrarietatem exactas, sed *largè* pro oppositione inter positiua extrema. Illud autem, quod in contrarium adducitur, quod nempè, *vni, vnum est contrarium*, & quod debeant contineri sub eodem genere proximo, verum est de contrarietate *stricta*, non autem de illa *largè* sumpta, qualiter à nobis in præsenti vsurpatur.

70 *Instabis* Sed dices: si gratia vnionis solum opponitur peccato habituali per modum formę incompatibilis non excluderet peccatum, si quod in humanitate assumpta præcederet, sub conceptu formæ sanctifiantis; at quartum argumentum, quo præcipuè pro hac cōclusione vsi sumus, probat exclusionem peccati ab humanitate assumpta, si ante assumptionem præcederet ex conceptu sanctitatis: ergo exclusio peccati per gratiam vnionis ab humanitate assumpta, non prouenit ex oppositione per modum formę positiuæ incompatibilis. Probatur maior; vt enim *supra Disputatione* 21. docuimus; sola Deitas sub conceptu naturæ humanitatem Christi sanctificat, non autem modus vnionis, nec personalitas prout à Deitate distincta; sed Deitas sub conceptu naturæ supponit vnitam humanitati formam cum peccato incompatibilem; & consequenter illud ab humanitate expelleret, si præcessisset in illa: ergo si expulsio fit solum ratione oppositionis per modum formæ positiuæ incompatibilis, Deitas sub cōceptu sanctificantis non excluderet prę suppositum peccatū. Probatur minor; Deitas sub conceptu naturę solum mediatè vnitur humanitati media, scilicet, hypostasi Verbi, quę immediatius vnitur: sed personalitas Verbi est forma essentialiter cum peccato incompossibilis, vt constat ex prima, & secunda ratione, qua nostram conclusionem probauimus: ergo Deitas sub conceptu naturæ supponit vnitā humanitati formā positiuā cum peccato incompatibilē, & consequenter supponeret peccatum ab humanitate exclusum, si in illa ante assumptionem præcederet.

Respon-

71 *Respõd.* Respondeo, negando maiorem. Ad probationem, concessa maiori, distinguendo minorem: incompatibilẽ per oppositionem directam, nego minorem: indirectam, concedo minorẽ, & nego consequentiam. Positio namque formæ incompatibilis indirectè cum peccato habituali, licet inferat ablationem peccati in eodem instanti reali, non tamen pro priori præcedentiæ formæ; ac proinde non impedit, quod, vel ab alia forma, vel ab eadem sub distincto conceptu formaliter excludatur. Et quidem in instanti generationis formæ ignis pro priori naturę ad formam ignis substantialem, prędecedit vltima dispositio ad illam, indirectè opposita formæ substantiali aquę; cum opponatur directè vltimæ dispositioni, à qua forma aquæ in fieri, & cõ conseruari dependet; & tamen non excluditur formaliter forma aquæ à materia per calorem, *vt octo* præcedentẽ natura, sed per formam substantialẽ ignis in eodem instanti existentem.

*Instatur argumẽtum 1.*

72 *Secũdo.* Actus etiam contritionis vltimo ad gratiam extra Sacramentum disponens: indirectè opponitur peccato habituali; cum directè opponatur existẽtię morali actus peccati, à quo peccatum habituale in cõseruari dependet; & tamen quamuis gratiã habitualem prioritate naturæ antecedat, nõ sequitur pro eodem priori excludere peccatum habituale, sed quod in eodem instanti per gratiam habitualẽ pro alio posteriori naturæ excludatur. Pariter ergo in præsenti, si personalitas, vt à Deitate distincta, non sanctificat humanitatem formaliter, vt Nos *superius* docuimus, & in argumento supponitur, non opponitur peccato habituali directè, sed indirectè. Tùm; quia essentialiter habet annexam Deitatẽ, vt formam sanctificãtem, directè peccato oppositam. Tùm etiam; quia excludit existentiam moralem præcedẽtis peccati actualis, à quo peccatum habituale in conseruari dependet. Ex hac tamen oppositione non sequitur, quod peccatum habituale, si in humanitate ante assumptionem præcederet excluderetur à subsistentia Verbi pro priori ad Deitatem, vt vnitam in ratione formę sanctificantis, sed tantum, quod in eodem instanti reali peccatũ excluderetur per Deitatẽ vnitam pro alio posteriori signo in ratione formæ sanctificantis.

73 *Instabis primo.* Sed instabis primo pro priori vnionis subsistentiæ Verbi ad humanitatẽ sub conceptu hypostasis, non potest intelligi in humanitate peccatum habituale: ergo pro illo priori intelligitur non esse peccati habitualis; ac per consequens Deitas, vt forma sanctificans, non esse peccati habitualis supponit; cum quo non stat, quod illud ab humanitate excludat. Secundo; nam pro illo priori intelligitur destructa existentia moralis peccati actualis prę cedentis, à quo in conseruari dependet peccatum habituale; sed destructa causa essentialis dependentiæ, effectus necessario destruitur: ergo pro illo priori intelligitur destructum peccatum habituale. *Secũdo.*

74 *Ad 1 instantiã respond.* Respondeo ad primam replicam, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam pro illo priori, nec intelligitur esse peccati habitualis, nec non esse illius *positiuè*, sed ab esse, & non esse prędscinditur, sicut ista consequentia non valet: *Pro priori naturæ actus contritionis disponentis ad gratiã, non intelligitur, nec potest intelligi habituale peccatum in anima*; aliàs in eodem instanti coexisterent gratia, & habituale peccatum: *ergo intelligitur, nõ esse illius.* Antecedens namque est verum; & consequens falsum; alias peccatum habituale nõ excluderetur per iustitiam habitualem, cuius contrariũ communis sententia docet. Et ratio omnium est; quia prioritas naturæ solum est prioritas *à quo*, & causalitatis: vnde solum supponuntur pro priori naturę, quæ in causa, vt causante essentialiter importantur, & illa quibus in ratione causæ cõstituitur, & quia actꝰ contritionis in ratione disponentis ad gratiam, non constituitur per non esse peccati habitualis, nec personalitas Verbi, ea ratione, qua prędcedit vnionem Deitatis sub conceptu sanctificantis, per non esse peccati habitualis cõstituitur; fit, vt non esse peccati habitualis nõ intelligatur pro priori signo

con-

contritionis, quatenus diſponētis, nec propriori naturę perſonalitatis vnitæ.

75 *Ad ſecūdam.* Ad ſecundam, admiſſa maiori, diſtinguo minorem: in eodem inſtanti temporis, concedo minorem: in eodē ſigno naturæ, nego minorem, & conſequentiam: ſicut enim cauſa, vt cauſans, eſt ſimul tēpore cum effectu, nō autem ſimul natura, ita non eſſe cauſæ eſſentialis dependentię, eſt ſimul tempore, cum non eſſe effectus, non autē ſimul natura; vnde ex eo quod propriori perſonalitatis Verbi, vt terminantis humanitatem, intelligatur deſtructa cauſa peccati habitualis, tantū infertur, quod in eodem inſtanti reali ponatur non eſſe peccati habitualis; non autem, quod pro illo priori intelligatur: ex hoc autem, quod non eſſe peccati habitualis in eodē reali inſtanti ponatur, non tollitur, quod excluſio peccati habitualis non prę ſtetur à Deitate, vt ſanctificante, & ab eadem, vt ſic inducatur non eſſe peccati habitualis.

76 *Tertio arguitur* Tertio arguitur; peccatum habituale, & gratia vnionis non opponuntur phyſicè, ſed tantum moraliter; ſedquæ moraliter opponuntur, poſſunt eſſe ſimul de potentia Dei abſoluta: ergo peccatum habituale poteſt de potentia abſoluta cum gratia vnionis in humanitate exiſtere. Maior probatur; nam oppoſitio phyſica petit inter extrema phyſica verſari; ſed peccatum habituale non conſiſtit in entitate phyſica, ſed vel in priuatione, vel entitate poſitiua morali, vt docet frequētior Theologorum ſententia; gratia etiam vnionis non ſanctificat phyſicè humanitatem, ſed tantum moraliter, vt docuimus *Diſput.* 21. ergo illorum oppoſitio non eſt phyſica, ſed moralis.

77 *Prima ſolutio.* In cuius argumenti ſolutione non eſt vna Theologorum doctrina, quidam docent oppoſitionem peccati cū gratia vnionis, non eſſe phyſicam, ſed moralem, eo quod inter moralia extrema verſatur, nihilominus non poſſe ſimul eſſe de potentia abſoluta: quia licet moralis ſit, eſt tamē oppoſitio eſſentialis. Alij per oppoſitum docent, eſſe phyſicam, quamuis ſint moralia extrema, eo quod habent repugnantiam intrinſecam eſſentialem. Alij diſtinguunt, & aſſerunt, quod ſi peccatū habituale in aliquo morali conſiſtat, eſt oppoſitio moralis, ſi autem in aliquo phyſico eſt oppoſitio phyſica, sēper tamen cum repugnantia eſſentiali. *Secunda* *Tertia.*

78 *Vera ſolutio. Inter extrema moralia dari poteſt oppoſitio phiſica Theologica nō Philoſophica.* Melius tamen reſpondetur, ſuppo nendo: quod peccatum habituale in aliquo morali conſiſtat, vt tenet communis ſententia, & ſanctificationem humanitatis à Deitate non eſſe phyſicam, ſed moralem, vt probabilius cenſuimus *Diſput.* 21. illorum oppoſitionem eſſe phyſicam *Theologicè*, hoc eſt, ex natura rei cum repugnantia eſſentiali, non autem eſſe phyſicam *Philoſophicè*. Ad hoc namq; exigitur, quod formæ inter quas oppoſitio exerceatur, phyſicæ ſint, quod autem hoc nō obſtet oppoſitioni phyſicæ in ſenſu Theologico.

79 *Probatur 1.* Patet primo; vt enim docet Divus Thomas 2. 2. q. 24. *art.* 12. peccatum mortale efficienter phyſicè expellit gratiam, & charitatem; & tamen non ſemper in phyſica entitate conſiſtit; cum ſit dabilis pura omiſsio, abſque omni actu phyſico voluntatis, vt cum veriori ſententia docuimus 1. 2. q. 71. *art.* 5. imo peccatum commiſsionis, quod in actu poſitiuo conſiſtit, nō expellit phyſicè gratiam ratione entitatis phyſicæ, ſed ratione deformitatis moralis: ergo cauſę moralitas nō obſtat efficientię phyſicę in ſenſu Theologico, & conſequenter nec moralitas extremorum obſtare poteſt oppoſitioni in ſenſu Theologico phyſicæ.

*Secūdo.* Deinde; nam apud Theologos illa opponuntur moraliter, quæ ſolum repugnant ex aliqua lege extrinſeca; non vero ex natura rei, ſicut in ſententia Scoti, gratia ſolum ratione acceptationis, & legis extrinſecæ Dei excludit peccatum, vel quando vnum alterum excludit non ob repugnantiam intrinſecam, ſed ſolum demeritoriè, ſicut peccatum deſperationis deſtruit habitum ſpei, & in plurium ſententia, peccatum ſolum demeritoriè gratiā excludit: ergo quando inter aliqua extrema datur repugnantia ex natura

rei intrinseca,& repugnãtia essẽtialis, quãtũvis moralia sint,oppositio illorũ est physica in sensu Theologico: gratia autem vnionis, & peccatum habituale habent repugnantiam intrinsecam;& ideo quamuis vtrumque, vel illorum aliquod morale sit, oppositio illorum est physica in sensu Theologico,licet non sit physica in sensu Philosophico.

80 *Respõd. in forma.*

Iuxta quam doctrinam ad argumẽtum respondeo, distinguendo maiorem:non opponuntur physicè *Theologicè*,nego maiorem: *Philosophicè*,concedo maiorem, & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam. Et quidem peccatum habituale essentialiter repugnat Deo ratione sanctitatis increatæ;& consequenter inter sanctitatem diuinam,vt Deo conueniẽtem, & peccatum habituale est repugnantia essentialis;& tamen oppositio non est physica *Phylosophicè*, sed tantum in sensu Theologico;cum peccatum habituale, quod est extremum prædictæ oppositionis in aliquo morali consistat:ergo stat repugnantia essentialis cũ oppositione physica *Philosophicè*, hoc est,inter extrema non physica,vel quorum vnum physicum sit, & alterum morale.

81 *Instabis*

Sed dices; peccatum habituale opponitur demeritoriè gratiç vnionis: ergo non esse huius gratiæ, non est essentialiter annexum peccato habituali;& consequenter gratia vnionis, & peccatum habituale poterunt esse simul de potentia absoluta. Secunda consequentia ex prima colligitur.Prima ex antecedẽti. Tùm; quia id,quod alterum demeritoriè excludit, opponitur illi moraliter in sensu Theologico; & consequenter non repugnat cũ illo essentialiter; ac proinde non esse vnius,non est alteri essentialiter annexum. Tùm etiam; nam pœna, cum sit actus iustitiæ punitiuæ debet esse libera punienti in sensu composito culpæ, & demeriti: ergo si peccatum habituale opponitur demeritoriè gratiæ vnionis,liberum est Deo peccato habituali supposito,illud punire, auferendo gratiam vnionis, vel non punire gratiam conseruando; & consequenter non esse gratiæ vnionis, non est essentialiter annexum peccato habituali.

82 *Antecedens probatur.*

Antecedens autem probatur; si humanitas assumpta peccaret, peccato destruente vnionem,vt esse possibile,docent Auctores secundæ sententiç, peccatum habituale demeritoriè excluderet gratiam vnionis:ergo peccatum habituale demeritoriè illi opponitur. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; vt enim docet D.Thom. *in 2.Sent.dist.33.q.2. art. 2. ad 2.& q.5. de malo art.1. in corp. 1.2. q.85. art.5.in corpore q.87.a.7. in corp.* & *2.2. q.164. art.1. ad 4.* non esse gratiæ,aut iustitiæ originalis est pœna peccati originis,vel actionis; & consequẽter peccatum originale demeritoriè opponitur originali iustitiæ, & peccatum mortale personale demeritoriè excludit gratiam habitualem : ergo pariter,casu in quo humanitas assumpta peccaret peccato graui destruente vnionem hypostaticam, non esse gratiç vnionis esset pœna talis peccati; & consequenter peccatum demeritoriè excluderet gratiam vnionis. S.Tho.

83 *Respondebis.*

Nec vis argumenti effugitur, si dicatur : non esse gratiæ habitualis, esse pœnam peccati actualis : ex quo solum sequitur, non esse gratiæ vnionis fore pœnam peccati actualis, casu in quo humanitas assumpta peccaret;ac proinde solum colligitur, peccatum graue actuale demeritoriè cum gratia vnionis pugnare, non autem quod peccatum habituale demeritoriè cum illa opponatur. Non inquam hac euasione vis argumenti eneruatur. Tùm; quia plures probabiliter docent, non esse gratiæ, seu iustitiç originalis esse pœnam peccati originalis ad posteros deriuati,quod habituale est, & non esse gratiæ habitualis esse pœnã, nõ solũ peccati actualis, sed etiam habitualis, & in hoc sensu accipiunt D. Thom. locis *proximè* allegatis:ergo consequẽter est asserendum, non esse gratiæ vnionis fore pœnam peccati habitualis, casu in quo humanitas assumpta peccaret. Tùm etiam; nã peccatum actuale, & peccatum habituale eijdem pœnis puniuntur : ergo si non esse gratiæ,est pœna peccati actualis, etiã erit

*Præluditur solutio.*

pœna peccati habitualis. Tùm denique: nam ſi peccatum actuale poteſt cum gratia vnionis componi, etiam peccatum habituale poteſt cum illa coexiſtere: ergo ſi oppoſitio demeritoria arguit poſsibilem coexiſtẽtiam, non ſoluitur argumentum per hoc, quod peccato actuali conueniat, non autem habituali, quando ex poſsibili coexiſtentia peccati actualis cum gratia vnionis infertur peccatum habituale poſſe cum illa componi.

84 *Reſpondetur 1.*

Ad obiectionem reſponderi poteſt primo, negando antecedens. Ad illius probationem, nego antecedens: ad cuius probationem reſponderi poteſt primo, explicando D. Thomam de pœna quoad ſufficientiam, hoc eſt, in peccato graui eſſe ſufficientem grauitatem, vt non eſſe gratiæ habitualis illi reſpondeat, vt pœna, non autẽ quoad efficaciam, eo quod non eſſe gratiæ eſt annexum eſsẽtialiter peccato, quæ connexio eſſe nõ poteſt inter pœnam, & demeritũ. Vel ſecundo antecedenti conceſſo, nego conſequentiam, ob duplicem rationem diſcriminis: prima; nam certius eſt, gratiam vnionis eſſe eſſentialiter cum peccato incompatibilem, quam quod gratia habitualis ne queat cum peccato graui componi; & conſequenter negata eſſentiali connexione inter non eſſe gratiæ habitualis, & eſſe peccati, adhuc ſuſtinenda eſt inter peccatum graue, & non eſſe gratiæ vnionis: vnde cum eſſentialis connexio, inter demeritum, & pœnam repugnet; fit conſequens, vt admiſſo deſtructionem gratiæ habitualis eſſe pœnam peccati mortalis, adhuc poſsit ſuſtineri deſtructionem gratiæ vnionis non eſſe pœnam illius; ac proinde quod peccatũ non opponatur gratiæ vnionis demeritoriè, & moraliter. Secunda eſt; quia deſtructio gratiæ habitualis non excedit in morali æſtimatione grauitatẽ peccati mortalis, ideoque poteſt eſſe pœna illius; deſtructio autem gratiæ vnionis excedit in æſtimatione morali grauitatẽ cuiuſcumque peccati, cuius ratio eſt; nã deſtructio gratiæ vnionis eſt tantum malũ, quantum bonum eſſe illius, gratiæ autem vnionis dignitas maior eſt grauitate peccati; & conſequenter deſtructio gratiæ vnionis maius malum eſt quocumque peccato graui: ex quo fit, vt nequeat illi reſpondere, vt pœna.

*Explicatur D. T. primo.*

*Secundo*

85 *Oppones 1.*

Sed dices primo: Adamus peccando meruit quoad ſufficientiam, vt careret redemptore, vt communiter docetur à Theologis; & conſequenter in peccato Adami fuit ſufficiens grauitas ad demerendum negationem vnionis hypoſtaticæ: ergo nõ eſſe gratiæ vnionis, non eſt tantum malum, quantum bonum eſſe illius; ac prinde poterit gratiæ vnionis deſtructio eſſe condigna peccati mortalis pœna, quãuis illius grauitas non adæquet in morali æſtimatione bonitatem gratiæ vnionis. Secundo replicabis; quamuis enim gratia vnionis infinitè excedat opera puræ creaturæ, & ideo eſſe non poſsint condigna merita illius; ex hoc tamen non infertur, non poſſe puram creaturam illam de congruo mereri, imo de facto in veriori Theologorum ſententia Antiqui Patres eam meruerunt de congruo: ergo pariter licet gratiæ vnionis deſtructio excedat grauitatem peccati; & ideo non poſsit illi, vt pœna de condigno reſpondere, poterit tamen demeritoriè de cõgruo a peccato graui cauſari.

*Secũdo.*

86 *Ad 1. replicam reſpond.*

Reſpondeo ad primam replicam, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: non eſſe gratiæ vnionis non factæ, concedo conſequentiam: non eſſe gratiæ vnionis iam communicatæ, nego conſequentiã; licet enim communicata, & non communicata, ſit entitatiuè eadem, quia tamen nondum communicata, non debetur, & communicata, debita eſt illius exiſtentia, negatio illius nondum communicatæ, non eſt tantum malum, quantũ eius cõmunicatio bonum; deſtructio tamen gratiæ vnionis in ratione mali adæquat illius entitatem, vt communicatam. Et quidem non eſſe Dei tanti æſtimatur in ratione mali, quanti habetur ipſe Deus in ratione boni, vnde ſicut nullius creaturæ meritũ poſſet Dei exiſtẽtiam mereri, etiam ſi ſub merito cadere poſſet: ita nullius creaturæ demeritum poſſet Dei deſtructionem demereri, caſu quo ſub demerito

cadere

cadere posset. Ratio autem discriminis est; quia ad rationem mali, in negatione formę, non solum attenditur ad esse formæ, sed etiã ad causam debiti; vnde cũ forma nõ debetur, illius nõ esse, parum, aut nihil in ratione mali æstimatur: quia ergo vnio Verbi ad humanitatem non debebatur, illius non esse, non erat tantum malũ, quãtum bonum ipsa vnio; semel tamen facta vnione debetur, & ideo destructio illius, tãti æstimatur in ratione mali, quãti habetur in ratione boni, vnio Verbi ad humanitatem.

83 *Ad secũdam respõdetur*

Ad secundam, concesso antecedẽti, nego consequentiam, vel suppositum consequentis: licet enim meritũ diuidatur in condignum, & cõgruum, demeritum autem non datur, nisi condignum; vnde à Theologis demeritũ non diuiditur in demeritum condignum, & congruum. Ratio autem differentiæ esse potest; nam meritum cõgruum fundatur in bonitate Dei, cui congruit, vt amicos, illius voluntatẽ facientes exaudiat; Deus autem in puniendo non ad suam bonitatem, sed ad nostra demerita attendit, imo suæ bonitati, & misericordiæ innitens, aliquid de pœna diminuit, vnde vt communi axiomate asseritur *vltra condignum præmiat, & citra condignum punit*; & ideo demeritum congruum nõ datur, sed tantum condignum.

88 *Secundo respond. principali replicæ.*

Vel secundo responderi potest replicę principali, prętermisso antecedenti, distinguendo consequens: non esse gratiæ vnionis non est connexum essentialiter cum peccato habituali sumptum, vt pœna formaliter, concedo consequentiam: sumptum sub alia ratione, nempè, vt effectus illius in alio genere causæ, nego consequentiam. Ad primam consequentiæ probationem, quatenus distinctioni traditę obstare potest, dicãtur, quod excludit aliud demeritoriè opponi sub hac ratione cũ illo moraliter in sensu Theologico; ac proinde sub hac consideratione non esse cum illo essentialiter incompatibile; hoc tamen non tollit, quod sub alia consideratione illud essentialiter excludat.

89 *Ad secũdam.*

Ad secundam, concesso antecedẽti, distinguo consequens: liberum est Deo peccato habituali supposito, auferre, vel non auferre gratiam vnionis in pœnam peccati habitualis, concedo consequentiam: absolutè, nego consequentiam. Itaque non esse gratiæ vnionis, prædicta sententia supposita, dupliciter cum peccato habituali cõparatur, scilicet, vt effectus illius ratione incompatibilitatis peccati, & gratiæ vnionis in eodem subiecto, & insuper sub ratione pœnæ, quã subinduit, quatenus Deus vult non esse gratiæ in pœnam præcedentis peccati, quamuis autem non esse gratiæ vnionis nõ possit nõ consequi peccato habituali supposito; Deo tamen liberum est, velle illam negationem ex motiuo puniendi peccatum habituale, & non velle illud non esse ex prędicto motiuo; ac proinde quamuis tale non esse sit connexum essentialiter cum esse peccati habitualis; non tamen est essentialiter cum illo connexum sub ratione pœnę, quia eo ipso, quod Deus non vellet, nõ esse gratię vnionis ex motiuo puniendi peccatum habituale, quamuis consequeretur, pœna non esset.

*Nõ esse gratiæ sub ratione pœnæ, nõ est essentialiter cũ peccato connexum.*

90 *Instabis*

Sed dices; repugnat merito essentialis connexio cum præmio, non solũ in ratione præmij, sed etiam cũ illius entitate sub quacumque alia ratione: ergo pariter repugnat, demeritũ cõnecti essentialiter cum entitate pœnæ sub aliqua ratione. Consequentia tenet. Tùm à paritate rationis. Tùm etiam; quia primum non aliundè repugnare potest, nisi quia præmiare, est actus liber pręmiantis; sed etiam punire, est actus liber punientis: ergo si primum repugnat, etiam repugnabit secundum. Antecedens autem probatur: actus enim voluntatis non potest esse meritum impulsus per illum producti, nec actus intellectus potest meritoriè. Verbum à se productũ causare; at hoc non alia ratione, nisi quia inter prædictas actiones, & illarũ terminos est essentialis connexio: ergo hæc repugnat merito, non solum cũ præmio in ratione præmij formaliter, sed etiam cum illius entitate sub quacumque alia ratione.

91 *Respõd.*

Respondeo, cõcesso antecedenti,

ne-

negando consequentiam. Ratio autē differentię est, cum enim prœmium oriri debeat ex decreto remunerandi meritum, debet distinctum terminare decretum ab illo quo decernitur meritum; actio autem meritoria nō potest connecti essentialiter, nisi cum termino per illam producto, & quia actio, & terminus eodem decernuntur decreto; fit consequens, quod repugnet inter meritum, & præmium essentialis connexio, nedum in ratione præmij, sed etiam entitatiuè, quia eo ipso, quod detur huiusmodi connexio datur vnum decretum in ordine ad vtrūque extremum; cum quo ratio meriti, & præmij nequit subsistere; licet autem non esse gratię vnionis, essentialiter sit cum esse peccati grauis connexum, terminant decreta distincta; nam culpa terminat decretum permissiuū, non esse gratię vnionis, si de facto poneretur, terminaret decretum approbativum; & ideo non obstante essentiali connexione potest tale non esse decerni ex motiuo puniendi; & consequenter potest rationem pœnæ subinduere. Quod si actus meritorius possit connecti essentialiter cum aliquo diuersum terminante decretum non obstabit illorum connexio essentialis ad rationem meriti, & præmij, quod plures docent de actu meritorio per ordinem ad principium, quod scilicet, potest de potentia absoluta esse præmium talis actus quamuis actus essentialiter supponat principium, cum illoque connectatur.

*Meritū nō est essentialiter cōnexū cum præmio, secus de meritū cum pœna.*

## §. IV.

### *De peccato habituali leui.*

92 *Secūda cōclusio*

SECVNDA CONCLVSIO. *Peccatū habituale leue nequit de potentia absoluta cum gratia vnionis componi.* Ita Auctores omnes pro conclusione præcedenti relati, & probatur primo; nam peccatum leue existens in humanitate vnita non posset, non denominare suppositum diuinum, vt in illa subsistēs, sed talis denominatio repugnat diuino supposito: ergo implicat peccatum leue in humanitate vnita. Secundo; nam peccatum leue habituale dependet in conseruari ab actu peccaminoso, vt moraliter existente; sed moralis existentia peccati actualis prę cedentis repugnat in humanitate assumpta; alias supposito diuino moraliter tribueretur, quod implicat: ergo omnino est impossibile peccatum leue habituale in humanitate assumpta. Quæ argumenta fusius *infra* prosequemur.

*Probatur 1.*

*Secūdo.*

93 *Tertio.*

Denique probatur conclusio; nam peccatum leue non stat cum Deitate, vt infinitè sanctificante; sed gratia vnionis infinite humanitatem sanctificat: ergo implicat peccatum leue in humanitate vnita. Consequentia tenet. Minor supponitur, & maior ostenditur primo: Deitas, vt infinite humanitatem sanctificans, reddit illam infinite gratam Deo, & obiectum dignū complacentia diuina infinita; sed implicat esse dignam complacentia infinita, & esse in peccato leui; ergo implicat leue peccatum cum Deitate, vt sanctificante infinite. Secundo: nam Deitas, vt infinite humanitatem sanctificans, reddit illam dignam omni complacentia diuina, peccatum autē leue reddit subiectum, cui inest, aliqua displicentia dignum; sed implicat esse simul dignum omni complacentia, & aliqua displicentia dignum: ergo implicat leue peccatum cum Deitate, vt sanctificante infinite.

*Maior probatur 1.*

*Secūdo.*

94 *Tertio.*

Tertio; nam Deitas, vt sanctificās infinite, constituit humanitatem dignam glorię, vt statim conferendæ; peccatum autem leue reddit subiectum, cui inest dignum dilatione gloriæ, & indignum collationis glorię statim conferendę; sed implicat simul esse dignū gloriæ, vt statim conferendæ, & indignum collationis gloriæ statim, nō minus, quam esse dignum, & indignum gloriæ absolutè: ergo implicat simul Deitas, vt infinite sanctificans, & peccatum leue habituale in humanitate assumpta.

Quar-

95 *Quarto.* Quarto; nam Deitas sub conceptu infinitæ sanctitatis essentialiter repugnat, non solum cum peccato graui, sed etiam cum peccato leui; vnde Deo, quia infinitè sanctus est, vtrumque peccatum repugnat essentialiter; sed non est cur hanc repugnantiam non præstet humanitati, esto illi non conueniat per essentiam, sed solum per communicationem, nec est ratio, quare essentialis repugnantia cũ peccato veniali involvat modum conueniendi per essentiam: ergo Deitas, vt sanctificans infinitè humanitatẽ essẽtialiter repugnat cum peccato veniali; & consequenter implicat, peccatum leue cum diuinitate, vt sanctificante infinitè.

*Quinto.* Denique probatur maior: Deitas vt infinitè humanitatem sanctificans præstat illi sanctitatem, qua maior extra Deum esse, nec intelligi potest; sed sanctitas essentialiter repugnans cum peccato leui habituali, maior est sanctitate, cum solo peccato graui essentialiter pugnante: ergo Deitas, vt infinitè humanitatem sanctificans essentialiter cum peccato leui pugnat; & consequenter cum illo nequit in humanitate componi.

## §. V.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

96 *Arguitur* 1. CONTRA istam conclusionem arguitur primo: gratia habitualis non opponitur essentialiter cum peccato veniali: ergo gratia vnionis non pugnat cum illo essentialiter. Antecedens est de fide; dantur enim in homine iusto plura peccata venialia, iuxta illud: *Septies in die cadit iustus*. Consequẽtia autem probatur primo; nam inde discurrebamus supra gratiam vnionis pugnare cum peccato graui essentialiter, esto gratia nostra iustificãs, non habeat cum illo essentialem oppositionem, quia peccatum lethale est grauitatis infinitę, vel superioris ordinis ad dignitatem gratię habitualis, non autem ad dignitatem gratiæ vnionis; at hęc ratio in peccato veniali non militat: ergo si gratia habitualis non opponitur illi essentialiter, nec gratia vnionis habet cum eo essentialem oppositionem. Secundo; nam gratia habitualis est formalis participatio sanctitatis diuinę oppositæ peccato veniali essentialiter; & tamen non participat oppositionem essentialem cũ peccato veniali: ergo quamuis gratia vnionis sit communicatio sanctitatis diuinæ repugnantis essentialiter cũ peccato veniali, non erit communicatio huiusmodi oppositionis. *Secũdo.*

*Cõsequẽtia probatur* 1. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam licet illa ratio non militet, militant aliæ. Prima; quia ad oppositionem essentialem sanctitatis cum minori malitia, requiritur maior sanctitatis perfectio; sanctitas autem substantialis infinitè excedit sanctitatem participatam à gratia habituali: vnde quãuis hæc cũ peccato veniali non habeat oppositionem, sanctitas substãtialis essentialiter pugnat cum illo. Secunda; quia gratia habitualis non præstat dignitatẽ ad gloriam, vt conferẽdam statim, sed vt suo tempore conferendam; ac proinde non opponitur indignitati præstitę à peccato veniali, quæ non est ad gloriam, vt non conferendam, sed vt statim conferendam; bene tamen illi opponitur dignitas ex gratia vnionis, nã per illã redditur humanitas digna gloriæ, vt cõferendæ statim. Tertia; nam gratia habitualis non constituit obiectum dignum omni complacentia diuina, sed aliqua, nempè, amicabili, cũ qua non opponitur displicentia ratione peccati venialis, quæ est talis secundumquid, & non pugnat cum amicitia diuina; gratia autem vnionis constituit obiectum dignum omni cõplacentia diuina, cum qua dignitas cuiuscumque displicentiæ repugnat. 97 *Respõdetur ad* 1. *cõsequẽtiæ probationẽ.*

Ad secundam probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: nam participare est partem capere, vnde quamuis perfectioni par- 98 *Ad secũdam.*

ticipata aliqua perfectio conueniat, non sequitur, conuenire formæ illam participanti; communicatio autem diuinitatis, quæ fit per vnionem substantialem est communicatio totius diuinitatis, & totius sanctitatis diuinæ: vnde passim docēt Patres, fuisse Christi humanitatem delibutam totius diuinitatis vnguento: vnde cum diuinitati repugnet, non solum mortale, sed etiam veniale peccatum; fit consequens, vt hæc repugnantia communicetur humanitati media vnione substantiali.

99 *Instabis*

Dices: licet tota diuinitas media vnione cōmunicetur humanitati, non tamen communicatur totaliter; non enim communicatur ita perfectè, sicut Deo, cui conuenit per essentiam: ergo quāuis diuinitas in se ipsa sit sanctitas opposita peccato veniali essentialiter, non tamen illi repugnat, vt communicata humanitati. Patet consequentia; forma enim non petit omnem suum effectum præstare, nisi totaliter communicata: ergo si humanitati non communicatur totaliter, quāuis in se opponatur essentialiter peccato veniali, non est cur hanc repugnantiam humanitati communicet.

100 *Respōd.*

Respondeo, distinguendo antecedens: non communicatur totaliter totalitate modi, concedo antecedens: totalitate formæ, nego antecedens, & consequentiam; vt enim totum suum effectum communicet, sufficit totaliter formam communicari; quamuis quia non communicatur totaliter, totalitate modi, non communicat hos effectus omni modo, quo potest illos communicare, vnde repugnantiā cū peccato veniali, & mortali humanitati cōmunicat; non tamen eo modo, quo effectus istos communicat Deo, cui conueniunt à se, & per essentiam; humanitati vero non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio.

101 *Vrgebis.*

Instabis; ex diuerso modo quo Deo, & humanitati communicatur constituit Deum magis sanctum, quam humanitatem: ergo ex eadem diuersitate orietur, vt Deo præstet repugnantiam essentialem cum peccato veniali, non autem humanitati. Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens: repugnantiam essentialem cum peccato veniali per essentiam, & à se, concedo consequentiam: repugnātiam essentialem cū peccato veniali absolutè, nego consequentiā. Vt enim Deus sit magis sanctus, quā humanitas, sufficit, vt Deo conueniat dicta repugnantia per essentiam, & à se; humanitati autem non per essentiam, sed per communicationem; hoc enim quod est repugnare à se, & per essentiā cum malitia peccati, perfectio est in linea sanctitatis: vnde quamuis Deo, & humanitati repugnantia essentialis cū peccato veniali conueniat, quia Deo conuenit à se, humanitati autem non à se, sed ab alio, Deus in ratione sancti excedit humanitatem. *Respōd.*

102 *Secūdo arguitur, & replicatur contradicta*

Secundo arguitur, & instatur contradicta; eo ipso, quod Deus sit sāctior humanitate vnita, humanitas infinitè sancta non est, sed repugnat peccatum veniale cū gratia vnionis, quia humanitas per gratiam vnionis infinitè sanctificatur, vt cōstat ex triplici ratione, qua conclusionē monstrauimus: ergo eo ipso, quod Deus sit sanctior humanitate, non implicat peccatum veniale in humanitate assumpta in sensu cōposito vnionis. Consequentia tenet. Minor ex dictis habetur, & maior probatur. Infinitum in aliquo genere, est, quo maius esse non potest; sed eo ipso, quod Deus sit sanctior humanitate, est aliquid maius humanitate in ratione sanctitatis: ergo eo ipso, quod Deus sit sanctior humanitate, humanitas infinitè sancta non est.

103 *Respōd.*

Respondeo, distinguendo maiorem: non est infinitè sancta in omni linea sanctitatis, concedo maiorem: in linea sanctitatis communicatę, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego cōsequentiam: nam licet humanitas non sit infinitè sancta in linea sanctitatis per essentiam, est tamen infinitè sancta in linea sanctitatis per communicationem, quia in hac linea maior sanctitas, nec dabilis, imo nec intelligibilis est, & hoc sufficit, vt cum eius sanctitate præstita per gratiam vnionis, non possit

com-

104 *Instatis*

compati peccatum veniale.

Sed dices, non solum non est infinitè sancta in linea sanctitatis per essentiam, sed nec etiam est sancta infinitè simpliciter, eo ipso quod Deus sit sanctior; sed si non est sancta infinitè simpliciter, non est cur essentialiter pugnet cum peccato veniali: ergo eo ipso quod Deus sit sanctior humanitate, potest in illa vnita peccatum veniale inueniri. Consequentia tenet. Minor constat; nam gratia infinitæ intensionis, si detur, non pugnabit essentialiter cum peccato veniali; sed hoc non alia ratione, nisi quia licet sanctificaret infinitè *intensiuè*, non tamen infinitè simpliciter: ergo si humanitas per gratiam vnionis, non est sancta infinitè simpliciter, non est cur peccatum veniale essentialiter in humanitate repugnet in sensu composito vnionis. Maior autem probatur: infinitum namque est, quo maius, nec dari, nec intelligi potest: ergo infinitè sanctum simpliciter est, quo magis sanctum, nec potest dari, nec intelligi; sed Deus sanctior est humanitate vnita: ergo humanitas vnita non est sancta infinitè simpliciter.

105 *Solutio P. Puête Hurt. Humanitas nō est sācta infinitè simpliciter in omni genere sanctitatis.*

Hoc argumento conuincitur Puente Hurtado *disputatione* 59. *sectione quarta, subsectione prima*, ad asserendū, non posse, oppositionem essentialem gratiæ vnionis cum peccato veniali defendi, nisi asseratur, humanitatem sanctificari per illam infinitè simpliciter in omni genere sanctitatis. Leui tamē fundamēto nititur prędictus Auctor, & falso principio ducitur. Hoc secundum patet clarè; nam humanitas non est sancta *infinitè* in linea sanctitatis per essentiam, imo nec sancta in hac linea, cum sancta per essentiam non sit, sed per communnicationem gratiosam sanctitatis increatæ; sed esse sanctum per essentiam, est in aliqua linea sanctitatis: ergo humanitas non est *infinitè* sancta in omni genere, vel linea sanctitatis. Deinde: nam humanitas non redditur æquè bona per diuinitatem vnitam, sicut redditur ipse Deus per Deitatem sibi identificatā: ergo nec redditur æquè amabilis; ac proinde, nec æqualiter sācta, ac Deus.

*Nec æque bona, & amabilis ac ipse Deus.*

Ex quo vlterius fit, vt humanitas non contineat formaliter, nec eminenter omnem sanctificationem, quod necessum erat, vt esset sancta infinitè in omni genere sanctitatis.

106 *Cū hoc stat essentialis oppositio gratiæ vnionis cū peccato veniali. Probatur 1.*

Quod autem hoc necessarium non sit, vt oppositio essentialis gratię vnionis cum pecato veniali defendatur: patet primo: vt enim amor essentialiter opponatur cum odio eiusdem obiecti sub eadem omnino ratione, non est necessarium, quod amor, & odium conueniant subiecto per identitatem à se, sed oppositionem retinent essentialem, quamuis realiter distinguantur ab illo, & realiter ab eodem causentur: ergo pariter, vt sanctitas increata oppositionem essentialem conseruet, exerceatque cum peccato veniali, non est necessarium, vt per identitatem conueniat; & consequenter opposita essentialiter erit cum peccato veniali, non solum in Deo, cui conuenit per identitatem a se, sed etiam in humanitate, à qua realiter distinguitur, & per liberalem, & gratiosam communicationem, sed ideo sancta infinitè in omni genere sanctitatis nō est; quia non est sancta per formam sibi identificatam, & ipsi à se conuenientem: ergo, quod non sit sancta infinitè simpliciter in omni sanctitatis genere, non obstat quo minus, ita sit sancta, vt in ipsa peccatum veniale essentialiter repugnet. Quo argumento nonnulli Recentiores vtuntur.

107 *Secūdo, et melius*

Sed melius monstratur secundo, notando primo Auctores negantes, humanitatem esse sanctam infinitè simpliciter (præter Scotum, & Scotistas, cum quibus modò non agimus) fateri, operationes Christi esse in ratione meriti, & in ratione satisfactionis simpliciter infinitas, & rationem discriminis reddere, quia nempè merito, & satisfactione Christi maius meritum, & maior satisfactio non datur, cum actiones increatæ, quæ tantum excedere possunt, meritoriæ, aut satisfactoriæ non sint; datur tamen magis sanctum, videlicet, ipse Deus, qui capax est sanctitatis, & quia de ratione infiniti est, vt non possit excedi, inferunt humani-

tatem Christi non esse dicendam sanctam infinitè simpliciter; benè tamen illius operationes simpliciter infinitè meritorias, & satisfactorias dici. Secundo; concedi ab eisdem Auctorib' humanitatem Christi esse sanctam infinitè cum addito, nempè, in linea, aut genere sanctitatis communicatę, in quo consequenter loquuntur, nam in genere sancti per communicationem non est dabile magis sanctum: ergo in hoc genere est humanitas infinitè sancta simpliciter.

108 Quibus breuiter præsuppositis ita argumentor: si Deus in se ipso capax sanctitatis non esset, gratia vnionis essentialiter pugnaret cum peccato veniali in humanitate assumpta; sed ex eo quod Deus capax sanctitatis sit, in nullo minuitur oppositio gratiæ vnionis cum peccato veniali: ergo esto humanitas non sit sancta infinitè simpliciter, in eo sensu, in quo defenditur à prædictis Auctoribus, repugnabit essentialiter peccatum veniale in humanitate assumpta in sensu composito vnionis. Maior constat: nam si Deus capax sanctitatis non esset, humanitas per gratiam vnionis esset sancta infinitè simpliciter: ergo in eo casu essentialiter cum peccato pugnaret. Consequentia patet: nam ea solum ratione asseritur ab illis Auctoribus humanitatem assumptam, non esse sanctam infinitè simpliciter, quia Deus sanctior est illa; sed ex eo quod Deus sit sanctior humanitate non minuitur oppositio cum peccato: ergo ex eo, quod non sit sancta infinitè simpliciter, non minuitur prędicta oppositio; & consequenter esto non sit sancta infinitè simpliciter, repugnabit essentialiter peccatum veniale compositum cum illi' sanctitate.

Minor etiam non minus aperta videtur; quia ex eo, quod Deus capax sanctitatis sit, nihil sanctitatis deficit gratiæ vnionis, sed solum ab illa negatio excessus aufertur à sanctitate maiori: eo quod si Deus sanctus nō esset, non daretur maior sanctitas, quę negatio gratiæ vnionis non conuenit, eo quod Deus capax sit sanctitatis: ergo ex eo quod Deus capax sanctitatis sit, nihil oppositionis cum peccato veniali aufertur à gratia vnionis, quę aliàs illi conueniret, si Deus sanctitatis capax non esset; nam oppositio cum peccato ex conceptu sanctitatis oritur; & consequenter si in nullo ratio sanctitatis minuitur, in nullo etiam minuitur oppositio cum peccato.

Quod amplius vrgetur; ex eo quod Deus capax esset merendi, & satisfaciendi, quāuis meritum Christi amitteret denominationē infiniti simpliciter in ratione meriti, & satisfactionis; nihil tamē valoris, & efficaciæ meritoriæ modo illi conuenientis deficeret, sed ad eadem prędmia, & eodem modo valeret: ergo ex eo, quod Deus capax sanctitatis sit, quamuis gratiæ vnionis, vt sanctificanti humanitatem, denominatio simpliciter infinitę, non cōpetat, nihil tamen efficaciæ sanctificatiuæ, peccatique expulsiuę illi deficit, quæ aliàs illi conueniret si Deus capax sanctitatis non esset; & consequenter, si in hac hypotesi impossibili, essentialiter pugnaret cum peccato veniali in humanitate assumpta, eandem oppositionem habebit, quam uis Deus capax sanctitatis sit.

109 *Confirmatur.*

Ad replicam autem respondeo, distinguendo maiorem: non est sancta infinitè simpliciter, prout simpliciter est idem quod omnibus modis, concedo maiorem: prout simpliciter sumitur contrapositiuè ad *secundumquid*, nego maiorem: & ab eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Itaque asserimus, humanitatem per gratiam vnionis non esse sanctam infinitè simpliciter, id est, omnibus modis, quia non est sancta infinitè in linea sanctitatis per essentiam, nec in omni linea, aut genere sanctitatis; imo nec dicendam esse sanctam infinitè in genere sanctitatis abstrahente à sanctitate per essentiam, & sanctitate per communicationem, quia solum dicitur infinitum in genere, quod formaliter, aut eminenter continet omnem generis perfectionem; humanitas autem, vt sancta per gratiam vnionis, non continet formaliter, nec eminenter omnem perfectionem sanc-

110 *Ad replicā num. 104. factā, resp.*

Humanitas debet dici infinitè sancta simpliciter, et absolutè. Probatur 1.

Secundo.

112 Tertio.

113 Urgebis primo.

Secundo.

114 Ad 1. replicam respond.

citatis contentam sub genere, aut linea sanctitatis vt sic; cum nullo ex his modis contineat perfectionem sancti per essentiam: esse tamen sanctam infinitè in linea sanctitatis communicatæ, & hoc sufficere, vt dicatur, sancta infinitè simpliciter, sumpto *simpliciter*, non pro omnibus modis tali, sed cõtrapositiuè ad *secundumquid*, & hoc modo posse, & debere dici sanctã infinitè simpliciter: patet primo; nam linea infinitæ longitudinis, quãuis nec infinitæ latitudinis, nec infinitæ profunditatis esset, diceretur infinitè quanta absolutè, quamuis non diceretur quanta infinitè, ideſt, *omnibus modis*, nec in omni genere quantitatis, imo nec in genere quantitatis, vt sic: ergo pariter sanctitas infinita in genere sanctitatis communicatæ, quãuis non dicatur infinita omnibus modis, dicetur sanctitas infinita absolutè. Secundo: nam paternitas, v. c. diuina, prout realiter à filiatione distincta, dicitur infinita absolutè, & absolutè dicitur perfectionis infinitę, in sententia asserẽte, superaddere ad essentiam perfectionem relatiuam, eo quod est infinita in specie, aut quasi specie paternitatis, quamuis nõ dicatur infinita omnibus modis, eo quod non est infinita in genere relationis, nec in omni specie, vel quasi specie illius: ergo idem in nostro casu.

Denique: nam volitio v. c. diuina, prout virtualiter distincta ab intellectione est infinita absolutè, quia in linea volitionis infinitatem habet, non tamẽ est infinita omnibus modis, quia quatenus sic distincta, nõ cõtinet perfectionem intellectionis: ergo pariter esse humanitatẽ per gratiam vnionis sanctam infinitè in linea sanctitatis per communicationem sufficiet, vt dicatur sancta infinitè simpliciter, ideſt, non secundum quid, quamuis non sufficiat, vt dicatur sancta infinitè simpliciter, ideſt, omnibus modis. Quod autem hoc sufficiat, vt essentialiter repugnet in illa peccatum veniale in sensu composito sanctitatis præter supra dicta: patet; nam in sententia asserente, sanctitatem diuinam multiplicari virtualiter in attributis, sanctitas quælibet attributalis, prout ab alia virtualiter distincta pugnat essẽtialiter cum peccato veniali; & tamen prout sic distincta, non est infinita simpliciter, ideſt, omnibus modis, sed tantum dicitur infinita simpliciter, ideſt, absolutè: ergo ista infinitas sanctitatis sufficit ad oppositionẽ essentialem cum peccato veniali; ac per consequens sufficiet, vt in humanitate essentialiter repugnet in sensu composito vnionis.

Sed vrgebis adhuc primo; eo ipso, quod non sit sancta infinitè omnibus modis humanitas per gratiam vnionis, non fit per illam obiectum dignũ omni complacentia diuina: ergo eo ipso potest Deus leuiter ratione culpæ venialis in illa displicere. Secundo: gratia infinitæ intensionis esset sanctitas infinita simpliciter, ideſt, absolutè; & tamen non opponeretur cum peccato veniali essentialiter: ergo infinitas sanctitatis simpliciter, ideſt, *absolutè*, non tamen simpliciter, ideſt, *omnibus modis* talis, non sufficit ad oppositionem essentialem cum peccato veniali. Consequentia tenet. Minor est certa, & maior probatur; vt enim *proximè* dicebam⁹, infinitas in specie, vel quasi specie cõtẽta sub aliquo genere, est infinitas absolutè, quo circa linea infinitæ longitudinis est quanta infinitè simpliciter, ideſt, *absolutè*, & volitio infinita in linea volitionis dicitur infinita simpliciter, contrapositiuè ad *secundumquid*, sed gratia infinitæ intensionis, est infinita in linea sanctitatis participatæ contenta sub sanctitate, vt sic: ergo posset, & deberet dici sanctitas infinita simpliciter, ideſt, absolutè, quamuis non posset dici sanctitas infinita simpliciter, ideſt, omnibus modis.

Respondeo ad primam replicam, distinguendo antecedens: omni complacentia tam libera, quam necessaria, concedo antecedens: omni complacentia libera, nego antecedens, & consequẽtiam: vt enim Deus nequeat in humanitate vnita, nec leuiter displicere, sufficit, quod per gratiam vnionis fiat obiectum dignum omni libera complacentia diuina, & omni bono,

cuius est capax humanitas sine termino in infinitum, etenim cum hac dignitate non stat, esse obiectum dignum aliqua, etiam leui displicentia diuina.

*Ad secũdam.* Ad secundam, concesis maiori, & minori, distinguo consequens: omnis infinitas talis simpliciter, concedo consequentiam: aliqua, nego consequentiam. Ratio autẽ discriminis est; nam gratia infinitę intẽsionis, esto esset sanctitas infinita simpliciter contraposita ad secundũ quid, non constitueret obiectum dignum omni libera cõplacentia diuina, nec omni bono, nec gloria, vt conferenda statim, sed tantum dignum gloriæ infinitæ intensionis, vt suo tempore conferẽdæ; cum qua dignitate non pugnat indignitas ex peccato veniali prouenies: cęterum gratia vnionis, quia infinita est in linea sanctitatis communicatę & solum illi deest modus conueniendi à se, & per essentiam, aut identitatem, constituit obiectum dignũ omni libera complacẽtia diuina, & omni bono, cuius est subiectum, cui conuenit capax sine termino in infinitum, & gloria, vt conferenda statim, cum qua dignitate non stat idẽ subiectum esse obiectum dignum displicentia, etiam leuissima, aliquo leui malo pœnæ, & dilatione gloriæ, quod à peccato veniali præstatur.

**115** *Instabis et est tertiũ argumentum* Tertio arguitur, & instatur contra dicta: quod Deitas sub conceptu sanctitatis pugnet essentialiter cum omni peccato, siuè graui, siuè leui, habet ex eo quod est sanctitas infinita per essentiam: ergo subiecto, cui per essentiam non conuenit, non præstat essentialẽ repugnantiam cum peccato graui, & leui. Patet consequentia: nam tali subiecto non conuenit modus infinitatis per essentiam: sed ex illo modo dicta repugnantia oritur: ergo talis repugnantia illi subiecto non conuenit.

**116** *Prima solutio.* Huic argumento, qui censent, non implicare subſtantiam supernaturalẽ creatã impeccabilẽ omnino: respondent, negando antecedens: illi namq; sanctitati subſtãtiali creatæ omnis culpa, etiã leuis repugnaret essentialiter; ac proinde talis repugnantia essentialis non conuenit Deitati ex conceptu sanctitatis per essentiam. Hęc tamen sententia est falsa, maiorique, & meliori parti Theologorum contraria, vt *alibi* fusè ostendimus. Secundo, etiam negabunt antecedens, qui censent, visionem beatificam esse formalem sanctitatem, & ex conceptu talis sanctitatis essentialiter cũ omni peccato pugnare, qui Auctores consequenter docebunt, diuinitati non competere repugnantiam essentialẽ cum peccato veniali ex conceptu infinitæ per essentiam, quandoquidem dicta repugnantia conuenit sanctitati, quę talis per essentiam non est. Verum hęc sententia minus frequens est apud Theologos, vnde illi fidendum non est pro solutione argumenti contra sententiam communem.

*Secũda.*

**117** *Tertia.* Tertio etiam antecedẽs negabũt, qui existimant, non implicare gratiam habitualem diuersę speciei ab illa, qua de facto iustificamur: nam consequenter ad hanc sententiam docebunt, non implicare gratiam habitualẽ adęquatè cum lumine gloriæ connexam, & ratione cuius gloria, vt statim conferẽda debeatur, cum quo debito indignitas pręstita à peccato veniali nequit componi, vt *prox mè* dicebam. Quia tamen sententia contraria docens, implicare gratiam habitualem specie distinctam ab illa, qua iustificamur de facto, cõmunis est Discipulis D. Tho. huic solutioni assentiri nõ possumus.

**118** *Quarta* Deniq; negabunt antecedens Auctores illi, qui ex vna parte gratiæ habituali tribuunt repugnantiam essentialem cum peccato mortali, & ex alia cuidam modo intrinseco gratiæ extensiuo repugnantiam essentialem concedunt cum peccato veniali, si omnem talem modum extensionis possibilem fateantur, posse simul in habituali gratia inueniri. Nos tamen huic doctrinę non possumus assensum prębere. Tũ; quia modus ille extensionis gratiæ intrinseci cum peccato veniali essẽtialiter repugnans Theologis communiter displicet. Tùm etiam, quia prædicto modo admisso, cum peccata venialia syncathegorematicè sint infinita, nec in vna ratione indiuisibili conueniant, ad repugnantiam essentialem cũ omnibus, necessarij sunt modi gratiæ

*Omnes iste solutiones falsis innituntur principijs, et Theologis parũ gratis.*

tiæ extensiui syncathegorematicè infiniti, & cum ex alia parte infinitum in actu implicatorium censeatur in cõmuni, & vera sententia; fit consequẽs, vt hac via nequeat defendi possibilis sanctitas creata essentialiter cum omni peccato repugnans; ac proinde non excluditur, quod huiusmodi essentialis repugnantia diuinitati conueniat ex conceptu sanctitatis per essentiam.

119 *Vera solutio.* Quare, ne sententiam ita communem principijs falsis, vel saltim minus probabilibus coarctemus: ad argumẽtum respondeo, concesso, vel prætermisso antecedenti, negando consequẽtiam: nam licet formæ sanctificanti cõueniat repugnantia vt *quo* essentialis cum peccato veniali ex conceptu sanctitatis per essentiam; eo ipso, quod talis forma conuenire possit dupliciter; scilicet, per essentiam, & à se, & per cõmunicationẽ ab alio, potest vtroque modo dictam repugnantiã præstare; cũ hac tamen differentia, quod subiecto, cui conuenit per essentiã; cõuenit etiã per essentiam, & à se repugnantia cũ peccato; cui autẽ conuenit per cõmunicationẽ ab alio; conuenit etiam ab alio essẽtialis repugnantia, & ratio habetur ex dictis; cũ enim Deitas sine identitate cũ humanitate, cui vnitur constituat obiectũ congruum dilectionis amicabilis Dei, & dignum hæreditate diuina, & cõplacentia amicabili; aliàs non sanctificaret humanitatem, cui vnitur, cuius cõtrarium in hac cõclusione supponitur; fit, quod etiam si ne identitate cum humanitate, cui vnitur, reddat illã obiectũ congruum, & dignum omnis cõplacentiæ diuinæ, gloriæque, vt statim conferendę; cum quo nequit simul stare, eandem humanitatẽ esse dignã alicuius displicentię, & indignã collationis glorię statim, quod à peccato veniali præstatur: ac proinde, non solum in subiecto, cui cõuenit per essẽtiam, sed etiam in eo, cui ab extrinseco cõmunicatur, repugnat essentialiter cum peccato veniali. Et ex his ad cõsequentiæ probationẽ, cõcessa maiori, distinguo minorẽ: in forma, cui vt *quo* dicta repugnantia conuenit, cõcedo minorẽ: in subiecto talis formæ, nego minorẽ, & consequẽtiã: solũ enim legitimè inferri potest subiecto, cui forma non conuenit per essentiam repugnantiã cum peccato, eo modo non conuenire, non antẽ, quod ratione formæ ab extrinseco cõmunicatæ, non conueniat essẽtialis repugnantia.

Deniq; arguitur; nam sequitur ex nostra sententia, in peccato veniali esse vim destructiuã gratiæ vnionis; cõsequens est falsum: ergo gratia vnionis non pugnat essentialiter cum peccato veniali. Sequela patet; nam omnis forma essẽtialiter alteri opposita, habet vim expulsiuam illius, vt cõstat in odio, quod, quia cum amore essentialiter opponitur, potest illud à subiecto expellere; constat etiam in peccato mortali, quod; quia cum gratia opponitur essẽtialiter, habet vim destructiuam illius: ergo peccatum veniale, si essentialiter opponitur cum gratia vnionis, habet vim exclusiuam, & destructiuam illius. Minor autem ostenditur primo: minor enim est vis demeritoriè tantum destructiua, vi destructiua essentiali, sicut minor est oppositio tãtum moralis, quã oppositio physica, & repugnantia essentialis; sed peccato veniali non conuenit vis destructiua gratiæ vnionis demeritoriè: ergo nec vis destructiua essentialis. Secũdo; nã si prędictã vim haberet, necessario esset mortale ratione nocumenti grauis; sed hoc asserendũ nõ est; cũ de peccato veniali nostra conclusio procedat: ergo non conuenit veniali peccato vis destructiua gratiæ vnionis.

120 *Vltimo arguitur.*

*Minor probatur 1.*

*Secũdo.*

Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, nego maiorẽ, cuius falsitas constat primo in Thomistarum sententia asserentium: negationem consensus esse incompatibilem essentialiter cum præmotione efficaci ad consensum, & tamen non habet vim destructiuam illius; aliàs homo negatione consensus posset efficacẽ gratiam destruere. Constat etiam in statu innocentiæ incompatibili essentialiter cum peccato veniali, & tamen veniale peccatum non habet vim destructiuam illius. Et in omnium sententia peccatum veniale essentialiter repugnat Deitati, vt conuenienti Deo, illũ-

121 *Respõd.*

*Extrema essentialiter opposita, aliquando nō se mutuo expellunt.*

que sanctificanti, & tamen non habet vim destructiuam illius. Duplex ergo oppositio essentialis est distinguenda, vna inter formas *actiuè* ex vtraq; parte incompatibiles, & in his vna potest aliam à subiecto expellere; & è cōtra: alia inter formas, quarum vna est alteri *actiuè* incompatibilis, & alia solum *passiuè*, & in his, quę alteri *actiuè* incōpatibilis est, potest illam destruere, & expellere à subiecto, quæ vero solum passiua incompatibilitate gaudet, quā tumvis alteri formæ opponatur, non potest illam destruere; vt peccatum veniale, licet opponatur cum statu innocentiæ; quia hic status secum non patitur veniale peccatum; non tamen potest statum innocētiæ destruere, & huius conditionis est oppositio essentialis, quæ versatur inter gratiam vnionis, & peccatum veniale, quæ ideo inter se opponūtur: quia gratia vnionis illud secum non compatitur; non autem quia peccatum veniale, possit destruere gratiam vnionis.

122 *Instabis*

Sed dices: iuxta Auctores secundæ sententiæ potest humanitas vnita Verbo cōmitere peccatum mortale disoluens, destruensque vnionem: ergo saltim in hac sentētia potest etiam delinquere leui peccato disoluente, & destruente hypostaticam vnionem; & consequenter peccato veniali inest vis vnionis destructiua.

*Respondent aliqui.*

Respondent præfatæ sententiæ Auctores, concedendo consequentiam: nec sequitur, esse graue; non enim demeritoriè destrueret, sed per modum formę cum vnione incompatibilis, licet autem ad destruendam vnionem demeritoriè requiratur æqualitas culpæ cum pœna, atque adeò non esse, scilicet, destructio vnionis, quæ pœna grauis est, non possit demeritoriè à peccato leui causari, vt autem vnio destruatur per formam incōpossibilem non exigitur talis æqualitas, vnde peccatum leue, quamuis in morali æstimatione non adæquet destructionem, vel non esse vnionis hypostaticæ, potest illam destruere per modum formæ incompossibilis, quin ex hoc graue consurgat.

123 *Nō pla-*

Hæc tamen solutio non placet; nā licet verum sit ad expulsionem alteri⁹ via incompossibilitatis non requiri moralem æqualitatem, vt constat in gratia habituali, quæ iuxta frequentiorē, & veram sententiam, peccatum mortale expellit se ipsa sine nouo Dei fauore, quāuis illius dignitas non adæquet grauitatem peccati: ex hoc tamen solum sequitur, posse destrui vnionem hypostaticam per peccatum veniale, vt formam incompossibilem, quin ex hoc sit mortale ex sua specie, non tamē, quin sit mortale ob nocumētū illatum: ergo saltim ex hoc capite necessario erit mortale. Probo antecedens, peccatum ex specie graue, ex nocumento illato, si graue sit, nouam, & distinctam accipit grauitatem: ergo peccatum leue de se, ex nocumento graui, grauitatem accipiet; at destructio vnionis hypostaticæ graue nocumentum est humanitatis vnitæ: ergo peccatum vnionem disoluens, non potest non esse graue grauitate accidentali accepta ex nocumento illato, quāuis veniale ex sua specie maneret, & hoc consequēter ad illam sententiam est asserendum. Cęterum ex hoc principio inter alia *infra* à Nobis confutabitur, vnde stādum est solutioni prius traditæ.

*cet ista solutio.*

*Respōd.*

## §. VI.

### *Nullum actuale peccatū posse in humanitate cum vnione ad Verbum componi, auctoritate, & vna ratione probatur.*

124 *Tertia cōclusio.*

Sit Tertia Conclvsio. *Implicat humanitatem Verbo vnitam delinquere peccato actuali cum vnione cōposito.* Ita Auctores tertię sententiæ in eo gradu certitudinis, vt oppositā grauiter notent. Capreolus illam cen-

*Capr.*

set

*Medin.* *Vincent.* *Cabrera* *Aluar.* *Suarez* *Granad.* *Vazq̃z*

set hæreticam, & blasphemam. Medina errori proximam. Vincentius parũ consonam Concilijs, & Patribus, male sonantem, & piarum aurium offensiuam. Cabrera dolosam. Aluarez maximè temerariam. Suarez temerariã, & impiam. Granadus absurdã, & plusquam temerariam. Vazquez nota aliqua dignam. Alij tamen Recentiores tamerli sententiam oppositam à nota hæresis liberent; quia nostra nullibi est expresse diffinita, & à nota erroris; quia ex reuelatis non potest euidenter inferri, & à nota propriæ temeritatis; quia, nec omnes Patres, nec Theologi omnes nostram sententiam defendunt, censent tamen esse impiam, piarum aurium offensiuam, & Theologo indignam, eijsdemque notãt censuris sententiam componentem peccatum habituale cum hypostatica vnione de potentia absolutã.

125 *Probat. primo ex PP. Dionisi⁹ Augusti. Athan. Epiph. Gregor. Origen. Hylari⁹ Vazq̃z*

Quæ ostenditur primo ex Patribus passim asserentibus, Christum non solum vt Deum, verum etiam vt hominem fuisse impeccabilem. Ita Dionisi⁹ Alexandrinus *in Epistola contra Paulũ Samosetanum, circa finem* Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 11. lib. 2. de Incarnatione Verbi circa medium, & prope finem lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. & in Enchiridione cap. 40.* Athanasius *lib. de Incarnatione Christi parum à principio* Epiphanius *in Anchorato longe post medium* Gregorius Nazianzenus *oratione 36. quæ est quarta de Theologia. nu. 46.* Origenes *lib. 2. Periarchon cap. 6. post medium*, Hylarius *lib. 1. de Trinitate circa medium*, explicans illud ad Romanos 8. *in similitudinem carnis peccati*, quorum verba referunt, & docte ad nostrum intentum ponderant Recentiores *in præsenti*, & fusius Pater Vazquez *disp. 61. cap. 3.* vbi ex illis colligit, sententiam contrariam esse graui aliqua nota dignam; sed si Christus non peccasset, ad peccandum tamen potentiã haberet, falso à Patribus impeccabilis diceretur: ergo iuxta Ecclesiæ Patres humanitas Verbo vnita, nedum non peccauit, verum nec peccare potuit in sensu compositio vnionis.

126 Quod amplius vrgetur *ex sexta Synodo Constantinopol. generali actione 8.* Vbi contra Macharium, & Stephanũ negantes duas voluntates naturales in Christo humanam scilicet, & diuinã; eo quod aliàs habuisset voluntatem peccabilem: diffinitur, duas voluntates habuisse, diuinam scilicet, & humanam impeccabilẽ. Verba *Synodi* tomo 3. Conciliorum p. 2. pag. mihi 34. sunt: *Si itaque, & humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster, & Deus Iesus Christus, & diuinam ante sæcula cum Patre, & Sancto Spiritu habuit voluntatem, proculdubio duas naturales voluntates in Christo Ortodoxos oportet confiteri*, & pag. 31. infine sic ait: *Impossibile enim est in vno, eodemque Christo Deo nostro duas simul, & ad inuicem contrarias, seu dissimiles existere volũtates.* Rationemque reddit verbis sumptis ex Gregorio nisseno: *Quia quemadmodum corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra: ita & in homine Christo tota luminis eius conspersio ab eiusdem Verbi diuinitate, semper, & in omnibus mota Deo mouilis fuit.* Vbi, vt clare constat, impossibilitas volitionis creatæ cõtrariæ volũtati diuinæ in voluntate Christi humana, quæ eadem est cum incapacitate peccãdi, reducitur ad regimen Verbi, quo semper regebatur voluntas Christi creata; sed hoc regimen non potuit non esse; cum oriatur ex vnione humanitatis ad Verbum: ergo humanitas Verbo vnita peccare non potuit.

*Secundo probat. ex Cõcilijs.*

127 *Respondebis. 1.*

Respondeti potest primo, explicãdo Verba Patrum de impeccabilitate de lege ordinaria, non autem de potentia absoluta; primum autem Auctores sententiæ contrariæ nõ negant.

*Secundo*

Vel secundo responderi potest, loqui de impeccabilitate de potentia absoluta, non tamen illam tribuere humanitati, vt vnitæ tantum Verbo, sed vt ornatæ gratiæ donis, & beatifica visione, & ita verum est, non potuisse de potẽtia absoluta peccare. Ex hoc tamen non colligitur, non posse de potentia absoluta peccatum actuale cum vnione ad Verbum coniungi; potuit namque vnita manens, donis gratiæ, & beatifica visione exornata non esse, cui

prout

prout sic sumptæ, peccatum non repugnaret, & in hoc sententia contraria consistit.

128 *Cõtra 1. solutionẽ obstat*

Nulla tamen ex his solutionibus argumenti eleuat vires, & prima reijcitur: etenim Patres loquũtur de impeccabilitate soli Christo conuenientẽ; at impeccabilitas de lege ordinaria, soli Christo non conuenit: ergo ineptè de hoc genere impeccabilitatis explicantur. Consequentia tenet. Minor constat: nam Beatissimã Virginẽ nunquã de facto peccasse, est de fide; & cõsequẽter nõ potuit de lege ordinaria peccare; id nãq; dicitur de lege ordinata, vel ordinaria impossibile, quod secundum legem à Deo statutam accidere nequit: ergo iste modus impeccabilitatis soli Christo non conuenit.

129 *Maior probatur 1.*

Maior autem ostenditur primo ex Augustino *lib. 2. de Incarnatione Verbi circa medium*, vbi de anima Christi loquens, sic ait: *Oleo ergo lætitiæ vngitur cum Verbo Dei immaculata fœderatione coniuncta est, & per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit: quia Filij Dei, bexè, & plenè capax fuit*: ergo incapacitas peccãdi, de qua loquitur Augustinus soli conuenit animæ Christi. Secundo; nam verba, quę ex Hilario adducuntur, sunt: *Hominem Christum non potuisse admittere peccatum, dum Christus est*; & quod, *qui Christus est, non potuit amittere, quod Christus est*: ergo loquitur de impotentia peccandi Christo propria, & nulli alteri à Christo communi. Denique: nam omnes Patres allegati ex deificatione substantiali humanitatis à Verbo, probant impotentiam peccandi: ergo loquuntur de incapacitate peccandi, quæ soli conuenit Christo.

*Secundo*

*Hilar.*

*Tertio.*

130 *Secunda solutio impugnatur 1.*

*Secũdo.*

Et ex his secũda solutio, reijcitur primo; nã impeccabilitas ratione visionis beatificæ nõ conuenit soli Christo, sed etiam alijs beatis; sed Patres loquũtur de impeccabilitate soli Christo cõueniente: ergo non loquuntur de impeccabilitate orta ex visione beatifica. Deinde: nam probant impeccabilitatem Christi ex vnione substantiali ad Verbum: ergo loquuntur de impotentia peccandi conueniente ratione talis vnionis. Consequentia tenet. Antecedens autem fusè, & doctè probat Vazquez *disp. allegata cap. 3.* & constat primo ex verbis Augustini *proximè* adductis, & *lib. 2. de Incarnatione Verbi*, & insuper in eodem libro circa finem, vbi de anima Christi loquens, sic ait: *Et ideo nec vertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ inconuertibilitatem ex Verbi Dei vnitate indesinenter ignita possidebit.* Et paucis interpositis explicans illud Psalmi 34. *Quia vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præconsortibus tuis*, sic ait: *Ostendit, quod ista anima aliter oleo lætitiæ, id est, Verbo Dei, & sapientia vngitur, & aliter participes eius; illi enim in odore vnguentorũ eius cucurrisse dicuntur, ista vero anima vasculum vnguenti ipsius fuit. Sicut ergo alius est vnguenti odor, & alia est vnguenti substantia, ita aliud est Christus, & aliud participes sui, & sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris, ita anima Christi, velut vas, in quo inerat substantia vnguenti, impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorẽ.* Ergo iuxta Augustinum ideo anima Christi incapax peccati fuit, quia non sola participatione diuinæ sanctitatis, quam nomine *odoris vnguenti* intelligit, sed diuinitate ipsa, quam *vnguentum* vocat, fuit vncta; & consequenter quia fuit substantialiter diuinitati vnita, & coniuncta. Tertio: ex Dionisio Alexandrino, vbi *supra*, illis verbis: *Ni si fuisset idem, qui erat Deus Verbum non poterat esse alienus à potestate peccandi*: ergo quia anima Christi erat Verbo Dei vnita incapax peccati fuit. Quod etiam præter alios Patres expressissimè docet Anselmus *lib. 2. Cur Deus homo cap. 10. in principio*, vbi docet: *Christum idcirco non potuisse peccare, quia non solum homo, sed etiam Deus erat.*

131 *Psal. 34.*

*Aug.*

*Tertio.*

*Dionis.*

*Anſel.*

Respondent Discipuli Scoti, Patres probare impeccabilitatẽ in Christo ex vnione substantiali ad Verbum, non quia ipsa sit essentialiter cum peccato incompossibilis, nec tanquam ex ratione formali impeccabilitatis, sed quia ratione illius erant debita, debito congruẽtiæ, dona gratiæ, & fruitio

132 *Respondent 1. Scotistæ*

bea-

beatifica, ratione quorum illi repugnabat peccatum; quia tamen hæc dona potuerunt de potentia absoluta non infundi humanitati Christi; hinc, fit vt Verbo vnita manens, potuerit de potentia absoluta peccare. Secundo Recentiores quidam pro discipulis Scoti respondent, Patres probare ex vnione ad Verbum impotentiam peccandi ex natura rei, eo quod tali vnioni naturaliter repugnat peccatum, non autem incapacitatem peccandi de potẽtia absoluta; vnde ex Patribus non probatur efficaciter communis sententia, quę de repugnantia essentiali secundum absolutam potentiam procedit.

*Secundo respond. Recẽtiores.*

133 *Prima solutio reijcitur. 1.*

Neutra tamen solutio satisfacit argumento, & prima reijcitur primo; nam Dionisius Alexandrinus taliter attribuit impeccabilitatem Christo ratione diuinitatis, quod si non esset Deus non posset esse alienus à potestate peccandi; sed si esse Deum, non esset ratio impeccabilitatis, sed solum reddens debitam debito congruentiæ formam talis impeccabilitatis, posset esse alienus à potestate peccandi quamuis Deus non esset, dummodo beatifica fruitione ornaretur, vt in cæteris beatis de facto contingit: ergo iuxta Dionisium incapacitas peccandi conuenit Christo ratione vnionis formaliter, & non tantum radicaliter congruenter.

*Secundo*

Deinde, nam iuxta Hylarium Christus non potuit admittere peccatum dum Christus est; eo quod, qui Christus est, non potuit amittere, quod Christus est; sed potuit manens Christus beatifica fruitione carere: ergo ex mente Hilarij Christum non posse peccatum admittere, non prouenit ex beatifica fruitione adæquate formaliter, & ex vnione congruenter, sed ex ipsa vnione formaliter.

134 *Tertio.*

Præterea; nam iuxta Augustinũ, sicut vnguentum vas replens, illud reddit incapax alterius liquoris, ita substantia vnguenti, hoc est, Verbum replens animam Christi, illam constituit incapacem odoris contrarij, hoc est, odoris peccati; sed vnguẽtum vas materiale replens se ipso formaliter illud reddit incapax alterius liquoris: ergo Verbum ipsum replens humanitatem Christi formaliter illam reddit culpæ incapacem.

135 *Quarto.*

Denique; nam iuxta hanc solutionem vnio humanitatis ad Verbum, non est causa impeccabilitatis sufficiens; cum vltra illam sit necessaria fruitio beatifica, nec causa sine qua non, hoc est necessario requisita, vt humanitas impeccabilis esset; cum beatifica fruitio illam Verbo non vnitam impeccabilem constitueret; fruitio autem beatifica esset causa sufficiens, & necessaria: ergo Patres explicare intendentes causam impeccabilitatis in humanitate Christi diminute processissent, assignantes pro causa impotentiæ pecandi vnionem humanitatis ad Verbum, & fruitionem omittentes.

136 *Cõtra secundã solutionẽ obstat primo.*

Deinde secunda solutio reijcitur primo; quia ad mentem Scoti non est, nec discipulorum eius; hi namque in vnione hypostatica, nec oppositionẽ ex natura rei cum peccato recognoscunt; sed solum congruentiam quamdam, vt Deus intuitu illius humanitatem gratię donis exornet, & simul fruitione beatifica, cum quibus peccatum nequit componi: ergo Recentiores prædicta solutione vtentes innane patrocinium assumũt.

*Secũdo.*

Præterea; nam si humanitati vnitæ ratione vnionis ad Verbum debetur ex natura rei fruitio beatifica, cum qua peccatum repugnat, & ex hoc redditur ex natura rei impeccabilis, etiã debetur humanitati ratione eiusdem vnionis ex natura rei, quod Deus cum illa ad peccatum non concurrat; sed cum hoc debito nõ stat humanitatem Verbo vnitam posse de potentia absoluta peccare: ergo admisso ex mente Patru vnionem humanitatis ad Verbum illam ex natura rei constituere impeccabilem, sequitur non posse de potentia absoluta peccare. Consequentia probatione non indiget. Maior constat; non enim est maior ratio, cur vnioni ad Verbum debeantur bona positiua, quam carentia mali: ergo si ratione vnionis debetur humanitati beatitudo, quæ est omne bonum, etiam debetur humanitati omnis mali carentia; & consequenter carentia peccati. Ex quo vlterius fit vt humanitati ratione vnionis ex natura

rei debeatur, quod Deus cum illa non concurrat ad peccatum.

137 *Repugnat Deo specialis in peccatum concursus.*

Minor autem probatur: Deo nãque essentialiter repugnat speciali cõcursu in peccatum influere, vt fatẽtur omnes Theologi; aliàs esset causa, & Auctor peccati; cum omne, quod Dei specialem terminat concursum, in ipsum, vt in causam propriè talẽ, & Auctorem reducatur; sed eo ipso, quod ratione vnionis ex natura rei debeatur humanitati carentia concursus Dei ad peccatum, Deus ad peccatum concurrens speciali concursu vteretur: ergo cum debito connaturali negationis concursus diuini ad peccatum, nõ potest humanitas de potentia absoluta peccare. Maior cum consequentia tenet. Minor autẽ probatur: tùm, quia Deus contra prædictum debitum operans miraculosè operaretur: ergo cõcurreret concursu speciali. Tùm etiã: nam tunc Deus concurrit concursu generali quando operatur iuxta exigentiam, & debitum causæ secundæ: ergo concurrens ad peccatum contra exigentiam humanitatis vnitę, & contra debitum connaturale illi competens ratione vnionis ad Verbum, non concurreret concursu generali, sed concursu speciali vteretur: ex quo fieret, vt Deus esset Auctor, & specialis causa peccati, quod implicat.

138 *Tertio probatur conclusio ratione.*

Deinde probatur conclusio: cui namque repugnat peccatum habituale, repugnat etiam actuale, & eadem repugnantia; sed humanitati vnitæ essentialiter repugnat peccatum habituale, siuè graue, siuè leue in sensu cõposito vnionis: ergo etiam illi essentialiter repugnat quodvis actuale peccatum; & consequenter implicat humanitatẽ Christi peccare peccato actuali cum vnione ad Verbum composito. Consequentia tenet. Minor constat ex prima, & secunda conclusione: Maior autem ostenditur primo: nam peccatum actuale, & peccatum habituale sunt eiusdẽ speciei, & eosdẽ habet effectus; sed quod peccatũ habituale subiecto ratione alicuius formę repugnet, oritur ex illius prædicatis essentialib⁹, & ex effectibus, quos subiecto communicat: ergo cui repugnat peccatum habituale actuale, etiam necessario, repugnat. Secũdo: nam peccato actuali est essentialiter annexum peccatum habituale: ergo non stat essentialis repugnantia alicuius formæ cum peccato habituali sine repugnantia essentiali cum actuali peccato.

Confirmatur, & explicatur primo; ideo vnio hypostatica repugnat essentialiter cum peccato graui habituali, quia ratione vnionis redditur humanitas digna complacentia amicabili Dei, & æterna beatitudine; peccatum autem habituale oppositos præstat effectus constituendo subiectum, cui inest obiectum inimicitiæ diuinę, & beatitudine indignum; sed eosdem effectus pręstat actuale peccatum: ergo vnio hypostatica pugnans essentialiter cum peccato habituali, non potest non opponi essentialiter cum peccato actuali.

139 *Cõfirmatur 1.*

Vrgetur, & explicatur secundo: ideo vnio hypostatica opponitur essẽtialiter cum peccato leui habituali, quia humanitas ratione vnionis redditur obiectum dignum omni complacentia diuina, & gloria statim conferẽda; peccatum autem leue habituale constituit subiectum, cui inest dignũ aliqua displicentia, etsi leui, & indignum collationis gloriæ statim; sed hæc ratio æquali efficacia militat in peccato leui actuali; cum eosdem pręstet effectus: ergo vnio hypostatica pugnans essentialiter cum peccato leui habituali, non potest non opponi essentialiter cum peccato leui actuali. Denique confirmatur: implicat enim vnum, & idem subiectum infinitè esse sanctum, & peccato actuali infici; sed humanitas ex vnione ad Verbum redditur sancta infinitè, vel simpliciter, vel in linea sanctitatis ad extra communicabilis: ergo implicat in sensu composito vnionis infici actuali peccato.

140 *Cõfirmatur 2.*

*Cõfirmatur 3.*

Respondebis cum iuniori quodam, cui ratio hęc sumpta ex formali repugnantia vnionis hypostaticę cum peccato, tùm habituali, tùm actuali, displicuit; humanitatem sanctificari infinitè, si in illa non adsit impedimẽtum peccati; secus verò si peccato im-

141 *Respondet Recentior quidam.*

pedia-

pediatur; tunc enim non poterit ſanctificari infinitè, imo nec ſanctificari, ſicut dici ſolet de gratia habituali. Quod paritate confirmat; nam ſanctitas ſubſtantialis, etiam ſi vniretur irrationali naturę, nō ſanctificaret illam; eo quod eſt incapax effectus, vel quaſi effectus ſanctitatis: ergo pariter naturam peccato actuali, vel habituali infectam, non ſanctificaret infinitè ob incapacitatem infinitæ ſanctitatis ratione peccati.

*Motiuū ſolutionis.*

142 *Reijcitur ſolutio.*

*Impedimentum auferibile performā, eius effectum nō impedit.*

Sed contra: nam impedimentum non eſſentiale ſubiecto, & auferibile à forma, non tollit ab illa ſui effectus formalis communicationem; ſed peccatum, ſiuè actuale, ſiuè habituale non eſt eſſentiale ſubiecto, & aliàs eſt auferibile, aut deſtruibile per vnionem hypoſtaticam: ergo impedire nō poteſt, vt ſanctitas ſubſtantialis media hypoſtatica vnione, infinitè humanitatem ſanctificet. Conſequentia tenet; nam eo ipſo, quod tale impedimentum ſit per formam deſtruibile per illam, cōmunicatam deſtruitur; ac proinde obſtare nequit effectui formali formę. Minor pro prima parte eſt nota: pro ſecunda autem probatur primo: nam ſanctitas in puritate, & munditia conſiſtit: ergo forma ſanctificatiua eſt animæ mundatiua; & conſequenter deſtructiua impuritatis, in qua peccatū cōſiſtit; ſed gratia vnionis eſt de ſe ſanctificatiua infinitè: ergo habet vim expulſiuam, & deſtructiuam impuritatis peccati. Secundo: non enim poteſt aliqua ratio aſsignari, cur ſanctitas ſubſtantialis, vi expulſiua, & deſtructiua peccati non gaudeat: ergo peccatum deſtruibile eſt per vnionē hypoſtaticā.

143 *Reſpondet præd. Recentior duplicē aſsignando rationem. Prima eſt. Secūda.*

Reſpondebis ex prædicto Recentiori duplici ratione non poſſe. Primo: quia vnio hypoſtatica aliquid phyſicum eſt, peccatum autem, ſiuè actuale, ſiuè habituale formaliter in aliquo morali conſiſtit; ac proinde non poſſunt phyſicam repugnantiam habere, quod neceſſarium erat, vt gratia vnionis vi expulſiua, & deſtructiua illorum gauderet. Secunda: quia ſubiectum phyſicum peccati actualis, & proximum habitualis, & vtriuſque quaten⁹ moralis, eſt ſola voluntas realiter diſtincta ab anima; ac proinde Verbo nō vnita phyſicè; & ideo vnio hypoſtatica in anima ſolum recepta, non poteſt phyſicè cum peccato, ſiuè actuali, ſiuè habituali pugnare.

144 *Prima ratio impugnatur.*

Sed neutra ratio ſatisfacit, non prima: nam licet extremum phyſicum non præſtans effectum moralem nequeat phyſicè cum morali opponi; ſi tamen moralem effectum præſtet, nō eſt cur cum morali extremo phyſicè pugnare non poſsit, hoc eſt, ex natura rei ab intrinſeco; ſed vnio hypoſtatica huius cōditionis eſt; nam illa mediante vnitur Deitas humanitati, quæ moraliter illam ſanctificat, conſtituitque obiectum congruum dilectionis amicabilis Dei, dignumque omni cōplacentia diuina: ergo pugnat phyſicè, hoc eſt, ex natura rei ab intrinſeco cum peccato, oppoſitos effectus præſtante; & conſequenter habet vim deſtructiuam illius.

145 *Secūda ratio reijcitur 1.*

Deinde ſecunda ratio reijcitur primo: nam peccatum habituale non in voluntate, ſed in anima ſubiectari immediatè, docet vera, & frequentior Theologorum ſententia: ergo vnio hypoſtatica in anima immediatè recepta, habere poteſt phyſicam, eſſentialemque oppoſitionem cum illo; & conſequenter habere vim illius deſtructiuam; ſed peccatum actuale habet eſſentialem connexionem cum peccato habituali: ergo vnio hypoſtatica immediatè eſſentialiter cum peccato habituali oppoſita, mediate eſſentialiter pugnat cum actuali, quamuis immediatè in voluntate recepto.

146 *ecūdo.*

Secundo: nam licet demus, peccatum habituale immediatè recipi in voluntate realiter ab anima diſtincta, eſt tamen illi eſſentiale mediate animam inficere; aliàs poſſet voluntas eſſe infecta peccato, & non anima, quod nullus Theologorum admiſit, ſed huic animæ infectioni eſſentialiter opponitur gratia vnionis immediatè: ergo mediatè eſſentialiter pugnat cum infectione voluntatis; & conſequenter licet peccatum habituale ſit immediatè in voluntate receptum, ſaluabitur oppoſitio eſſentialis gratię ſubſtantialis vnionis cum illo.

De-

147 *Tertio.*

Denique: nam licet voluntas realiter distinguatur ab anima, sanctificatur per gratiam vnionis: ergo licet in illa immediatè recipiatur peccatum habituale, opponitur gratia vnionis cum illo. Consequentia tenet; nam sanctificatio voluntatis opponitur cũ illius infectione: ergo si gratia vnionis sanctificat voluntatem, esto realiter distinguatur ab anima, talis distinctio non obstat oppositioni gratiæ vnionis cum peccato inficiente voluntatem. Antecedens probatur: licet voluntas realiter distinguatur ab anima, & ideo non vniatur Verbo immediatè, mediatè tamen vnitur; sed vnio mediata cum Verbo, sufficit, vt sanctificetur ab illo: ergo licet voluntas realiter distinguatur ab anima, sanctificatur per gratiam vnionis. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: licet actus voluntatis non recipiantur in supposito Christi immediatè, nec illi immediatè vniantur, dignificantur à Verbo, & ab illo infinitè valorãtur. ergo mediata vnio voluntatis cũ Verbo sufficiet, vt sanctificetur ab illo.

## §. VII.

### *Alia ratione nostra conclusio probatur.*

148 *Tertio probatur conclusio ratione alia.*

TERTIO probatur conclusio: Verbo nãque ex vnione humanitatis ad ipsum incumbit obligatio gubernãdi humanitatem, eamq; in officio cõtinendi; ac proinde, si humanitas assumpta peccaret, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur; sed implicat Verbum in se ipso peccare: ergo implicat etiam peccare humanitatem assumptam peccato cum vnione ad Verbum compositio. Consequentia, & minor probatione nõ indigent. Maior autem, in qua est difficultas, probatur à quibusdam Recentioribus; nam pater naturali obligatione tenetur gubernare filium naturalem: ex quo fit, vt peccata filiorum parentibus attribuantur, si illa vitare potuerunt; sed Christus, vt homo, est Filius naturalis Trinitatis: ergo tota Trinitas; & consequenter Verbum tenetur gubernare Christum, vt hominem, & ipsam humanitatem, taliter, quod peccata humanitatis toti Trinitati, & consequenter Verbo attribuantur.

*Maior à Recentioribus sic probatur.*

Hæc tamen probatio ex falso principio procedit; vt enim *Tract. de filiatione Christi* monstrabimus: Christus, vt homo, Filius naturalis Trinitatis non est, sed solius Patris Æterni filiatione fundata in æterna generatione. Deinde: nam denominatio filij naturalis non conuenit Christo, vt homini, ly *vt* supra humanitatem cadente, nec reduplicatiuè, nec specificatiuè, vt *ibi* ex D. Thom. probabimus, sed cadente supra suppositum, nõ prę cisè, vt terminat humanitatẽ, sed quatenus, prout in illa subsistens, subsistit etiam in diuina natura: ergo ex eo præcisè, quod Christus Filius naturalis sit, solum sequitur, quod Pater illum prout in vtraque subsistentem natura gubernare teneatur; ac proinde, quod prout sic, sit impeccabilis, non autem, quod prout subsistens in humanitate, qua ratione suppositum humanũ constituit, peccare non possit.

149 *Cõtra 1.*

*Secundo*

Denique, licet admittatur, Christum in quantum hominem, ly *in quantum* determinante humanitatem, esse Filium naturalem Dei, vrgent aliqui contra probationem: nam obligatio gubernandi in Parentibus creatis, non solum ad filios naturales, sed etiam ad filios adoptiuos extenditur; sed ex eo quod sit in parente creato, obligatio gubernandi filios adoptiuos, non licet similem obligationẽ colligere in Deo; aliàs peccata commissa ab homine iusto, Deo attribuerentur: ergo pariter obligatio parentis creati gubernandi filios naturales, non probat similem obligationem in Deo ex præcisa ratione naturalis filiationis.

150 *Tertio ab aliquibus impugnatur.*

Secundo ab alijs Recentioribus probatur; omne namque suppositum intellectuale, naturam sibi propriam gubernare tenetur, vnde peccata à naturis cõmissa suppositis attribuuntur;

151 *Secũdo ab alijs probatur.*

sed

sed humanitas ex vi vnionis ad Verbū fuit facta natura propria Verbi, non minus, quam aliæ sunt propriæ suorū suppositorum: ergo Verbum ratione vnionis humanitatis ad ipsum tenetur gubernare humanitatem, ipsamque continere, ne peccet; ac proinde peccatum commissum ab humanitate assumpta, Verbo in se ipso attribueretur, & humanitate peccāte, Verbum peccabit, non solum *denominatiuè*, & per communicationem idiomatum, sed etiam *propriè*, & prout in diuinitate subsistens.

152 *Nō vrget istorum probatio.*

Sed nec ista ratio vrget; nam maior assumpta est falsa, quod probo: nā gubernatio, obligatioque gubernandi, petit extrema capacia diuersarum operationum, vnde cum homo se ipsum dirigit, & gubernat, diuersæ intercedūt operationes, & operatio ipsius, vt gubernantis, non est eius, quatenus gubernati; sed nulla operatio conuenit supposito intellectuali creato, quę non conueniat naturæ: ergo falsum est omne intellectuale suppositum teneri, propriam gubernare naturam. *Cōfirmatur.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; si omnis operatio patris esset filij, & è conuerso, & omnis operatio Domini, seruo etiam attribueretur, non posset dici, Patrem, Filium gubernare teneri, nec Dominum teneri gubernare seruum; ideoque homo in quantum rationalis tenetur gubernare se ipsum, vt sensitivum, & ratione voluntatis adstringitur ad regēdum, gubernandumque appetitum: quia operatio hominis, vt rationalis, ipsi, vt sensitiuo, non conuenit, operatioque homini ratione voluntatis cōueniens, ratione appetitus sensitiui eidem non attribuitur, sed alia diuersa; sed supposito intellectuali creato nulla conuenit operatio, quæ non conueniat naturæ, imo omnis operatio illi conuenit ratione naturę: ergo falsum est asserere, omne suppositum intellectuale teneri propriam gubernare naturam: vnde quod peccata naturæ supposito creato attribuantur, non prouenit ex prædicta obligatione, sed quia eisdem legibus, quibus obligatur natura, suppositum etiam ligatur, & quia nulla est in natura operatio, quæ suppositi etiam non sit, & vtrique conueniat, naturę, vt principio *quo*, & supposito, vt principio *quod* operandi.

153 *Objicies*

Dices, saltim est verum omne suppositum naturæ intellectualis teneri rectè se ipsum gubernare in proprijs operationibus: ergo tenetur etiā propriam gubernare naturam; & consequenter Verbum humanitatem assūptā, quæ ex vi assumptionis est propria, tenebitur gubernare. *Respōd.* Respondeo, cōcesso antecedenti, distinguendo consequens: obligatione, qua etiam ipsa natura tenetur, concedo consequentiā: obligatione distincta, nego consequētiam: ex quo solum sequitur, Verbū prout subsistens in humanitate obligari ad gubernandum se ipsum, vt hominem, & suam humanitatem, obligatione, qua ipsa humanitas obligatur, non autem, quod Verbum prout in diuinitate subsistens, teneatur speciali obligatione gubernare se ipsum, vt hominem, & suam humanitatem; ac proinde, solum sequitur, peccante humanitate, peccaturum Verbum, vt in illa subsistens, nō autem in se ipso, vt subsistens in diuinitate, quod ratione nostra intenditur.

154 *Maior assūpta probatur* 1.

Vnde, omissis his probationibus, maior assumpta suadetur primo: quia quoties duo vniuntur in aliqua natura, vel persona, inferior naturaliter subordinatur superiori; & consequenter superior tenetur inferiorem regere, & gubernare; sed ex vi vnionis humanitatis ad Verbum, natura humana, & diuina conueniunt in vna Christi persona: ergo ratione huius vnionis tenetur diuina natura regere, & gubernare naturam humanam; & consequenter peccatum humanitatis vnitæ attribueretur Verbo, nedum vt subsistenti in humanitate, sed etiam secundum se, & vt in diuinitate subsistit.

155 *Secūdo.*

Secundo, & est maior explicatio præcedentis probationis: quia namque corpus est inferius anima, & per vnionem conueniunt in eadem natura, ex tali vnione inducitur in anima obligatio regendi corpus; sed humanitas est inferior diuinitate, & ex vi vnionis hypostaticæ, cōuenit cum Deitate

in

in eadem Christi persona: ergo ex vi huius vnionis incumbit diuinitati specialis obligatio gubernandi humanitatem; & consequenter peccata humanitatis assumptę diuinitati attribuerentur.

156 *Tertio.* Tertio; cum namque in vna, & eadem natura conueniunt inferior, & superior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per potentiam superiorem, vt constat in natura humana, quæ naturali obligatione tenetur per voluntatem regere, & gubernare appetitum inferiorem: ergo pariter cum duę naturæ conueniunt in vna, & eadem persona consurgit in illa obligatio regendi inferiorem per superiorem naturã; & consequenter Verbo, in quo ex vi vnionis humanitatis ad ipsum, conueniunt natura humana, & diuina, incumbet specialis obligatio regendi, & gubernandi naturam humanam per diuinam; & consequenter peccatum humanitatis vnitæ attribuitur Verbo, non solum ratione voluntatis humanæ, sed etiam ratione voluntatis diuinæ.

157 *Ratio facta ex D. Tho. colligitur.* Hanc rationem insinuat D. Thom. *in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. in corp.* & ad Annibaldum *in eadem distinctione q. vnica art. 3.* vbi ait: *Humanitatem ideo non potuisse peccare, quia fuit instrumentum diuinitatis eam mouentis; diuinitas autem non potuit illam ad malum mouere.* Quæ doctrina non sic accipienda est, quod humanitas in omnibus suis operibus propriè fuerit instrumentum diuinitatis; sed quia sicut instrumentum non agit, nisi vt subordinatum principali agenti, ita humanitas Verbo vnita in omnibus suis actionibus diuinitati, vt regenti, gubernantique subdebatur, eo autem ipso, quod humanitas ex vi vnionis hoc modo diuinitati subdatur, non potest in peccatum exire, quin tale peccatum Deo, vt specialiter mouenti, & gubernanti respondeat. Illa vsi sunt Paludanus, & Capreolus *locis supra allegatis*, & ex ipsis, Medina, Cabrera, Aluarez, Nazarius, Zippullus, & alij Recentiores Thomistæ, Suarez, Beccanus, & Granadus, quos plures alij Recentiores sequuntur. Et videtur non obscurè tradita à sexta Synodo generali, & Constantinopolitana tertia, *actione 8.* vbi ait: *In vno, & eodem Christo Deo nostro impossibile fuisse contrarias, & dissimiles voluntates existere, quia quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra, ita & in homine Christo tota hominis eius conspersio ab eiusdem Verbi diuinitate semper, & in omnibus mota Deo mouilis fuit.* Illamque doctè ex Patribus deducit Suarez, & præcipuè ex Epiphanio in Anchorato, non longe à fine, vbi ait: *Sicut superne perfectus est, etiam inferne, quod si inferne imperfectus esset, etiam superne*: ergo sentit defectum voluntatis humanæ inferioris, necessario redundare in defectum voluntatis superioris, nempè, voluntatis diuinæ.

*Palud. Capr.*

*Eadem vtitur 6. Synodus Generalis*

158 *Ad illã respõdet P. Vazquez.* Hæc tamen ratio displicuit Patri Vazquez *disput. allegata cap. 5.* & respondet, negando esse ex vi vnionis aliquam specialem obligationem in Verbo, quatenus Deo, gubernandi humanitatem, quamuis in eadem persona cum Deitate coniuncta, nec est eadem ratio in anima, & voluntate respectu corporis, & appetitus; quod namque in homine sit obligatio regendi corpus per animam, & appetitum per voluntatem, non oritur præcisè ex illorum cõiunctione, sed quia sola anima, vt agit per voluntatem, capax est obligationis, eo quod solum anima, vt per voluntatem agit, est libera; & ideo tenetur per voluntatem membra, & appetitum dirigere: in Christo autem vtraque natura suam habet volũtatem liberam: vnde humanitas per voluntatem creatam potest, & tenetur membra sui corporis regere, & gubernare appetitum, quibus libertas non inest; ac proinde ex illius coniunctione cum diuinitate in vna Christi persona, non consurgit aliqua obligatio in Verbo regendi voluntatem creatam per voluntatem diuinam.

159 *Reijcitur eius solutio.* Hæc tamen solutio vim rationis factæ non eneruat; quod enim homo teneatur per voluntatem regere, & gubernare appetitum, & omnia sui corporis mẽbra non prouenit ex defe-

ctu libertatis appetitus, & membrorũ, sed ex conuenientia in vna, & eadem natura; vnde quamuis appetitus ratione sui esset capax libertatis, eadem obligatio intercederet: ergo licet voluntas humana Christi gaudeat propria libertate, quia tamen inferior est, & cum voluntate diuina conuenit in vna Christi persona, adest obligatio in Verbo regendi, & gubernandi voluntatem Christi humanam per voluntatem diuinam. Consequentia tenet, & antecedens probatur; filius namque habet propriam libertatem in suis operationibus; & tamen ex coniunctione seminali, qua Pater Filio coniungitur, incumbit patri obligatio, & cura regendi filium: ergo quamuis appetitus propria libertate gauderet, ex coniunctione naturali, quam habet cũ voluntate, illi subordinaretur, & homini vtramque potentiam habenti incumberet obligatio gubernandi appetitum inferiorem per voluntatem, quæ superior est appetitu; & consequenter ex vnione, coniunctioneque personali humanitatis cum diuinitate in Verbo, consurgit in illo obligatio gubernandi inferiorem per superiorem naturam, etsi humanitas ratione sui propria libertate gaudeat.

## §. VIII.

### *Obiectionibus contra rationẽ istam occurritur.*

160 *Contra rationẽ istã oppo nit Vaz quez.*

CONtra rationem istam arguit Vazquez ex Durando. Ratione vnionis humanitatis ad Verbum nulla est obligatio in ipso gubernandi humanitatem, & vitandi illius peccata: ergo ex eo quod humanitas assũpta peccaret, non sequitur eius peccatum specialiter attribuendum Verbo in seipso, & vt in diuinitate subsistit. Consequentia tenet; nam specialis attributio peccati humanitatis ad Verbum in se, fundatur in speciali obligatione regendi, gubernandique humanitatem. Antecedens autem probatur primo; nam Verbum, quatenus Deus, est incapax subiectionis ad legem; cum lex à superiori imponatur, Verbum autem, vt Deus, superiorem nequeat habere: ergo est incapax obligationis moralis, quæ legis effectus est.

*Antecedens probatur.* 1.

161 *Secũdo.*

Secundo probatur; posse namque permittere peccata in creatura rationali conuenit Verbo ratione supremi dominij, ex quo habet illam mouere conformiter ad eius naturam, & quia natura rationalis est libera, & de se indifferens ad bonum, & malum, ei offerre concursũ ad vtrumque indifferentem; sed adhuc supposita vnione humanitatis ad Verbum, Verbum manet supremus dominus humanitatis: ergo adhuc tali vnione supposita, manet cum iure offerendi concursum indifferentem; & consequẽter potẽs permittere peccatum in illa, cum quo non stat obligatio illam regẽdi, & vitandi eius peccata.

162 *Tertio*

Tertio probatur: si namque ex vnione resultaret aliqua obligatio in Verbo, æque primo, & immediate tribus personis competeret; sed ratione vnionis humanitatis ad Verbum non consurgit obligatio immediate, & æque primo tribus personis conueniens gubernandi humanitatem assumptam, & vitandi in illa peccatum: ergo in Verbo talis obligatio non datur. Consequentia tenet. Minor videtur certa; nam vnio non est communis tribus personis: ergo ex illa nequit obligatio consurgere immediate illis conueniens. Maior autem probatur primo; nam obligatio gubernandi humanitatem, si quæ in Verbo reperitur, illi conuenit ratione voluntatis diuinæ; sed hæc est tribus personis communis, illisque immediate conueniens: ergo si ex vnione hypostatica resultat aliqua obligatio in Verbo, vt in Deitate subsistente, talis obligatio, immediate, & æquè primo conuenit tribus personis. Secundo; nam omnis obligatio, vel operationem respicit, vel carentiam operationis ad extra; sed omnis operatio ad extra; & consequenter omnis operationis carentia est communis tribus personis, illisque immediate cõueniens: ergo si datur aliqua obligatio in Verbo, quatenus Deo, est communis trib' diuinis per-

personis, & æquè primo illis competit.

163 *Respondetur ad 1. antecedentis probationem.*

Respondeo, negando antecedēs. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam licet obligatio in creaturis ex lege superioris oriatur; in Deo tamen non ex lege, sed ex rectitudine ipsi essentiali procedit: vnde sicut ex hoc capite tenetur ad non mentiendū, & ad standum promissis, quin vlli legi subiaceat, ita sine subiectione ad legē obligatur supposita vnione humanitatis ad Verbū illam gubernare, & regere, taliter quod in peccatū non cadat. Ad secundam, cōcessis maiori, & minori, distinguo consequens: cum iure, & potentia antecedenti offerendi concursū indifferentē, & permittendi peccatū in humanitate vnita, & in sensu diuiso vnionis, concedo consequētiam: cum iure, & potentia cōsequenti, & in sensu composito vnionis humanitatis ad Verbum, nego consequentiam. Itaque non est de ratione supremi dominij posse potentia cōsequenti, in qua uis suppositione, omne id, quod ante talem suppositionem potest, sed tantū in omni suppositione retinere potentiā antecedentem.

*Ad secūdam.*

164 *Impotētia cōsequēs nō est supremo dominio opposita probatur 1.*

Quod patet: nam Deus ratione supremi dominij est potens conferre hominibus gloriam, & illis gloriam negare, & adhuc suppositis meritis, & pacto, seu promissione præmiandi, perseverat hoc dominium, & in dicta suppositione non manet potēs potentia consequenti ad negandā illis gloriā, sed tantum potētia antecedenti, quatenus scilicet, potest ius in meritis fundatum destruere; & cōsequenter gloriam promeritam non cōferre. Similiter Deus ratione supremi dominij est potēs remittere, & non remittere peccatum hominibus, & hoc dominium supremum perseverat adhuc satisfactione Christi, & illius applicatione suppositā; & tamen non manet potens ad non remittendum peccatum potentia consequenti, & compositiuē cum tali suppositione, sed tantum potentia antecedenti, & in sensu diuiso. Nō ergo est de ratione supremi dominij potentia consequens in omni suppositione ad id, quod ante talem suppositionem poterat, sed saluatur cum potentia antecedenti, & sic in præsenti contingit; Deus namque suppositā vnione humanitatis ad Verbum, manet potens potentia antecedenti ad offerendum humanitati concursum indifferentem, & permittendum in illa peccatum, quia potest vnionem hypostaticam destruere, illique peccatum permittere destructione vnionis suppositā, non tamē manet potens ad permittendum humanitati vnitæ peccatum potentia consequenti, & in sensu composito vnionis: vnde obligatio gubernandi humanitatē, sem perque illi conferendi auxilia determinata ad bonum, & negandi concursum ad malum, rectē in Verbo cum supremo dominio componitur, sicut obligatio acceptandi satisfactionē Christi pro peccato humani generis, & remunerādi merita iustorum illis gloriam conferendo, rectē componitur cum supremo Dei dominio.

165 *Ad tertiā probationē resp. M. Vincentius.*

Ad tertiam antecedentis probationem respondet Mag. Vincentius *vbi supra pag. 36.* negando sequelam: nam licet voluntas diuina sit tribus personis communis, non tamen concurrit ad gubernandā humanitatē, vt cōmunis, sed vt est voluntas Verbi; & ideo obligatio huius regiminis non cōuenit immediatē, & æquè primo tribus personis, sed soli Verbo diuino: sicut actus generandi licet Patri ratione essentiæ conueniat, quæ est alijs personis cōmunis: quia tamen non conuenit ratione essentiæ, vt communis, sed quatenus Patri propriæ, alijs personis non conuenit. Cui solutioni adhæsit Pater Suarez; alia tamen ductus ratione: quia nempē, voluntas diuina ita est tribus personis cōmunis, vt sit etiam singularum propria, non minus perfectē, quam si vniuscuiusque tantū esset; & ideo cura regendæ voluntatis assumptæ per se primo pertinet ad Verbum, cuius suo modo facta est humana natura propria. Addit tamen, mediatē etiam ad Patrem, & Spiritum Sanctum pertinere, eo quod à voluntate Filij discordare nō possunt, in quam etiā cōsenserunt, quando humanam naturam personæ Verbi vnire voluerunt: huic etiā solutioni plures Recentiores cōsētiūt.

166

Nobis tamen placere nequaquam potest. Ante cuius impugnationem aduerto: aliud esse loqui de operationibus

*Quædã distinctio operationũ Christi præmittitur, vt solutio impugnetur.*

ab humanitate elicitis, ad quas etiã Verbum, vt in illa subsistens, simul cum humanitate assumpta concurrit, humanitate se habente, vt principio *quo* elicitiuo mediantibus suis potentijs; Verbo autem quatenus in humanitate subsistit, vt principio *quod* effectiuo. Aliud autem de operationibus, quibus humanitas regitur, & gubernatur à Verbo ratione voluntatis diuinæ. Et quidem loquẽdo de primis operationibus, fateor, attribui aliqua ratione Verbo, qua non attribuuntur alijs diuinis personis: nam licet ab illis sint *effectiuè*, vt à causa vniuersali, non tamen *elicitiuè*, *terminatiuè*, & *denominatiuè*; nam hoc modo solum attribuuntur Verbo, vt supposito vt *quod* elicienti, illaque terminanti mediate, & ab eis denominati, quia solum Verbum terminauit, supposituitque humanitatem, ratione cuius terminationis opera ab humanitate elicita supposito Verbi attribuuntur, tanquã principio *quod* operanti. Cæterum de his actionibus, prout hoc modo Verbo specialiter attribuuntur, non procedit ratio facta. Tùm, quia alias confunderetur cum alia, quam §. *sequenti* tradem⁹, quam plures ex Auctoribus reijciunt, quibus ratio, quam modo prosequimur placuit. Tùm etiam: nam concursus iste elicitivus vt *quod* prædictarum operationum, non cõuenit Verbo ratione voluntatis diuinæ, sed ratione humanitatis, vt principij *quo* radicalis, & ratione voluntatis humanæ, vt principij *quo* proximi. Ratio autem, quam *in præsenti* prosequimur, procedit de operationib⁹, quæ sunt à Verbo ratione voluntatis diuinæ, nempé, de illis, quibus humanitas regitur, & gubernatur à Deo medijs motionibus, quibus ad bonũ dirigitur.

**167** *Contra traditã solutionẽ facit primo.*

Quod autem operationes istæ, quibus humanitas regitur, & gubernatur à Deo, non conueniant Verbo immediatè, prout ab alijs personis distinguitur, sed immediatè tribus diuinis personis, prout in vna Deitatis essentia cõueniũt: probo primo; nam huiusmodi operationes conueniunt Verbo ratione omnipotentiæ, vt communis tribus personis, non autem vt terminatæ per subsistentiam personalẽ Verbi; aliàs ad illas nullo modo aliæ personæ cõcurrerent, sicut actus generãdi, quia nõ est ab essẽtia, vt cõmuni, sed quatenus Patri propria, taliter Patri attribuitur, quod nullo modo alias personas denominat; sed quod Verbo cõuenit ratione omnipotentiæ, vt tribus personis cõmunis, nõ cõuenit ipsi, prout ab alijs distinguitur immediatè, sed omnibus, prout in Deitate sunt vnum: ergo huiusmodi operationes nõ conueniunt immediatè Verbo, quatenus ab alijs personis distincto. Deinde: nam gubernare humanitatẽ, est illã ad bonũ mouere, quod fit medijs diuinis auxilijs; sed huiuscemodi auxilia sunt à Deo immediatè prout tribus personis cõmuni: ergo operationes, quibus humanitas gubernatur à Verbo, quatenus Deo, nõ cõueniunt ipsi immediatè, prout ab alijs personis distinguitur.

*Secũdo.*

**168** *Tertio.*

Deniq; ni esto voluntas diuina, ita perfectè singulis personis cõueniat, ac si esset singularũ propria, non est dabilis actus voluntatis liberi immediatè cõueniens vni illarũ, quatenus ab alijs distinctæ: ergo pariter, eadẽ non obstante ratione, nõ poterit dari aliqua operatio ad extra immediatè vni vt ab alijs distinctæ cõueniens; ac proinde operationes, quibus humanitas regitur, & gubernatur à Verbo, prout in Deitate subsistit, nõ possunt Verbo immediatè cõpetere, prout personaliter à cæteris personis distinguitur: ex quo vlterius fit, quod Verbum, prout ab alijs personis distinctũ, nequeat immediatè obligari ratione voluntatis diuinæ ad humanitatẽ regẽdã, & gubernãdã: quod patet; nã obligatio respicit operationẽ: ergo ad illam, quæ Verbo immediatè non conuenit, nequit Verbum immediatè obligari.

**169** *Ad tertiã probationẽ antecedẽtis respõdetur*

Vnde prætermissa hac solutione. Ad tertiã antecedentis probationẽ respondeo, concedendo maiorẽ, & negando minorem: ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego cõsequentiã: & instо: nam ratione vnionis ad Verbum est in Deo obligatio, saltim congruentiæ, vt vult Scotus, vel connaturalitatis, vt alij volunt, ditandi humanitatem donis gratiæ, & beatifica fruitione, quæ obligatio cõuenit immediatè huic Deo, vt tribus personis cõmuni; & tamẽ vnio specialiter conuenit Verbo. Insuper ex operibus Christi ratione coniunctionis

ſpecialis ad Verbum conſurgit obligatio rigoroſæ iuſtitiæ, in noſtra, & veriori ſententia, vel gratitudinis in ſententia P. Vazquez, quæ obligatio non eſt ſpecialis Verbo, ſed tribus perſonis cõmunis. Ac deniq; in ſententia iſtius Auctoris gratia ſubſtantialis vnionis, quia infinita eſt in ratione ſanctitatis, reddit humanitatem impeccabilẽ; & conſequenter infert neceſsitatem in Deo, ſemper auxiliandi ad bonũ, & non permittendi peccatum, nec offerẽdi concurſum indifferentem indifferentia cõtrarietatis, quæ neceſsitas huic Deo immediatè conuenit, vt tribus perſonis communi: ergo ex vnione non cõmuni tribus perſonis, ſed diuino Verbo ſpeciali, conſurgit neceſsitas cõmunis tribus perſonis, & conſequenter nõ obſtat ſpecialitas vnionis, vt ex illa cõmunis obligatio naſcatur; ac proinde eſt aſſerendum, quod licet titulus obligationis ſpecialiter Verbo conueniat, obligatio tamen nõ eſt Verbo ſpecialis, ſed tribus perſonis cõmunis. Quod ſi hoc tantum docent Auctores primæ ſolutionis, cum illis non contendemus.

170 *Inſtat Vazq̃z*

Sed opponit Vazquez; nam tota Trinitas ſolum operatur, vt prima cauſa in mouendo humanitatẽ, nec in modo operandi, & ſupremæ poteſtatis fuit vllo modo immutata ex vi vnionis hypoſtaticæ: ergo poſt vnionẽ humanitatis ad Verbum, non potuit manere obligata ad id, ad quod ante vnionẽ obligata non erat. *Cõfirmatur.* Quod amplius vrgeri poteſt; nam humanitas poſt vnionem ad Verbũ mãſit eodem modo quoad eſſe ſubordinata Deo, quo cæteræ creaturæ rationales: ergo manſit etiam Deo, vt primæ cauſæ eodem modo ſubordinata in operando; ſed ratione huius ſubordinationis ad Deum, vt cauſam primam, conuenit Deo ius permittendi creaturæ rationali peccata, quin ipſi, vt ſpeciali cauſæ attribuantur: ergo habet idem ius reſpectu humanitatis Verbo hypoſtaticé vnitæ; ac proinde poſt vnionem non manſit Deus obligatus ad regendam humanitatem, eo ſpeciali regimine, quo illam cadere in peccatum non ſinat.

171 *Reſpõd.*

Hæc tamen obiectio non vrget; falſum enim eſt totam Trinitatem reſpectu humanitatis ſolum operari, vt primam cauſam; nam præter hunc titulum eſt alius ex vnione ad Verbum conſurgens, ratione cuius illam deberet dirigere, & gubernare, quamuis prima cauſa non eſſet, nempé, eſſe Verbo perſonaliter coniunctam, & vt iſta obligatio conſurgat, non obſtat, Deum in modo operandi, & ſupremæ poteſtatis, phyſicé ex vnione non immutari; nam abſque phyſica immutatione obligatur ex vi vnionis hypoſtaticæ ad tribuenda dona gratiæ, & ſimiliter ex meritis Chriſti obligatur ad remittendum peccatum, quin ex illis in Deo aliqua immutatio in modo operandi, & ſupremæ poteſtatis reſultet.

172 *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens eodem modo: quantum ad dependentiam eſſentialem, concedo conſequentiã: quoad excluſionem alterius ſubordinationis, nego conſequentiam: & ſub eadem diſtinctione minoris ſubſumptæ, nego conſequentiam: ius enim permittendi peccatum cæteris creaturis rationalibꝰ fundatur in ſubordinatione ad Deum titulo primæ cauſæ, vt excludente aliam ſpecialem ſubordinationem, & quia in humanitate cum dependentia a Deo, quoad eſſe, & ſubordinatione ad ipſum, vt primam cauſam, huiuſmodi excluſio non datur, ſed ei conuenit ſpecialis alia ſubordinatio, vt ſpecialiter dirigenti, & gubernanti ratione coniunctionis perſonalis ad Verbum; fit conſequens, vt in Deo, vnione humanitatis ad Verbum ſuppoſita, non maneat ius offerẽdi concurſum indifferẽtem, nec permittendi peccatum, ſed ſit moraliter obligatus ad dirigendam illam ad bonum; ac proinde peccatum ex defectu huius directionis ab humanitate cõmiſſum, Deo ſpecialiter tribueretur, ſicut ſubmerſio nauis proueniens ex defectu gubernationis, Nauclero ad illam gubernandam obligato attribuitur.

173 *2. arguitur contra rationem probatiuã.*

Secundo principaliter contra rationem iſtam arguitur; ex eo quod in creatis pater gubernare filium teneatur, maritus vxorem, & Dominus ſervum, non ſequitur Verbum ſpeciali obligatione teneri dirigere humanitatẽ aſſumptã; ſed ab his exẽplis obligatio in Verbo deſumitur, & in illis ab Auctoribus funda-

tur:

tur ergo admittenda non est, nec ex illa impeccabilitas in humanitate suadenda. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primo; Pater nāque, non solum tenetur peccata filiorū cauere, sed etiam illorum mortē ab alijs violenter illatam, & alia damna corporalia vitare, & idem est dicendum de viro respectu vxoris, & de Domino per comparationem ad seruos; & tamen ex hoc nō colligitur talis obligatio in Verbo; aliàs culpæ illius mors humanitatis, & damna, quæ passa est, tribuerētur: ergo pariter ex eo quod in creatis pater obligatus sit cauere peccata in filijs, maritus in vxore, & Dominus seruorū peccata, non sequitur in Verbo obligatio gubernandi humanitatem assumptam, & illius peccata impediendi.

*Maior probatur 1.*

174 *Secundo*

Secundo: nam etiam Princeps creatus tenetur sibi subditos gubernare, & illorum peccata quantum est in se impedire, & similiter Dominus creatus tenetur in sibi seruis peccata cauere; & tamen Deus, quamuis sit omnium creaturarum supremus Princeps, & Dominus, non est obligatus vitare in illis peccata; aliàs nulla creatura rationalis posset aliquando peccare: ergo pariter ex obligatione patris respectu filiorum in seminali coniunctione fundata, non sequitur in Verbo obligatio respectu humanitatis assumptæ fundata in coniunctione cum ipso personali.

175 *Tertio.*

Tertio: nam in creatis pater, non solum tenetur filij naturalis peccata impedire obligatione fundata in coniunctione seminali, sed etiam peccata filij adoptiui ratione cōiunctionis affectiuæ cum illo; & tamen ex hoc non sequitur, Deū teneri vitare peccata in suis filijs adoptiuis, quibus speciali affectu coniungitur: ergo pariter ex eo quod seminalis coniunctio fundet in patre creato obligationem gubernandi filios naturales, & illorum peccata vitandi, non sequitur coniunctionem, vel vnionem personalem eandem obligationē in Verbo respectu humanitatis sibi cōiūctæ fundare.

176 *Respondetur ad 1. probationem maioris.*

Respondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, distinguo maiorem: mortem violenter illatam, & alia damna corporis irrationabiliter ab illis susceptā, concedo maiorem: susceptā rationabiliter, & conformiter ad rationem, nego maiorem: & sub eadē distinctione minoris, nego consequentiā. Itaque pater tenetur, mortem violenter illatā filijs vitare, & damna corporalia filiorum quando ipsi filij tenentur fugere prædicta mala, cum nempe, non sustinentur conformiter ad rationem; cū autē filij ea non tenentur fugere, nō adest in patre obligatio eadē mala vitandi, vt cum filij sustinent mortem pro Christo, vel pro illo flagellātur: quia ergo mors Christi, & illius tormenta, quamuis iniuste ab hominibus illata, à Christo in sua humanitate rationabiliter meritoriē fuerunt susceptā; fit consequens, vt Verbum non teneretur prædicta mala in humanitate vitare.

177 *Ad secundam.*

Ad secundam probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autē differentiæ est: nā ius offerendi concursum indifferentem, & sine culpa permittendi peccata in creatura rationali, conuenit Deo ex ratione primæ causæ; ac proinde nequit hoc ius impediri, vel ligari ex aliquo rationi primæ causæ essentiali; Deum autem esse supremum Principem, & Dominū creaturarum, est ipsi essentiale ex titulo, & ratione primæ causæ; & ideo ex prædictis rationibus nequit ius permittendi peccata in creatura rationali impediri; ac per consequens, non potest ex illis obligatio reginiinis specialis, & vitandi illarum peccata oriri. Quæ ratio interminatione Verbi, & illius cōiunctione cum humanitate non militat: nā quod Verbum terminet humanitatē, & cum illa personaliter coniungatur, nō est essentiale Verbo ex cōceptu primæ causæ; & ideo ex hac coniunctione potest ius permittendi peccatum in humanitate impediri, & consurgere obligatio specialis eam regendi, & gubernandi, & vitandi in illa peccatum.

178 *Ad tertiam.*

Et ex his ad vltimam probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: nam posse filios adoptare, & cum illis speciali affectu coniungi, conuenit Deo ex ratione primæ causæ in ordine supernaturali: ex quo etiam habet ius permittendi creaturis rationalibus peccata in prædicto ordine; & ideo specialis coniunctio affectiua non

potest prædictum ius impedire; ac proinde, nec specialis directionis obligationem fundare; personalis autem coniunctio humanitatis cum Verbo, non conuenit illi ex titulo primæ causæ, & ideo potest ius aliquod primæ causæ impedire, & fundare prædictam obligationē.

179 *Instabis.* Sed dices, etiam personalis coniunctio humanitatis ad Verbum, illi conuenit ex ratione primæ causæ: ergo nequit fundare obligationem in ipso impediens ius illi ex conceptu primæ causæ conueniens. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autē probatur: Verbum enim posse humanæ naturæ vniri, conuenit illi ex eodem principio, quo habet posse humanitatem assumere; sed hoc posse, Verbo conuenit ratione omnipotentiæ, vt principij; vt docet D. Thom. *supra q. 3. art. 1. & 2.* & consequenter ex ratione primæ causæ: ergo posse terminare humanitatē, & personaliter cum illa coniungi, conuenit Verbo ex ratione, & conceptu primæ causæ.

180 *Respōd.* Respondeo, negando antecedēs. Ad probationem, distinguo maiorem: assumptione accepta adæquatē, nego maiorem: inadæquatē, concedo maiorē: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: vt enim docet D. Thom. *ibi*, assumptio, vel posse assumere, duo in suo conceptu importat, scilicet, principiare assumptionem, & naturam terminare: primum conuenit ratione omnipotentiæ; secundum autem ratione proprietatis personalis, vnde Verbum posse terminare, non conuenit illi ex eodem conceptu, & ratione, ex qua habet, posse assumere assumptione sumpta adæquatē, quia ei non conuenit ex illo capite, quo potest principiare assumptionem, sed inadæquatē accepta, nempē, ex ea ratione, qua potest terminare naturam, vnde ex eo quod posse assumere, Verbo competat ex ratione primæ causæ, non sequitur personalem coniunctionem illi ex hac ratione cōpetere.

181 *Vltimo contra eandē rationē arguitur.* Denique contra eandem rationem possumus argumentari; nam impeccabilitas humanitatis assumptæ in sensu composito vnionis prouenit ex repugnantia essentiali gratiæ vnionis subtantialis cum peccato actuali, vt §. 6. arguebamus; sed repugnantia ista essentiali supposita, recursus ad obligationē Verbi gubernandi humanitatem, necessarius non est, nec possibilis: ergo malē à nobis ex prædicta obligatione probatur. Consequentia tenet. Maior cōstat ex dictis §. 6. Minor pro prima parte patet: nam ista repugnantia si supposita sufficienter per illam probatur impeccabilitas humanitatis in sensu composito vnionis: ergo recursus ad specialem Verbi obligationem gubernandi humanitatem, necessarius non est. Deinde pro secunda parte suadetur: nam obligatio regendi debet esse in ordine ad illum, qui regimine indigeat, vt non incidat in malū; sed supposita repugnantia essentiali sanctitatis substātialis cum peccato actuali, vt humanitas in peccatum non incidat cum prædicta gratia cōpositum, gubernatione non indiget: ergo dicta repugnantia supposita, impossibilis est obligatio ex parte Verbi gubernādi humanitatem. Consequentia tenet. Maior certa videtur: nam in ordine ad illū, qui gubernatione non indiget inutilis est gubernatio; sed obligatio in ordine ad inutile dari non potest: ergo necessario debet supponere indigentiam regiminis. Minor autē non minus aperta videtur: vt enim non fiat, quod implicat contradictionē, directio necessaria non est; sed supposita repugnantia essentiali sanctitatis gratiæ vnionis cum peccato actuali, implicat vtriusque coniunctio: ergo hac repugnantia supposita, vt humanitas in peccatum non incidat in sensu composito vnionis gubernatione, aut directione non indiget.

182 *Respōd. primo.* Huic argumento responderi potest primo, distinguendo maiorem: in omnium Theologorum sentētia nego maiorem: in veriori, & frequentiori, concedo maiorem: & prætermissa minori, negando consequentiam: nam licet cōmunis sententia sit, humanitatē assumptam sanctificari per gratiam substantialem formaliter, non tamen desunt Theologi, illam impugnantes sententiam, & oppositum sentientes, & licet vera, & frequentior sententia gratiæ vnionis substātiali tribuat essentialem repugnantiam cum habituali, & actuali peccato, non tamen desunt Theologi huiusce modi essentialem repugnantiā

ne-

negantes, etiam ex illis, qui formalem sanctificationem humanitatis per gratiam vnionis admittunt, vnde quamuis hac repugnantia essentialis supposita, locus obligationi Verbi non adsit, rectè a Nobis ex illa repugnantia peccati actualis in humanitate assumpta probatur, non vtendo hac ratione *copulatiuè* cum prima, sed *diuisiuè*, ita vt ex obligatione Verbi gubernandi humanitatem probetur illius impeccabilitas in sensu cōpositō vnionis, supposito quod formalis repugnantia non detur; secus autem si talis repugnantia admittatur.

183 *Secūdo espond.* Secundo responderi potest, concessa maiori, negando minorem pro vtraque parte. Ad primæ probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: recursus ille necessarius non est, vnice probans impeccabilitatem humanitatis vnitæ, concedo consequentiam: vt sufficienter probans, nego consequētiam. Potest enim eadem veritas pluribus mediis probari, vnde quamuis vno sufficienter probetur, solum sequitur aliud necessarium non esse, vt vnice probativum, non autem quod necessarium non sit, vt eiusdem veritatis probativum sufficienter. Ad secundæ partis probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: quod implicat contradictionem ex prædicato essentiali principio *quo* operatiuo, concedo maiorem: ex suppositione accidētali huic principio, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet coniunctio peccati actualis cum vnione hypostatica implicet contradictionem, quod tamen humanitas vnita non possit in actuale peccatum incidere, non conuenit illi ex prædicato aliquo humanitati essentiali, sed ex dono accidentali, & cum alias, vt non peccet, necessarium sit, quod operetur cum præceptum est de operando, & vt operetur, indigeat motione, & directione diuina; fit consequens, quod quamuis prædicta coniunctio implicet contradictionem, vt humanitas non incidat in peccatum indigeat moueri, & dirigi; ac proinde talis implicatio non tollit obligationem in Verbo dirigendi humanitatem.

184 *Instabis* Sed dices: permissio peccati cum vnione ad Verbum in humanitate cōpositi, est implicatoria ex terminis: ergo ad non permittendum peccatum cū vnione ad Verbum compositum, non est in Verbo obligatio. Consequentia tenet: nā ad id, cuius oppositum est implicatorium ex terminis, non potest dari obligatio; vnde, quia chimera implicat contradictionem, nemo admittit obligationem in Deo non efficiendi chimeram: ergo si permissio peccati cum vnione ad Verbum compositi, est implicatoria ex terminis, non est in Verbo obligatio ad illius non permissionem. Antecedens autem probatur: nam à permissione ad peccatum est consequētia infallibilis: ergo eo modo, quo peccatum repugnat, etiam illius permissio repugnat; sed coniunctio peccati cum hypostatica vnione, est implicatoria ex terminis, in sententia, quam supponimus: ergo permissio peccati coniuncti cum vnione hypostatica, etiam ex terminis implicat.

185 *Respondebis.* Nec sufficit respondere, Deum teneri non mentiri; & tamen mendatium ex terminis Deo repugnat. Verbū etiam vt in humanitate subsistens, obligatur lege prohibente odium Dei; & tamen Verbum, vt in humanitate subsistens, Deum odio habere, est implicatorium ex terminis. Falsum ergo est, quod in argumento assumitur, nempe, ad id, cuius oppositum est implicatorium ex terminis, non posse esse obligationem; ac proinde quamuis permissio peccati cum vnione ad Verbum compositi ex terminis implicatoria sit, poterit ex vnione humanitatis ad Verbum obligatio in illo consurgere, non permittendi peccatum cum prædicta vnione compositum.

186 *Contra.* Sed contra; aliud enim est, quod aliquid ex vi obligationis subiecto de se impeccabili, implicans constituatur; aliud autem, quod id, quod ex se ante obligationem implicat, aliqua lege prohibeatur: primum est verum, & exemplis fit manifestum. Secundum autē est falsum, nec potest aliquo exemplo probari, imo oppositum pluribus exēplis mōstratur; quia namque, in sententia veriori, implicat coniunctio pecca-

timortalis cum gratia sanctificante non datur lex aliqua dictam coniunctionē prohibens. Et quia implicat in sententia Thomistarum coniunctio negationis dissensus cum gratia ab intrinseco efficaci, nulla datur lex præcipiens, ne coniungantur. Et quia in sententia professorum scientiæ mediæ implicat ex terminis coniunctio negationis actus cum gratia, vt efficaci ab extrinseco, nemo admisit legem prohibentem huiusce modi coniunctionem. Ac denique; quia ex terminis, præscindendo ab omni lege, repugnat chimera, nullus admisit obligationem in Deo non efficiēdi chimeram; sed permissio peccati, vt coniuncti cum vnione hypostatica est implicatoria ex terminis præscindendo ab omni lege, vel obligatione Verbi, iuxta primam rationem, qua conclusionem nostram monstrauimus: ergo in Verbo non est obligatio non permittēdi peccatum cum vnione adipsum cōpositum.

187 *Vera obiectionis solutio.*

Quare melius respondetur, distinguendo antecedens: est implicatoria ex conceptu peccati, cōparatiue ad humanitatem, nego antecedens: ex conceptu coniunctionis cum gratia substantiali vnionis, concedo antecedens, & distinguo consequens: ad non permittendū permissone cadente supra coniunctionem directe, concedo consequentiam: permissione cadente supra peccatum, vt à coniunctione præscindens, nego consequentiam. Itaque coniunctio peccati cum vnione substantiali ad Verbū, est implicatoria ex terminis, & ideo non datur in diuino Verbo obligatio non permittendi prædictam coniunctionē: peccatum autem non repugnat ex terminis cum humanitate vnita, sed solum illi repugnat ex suppositione vnionis, & ideo vnione suppo ita potest esse in Verbo obligatio non permittendi humanitati peccatum, permissione cadente non supra coniunctionem, quæ est implicatoria ex terminis, sed supra peccatum prout à coniunctione præscindens, qualiter sumptum non repugnat humanitati, quæ est principium [illegible] operandi. Et ratio est; nam Deum non permittere humanitati sibi vnitæ peccatū, est illi assistere sua gratia in ordine ad bonum: licet autem humanitas Verbo vnita, non possit peccatum cum vnione coniungere, vt tamen non peccet peccato, v. c. omissionis, oportet quod bene operetur, vt autem bene operetur indiget adiutorio, & gratia auxiliante Dei; & consequenter potest Deus intelligi ex aliquo principio obligatus ad hoc adiutorium gratiæ inclinantis ad bonum largiendum, assistendumque humanitati ad honestam operationem; ac proinde esse potest obligatus, ad non permittendum peccatum.

188 *Vrgebis*

Sed adhuc instabis, supposito, quod peccatum repugnet humanitati vnitæ, & supposito præcepto obligante humanitatem ad actum aliquem positivum, est Deus necessitatus ad concurrendum cum humanitate ad bonum, ita vt non possit non concurrere, & non auxiliari ad bonum de potentia absoluta; sed supra actum necessarium non cadit obligatio moralis; materia namque positiuæ obligationis est actus moralis, & liber: ergo in Verbo non datur obligatio auxiliandi humanitatem, & ad bonum concurrendi cum illa.

189 *Respod.*

Respondeo, distinguendo maiorē: est Deus necessitatus simpliciter, & absolutē, nego maiorem: secundum quid, & ex suppositione, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet obligatio nō possit cadere supra actum simpliciter necessarium, super actum autem necessariū ex suppositione cadere potest; Deus namque suppositis meritis sub pacto, & promissione diuina, necessitatur ad illorum remunerationem, taliter, quod conseruato iure meritorum, non possit illa non remunerari; & tamen obligatur ex iustitia ad illa remuneranda. Necessitas autem auxiliandi humanitatem vnitam, in ordine ad bonam operationem, non est necessitas absoluta, & simpliciter talis, sed secundum quid, & ex suppositione cōseruationis vnionis, quæ Deo libera est; ac proinde non obest obligationi Dei ad auxiliandum humanitati, illique largiendum gratiam, qua opus bonum adimpletiuum præcepti efficiat.

§. IX.

# §. IX.

## *Alia ratione communis sentẽtia probatur.*

190 *Vltima probatur conclusio.*

DENIQVE probatur conclusio: si posset humanitas assumpta peccare peccato cum vnione composito, posset suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate peccare; consequens est falsum: ergo humanitas assumpta non potest peccare peccato cum vnione cõposito. Consequentia est bona. Minor cõstat: nam supposito diuino repugnat esse causam specialem peccati; sed si vt subsistens in humanitate posset peccare, posset esse causa specialis, vel particularis peccati: ergo suppositum Verbi, etiã vt in humanitate subsistens, nequit peccare. Maior autem, vel sequela probatur: nam *actiones sunt suppositorum, & subsistentium*, vt commune axioma docet; sed suppositum humanitatis assumptæ est tantum suppositum Verbi, prout subsistens in humanitate: ergo si posset humanitas assumpta peccare peccato cum vnione composito, posset etiam Verbum, vt subsistens in humanitate peccare.

191 *Respondet Marsilius 1.*

Huic argumento, quo post Paludanum, & Capreolum vtuntur nostri Thomistæ, & cum illis Suarez, & aliqui Societatis Recentiores: Respondet Marsilius *vbi supra*, negando sequela: ex eo enim, quod humanitas assũpta peccaret, non sequitur Verbum, vt in illa subsistẽs peccare, etiam puré *denominatiuè*, & per communicationẽ idiomatum; hæc namque admittenda non est quoad ea, quæ imperfectionem important; vnde Verbum non dicitur creatura, quamuis vt homo creatura sit, nec dicitur peccabile, quamuis humanitas peccabilis sit: peccatum autẽ maximam dicit imperfectionem; & ideo quamuis humanitas assumpta peccaret vnione ad Verbum retenta; Verbum, vt in illa subsistens peccantis denominationem non subiret.

Ad commune axioma respondet primo: actiones Trinitatis ad intra esse suppositorum, non autem actiones ad extra, hæ namque sunt toti Trinitati communes: vnde cum peccatum ab humanitate commissum esset actio ad extra, non esset specialiter Verbo attribuẽda, sed à tota Trinitate communi, & generali concursu efficeretur. Secundo respondet: actiones quidem esse suppositorum, non autem defectus, peccare autem nõ est agere, sed deficere, & ideo à Verbo non esset, quoad id, quod defectus habet, sicut omnes actus quoad entitatem sunt à Deo, non vero quoad deformitatem. Tertio respondet: actiones conuenientes supposito procedere ab illo; secus verò, quæ supposito disconuenientes sunt, vt patet in aqua calida, quæ non efficit calorem, sed à sola caliditate procedit; tùm, quia alias simul ageret actiones contrarias, cum influeret in calorem receptum in ligno, & minueret propriam caliditatem; tùm etiam, quia prius est conseruare formã, quam cum illa efficienter influere; aqua autem non conseruat calorem in se receptum, sed potius in eius destructionẽ connatur; & consequenter cum illo nõ efficit: vnde cum peccatum ab humanitate commissum esset disconueniens, Verbo non esset ab illo effectiuè.

192 *Axioma commune explicat 1.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

Hæc tamen solutio, & doctrina displicet communiter Theologis, etiam illis, quibus ratio ista non placuit, si namque in his, quæ dicunt imperfectionem non admittitur communicatio idiomatum, sequitur Verbum non dici mortuum, nec passum pro nobis per idiomatum communicationem; consequens est contra fidem: ergo doctrina Marsilij audienda non est. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; nam mors, & passio imperfectionem important, quo circa Deo in se ipso repugnat: ergo si quæ imperfectionem dicunt, non prædicantur de Verbo per communicationem idiomatum, non dicetur Filius Dei passus, & mortuus pro nobis, nec pro nobis natus, & crucifixus, cuius contrarium in Symbolo confitemur, ibi: *Qui*, scilicet Filius vnigenitus, *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis,*

193 *Impugnatur eius solutio.*

*In Christo cõmunicatio idiomatum extenditur ad defectus.*

natus

*natus ex Maria Virgine, passus, &c.* Quod si de Verbo Dei non dicitur prædicatum *creatura* absolute, & sine specificatione humanitatis, ideo est, quia hoc prædicatum propter suam tãscendentiam absolute dictum denotat in se ipso, & ratione sui creari, & idem est de inceptione dicendum, de quo *infra q. 16. art. 8. & 9.* peccabilitas autem, etsi humanitati in suppositio creato conueniat, ei tamen à Verbo terminatæ non conuenit, atque adeò de Christo non dicitur.

194 *Prima explicatio axiomatis impugnatur. 1.*

Deinde prima explicatio axiomatis communis reijcitur; cum enim asseritur, actiones esse suppositorum, sic accipitur ab omnibus, quod nempe, actiones conuenientes naturæ existentis in suppositio, sunt suppositi subsistentis in tali natura; at humanitas non suppositatur à tribus personis diuinis, sed solum à subsistentia Verbi, vt fides docet: ergo actiones humanitatis, quamuis, vt à causa prima sint à tota trinitate, peculiari tamen ratione sunt actiones Verbi sustẽtantis humanitatem. Præterea; si namq; actiones humanitatis, quia sunt actiones ad extra, sunt omni modo communes tribus personis diuinis, & nulla peculiari ratione personæ filij attribuuntur, sequitur opus nostræ redemptionis non esse Verbo attribuendum aliqua peculiari ratione, qua non attribuitur alijs diuinis personis; consequens est cõtra fidem: ergo actiones humanitatis à Verbo suppositatæ, quamuis sint operationes ad extra, aliqua ratione sunt Verbi, qua non sunt Patris, aut Spiritus Sancti.

*Secundo*

195 *Secũda explicatio reijcitur.*

Deinde secunda explicatio prædicti axiomatis facile ex dictis reijcitur; mors namque defectus est; & tamen suppositio Christi, saltim *denominatiuè* attribuitur: ergo ex eo quod peccare defectus sit, non sequitur, non esse tribuendum Verbo, vt in humanitate subsistenti, saltim *denominatiuè*. Et ex his etiam vltima explicatio reijcitur; nam mors humanitatis disconueniens est Verbo, & tamen illi, vt subsistenti in humanitate attribuitur: ergo non solum, quæ conueniunt suppositio, sed etiam, quæ illi sunt disconuenientia, eidem, saltim *denominatiuè* attribuuntur. Secundo eadem

*Contra tertiã facit. 1.*

*Secundo*

explicatio impugnatur; nam aqua sustẽtans calorem vere denominatur ab actione calefactiua, quæ influit calorem in ligno; & tamen calefactio est actio disconueniens aquæ: ergo falsum est actiones disconuenientes suppositio illi attribuendas non esse. Tertio; nam aqua denominatur calida, quamuis calor illi sit disconueniens: ergo pariter denominabitur calefaciens, quamuis calefactio ei disconueniens sit. Denique; nam ratio, cur actiones naturæ suppositatæ, sunt suppositi in illa subsistentis, est, quia natura, cuius sunt actiones, est suppositi illam habentis; sed hæc ratio pari efficacia militat de actionibus, quæ sunt disconuenientes suppositio, ac de actionibus illi congruentibus: ergo si actiones naturæ suppositatæ, sunt, & dicuntur suppositi subsistentis in tali natura, quando sunt conuenientes suppositio, etiam quãdo ei disconueniunt, dicuntur illius actiones.

196 *Tertio.*

*Quarto.*

197 *Secundo respõdet Durãdus & Vazquez.*

Secunda solutio est; ex eo quod humanitas Verbo vnita, retenta vnione peccaret, solum sequi Verbum *denominatiuè* peccare, non autem *effectiuè*, nec amplius ratione facta conuinci; cum enim communi axiomate asseritur, *actiones esse suppositorum*, non ideo dicitur, quia suppositum in natura subsistẽs, vt *quo*, vel vt *quod* influat in actiones naturæ suppositatæ, sed quia sustentat naturam *proximè*, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod* operantem: vnde actiones dicuntur suppositorum *denominatiuè* tantum. Ex quo tantum sequitur, humanitate vnita peccante, fore peccatum Verbo attribuendum pure *denominatiuè*, in quo nulla repugnantia, nec indecentia inuenitur, sicut nec in eo, quod Verbum in humanitate subsistens mortuum, crucifixumque dicatur, quamuis mors Verbo in se ipso repugnet. Ita Durandus *q. supra allegata num. 8. & sequentibus*, quem sequitur Gabriel Vazquez, *vbi supra cap. 4. & disp. 8. cap. 2. & 3. & disp. 21. cap. 3.*

Hæc tamen solutio omnino insufficiens est, & reijcitur primo; nam Verbum vt in humanitate subsistens peccare, adhuc *denominatiuè*, est indecẽs Verbo indecentia morali; sed omnis indecentia moralis repugnat Verbo essentia-

198 *Cõtra 1.*

liter,

liter, vt fatētur omnes Theologi, & de se manifestum videtur: ergo si humanitate assumpta peccante peccato cum vnione composito, Verbum *denominatiuè* peccaret, repugnat, humanitatem peccare hypostatica vnione simul cum peccato retenta. Consequentia cum minori tenet. Maior autem præterquā quod à maiori, & meliori parte Theologorum docetur, tanquam manifesta ex terminis, in hunc modum probatur. Verbum, vt in humanitate subsistens esse infectum peccato absoluté, & simpliciter, indecentiam Verbo repugnantē importat; sed Verbum in humanitate subsistens peccare *denominatiuè*, est, vt sic subsistēs, esse peccato infectum absoluté, & simpliciter: ergo *denominatiuè*, vt in humanitate subsistens peccare, est indecens morali indecentia Verbo. Consequentia tenet. Maior præter quamquod ex ipsis terminis constans videtur, & oppositum pias aures offendit, ex eo fit manifesta; nam esse absoluté infectum peccato, est, esse obiectum odij, & inimicitiæ diuinæ absoluté; & simpliciter: hoc autem quis non videat præseferre maximam indecentiam moralem? ergo & primum indecentiā moralem importat.

199 *Minor probatur 1.* Minor autem ostenditur primo: nam per peccatum habituale, non sola anima, sed etiam tota humanitas dicitur infecta absoluté; & tamen peccatum habituale soli animæ inhæret; & consequēter humanitas prout ab anima distincta solum *denominatiuè*, est in peccato habituali: ergo vt Verbum, vt subsistens in humanitate, absoluté, & simpliciter sit infectum peccato actuali, sufficit, vt sic subsistens, peccare, *denominatiuè*. *Secūdo.* Secundo: nam iuxta solutionis doctrinam humanitate Petri peccante suppositum Petri solum peccat *denominatiuè*, & in humanitate Petri peccante, suppositum Petri absoluté, & simpliciter dicitur infectum actuali peccato: ergo Verbum vt subsistens in humanitate *denominatiuè* peccare, est esse infectum peccato absoluté, & simpliciter. *Tertio.* Tertio; nam Verbum mori in humanitate assumpta, sufficit, vt absoluté, & simpliciter dicatur Verbum, vt subsistens in humanitate esse mortuum, morte corporali: ergo in humanitate assumpta *denominatiuè* peccare, sufficit, vt Verbum, vt subsistens in humanitate dicatur absoluté, & simpliciter mortuum morte spirituali per culpam; & consequenter sufficit, vt dicatur absoluté, & simpliciter infectum peccato.

200 *Cōtra 2.* Secundo reijcitur, & aliter præcedens obiectio explicatur, si humanitas assumpta posset retenta vnione peccare, hæc propositio: *Verbum, vt subsistēs in humanitate peccat*, esset possibiliter vera in rigore, & proprietate; consequens est absurdum, & catholicas aures offendens: ergo humanitas assumpta nō potest peccare peccato cum vnione ad Verbum composito. Consequentia cum minori tenet. Maiorem autem probo; si non esset possibiliter dicta propositio vera in sermonis proprietate, maximé quia humanitate peccāte Verbum solum *denominatiuè* peccaret; sed hoc non potest obstare proprietati prædictæ propositionis in sententia Auctorum, quos impugnamus: ergo ex potentia humanitatis assumptæ ad peccandum peccato cum vnione composito, sequitur veritas illius propositionis in sermonis proprietate. Consequentia probatione non indiget. Maior constat ex aduersariorum doctrina.

201 *Minor probatur.* Et minor probatur; nam hæc propositio: *Verbum, vt in humanitate subsistens pro nobis meruit, & satisfecit*, est vera in proprietate, & rigore, non minus, quam hæc propositio: *Christus nos redemit, & satisfecit pro nobis*; cū Christus non pro humanitate, sed pro supposito Verbi, vt in illa subsistente, supponat, quod non possunt contrarij Auctores negare; nam Christum nos redemisse, traditur in Symbolo Apostolorum, & nullus dictam propositionem ad improprium sensum traxit, nec potest catholicé admitti; & tamen iuxta illorum doctrinam Christus, Verbumque, vt in humanitate subsistens solum *denominatiuè* meruit, & satisfecit pro nobis: ergo quod humanitate assumpta peccante, Verbum, vt in illa subsistens *denominatiuè* tantum peccaret, non tollit quominus hæc propositio: *Christus, aut Verbum, vt subsistens in humanitate peccat*, sit vera in rigore, & proprietate

sermonis; & consequenter ex potentia humanitatis ad peccandum in sensu cōposito vnionis, sequitur possibilis non solum veritas, sed etiam proprietas prædictæ propositionis.

202 *Confirmatur.*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; humanitate assūpta peccante, hæc propositio: *Christus peccat*, est vera in rigore, & proprietate: ergo etiam hæc propositio: *Verbum, vt subsistens in humanitate peccat*, est in rigore vera. Antecedens constat; nam humanitate assumpta merente, hæc propositio *Christus meretur*, est vera in rigore, & proprietate; alias solum in sensu improprio esset verum, quod in Symbolo confitemur, nempé, *Christum pro nobis natum, & mortuum pro nobis*, quod nullus catholicorum admittet: ergo humanitate Christi peccante, hæc propositio, *Christus peccat*, vera est in sermonis proprietate. Consequentia autem probatur; nam Christus non supponit pro humanitate; aliàs verum esset dicere: *Christus est humanitas*, sed pro Verbo, vt subsistente in humanitate: ergo si humanitate peccante verum esset dicere, *Christus peccat* in sermonis proprietate, etiam hæc propositio: *Verbum, vt subsistens in humanitate peccat*, esset in rigore vera.

203 *Vltimo impugnatur solutio.*

Denique tradita solutio reijcitur; nam operationes sunt suppositorū, non solum *denominatiuè*, sed etiam *actiuè* vt *quod*, naturæ autem vt *quo*, vel secundum quam suppositum operatur; sed peccatū est operatio defectuosa: ergo humanitate Verbo vnita peccante, Verbum, vt in illa subsistens vt *quod* in peccatum influeret; & consequenter non solum *denominatiuè*, sed etiā *influxiuè*, vt *quod*, peccaret. Minor cum consequētia tenet. Maior autem est expressa D. Thom. 1. *p. q. 39. art. 5. ad 1. & q. 75. art. 2. in corpore, & ad 2. & art. 3. in corpore.* 3. *p. q. 19. art. 1. ad 3. & 4. argumentum quæst. 20. art. 1. ad 2.* Id ipsum docuerat in 1. *dist. 5. q 1. art. 1. in corp.* illis verbis: *Respondeo dicendum, quod in creaturis actiones sunt suppositorum, & essentia nō agit, sed est principium actꝰ in supposito; non enim humanitas generat, sed Sortes virtute suæ naturæ; in creaturis autem essētia realiter differt à supposito, & ideo nullus actus proprie de essentia prædicatur, nisi causaliter, &c.* Videturque nō minus expressè tradita à Damasceno *lib. 3. de fide cap. 13* illis verbis: *Scire autem conuenit aliud esse virtutem operatricē, & aliud quod operādi facultate præditū est, & aliud opus, & aliud operātē.* & explicans, quid sit operans, ait: *Operans denique, is est, qui actione perfungitur, hoc est persona.* Vbi aperte Damascenus quatuor in operatione distinguit, nempé, ipsam operationem, virtutem operatiuam, nempé, facultatem proximam, substantialem virtutem, nempé, naturā, & operantem, quem asserit esse personam; sed si natura sola esset operans, vt *quod* persona non esset aliqua ratione operans: ergo iuxta Damascenum, actiones sunt personarum, vel suppositorū, vt vere ratione naturæ in illas, vt *quod* influentium.

204 *Concilium Florentinū.*

Et hoc ita esse dicendum, ostenditur primo ex Concilio Florētino *sessione 18. post medium*, vbi expresse asseritur, quod actiones sunt suppositorum: & *sessione 19.* sic habetur: *Iuxta omnium philosophorum sententiam, actiones sunt suppositorum.* Quod non potest explicari, quod sint suppositorū *denominatiuè*; nam ex hoc principio colligitur à Concilio, Spiritum Sanctum procedere à Filio, & quod essentia in diuinis non generat, sed Pater ratione essentiæ; at Pater non *denominatiuè* tātum, sed etiam *elicitiuè*, vt *quod* generat media essentia, vt principio *quo* generidi: ergo principium illud, quod in Cōcilio asseritur esse Philosophorū omnium, nempé, actiones esse suppositorū, nō potest intelligi *denominatiuè*, alias sensus consequentiæ esset, *Actiones sunt suppositorum denominatiuè: ergo generatio est elicitiuè à Patre in diuinis.* Quæ consequentia est ridicula.

*Actiones sunt suppositorū, nō solū denominatiuè, verū etiā effectiue. Probatur. 1.*

205 *Respondet P. Vazquez*

Respondet P. Vazquez, propositionem illam fuisse assumptam ad probandum Spiritum Sanctum procedere à Filio à Ioanne Theologo, disputante pro Latinis; Concilium autem non approbasse prædictam propositionē, sed conclusionem illatam, nempé, Spiritum Sanctum a filio procedere. Ex quo nihil nobis fauens infertur; nam rationes Conciliorum non sunt de fide, imo

aliquando principijs falsis nituntur, vt constat ex 7. Synodo generali, vbi Pater quidam cum hæreticis disputans, vt probaret, Angelos depingi posse, principiū falsum assumpsit, nempè, Angelos esse corporeos. Sed contra primo; quia rationes Conciliorum, etsi non sint de fide, sunt tamen ingentis auctoritatis, & illis contrauenire sine maximo, & vrgenti fundamento, & nisi ex eis aliquod absurdum sequatur, non videtur temeritate carere: ergo licet ex auctoritate inducta, non habeatur veritas propositionis nostræ, vt de fide, non tamen potest negari. 206 *Cōtra 1.*

Secundo; nā Ioannes Theologꝰ principium illud assumpsit, vt Philosophis cōmune, & nullus ex alijs Patribus, vel Latinis, pro quibꝰ disputabat, vel ex Græcis, contra quos agebat, in cōtrarium reclamauit: ergo ab omnibus fuit approbatum, saltim tacitè, quamuis nec tacitè, nec expressè diffinitum. *Secūdo.*

Denique; vt enim rectè notauit M. Sancto Thoma, vbi *supra*, argumento Ioannis Theologi fuerunt Patres Græci conuicti, vt assererent, Spiritum Sanctū procedere à Filio: ergo omnes Græci Doctores principio in antecedenti assumpto assensērunt tanquam vero, & aliàs Patres Latini, quorū nomine Ioannes Theologus arguebat, eidem assentiebantur: ergo ab omnibus fuit tanquā verū admissū; & consequenter, quāuis diffinitū non fuerit, illud tamē nō licebit negare: quod enim cōmuni cōsēsū PatrūCōcilio Generali assistētiū admittitur tāquā verū, & Philosophis cōmune, non licet tanquam falsum reijcere. 207 *Tertio.*

Secundo id ipsum probatur: persona diuina non solum *denominatiuè*, sed etiam vt quod *influxiuè* est principium processionis, v. c. Pater processionis Verbi, & Pater, & Filius processionis Spiritus Sancti: ergo persona creata non solum *denominatiuè*, sed vt *quod effectiuè* influit in operationē naturæ, in qua personaliter subsistit; & consequenter Verbum, vt subsistens in humanitate, nō solum *denominatiuè*, sed etiam *effectiuè* vt *quod* influit in operationes humanitatis. Secunda consequentia ex prima clarè colligitur: nam quidquid conuenit personæ creatæ, vt in propria natura subsistenti, conuenit personæ Verbi, vt subsistenti in humanitate: ergo si persona creatæ, vt in propria subsistenti natura, actio naturæ, vt principio *quod* efficienti tribuitur, debet eodem modo actio humanitatis Verbo, vt in illa subsistenti attribui. Antecedens est certum; aliàs non Pater, sed essentia generaret, quod est hæreticum. Consequentia autem probatur. Tum à paritate rationis. Tum etiam, nam personalitas Patris nō est ratio formalis, sed tantùm complementum, vel conditio ad generationem Filij requisita; & tamen Pater, vt personaliter in deitate subsistens, est principium *quod* generationis Verbi: ergo quamuis personalitas terminans naturā creatam non sit principium *quo* formale operationis, sed tantum complementum naturæ, & conditio requisita, persona creata, vt subsistens in propria natura, erit principium *quod* in operationē influens. 208 *Secūdo probat.*

Dices; disparem esse rationem; nam personalitas Patris, vel *completiuè*, vel vt conditio necessaria ad generationem concurrit; aliàs in essentia sine paternitate esset omne, quod ad generationem requiritur, quod est falsum; aliàs essētia esset generans, vt *quod*, & ideo persona Patris, vt in Deitate subsistens est principium generandi: personalitas autem terminans naturam creatam, nullatenus ad actiones naturæ concurrit, nec ad illas præsupponitur ordine causalitatis, sed tantum est prior operationibus priori tate dignitatis; quia nimirum, est in genere substantiæ, operatio autem in genere accidentis, & ideo persona creata in operationes naturæ nullum obtinet influxum, sed solum denominatur operans, quia sustentat naturam, vt *quo*, & vt *quod* operantem. Et instabis; nam personalitas Patris est conditio ad gubernandum essentialiter requisita, personalitas autem terminans naturam creatam conditio essentialiter requisita non est; natura namque potest sine personalitate existere de potentia absoluta, quo in casu operationes eliceret sine personalitatis concursu: ergo ex eo quod persona diuina sit principium, vt *quod* generans, perperam à nobis infertur personam creatam esse principium *quod effectiuè* in proprias operationes influens. 209 *Respōdebis.*

Sed

210 *Cõtra 1.*

Sed contra primo; nam existentia præuie ad operationem requiritur, non solum ordine dignitatis, sed etiam causalitatis; sed subsistentia complet, vt existat, naturam, & causalitatis ordine eius existentiam præcedit, vt docet D. Tho. *infra q. 17. art. 2.* ergo præcedit operationem ordine causalitatis; & consequẽter ad illam saltim, vt conditio prærequisita concurrit. Deinde; nam dato, quod personalitas non præcedat existentiam, est ad minus connaturale complementum existentiæ: ergo vt natura existat connaturaliter requiritur; & consequenter, vt connaturaliter operetur. Prima Consequẽtia ex antecedenti colligitur. Secunda probatur; nam vnumquodque operatur, eo modo, quo existit: ergo requisitum ad connaturaliter existendũ, requiritur etiam ad connaturaliter operandum.

*Secũdo.*

211 *Tertio.*

Denique; nam si humanitas se sola sine modo subsistentiæ, esset completũ principium operationum hominis, humanitas se sola absque modo superaddito, esset complete homo; consequens est falsum; alias humanitas esset persona; & consequenter Verbum nõ solum naturam hominis, sed etiam assumpsisset personam: ergo humanitas sine modo subsistentiæ, non est completa in ratione principij operatiui; & consequẽter subsistentia est requisita, saltim vt cõplementum humanitatis cõnaturale in ratione operatiuæ. Sequela, in qua est difficultas, probatur: nam conceptus naturæ consequitur ad conceptum essentiæ, & cum illo proportionatur: ergo natura completa in ratione naturæ, est cõpleta etiam in ratione, & linea essentiæ; sed ratio naturæ est ratio principij radicaliter operatiui: ergo humanitas completa complemento essentiali, & complemento naturali in ratione principij operationum hominis, est completa vtroque complemento in ratione naturæ; & consequenter in linea, & ratione essentiæ, omni gaudet complemento. Ex quo vlterius fit, vt si humanitas se sola absque modo superaddito esset principium completum operationum hominis, se sola absque modo superaddito esset complete homo.

212 Confirmatur; si anima rationalis esset principium *quo* adæquatum omnium operationum hominis, anima rationalis esset homo, non solum ex parte naturæ, sed etiam adæquata natura, & essentia hominis in quantum homo, vt arguit D. Thom. 1 *p. q. 75. art. 4.* ergo si humanitas se sola esset principium *quo*, & *quod* adæquatum operationum hominis, humanitas non solum esset adæquata natura hominis, sed etiam adæquate homo; & consequenter per se ipsam esset suppositum, & persona.

*Cõfirmatur.*

213 *Tertio probatur a sũpto.*

Tertio principaliter probatur assũptum; si namque suppositum, vel persona nõ influeret, vt *quod* in operationes propriæ naturæ, sed solum diceretur operãs *denominatiuè*, & per accidens, quia nẽpé, sustentaret naturã vt *quo*, & vt *quod* operantem, sequeretur solum improprie dici operans tales operationes; consequens est falsum: ergo suppositum nõ solum *denominatiuè* operatur, sed est principium *quod* influens in operationes propriæ naturæ. Sequela patet; quia namque aqua sustentãs calorem solum *denominatiuè* calefacit, & peraccidens, in sententia contrariorum, improprié, in eorundem sententia, dicitur calefacere: ergo si suppositum solum hoc modo operatur operationes propriæ naturæ, non proprié, sed improprié operatur.

*Minor probatur. 1.*

Minor autem ostenditur primo: nam sequitur ex cõtraria sententia, Verbum vt subsistens in humanitate, solum improprié dici natum, mortuum, & sepultum pro nobis, & pro nobis merens, & satisfaciens; consequens est falsum; alias omnia testimonia Scripturæ hæc Verbo attribuẽtia essent in sensu improprio accipienda, quod nullus hucusque docuit: ergo falsum est suppositum *denominatiuè* solũ operari operationes propriæ naturæ, quia nẽpé, naturam vt *quo*, & vt *quod* operantem sustentat.

214 *Secũdo.*

Secundo; nam sequitur, hanc propositionem: *Christus sat. sfecit pro omnibus, & illos redemit*, solum in sensu improprio esse veram; consequens admitti non potest: ergo suppositum non solum *denominatiuè* operatur, sed etiã vt *quod effectiuè* influit in operationes propriæ naturæ. Patet sequela; nam Christus non supponit pro humanitate, sed pro supposito Verbi, vt subsistente in natu-

ra diuina, & humana: ergo si de supposito Verbi, vt in humanitate subsistente, solum improprié dicitur nos redemisse, hæc propositio: *Christus homines redemit*, solum in sensu improprio poterit verificari.

215 *Tertio.* Tertio: nam sequitur hanc propositionem: *Humanitas nos redemit*, esse magis propriam quam ista: *Christus nos redemit*; consequens non admittetur: ergo idem quod prius. Sequela patet: nam humanitas iuxta aduersarios est principium *quo*, & *quod* adæquatum redẽptionis hominum; Christus autem, solum *denominatiuè*, & *peraccidens*: quia nempé, humanitatem vt *quo*, & vt *quod* nos redimentem sustentat; sed hac sola ratione hæc est magis propria: *Calor in aqua existens calefacit*; quam hæc: *Aqua calida calefacit*; quia, nempé, calor vt *quo*, & vt *quod* principiat calefactionem: aqua verò solum se habet, vt sustentans calorem calefacientem: ergo manifestè sequitur ex doctrina contrariorum hanc propositionem: *Humanitas nos redemit*; esse magis propriam, quam ista: *Christus homines redemit*, & pro illis satisfecit. *Quarto.* Denique probatur minor: nam esse hominem idem est, quod esse operativum operationum hominis: ergo esse hominem proprié, est esse proprié principium prædictarum operationum; sed suppositum humanum est proprié homo: ergo est proprié principium operatioum hominis; & consequenter non tantum *denominatiuè*, & *peraccidens*.

216 *Oppones.* Dices; de qualibet ex personis diuinis, v.c. de Patre verificatur, esse proprié Deum; & tamen Pater non est principium *quod* eliciẽs diuinas operationes, sed hic Deus communis tribus personis; aliàs pro priori ad relationem Paternitatis hic Deus non esset intelligens, & volens volitione, & intellectione diuina: ergo ex eo quod de persona hominis, v.c. de Petro verum sit, esse cũ proprietate hominem, non sequitur esse principium *quod* eliciens hominis operationes. *Respõd.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: ratione proprietatis personalis, concedo minorem: ratione Deitatis, nego minorem, & cõsequentiam. Nec sequitur hunc Deum pro priori ad relationes non esse intelligentem, & volentem completissimé, & perfectè; nam Pater non intelligit intellectione essentiali, nec est principiũ virtuale, aut eminentiale illius ratione proprietatis personalis, sed ratione Deitatis, vt subsistentis subsistentia absoluta; ac proinde ex eo quod Pater sit principium dicto modo actuum intelligendi, & volendi, non sequitur indiuiduum Deitatis pro priori ad relationes non esse perfectè intelligens.

217 *Instabis primo.* Replicabis primo; quamuis Paternitas non sit complementum Deitatis, quatenus intelligentis, Pater vere, & proprié est intelligens intellectione essentiali: ergo pariter quamuis personalitas terminans naturam creatam non compleat illam prout est principium operationum, sed ratione sui sit completum operationum principium, dicetur cum proprietate persona creata operãs, cuius contrariũ *supra* contra Vazquez inferebamus.

218 *Secũdo* Replicabis secundo; hìc Deus pro priori ad relationes, non solũ vt *quo* sed etiam vt *quod* est principium virtuale actionum intelligendi, & volendi; & tamen vt nos concedimus, Pater ratione Deitatis est cum proprietate intelligẽs, & volens intellectione, & volitione essentialibus: ergo quamuis humanitas, v.c. pro priori ad subsistentiam sit, non solum principium *quo*, sed etiam principium *quod*, & completum suarum operationum, suppositum, vt in humanitate subsistens, verè, & proprié denominabitur operans prædictas operationes.

219 *Tertio.* Tertio; operatio, quæ pro priori ad relationes præsupponitur existens, non potest à persona constituta relatione, vllo modo egredi, vel principiari; sed intellectio essentialis pro priori ad relationes præsupponitur existens, & *huic Deo* perfectè conueniens: ergo nõ potest egredi à persona Patris, quæ in ratione personæ constituitur per relationem. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur primo: nam operatio existit media egressione à principio: ergo si supponitur existens, supponitur iam egressa; ac per consequẽs egredi nequit ab eo ad quod præsupponitur existens. Secundo; quia nam-

que

que generatio actiuè sumpta est prior paternitate secundum conceptum *ad* non potest egredi à Patre, vt constituto per paternitatem vt referentem: ergo si intellectio essentialis est prior paternitate, etiam sub conceptu hypostasis, non potest egredi à Patre, vt constituto per illam in ratione personæ.

220 *Ad 1. instantiã respõd.*

Respondeo ad primam replicam, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam *hic Deus* prædicatur cum proprietate de Patre; & ideo quamuis ratione sui sit completum intelligendi principium, proprié etiam prædicatur de Patre esse principium intelligendi, quamuis paternitas nullatenus ad intellectionem essentialem concurrat; humanitas autem, nec proprié, imo nec veré prædicatur de persona; hæc namque propositio: *Petrus est humanitas* est falsa: vnde si humanitas ratione sui esset completum principium suarũ operationũ, non posset de persona humana cũ proprietate enuntiari, esse principium prædictarum operationum. Ratio autem cur Deitas non compleatur in ratione principij per proprietates personales, humanitas autem personalitate propria compleatur, est; nam Deitas prout prior ad relationes intelligitur subsistens, & perfectissimé existens, vndé à personalitatibus, per se existentiam non accipit, nec illis eget, vt sit, sed existentiandi tate ei competunt; & ideo illis non completur; humanitas autem personalitate propria completur in linea essendi, nec ante illam intelligitur subsistens, nec per se existens, & idcirco personalitate propria completur ad operandum.

221 *Ad secũdam.*

Et ex his ad secundam obiectionẽ, concessis maiori, & minori, nego consequentiam, ob rationẽ discriminis *supra* assignatam, quia nempè, *hic Deus*, veré, & proprié enuntiatur de Patre; & ideo, quæ huic Deo conueniunt, de Patre cum eadem proprietate affirmantur; humanitas autem, nec proprié, nec veré prædicatur de persona humana, atque adeò, si sola humanitas esset principium *quo*, & *quod* operationũ, non posset cum proprietate dici operans persona hominis.

222 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, distinguo maiorem: ratione relationis, concedo maiorem: ratione Deitatis, quæ prior est relatione, & de persona constituta enuntiatur, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Solum enim sequitur, operationes intelligendi, & volendi, intellectione, & volitione essentialib⁹, nõ posse egressu virtuali à Patre egredi ratione proprietatis personalis, non autem, quod ab illo egredi egressu virtuali, non possint ratione indiuidui Deitatis; cum enim hic Deus, veré, & proprié de persona Patris relatione constituta prædicetur, & hic Deus, veré, & proprié sit intelligens intellectione essentiali, & principium virtuale, aut eminentiale illius; fit consequens, vt non possit, non prædicari proprie de Patre, quod sit principiũ virtuale, aut eminẽtiale intellectionis essentialis, non quidem ratione proprietatis personalis, sed ratione Deitatis, quæ in concreto veré, & proprié prædicatur de illo. Nec amplius conuincunt duæ maioris probationes.

223 *Tertia solutio principalis argumenti*

Tertia solutio principalis argumenti est; etiam si suppositum influat immediatè vt *quod* in operationes naturæ posse excusari à causalitate peccati humanitatis assumptæ peccantis actu in sensu compositionis. Tùm, quia influxus in operationes naturæ, vt à supposito egreditur non est liber; suppositum enim prout à natura distinguitur, non est liberum; & consequenter suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate, non liberé, sed naturaliter in peccatum influeret; subrogatur enim loco suppositi creati, à quo prout à natura distinguitur, non liberé, sed naturaliter causantur operationes naturæ. Tùm etiam, quia tam indifferenter egreditur actus a supposito, vt cum supposito possit componi actus, & eius carentia: vnde quamuis suppositum Verbi, vt sustẽtans humanitatem in illius peccatum influeret, non influeret in illum influxu determinato, sed influxu indifferenti, qualiter non repugnat Deo causare peccatum; nam Deus, vt causa generalis cõcurrit ad formalem malitiam, & non solum ad materialẽ entitatem actus, quin ex hoc illi, vt causæ propriæ malitia peccati attribuatur, quia concursus, prout

à Deo,

à Deo, non est determinatus ad formalem peccati malitiam, sed indifferens ad bonum, & malum, & à voluntate creata ad malitiam determinatur. Pariter ergo in præsenti non attribueretur suppositio Verbi, vt causæ propriæ peccatum, quia influxus est indifferēs, prout à supposito, à natura autem ad malum determinatur, quod enim suppositum concurrat, non vt causa vniuersalis, sed vt causa particularis; cum alijs autem creaturis, vt causa vniuersalis concurrat, nihil interesse potest, dummodo in vtroque concursu eodem modo quoad indifferentiam se habeat. Ita Puente-Hurtado *disp. 59. sectione 5. subsectione 2. num. 56. & sequentibus.*

224 *Reijcitur* 1. Hæc tamen solutio, & doctrina sustinenda non est, & reijcitur primo: nā falsum est, Deum, vt causam vniuersalem suo concursu attingere formalem malitiam, quin ipsi, vt causæ propriæ attribuatur peccatū; concursus enim Dei, prout est causa vniuersalis, solum attingit actualitatem, entitatemq; actus peccaminosi, non autē deformitatē, sed ab illa sua causalitate præscindit; aliàs verè, & proprié diceretur esse causa peccati pro formali malitiæ, quin huic proprietati obstaret indifferentia concursus, sicut verè, & proprié est causa entitatis, & actualitatis peccati, quamuis concursu indifferenti ad talem entitatem concurrat, de quo fusé Discipuli D. Th. 1. *p. q. 19. art.* 8. ergo si suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate vere influeret in peccatū humanitatis assumptæ, attingens suo influxu malitiam, verè, & proprié esset causa particularis peccati. Quod nullus catholicorum audebit asserere.

225 *Secūdo.* Deinde, ne nostris principijs veritatem nostræ conclusionis coarctemus, aliter reijcitur solutio iuxta Scholæ præfati Auctoris doctrinam: inde namque docent Societatis Doctores, Deum, etsi generali concursu attingat entitatem, & malitiam peccati, non esse proprié causam illius, quia *permissiuè* solū causat malitiam peccati; at si Verbum, vt subsistens in humanitate influeret in peccatum, non *permissiuè*, sed *positiuè* influeret in peccati malitiam: ergo verè, & proprié esset causa peccati cōmissi ab humanitate assumpta in sensu composito vnionis. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: ideò nāque asserunt præfati Auctores, Deum *permissiuè* solum causare malitiam peccati, quia concurrit concursu prout à se indifferēti, & cum affectu quantum est de se, vt voluntas creata, non in malum, sed in bonum actum, concursum indifferentem determinet; at si suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate, in illius peccatū influeret pro formali malitiæ, non esset cum affectu quantū est de se, vt humanitas vnita in bonū actū prorrumperet; hic enim affectus in Verbo, vt subsistente in humanitate non esset, humanitate peccante, in illo namq; prout subsistente in humanitate nullus actus inuenitur, nisi actus humanitatis: ergo non influeret *permissiuè*, sed *positiuè* in peccatum.

226 *Tertio.* Tertio reijcitur; nam eo ipso, quod detur suppositum influere in operationes naturæ, debet concedi, influere, & operari, libere vt *quod* operationes liberas naturæ: ergo peccante natura, suppositum peccabit, & erit verè, & proprié causa peccati. Consequentia tenet: nā ideo prædictus Auctor asserit, excusari posse suppositum Verbi à causalitate peccati naturæ sibi hypostaticé vnitæ, quia libere non influeret, quod requiritur, vt peccatum imputetur. Antecedens autē probatur primo; nam eo ipso quod suppositum influat vt *quod*, idem influxus, & eadē operatio, quæ naturæ vt *quo* respondet, attribuitur suppositō, vt principio *quod* operanti: ergo natura operante vt *quo* necessario suppositum operatur necessario vt *quod*, & natura operante vt *quo* liberè, suppositum operatur libere vt *quod*. Secūdo: nā influxū suppositi in operationes propriæ naturæ statuitur, vt verè, & proprié operans denominetur; sed non solū denominatur proprié ab actibus necessarijs, sed etiā ab operationibus liberis: ergo vt *quod* libere influit in illas; si nāq; sine influxu suppositi per modū principij *quod* in operationes propriæ naturæ no saluatur, quod sit operis proprié, sine influxu libero per modum principij *quod*, non saluabitur denominatio operantis libere vt *quod*.

227 *Quarto reijcitur solutio.*

Deniq; reijcitur; non enim stat suppositū Verbi, vt subsistens in humanitate vt *quod* influere in peccatū naturæ, & excusari à causalitate peccati: ergo contradictoria admittit prædictus Auctor, cū docet, etiāsi suppositū influat in peccatum à natura cōmissum, posse à causalitate peccati excusari. Antecedens probatur primo: nā si suppositū influit in operationes naturæ, nō influit vt causa vniuersalis, sed vt causa particularis; sed causā particularē in peccatū influētē, nullū hucusq; à causalitate peccati excusauit: ergo si Verbū, vt in humanitate subsistens vt *quod* influit in peccatū naturæ, à causalitate talis peccati excusari nequit. Secundo: nā suppositum influit vt *quod* obligatū eisdē legibus, quibus obligatur natura ad non peccandū; sed causanti peccatū cum obligatione vitādi peccatū, non potest non attribui peccatū: ergo nō stat suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate influere in peccatum ab humanitate cōmissum, & excusari à causalitate peccati.

*Antecedens probatur. 1.*

*Secundo*

228 *Tertio.*

Tertio; si namq; ob aliquā rationē staret cum influxu, excusatio, maximé, quia influxus, vt à suppositō, est indifferens, & nō liber; sed hæc ratio est nulla: ergo non stat Verbū in peccatū humanitatis influere, & illi nō imputari. Probatur minor; si influxus suppositi in peccatum naturæ est indifferēs, & necessārius, etiam influxus in opus bonū naturæ erit necessārius, & non determinatus ad bonum; & tamen hoc non obstat, vt suppositō Verbi veré, & cum proprietate attribuantur operationes rectæ humanitatis; aliàs meritum, & satisfactio pro peccato humani generis non essent cum proprietate suppositō Verbi attribuenda, sed tantum humanitati: ergo prædicta ratio non obstat, quin Verbo, vt subsistenti in humanitate proprie attribuatur peccatum; & consequenter non sufficit, vt à peccati causalitate excusetur.

229 *Quarto respōderi potest principali argumento.*

Tandem responderi potest argumento principali, ex eo quod humanitas assumpta peccaret peccato cum vnione ad Verbum compositō, solum sequi, Verbum, vt in illa subsistēs influere in entitatē, & actualitatem peccati, non autem quod influeret in eius deformitatem; & consequenter non sequitur, suppositum Verbi peccare. Quam solutionem videtur insinuasse Marsilius, & fundari potest in doctrina cōmuni Thomistarū asserentium, ideo Deū causantem materiale peccati à deformitate præscindere: quia deformitas nō continetur intra sphæram causalitatis omnipotentiæ diuinæ; bené tamen entitas, & actualitas actus peccaminosi; sed hæc ratio, etiam in suppositō Verbi militat; nam deformitas peccati non continetur intra sphæram causalitatis illius, actualitas autem, & entitas non est cur ab illius sphæra excludatur, maximé cum contineatur intra sphæram diuinæ omnipotentiæ: ergo ex eo quod humanitas assumpta peccaret, non sequitur influxus Verbi in formalē malitiā peccati, sed tantum in illius entitatē.

230 *Cōtra 1*

Hæc tamen solutio ex dictis manet præclusa. Primo, quia terminatio ad entitatem cum præcisione à deformitate, solum causæ vniuersali conceditur, non autem causæ particulari; at suppositum Verbi, vt humanitatē terminans, non exercet munus causæ vniuersalis, sed causæ particularis: ergo in illo, vt sic concurrente nequit dari influxus in entitatē à deformitate præscindens. Deinde: nam quod Deus, vt causa vniuersalis *positiuè* concurrat ad actualitatem, & solum *permissiuè* ad deformitatē peccati, non prouenit adæquatē ex ratione constituta, quia nempé, deformitas non continetur intra sphæram causalitatis diuinæ; licet namq; hoc requiratur, non tamen est ratio sufficiens: sed insuper, quia non tenetur malitiam peccati vitare, sed potius iure primæ causæ obligatur ad concurrendum cum voluntate creata aliquando ad materiale peccati, si namque obligaretur vitare malitiam peccati, non posset ad entitatem actus concurrere, & à malitia præscindere, sed vtramque formalitatem attingeret, & sub vtraque ratione Deo attribueretur peccatum; at suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate, tenetur vitare peccatum: ergo non stat, quatenus sic subsistēs, influere in entitatem actus, & præscindere à deformitate.

*Secūdo.*

Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; suppositum Ver-

bi,

bi, vt subsistens in humanitate eisdem legibus obligatur vt *quod*, quibus humanitas Verbo vnita obligatur vt *quo*, sicut easdem actiones, quas humanitas elicit vt *quo*, suppositum Verbi, quatenus in illa subsistens, elicit, & operatur vt *quod*; sed humanitas vnita tenetur vt *quo* vitare peccatum: ergo Verbum, vt in illa subsistens vt *quod*, tenetur idem peccatum vitare.

231 *Cōfirmatur.*

Cōfirmatur. Eodē actu obediētiæ, quo humanitas Verbo vnita obedit vt *quo*, Verbū prout in illa subsistēs est obediēs vt *quod*, sed actus obedientiæ habet pro obiecto formali præceptum superioris, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 140. *art.* 2. ergo eisdem legibus, quibus humanitas obligatur vt *quo*, obligatur vt *quod* Verbum prout in illa subsistens; ac proinde, sicut humanitas est vt *quo* obligata vitare peccatum, ita Verbum vt subsistens in illa vt *quod*, erit obligatum idem peccatum vitare.

## §. X.

### *Obiectionibus in contrarium occurritur.*

232 *Arguitur* 1.

COntra hanc rationem obijciunt contrarij Auctores; ex eo quod humanitas assumpta peccaret peccato cum vnione compositō, solum sequitur Verbum denominari peccans per communicationem idiomatum; sed hoc nullum est inconueniens: ergo ratione facta non probatur, repugnare humanitati assumptæ peccare peccato cum vnione ad Verbum compositō. Consequentia tenet, Maior constat: nā ex eo quod humanitas assumpta moriatur, solum sequitur Verbum denominari mortuum per communicationem idiomatum: ergo pariter ex peccato humanitatis assumptæ compositō cum vnione, solum sequitur, Verbum denominari peccans, per idiomatū cōmunicationem. Minor autē eadem paritate probatur; non minus opponitur mors summæ vitæ, quam peccatū summæ puritati, & sanctitati summæ; sed quamuis Verbum in se sit summa vita, & ideo mors illi in se ipso repugnet, no tamen repugnat Verbum mori peridiomatum communicationem: ergo non obstante, quod sit summa sanctitas: & ideo illi repugnet in se ipso peccare, poterit tamen denominari peccās peccato ab humanitate commissō per communicationem idiomatum.

233 *Respōd.*

Respondeo, negando maiorem: nō enim solum sequitur ex peccato humanitatis assumptæ, peccaturū Verbū per communicationem idiomatum, sed veré, & proprié peccaturum, vt subsistēs in humanitate: nam licet humanitate peccante, ista propositio: *Deus peccat*, solum sit vera per communicationem idiomatum, hæc tamen: *Suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate peccat*, est vera in omni rigore, magis quā ista: *Humanitas vnita peccat*, sicut Verbum, vt subsistens in humanitate nos redemisse, cum maiori proprietate est verum, quam nos redemisse humanitatē assumptam, eo quod actiones, etsi possint naturis attribui; magis tamen proprié suppositis attribuuntur, vt *superius* arguebamus: hæc ergo propositio: *Suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate peccat*, esset vera in rigore, & proprietate sermonis, quamuis ista: *Deus peccat*, solum in isto casu esset vera per cō municationem idiomatum. Sicut ista propositio: *Hic homo creauit mundum, est Omnipotens, Æternus, &c.* signato Christo est vera per cōmunicationem idiomatum. Ista autē: *Hic homo, vt in Deitate subsistens creauit mūdū, est Omnipotens, & Æternus*, est in omni rigore vera. Ad probationē maioris, nego antecedens. loquēdo de Verbo, vt subsistente in humanitate; sicut nāq; humanitas improprié dicitur genita, Verbū autē vt subsistēs in humanitate proprié dicitur genitū generatione tēporali, vt docet D. Th. *infra q.* 35. *art.* 1. & 2. ita Verbū, vt subsistens in humanitate, dicitur cū proprietate mortuū, & passū pro nobis, & non solū per idiomatū cōmunicationē; aliàs verba Scripturæ attribuentia Christo meritum, & hominum redemptionem non essent vera in rigore, vt *superius* arguebamus.

234 *Instabis*

Sed adhuc contra hanc solutionē vrget argumentum factum; non enim minus opponitur vitæ mors, quam sanctitati peccatum, sed ex eo quod Verbum summa vita sit, tantum sequitur, mortem illi repugnare in se ipso, non autem, quod illi repugnet mori in humanitate assumpta, ita vt in illa subsistens vere, & proprie mori dicatur: ergo ex eo quod sit summa sanctitas, solū infertur repugnare illi in se ipso peccare, non autem, quod illi repugnet peccare in natura assumpta, & prout in illa subsistens, peccans proprie denominari. Minor cum consequentia tener. Maior autem constat: nam mors, & vita opponuntur priuatiue, peccatum autem, & sanctitas priuatiue, vel contrarie: ergo non minus opponuntur mors, & vita, quam sanctitas, & peccatum.

235 *Hæc obiectio nō vrget cōtra 1. rationē probati cōclusionis*

Hoc argumentum non vrget contra primam rationem, qua conclusionē probauimus sumptam ex sanctitate infinita humanitatis; cum enim Verbū, non solum in se sit sanctum, sed etiam humanitatem sanctificet infinitē, fit consequens, vt peccatum, non solum Verbo in se ipso repugnet, sed etiam humanitati ab ipso sanctificatæ; vitam autem increatam non præbet naturæ vnitæ; & ideo mors non repugnat humanitati Verbo hypostaticē vnitæ, nec Verbo prout in illa subsistit. Nec etiam vrget contra secundam rationem sumptam ex obligatione Verbi gubernandi humanitatem, iuxta quam si Verbum in humanitate assumpta peccaret, peccaret etiam in se ipso, & vt sic in natura diuina, quod implicat; ac proinde omnino repugnat, Verbum vt subsistēs in humanitate peccare; ex eo autem, quod Verbum in humanitate assumpta moriatur, non sequitur mori in se ipso, atque adeò ex non repugnantia moriendi Verbum in humanitate, non infertur similis non repugnantia in humanitate peccandi.

*Nec cōtra 2. dictā ex obligatione regēdi humanitatem.*

236 *Contra vltimā rationē vrget obiectio & instauratur.*

Solum ergo difficultatem habet cōtra vltimam rationem, qua conclusionem nostram ostendimus & vrgeri potest amplius; etenim Verbo in se ipso non minus repugnat mors, quam peccatum, sed hoc non obstante potest Verbum in humanitate mori, & in nostra sententia prout in humanitate subsistens, mortuum proprie denominari: ergo pariter poterit peccare in humanitate assumpta, & prout in illa subsistens, proprie peccans, & peccator denominari.

237 *Respō.*

Respondeo, distinguendo maiorē: non minus *intensiuè*, concedo maiorē: *extensiuè*, nego maiorem, & concedo minori, nego consequentiam. Sanctitatis namque summæ, vel supposito summe sancto, ratione summæ sanctitatis, non solum repugnat denominari peccans in se, sed etiam denominari peccans in alio, vel in aliena natura; supposito autem viuenti vita per essentiam, solum opponitur mori in se ipso, non autem mori in natura aliena, quam terminat: vnde etsi æquē opponantur *intensiuè*, & respectu eiusdem naturæ, non tamē æquē *extensiuè*, & respectu eiusdem suppositi in diuersa natura.

238 *Instatur argumentum.*

Et in isto argumentum, ita illud formando; non minus opponitur mors vitæ, quam peccatum sanctitati; sed mors licet repugnet summæ vitæ in subiecto summe viuente, non tamen repugnat summæ vitæ, vt abilla in alio suoi cto causata: ergo licet peccatum repugnet summæ sanctitati in proprio subiecto; non tamen repugnabit summæ sanctitati, vt abilla causatum in alio: Cuius præmissæ sunt veræ; nam Deo, qui est summa vita, licet repugnet mors in se ipso, non tamen repugnat ab illo in alio subiecto causari; nam Deus causat in hominibus mortem, peccatum autem, nec in se, nec in alio causare potest. Pariter ergo in præsent; mors non repugnat Verbo in aliena natura, nec vt sic illa subsistens mortuum denominari; peccatum autem, & denominatio peccantis, non solum repugnat Verbo in se ipso, & vt subsistenti in natura diuina sed etiam in natura humana, & prout in illa subsistēti.

*Verbum vt subsistens in humanitate potest mori, nō autem peccare.*

Et ratio discriminis est duplex. Prima: quia mors est malum physicum, & ad Deum ordinabile: vnde sicut hac ratione potest illam in alijs causare: ita potest ab illa in alio denominari; peccatū autem est malum morale, quod ad Deum nullatenus potest referri, & sicut hac ratione non potest à Deo nec in se ipso,

nec

nec in alio causari: ita non potest Deus, nec in se ipso, nec in alio denominare. Secunda ratio discriminis est; nam Verbum vt subsistens in humanitate, nō potest denominari peccans, nisi vt causa particularis influat in peccatum ab humanitate commissum, & quia influxus iste repugnat, non potest denominari peccans a peccato humanitatis; potest autem denominari mortuum humanitate moriente, quia influxus sustentativus Verbo in mortem humanitatis nō repugnat. Quæ solutio constat ex dictis impugnando Durandum, & Vazquez.

239 *Instabis primo.* Sed contra illam multipliciter insurgunt contrarij. Primo; nam si Verbum, vt subsistēs in humanitate, influit vt *quod* in illius operationes, influit ratione humanitatis vnitæ, vt principij *quo* radicalis, & ratione potentiarum per modum principij *quo* proximi; sed humanitas, & eius potentiæ Verbo hypostaticē vnitæ eiusdem rationis sunt cum humanitate Petri, & cuiusvis alterius hominis, & cum illorū potentijs: ergo Verbū ratione illius potest in eosdē effectus, & defectus influere, in quos possūt alij homines; & cōsequēter, sicut Petrus, v.c. potest in peccatum ratione humanitatis influere, vt causa particularis, ita Verbum, quatenus in humanitate subsistens, poterit ratione humanitatis, & potentiarum illius vt *quod* in peccatum influere. Patet consequentia; nam eadem virtus radicalis, & proxima idē posse radicale, & proximum præstant: ergo si humanitas, quæ est principium radicale, & potentiæ, quæ sunt principia proxima operandi, eiusdē rationis sunt in Verbo, & in puris hominibus, præstant idem posse radicale, & proximum Verbo, quod puris hominibus præstat; his autem dant, non solum posse influere in operationes bonas, sed etiam posse influere in peccatum: ergo hoc posse, Verbo vt subsistenti in humanitate præbent; & consequenter Verbum, vt subsistens in humanitate, poterit ratione illius influere in peccatum, vt causa particularis.

240 *Secundo.* Secundo; nam saltim sequitur casu, in quo Verbum assumeret humanitatem Petri, personalitate propria retenta, posse humanitatem assumptam peccare peccato cum vnione ad Verbum compositō; consequens non admittūt Auctores nostræ sententiæ: ergo ratio sumpta ex influxu Verbi in peccatum, bona non est ad probādam implicationem peccati in humanitate assumpta in sensu cōpositō vnionis. Probatur sequela: in data hypothesi posset humanitas assumpta peccare, absque influxu Verbi in peccatum: ergo posset peccare vi sola nostræ rationis attēta. Probatur antecedens; posset humanitas assumpta peccare influente persona creata; sed hac influente non posset influere Verbum, vt subsistens in humanitate: ergo posset peccare humanitas, absq; influxu Verbi in peccatum; non enim potest vnus, & idem effectus à duabus causis adæquatis dependere; sed persona creata esset causa adæquata peccati humanitatis vt *quod*: ergo ipsa influente in peccatum nō posset Verbum, vt subsistens in humanitate influere. Maior autem probatur; vt humanitas influat in operationem vt *quo*, sufficit aliquod principium *quod*; sed humanitas Verbo vnita, retēta propria personalitate, habet sufficiēs principium *quod* suarum operationum à Diuino Verbo distinctum, scilicet, personam creatam, per quam sufficienter in existendo; & consequenter ad operandum completur: ergo casu in quo humanitas Verbo vniretur, propria personalitate retenta, posset peccare, persona creata in peccatum vt *quod* influente.

241 *Tertio* Tertio obijciunt; suppositum, vel persona, nec vt *quo*, nec vt *quod* influit in operationes propriæ naturæ; sed natura est adæquatū principiū *quo*, & *quod* suarum operationum: ergo ex eo quod humanitas Verbo vnita peccaret, nō sequitur Verbū vt *quod* in peccatum influere; & consequenter malē ab hoc inconuenienti probatur, non posse humanitatē vnitam peccare peccato cū vnione ad Verbū cōpositō. Consequentia tenet. Antecedens autē, in quo est difficultas, probāt primo: variato principio operandi, necessum est operationē variari; sed variata subsistentia, non variantur operationes; nā operationes humanitatis Christi eiusdem rationis sunt quoad physicā entitatē cum operationibus no-

ſtris; cū tamen ſubſiſtentia, qua humanitas Chriſti ſubſiſtit diuerſæ rationis ſit: ergo ſuppoſitū, nec vt *quo*, nec vt *quod* influit in operationes propriæ naturæ.

242 *Secundo.* Secundo; nam humanitas v. c. poteſt de potentia abſoluta produci ſine vllo ſuppoſito, vt probabiliter docēt plures ex noſtris Thomiſtis; ſed tunc eſſet principiū earundē operationū, quas elicit in ſuppoſito, & non ſolū vt *quo*, ſed etiam vt *quod* eſſet illarum principium, ſicut accidens à ſubiecto ſeparatum eaſdem actiones cauſat, & eoſdē effectus producit, quos inexiſtens ſubiecto, vt conſtat in accidentibus Euchariſtiæ à ſubiecto ſeparatis, & tamen eoſdē effectus, & operationes cauſantibus: ergo operationes naturæ non dependent à ſuppoſito, tanquam à principio *quod*, ſed à ſola natura.

243 *Tertio.* Tertio; nam ſicut agere ſupponit eſſe, ita fieri ordinatur ad eſſe; & cōſequēter eadē ratio eſt de agere, & fieri quoad hoc, quod eſt conuenire, aut non conuenire ſuppoſito; ſed natura proprie, & vt *quod* ſit; nam humanitas Chriſti fuit genita diſtincta actione ab illa, qua fuit aſſumpta; & conſequenter generationē vt *quod* terminauit, anima etiam rationalis prius natura creatur, quam vniatur materiæ; ac proinde vt *quod* terminat creationem; cum ſuppoſitum non creetur: ergo natura non ſolum vt *quo* ſed etiam vt *quod*, eſt principium agendi; & conſequenter ſuppoſitum, nec vt *quod* influit in eius operationes.

244 *Quarto.* Quarto, vt enim docet D. Th. 1. p. q. 75. art. 2. ad 2 anima coniuncta corpori dicitur intelligens, etiā vt *quod*, & patet ita eſſe dicendū: nā ſeparata intelligit anima vt *quod*; ſed per eandem exiſtentiā exiſtit ſeparata, & coniuncta: ergo corpori vnita, intelligit, non ſolum vt *quo*, verum etiam vt *quod*: ergo natura operatur vt *quod*; & cōſequenter ſuppoſitum, nec vt *quod* influit in eius operationes.

*Quinto.* Quinto; nam eadē eſt ratio recipiendi accidentia, & operandi; cum vtrumq; eſſe ſubſtantiale ſupponat; & conſequenter ſolū exiſtenti conueniat; ſed natura vt *quo*, & *quod* recipit accidentia. Tum, quia intellectus, v. c. & voluntas, quæ ſunt accidentia, animæ rationali inſunt, vt ſubiecto *quod*. Tū etiā, quia aliàs accidentia humanitatis Chriſti immediatē vt *quod* ſuppoſito Chriſti inhærerent, quod eſt falſū; aliàs mutaretur ſuppoſitū Chriſti per illa: ergo natura immediatē vt *quod* operatur, & non ſolum vt *quo*.

245 *Cōfirmatur.* Confirmatur: natura vt *quo*, & vt *quod* cauſat accidentia in genere cauſæ materialis, quin ſuppoſitū ad cauſandū materialiter aliqua ratione concurrat; aliàs ſuppoſitum Chriſti eſſet cauſa materialis accidentiū humanitatis: ergo vt *quo* & *quod* cauſat operationes in genere cauſæ efficientis, quin ſuppoſitū aliquaſiter influat effectiuē in illas. Patet conſequentia; ſicut namq; efficienter influere in operationes, ſupponit eſſe, ita materialiter influere in accidentia ſupponit eſſe: ergo ſi naturæ ſufficiēter conuenit eſſe, ad influendum in accidentia vt *quod* in genere cauſæ materialis, etiā conuenit ſufficienter eſſe ad influendum in genere cauſæ efficiētis; & conſequenter ſicut ſuppoſitum, nec vt *quo*, nec vt *quod* materialiter cauſat accidentia, ita nec vt *quo*, nec vt *quod* influit in operationes in genere cauſæ efficientis.

246 *Vltimo probatur 1. antecedens.* Denique, primum antecedens probatur: non minus dependet accidens in eſſendo à ſubiecto, cui inhæret, & ab inhæſione ad ſubiectū, quam natura ſubſtantialis à ſuppoſito, in quo eſt, & à ſubſiſtentia, per quam terminatur, & cōpletur; ſed non obſtante dependentia accidentis à ſubiecto, ipſum accidens influit vt *quod* in ſuas operationes; ſubiectum autem, nec vt *quo*, nec vt *quod* efficienter influit in illas, nec inhærentia accidentis ad ſubiectum aliquem influxum effectivum exercet: ergo non obſtante dependentia naturæ ſubſtantialis à ſuppoſito, & à ſubſiſtentia, per quā terminatur, & cōpletur, natura ipſa vt *quod* influit in propias operationes, ſuppoſito, nec vt *quod* influente, & abſque vllo influxu effectiuo ſubſiſtentiæ cōplentis naturam in eius operationes.

247 *Minor probatur 1.* Maior cum conſequentia tenet. Minor autem oſtenditur primo: nam accidentia panis, & vini in Euchariſtia exiſtunt ſine ſubiecto; & tamē cauſant eaſdē operationes, quas cauſarent, ſi in ſubiecto exiſterent; nā accidentia vini cale

faciunt,

faciunt, & inebriant, & accidentia panis sustentant: ergo accidens inhærens subiecto, etiam vt *quod* suas causat operationes sine influxu vt *quod* subiecti, & sine aliquo influxu effectiuo inhæsionis accidentis in eius operationes. Secundo probatur minor: nam calor productus ab aqua calida vt *quo*, & vt *quod* producitur à calore; substantia autem aquæ, nec vt *quo*, nec vt *quod* effectiué in calefactionem influit. Tùm, quia potius cõnatur in destructionem caloris. Tùm etiam, quia aliàs idem agens naturale in oppositos effectus influeret; cum substantia aquæ naturaliter influat in non esse caloris; & consequenter si influeret calorẽ in ligno, simul, & semel in oppositos effectus influeret: ergo accidés inhærens subiecto vt *quo*, & vt *quod* operatur, subiecto, nec vt *quo* nec vt *quod* influente, & sine aliquo influxu effectiuo modi inhærentiæ accidentis in eius operationes.

*Secũdo.*

248 *Ad 1 instantiã respond.*

Hæc tamen veritati resolutionis nostræ nõ obstant: ad primum respondeo, concessis maiori, & minori, negãdo cõsequentiam: nam licet humanitas, & potentiæ humanitatis Christi eiusdẽ rationis sint cum humanitate nostra, & cum potentijs illius; suppositum tamen Verbi diuersæ rationis est, & cui ob summã rectitudinem, & distantiã à peccato repugnat in illud influere, vt causa particularis, vt fusé ostẽdimus *supra*; & ideo quamuis humanitas sit de se sufficiens principium *quo* cuiusvis actualis peccati, & nobis præstet, esse vt *quod* principia influentia in peccatum, quia nobis non repugnat peccatum, suppositũ Verbi non constituit, nec potest constituere in ratione principij *quod* influentis, vel potentis in peccatum influere.

249 *Ad secũdam.*

Ad secundum respondetur: rationẽ nostrã procedere in principijs D. Tho. iuxta quæ natura, propria personalitate retenta nõ potest assumi à Verbo, quare licet hac ratione nõ probetur impossibilitas peccati cũ vnione ad Verbum cõpositi in casu implicante ex terminis in doctrina Thomistarũ, nihil contra illã infertur: vnde distinguendum est cõsequens. hac sola ratione attenta, trãseat consequens: absolutè, nego sequelã: nã stantiæ rationes, quibus impossibilitas peccati probatur cũ vnione ad Verbum cõpositi, adhuc in prædicto casu. An autẽ, etiam ex vi huius rationis probetur impotentia peccandi in humanitate assumpta, siue in sensu cõposito vnionis, siue in sensu diuiso, & vnione per peccatum destructa, quamuis assumeretur humanitas propria personalitate retenta, *inferius* examinabimus.

250 *Ad tertiam. Ad primã probationẽ antecedentis.*

Ad tertiam, nego antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: variato principio *quo*, concedo maiorem: variato principio *quod*, & principio *quo* invariato, nego maiorem: & concessã minori, nego consequentiam: cum enim principium *quo* sit adæquata virtus agendi, & specificandi operationes; personalitas autem, vel subsistentia cõstituens suppositũ, quod est principium *quod* operandi, solum vt conditio ad operationes concurrat, siue sit conditio essentialis, vt plures volunt, siue tantũ connaturalis, vt alij Auctores sẽtiũt; fit consequens, vt quãuis subsistentia varietur, qualiter contingit in humanitate Christi; quia tamen humanitas, & eius potentiæ eiusdem rationis sũt, non diuersificentur physicé operationes. Et quidé apprehensio obiecti est conditio essentialis boni, quod est obiectum voluntatis, vt *motiuè*, & *terminatiuè* ad actum voluntatis concurrat; & tamen quamuis diuersificẽtur essentialiter apprehensiones, si obiectũ propositum eiusdem rationis sit, actus voluntatis eiusdem rationis est, vt constat in actu dilectionis viæ, qui eiusdem speciei est cũ dilectione beatifica, imo posse eundem numero actum dilectionis viæ in patria perseuerare, docet plurium Theologorum sententia; & tamen apprehensio fidei, qua regulatur in via, diuersæ rationis est à visione beatifica, per quã regulatur in patria: quia tamen obiectum per vtramque regulã propositum, à quo, vt à ratione formali sumitur species actus, est idem in ratione obiecti, non variatur essential ter dilectio. Pariter ergo in præsenti, quãuis subsistentia continens principium *quod* operandi essentialiter varietur; quia tamen solum, vt conditio ad operationem concurrit, & principium *quo* est adæquata ratio specificandi opera-

tiones, hoc invariato manente operationes eiusdem rationis sunt.

251 *Obiicies 1.* Si opponas primo: natura diuina Patris, est eiusdem rationis in Filio; & tamen, quia Paternitas, quæ vt cõditio, aut complementum ad generationem concurrit, à filiatione distinguitur, generatio Patri competens diuersæ rationis est ab intellectione Filij; cum in illo dictio, & generatio non sit: ergo si subsistentia sit conditio essentialis ad operandum, quamuis natura sit eadem, si differunt subsistentiæ, variabitur operatio. *Secundo.* Secundo: nam actio entitatiuè naturalis, non potest per se dependere à principio supernaturali; sed si actiones per se dependerent à suppositio, vt principio *quod* operandi, & à subsistentia, vt à conditione, vel complemento essentiali, actio naturalis per se ab aliquo supernaturali dependeret: ergo non sic à suppositio, nec à subsistentia dependẽt. Maior cum consequentia tenet. Minor autẽ probatur: plures operationes humanitatis Verbo vnitæ, fuerunt physicè naturales; sed huiusmodi operationes per se dependerent à suppositio Verbi, & illius subsistentia, quæ sunt aliquid supernaturale, si operationes essent suppositi, vt principij *quod* influentis, & subsistentia est necessaria conditio: ergo si hoc est verum, actio naturalis per se dependeret ab aliquo supernaturali.

252 *Ad 1. replicã respond. 1.* Respondeo ad primam replicam, concessa maiori, negando minorem: vt enim docet D. Thom. *in 1. dist. 31. quæst. 1 art. 1. ad 1.* quamuis generatio non conueniat Filio, nõ sequitur, quod aliqua operatio conueniat Patri, quæ non conueniat Filio, sed solum, quod eadem operatio vtrique conueniat secundum aliam, & aliam relationem, ex quibus manifestè colligitur, generationem non esse operationem distinctam in ratione operationis ab intellectione Filij, sed solum pro connotato, & ratione relationis. *Respondetur 2.* Vel secundo, cõcessa maiori, & prætermissa minori, negando consequentiam: nam diuersitas subsistentiæ non exigitur per se ab operationibus eiusdem naturæ creatæ, quãuis aliqua subsistentia per se, & essentialiter exigatur, iuxta *proximè* dicenda; & ideo non inducit diuersitatem in operationibus; paternitas autem per se exigitur à generatione ex parte principij, prout à filiatione distincta; ac proinde dispar est ratio.

253 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, nego minorem. Nam licet subsistentia Verbi supernaturalis sit, operationes humanitatis illam per se non exposcunt, sed propriam personalitatem, vice cuius substituitur Verbi subsistentia, quia illam eminenter continet: vnde quamuis dependentia actionis à subsistentia, per se, & essentialis sit, actiones humanitatis non dependent per se ab illa, ea ratione, qua supernaturalis est, nec cum illa prout sic cõnectuntur. Cuius doctrinæ veritas constat in amore naturali, qui regulari potest à cognitione supernaturali terminata ad obiectum naturale, & illud voluntati proponente, quin ex hoc inferatur amorem naturalem per se connecti cum supernaturali cognitione, quamuis amor per se, & essentialiter cognitionem supponat, & per se ab illa dependeat; & hoc ideo, quia regula, quam postulat per se, est cognitio naturalis, vice cuius potest cognitio supernaturalis regulare peraccidens attẽta exigentia amoris.

254 *Vrgebis.* Sed dices: ergo suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate, non influit per se in eius operationes; consequens videtur doctrinæ traditæ aduersum: ergo etiam solutio. Probatur sequela: nã id per se influit in operationem, quod ab illa per se exigitur; sed suppositum Christi non exigitur per se ab operationibus humanitatis: ergo non influit in illas per se. *Respondetur 1.* Respondeo primo, distinguendo consequens: perfeitate principij, concedo consequentiam: perfeitate entitatiua, nego consequentiam. Nã sicut tres diuinæ personæ, vt distinctæ personaliter, influunt per se in operationes ad extra: non perfeitate principij, quia effectus causati à Deo, per se non petunt Trinitatem personarũ, sed per se perfeitate entitatiua, quia tres diuinæ personæ per se subsistũt in diuinitate operante, & causante creaturas: ita suo modo suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate, per se influit in eius operationes: non perfeitate principij:

nam

nam ab illis ſubſiſtentia Verbi non petitur, ſed perfeitate entitatiua; quia nempé, vt vnita humanitati operatur. Vel ſecundo reſpondetur, diſtinguendo aliter conſequens: ergo non influit per ſe perfeitate omnino abſoluta, concedo conſequentiam: perfeitate abſoluta ex purificatione alicuius conditionis, nego conſequentiam. Itaque ſuppoſito, quod operationes per ſe eſſentialiter à ſuppoſito, vel à ſubſiſtentia dependeãt, operationes humanitatis per ſe eſſentialiter dependent ab humanitate, vt ſubſiſtente, vel vt per ſubſiſtentiam aliquam terminata. Quia tamen non per ſe exigunt humanitatem terminari per ſubſiſtentiam Verbi, non exigunt per ſe abſolute à ſubſiſtentia Verbi cauſari; ſuppoſita tamen terminatione humanitatis à Verbo, per ſe cauſãtur ab illa, & per ſe à Verbo procedunt, non perfeitate omnino abſoluta, ſed perfeitate abſoluta ſupponente conditionem non exactam, nempé, terminationem humanitatis à Verbo.

255 *Reſpõdetur ad ſecundam antecedẽtis probationẽ*

Ad ſecundam antecedentis probationem, admiſſa doctrina maioris, & permiſſa etiam minori, diſtinguo conſequens: operationes naturæ exiſtentis in ſuppoſito, nego conſequentiam: operationes naturæ exiſtentis ſine ſuppoſito, vt in maiori ſupponitur exiſtens de potentia abſoluta, concedo conſequentiam. Itaque in ſententia aſſerente, naturam ſubſtantialem non poſſe de potentia abſoluta, ſine ſubſiſtentia exiſtere, dependentia operationum naturæ à ſubſiſtentia terminante naturam, & à ſubſiſtente in illa, eſt dependentia eſſentialis; vnde iuxta illam, nec de potentia abſoluta poteſt operatio à non ſubſiſtente procedere. Si tamen ſententia contraria aſſerens, poſſe humanitatem exiſtere de potẽtia abſoluta ſine modo ſubſiſtentiæ, & extra omne ſuppoſitũ, quæ probabilis eſt, ſupponatur, conſequenter eſt aſſerendum, poſſe extra ſuppoſitum operari; ac proinde dependentiam operationis à ſuppoſito tanquam à principio *quod*, non eſſe eſſentialem, ſed tantum connaturalem; ex hoc tamen ſolũ infertur, poſſe de potentia abſoluta naturam ſolam eſſe principium *quod* ſuarum operationum, non tamen, quod ſi natura in ſuppoſito exiſtat, ſiue proprio, ſiue alieno, poſsit vt *quod* operari, ſuppoſito non influente, & hoc tantum nos aſſerimꝰ. Et ratio diſcriminis eſt; nã cum natura terminatur à ſubſiſtentia ipſa, non exiſtit vt *quod*, ſed vt *quo*; & conſequenter, non vt *quod*, ſed vt *quo* dicitur operari; cum vero ſeparata ab omni ſuppoſito eſſet, exiſteret ipſa, vt *quod*; & conſequenter vt *quod* operari diceretur, & ſolum eſſet variatio in modo connaturali operandi orta ex variatione in modo naturali exiſtendi. Sicut accidentia, quæ ſubiecto inexiſtentia, tantum operantur vt *quo*, ſi extra ſubiectum exiſtant, operantur vt *quod*, variato modo operandi ex modo eſſendi variato; cum enim ſeparantur, exiſtunt vt *quod*, & per ſe; cum autem ſubiecto inhęrent, non exiſtunt, ſed inexiſtunt, & ideò non operantur vt *quod*, ſed ſunt ratio operandi ſubiecto.

Nec ſequitur, humanitatem ſine omni ſuppoſito exiſtentem eſſe hominẽ, quamuis vt *quod* operetur hominis operationes, quia non operatur vt principium *quod* connaturale, & completũ illarum operationum, quod neceſſum erat, vt poſſet de illa verificari, eſſe hominẽ: nã homo nõ eſt operãs vt *quod* hominis operationes, ſed principiũ *quod* illarum cõnaturale, & completum, qua ratione argumentabamur, nempé, ſi humanitas eſſet principium *quod*, & ſuppoſitum, nec vt *quo*, nec vt *quod* operaretur, humanitatem hominem eſſe: hoc tamen non infertur ex eo quod humanitas exiſtens ſine ſuppoſito, ſit principium *quod* agendi: quia non eſt principium *quod* cõnaturale, & completum; ſicut ex eo quod anima ſeparata ſit principium *quod* intelligendi, & volendi, non ſequitur eſſe hominem, etiam vt intellectiuum, eo quod non operatur omnino connaturaliter, nec vt principium *quod* completum, & connaturale illarũ operationum.

256 *Humanitas exiſtens ſine omni ſuppoſito nõ eſt propriè homo.*

Ad tertiam antecedentis probationem, conceſſa maiori, nego minorem: natura namque non generatur vt *quod*, ſed vt *quo*, vt conſtat in natura diuina, quæ non vt *quod*, ſed vt *quo* eſt terminus generationis: nec humanitas fuit genita ex Beatiſsima Virgine vt *quod*, ſed vt

257 *Ad tertiã antecedentis probationẽ reſpõdetur.*

quo tantùm, vt docet D.Thom. *infra q. 35.art.1.in corp.& solutione ad 3.& art. 4.in corp.* Christus autem fuit vt *quod* genitus; aliàs Christus Filius Virginis non esset, quod est contra fidem; nec ad hoc requiritur, quod actiué in vnionē humanitatis ad Verbum influxerit, sed sufficit, quod passiue ministrauerit materiam, ex qua fuit humanitas formata, & in eodem instanti Verbo hypostaticé vnita, vt docet D.Thom. *infra q. 33. art. 4. ad 2.* ibi: *Cōceptio*, scilicet Christi, *attribuitur Virgini Beatæ non tanquam principio actiuo sed quia ministrauit materiam conceptui, & in eius vtero est conceptio celebrata.* Et *q.35.art.4 in corpore.* vbi ait: *Ideò vere posse dici, Deum conceptum, & natum de Virgine, quia in ipso principio conceptionis fuit humana natura, cui Beata Virgo ministrauit materiā, assumpta à Diuina persona.* Anima autē rationalis; quia aliqua ratione subsistit; quatenus scilicet, non dependet à materia, nec educitur ex illa, vt docet D.Th. *1.p.q.75.art.2.* etiam aliqua ratione per se fit, & ideò terminat creationem, non tamen propriè fit: quia non fit propter se, sed propter totum, ad quod constituēdum, vt ad finem ordinatur; vt autē per se fieret proprie, necessum erat, vt non solum crearetur ratione sui per exclusionem alterius terminantis sui creationem; sed etia propter se, ide est, nō propter aliud creandum, vel generandum. Et quia aliqua ratione subsistit, etiam aliqua ratione dicitur, vt *quod* intelligens, non tamen omnino proprie, vnde proprius dicitur, *homo intelligit per animā*, quam animam intelligere, vt docet D. Thom. *vbi proximè.*

258 *Ad quartā antecedentis probationē respōdetur.*

Et ex his ad quartam antecedentis probationem constat solutio; anima enim rationalis dicitur vt *quod* intelligens, etiam in statu coniunctionis ad corpus; quia aliqua ratione subsistit, quatenus licet coniuncta sit corpori, in suo tamen esse, à corpore nō dependet; quia tamen non perfecte subsistit; eo quod vt pars est actu communicata, nō omnino proprie dicitur vt *quod* intelligere, vt expresse docet D.Thom. nec est eadem ratio de illa in statu separationis; nam in hoc statu subsistit vtroque modo, nempé, exclusione dependentiæ, & actualis cōmunicationis, quamuis, quia non excludit communicationem aptitudinalem, sed potius naturaliter appetit corpori communicari, non sit complete persona.

259 *Ad quintā respōdebis.*

Ad quintam probationem antecedentis respondeti potest primo, negando maiorem; receptio enim accidentiū spectat ad genus causæ materialis, operari autem ad genus causæ efficiētis, inter quæ causarū genera hæc differentia vertatur: quod licet ad vtrumque realis existentia exigatur, non tamen vt præintellecta, sed ad causandum materialiter sufficit in *re* existentia; ad causandum verò efficienter requiritur existentia, vt præintellecta ad effectum; & ideo quamuis natura sit subiectum *quod* adæquatum inhæsionis accidentium; non sequitur esse principium *quod* adæquatum operandi: quæ solutio videtur colligi ex doctrina Capreoli *in 3.dist.6.q.vnica a.3.ad 4 Aureoli & dist.7.& 8.q.vnica art.3 ad 3* & Caietani, *infra q.17 art.2. versu ad Durādum dicitur; & q.36.art 5.dub.4 ad 3 Scoti.* Vbi hoc inter existentiam, & filiationem ex vna parte: & operationem statuunt discrimen; quod licet omnia denominatiué attribuatur suppositō; filiatio tamen, & existentia sunt suppositi denominatiue, & inhæsiue immediate; operatio autem licet denominatiue sit suppositi, non tamen inhæsiue immediate, sed mediante natura, & potētia vt principio, & subiecto inhæsionis.

260 *Sed contra. 1.*

Hæc tamen solutio non placet primo; nam licet causa materialis vt sic, nō exigat existentiam præintellectam: vt de materia prima pro priori ad formam substantialem, illam causat materialiter, quin pro illo priori existat; causa tamen materialis accidentium pro priori causalitatis illorum debet præintelligi existens; sed subsistentia, vel in existentia substantiæ consistit, vel ad illam præsupponitur in sententia Thomistarum: ergo etiam præsupponitur ad receptionem accidentium; & consequenter natura sine modo subsistentiæ, non est subiectū *quod* illorū receptiuū cōpletū. Cō sequentia tenet; nā hac sola ratione non est principium *quod* efficiens completum operationis; quia ad operationem

præ-

præſupponitur exiſtentia ſubſtantialis, & in hac conſiſtit ſubſiſtentia, vel ad illam præſupponitur iuxta diuerſas ſententias, quæ in hoc puncto inter Diſcipulos D. Thom. verſantur: ergo ſi in ordine ad cauſanda materialiter accidentia datur eadē præſuppoſitio exiſtētię, & ſubſiſtentiæ naturæ ſine modo ſubſiſtentiæ, non eſt ſubiectum *quod* completum inhæſionis accidentium. Maior autem probatur primò: nam quod materia prima cauſet materialiter formam, quin pro illo priori exiſtat, prouenit ex eo quod cauſat, vt pura potentia, & conſtituit ſubſtantiale compoſitum, quod in via Thomiſtarum eſt primarium ſuſceptivum exiſtentiæ; at rationes iſtæ in cauſa materiali accidentium non militant: ergo vt ſubiectum ſubſtantiale cauſet materialiter accidētia, non ſolum petit exiſtentiam, vt in re, ſed etiam vt præintellectam.

261 *Cōtra 2.*

Secundo impugnatur ſolutio; nam ſi natura eſſet ſubiectum *quod* adæquatum receptivum accidentium, anima rationalis erit ſubiectum intellectionē adæquatē vt *quod* recipiens; conſequēs eſt falſum: ergo natura non eſt ſubiectum receptivum *quod* adæquatum accidentium. Patet ſequela; ſicut namque accidentia corporalia inſunt ratione naturæ, ita intellectio, quæ ſpiritualis eſt, ineſt homini ratione animæ rationalis: ergo ſi accidentia corporea inhærent naturæ, vt ſubiecto *quod* inhæſionis adæquato, intellectio erit in anima, vt in ſubiecto *quod* adæquato inhæſionis. Minor autem probatur; nam actio vitalis in principijs Thomiſtarum in eodem ſubiecto recipitur, à quo egreditur; ſed anima rationalis non eſt principiū *quod* adæquatum elicientiæ intellectionis; aliàs ſuppoſitum hominis, nō eſſet principium *quod* elicientiæ, ſed tantum denominationis, cuius contrarium omnes Thomiſtæ fatentur: ergo neque eſt ſubiectum *quod* adæquatum inhærentiæ intellectionis.

262 *Ad 5. antecedentis probationē reſpond.*

Vnde ad quintam antecedentis probationem reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguēdo minorem pro ſecunda parte: vt *quod* tanquam ſubiectum completum, nego minorem: incompletum, cōcedo minorem, & diſtinguo conſequēs eodem modo: ſolum enim ſequitur immediatē vt *quod* operari, tanquam principium *quod* incompletum, non autem completum, ſic autem non conuenit immediatē vt *quod* influere; nam cum hoc componitur ſuppoſitum influere in operationes, vt principium *quod* immediatē immediatione excludēte principium *quod* medians completum, non autem excludente principium medians *quod* incompletum, & hoc ita eſſe dicendum, patet; nam iuxta D. Thom. eadem eſt ratio principiandi operationē, & terminandi efficientiam, vel generationem, vtrumque namque, & eodem modo attribuit D. Thom. & cum illo peritiores Theologi, ſuppoſito; non autem negari poteſt, naturam aliquo modo vt *quod* terminare generationem; nā humanitas Chriſti diuerſa actione fuit producta ab illa, qua fuit aſſumpta, & priorem illam actionem aliqualiter vt *quod* terminauit, non quidem vt *quod* completē; & conſequenter vt *quod* incompletē; eo quod illa actio non fuit completa, vſque dum humanitas ex vnione ad Verbum, Chriſtum hominem conſtituit ſubſiſtentem in humanitate, qui vt ſic ſubſiſtēs, ratione humanitatis generationem terminauit complete; anima etiam rationalis aliqualiter fit, quandoquidem terminauit creationē: quia tamen creatio animæ ordinatur ad vnionem cum corpore, ex qua homo reſultat, non dicitur per ſe fieri completē vt *quod*: ergo pariter in ordine ad principiandum actionem, diſcurrendum eſt in principijs D. Thom. quod nempē, cum aſſerit, actiones eſſe ſuppoſitorum vt *quod*; naturarum autem vt *quo*, non excludat à naturis omnem rationē principij *quod* operandi, ſed tantum rationē principij completi *quod*, & completam, & perfectam denominationem vt *quod* operantis.

Nec diſtinctioni traditæ obſtant duæ probationes minoris: non prima; nam intellectus, & voluntas non inſunt animæ, vt ſubiecto *quod* completo, ſed incompleto; ſuppoſitum autem in natura humana ſubſiſtens, eſſet ſubiectum *quod* completum inhæſionis intellectus, & voluntatis, ſicut dictum eſt de operationibus intelligendi, & volendi.

263 *Ad 3. probationē minori reſpond.*

*Ad secũdã resp. ñ datur.*

Nec iecunda; nam ex eo quod suppositũ Verbi, vt in humanitate subsistẽs, sit subiectum *quod* completum immediatum inhæsionis accidentium, non sequitur in se ipso mutari, sed tantum quod mutetur secundum humanitatem, cui inhærent, vt *quo* immediate, tanquam subiecto incompleto; sicut nec ex eo quod suppositum Verbi, vt subsistens in humanitate, sit principium *quod* immediatum elicientiæ operationis, sequitur, suppositum Verbi secundum subsistentiam increatam mutari, sed tantum mutari secundum humanitatem, quam terminat. Et ratio est; nam accidẽtia, & operationes humanitatis, etsi inhæreant personæ Christi, nõ inhærent illi totaliter, & secundum omnia, ex quibus persona Christi componitur; sed personæ Christi secundum humanam naturã, & ideo non sequitur subsistentiam Verbi mutari, sed tantum humanitatem. Sicut nec ex eo quod Verbum, vt subsistens in humanitate, terminauerit, vt *quod* generationem ex matre, vt docet D. Thom. *in 3 q. 35 ar. 2.* sequitur Verbũ per generationem fuisse mutatum, sed tantum illius humanitatem secundum quã terminauit prædictam generationem.

264 *Ad cõfirmationẽ respondetur.*

Et ex his ad confirmationem constat solutio, negando maiorem. Sicut enim suppositum Christi, vt subsistens in humanitate influit effectiue vt *quo*, ita etiam influit vt *quod* materialiter in accidentia humanitatis; nam respectu operationum vitalium immanẽtium, idem est principium, & subiectum; ac proinde sicut respectu intellectionis, & volitionis humanitatis suppositum Christi, quatenus in illa subsistens, est principium *quo* effectivum, ita & subiectum *quod* materiale, & sicut subsistentia Verbi complet humanitatem, vt effectiue influat, ita complet illam, vt materialiter causet, & recipiat; dicitur autem humanitas subiectum *quod* incompletũ, quia licet in illa sit omne requisitũ per modum rationis formalis, non tamen ratione sui est completa ad recipiendũ, sed per subsistentiam completur, & quia suppositum Christi, vt homo, claudit naturam, & subsistentiam, dicitur, causans vt *quod* materialiter completum; sicut hac, & nõ alia ratione humanitas est principium *quod* incompletum, suppositũ autem est principium *quod* completũ; quia nempe, suppositum claudit omnia requisita ad agendum; secus autem humanitas sumpta præcise, & sicut subsistentia non est humanitati, ratio agendi, sed solum complementum ad agẽdum, ita non est illi ratio recipiendi accidẽtia, sed solum complementum, vt recipiat; ex quo nulla imperfectio, aut mutatio sequitur in supposito Verbi.

265 *Dices.*

Sed dices; intellectus, & voluntas insunt humanitati Christi ratione sui pro priori vnionis ad Verbum: ergo humanitas non completur subsistentia Verbi, vt subiectum receptiuum intellectus, & voluntatis; & consequenter ratione sui est subiectum *quod* adæquatum, & completum. Secunda consequentia ex prima colligitur, prima ex antecedenti. Antecedens autem probatur; nam humanitas fuit producta prius natura, quã assumpta, vt suppono ex his, quæ docentur *supra q. 2.* sed pro illo priori insunt ipsi intellectus, & voluntas: ergo & pro priori ad subsistentiam Verbi. Consequentia tenet; nam subsistentia Verbi fuit humanitati ex vi assumptionis vnita: ergo quæ conueniunt humanitati pro priori ad assumptionem à Verbo, conueniunt ipsi pro priori ad subsistentiam. Minor autem, in qua est difficultas, ostenditur primo; nam pro priori ad assumptionẽ fuit humanitas perfecta omni perfectione debita, & connaturali; alias assumpsisset humanitatem imperfectam, quod est contra Sanctorum dicta; sed intellectus, & voluntas sunt perfectiones naturaliter debitæ humanitati: ergo insunt illi pro priori ad assumptionem. Deinde; quia vt docet D. Tho. *supra q. 6 art. 2.* Verbum assumpsit animam mediante Spiritu, siue mente, quæ idem est, ac intellectus; sed medium ad assumptionẽ conuenit extremo assumpto præcedenter ad illa: ergo intellectus ineſt animæ pro priori ad assumptionem à Verbo.

266 *Respondetur.*

Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concedo maiori, nego minorem. Ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: omni perfectione debita pro illo priori, concedo maiorem: omni perfectione debita humanitati absolute, nego maiorem: &

sub

sub ea ꝑ distinctione minoris, nego cõsequentiam. Nam humanitas pro priori ad assumptionem non fuit perfecta omni perfectione sibi debita absolute, sed tantum illis perfectionibus, quæ ipsi pro illo priori debentur; licet autem humanitati debeantur connaturaliter intellectus, & voluntas; non tamen illi debentur pro priori ad assumptionem. Tum; quia pro illo priori non supponitur existens existẽtia substantiali, vt *infra q. 17.* constabit; & consequenter, nec debentur ei pro illo priori accidentia, quamuis sint propriæ passiones; nam omne accidens præsupponit subs tantialem existentiam. Tum etiam; quia prioritas illa non est *in quo*, sed *a quo*, & causalitatis; & consequenter solum debentur humanitati ea, quibus constituitur in ratione causæ vnionis: intellectus autem, & voluntas non pertinent ad illam, vt causam materialem vnionis substantialis ad Verbum; non enim sunt dispositiones antecedentes ad illã, sicut nec præuie disponerent ad subsistentiam propriam creatam, vice cuius increata substituitur media substantiali vnione; ac proinde quauis debeantur humanitati absolute, non tamen ei debentur pro priori ad assumptionem. Nec sequitur, fuisse assumptam imperfectam; nam ad hoc requirebatur imperfectio priuatiua, qualis nullo modo est non conuenientia prædictarũ proprietatum pro priori ad assumptionem; quia imperfectio priuatiua est carentia formæ debitæ, non autem debentur pro illo priori; ac proinde non conuenientia intellectus, & voluntatis pro illo signo naturæ, imperfectio priuatiua non est, sed purè negatiua, & præcisiua.

267 *Ad secũdã minoris probationẽ respondetur.*

Ad secundam minoris probationẽ dicatur, Diuum Thomam nomine Spiritus, siue mentis, non accipere intellectum, qui est potentia proximè intellectiua realiter distincta ab anima, sed gradum radicaliter intellectiuum, qui ratione, & virtualiter distinguitur a gradu sensitiuo, & vegetatiuo, & ideo fuit medium virtualiter respectu prædictorum graduum, vt constat ex D. Thom. *hoc loco ad 1.* & ex Caietano *ibidem*, vnde sensus D. Tho. est, animam sensitiuam fuisse assumptam mediante anima, vt radicaliter intellectiua; quia ex gradu intellectiuo fuit redditus gradus sensitiuus congruenter a Verbo assumptionis. Ex quo non sequitur, intellectum sumptũ pro potentia media esse.

268 *Ad vltimã antecedentis probationẽ respondetur.*

Ad vltimam probationem antecedentis, concessa maiori, nego minorem; vt enim docet D. Tho. 1. *p. q. 75. artic. 2.* ibi: *id quod aliquo modo subsistit, non potest dici.* vt quod *operans: vnde anima rationalis dicitur aliquomodo, vt quod volens, & intelligens: quia aliqua ratione subsistit: quia scilicet, per se existit: quia non est inhærens, vt accidens, nec vt forma materialis; quãuis quia est actu pars non sit proprie per se existens, nec subsistens; ac per consequens, nec per se operãs; calor autem, quia nullo modo subsistit, nullo modo calefacit proprie loquendo.* Sentit ergo Diuus Thomas accidens subiecto inhærens non vt *quod*, sed vt *quo* agere; subiectum autem, vt *quod* agit medio accidenti tanquam principio *quo* agendi.

269 *Ad primã minoris probationẽ respõdetur.*

Ad primam minoris probationẽ, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Nam accidentia in Eucharistia habent modum existendi diuersum ab illo, quem habent, cum proprio subiecto inhærent; nam existunt ibi per se positiue, aut negatiue, & ideo per se operantur; secus autem cum proprio suo iecto inhærent, quia tunc nullo modo per se existunt, sed inexistunt subiecto, & ideo non operantur, sed sunt rationes operandi subiecto; nec sequitur inhærentiam accidentis nullo modo concurrere ad illorum operationes, eo quod sine inhærentia operantur; nam licet operentur eadem operationes, non tamen eodem modo, nec modo connaturali; ex quo solum potest colligi inhærentia ad subiectum non esse conditionem, cõplementum quæ essentiale, non autem quod non sit conditio connaturalis, naturaleque complementum accidentis in ratione operatiui.

270 *Secundam respõdetur.*

Ad secundam probationem minoris, nego antecedens; vt enim ex D. Thom. vidimus, calor in subiecto existens, non operatur vt *quo*, nec calor potest dici calefaciens, proprie loquendo: quia scilicet per se non existit sed subiectum calidum dicitur calefaciens vt *quod* per calorem: quæ ratio id ipsum de calore

aquæ

aquæ inhærente conuincit; cum nec ibi perse existat, sed in alio, nempe, in aqua. Nec obstat, aquã connari in destructionem caloris; nam hoc præstat per formam sibi connaturalem, & propriam, quod non impedit, vt supposito, quod aqua calida sit, ratione caloris vt *quod*, influat calorem in ligno. Nec similiter obstat vni, & eidem subiecto conuenire contrarias actiones vt *quod*, si duplici forma contraria afficiatur, vt in aqua calida contingit: cum enim sit calida, & frigida, quæ formæ contrariæ sunt, ratione caloris influit calorem in ligno, & ratione frigiditatis connatur in caloris destructionem.

## §. XI.

### *Nec in sensu diuiso potuisse humanitatem Christi peccare, auctoritate, & ratione probatur.*

271 *Quarta cõclusio*

SIT QVARTA CONCLVSIO. *Nec ex natura rei, nec de potentia absoluta potest humanitas Christi peccare peccato destruente hypostaticam vnionem.* Constat ex dictis humanitatem Christi non potuisse, etiam de potẽtia absoluta, peccare peccato cum vnione composito; ex hoc autem non habetur, quod peccare non potuerit peccato vnionem destruente, scilicet, propter quod vnio à Deo destruatur; nam in veriori sententia homo iustus peccare nõ potest, etiã de potentia absoluta, in sensu composito gratiæ habitualis, hoc est cum habituali gratia componendo peccatum, & tamen simul cum gratia est in homine iusto potentia ad peccandum peccato expellente gratiam, & cuius primum esse, sit primum non esse gratiæ; ac proinde ex eo quod in humanitate Christi non fuerit potentia ad peccandum peccato cum vnione composito, nondum habetur, non fuisse in illa potentiam ad peccatum vnionis gratiam excludens. Et vt certum supponimus, potuisse Deũ vnionem semel factam destruere, & hac destructione, vel tempore, vel prioritate naturæ suppositã, humanitatem peccare, in quo nulla est difficultas; nam disoluta vnione, humanitas manet vndequaque ad peccatum expedita; cum sola vnio peccatum, vel potentiam peccandi impediret. Quod igitur asserimus est, non potuisse peccare peccato excludente vnionem, vel illam destruente, vel propterquod Deus vnionẽ destrueret, & hoc tam ex natura rei, quam de potẽtia absoluta.

Et quia prima pars cõclusionis ex secunda à fortiori constabit, parum in illius confirmatione immorabimur. Illam probat Cardinalis Lugo *disp. 26. sect. 5 num. 56.* eo quod vnio hypostatica est ex natura sua perpetua, & ab intrinseco incorruptibilis; & consequenter non potest naturaliter destrui ab aliquo agente creato, cum quo non stat, posse per peccatum disolui. Antecedens, in quo est difficultas, probatur; nam visio beatifica est de se perpetua, & ab intrinseco incorruptibilis; sed visio debetur vnioni, vt proprietas illius: ergo est de se perpetua, & incorruptibilis ab intrinseco. Patet consequentia; non enim potest vnio de se postulare visionem de se perpetuam, si ipsa defectibilis sit.

272 *Probatur à Cardinali de Lugo. Prima pars cõclusionis.*

Hæc tamen Cardinalis ratio in eo deficiens videtur; nam quamuis primũ antecedens sit verum, & consequentiæ sint bonæ, probatio antecedentis non vrget; nam visio nõ consequitur ad vnionem tanquam physica proprietas, sed tantum consequutione morali; sed quã vis proprietas physica non possit in permanentia, vel in modo permanentiq excedere sui radicem, id tamen quod moraliter solum consequitur, potest hoc excessu gaudere: ergo ex eo quod visio perpetua de se, debeatur vnioni hypostaticæ, male infertur perpetuitas vnionis, & indefectibilitas ab intrinseco. Consequentia tenet. Maior est frequentior sẽtentia. Minor autem probatur; nam merito de se non perpetuo, debetur moraliter visio perpetua ab intrinseco: de quo 1.2. *quæst.* 114. *art.* 1. gratiæ etiam habituali cum morte coniunctæ, debetur

273 *Reijcitur vt deficiens.*

de-

debito morali gloria, quamuis gratia habitualis de se perpetua non sit: ergo id, quod moraliter solum debetur, potest esse ab intrinseco perpetuum, quamuis id, ratione cuius debetur de se perpetuum non sit.

274 *Prima pars cõclusionis probatur.*

Vnde hac ratione omissa, vel in sua probabilitate relicta, prima pars conclusionis suadenda est breuiter primo; vt enim ex superius dictis constat, humanitas Christi ex vi vnionis ad Verbum fuit iuxta Patres Ecclesiæ impeccabilis; sed si posset ex natura rei peccare peccato destruente vnionem, non bene diceretur impeccabilis absolute: ergo nõ potuit, saltem ex natura rei, peccare peccato destruente vnionem. Maior cũ consequentia tenet. Minor autem probatur; nam homo iustus non potest inueriori sententia peccare peccato cum gratia composito; & tamen quia potest peccare peccato destruente gratiã, non dicitur absolute impeccabilis, sed absolute peccabilis, vt omnes fatentur: ergo si humanitas Verbo vnita, posset ex natura rei peccando vnionem destruere, quamuis non posset, etiam de potentia absoluta, peccatum cum vnione ad Verbum coniungere, non deberet absolute dici impeccabilis.

275 *Secundo probatur.*

Secundo probatur ratione; nã vnio humanitatis ad Verbum petit ex natura sua omnem operationem humanitatis præcedere. Tum; quia per illam in ratione causæ efficientis completur, vt constat ex dictis §. 9. & 10. Tum etiam; quia naturam substantialiter complet, complementum autem substantiale operationem, quæ est actus accidentalis, petit præcedere. Tum denique; nam subsistentia Verbi vnitur naturæ humanæ pro eodem signo naturæ, pro quo illi propria subsistentia competeret; hæc autem naturaliter omnem operationẽ præcederet: ergo ex natura sua petit esse ab omni operatione independens. & cõsequenter, loquendo ex natura rei, non potest ab humanitate media operatione causari, nec illa mediante destrui; ac proinde humanitas Verbo vnita, non potest, saltim ex natura rei, peccando vnionem destruere.

276 *Tertio.*

Tertio; nam si ex natura rei posset peccare peccato disoluente vnionem, posset ex natura rei peccatum cũ vnione coniungere; consequens est falsum: ergo non potest ex natura rei peccare peccato destruente vnionem. Consequentia tenet. Minor constat ex dictis. Et maior probatur; vnio namque petit ex natura rei operationem humanitatis præcedere: ergo omnis operatio humanitatis vnitæ est natura posterior vnione; & consequenter cum illa pro instanti reali coexistit: ergo si humanitas vnita Verbo posset ex natura rei peccare, posset actionem peccaminosam cum vnione coniungere.

277 *Secũda cõclusionis pars prob. Vazq̃z*

Secundam partem conclusionis, quod nempè, nec de potentia absoluta possit humanitas vnita peccare peccato destruente vnionem, probat Vazquez *disp. allegata cap. 7.* nam ideo homo iustus potest peccando habitualem gratiam destruere, quia gratia adoptionis manet subiecta humanis actionibus; ex quo prouenit, vt sicut operibus bonis augetur, ita actionibus cõtrarijs destruatur; at gratia vnionis ex natura sua petit nõ subijci humanis actionibus: ergo sicut hac ratione non augebatur, nec potuit augeri per actiones humanitatis bonas, eadẽ ratione nõ poterit destrui peccato aliquo humanitatis. Minorẽ, in qua est difficultas, probat Vazquez ex discrimine, quod inter gratiã vnionis, & gratiam adoptionis versatur; hæc namque nostris operib⁹ comparatur, & augetur, non solum dispositiue, sed etiam formaliter: ita vt illis homo iustus, non solum dispositiué, sed etiam formaliter, magis iustus constituatur. In sanctitate autem præstita per gratiam vnionis incrementum ex bonis operibus, nec dispositiue, nec formaliter præstatur; ideoque, merito dicitur gratia, & sanctitas naturalis: ergo gratia adoptionis manet subiecta humanis operationibus, ita vt a Deo cõseruetur in homine intuitu bonorum operum, saltim negatiue: quia nihil contrarium facit: gratia autem substantialis vnionis, non potest isto modo humanis actionibus subijci, nec cõseruari à Deo, quia humanitas vnita non peccat, sed solum voluntate sua; & consequenter non potest humanitas peccãdo vnionis gratiam destruere.

278 *Reijcitur.*

Hæc tamẽ ratio, quæ sola potuit Gabrieli

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y ... PALENCIA

brieli Vazquez placere, diſplicet cæteris Theologis, nedum exteris, verum etiã domeſticis, & reijcitur primo: ex eo namque, quod gratia vnionis de ſe, & ſuapte natura nõ ſubiaceat actionibus liberis, non ſequitur, quod illis ſubiacere non poſsit de potentia abſoluta; ſed hoc neceſſarium eſt, vt probetur, non poſſe de potentia abſoluta diſſolui ab humanitate peccando: ergo ratio facta eſt inefficax. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur primo: nam gratia vnionis de ſe non ſubiacet meritis Antiquorum Patrum; cum poſsit ſine illis exiſtere, & tamen de facto fuit ab illis meritorié, vt tenet frequentior ſententia *ſupra q. 2. art. 11.* & ſaltim quoad aliquas circunſtantias, docet Vazquez *diſp. 22. cap. 5.* ergo ex eo quod de ſe, & ſuapte natura non ſubiaceat actionibus humanitatis, non ſequitur illis non poſſe ſubiacere de potentia abſoluta. Secundo: nam gratia vnionis de ſe, non ſolum eſt independens ab operibus humanitatis elicitis in vnionis inſtanti, & ſolũ præcedentibus prioritate naturæ, ſed etiam eſt de ſe indepẽdens, & non ſubiecta operibus prius tẽpore factis; & tamen humanitas prius tempore exiſtens, potuit de congruo mereri vnionem perſonalem ad Verbum, vt fatetur Vazquez *ſupra diſp. 21. cap. 6.* ergo ex eo quod de ſe non ſubiaceat actionibus humanitatis, nõ ſequitur, non poſſe illis ſubiacere de potentia abſoluta.

279 *Ratio à priori.*

Et ratio à priori eſt; nam id, quod de ſe non petit in præmium aliquorum operum dari, poteſt voluntate diuina in præmium talium operum conferri; & conſequenter poteſt ex diuina voluntate ſubijci operibus, à quibus ex ſe non dependet. Quod ſi hoc contingere poteſt in gratia vnionis quoad eſſe, ipſum poterit quoad non eſſe, vel deſitionem contingere, nempé, quod quamuis de ſe non ſubiaceat quoad non eſſe actioni peccaminoſæ, ſubiaceat voluntate diuina ſtatuente vnionem perſonalem deſtruere, humanitate peccante, niſi hoc aliunde repugnet.

280 *Secundo ejicitur*

Secundo reijcitur; nam ex eo quod gratia adoptionis augeatur noſtris operibus; gratia autem ſubſtantialis nõ augeatur operibus humanitatis honeſtis, malé infertur, gratiam ſubſtantialem vnionis, non poſſe dependere in ſui conſeruatione ab humanitate, vt non peccante: ita vt humanitatem non peccare, ſit ſaltim conditio ad conſeruationem vnionis; ſed hæc eſt conſequentia à prædicto Auctore facta: ergo omnino inefficaciter arguit. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo; quod namque gratia ſubſtantialis vnionis non augeatur, nec augeri poſſit operibus honeſtis ab humanitate factis, prouenit ex eo, quod in indiuiſibili conſiſtit; & ideo eſt incapax augmenti, aut diminutionis; ſed indiuiſibilitas gratiæ ſubſtantialis non obſtat, quominus in ſui conſeruatione poſsit, Deo ſic ſtatuente, dependere ab humanitate, quatenus non peccante, ſaltim vt à conditione: ergo ex eo quod non augeatur bonis operibus ab humanitate factis, & illis quoad augmentum non ſubſit, non infertur non poſſe ab illa, vt non peccãte, vt à conditione dependere in ſui conſeruatione, ita vt verum ſit vnionem à Deo conſeruari, quia humanitas aſſumpta non peccat.

*Maior oſtenditur primo.*

281 *Secund.*

Secundo probatur maior; vt enim docet Vazquez *diſp. 2. cap. 8. & diſput. 61. cap. 7.* Chriſtus ſuis operibus meruit continuationem, & perpetuitatem vnionis humanitatis ad Verbum; & cõſequenter ex eo quod gratia vnionis ſubſtantialis non augeatur operibus bonis humanitatis, non ſequitur, non poſſe in ſui conſeruatione ab illis meritorié dependere, & à Deo conſeruari; eo quod humanitas id meretur: ergo pariter ex eo quod non augeatur, nec poſsit bonis humanitatis operibus, non ſequitur, non poſſe dependere in ſui conſeruatione ab humanitate, quatenus nõ peccante: ita vt verum ſit, vnio conſeruatur à Deo, quia humanitas vnita non peccat, niſi aliunde probetur repugnantia peccati in humanitate aſſumpta.

282 *Cõfirmatur.*

Confirmatur, & explicatur; independentia in conſeruari gratiæ ſubſtantialis ab humanitate, vt merente, non infertur ex indepẽdentia eiuſdem quoad augmentum à bonis operibus: ergo pariter ex hac independentia in augmento, non infertur neceſſaria indepen-

dentia

dentia eiusdē in conseruari ab humanitate vt non demerente; & cōsequenter, nisi aliunde probetur repugnantia peccati in humanitate assūpta, poterit conseruatio gratiæ substantialis ab humanitate dependere, quatenus nō peccante; ac proinde conseruari, quia humanitas assūpta non peccat: ex quo vlterius fieret, vt posset ab humanitate peccāte dissolui.

283 *Ratio Vazq̄z explicatur à quibusdā discipulis.* Secundo, quidā discipuli Vazquez adrē proximius accedētes, rationē eiꝰ sic explicāt: entitas diuina, cui humanitas est vnita ex cōceptu sāctitatis est cū peccato incōpossibilis; & aliàs præualet contra peccatū: ergo humanitas sic vnita, nec potest peccare peccato cū vnione cōposito, nec peccato destruente vnionē; & consequenter nullatenus potest peccare. Consequentia tenet. Et antecedens pro prima parte constat ex dictis, & à cōtrarijs admittitur. Pro secunda vero parte sic probant: entitas diuina, cui humanitas est vnita, est multo fortior peccatis, non solū ex conceptu omnipotentis, sed etiā ex conceptu sanctitatis, & formæ repugnantis peccatis; cum prout sic sit infinita, & substantialis: ergo præualet contra peccatum; & consequenter per illud destrui non potest.

284 *Reijcitur 1.* Hæc tamen ratio nō vrget; peccatū namq; habituale in veriori sententia est grauitatis infinitæ; & tamen nō præualet cōtra gratiā, sed potest per illam destrui sine aliquo superaddito fauore, vt docet frequentior, veriorq; Theologorū sentētia 1.2.q.113 art.2. ergo quod entitas diuina humanitati vnita, sit in ratione formæ oppositæ peccato infinita, nō arguit, quod ita præualeat supra peccatū, vt per illud destrui non possit.

285 *Discrimē inter excludere, per modū satisfactionis, & formalis incōpossibilitatis.* Et ratio est: nī licet ad destructionē per modum satisfactionis requiratur æqualitas inter satisfactionē, & offensā, vt tamen vnū destruatur per aliud ratione formalis incōpossibilitatis: ista æqualitas necessaria nō est: vnde minimus amor, odium cuiusvis intētionis valet destruere, & destruet, si in subiecto ponatur. Sicut ergo hac ratione, gratia, quæ infinitæ dignitatis nō est, potest peccatū infinitæ grauitatis expellere: ita peccatum quāuis infinitū non sit, poterit gratiā vnionis excludere; quāuis entitas diuina, cui humanitas est vnita, infinita sit, vt opposita peccato, & sub conceptu sanctitatis; nisi aliunde peccatū in humanitate vnita repugnet, & illius repugnantia ostendatur.

286 *Secundo.* Deinde: nā esto hac ratione probaretur, nō posse humanitatē peccare peccato destruente vnionē ab intrinseco, & ex se, nō tamen probatur, non posse humanitatē peccare peccato quo per modū conditionis se habēte, Deus destruat hypostaticā vnionē, vel cesset ab illiꝰ cōseruatione; sed quod humanitas possit peccando hoc modo destruere vnionē hypostaticā, sufficit Auctoribus cōtrariæ sententiæ, & ab Auctoribus nostræ negatur: ergo prædicta ratio est inefficax. Cōsequentia cū minori tenet. Maior autē probatur: Deus nāq; sicut libere vnionē producit, ita libere illā conseruat: ergo sicut potest decernere nō cōseruare vnionem humanitatis ad Verbum sine aliqua apposita cōditione, sed pro sua libera voluntate, ita potest decernere vnionē non conseruare sub conditione, quod humanitas peccet; & consequenter poterit humanitas peccare peccato destruente vnionē hypostaticam, non de se, & per modum rationis formalis, sed per modum conditionis, qua posita, destruatur à Deo, vel Deus suspendat concursum conseruantem vnionem.

287 *Confirmatur primo.* Cōfirmatur 1. licet entitas diuina humanitati cōmunicata, infinita, & substātialis sit, nō necessario essentialiter conuenit humanitati, sed dependenter à voluntate Dei in fieri, & conseruari: ergo potest quamuis infinita sit, in illa non conseruari Deo libere volente absolutē, & libere volente sub aliqua cōditione, nempé, quod humanitas peccet; & consequenter poterit humanitas vnita peccando, peccato per modum cōditionis se habente, ad nō esse entitatis diuinæ, vt vnitæ humanitati vnionē diuinæ entitatis excludere.

288 *Cōfirmatur 2.* Cōfirmatur, & vrgetur secundo; quia Deus libere conseruat vnionē Verbī ad humanitatē, potest illā libere cōseruare pro sua voluntate absoluta, & libere voluntate cōditionata sub conditione alicuius actus ab humanitate eliciti: ergo potest etiā à cōseruatione vnionis cessare libere absolute, & etiā sub cōditione

actus, vel cessationis ab actu; & cõsequẽter, etiã poterit decernere ab illius cõseruatione cessare sub cõditione, quod humanitas peccet; nisi aliũde probetur impotẽtia peccandi in humanitate vnita.

289 *Probatur 1. secũda pars cõclusionis.*

Quare his argumentis omissis, suadenda est secunda pars cõclusionis. Primo, quia iuxta Patres humanitas ex vi vnionis reddita fuit impeccabilis; sed si posset peccare peccato destruente vnionẽ, nec deberet, nec posset dici impeccabilis absolutè, vt cõstat in homine iusto, qui non dicitur absoluté impeccabilis, eo quod peccare potest, & peccato gratiam excludere: ergo humanitas nõ potest, peccare peccato destruente hypostaticã vnionẽ. Dices; vt humanitas vnita dicatur absolute impeccabilis sufficere, quod nõ possit ex natura rei peccare peccato excludente vnionẽ, quãuis possit de potentia absoluta; id enim quod nõ potest ex natura rei euenire, absolute dicitur impossibile; homo autẽ iustus ex natura rei potest peccando gratiam excludere; & ideo dicitur absolute peccabilis, quamuis non possit peccatum cum habituali gratia coniungere.

290 *Respondebis.*

291 *Cõtra 1.*

Sed cõtra primo: nã verba Patrum accipienda, & intelligẽda sunt iuxta cõmunẽ Scholasticorũ sensum; sed Scholastici omnes, præter vnũ, vel alterũ Recẽtiorẽ, acceperunt verba Patrum, vt excludant ab humanitate vnita possibilitatẽ peccati, nedũ ex natura rei, verũ etiã de potentia absoluta: ergo sic sunt accipienda. Secundo; nã loquendo de impotentia peccãdi in sensu cõposito vnionis, possent eodẽ modo explicari, nẽpe, de impotẽtia solũ ex natura rei, nõ autẽ de impotẽtia in ordine ad potẽtiã Dei absolutã; at hoc Recẽtiores, cõtra quos disputamus, nõ admittunt; cũ ex mente Patrum probent, nõ potuisse humanitatẽ in prædicto sensu peccare, etiã de potentia absoluta: ergo sic explicandi non sunt, loquendo de peccato in sensu diuiso vnionis.

292 *Secũdo.*

293 *Tertio.*

Tertio; nã Patres eodẽ modo dicũt, Christũ fuisse impeccabilẽ, & humanitatẽ vnitã; sed Christus fuit impeccabilis, nedũ ex natura rei, verum etiã de potentia absoluta, & hoc iuxta mentẽ Patrum: ergo iuxta illorũ mentẽ humanitas fuit impeccabilis peccato destruente vnionẽ, nõ solum ex natura rei, sed etiã de potentia absoluta. Deniq; nã eo ipso, quod humanitas non possit peccare peccato destruente vnionem potentia ex natura rei, petit ex natura rei ratione vnionis ad Verbum, vt Deus nõ permittat illi peccatum; sed eo ipso, quod illi ex natura rei debeatur negatio permissionis peccati, nõ potest Deus de sua potẽtia absoluta ei peccatũ permittere: ergo si iuxta Patres fuit ex natura rei impeccabilis, fuit etiam impeccabilis de potentia absoluta Dei Recolantur, quæ diximus *supra* § 6.

294. *Vltimo.*

295 *Secũdo probatur conclusio.*

Deinde probatur conclusio, vrgẽdo primã rationẽ, qua præcedentẽ conclusionẽ monstrauimus, sumpta ex infinita sanctitate gratiæ vnionis substantialis; sanctitas namq; ex conceptu sanctitatis, dicit oppositionẽ, distantiam, & elõgationẽ à peccato: ergo summa sanctitas dicit summam oppositionẽ, distãtiã summã, & supremã à peccato elõgationẽ; sed oppositio, nedũ cum actuali peccato, sed etiã cũ potentia peccandi, elõgatioq; nõ solum à peccato, sed etiã à potẽtia peccandi expedita, maior est, quã sola oppositio cum actu peccandi, & sola elõgatio ab illo: ergo summa sanctitas, nõ solũ opponitur cum peccato actuali, sed etiã cũ potentia peccandi; at gratia vnionis substantialis est infinita, & summa in ratione sactitatis: ergo nõ solum opponitur cum actu peccandi, sed etiam cum potentia ad peccandum; & cõsequenter in humanitate per illam sanctificata potẽtia ad peccandũ nõ manet: ex quo vlterius per euidentẽ consequentiam infertur, nõ potuisse peccare in sensu vnionis diuiso, hoc est, peccato ex se vnionem dissoluente, vel propter quod Deus vnionem dissoluat, vel cesset ab eius conseruatione.

296 *Cõfirmatur.*

Quod amplius vrgetur; sanctitas substantialis diuina ex cõceptu summé sanctificantis Deum, opponitur, non solũ cum actuali peccato, sed etiam cum potentia peccandi, & præstat Deo repugnantiã cum vtroq; sed non est cur repugnantia cũ potentia peccandi essentialiter involuat conuenientiam à se, & per essentiam: ergo vt conueniens humanitati per gratiosam cõmunicationem, pugnat, non solum cum actuali peccato,

to, sed etiam cum potentia peccandi; & consequenter in humanitate Verbo vnita, & ab illo sanctificata, potentia peccandi non manet. Vtraque consequētia tenet. Maior est certa, & minorē probo primo: vt diuinitas in ratione sanctitatis opponatur essentialiter, non solum cum peccato mortali, sed etiam cum veniali non petit cōuenire per essentiam, & à se; cum vnita humanitati essentialiter illi repugnet, vt Recentiores, cum quibus disputamus, fatentur: ergo pariter, vt opponatur, nō solum actuali peccato, sed etiam cum potentia peccandi non involuit necessario modum conueniendi per essentiam, & à se.

297 *Minor probatur 1.*

298 *Secūdo.* Secundo probatur minor; vt diuinitas sub conceptu sanctitatis pugnet, non solum cum peccato mortali, & veniali, sed etiam cum morali imperfectione, quæ peccaminosa non sit, non petit cōuenire subiecto per essentiam, & à se; cū prædictam repugnantiam humanitati cōmunicet, vt ijdem Recentiores fatentur, Christum, non solum non potuisse peccare, sed etiam non potuisse elicere actum moraliter imperfectū transgressione consiliorum: ergo pariter vt opponatur, nedum cum actuali peccato, sed etiam cum potentia peccandi, quāuis hæc peccaminosa non sit, non involuit necessario modum conueniendi à se, & per essentiam; & consequenter excludet ab humanitate, non solum actuale peccatum, sed etiam potentiam expeditam peccandi, quamuis illi non conueniat per essentiam, & à se, sed per cōmunicationem a alio.

299 *Opponunes 1.* Si opponas primo; diuinitas, vt sanctificans Deum, essentialiter opponitur cum potentia, etiam remota, peccandi; & tamen, vt vnita humanitati, potentiā remotam peccandi, nō aufert: ergo nec proximam tollit. Secundo: diuinitas, vt Deum sanctificans essentialiter opponitur cum peccato, non solū præsenti, sed etiā quomodolibet in Deo futuro; & tamen vt vnita humanitati nō opponitur essentialiter cū peccato in humanitate futuro; nā vnione dissoluta poterit peccare humanitas: ergo pariter ex eoquod quatenus sanctificans Deū opponatur cū potentia peccandi, nō sequitur, vt sanctificantē humanitatē potentiam peccandi excludere. Tertio; nā diuinitas vt sanctificās Deum, opponitur cū hoc; quod est aliquando peccasse; & tamen prout sanctificans humanitatē non habet huiusmodi oppositionem; nam si Verbū humanitatē prius peccato infectam, assumeret, verū esset de humanitate assumpta dicere aliquādo peccasse: ergo idem quod prius. Deniq; nam sanctitas ex conceptu sanctitatis solū pugnat cū defectu constituente obiectum dignū aliqua dilplicentia diuina; sed potentia peccandi expedita huius cōditionis non est, nec ratione illius Deus displicet in creatura rationali: ergo sanctitas infinita, & summa in ratione sanctitatis, non pugnat ex hoc conceptu cum potentia expedita peccandi; & cōsequēter gratia vnionis substantialis, quamuis infinitē, & summē humanitatē sanctificet, nō excludit ab illa potentiam peccandi in sensu diuiso vnionis.

300 *Tertio* *Vltimo.*

Respondeo ad primā replicā, cōcessis maiori & minori, negando cōsequētiā: nā potentia remota peccādi, est humanitati essentialis; & ideo non potest tolli, nisi destructa humanitatis essētia, quod nō potest præstare sāctitas illā perficiens; potentia autē proxima, & expedita peccandi, essentialis humanitati nō est: vnde in sententia Scoti tollitur per visionē beatificam, vel beatifica fruitionē, atq; adeò auferri potest, per diuinitatē, vt sanctificantem humanitatē, quamuis illi non conueniat à se, sed per communicationem, & ab alio.

301 *Respōd. ad primam.*

Ad secundam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Nā quod diuinitas Deum sanctificans opponatur cū peccato quomodolibet futuro, est, quia taliter conuenit Deo, quod non potest non conuenire, quod habet, quia illi conuenit essentialiter, & quia isto modo non conuenit humanitati, non potest, prout illam sanctificans opponi cum potentia peccandi, quæ humanitati conueniat, si à Deo vnio dissoluatur; opponi autem cum potentia peccandi cum ipsa composita, non petit cō uenientiam essentialem, nec ex huiusmodi exigentia probatur, atque adeò, quamuis humanitati non conueniat essentialiter, potest prout illam sanctificans, opponi potentiæ peccandi cū ip-

*Ad secūdam.*

sa in humanitate composita, sicut opponitur essentialiter in sententia Auctorū contrariæ sententiæ, cum peccato cum illa simul existente, quamuis non conueniat essentialiter humanitati; non tamen opponitur essentialiter peccato cōuenienti humanitati ex suppositione, quod dissoluatur vnio.

302 *Ad tertiam.*

Et ex his ad tertiam obiectionem respondeo, negando consequentiam: nam opponi prout Deum sanctificat, cum hoc, quod est aliquando peccasse, prouenit ex eo, quod Deo essentialiter conuenit: vnde cum humanitati non conueniat essentialiter, non potest opponi cum prædicta denominatione pro ueniente à peccato, quod fuit in humanitate antequā esset vnita; exclusio autem potentiæ expeditæ ad peccandum, est pro tempore, quo vnio existit; atq; adeò non est, cur petat, conuenire essentialiter, vt talem potentiā excludat.

303 *Instabis*

Si dicas; maioris imperfectionis est aliquando peccasse, quam potentia ad peccandum: ergo si summa, & infinita sanctitas non opponitur cum peccato aliquando, nec denominationem istam excludit, non opponitur potentiæ expeditæ ad peccandum, nec illam ab humanitate excludit.

*Respō.*

Respondeo, distinguendo maiorem: pro eo, quod supponit, concedo maiorem: secundum id, quod de præsenti dicit, nego maiorē: & concessa minori, nego consequentiā. Nā pro ea parte, qua excedit in imperfectione, peccasse, huic, quod est posse peccare, nempe, secundum tēpus, quo humanitas peccauit de facto, non potest vnio præsens habere oppositionē, cum aliquando peccasse; ac per consequens nec id poterit excludere.

304 *Ad vltimā obiectionem respond.*

Ad vltimam obiectionem respondeo, negando maiorem: vt enim Recentiores, contra quos disputamus, fatentur, Christus, non solum nō potuit peccare peccato leui, vel graui, sed nec potuit transgredi consilia; & tamen actus contra consilia non reddit obiectū dignum displicentia diuina, nec leui, nec graui; alias esset peccatum mortale, aut veniale: sanctitas ergo infinita, non solum opponitur cum defectu constituēte obiectum dignum displicentia diuina, sed etiam cum quacumque imperfectione morali; potentia autē expedita ad peccatū, moralem imperfectionem dicit, id est, imperfectionem aliquam in genere moris; & cōsequenter quamuis non constituat subiectum, cui cōuenit, obiectum displicentiæ Dei, excluditur à sāctitate infinita, & cū illa opponitur.

305 *Inquires*

Si inquiras, quomodo diuinitas humanitatem sanctificans, ex cōceptu illā sanctificātis possit habere oppositionē cum potentia expedita ad peccandum, & illā excludere ab humanitate assūpta?

306 *Respōd.*

Respōdeo, diuinitatē eo ipso, quod humanitatem infinitē sanctificet, sicut ex hoc conceptu illā omni bono dignam constituit, & omne bonum, cuius est capax humanitas, facit debitum humanitatī: ita reddit debitam humanitati carentiam omnis mali: ergo facit debitā carentiam peccati; & consequenter ratione diuinitatis, vt sanctificantis infinitē, debetur humanitati, vt Deus non offerat illi concursum indifferentem ad bonū, & ad malum, & vt non permittat illi peccatum, & quia vt humanitas sit potens proximē, & expedite peccare, necessario exigitur ex parte Dei cōcursus, ad bonum, & malum indifferens; consequens fit, vt ex conceptu sanctitatis infinitæ præstitæ humanitati, tollatur ab illa potētia expedita ad peccādū.

307 *Insurges*

Sed dices; stat ex vi sanctificationis infinitæ deberi humanitati negationē concursus indifferentis ad bonum, & malum, & negationem permissionis peccati, & nihilominus Deum concursum indifferentem ab bonum, & malum offerre, & peccatum permittere de potentia absoluta; sed posito ex parte Dei concursu indifferenti, & potentia permittendi peccatum humanitati vnitæ, conuenit humanitati potentia expedita ad peccandum: ergo huiusmodi potentia non tollitur per diuinitatē, vt infinitē sanctificantem humanitatē. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: ratione diuinitatis, vt sanctificantis humanitatem, redditur debita humanitati à Deo gratia in summo, & etiam beatifica visio; & tamen, hoc debito non obstante, potest Deus sua vtens absoluta potentia, non cōferre prædicta dona humanitati, & semel collata auferre, vt docet cōmunis Theolo-

go-

gorum sententia: ergo quamuis ratione diuinitatis, vt infinitè sanctificantis humanitatem reddatur illi debita carentia concursus permissiui peccati, poterit Deus de sua potentia absoluta negare hoc debitum humanitati; & consequẽter illi peccatum permittere, & cum illa concursu indifferenti ad bonum, & malum concurrere.

308 *Respõd.* Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Disparitas autem est; nam Deus visionem debitam negans, non efficitur Auctor peccati; & aliàs in eo quod illam neget de potentia absoluta, nulla alia repugnantia inuenitur; sicut enim potest hominem creare, & suspendendo effluxum proprietatum, seu potentiarum, illi omnes suas proprietates, quamuis debitas negare; ita poterit de potentia absoluta humanitatem assumere, & omni dono gratiæ nudam relinquere; quamuis talia dona debeantur ratione vnionis. Cæterum, si Deus contra id quod humanitati debetur ratione sanctitatis vnionis, peccatum illi permitteret, & illam peccare sineret, esset auctor, & causa specialis peccati; eo quod tunc nõ cõcurreret ad illud concursu generali, sed speciali; nam concursus generalis est, quo Deus concurrit iuxta debitum, non contra debitum causæ secundæ; cum autem tunc non concurreret iuxta debitum, sed contra debitum humanitatis, concurreret ad peccatum, non generali, sed speciali concursu; & consequenter esset causa specialis peccati, & auctor illius, quod implicat; & ideo nõ potest Deus, etiam de potentia absoluta, permittere humanitati vnitæ peccatum, nec concursum indifferentem offerre cõtra id, quod humanitati ex vi sanctitatis præstitæ à diuinitate debetur. Sicut potest Deus de potentia absoluta non dare homini intellectum; & tamen si instante aliquo præcepto deberetur homini à Deo gratia efficax, qua præceptum impleret, non posset Deus de potentia absoluta gratiam efficacem ad præcepti adimpletionem negare: quia ex ablatione, vel non concessione intellectus, non sequitur Deum esse causam specialem peccati, sed tantum quod ordinem naturalem rebus debitum inuertat, in quo nulla est implicatio; ex eo autem, quod gratiam efficacem debitam non concederet instante præcepto, esset specialis causa transgressionis præcepti, & peccati, quod implicat.

309 *Instrges* Dices; sequi ex tradita doctrina, hominem ratione peccati constitui obstinatum in malo, & sine potentia ad rectam operationem: consequens est absurdum; aliàs homo semel mortaliter peccans, non posset conuerti ad Deum; ex quo vlterius sequeretur, non teneri agere pœnitentiam de peccato perpetrato, quod est contra fidem: ergo doctrina tradita est falsa. Probatur sequela: quia Deitas humanitati vnita, illam infinitè sanctificat, constituit illam impotentem ad malum, & non liberam ad peccandum, vt *proximè* dicebam; sed peccatum mortale, cum in ratione offensæ sit infinitum simpliciter, vt *disputatione prima* docuimus; reddit hominem infinitè infensum Deo, illique infinitè exosum, odioque infinito dignum: ergo constituit illum impotentem in actu primo ad rectam operationem, tollitque ab homine libertatem ad bonum.

310 *Vrgetur amplius* Quod amplius vrgetur; quia namque humanitati ratione infinitæ sanctitatis illi præstitæ à diuinitate debetur carentia omnis mali, & gratia efficax, qua semper vitet peccatum, asseruimus reddi impeccabilem ratione infinitæ sanctitatis, tollique ab illa indifferentiam, & libertatem ad malum; sed peccatori ratione offensæ mortalis debetur carentia omnis sanctæ cogitationis, & gratiæ efficacis, qua ad bonum determinetur: ergo ratione illius redditur impotens ad rectam operationem, tollitur-que à peccatore libertas; & indifferentia ad bonum. Maior continet nostram doctrinam. Consequentia est bona; & minor probatur: vt enim *disputatione prima* docuimus *numero* 116. peccato, quia non solum in ratione offensæ, sed etiam in ratione demeriti est infinitum simpliciter, debetur omnis pœna possibilis; sed carentia omnis sanctæ cogitationis, & omnis gratiæ efficacis determinantis ad bonum, est pœna possibilis: ergo peccatori ratione offensæ

mortalis, debetur carentia omnis sanctæ cogitationis, omnisque gratiæ efficacis determinantis, applicantisque ad operationem rectam.

311 *Respond.* Respondeo ad hanc obiectionem, negando sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam humanitati vnitæ debetur determinatio ad bonum, ita vt in illa ratione sanctitatis infinitæ sit ius aduersus Deum, & Deus sit debitor humanitati assistendi semper ad bonum: ideoque si huic debito deficeret negãs humanitati determinationem ad rectam operationem illi à Deo debitam, ipsi peccatum attribueretur; eo quod negando dictam determinationem nõ permissiuè se haberet, & vt Auctor generalis, sed vt Auctor specialis. Debitum autem carendi sancta cogitatione ex peccato resultans, non est ratione iuris in peccatore aduersus Deum; sed potius est ratione iuris residẽtis in Deo ad peccatorem puniendum propter offensam ipsi irrogatam; cui iuri Deus absque vlla imperfectione cedere potest, peccatorem non puniendo, sed vel totam pœnam, vel partem pœnæ debitæ misericorditer condonando; ideoque licet ratione peccati homo constituatur dignus carendi omni sancta cogitatione, qua inclinetur ad bonum, & omni concursu Dei ad bonum determinante, non sequitur ratione peccati fieri impotentem ad rectam operationem; ad hoc enim necessum erat, quod ratione grauitatis peccati, Deus non posset ad bonum cum peccatore concurrere, quod non est verum ob rationem assignatam. Et ex his ad augmentum difficultatis constat solutio.

312 *Alia ratio discriminis.* Est insuper alia ratio discriminis: nam esto daremus peccatorem ratione grauitatis offensæ habere ius aduersus Deum, illique deberetur carentia omnis sanctæ cogitationis, & omnis determinationis ad bonũ, solũ sequeretur Deũ cõtra tale debitum operantem sanctam cogitationem immittentem, & ad bonum determinantem, vt specialem Auctorem ad bonam operationem concurrere, illique opus bonum attribui, quod inconuenies non est; ex eo autem quod Deus contra debitum humanitati competens ratione summæ sanctitatis, negaret determinationem ad bonum, sequeretur carentiam rectæ operationis præceptæ, quæ peccaminosa est, Deo specialiter attribui, esseque Auctorem peccati, quod implicat; & ideo peccator ratione peccati non fit impotens ad rectè operandum; humanitas autem ratione summæ sanctitatis redditur impotens in actu primo ad peccandum.

## §. XII.

### *Alia ratio communis sententiæ expenditur.*

313 *Probatur 3.* TERTIO probatur ratione sumpta ex obligatione Verbi. Non solum peccatum cum vnione ad Verbum in humanitate compositum attribueretur Verbo in se ipso; sed etiam peccatum vnionem ad Verbum dissoluens, vel propter quod vnio ad Verbum destrueretur; sed implicat, peccatum attribui Verbo in se ipso, & inde supra probauimus, implicare humanitatem assumptam peccare, peccato cum vnione ad Verbum composito: ergo ex eodem principio repugnat humanitatem assumptam peccare in sensu diuiso vnionis, hoc est, peccato destruente vnionem humanitatis ad Verbum. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: ideo peccatum cum vnione ad Verbum compositum attribueretur Verbo in se ipso, quia Verbum, vt Deus in se ipso tenetur gubernare humanitatem, & illã continere ne peccet obligatione fundata in vnione humanitatis ad ipsum, & ex illa consurgente; sed non solum obligatur dirigere humanitatem, ne peccet peccato cum vnione ad Verbum cõposito sed etiam ne peccet peccato destruente vnionem: ergo non solum

attri-

attribueretur Verbo in se ipso peccatū cū vnione ad Verbum cōpositum, sed etiam peccatum destruens vnionem humanitatis ad Verbum.

314 *Minor probatur.* Minor, in qua sola posita est difficultas, probatur: nam obligatio in Verbo, quatenus Deo, gubernandi humanitatem, colligitur ex obligatione patris gubernandi filios naturales, & obligatione mariti gubernandi propriam vxorem, & domini gubernandi seruos; sed obligatio in patre creato, non solum est vitandi peccata in filio cum patria potestate composita, sed etiam cauendi peccata in illo, ob quæ à patria potestate eximatur, & obligatio mariti, etiā est ad cauendum in propria vxore peccatum, ob quod separetur ab illo; & idē est de domino per ordinem ad seruos dicendum: vnde si propter patris negligentiam filius peccatum committeret, propter quod à patria potestate eximeretur, tale peccatum imputaretur patri; & peccatū vxoris, illam à marito separans, commissum ob iniuriam mariti, marito etiam imputaretur: ergo pariter obligatio in Verbo, vt Deo, gubernandi humanitatem, non solum extenditur ad præcauēda peccata cum vnione ad Verbum composita; sed etiā peccatum vnionem ad Verbum dissoluens; & consequenter vtrumque imputaretur Verbo in se ipso.

315 *Obijcies.* Sed dices, obligatio in Verbo, vt Deo, gubernandi humanitatem, fundatur in vnione humanitatis ad ipsū; sed in instanti, in quo humanitas assumpta peccaret, peccato destruente vnionē, non posset vnio dictam obligationem fundare: ergo peccatum humanitatis assumptæ vnionē ad Verbum destruēs, non potest imputari Verbo; ac proinde ex hac imputatione male à nobis impossibilitas peccati vnionem dissoluētis probatur. Consequentia, & maior non indigent probatione. Minor autē probatur: vnio realiter non existens, nō potest obligationem fundare; sed in instanti in quo humanitas assumpta peccaret peccato destruente vnionem, non existeret realiter vnio; aliàs esset simul, & non esset, quod implicat: ergo in illo instanti non posset vnio ad Verbum fundare prædictam obligationem.

316 *Respōd.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: vnio realiter non existens, nec in instanti peccati, nec in instanti, vel tempore immediatè antecedenti, concedo maiorem: non existens in instanti peccati, existens tamen tempore immediatè antecedenti, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam licet non existeret in instanti peccati, præexisteret tamen in mensura immediatè antecedenti illud instans, & hoc sufficeret, vt ex vnione obligatio sit in Verbo vitandi prædictum peccatum; sicut patria potestas, & maritalis coniunctio quoad thorum, & cohabitationem, quamuis non existerent in instāti peccati à filio, vel vxore commisso patriam potestatem destruente, & maritalem viri, & vxoris coniunctionem, quia existunt tēpore immediatè ad prædictum instans præcedente, fundant obligationem in patre vitandi peccatum filij illum à patria eximens potestate, & in viro vitandi vxoris peccatum, propter quod vxor à viri potestate eximatur.

317 *Instabis* Instabis; si Deus sua voluntate destrueret vnionem humanitatis ad Verbum, posset humanitas assumpta peccare in eodem instanti, in quo vnio esse desineret, vt fatentur omnes Theologi; & tamen in tali casu, vnio humanitatis ad Verbum existeret tempore immediatè ad prædictum instans præcedente: ergo vnio realiter non existens in instanti peccati, non potest obligationem in Verbo fundare vitandi tale peccatum, quamuis existat tempore immediatè antecedenti.

*Respōd.* Respondeo, concessis maiori, & minori, distinguendo consequens: vnio realiter non existens in instanti peccati, cuius non existentia præcedit natura peccatum, concedo cōsequentiam: cuius non existentia est posterior natura peccato, & ab illo causata, nego consequentiam. Itaque vt vnio humanitatis ad Verbū fundet in ipso obligationem vitandi in humanitate peccatum, non sufficit sola immediata præcedentia ad instans, in quo peccatum incipit esse, sed insuper exigit quod in illo instanti, non supponatur destructa pro signo

actus primi præcedentis natura peccatum. Hæc autē est differentia inter peccatum destruens vnionem, & peccatū non destruens vnionem, sed supponens illam destructam à Deo; quod primum non supponit pro signo actus primi destructam vnionem, sed causat, infertque destructionem illius; secundum autem illam pro signo actus primi natura præcedētis peccatum, supponit destructam vnionem; & ideo potest in Verbo fundare obligationem vitandi peccatum destruens vnionem, quamuis non existat in instanti peccati; non autem potest fundare obligationem vitandi secundū peccatum, quod illam supponit destructam.

318 *Vrgebis* Vrgebis, licet verum sit peccatum destruens vnionem non præsupponere pro signo actus primi, & pro priori naturæ, destructionem vnionis; non tamē supponit pro eodem signo existentiam illius: ergo in illo signo nequit esse in Verbo obligatio vitandi peccatum. Antecedens est certum: nam quod existit pro priori naturæ, coexistit in reali instanti cum alio in illo instanti existente; sed vnio non coexistit in instanti reali cum peccato; cum in illo instanti sit non esse vnionis à peccato causatum; & implicet in vno, & eodem instanti idem esse, & non esse: ergo non supponitur existens pro signo actus primi, & pro priori naturæ. Consequentia autem probatur: nam vnio pro signo, pro quo nō est, non potest obligationem fundare: ergo si vnio non est positiuē pro signo naturæ actus primi ad peccandum, non potest obligationem in illo signo fundare.

319 *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam obligatio gubernandi humanitatem existens in illo signo non fundatur in vnione, vt pro illo signo positiuē existente, quod argumento conuincitur; sed fundatur in vnione, vt præexistente in mensura antecedente illud, connotata destructionis vnionis negatione pro signo actus primi natura præcedentis peccatū: & quod hoc sufficiat, patet à paritate patriæ potestatis, quæ fundat obligationem in patre gubernandi filium, & vitandi illius peccatum destruens patriā potestatem; ac proinde obligatio in patre residens, fundatur in patria potestate, non vt existente pro signo priori ad peccatum filij illam destruens, sed in patria potestate, vt existente tempore immediatē antecedenti instans inceptionis peccati, connotando quod pro priori ad peccatum non intelligatur destructa. Et quidem cum obligatio gubernā di aliquid, morale sit, potest supra vnionem immediatē præcedentem, quamuis in instanti peccati non existat, pro illo instanti fundari, prædicta cōnotatione, vt conditione supposita.

320 *Replicabis ad huc.* Sed replicabis adhuc: non stat in Verbo obligatio gubernandi humanitatem, absque iure ex parte humanitatis, vt gubernetur, & dirigatur ab illo; sed in instanti peccati destruentis vnionem non potest dari ius in humanitate, vt dirigatur à Verbo: ergo nec in Verbo obligatio gubernandi humanitatem. Cōsequentia tenet. Maior videtur certa: nā obligatio Verbi respicit ius in humanitate, sicut obligatio Prælati dirigendi subditos, supponit, & respicit ius in subditis, vt à Prælato gubernentur, & dirigantur. Minor autē probatur: in instanti peccati destruentis vnionem, non potest in humanitate existere ius ad gloriam, & alia dona gratiæ in vnione fundatum: ergo nec ius vt dirigatur, & gubernetur à Verbo. Antecedens patet: nam in instanti peccati destruentis gratiam habitualem, non potest existere ius ad gloriam fundatum in gratia; aliàs simul esset dignitas, & indignitas gloriæ in eodem instanti, quod implicat: ergo pariter ius ad gloriam, & alia dona gratiæ fundatum in vnione hypostatica: nequit existere in instanti peccati destruentis, & dissoluentis vnionem. Cōsequentia autem probatur: non enim alia ratione ius ad gloriam, non potest existere in instanti peccati destruentis vnionem, nisi quia in vnione fundatur, & vnio in illo instanti non est; sed etiam ius directionis à Verbo in vnione fundatur: ergo nequit in humanitate existere in instanti peccati, in quo vnio nō est.

321 *Vrgetur amplius* Quod amplius vrgetur: nam ius humanitatis ad gloriam in vnione ad Verbum fundatum, est aliquid morale, &

similiter obligatio in Deo ex vnione cõ surgens conferendi humanitati gloriam non est aliquid physicum, sed morale, & tamen nequeunt existere in instanti, in quo vnio destruitur, nec possunt in vnione, vt existẽte tempore antecedenti ad instans peccati vnionem destruentis fundari: ergo pariter ius humanitatis, vt dirigatur à Verbo, & obligatio Verbi gubernandi humanitatem, quamuis in aliquo morali consistant, nequeunt existere in instãti destructionis vnionis, nec in vnione, vt existente in mensura immediate ad illud instans fundari.

322 *Respõd.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem; ad probationem, cõcesso antecedenti, nego consequentiam: ad illius probationem, distinguo maiorem; quia fundatur in vnione, vt existente in instanti collationis gloriæ, & infusionis donorum gratiæ, cõcedo maiorem; eo præcise, quia in vnione fundatur, nego maiorem; & distinguo minorem; ius directionis à Verbo fundatur in vnione, vt existente in eodem instanti, nego minorem; in eodem, vel in mensura antecedẽti immediate, concedo minorem, & nego consequentiam.

323 *Ad cõfirmationẽ respond.* Et ex his, ad confirmationem, concessis maiori, & minori, nego cõsequentiam; nam licet vtrumque ius, & vtraq; obligatio aliquid morale sint; ius tamen ad gloriam fundatur in vnione, vt existẽte pro eodem instanti cum gloria; ius autem vt humanitas gubernetur, non petit necessario fundari in vnione, vt existente in eodem instanti cum illo; sed, vel in eodem instãti, vel in mensura immediatè antecedenti cum limitatione explicata primam replicam soluendo.

324 *Ratio discriminis.* Ratio autem discriminis est: nam directio respicit principium operans pro priori actus primi ad operandum, vnde ius directionis ab alio, & obligatio dirigendi respiciunt principium operans pro priori ad operationem; & ideo vt in aliquo instanti detur ius in humanitate directionis à Verbo, & in Verbo obligatio dirigendi, sufficit, vt tempore immediate antecedenti ad instans operationis extiterit vnio, & pro priori naturæ ad operationem non intelligatur destructa; visio autem beatifica, & dona gratiæ cõferenda humanitati, non dicunt ordinẽ ad instans, in quo infunduntur secũdum prioritatem naturæ ad operationẽ peccaminosam, sed adæquatè sumptum: & quia in instanti peccati sumpto adæquatẽ, est indignitas ratione peccati, non potest in tali instanti ab vnione antecedentĩ dari ius ad illa dona; atque adeò ius ad gloriam, & ad alia dona gratiæ præstita humanitati ab vnione, fundantur in illa, non vt præexistente in mensura immediatè antecedenti, sed vt existente in eodem instanti iuris, & collationis donorum.

325 *Tacita obiectio diluitur* Nec sequitur ex nostra doctrina, vt tacitæ obiectioni occurramus, in eodẽ instanti esse ius directionis, & negationem iuris in humanitate: nam licet in instanti peccati, vt completè terminato, sit negatio iuris, vt dirigatur à Verbo, non est negatio iuris vt dirigatur à Verbo pro illo instanti, sed pro sequentibus: ius autẽ, vt dirigatur à Verbo, quod nos in humanitate adstruimus, est in instanti peccati, & directionis à Verbo pro illo instanti. Vnde affirmatio, & negatio nõ sunt eiusdem de eodem. Ratio autem cur peccatum existens in hoc instanti, non possit destruere ius humanitatis, vt pro hoc instanti dirigatur à Verbo, ex dictis colligitur, nempè, quia hoc ius cõuenit humanitati pro priori actus primi ad peccatũ; & ideo tolli, aut destrui nequit per peccatum in prædicto instanti existens. Quæ doctrina manifestè constat exemplo patriæ potestatis; filius nãque sub patria potestate existens, habet ius, vt dirigatur à patre, & vt sustentetur ab illo; & peccatum filij patriam potestatem dissoluens destruit in instanti, in quo est, ius filij vt sustentetur à patre; non autem ius, vt pro illo instanti diriga tur, & gubernetur ab illo: ergo patria potestas, vt immediate ad instans peccati antecedens fundat ius directionis; ius autem sustentationis non nisi vt pro instanti cum tali iure coexistens: & idem nos dicimus de iure humanitatis, vt dirigatur, & iure, vt donis gratiæ ditetur; quod hoc secundum fundatur in gratia vnionis, vt pro eodem instanti cum illo coexistente: primum autem fundatur in gratia vnionis, vt tempore immediate antecedenti, & vt non destructa pro priori actus primi ad peccatum.

*Doctrina hæc exemplificatur.*

326 *Grauis difficultas.*

Adhuc tamen cõtra dicta restat grauis difficultas: nam sequitur ex doctrina tradita, potuisse humanitatem assumptã in primo instanti, in quo fuit assumpta, peccare in sensu diuiso vnionis, peccato non disoluente vnionem, sed peccato illam impediente; consequens non admittemus: ergo doctrina tradita est insufficiens. Probatur, & explicatur maior: sequitur potuisse Deum ita decernere: *Assummam humanitatem, & illam Verbo hipostaticè coniungam, si in illo instanti humanitas non peccauerit*: & hoc decreto conditionato supposito, sequitur potuisse humanitatem assumptam peccare in instãti, in quo fuit assumpta a Verbo, in sensu diuiso vnionis, non peccato disoluente, sed impediente vnionẽ. Quod probo: nam tale peccatum non imputaretur Verbo: ergo ex hoc inconueniẽti non probatur non fuisse in humanitate potentiam ad hoc peccatum in sensu diuiso vnionis. Probo antecedens; ideo peccatum destruens vnionem imputaretur Verbo; quia tale peccatum supponit vnionem antecedentem, ex qua consurgit in Verbo obligatio dirigendi humanitatem, ne incidat in peccatum destruens vnionem; sed peccatum impediens in prædicto casu vnionem, non præsupponit illã, vt existentem in mensura antecedenti; & consequẽter, nequit supponere in Verbo obligationem dirigendi humanitatem, ne peccet peccato impediente vnionem: ergo tale peccatum non imputaretur Verbo.

327 *Respõd.*

Respondeo, distinguendo consequens: hac sola ratione attenta, concedo sequelam: attentis alijs rationibus, nego sequelam; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet ratio sumpta ex obligatione Verbi consurgente in illo ex vnione, non probet impotentiam in humanitate ad peccandum peccato impediente primam existentiam vnionis; non ideo non est bona ad probandum impossibilitatem, & implicationem peccati vnionem hypostaticam destruentis; & ad hoc tantũ prædicta ratione vsi sumus. Quod vero nequeat, etiam de potentia absoluta, peccare peccato impediente vnionem, probatur ratione prima ex summa sanctitate desumpta, quæ opponitur cum potentia peccandi in eodem instanti cũ vnionis gratia existente, vt ex dicendis amplius constabit.

## §. XIII.

### *Probatio ex nostris principijs.*

328 *Secũda pars cõclusionis prob. ex principijs Thomistarũ.*

HVCVSQVE sententiam communem probauimus, abstrahendo à principijs Thomistarum, ne sententiam fere ab omnibus admissam nostris coarctaremus principijs; nunc autem ex illis discurrẽdo, facilius probatur secunda pars conclusionis. Vt humanitas vnita sit potens peccare in sensu diuiso vnionis, requiritur, quod in instanti vnionis ad Verbum sit expedita in actu primo ad peccãdum; sed implicat esse vnitam, & in eodem instanti expeditam in actu primo ad peccandum: ergo implicat humanitatem assumptam peccare in sensu diuiso vnionis. Cõsequẽtia tenet. Maior constat: nam omne impedimentum se tenẽs ex parte actus primi, tollit libertatem: ergo ad libertatem contrarietatis consistentem in potentia ad bonum, & malum, necessaria est potentia expedita per modum actus primi, hoc est, potentia, sine impedimento ad peccandum, ex parte actus primi se tenente. Minor autem ostenditur primo in sententia, quam frequentius tuentur Thomistæ, asserente, naturam non posse existere de potentia absoluta, quin prius intelligatur subsistens; nam in hac sententia subsistentia complet naturam ex parte actus primi complemento essentiali ad existendum; & consequenter essentiali ad operandum; cum operatio subsequatur ad esse: sed in instanti assumptionis humanitatis à Verbo non potest natura subsistere subsistentia creata; aliàs simul duplici subsistentia subsisteret; quod implicat in sententia Thomistarum: ergo non potest intelligi potens ad operandum in instanti assumptionis, nisi intelligatur prius subsistens per subsistentiã Verbi; at hoc ipso quod intelligatur pro

*Minor probatur. 1.*

signo

signo actus primi terminata per subsistentiam Verbi, intelligitur impedita per modum actus primi ad peccandum; cum peccatum sit incomposibile cum subsistentia Verbi, per quam in actu primo completur ad operandum: ergo implicat humanitatem esse Verbo vnitã, & in eodem instanti expeditam ad peccandum per modum actus primi.

329 Secũdo. Secundo probatur minor; implicat humanitatem esse in proxima potentia ad peccandum, quin præintelligatur existens; sed implicat humanitatem vnitam, in eodem vnionis instanti intelligi vt existentem, & quod intelligatur expedita ad peccandum: ergo implicat esse vnitam, & quod in eodem instanti sit expedita ad peccandũ in actu primo. Consequentia tenet. Maior constat: nam existentia est prærequisita in causa efficienti ad agendum ex parte actus primi in omnium Phylosophorum, & Theologorum sententia; eo quod causa efficiens agit, in quantum est in actu: ergo implicat quod intelligatur humanitas in potentia ad peccandum, & quod non intelligatur existens. Minor autem probatur: nam humanitas Verbo hypostaticé vnita, non existit, nec potest existere propria existentia; sed tantum per existentiam Verbi, vt cum D. Thoma. *infra q. 17. art. 1. & 2.* docent omnes eius discipuli; sed implicat intelligi existens existentia Verbi, & quod sit expedita in actu primo ad peccandum; cum existentia Verbi sit cum peccato incompossibilis, & se teneat ex parte actus primi; & consequenter actum primum proximum ad peccandum impediat ergo implicat quod humanitas vnita, in eodem vnionis instanti intelligatur existens, & quod sit, vel intelligatur expedita ad peccandum.

330 Confirmatur primo. Confirmatur, & explicatur; licet nũ que impedimentum actus, non se tenẽs ex parte actus primi, non tollat potẽtiã in actu primo expeditam: quo circa auxilium efficax physicé in nostra sententia prædeterminans ad amorem, nõ tollit potentia proximé in actu primo expeditam ad odium, & amoris negationem; quia nõ se tenet ex parte actus primi ad agendum; impedimentum autẽ se tenens ex parte actus primi, tollit in omniu sentẽtia potentiam proximé expeditam ad actum; sed implicat humanitatem Verbo hypostatice vnitam carere impedimento ad peccandum, se tenẽte ex parte actus primi: ergo implicat esse vnitam, & in eodem instanti expeditam in actu primo ad peccandum. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: implicat esse vnitam, & in eodem instanti non existere existẽtia Verbi, vt suppono ex dicendis *infra q. 17. art. 2* sed existentia Verbi est impedimentum ad peccãdum ex parte actus primi se tenens: ergo non stat esse vniti, & carere impedimento ad peccandum se tenente ex parte actus primi. Minor pro prima parte constat: nam subsistentia Verbi est impedimentum incompatibile cum peccato, vt Auctores, contra quos disputamus, fatentur: ergo etiam Verbi existentia; si enim subsistentia sãctificat, vel includit formam sanctificantem, etiam existentia Verbi, vel ratione sui, vel ratione diuinitatis inclusæ, erit sãctitas humanitatis; & consequenter nõ minus quam subsistentia est cum peccato incõpossibilis. Pro secunda parte probatur: nam existentia se tenet ex parte actus primi ad agendum, vt omnes fatẽtur: ergo existentia Verbi, qua sola potest existere humanitas in instanti vnionis ad Verbũ, se tenet ex parte actus primi; & consequenter est impedimẽtum ad peccandum ex parte actus primi se tenens.

331 Cõfirmatur. 2. Confirmatur, & vrgetur secundo: implicat humanitatem Verbo hypostatice vnitam, peccare peccato cum vnione ad Verbum cõposito, vt fatentur Recentiores, contra quos nostra conclusio procedit; sed implicat humanitatẽ Verbo vnitam peccare, & non componere cum vnione ad Verbum peccatum: ergo omnino implicat, humanitatem vnitam posse peccare. Consequentia cũ maiori tenet. Minor autem probatur: implicat humanitatem vnitam Verbo, peccare, & non coniungere peccatum cum omni eo quod ex parte actꝰ primi ad operandum se tenet; sed in humanitate Verbo vnita, vnio ad Verbum se tenet ex parte actus primi: ergo implicat peccare, & non coniungere cum vnione peccatum. Minor, in qua sola est po-

sita

sita difficultas, probatur: existentia Verbi, quasola existit humanitas Verbo vnita, se tenet ex parte actus primi in humanitate ad peccandum; sed existentia cōmunicatur media vnione humanitati: ergo vnio ad Verbum se tenet in humanitate vnita ex parte actus primi ad operandum; & consequenter implicat humanitatem vnitam peccare, & non coniungere cum vnione peccatum.

332 *Probatur vlterius: secūda pars cōclusionis.*

Denique probatur secunda pars cōclusionis: implicat Verbum, vt subsistēs in humanitate, esse potens peccare peccato destruente vnionem; sed non stat humanitatem vnitam posse peccare, & suo peccato vnionē destruere, quin Verbum, vt in illa subsistens sit potens peccare: ergo implicat humanitatem vnitam hypostaticé Verbo peccare peccato destruēte vnionem, vel propter quod vnio destruatur à Deo. Cōsequentia tenet. Maior constat: cui namque essentialiter repugnat actus, non potest conuenire potentia ad talē actū; sed Verbo, vt in humanitate subsistēti, essētialiter repugnat peccatū destruens vnionē: ergo Verbo, vt sic subsistēti essētialiter repugnat esse potēs peccare peccato destruēte vnionem. Minor autem probatur: sicut enim voluntas vnita subsistentiæ Petri, est voluntas Petri: ita volūtas humana vnita subsistentiæ Verbi, est volūtas Verbi, prout subsistentis in humana natura; sed implicat voluntatem vnitam subsistentiæ Petri esse potentem peccare, quin Petrus sit potens peccare: ergo implicat, etiam humanitatem, aut volūtatem humanā vnitam subsistentiæ Verbi posse peccare, quin Verbum, prout in humanitate subsistens sit potens peccare.

333 *Respondebis.*

Respondebis, disparem esse rationem: nam Petrus non habet aliam naturam, cui repugnet potentia ad peccandum; & ideo eo ipso, quod voluntas, seu natura humana vnita subsistentiæ Petri sit potens peccare, necessariò Petrus est potens peccare: Verbum autem habet aliam naturam, diuinam scilicet, cui essentialiter repugnat peccatum, & potentia ad peccandum; & ideò quamuis humanitas, seu voluntas humana vnita subsistentiæ Verbi sit potens peccare; non sequitur Verbum, vt subsistens in humanitate, posse peccare.

334. *Cōtra 1.*

Sed cōtra primo: humanitate vnīta subsistentiæ Verbi de facto peccante peccato cum vnione compositō, Verbum, vt in illa subsistens, necessariò denominaretur peccans, etsi Verbo alia conueniat natura, cui essentialiter repugnat peccatum: ergo si humanitas subsistentiæ Verbi vnita, est potens peccare potentia cū vnione composita, non potest Verbum prout in humanitate subsistens, non esse potens peccare, quamuis potentia peccandi repugnet Verbo secundum aliam naturam, nempé diuinam. *Cōtra 2* Contra secundo; quia natura humana Verbo vnita fuit potens mori, & mortua de facto, de Verbo, vt in illa subsistente, fuit verū dicere, potuisse mori, & de facto fuit mortuum; & tamen mors, & potentia moriendi repugnant Verbo secundum naturam diuinam: ergo quamuis potentia peccandi repugnet Verbo, vt subsistenti in natura diuina; si tamen natura humana subsistentiæ Verbi vnita fuit potēs peccare, verum erit de Verbo, vt in illa subsistente, potuisse peccare.

335 *Dices.*

Si forte dicatur; disparem esse rationem: nam humanitas Verbo vnita potuit mori, & de facto fuit mortua in sensu composito vnionis; nam licet humanitas fuerit dissoluta per mortem, vnio partium humanitatis ad Verbum dissoluta non fuit; & idcirco denominationes potentis mori, & moriētis de facto, conueniunt Verbo, vt subsistenti in humanitate: peccatum autem non conuenit, nec potest conuenire humanitati vnitæ in sensu composito vnionis, sed in sensu diuiso; & idcirco denominatio potentis peccare, non transit ad Verbum, etiam prout in humanitate subsistens.

*Contra.*

In cōtrarium obijcio; nam licet peccatum non conueniat humanitati vnitæ in sensu composito vnionis; potentia autem ad peccandum cum vnione ad Verbum in humanitate componitur, in sententia, quam impugnamus: ergo licet Verbum non denominetur peccans à peccato humanitatis, à potentia tamen peccandi humanitati vnitæ conuenienti in sensu composito vnionis, necessario denominatur; & consequenter non stat humanitatem Verbo vnitam posse

pecca-

peccare; quin Verbum, quatenus in illa subsistens possit peccare.

336 Respondebis. Respondebis, nec à potentia peccandi denominari posse; nam licet conueniat humanitati vnitæ in sensu composito vnionis; conuenit tamen humanitati pro signo naturæ antecedenti ad vnionem, pro quo signo non intelligitur vnio; quæ autem humanitati vnitæ conueniunt, vt præscindit ab vnione; & reduplicata hac præcisione, nõ possunt prædicari de Verbo, vt in illa subsistente, etiam denominatiue; & ideo potentia peccandi, etsi humanitati conueniat composita cum vnione, de Verbo non prædicatur.

Cõtra 1. Sed contra primo; non stat actuale peccatum conuenire humanitati vnitæ compositum cum vnione, & non prædicari de Verbo, vt in humanitate subsistente: ergo pariter, non stabit potentia peccandi conuenire humanitati vnitæ in sensu composito vnionis, & non enuntiari de Verbo, vt in illa subsistenti.

Secũdo. Cõtra secundo, paritate supra facta: non stat potentiam expeditam peccandi conuenire humanitati vnitæ subsistentiæ Petri in sensu composito vnionis, & non conuenire Petro, illumque denominare: ergo pariter, non stabit, potentiam peccandi conuenire humanitati vnitæ subsistẽtiæ Verbi compositam cum vnione, & non conuenire Verbo, vt in illa subsistẽti, & de illo, vt sic, prædicari.

337 Tertio. Tertio: non enim stat humanitatem vnitam pro signo antecedẽti vnionem, posse peccare, & potentiam peccandi illi non cõuenire pro instanti reali; sed eo ipso quod potentia peccandi conueniat humanitati vnitæ pro instanti reali, non potest non conuenire Verbo, vt in illa subsistenti: ergo implicat, humanitatẽ Verbo vnitam posse peccare potẽtia cũ vnione composita, & quod Verbũ, pro ut in humanitate subsistẽs, nõ possit peccare. Consequentia tenet. Maior cõstat: nam signa diuersa naturæ in eodem reali instanti exercentur: ergo non stat aliquod prædicatum conuenire humanitati pro signo naturæ antecedenti ad vnionem, & nõ conuenire in eodem reali instanti. Minor autem probatur ex dictis: quia namque peccatum cum vnione ad Verbum compositum conueniret humanitati in instanti reali vnionis, necessario diceretur de Verbo; & quia potentia peccandi conueniens humanitati vnitæ subsistentiæ Petri composita cum vnione, cõuenit illi in instanti reali vnionis, necessario enuntiatur de Petro: ergo si potentia peccandi conueniens humanitati vnitæ pro signo antecedenti vnionem, necessariò conueniret in instanti reali vnionis, necessariò enuntiaretur de Verbo, vt in illa subsistente.

338 Quarto. Quarto reijcitur: nam potentia peccandi non potest conuenire humanitati vnitæ pro signo naturæ vnionem præcedente: ergo si conuenit humanitati vnitæ, necessario enuntiabitur de Verbo, vt in illa subsistente. Consequẽtia tenet; nam ideò, iuxta hanc solutionem, non prædicatur de Verbo; quia conuenit humanitati vnitæ pro signo naturæ vnionem antecedente: ergo si nõ potest pro illo signo conuenire, non potest non enuntiari de Verbo, vt subsistente in humanitate; eo ipso, quod humanitati vnitæ conueniat composita cum vnione.

Antecedẽs probatur 1. Antecedens autem probatur primo; id solum conuenit humanitati vnitæ pro signo priori ad vnionem, à quo illius vnio cum Verbo dependet; sed vnio humanitatis cum Verbo, nec depẽdet, nec dependere potest à potentia peccandi; sicut nec dependet, nec potest dependere à peccato: ergo potentia peccandi non potest conuenire humanitati in instanti reali vnionis pro signo antecedẽti vnionem.

ecũdo. Secundo probatur; nam vnio humanitatis ad Verbum prius conuenit humanitati, quam potentia expedita ad operandum; vel quia existentia essentialiter operationem præcedit, vel quia ad minus existentia diuina, qua sola humanitas Verbo vnita potest existere, præintelligitur necessario ad operationem, & ad potentiam proximè operatiuam; sed eo ipso, quod ad potẽtiam proximè operatiuam humanitatis necessario præintelligantur existentia, vel subsistentia diuina humanitati vnitæ, non potest humanitas ante vnionem intelligi expedita ad peccandum: ergo potentia expedita ad peccandum, nequit humanitati vnitæ conuenire pro signo naturæ ante vnionem præcedente.

339 Vltimo. Denique probatur antecedens; si po-

tentia

tentia expedita ad peccandum conueniret humanitati vnitæ in signo naturæ vnionem antecedente, maximé quia in illo signo non intelligitur vnio cũ Verbo, quæ impedit potentiam peccandi; sed etiam si hoc admittatur, non sufficit, vt in signo anteriori ad vnionem conueniat humanitati potentia ad peccandũ expedita: ergo non conuenit in illo signo, nec potest conuenire humanitati. Consequentia tenet: maior constat ex doctrina aduersariorum, Minor autem ostenditur primo; quod enim in signo contritionis disponentis ad gratiam nõ intelligatur gratia habitualis peccato oppositа, nõ sufficit, vt in illo signo possit peccatũ intelligi: ergo pariter, quod in signo antecedenti ad vnionem non intelligatur vnio oppositа potentiæ peccandi, nõ sufficit, vt pro illo signo possit intelligi, & esse in humanitate potentia peccandi.

*Minor ostenditur primo.*

340 *Secudo.* Secundo; vt enim *supra q. 2. art. 11.* communiter contra Vazquez docetur; quamuis gratia habitualis dispositiue ad vnionis gratiam concurreret, non constitueret pro signo anteriori ad vnionem Christum, vel eius humanitatem filium adoptiuum Dei: ex qua Doctrina, quæ communis est contra Vazquez, talis probatio consurgit; quod pro signo antecedenti ad vnionem non intelligatur vnio substantialis humanitatis ad Verbum oppositа filiationi adoptiuæ, non sufficit vt pro illo signo detur adoptiua filiatio in humanitate assumpta: ergo pariter, quod pro signo antecedenti ad vnionem nõ intelligatur vnio oppositа potentiæ expeditæ ad peccandum, non sufficit, vt pro illo signo intelligatur, & non conueniat humanitati potẽtia ad peccandum expedita.

341 *Tertio.* Tertio probatur; nam licet signum, natura vnionem præcedens, præscindat ab vnione humanitatis ad Verbum, non tamen est verum dicere, quod in illo signo detur realis vnionis negatio: ergo quamuis in illo signo naturæ præscindat humanitas a potentia, & ad impotentia peccandi, non tamen datur in humanitate pro illo signo naturæ potentia expedita ad peccandum. Consequẽtia patet; nam impotentia ad peccandũ est effectus realis vnionis substantialis ad Verbum: ergo potentia expedita ad peccandum prouenit ex illius reali negatione; & consequenter, si in signo anteriori ad vnionẽ non datur realis vnionis negatio, nec realis affirmatio vnionis, non dabitur in illo signo potentia expedita, nec impotentia ad peccandum in humanitate assumpta, sed à potentia, & ab impotentia præcisio. Antecedens autem probatur: nam omne positiuum, vel negatiuum, quod est in aliquo signo naturæ, etiam est in reali instanti; sed negatio humanitatis ad Verbum non est in instanti reali, in quo realiter est vnita; aliàs in eodem instanti esset verum, esse vnitam, & non esse vnitam, quod implicat: ergo negatio vnionis non est in humanitate pro signo naturæ vnionem antecedenti.

342 *Cõfirmatur.* Confirmatur: si namque in humanitate vnita pro signo anteriori ad vnionem daretur potentia proxima ad peccandum expedita, esset in humanitate in eodem reali instanti potentia ad peccandum, & negatio potentiæ ad peccandum; sed hoc implicat cõtradictionem: ergo in humanitate pro signo anteriori ad vnionem, non datur potentia proximé ad peccandum expedita. Consequentia tenet. Minor constat: nam duo contradictoria non possunt pro instanti reali esse vera; sed potentia ad peccãdum, & negatio potentiæ ad peccandũ opponuntur contradictorié: ergo non possunt verificari de humanitate in eodem instanti reali. Minor autem, vel sequela, probatur: nã quæ sunt, & verificãtur pro diuersis signis, & prioritatibus naturæ, sunt, & verificantur in eodem instãti reali illa signa cõplectẽte; sed si humanitas assumpta pro signo anteriori ad vnionem esset potens proximé peccare, potentia ad peccandum, & negatio potentiæ ad peccandum, verificarentur de humanitate pro diuersis signis naturæ: ergo verificarentur de illa pro vno, & eodem reali instanti. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur, nam pro signo anteriori ad vnionẽ esset in humanitate potẽtia expedita ad peccandum, vt supponitur, & aliàs pro signo vnionis est in humanitate negatio potentiæ ad peccandum expedita; cum pro tali signo iam intelligatur vnio,

quæ

quæ impedit potentiam peccandi: ergo verificarentur de humanitate pro diuersis signis naturæ potentia ad peccandū, & negatio potentiæ ad peccandum; & consequenter verificarentur de illa pro vno, & eodem reali instanti.

## §. XIIII.

### *Argumentis contra primam partem conclusionis occurritur.*

343 *Argumēta cōtra primam partē cōclusionis*

CONtra primam partem conclusionis arguunt Discipuli Scoti: in humanitate vnita Verbo hypostaticē, manet potentia peccandi: ergo humanitas Verbo vnita potuit ex natura rei peccare, si ab illa secludantur dona gratiæ accidentalia, & beatifica fruitio, qualiter à nobis supponitur. Consequentia tenet: nam omnis potentia humanitati vnitæ conueniens, potest ad actum reduci attenta natura rei: ergo si in humanitate vnita, & exclusis gratiæ donis, manet potentia peccandi, potest humanitas Verbo vnita ex natura rei peccare. *Antecēdens probant primo*: nam humanitati Christi insunt omnia prædicata essentialia humanitati, & omnes proprietates illius, vt Concilia, & Patres docēt; alias Christ⁹ nō esset perfectus homo, quod est contra fidem, vt constat ex Symbolo Athanasij, illis verbis: *Perfectus Deꝰ, perfectus homo, &c.* sed potentia peccādi est proprietas humanæ naturæ: ergo illi, vt vnitæ Verbo, conuenit potentia peccandi. *Secundo*: nam posse peccare, conuenit humanitati ex cōceptu entis finiti, non habentis esse à se, & per essentiam, sed ex nihilo, & ab alio; sed humanitas Verbo vnita est entitas finita, & ab alio ex nihilo facta: ergo in illa vnita Verbo, manet potentia peccandi.

*Antecēdens probatur 1.*

*Secūdo.*

344 *Tertio.*

Tertio probatur, vt enim docet Damascenus *lib. 3 de fide cap. 6. iuxta medium*: *Filius Dei assumpsit, quidquid in nostra natura plantauit*; sed in nostra natura plantauit potentiam peccandi, nā potentia peccandi est à Deo, quamuis voluntas peccandi non sit ab illo: ergo assumpsit potentiam peccandi; & consequenter potentia peccandi est in humanitate assumpta. Quod in hunc modum confirmant: etenim vnio hypostatica non constituit humanitatem impeccabilem ab intrinseco: ergo humanitas vnita, manet ab intrinseco peccabilis; & consequenter in illa, prout sic vnita, manet potentia peccandi. *Antecedens* probant primo: nam impeccabilitas ab intrinseco est prædicatū proprium diuinæ naturæ, sed vnio humanitatis ad Verbum nō transtulit naturam humanam in diuinam: ergo non constituit illam ab intrinseco impeccabilē.

*Cōfirmatur.*

*Antecedens probatur 1.*

345 *Secūdo.*

Secundo: nam humanitati ex vi vnionis non fuerunt communicatæ aliæ proprietates diuinæ, vt æternitas, omnipotentia, & immensitas; non enim est omnipotens, æterna, aut immensa humanitas Verbo vnita; sed impeccabilitas ab intrinseco, est proprietas naturæ diuinæ: ergo humanitas ex vi vnionis non fuit reddita ab intrinseco impeccabilis. Denique; nam si vnio ad Verbum redderet ratione sui humanitatē ab intrinseco impeccabilem, sequeretur, reddituram fore impeccabilem naturam irrationalē, si Verbo vniretur, vt potuit de potentia absoluta cōtingere; consequens est falsum: ergo ratione sui non constituit humanitatem impeccabilē ab intrinseco. Sequela, in qua est difficultas, probatur: nam vnio ad Verbum non potest alicui communicari, quin illi præbeat omnē effectum, vel quasi effectum formalē, quem potest ratione sui præstare: ergo si ratione sui potest præstare impeccabilitatem, implicabit conuenire irrationali naturæ, quin illam impeccabilem cōstituat.

*Tertio.*

346 *Faber ita argumentatur, sed defectuose, & cōfusè.*

Sic arguit Philippus Faber *in 3. dist. 12. disp. 1.* vt probet, potuisse humanitatem Christi peccare secluſis ab illa donis accidentalibus gratiæ, & fruitionis beatificæ, vt potuit de potentia absoluta cō tingere. An autem facta illa suppositione contendat, potuisse ex natura rei peccare? An vero solum de potentia absoluta? non satis constat. Primum tamen

inten-

intendere, manifeste ex argumento colligitur; cum illis donis seclusis, nihil ex natura rei cum peccato oppositum maneat in eius sententia. An etiam loquatur de peccato in sensu composito vnionis, an verò in sensu diuiso, hoc est, peccato destruente vnionē? Prædictus Auctor non exprimit: ex argumento autē, loqui in primo sensu constat; cum enim intendat probare, vnionem humanitatis ad Verbum, nudé, & ratione sui inspectam, non habere cum peccato oppositionem; consequenter etiam intendit probare possibilitatem peccati compositi cum vnione; si namque inter vnionem, & peccatum non datur ex natura rei oppositio, non est cur peccatum in data suppositione in humanitate possibile debeat vnionem destruere: ad hoc autem persuadendum peccat argumētum in forma.

347 *Peccat in forma.* Quod patet: nam ad probandum humanitatem assumptam gratiæ donis destitutam, posse peccatum cum vnione ab Verbum componere, ex eo quod potentia peccandi, est humanitatis proprietas, debet assumi pro medio, quod peccandi potentia peccato cum vnione composito sit proprietas humanitatis; at hoc medium non assumit cum prædicta limitatione, sed absolutè, quod, scilicet, potentia peccandi est proprietas humanæ naturæ; & consequenter debet in humanitate Christi manere: ergo argumentum prout à prædicto Auctore formatur, caret forma syllogistica. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; ex eo quod potentia peccandi absolutè sit humanitatis proprietas, solum sequitur, mansisse in humanitate Christi potentiam peccandi absolutè: ergo vt probetur fuisse in illa potentiam peccandi peccato cum vnione composito, debet assumi pro medio, quod potentia peccandi peccato cum vnione composito sit proprietas humanitatis.

348 *Explicatur.* Vrgetur, & explicatur; ex eo quod potentia peccandi, sit proprietas humanitatis, non sequitur, potentiam peccandi peccato cum vnione composito esse humanitatis proprietatem: ergo nō sequitur, fuisse in Christo potentiam peccandi peccato cum vnione composito. Consequentia est euidens: nam solum debuit in Christo manere, eo modo, quo est proprietas humanitatis: ergo si non probatur esse proprietatem humanitatis potentiam peccādi peccato cum vnione composito, nec probatur fuisse in Christo potentiam ad componendū peccatum cum vnione hypostatica. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem probo primo; quia in prædicta consequentia arguitur à non restricto ad restrictum: nam potentia peccandi *absolutè*, latius patet, quam potentia peccandi peccato cum vnione composito: vnde in puro homine datur potentia peccandi, & non datur potentia ad componendum peccatum cum vnione hypostatica: ergo est mala consequentia, ac si ita argumētaremur: *Est homo: ergo est homo albus.* *Secundo.* Secundo idem antecedens probatur: ex eo quod potentia peccandi sit proprietas humanitatis, nō sequitur esse illius proprietatem potentiam peccandi peccato cum gratia, vel cum beatifica fruitione compositō: ergo pariter ex eo quod potentia peccandi, sit humanitatis proprietas, non sequitur, esse illius proprietatem potentiam peccandi peccato cū vnione ad Verbum compositō. Sed de mente istius Auctoris satis.

349 *Respōd. ad argumentum* Ad argumentum autem, prout à Nobis fuit inductum ad probandum contra primam partem conclusionis, potuisse ex natura rei humanitatem Christi peccare in sensu diuiso vnionis. Respōdeo, negando antecedens absolutè loquendo: nam potentia peccandi absolutè dicit potentiam, non solum remotam, sed etiam proximam, hoc est, proximè in actu primo expeditam ad peccandum; licet autem in humanitate Christi fuerit potentia remota peccandi, non tamen fuit in illa potentia in actu primo ad peccandum expedita; & ideo absolutè est negandum in humanitate Christi fuisse potentiam peccandi, vt docet D. Thom. *in 2. dist. 12. q. 2. art. 2. in corpore.* *Ad 1. probationē.* Ad primam probationē, concessa maiori, distinguo minorem: potentia remota, concedo minorem: potentia proxima, hoc est, proximè in actu primo expedita, nego minorem: & nego consequentiam absolutè, vel distinguo consequens distinctione minoris.

ris. Solum enim sequitur fuisse in humanitate Christi potentiá remotam peccandi, non autē, quod in illa fuerit potē tia proximè in actu primo ad peccandū expedita.

350 *Ad secūdam.* Et ex his ad secundā probationē, distinguo maiorē: *posse remotum*. & abstrahens à potentia impedita, & expedita, cōcedo maiorē: *posse proximum*, & expeditum, nego maiorē: & concessā minori, distinguo cōsequens distinctione maioris. Solum enim sequitur humanitati Christi, quia ex nihilo facta est, cō uenire hoc, quod est, quātū est ex se posse peccare, hoc est, ex principijs suis intrinsecis, & essentialibus non repugnare peccato, in quo consistit potentia remota peccandi, non autē, quod illi conueniat potētia in actu primo proximè expedita ad peccandum: quia potentia sic expedita, præter rationē creaturæ factæ ex nihilo, & præter entitatē voluntatis creatæ dicit negationē impedimēti ad peccandū; & quia humanitas Christi eo ipso, quod vniatur Verbo Dei, impeditur ratione subsistentiæ diuinæ, & sanctitatis increatæ ad peccādū; fit cōsequēs, vt non conueniat humanitati vnitæ potentia in actu primo proximè ad peccādum expedita, quāuis adhuc sic vnita, sit entitas non à se, sed ab alio, & ex nihilo facta, quia licet ex his prædicatis habeat posse, quantū est de se, peccare, vel de se ab intrinseco nō habere repugnantiá cum peccato; nō tamen habet ex illis excludere repugnantiá cum peccato, ei conuenientem ex dono subsistentiali, vel accidentali à Deo humanitati cō municato.

351 *Ad tertiā respondet D. Tho.* Ad tertiam probationē respondet D. Th. *in 3. dist. 12 q. 2. art. 2. ad 6* negādo minorē. Nam potentia peccandi, in quantū peccandi, non est à Deo, quamuis ab ipso sit, quātū ad subiectum potētiæ peccandi: quā doctrinā fusius tradiderat *in 2. Sent. dist. 44 q. 1. art. 1. in corpore*, quæ sic accipienda est, quod potē tia peccandi quantū ad entitatē, actualitatē, & perfectionē, est a Deo, non autē quoad defectibilitatem, & imperfectionem, siué hæc ratio in priuatione, vel in negatione, vel in positiuo consistat, sicut distingui solet in actuali peccato. Quomodo autem stare possit, quod actualitas potentiæ peccandi sit à Deo, non autem ratio defectus, & defectibilitatis: & à quo huiusmodi ratio sit, non est nostrum in præsenti examinare. Videantur Discipuli D. Th. 1. 2. *q. 79. a. 1. & 2. & q. 71. art. 6.* vbi agitur de peccato commissionis, & ibi à Nobis satis fusè explicata est, defendēdo in aliquo positiuo peccatum commissionis consistere, & nihilominus quoad conceptum deformitatis, non terminare diuinam causalitatem.

352 *Respōderi potest secundo* Vel secundo responderi potest, loqui Damascenum de his, quæ ad perfectionem pertinent, & compatibilia sunt cum vnione humanitatis ad Verbum; potentia autem peccandi imperfectionem dicit; & aliàs vt proximè ad peccandum expedita, compati cum vnione ad Verbum non potest, vt manet probatum; & ideo Verbum non assumpsit potentiam, vt in actu primo proximè ad peccandum expeditam. Vel tertio explicari potest de his, quæ in nostra natura plantauit per positivum concursum; non autem de illis, quæ sunt à Deo partim positiuè, & partim negatiuè; potentia autem ad peccandum dupliciter sumitur: primo pro potentia remota, quæ in nullo alio consistit, quam in natura rationali, vt de se, & ex prædicatis intrinsecis nō repugnāte peccato: secundo pro potētia expedita: primo modo sumpta, adæquatè terminat Dei positiuum influxum: secundo autem modo sumpta, est à Deo partim positiuè, & partim negatiuè, nempè, vt non cōmunicante donū, peccatum impediēs; & sic quamuis potentia peccandi remota fuerit à Verbo assumpta, non tamen potentia proxima. *Respōderi potest tertio.*

353 *Ad confirmationem respōdetur* Ad confirmationem distinguo antecedens: ab intrinseco essentialiter, vel dimanatiuè, concedo antecedens: ab intrinseco inhæsiue, terminatiuè, nego antecedens, & distinguo consequens: ergo mansit ab intrinseco peccabilis: ly *ab intrinseco* excludente impeccabilitatem essentialem humanitati, vel ab illa dimanantem, concedo consequentiá: excludente impeccabilitatē ratione doni humanitati intrinseci, nego cōsequētiam: nam licet humanitas Verbo vnita non sit impeccabilis per sua prædica-

ta essentialia, nec ratione alicuius perfectionis dimanãtis ab humanitate; fuit tamen reddita impeccabilis intrinsecé; sed per subsistentiam Verbi illam intrinsece terminantis, & suppositantis, & intrinsecé moraliter illam sanctificantis.

354 *Prima antecedentis probatio soluitur.* Contra quam distinctionem nõ vrget prima antecedentis probatio: nam impeccabilitas Deo propria, est impeccabilitas ab intrinseco essentialiter conueniens; non vero impeccabilitas ex dono intrinseco gratiosé communicato; & hæc secunda, non prima est, quæ humanitati conuenit; atque adeò potuit illi conuenire, quamuis non fuerit translata in diuinam naturam. Et ex his ad *Secũda.* secundam antecedentis probationem cõstat solutio: nam impeccabilitas, quæ fuit humanitati communicata, non est proprietas naturæ diuinæ: nam est impeccabilitas ex dono ab extrinseco illi adueniente, licet aliquo modo intrinseco. Ratio autem cur omnipotentia, & æternitas non conueniant humanitati, etiam per communicationem ab extrinseco; benè tamen impeccabilitas est: nã ad illas perfectiones non est in humanitate capacitas; benè tamen ad impeccabilitatem, eo quod iste modus impeccabilitatis consistit in eo quod, vel per subsistentiam diuinam, vt humanitatem terminantem, vel vt illam sanctificantem impediatur potentia ad peccandum, ad quod impedimentum est in humanitate capacitas.

355 *Tertia.* Ad tertiam probationem antecedẽtis, nego sequelam. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: si in subiecto, cui communicatur sit capacitas ad omnem effectum formæ, concedo antecedens: si capax omnis effectus non sit, nego antecedens, & consequentiam: quia in natura irrationali non est capacitas ad impeccabilitatem, quam vnio ad Verbum præstare potest naturæ; etenim impeccabilitas dupliciter sumi potest: primo pro impeccabilitate proueniente ex imperfectione, nempé, ex carentia rationis, & hæc naturæ irrationali conuenit ratione sui; est enim incapax benè, & malé moraliter operandi, nec potest hæc impeccabilitas ab vnione præstari. Secundo pro impeccabilitate ex sanctitate, vel ex perfectione orta, quæ consistit in impotentia operandi malé moraliter; cum capacitate, & potentia ad rectam operationem; & huius, natura irrationalis capax non est; & ideo quamuis assumeretur à Verbo, vt potuit de potentia absoluta, non euaderet isto modo impeccabilis. Sicut licet vnio ad Verbum sit de se forma sanctificans, & de facto sanctificet humanitatem, non præberet naturæ irrationali sanctitatis effectum, & personalitas Verbi, quamuis personare possit, & vnita humanitati, illam reddat personatam, & cum illa constituat personam; vnita irrationali naturæ, illam personatam non redderet, sed solum suppositatam, nec cum illa personam, sed suppositum constitueret; & in sententia Scoti vnio personalis ad Verbum præstat humanitati debitum donorum gratiæ, & beatificæ fruitionis, quod debitum nõ præstaret irrationali naturæ; eo quod ad hoc debitum capacitas in illa non est.

356 *Totũ argumẽti instatur in sententia Scoti* Et quidem totum argumentum euidenter in sentẽtia Scoti instatur: vt enim fatetur Philippus Faber, licet humanitas Christi non fuerit impeccabilis ratione vnionis ad Verbum; fuit tamen, & est impeccabilis ratione fruitionis beatificæ, & hoc ex sententia Scoti: ergo humanitas Christi ratione fruitionis beatificæ est inexpedita in actu primo ad peccandũ. Patet consequentia: nã potentia in actu primo expedita, potest coniungi cum actu: ergo si humanitas Christi ratione fruitionis beatificæ, fuit impotens ad peccandum, non fuit ad peccandum in actu primo expedita. Tum sic argumentor: in humanitate Christi simul cum beatifica fruitione inuenitur, nedum essentia naturæ humanæ, sed etiam omnis humanitatis proprietas; & tamen simul cum beatifica fruitione non est potentia expedita in actu primo ad peccandum: ergo potentia expedita in actu primo ad peccandum, non est naturæ humanæ proprietas; & consequenter malé ex hoc principio probatur debere humanitati vnitæ competere. *Primo.*

Deinde: humanitas fruens Deo, est natura facta ex nihilo; & tamen potens proximé ad peccandum non est: ergo 357 *Secũdo.*

ex

ex eo quod humanitas Verbo hypostaticé vnita, sit natura facta ex nihilo, male infertur, esse in proxima potentia peccandi. Deniq; in humanitate Deo fruēte, sunt omnia, quæ Deus in natura humana plantauit; & tamen ex hoc non colligitur in illa, vt beatifica fruitione exornata, esse proximam potētiam peccandi: ergo pariter ex eo quod in humanitate Verbo hypostaticé vnita, sint omnia, quæ Deus in natura humana plantauit, perperam infertur in humanitate vnita, esse proximam potentiam, & in actu primo ad peccandum expeditam. Sicut ergo hæc omnia in humanitate saluantur simul cum visione beata, aut beatifica fruitione, nempé, esse creaturam non habentem esse à se, sed ex nihilo, & habere omnes proprietates humanæ naturæ, & omnia, quæ Deus in natura humana plantauit; quin ex illis colligatur potētia proximé expedita ad peccandum in humanitate beatifica fruitione gaudēte, sed tantū potentia remota, hoc est, posse quantū est de se peccare. Ita hæc omnia recte cohærent in humanitate Verbo hypostaticé vnita, quin ex illis colligatur potentia proxima ad peccandum, sed tantum potentia remota.

*Tertio*

358 *Insurges primo.* Si opponis primo: licet possit componi cum potentia remota ad aliquem actum, carentia potentiæ proximæ; nō tamen potest cum illa componi repugnantia proximæ potētiæ ad talem actu, v.c. licet possit cum rationalitate, quæ est potentia remota ad ridendum, componi carentia potentiæ ridendi proximæ, non tamen potest repugnantia potentiæ proximæ ad ridendum cum rationalitate conuenire; sed per Nos humanitati Verbo vnitæ conuenit potentia remota ad peccandum: ergo non potest illi repugnare proxima potentia peccandi; & consequenter potest humanitati vnitæ Verbo hypostaticé conuenire potentia proximé expedita ad peccandum. *Secūdo.* Secundo: nam humanitati vnitæ ratione sui, prout constitutæ in linea substantiæ, conuenit potentia remota ad peccandum: ergo ratione voluntatis, quæ in Nostra sententia est accidens à substantia realiter distinctum, & proximé operatiuum, aliquid aliud conuenit, quam potentia remota cōparatiué ad peccandum; sed hoc aliud superaddi tum nequit esse potentia remota; cum illam habeat ratione sui: ergo ratione voluntatis creatæ, quæ de facto secundum fidē in humanitate Christi inuenitur, conuenit humanitati vnitæ, potentia peccandi proxima.

359 *Tertio.* Tertio; nam, vt concedimus in tradita solutione, conuenit humanitati vnitæ potentia remota peccadi; & tamē de Verbo vt subsistente in humanitate non prædicatur huiusce modi potentia: ergo ex eo quod potentia proxima peccandi, conueniat humanitati vnitæ Verbo hypostaticé, non sequitur prædicari de Verbo, vt subsistente in humanitate; ac proinde malé §. 13. vltima nostræ conclusionis probatione arguebamus, ex eo quod Verbum vt subsistens in humanitate nequeat denominari a potentia proxima peccandi, talem potentiam non esse in humanitate vnita. Maior cū consequentia tenet. Minor autem probatur; Verbo ratione sui, aut Verbo prout in seipso, sicut repugnat proxima potentia ad peccandum: ita etiā repugnat remota; sed quia illi ratione sui, & in se ipso repugnat potentia proxima, nō potest etiam, vt in humanitate subsistens ab illa denominari: ergo pariter non potest, vt subsistens in humanitate denominari a potētia remota peccandi: vel si nō obstare, quod illi in se, & ratione sui potentia remota peccandi repugnat, potest subsistens in humanitate ab illa denominari, poterit etiam prout in humanitate subsistens, denominari à potentia proxima, & proximé expedita ad peccandum, quamuis illi repugnet, sumpto in se, & ratione sui.

360 *Respōd. ad primam.* Ad primam replicam respondeo, distinguendo maiorem: repugnantia potētiæ proximæ ex vi eiusdem principij, ex quo conuenit potentia remota, concedo maiorem: ex vi distincti principij conuenientis ab intrinseco, nego maiorem: & concessa minori, vel nego consequentiam, vel distinguo consequens distinctione maioris. Solum enim potest colligi, humanitati non repugnare proximam potentiam peccandi repugnantia orta ex illius entitate, ex qua prodenit potentia ad peccandum remota;

non autem, quod illi repugnare nō possit ratione subsistentiæ Verbi, quæ humanitati ab extrinseco communicatur; sicut etiam cui conuenit potentia remota, non potest ex eodem principio repugnare actus tali potentiæ respōdēs; benè tamen ex alio principio illi conueniente ab extrinseco; vt cōstat in humanitate Christi, cui repugnat actuale peccatum cum vnione compositum, ratione subsistentiæ Verbi, quamuis in illa ratione sui sit potentia remota peccandi.

361 *Ad secūdam.* Ad secundam, concesso antecedenti, & prima consequentia, & minori subsumpta, distinguo consequens: potentia proxima expedita per modum actus primi ad peccandum, nego consequentiam: impedita per modum actus primi, concedo consequentiam, & in hoc sensu negamus cōuenire humanitati Christi potētiam proximam peccandi, non quia illi non conueniat essentia potentiæ proximæ, quantum est de se elicitiuæ peccati, sed quia hæc potentia est in actu primo impedita; & ideo potentia remota dicitur, non quia sit operatiua tantum radicaliter, qualis est essentia animæ, sed quia licet quantum est de se sit potētia proximé defectibilis, est ad defectū impedita. Quod alijs terminis explicuit D. Tho. *in 3. dist. 12. q. 2. art. 2. in corpore*, docens, conuenire humanitati Christi voluntatem, quæ in alijs est potentia peccandi, in Christo autem potētia peccandi non est.

362 *Ad tertiam.* Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem: sicut enim de Christo, & de Verbo, vt subsistēte in humanitate prædicantur alia prædicata humanitati essentialia: ita prædicatur potentia remota peccandi. Ad illius probationē, concessa maiori, nego minorē. Ratio enim cur potentia proxima peccandi repugnet Verbo, vt in humanitate subsistenti, non est, quia repugnat Verbo in se ipso, sed quia repugnat Verbo, etiā vt in humanitate subsistenti. Ratio autem discriminis inter potentiam remotam, & proximam est: nam potentia remota est potentia impedita: nullum autem est inconueniens, quod Verbum, vt subsistēs in humanitate habeat ratione illius potentiam ad peccandum ab ipso Verbo impeditam; potentia autem proxima est potentia vndequaque in actu primo ad peccandum expedita; ac proinde proximé expeditē potenti ad operationē, non potest repugnare cum operatione coniungi, & quia maximum inconueniens censetur, quod Verbum, etiam vt subsistēs in humanitate possit cum peccato coniungi, debet etiam inconueniens censeri, quod prout sic subsistens, sit potens proximé peccare. Et quidem quod beatus habeat potentiam remotā peccandi, inconueniens non est, sed debet necessario concedi, quod autem habeat potentiam peccandi proximam, inconueniens censet Scotus: quamuis ergo inconueniens non censeatur, Christum ratione humanitatis habere potentiam ad peccādum remotam, quod habeat potentiam proximam debet inconueniens censeri.

363 *Secūdū argumētum.* Sed contra hucusque dicta arguitur secundo ex doctrina Scoti, & Durandi: humanitas Verbo vnita ex vi solius vnionis ad Verbum, non impeditur in actu primo ad peccandum: ergo in illa vt sic vnita secluſis donis accidentalibus gratiæ, & fruitionis beatificæ manet potentia ad peccandum in actu primo expedita. Consequentia tenet: nam expeditio potētiæ solum potest tolli per potentiæ impedimentum ex parte actus primi se tenens: ergo si humanitas vi solius vnionis ad Verbum non impeditur in actu primo ad peccandū, in illa prout sic vnita, inspecta tantum vnione manet potētia peccādi in actu primo expedita.

*Antecedēs probatur 1.* Antecedens autē ostenditur primo: nam humanitas ratione vnionis ad Verbum solum habet subsistere subsistētia Verbi, vt gerente vices subsistentiæ propriæ creatæ propter continentiam eminentialem illius; sed humanitas propria subsistentia subsistens, non esset impedita in actu primo ad peccandum: ergo vi solius vnionis ad Verbum non redditur ad peccandum in actu primo impedita.

*Secūdo.* Secundo: nam vnio humanitatis ad Verbum, & subsistentia, cui vnitur, non immutant modum intrinsecum operandi humanitatis; sed humanitas de se est indifferens in actu primo ad peccandum: ergo humanitas vnita est etiam in actu primo ad peccandum indifferens; & cō sequenter non impedita in actu primo

*Tertio.* ad peccandum. Tertio probatur: nam voluntas, quæ in sentētia Thomistarum est potentia realiter distincta ab anima, non vnitur subsistentiæ Verbi, nec per illam terminatur: ergo ex vi vnionis non redditur in actu primo impedita.

364 *Quarto.* Quarto: nam vnio humanitatis ad Verbum, & subsistentia, cui vnitur, non sunt principia operandi: ergo non immutant voluntatem in ratione operatiuæ; sed impedi e voluntatem in actu primo ad peccandum, est, illam immutare in ratione operatiuæ: ergo non impediunt voluntatem impedimento actus primi. *Vltimo.* Denique probatur argumento Durandi: nam si humanitas Christi esset impedita in actu primo ad peccandum, esset perfectior in operando humanitate existente in puro homine; sed humanitas ex vi vnionis non est in operando perfectior humanitate existente in puro homine: ergo non est impedita in actu primo ad peccandum. Consequentia tenet. Maior videtur certa: nā principium solius rectæ operationis, est in operando perfectius principio indifferēte operari benè, & malè; sed si humanitas ex vi vnionis est impedita in actu primo, est principium solius rectæ operationis: ergo est perfectior in ratione operatiuæ humanitate existente in puro homine, quæ indifferens est ad bonā, & malā operationē. Minor autē probatur: potentia, quæ non est perfectior alia in ratione actus primi, seu in essendo, non est eadem perfectior in ratione actus secundi, seu in operando: nam actus secundus supponit primum, & operari, supponit esse. sed humanitas Verbo vnita sine donis accidentalibus gratiæ, nō est perfectior humanitate puri hominis in ratione actus primi, aut in essendo; cum supponatur sine donis gratiæ existens; vnio autē, quæ in illa manet principium operandi non est: ergo humanitas sic vnita non est perfectior in operando humanitate existente in puro homine.

365 *Respondetur ad 1. probationem.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concessā maiori, & minori, nego consequentiam: nam licet subsistentia Verbi terminet humanitatem, & illam subsistentem constituat ratione continētiæ eminentialis subsistētiæ propriæ creatæ, cui non repugnat peccatum: quia tamen hoc non potest humanitati præstare, nisi vnita illi secundum suum esse formale, & subsistentiæ Verbi repugnat peccatum & etiam potentia peccandi; fit consequens, vt quamuis humanitas propria gaudens subsistentia, sit expedita in actu primo ad peccandum, terminata per subsistentiam Verbi in actu primo impediatur. Vel aliter potest primæ probationi occurri, distinguendo maiorem: solum habet subsistere subsistentia Verbi, vt gerente vices subsistentiæ creatæ, quoad id, quod perfectionis est in creata subsistentia, concedo minorem: quoad id, quod imperfectionis dicit subsistentia creata, nego maiorem: & concessa minori, nego cōsequentiam. Nam quod humanitas propria gaudens subsistentia, sit potens expedite ad peccandum, prouenit ex imperfectione subsistentiæ propriæ creatæ, cui ex eo quod finita est, non repugnat coniungi cum peccato, & cum potentia proxima ad illud; subsistētia autem Verbi gerit vices subsistentiæ creatæ quoad perfectionem, non autem quoad imperfectionem; & ideo ex eo quod humanitas propriæ subsistentiæ vnita, sit potens expedite ad peccandum, non sequitur vnitam subsistentiæ Verbi eadem expeditione gaudere.

*Secūdo responderi potest.*

366 *Ad 2. respōdetur* Ad secundā probationem, nego maiorem: nam modus intrinsecus operandi voluntatis, est cum indifferentia exercitij, & specificationis: licet autem subsistentia Verbi humanitati vnita non determinet humanitatem quoad exercitium, determinat illam quoad specificationem ad bonum; ac proinde immutat modum intrinsecū operandi humanitatis, impediendo indifferentiam quo ad specificationem, ad quod non requiritur, quod intrinsecé inhæreat, sed sufficit, quod intrinsecé terminet humanitatem, & illam intrinsecé compleat, prout est principium operandi.

*Ad tertiam.* Ad tertiam probationem dicatur: voluntatem, esto non terminetur à Verbo immediatè; terminari tamen, & sustentari mediatè, & hoc sufficere, vt in actu primo ad peccandum impediatur, eo quod subsistentiæ, cui mediatæ vni-

tur, & per quam in ratione principij operatiui completur, essentialiter repugnat peccatum.

367 *Ad quartam.* Ad quartam, distinguo antecedēs: non sunt principia vt QVO operādi, cōcedo antecedēs: vt complemēta principij QVO operatiui, & cōstituentia principium operans QVOD, nego antecedens: & consequentiam. Cum enim ad operationem cōcurrat, non solum principium QVO, sed etiam complementum illius & principium QVOD; fit cōsequens, vt subsistentia Verbi complēs humanitatem, prout est principium operativum, posit illam in ratione operatiuæ immutare, non positiue illam eleuando ad altiores operationes, nec illam determinādo, quoad exercitium, sed impediendo peccatum, & determinando quoad specificationem.

368 *Ad vltimam.* Ad vltimam antecedentis probationē sumptam ex doctrina Durandi, distinguo maiorē: esset humanitas Christi perfectior humanitate existente in puro homine, excessu virtutis operatiuæ, nego maiorem: excessu complemēti virtutis, concedo maiorem: & sub eadē distinctione minoris, nego cōsequētiam. Vt enim humanitas Christi ex vnione ad subsistentiā Verbi constituatur impeccabilis, non requiritur quod ratione vnionis, vel ratione subsistentiæ, cui vnitur, formaliter constituatur potentior ad operandum, aut quod eleuetur ad perfectiores operationes; sed quod impediatur ad operandū, ad quod sufficit, quod subsistentia Verbi, cui vnitur, & per quam ad operandum completur, sit perfectior subsistentia puri hominis, & quod illi peccatum repugnet. Nec probatio maioris obest distinctioni traditæ: nam licet principium, quod ex se, & ratione sui est determinatum ad rectam operationem, debeat esse perfectius in virtute operatiua, principio de se indifferenti ad benè, & malè operandum; principium tamen, quod non determinatur ratione suæ virtutis ad operationem rectam, sed ab extrinseco impeditur ad malam operationem, non est necessariū, quod excedat in virtute operatiua, sed sufficit, quod excedat in complemento virtutis, per quod ad peccandum impeditur.

*Probatio maioris nō obstat.*

## §. XV.

### *Argumenta contra secundam partem conclusionis diluuntur.*

DEINDE contra secundā partē conclusionis arguitur. Humanitas Verbo vnita posset omittere actum obedientiæ præceptum; sed omittendo peccaret: ergo esset potens peccare. Minor cū consequentia tenet. Maior autē probatur; posset Deus humanitati vnitæ, & ad actū obedientiæ obligatæ, negare auxiliū efficax ad actum obedientiæ: ergo posset humanitas Verbo vnita actū obedientiæ omittere. Consequentia tenet: nam negato auxilio efficaci, necessario sequitur negatio actus: ergo si posset Deus auxilium efficax ad actum obedientiæ negare, posset humanitas actum obedientiæ omittere. Antecedens autē probatur: nam auxiliū efficax ad actū obedientiæ, nō est essentialiter cōnexū cū vnione humanitatis ad Verbū, nec cum præcepto obligante, nec cū vnione, & præcepto; sed ea, quæ essentialiter cōnexa nō sunt, possunt nō coexistere, saltim de potētia absoluta: ergo supposito vnione humanitatis ad Verbū, & præcepto obligāte ad actū obediētiæ, posset Deus de potētia absoluta negare humanitati Verbo vnitæ, & ad actū obediētiæ obligatæ, auxiliū efficax ad actū obediētiæ eliciendū. Cōsequentia tenet.

359 *Cōt. 2. partē cōclusionis arguitur primo.*

Minor videtur certa: quia namque gloria corporis Christi non est cum gloria animæ essentialiter cōnexa, possunt de potentia absoluta vna sine alia existere, & de facto in Christo viatore gloria animæ sine gloria corporis extitit; & quia gratia in summo, & animæ beatitudo, quibus de facto fuit anima Christi ditata, non erant cum vnione ab Verbū essentialiter connexa, potuerunt de potentia absoluta, non conferri humanitati, in commui Theologorum sententia. Et quia natura rationalis nō est cōnexa cum potentijs essentialiter, potest de potentia absoluta existere sine illis:

370 *Minor probatur à paritate.*

ergo

ergo vniuersaliter verum est, quod ea, quæ non sunt essentialiter connexa, potest vnum existere sine alio de potentia absoluta. Maior autem probatur; actus ipse obedientiæ non est essentialiter cõnexus cum humanitate vnita, etiam adiuncto præcepto: ergo nec auxilium efficax ad talem actum est cum humanitate vnita, & præcepto obligata, connexum. Consequentia est bona, & antecedens probatur: nã vnio, & præceptũ se tenẽt ex parte actus primi respectũ actꝰ obediẽtiæ; sed actus liber nõ potest essentialiter cum actu primo connecti; cum petat procedere à principio indifferẽti ad actum, & negationem actus, quæ indifferentia non stat cum essentiali connexione cum actu, actui primo conuenienti: ergo actus obedientiæ non habet essentialem connexionem cum humanitate Verbo hypostaticé vnita, & ad actum obedientiæ obligata.

371 *Instatur argumẽtum.*

Hoc argumentum, non solum procedit contra impeccabilitatem humanitatis Christi ex vi vnionis, sed etiam ex vi beatitudinis, & beatificæ fruitionis: nam etiam beatifica visione suppositа, fuit humanitas Christi ad actum obedientiæ obligata, & auxilium ad actum obedientiæ est à beatifica visione distinctum, & cum illa non connexum essentialiter, si semel cum humanitate vnita, & ad obediendum obligata, connexum non est; ac proinde eodem modo militat contra impeccabilitatem Christi ratione beatitudinis, ac contra impeccabilitatem ratione vnionis ad Verbum.

*Respõdetur primo.*

Ad illud responderi potest primo, negando maiorem. Ad illius probationẽ, concesso antecedenti, distinguendo cõsequens: ergo posset humanitas Christi omittere actum obedientiæ omissione voluntaria, & culpabili, nego consequẽtiam: omissione involuntaria, & inculpabili, concedo consequentiam. Nam omissio non potest esse voluntaria sine actu voluntatis, qui sit causa, vel occasio illius, & qui sit peccaminosus ex ordine ad omissionem; licet autem Deus possit negare humanitati vnitæ, & obligatæ præcepto, de sua potentia absoluta, auxilium efficax ad actum præceptum, non tamen potest cum humanitate Verbo vnita, & obligata concurrere ad actum positivum voluntatis, qui sit causa, vel occasio omittendi; eo quod talis actus repugnat humanitati Verbo hypostaticé vnitæ; ac proinde quamuis dato casu, Deus negaret auxilium efficax ad actum præceptum humanitati, humanitas omitteret adimpletionem, meré passiué, non actiué, nec voluntariè; & consequenter non peccaret, non adimplendo præceptum.

372 *Hæc solutio est Salmanticensiũ.*

Ita occurrunt simili argumento cõtra impeccabilitatem Beatorum Docti Patres Salmãticẽses in suo Cursu Theologico *tom. 3. tract. 9. de Beatitudine disp. 4. num. 23.* monentes eodẽ modo esse argumẽto facto occurrendum, vt impeccabilitas Christi cum præcepto componatur. Ab hac tamen solutione recedendum censeo, primo: quia ad omissionem liberam, & voluntariam, nõ esse necessariũ actum positivum voluntatis, qui sit causa, vel occasio illius, est sententia inter Thomistas æqué; atque oppositа cõmunis, extra Scholam D. Tho. frequentior: illamq; probabiliorẽ, & magis menti D. Tho. conformẽ existimauimus 1. 2. *q. 71. art. 5.* ergo impeccabilitas beatorũ, & humanitatis Christi, simul cum obligatione præcepti positiui, alliganda non est sententiæ neganti possibilitatẽ puræ omissionis voluntariæ, & ad culpã imputabilis:

*Reiicitur 1.*

Deinde; nã ideo prædicti Patres mouentur, vt asserant, posse humanitatem Christi omittere negatiué, & posse Deum illi negare auxilium efficax ad actum adimplетivũ præcepti; quia tale auxiliũ non potest nexu indispensabili cum vnione ad Verbum, & obligatione præcepti connecti; & hoc ideo, quia tale auxilium est realiter ab vnione ad Verbum distinctum, & aliquid omnino posterius non habens secundũ se cõnexionem ex natura rei cum illa; & cõsequenter non est diuinæ potentiæ negandũ, quod possit ea separare; cum in hac separatione nulla appareat implicatio; at hæc ratio nulla est in eorundẽ Patrum principijs: ergo non est assẽrẽdum, posse humanitatem Verbo vnitã, & præcepto positiuo obligatam, omittere actum præceptum omissione involuntaria, ob negationem auxilij efficacis ad actum adimplетivum præcepti.

373 *Secũdo.*

Maior continet prædictorum Patrum doctrinam. Minorem probo: vt enim ipsi fatentur, Deus non potest concurrere cum beato, vel cum Christi humanitate ad actum positivum, qui sit causa, vel occasio omittendi, & idcirco non peccare omittendo actum præceptum, negato auxilio efficaci ad illud; sed admissa hac doctrina instatur prædicta ratio: ergo est nulla illorum principijs. Probo minorem: negatio concursus diuini ad actum positivum, qui sit causa, vel occasio omittendi, est quid realiter distinctum ab vnione humanitatis ad Verbum, et eriam illa posterior; & tamen præsuppositio præcepto, est indispensabiliter cum vnione humanitatis connexa, ita vt Deus non possit de sua potentia absoluta talem negationē ab vnione humanitatis obligata præcepto disiungere: ergo ex eo quod auxilium efficax ad actum adimpletivum præcepti sit realiter ab vnione humanitatis ad Verbum distinctum, illa posterius, nec ex natura sua cum prædicta vnione connexum, non sequitur, quod supposito præcepto nequeat, ita cum vnione ad Verbum connecti, vt Deus illa, de sua potentia absoluta separare non possit.

374 *Cōfirmatur.*

Quod amplius vrgeo, & confirmo in hunc modum: negatio concursus diuini ad materiale actus peccaminosi, quamuis sit realiter ab vnione ad Verbū distincta, & illa posterior, ideo est inseparabilis de potentia absoluta ab vnione præsuppositio præcepto: quia in hac præsuppositione, concursus Dei ad entitatem positiuam actus prohibiti, habet annexam malitiam positiuam repugnantē essentialiter humanitati Verbo hypostaticé vnitæ; sed etiam supposito præcepto præscribente actum positivum, negatio auxilij efficacis ad actum habet annexam malitiam omissiuam repugnantem essentialiter vnioni humanitatis ad Verbum: ergo quamuis auxilium efficax ad actum adimpletivum præcepti, sit realiter ab vnione ad Verbum distinctum, illa posterius, & ex se non connexum cum illa, potest præcepto supposito, taliter cum vnione connecti, vt Deus de sua potentia absoluta illa separare non possit, auxilium non conferendo.

375 *Explicatur, & vrgetur*

Explicatur, & vrgetur secūdo: Deus de se non minus indifferens est ad concurrendum, & non concurrendum ad materiale actus positiui prohibiti, quā ad auxiliandum, & non auxiliandum efficaciter ad actum præceptum; & tamen præcepto prohibente actum supposito, necessitatur ad non concurrendum cum humanitate vnita ad materialem entitatem actus prohibiti, ratione impeccabilitatis prouenientis ex vnione: ergo pariter præcepto positiuo supposito præcipiente aliquem actum, necesitabitur Deus ad præstandum efficax auxilium humanitati ad eum actū eliciendum ratione eiusdem impeccabilitatis. Et sicut reddendo pro ratione, vt necesitetur Deus ad negationē concursus ad materiale actus prohibiti: quia humanitas non potest ratione impeccabilitatis prædictum actum elicere, non committitur petitio principij: ita asserendo, Deum esse necessitatū ad præstandum efficax auxilium ad actum præceptum; quia humanitati repugnat omissio illius, eo quod est impeccabilis, principium non petitur, maximé cum impeccabilitas non probetur hac ratione, sed probata supponatur.

376 *Respōd. ad argumentum*

Et ex his ad argumentum respōdeo, negando maiorem. Ad illius probationem, distinguo antecedens: posset potentia antecedenti, & negatione auxilij sumpta præcisiué à præcepto, concedo antecedens: potentia consequenti, & negatione auxilij composita cum præcepto, nego antecedens, & distinguo cōsequens: posset omittere actum præceptum humanitas Verbo vnita, potentia antecedenti, & omissione sumpta negatiué, & præcisiué a præcepto, concedo consequentiam: posset omittere potentia consequenti, & omissione sūpta priuatiué, & compositiué cum præcepto, nego consequentiam. Itaque omissio actus præcepti consideratur dupliciter, nempé, vt negatio, qua ratione à præcepto actus præscindit, & vt priuatio, qualiter præceptum involuit: item potētia ad omittēdum est duplex, nempé, antecedens, quæ respicit omissionem secundum essentiam negatio-

nis;

nis; & consequens, quæ, quia est potentia practica completè, & ex nullo capite ad actum, vel omissionem actus impedita, terminatur ad omissionē actus, non solum secundum essentialia negationis, sed etiam secundum omnia, quæ hic, & nunc negationem actus circunstant, & tali omissioni conueniunt; & quia præcepto suppositò, est negationi actus adiuncta ratio priuationis moralis consistens in carentia actus debiti ex præcepto, potentia consequens ad prædictam omissionem, terminatur ad illā, etiam sub conceptu priuationis, & vt cōiuncta m cum præcepto.

377 *In humanitate fuit potentia antecedens ad moriendū, non consequens.*

Et ideo in humanitate Christi, præsuppositò præcepto, v.g. moriendi, nō mansit potentia consequens, hoc est, vndequaque expedita ad negationem mortis; aliàs esset potens peccare; mansit tamen potentia antecedens ad negatiōnem mortis, & ad negationem volū. tatis moriendi, terminata ad prædictas negationes secundum prædicata essentialia, & præscindendo ab his, quæ ex accidenti dictas negationes circunstāt, qualia sunt ratio priuationis moralis; & coniunctio cum præcepto; quæ potentia sufficit, vt humanitas libere adimpleat præceptum, quin ex hoc sequatur posse peccare: nam potentia ad peccandum est potentia ad negationem actus præcepti sub conceptu priuationis, & vt compositam cum præcepto. Sicut ergo in humanitate præsuppositò præcepto, est potentia antecedens ad negationem actus sumptam pure negatiuè, & cū præcisione à præcepto; nō autē potētia cōsequens ad prædictā negationē, vt cum præcepto compositam: ita ex parte Dei asserimus esse potentiam antecedentem ad negationem auxilij efficacis ad actum præceptum, vt à præcepto præcissum; non autem potentiam cōsequentem ad negationem auxilij, & compositam cum præcepto.

378 *Ad probationē maioris respondetur.*

Ad probationem maioris, quaten⁹ distinctioni traditæ obstare potest, dicatur, quod licet auxilium efficax non sit essentialiter connexum cum humanitate vnita, & obligata præcepto: quia ad hoc requirebatur, vt ex sua essentiali ratione præceptum, & vnionem suppo neret; præceptum tamen in humanitate vnita, sicut infert infallibiliter actum præceptum, ita etiam collationem auxilij efficacis ad illum; & sicut hæc infallibilis illatio actus in humanitate impeccabili, non tollit ab illa libertatem in eliciendo actus; quia cum impotentia consequenti ad omissionem actus saluatur potentia antecedens ad eius negationē: ita cum infallibili vnione præcepti cum collatione auxilij saluatur in Deo libertas in conferendo auxilium: quia licet non sit potens potentia consequenti ad negationem auxilij, est tamen potens ad non auxiliandum potentia antecedē ti. Nec exempla adducta in contrarium vrgent: nam gloria corporis, nec ex natura sua essentialiter gloriā animæ supponit, nec ex illa præsuppositā infallibiliter infertur: natura etiam cum suis proprietatibus infallibilem nexum non habet. Præceptum autem in voluntate impeccabili, sicut infallibiliter infert actum, quamuis actus secundum suam entitatem essentialiter præceptum nō petat: ita infallibiliter infert collationē auxilij, quamuis entitas auxilij, secundum suam essentiam, præceptum non præsupponat.

379 *Alia ratio discriminis*

Est insuper alia ratio discrīminis: nā gloria animæ, esto connaturaliter inferat gloriam corporis, & vnio humanitatis ad Verbum connaturaliter gloriam animæ petat, & essentia suas passiones, illorum tamen negatio peccatum non est, nec infert peccatum Deo aliqua ratione imputari; ex eo tamen, quod Deꝰ auxiliū debitū humanitati ad eliciendū actum præceptum negaret, sequeretur peccatum humanitatis Deo, vt speciali causæ attribuendum: tùm ratione regiminis, ad quod ex vnione ad Verbum teneri, *supra* monstrauimus. Tùm etiā, quia negans concursum debitum, non vt generalis causa permitteret, sed vt specialis in peccatum influeret; sicut si cōcursum indebitum ad materiale peccati exhiberet, non vt causa generalis, sed vt specialis in peccatum influeret Plura omittimus, quæ obstare possunt traditæ resolutioni. Tùm, quia militant contra impeccabilitatem Christi. Tùm etiam, quia fusè à Nobis discutientur *Tractatu de Merito Christi*.

380 *Obijcies*

Vna tamen superst obiectio; vt enim

in principio disput. aduertimus, loquimur in præsenti de humanitate Christi in puris naturalibus considerata, hoc est, sine donis gratiæ accidentalibus intrinsecé humanitatem Christi afficientibus; at humanitas Christi sic sumpta, non posset præceptū supernaturale adimplere, v.c. dilectionis Dei Auctoris supernaturalis super omnia: ergo humanitas sic sumpta, posset dilectionem omittere, & omittendo, peccare. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur. nam ad eliciendam supernaturalē dilectionem, necessaria est duplex gratia, nempé, sufficiens, & efficax, & vtraque supernaturalis quoad substantiam: ergo humanitas vnita, seclusis prædictis donis omitteret dilectionem.

381 *Respō.* Respondeo, humanitatem Christi Verbo hypostaticé vnitam, habere ex vi solius vnionis ad Verbum, quod ei repugnet essentialiter peccatum, non solum contra præcepta naturalia, sed etiā contra præcepta ordinis supernaturalis; his autem obligari non potest sine gratia sufficienti supernaturali: vnde dona gratiæ excluſimus, vt dantia impeccabilitatem, repugnantiamque cum peccato, eo quod illam sufficienter habet ex vi vnionis hypostaticæ, non autem vt fundātia obligationem. Implicat enim ex terminis obligari præceptis ordinis supernaturalis, & in puris naturalibus manere; & consequenter ex suppositione, quod Deus vellet humanitatē Christi obligare præceptis supernaturalib⁹, deberet supernaturalem gratiam conferre, vel ad minus offerre; hæc tamen gratia necessaria non est, vt humanitatē Christi impeccabilem constitueret, sed vt posset præceptis supernaturalibus obligari.

382 *Dices.* Sed dices, quod est necessarium ad non peccādum, dat impeccabilitatem; sed hæc duplex gratia supernaturalis, nē pé, sufficiens, & efficax necessaria est, vt humanitas Christi non peccet, supposito præcepto supernaturali: ergo præstat humanitati impeccabilitatem. Consequentia tenet. Maior videtur certa: nam sine eo, quod necessariū est ad non peccādum, impeccabilitas nequit subsistere; & cōsequenter, quod necessarium est ad nō peccādū præstat impeccabilitatē. Minor autē probatur, quod enim necessarium est ad præceptum implendum, necessarium est ad non peccandum, præcepto supposito; cum non peccare præsupposito præcepto, & instante, sit adimplere præceptum; sed gratia sufficiens, & efficax necessariæ sunt humanitati Christi ad præceptum implendum: ergo necessariæ sunt ad non peccandum.

383 *Respōd.* Respondeo, negando maiorem: nā actus ipse, quo præceptum adimpletur, necessarius est ad vitandum peccatum, præcepto supposito; & tamen nemo dixit, actum dare impeccabilitatem: illud ergo impeccabilitatem præstat, ratione cuius conuenit repugnantia in actu primo ad peccandum; gratia autem sufficiens, & efficax, quāuis necessariæ sint, vt vitetur peccatum, quia tamen non repugnant ratione sui eum potentia proxima in actu primo ad peccandum expedita; cum homini puro conueniant, in quo est potentia ad peccādum in actu primo expedita, non præstat impeccabilitatem humanitati vnitæ, sed illam habet ratione vnionis ad Verbum, à quo inexpedita redditur ad peccandum in actu primo, & ratione cuius illi repugnat peccare.

384 *Instab.* Instabis; non intelligitur humanitas impeccabilis, nisi sub debito negationis concursus indifferentis, & collationis auxilij efficacis ad actum adimpletivum præcepti; sed auxilium ad actum adimpletivum præcepti supernaturalis est supernaturale: ergo non intelligitur humanitas impeccabilis secluso omni dono supernaturali. *Respōd.* Respondeo, negando maiorem; licet enim negatio cōcursus indifferentis, & collatio auxilij efficacis ad actum adimpletivum præcepti necessariæ sint vt humanitas sit impeccabilis, non tamen ab illis impeccabilis constituitur; sed ideo auxilium necessario à Deo confertur, præcepto supposito, quia humanitati repugnat omissio peccaminosa, & ideo Deus non potest concursum indifferentem ad bonum, & malum parare, nec ad materiale peccati cum humanitate cōcurrere; quia illi ratione suppositi, in quo existit, repugnat actus peccati: vnde negatio

tio concursus indifferentis, & necessitas cōferēdi efficax auxilium ad actum præcepti adimpletiuum, non præstant, sed supponunt impeccabilitatem.

385 *Dices.* Si dicas: non intelligitur potentia proximè operatiua boni, nisi intelligatur paratus concursus ex parte Dei: ergo nec intelligetur potentia impeccabilis, nisi intelligatur negatio concursus indifferentis ad bonum, & malum. *Respōd.* Respondeo, prætermisso antecedenti, negando consequētiam. Nam, vt intelligatur potentia proxima ad actum, requiritur quod intelligantur omnia requisita ex parte actus primi, inter quæ ingreditur præparatio concursus causæ primæ adiuuantis causam secundam; vt autem potentia, impedita ad actum concipiatur, sufficit defectus cuiuscumque requisiti ex parte actus primi, & quodlibet impedimentum ex parte actus primi se tenens; & quia personalitas Verbi ratione sui impedit potentiam peccandi, intelligitur humanitas Christi impedita ad peccandum; & consequenter impeccabilis proximè eo ipso quod terminetur per subsistentiam Verbi, antequam intelligatur sub negatione concursus indifferētis. *Reijcitur quædā sentētia.* Quod, si animaduerti sent Recentiores quidam Theologi, non aserui sent per subsistentiam Verbi constitui humanitatem Christi impeccabilem radicaliter, & per negationem concursus indifferentis reddi impeccabilem proximè. Et quidem in eorundem sententia non intelligitur voluntas potens proximè ad actus supernaturales per solam gratiam inhærentem intrinsecè, nisi adiuncto concursu generali Dei in ordine gratiæ; & tamen, vt voluntas impotens proximè ad supernaturales actus concipiatur, sufficit concipi sine gratia eleuante: quia hæc ex parte voluntatis requiritur, vt dans, vel complēs posse in ordine ad illos actus; similiter homo non est potens complete ad actum naturalem volendi ratione solius voluntatis, nisi adiuncto cōcursu generali Dei; & tamen si voluntas auferatur ab homine, eo ipso intelligitur impotens proximè ad actum volendi: ergo pariter quāuis vt humanitas Christi sit potens bene operari, requiratur concursus Dei paratus ad bonū, vt intelligatur impotens, male operari, sufficiet intelligi sine subsistentia creata terminata per diuinam, cui repugnat defectuosa, & mala operatio.

386 *Arg. i. cūdo.* Secundo contra eandem partem cō clusionis arguitur; potuit Deus de potentia absoluta decernere assumere humanitatē, & illius vnionem conseruare vsque ad instans. *B.* v. c. sub conditione quod humanitas non peccaret in prædicto instanti, illamque, si humanitas peccaret, destruere; sed admisso hoc decreto, posset humanitas vnita peccare peccato destruente vnionem: ergo de potentia absoluta potest humanitas vnita peccare in sensu diuiso vnionis, peccato illam destruente. Consequentia est euidens. Minor constat: nam illo decreto admisso, humanitas vnita libere non peccaret in instanti. *B.* quandoquidem conseruaretur vnio sub conditione liberæ carentiæ peccati; sed non stat libera carentia peccati absque potentia expedita in actu primo ad peccandum: ergo illo decreto admisso, posset humanitas vnita in prædicto instāti peccare in sensu diuiso vnionis, peccato illam destruente. *Maior probatur 1.* Maior autem ostenditur primo: nam, quod Deus potest sua sola voluntate destruere, potest etiam destruere in pœnam peccati, vel sub conditione peccati; sed Deus potest humanitatem Verbo hypostaticè vnire, & vnionem humanitatis in instanti. *B.* destruere sua libera voluntate: ergo potest illā destruere in illo instanti in pœnam peccati, vel sub conditione peccati ab humanitate vnita commissi, & illam conseruare sub conditione liberæ carentiæ peccati conuenientis in prædicto instanti humanitati vnitæ; ac proinde totum hoc potest decernere.

387 *Secūdo.* Secundo probatur: potest enim Deus humanitatem Verbo hypostatice vnire, & decernere illius conseruationem vlq; ad instans. *B.* v. c. sub conditione boni operis ab humanitate in eodem instanti eliciendi: ergo etiam sub conditione liberæ carentiæ peccati. *Tertio.* Tertio: nam potest decernere vnionis conseruationem sub conditione actus boni existentis sub præcepto eliciendi ab humanitate in instanti conseruationis vnionis: ergo etiā sub conditione liberæ carentiæ peccati.

Deniq;

*Vltimo.* Denique eadem maior probatur: nã possibile fuit hoc decretum in Deo: volo vnire humanitatem Verbo sub cõditione, quod humanitas in instãti vnionis non peccet, quod si peccet, non vnire: ergo pariter decretum conseruandi vnionem humanitatis sub conditione, quod humanitas vnita non peccet, in instanti conseruationis vnionis, & illam destruendi sub conditione, quod peccet, possibile fuit in Deo. Consequẽtia tenet à paritate rationis. Antecedẽs autem probatur primo: quia in huiusmodi decreto nulla repugnantia, aut contradictio inuenitur: ergo possibile est. *Antecedens probatur 1.* Secundo: nam decretum assumendi humanitatem in instanti. *B.v.c.* sub conditione, quod humanitas non peccet in tempore antecedẽti, possibile fuit in Deo: ergo pariter decretum assumendi humanitatem sub conditione, quod humanitas non peccet in eodem reali instanti in quo assumenda statuitur, possibile fuit in Deo. *Secũdo.*

388 Tertio probatur: nam licet de facto humanitas non se disposuerit per actus proprios ad vnionem hypostaticam, potuit tamen de potentia absoluta, se ad illam per proprios actus disponere, illãque de congruo mereri per actus in eodem instanti elicitos, & solum præcedẽtes natura, de quo *supra q. 2. art 2.* & consequenter potuit vnio humanitatis ad Verbum fieri dependenter ab actib⁹ bonis humanitatis: ergo etiã potuit dependere à libera carentia peccati in eodem instanti conueniente humanitati; & consequenter potuit Deus decernere, vnire humanitatem Verbo sub conditione, quod humanitas non peccaret in instanti reali vnionis. *Tertio.* *Vltimo.* Denique idem antecedens probatur: si namque illud repugnaret decretũ, maximé quia peccatum, sub cuius conditione vnio efficienda non esset, attribueretur Verbo, quod implicat; at hoc inconueniens nõ sequitur: ergo nõ repugnat tale decretũ. Minor probatur: quod enim peccatum humanitatis vnitæ attribuatur Verbo, fundatur in vnione ad Verbum existente in instanti peccati, vel tempore immediate antecedenti; sed casu, in quo humanitas peccatum committeret, ob quod vnio impediretur, vnio realiter non existeret in instanti reali peccati; quando quidem impediebatur peccato, ne vnio produceretur, nec extitisset tempore immediate antecedenti ad instans existẽtiæ peccati, vt constat ex ipso decreto: ergo peccatum sub cuius conditione negatio vnionis decernitur, non attribueretur Verbo.

Hoc est argumentum, quo in substantia Recentiores vtuntur, vt probẽt, potuisse de potentia absoluta humanitatem Verbo hypostaticé vnitam peccare in sensu diuiso vnionis peccato illam destruente, cui iuxta nostra principia facili negotio occurritur, negando maiorem. Cum enim humanitas non possit in aliquo instanti operari, quin præintelligatur subsistens, & existens, vel saltim quin præintelligatur existens, & in sententia Thomistarũ humanitas Christi in instanti reali vnionis existat per existentiam Verbi, & nequeat de potentia absoluta non existere per illam, nec possit duplici subsistentia, aut duplici existentia simul existere; fit consequens, vt implicet in illo instanti peccare; aliàs cum existentia, & subsistentia diuina posset peccatum coniungere; ac proinde implicat decretum in Deo conseruãdi humanitatem sub conditione liberæ carentiæ peccati in eodem instanti, in quo vnio cõseruatur; cui enim in aliquo instanti essentialiter repugnat peccatũ, & potentia expedita peccandi, repugnat etiam libera carentia peccati, aut libere non peccare. Recolantur dicta *supra* §. 13. Ex quibus ad primã probationem maioris, distinguo maiorem: si peccatum non repugnet subiecto, concedo maiorem: si repugnet, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiã: nam humanitati vnitæ repugnat peccatum in instanti reali vnionis, & etiam potentia peccandi; ac proinde non potest à Deo decerni destructio vnionis in pœnam, vel sub conditione peccati ab humanitate commissi, nec potest conseruatio vnionis decerni sub conditione liberæ carentiæ peccati. Iuxta quam doctrinam.

389 *Respõdetur. 1.*

*Ad primã probationẽ maioris.*

Ad secundam probationem maioris, negandũ est antecedens. Cum enim iuxta hæc principia omnis operatio cõueniens humanitati Verbo hypostaticé

390 *Ad secũdam.*

vnitæ,

vnitæ, illam existentem supponat per diuinam existentiã; fit cõsequens, vt esse, aut nõ esse vnionis humanitatis ad Verbum, non possit ab operatione bona humanitatis Verbo vnitæ dependere. Et ex his ad tertiam probationem constat solutio. Ad quartam probationẽ maioris nego antecedens. Sicut enim omnis operatio humanitatis vnitæ essentialiter vnionem supponit: ita omnis libera carentia præsupponit humanitatem vnitam, & existentem per existentiam diuinam; ac proinde implicat decretum vniendi humanitatem Verbo sub conditione, quod humanitas vnienda, libere non peccet in instanti reali vnionis: nam ad hoc requirebatur, quod libera carẽtia peccati in instanti reali vnionis, conueniret humanitati pro priori signo naturæ vnionionẽ antecedente. Ex quibus constat ad primam antecedentis probationem. Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequẽtiam. Nam libera carentia peccati tempore antecedens vnionem, nõ repugnat, & ideò nõ implicat decretum assumendi humanitatem sub conditione liberæ carentiæ peccati existentis tempore immediate vnionem antecedente: repugnat autem libera carentia peccati tempore coexistens vnioni, & illam natura antecedẽs, & idcirco implicat decretum conditionatum vnionis sub conditione liberæ carẽtiæ peccati existentis in instanti reali vnionis, illamque prioritate naturæ antecedentis.

*Ad tertiam.* *Ad quartam.* *Ad primã antecedentis probationem.* *Ad secũdam.*

391 *Ad tertiã, & ad vltimã.*

Ex quibus ad tertiam probationem, negandum est antecedens cum communi Thomistarum, loco in argumento citato. Ad vltimam probationem, nego maiorem; sed ideò tale decretum repugnat, quia exigit, quod humanitas in instanti reali, in quo vnitur, sit expedita in actu primo ad peccatum, & ad liberam eius carentiam, quod implicat in nostris principijs; eo quod non potest humanitas esse, vel intelligi potens in actu primo operari, nisi præintellecta existens: & quia in instanti reali vnionis non potest per aliam existentiam existere, quã per existentiam diuinam, cum qua componi non potest peccatum, nec potentia peccandi; fit consequens, vt repugnet humanitatem vnitam in instanti reali vnionis expeditam esse in actu primo ad peccandum; & quia vt decernatur vnio sub conditione, quod humanitas vnita non peccet in instanti reali vnionis, necessarium est, vt humanitas sit expedita in actu primo ad peccandũ; hinc oritur, vt decretum illud implicet.

392

Hæc, vt dixi liquido, & clarissime fluunt ex principijs Thomistarum, iuxta quæ humanitas non potuit de potentia absoluta, se ad vnionem cum Verbo propriis actibus disponere, nec illam de congruo mereri per opera simul tempore existentia cum vnione humanitatis ad Verbum, & illam præcedentia ordine, & prioritate naturæ, in quo omnes Thomistæ cõueniunt *supra q. 2. art. 11.* nam licet aliqui illorum doceant, potuisse humanitatem mereri vnionem ad Verbum per opera simul tempore existentia. Hoc asserunt, quia potuit humanitas vniri personæ Patris, & in eodẽ instanti operari, & operibus ab ipsa, vt vnita Patri elicitis mereri vnionem ad Verbum, vel quia censent, potuisse vniri, huic Deo ratione existentiæ, & subsistentiæ absolutæ, & in eodem instanti operari, & operibus elicitis ab humanitate, vt vnita subsistentiæ absolutæ mereri vnionem ad Verbum, vel aliam ex personis diuinis; iuxta quos modos dicendi, & si posset humanitas se per proprios actus ad vnionem cum Verbo disponere de potentia absoluta, & illam de congruo, vel de condigno mereri per opera simul tempore existentia, & præcedentia ordine, & prioritate naturæ, non tamen potuit se ad illam disponere per liberam carentiam peccati, vel per talem carentiam vnionem cum Verbo mereri, quia supponitur existens per existentiam diuinam, cum qua repugnat potentia expedita in actu primo ad peccandũ; & consequenter repugnat liberam carentiam peccati in prædicto instanti existere.

393 *Respõdetur 2. ad principale argumentũ.*

Quia tamen sententia, quã propugnamus, communis est apud Theologos, ne illam nostris coarctem principijs, respondeo secundo, negando iterum minorem; vt enim decretum illud esset possibile, necessarium erat peccatum nõ repugnare humanitati Verbo hypostaticé vnitæ repugnantia antecedenti, hoc

est,

est, potentiâ peccandi. Huius autem repugnantiam monstrauimus §. 11. ex cõceptu summæ sanctitatis, de cuius ratione est summa distantia, & elongatio à peccato; & consequenter pugnare non solum cum peccato in se ipso, sed etiam cum potentia expedita ad peccandum, & §. 12. ex obligatione, quæ ex vnione resultauit in Verbo, quatenus Deo, gubernandi humanitatem vnitam; quam obligationem extendi, non solum ad vitandum peccatum cũ vnione ad Verbum compositum, sed etiam vnionem destruens, efficaciter monstrauimus, & cum hac obligatione non stare potentiam peccandi in humanitate assumpta ipsi aduersarij fatentur; ac tandem §. 13. eandem repugnantiam ostendimus: primo, ex eo quod humanitas existentia Verbi completur in actu primo, cum qua, vt sic complente, non compatitur potentia proximé ad peccandum expedita, Secundo; ex eo quod non potest humanitas Verbo vnita esse potens proximé peccare, quin Verbum, vt in illa subsistens, sit ad peccandum proximé expeditum, & potens: quam denominationem non posse Verbum subire aduersarij, contra quos disputamus, fatentur, & Nos demonstrauimus.

394 *Primæ probatio i maioris respõdetur.*

Contra quam doctrinam nõ obstat prima probatio maioris, quæ ad summum est vera in subiecto potente peccare: humanitas autem vnita potentiam proximam ad peccandum nõ habet ob rationes assignatas. Nec secunda: nam libera carentia peccati coexistens vnioni ad Verbum supponit potentiam peccandi, simul cum vnione coexistentem. Vnde, cum hæc coexistentia repugnet, implicat etiam libera carẽtia peccati in humanitate vnita; & consequenter implicat vnionem semel factam dependere in sui conseruatione à carentia libera peccati, etiam si concedatur, posse vnionem in sui conseruatione subijci operationi honestæ ab humanitate elicitæ in eodem instanti, in quo vnio cõseruatur. Et ex his ad tertiam probationem maioris constat solutio: nam libera adimpletio præcepti potest vnioni coexistere; secus autem libera carentia peccati: ac proinde ex eo quod illa posset prioritate naturæ conseruationem vnionis præcedere, non sequitur liberam carentiam peccati posse eadem præcedentia gaudere. Ratio autem discriminis est: nam ad liberam adimpletionẽ præcepti non requiritur potentia expedita ad peccandum, vt fatentur omnes Theologi, admittentes in Christo præceptũ: ad liberam autem carẽtiam peccati, necessario præsupponitur facultas proximé ad peccandum expedita, & quia ista nõ potest cum vnione coexistere; cõsequens fit, quod nec libera carentia peccati possit in vno, & eodem instãti cum vnione ad Verbum componi.

*Secũda.*

*Tertia.*

Ad quartam probationem maioris quidam Recentiores respondent, concesso antecedenti, negando consequentiam: & rationem discriminis reddunt: nam peccatum destruens vnionem supponit humanitatem vnitam Verbo; & consequenter debet supposito Verbi attribui: nam omnis operatio naturæ vnitæ supposito, illi attribuitur vt QVOD: peccatum autem impediens primã existentiam vnionis, cum nõ præsupponat naturam supposito vnitã, non petit supposito Verbi attribui, & ideò tale peccatum non implicat; & consequenter potest liberé decerni à Deo vnio humanitatis ad Verbum sub conditione liberæ carẽtiæ peccati in instanti reali vnionis.

395 *Quarta respõdẽt Recẽtiores.*

Hæc tamen doctrina non placet. Primo, quia iuxta illam, esto cum vnione ad Verbum, non componatur peccatũ, componitur tamen potentia ad peccandum expedita in eodem reali instanti, quod implicare monstrauimus.

*Reijcitur hæc solutio Primo.*

Deinde; nam peccatum destruens vnionem non potest supposito Verbi attribui, vt principio vt QVOD operanti: ergo si hac ratione nõ implicat in humanitate peccatum impediens vnionẽ; pariter nec implicabit, peccatum vnionem destruens. Consequentia tenet ex doctrina solutionis. Antecedens autem probatur: nam operatio elicita à supposito vt QVOD supponit naturam in eodem instanti existentem in supposito, aliàs non est cur supposito vt QVOD attribuatur; sed peccatum destruens vnionem humanitatis ad Verbum, esto vnionem præsupponat in tempore antecedenti, non tamen supponit illam, vt in eodem instanti existentem: nam in in-

396 *Secundo.*

stanti

ſtanti peccati deſtruentis vnionē ponitur, *non eſſe* vnionis; & cōſequenter implicat eiuſdē vnionis eſſe; aliàs ſimul in eodē inſtanti verificaretur, vnionem eſſe, & non eſſe: ergo peccatum vnionem deſtruens non poteſt ſuppoſito Verbi attribui, vt principio vt QVOD operanti.

397 *Secūdo alij reſpondent*

Secundo alij Recentiores, conceſſo etiam antecedenti, negant conſequentiam ob aliam rationem diſcriminis, nēpe, quia vnione iam præſuppoſita conſurgit in Verbo obligatio gubernandi humanitatem, & vitandi in illa peccatum, non ſolum cum vnione compoſitum, ſed etiam vnionem deſtruens; ac proinde ſi humanitas ſemel aſſumpta peccaret peccato deſtruente vnionem, hoc peccatum attribueretur Verbo, nō vt operanti vt QVOD ratione humanitatis, nec vt ſubſiſtenti in illa, ſed Verbo in ſe ipſo, & vt ſubſiſtēti in diuinitate attributione morali, quod implicat; & ideo implicat decretum conſeruandi humanitatem ſub conditione liberæ carentiæ peccanti, peccatum autem impediens primam exiſtentiam vnionis, non attribueretur Verbo, nec vt ſubſiſtenti in humanitate, tanquā principio QVOD phyſico, nec vt ſubſiſtenti in diuinitate tanquam principio morali, eo quod; cum vnio non ſupponatur, non eſt vnde in Verbo conſurgat obligatio impediendi illud peccatum; ac proinde non implicat decretum cōditionatum in Deo, vniendi humanitatem Verbo ſub conditione liberæ carentiæ peccati, & non vniendi illam Verbo ſub conditione, quod peccet.

398 *Reijcitur ſolutio.*

Sed nec placet iſta ſolutio. Nam licet probata repugnantia peccati in humanitate aſſumpta in ſenſu diuiſo vnionis, ſolū ex obligatione Verbi gubernandi humanitatē in ipſa vnione fūdata, & ex illa cōſurgente, cōſequēter illius Auctores procedant; in eo tamē nobis placere non poſſunt, quod in humanitate vnita ſimul cum vnione ad Verbum cō ponunt potentiam peccandi in actu primo expeditam in eodem reali inſtanti. Cuius contrarium oſtendimus. Tùm ex conceptu ſummæ ſanctitatis conuenientegratiæ vnionis; & conſequenter ſummæ à peccato diſtantiæ. Tùm etiam, ex eo quod potentia conueniens humanitati vnitæ in inſtanti reali vnionis, non poteſt non conuenire Verbo, vt ſubſiſtenti in illa; implicat autem Verbum, vt ſubſiſtens in humanitate eſſe potens expedite in actu primo ad peccandum; & conſequenter implicat potentia expedita peccandi in humanitate vnita cū vnione ad Verbum realiter in vno inſtāti coexiſtens.

399 *Reſp. d. ad quartam. ad 1. antecedentis probationē*

Vnde prætermiſsis his ſolutionibus. Ad vltimam probationem maioris reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius primam probationē, nego antecedens. Ratio autem implicationis eſt: nam vt decernatur vnio humanitatis ad Verbū ſub conditione, quod humanitas vnita in eodem inſtanti non peccet; debet in illo inſtanti eſſe humanitati libera carentia peccati, ad quod neceſſàrium eſt, quod in eodem inſtanti, in quo humanitas vnitur, ſit potens in actu primo potentia expedita ad peccandum, implicat autem realis coexiſtentia vnionis cum potentia in actu primo expedita; & conſequenter implicat decretum in Deo vniendi humanitatem Verbo ſub conditione, quod humanitas vnita in eodem inſtanti non peccet. Et ex his *Ad ſecūdam.* ad ſecundam probationem, conceſſo antecedēti, nego conſequentiam. Nam libera carentia peccati tempore antecedens vnionem, non implicat in humanitate vnienda; implicat autem libera carentia peccati conueniens humanitati in inſtanti reali vnionis; & ideo primum decretum non implicat; ſecundū autem implicationem involuit. Ad tertiam, prætermiſſo antecedenti, nego cō ſequentiam ob eandē rationem diſcriminis. Non enim repugnat coexiſtentia operationis liberæ honeſtæ cum vnione humanitatis ad Verbum; benē tamen coexiſtentia liberæ carentiæ peccati; & ideo etſi potuerit vnio in ſui prima exiſtentia dependere meritorie, vel diſpoſitiuē ab actionib⁹ honeſtis ſimul tempore exiſtente. Ad vltimam antecedētis probationem, nego maiorem. Sed quia illi deberet attribui potentia expedita peccandi, quod implicatoriū cenſemus, & probauimus §. 11. & 13.

*Ad tertiam.*

*Ad vltimam.*

400 *Dices.*

Sed dices; eo ipſo, quod humanitas propriis actibus ſe ad vnionem diſpo-

nat,

nat, vel illam de congruo mereatur, ſup ponitur pro priori ad vnionem potens proximé expeditè peccare; ſed eſt poſſibilis caſus, in quo ſe diſponat humanitas ad vnionem, illamque de congruo mereatur actibus ab ipſa elicitis, & ſimul tempore cū vnione exiſtentibus, vt admiſimus: ergo eſt in aliquo caſu poſſibilis potentia expedita peccandi conueniens humanitati ſimul tēpore cum vnione; & conſequenter non implicabit decretum vniendi humanitatem ad Verbum, ſub conditione liberæ carentiæ peccati exiſtentis in inſtanti realis vnionis. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur. Prima ex præmiſsis infertur. Minor ſupponitur. Et maior oſtenditur primo; eo ipſo, quod humanitas ſe diſponat ad vnionem, vel illā per proprios actus ſimul tēpore exiſtentes mereatur de congruo, vnio humanitatis ad Verbum, aut Verbum, vt humanitatem terminans, non ſe tenent ex parte actus primi in humanitate in ordine ad illos actus; aliàs principium meriti ſub merito caderet, ſed humanitas pro priori naturæ ad vnionem, & ad Verbum, cui vnitur, ſupponitur cōpletè conſtituta in actu primo effectiuo illorum actuum; ſed id, quod ex parte actus primi non ſe tenet, nec actum primū conſtituit, non poteſt impedire potentiam impedimento actus primi: ergo eo ipſo, quod humanitas ſe propriis actibus diſponat ad vnionem cum Verbo, & illam de congruo mereatur, ſupponitur pro priori ad vnionem potens expeditè peccare. Secundo probatur maior: nam effectus formalis formæ, non poteſt illam præcedere pro ſigno anteriori ad formam; ſed humanitas, vt conſtituta in actu primo in ordine ad actus diſponentes ad vnionem, præcedit vnionem natura: ergo in illo priori non poteſt ad peccandum ab vnione impediri. Patet conſequentia: nam humanitatem ad peccandum impediri, eſt effectus formalis vnionis: ergo ſi effectus formalis formæ non poteſt illam præcedere præcedentia, & prioritate naturæ, non poteſt humanitas impediri ad peccandum ab vnione pro prædicto ſigno naturæ.

*Minor probatur 1.*

*Secūdo.*

401 *Tertio.* Tertio eadem maior probatur: nam eo ipſo, quod humanitas ſe diſponat ad vnionem pro priori actus primi ad actū diſponentes ad vnionem, nondum intelligitur vnio: ergo pro illo priori non intelligitur ad peccandum impedita; & conſequenter intelligitur expedita ad peccandum pro priori ad alios actus. Prima conſequentia patet: quia non intellecta forma, à qua debet prouenire impedimentum, non poteſt impedimentum intelligi: ergo ſi pro illo priori non intelligitur vnio, non poteſt pro illo priori intelligi humanitas impedita ad peccandum. Secunda autem conſequentia probatur primo: nam humanitas de ſe eſt potens expedite peccare: ergo ſi pro priori actus primi non intelligitur impedita, intelligitur pro illo priori expedita. Secundo: nam inter eſſe expeditam, & impeditam per modum actus primi ad peccandum, non datur medium: ergo ſi pro illo priori non intelligitur impedita ad peccandum, intelligitur pro illo priori expedita.

*Secūda cōſequētia probatur 1.*

*Secūdo.*

Denique probatur maior: nam eo ipſo, quod humanitas ſe diſponat ad vnionem pro priori actus primi præcedentis actus ad vnionem diſponentes, debet Deus præparare cōcurſum indifferentem; ſed humanitas cum concurſu indifferenti eſt potens expedite peccare: ergo admiſſo, quod humanitas ſe diſponat ad vnionem, neceſſario eſt admittenda potentia ad peccandum in humanitate expedita. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur: nam humanitati, prout in actu primo conſtitutæ in ordine ad illos actus, debet Deus aliquo cōcurſu aſsiſtere; ſed nō cōcurſu determinato: ergo indifferēti. Minor probatur: concurſus determinatus ad bonum debetur humanitati ratione vnionis ad Verbum, & ratione ſanctitatis illi præſtitæ per gratiā vnionis; ſed pro illo priori nō intelligitur vnio, nec ſanctitas a gratia vnionis humanitati conueniens: ergo pro illo priori non debetur humanitati præpiratio concurſus ad bonum determinatè.

402 *Vltimo probatur maior.*

Reſpondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, conceſsis maiori, & minori, nego cōſequentiam. Nam ex eo quod vnio non ſe teneat ex parte actus primi reſpectu actuum diſponentium ad ipſam, ſolum ſequitur non impedi-

403 *Reſpōdetur ad 1. probationem.*

pedire positiué humanitatem pro illo signo, & priori; ex hoc tamen non colligitur humanitatem pro illo signo actus primi esse expeditam ad peccandum, sed in illo signo præscinditur ab impedimento, & expeditione. Cuius ratio est: nam signum illud est signum causalitatis: vnde solum importat ea, à quibus actus disponentes ad vnionem dependent, non autem dependent ab humanitate, vt impedita, nec vt expedita ad peccandum; atque adeò in illo signo actus primi, nec expedita, nec impedita intelligitur, sed ab impedimento, & expeditione præscindit.

*Ad secundam.* Et ex his ad secundam probationem constat solutio; fatemur namque vnionem pro signo sequente existentem, non impedire pro signo præcedenti naturæ, & pro illo priori actus primi, ex hoc tamen solum sequitur humanitatem pro illo signo actus primi non intelligi positiué ad peccandum impeditam; non autem infertur, intelligi pro illo signo ad peccandum expeditam, sed in illo signo præscindit.

404 *Ad tertiam.* Ex his etiam ad tertiam probationem, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego secundam, quæ subinfertur; vt enim diximus, pro illo signo, nec intelligitur impedita ad peccandum; quia non intelligitur vnio, nec intelligitur expedita realiter ad peccandum. Tùm, quia actus disponentes ad vnionem non dependent ab humanitate, vt expedita ad peccandum; cùm possint ab illa non expedita procedere; pro signo autem, vel priori naturæ solum intelliguntur ea, à quibus effectus dependet. Tùm etiam, quia licet pro illo signo non intelligatur vnio, non tamen intelligitur negatio realis vnionis; aliàs in eodem instanti esset vnio, & negatio vnionis simul: vnde sicut, quia non intelligitur vnio, non intelligitur humanitas pro illo signo impedita positiué: ita quia non intelligitur negatio realis vnionis, non intelligitur humanitas expedita, sed pro illo signo præscindit ab impedimento, & expeditione ad peccandum, sicut præscindit ab vnione, & negatione vnionis.

Nec obstat primæ consequentiæ probatio. Antecedens namque est falsum, nempé, humanitatem de se esse potentem expedite peccare; aliàs nunquam posset impedita ad peccandum constitui: nam oppositum illius, quod alicui per se conuenit, nunquam potest conuenire: humanitas ergo de se, hoc est, attentis suis prædicatis essentialibus, nec est expedita ad peccandum, nec impedita, sed præscindit ab vtroque; impeditur autem ad peccandum per donum conueniens illi ab extrinseco, & expeditur reali doni negatione; in statu autem præcisionis à dono impediente, & à negatione illius, nec intelligitur impedimentum, nec expeditio ad peccandum, sed ab vtroque præscinditur. 405 *Secundæ consequentiæ primæ probationi respond.*

Nec vrget secunda probatio: nam licet inter esse impeditum, & expeditum ad peccandum in reali instanti tẽporis, non detur medium; datur tamen inter intelligi impeditum, & expeditum pro aliquo signo naturæ, nempé, ab vtroque præcisio: quod patet in instanti iustificationis, in quo pro priori actus primi dispositionis ad gratiam, nec intelligitur homo in peccato; aliàs in eodem instanti existerent gratia, & peccatum, nec intelligitur non esse peccati; aliàs gratia habitualis non excluderet peccatum; sed in illo priori præscinditur, ab esse peccati, & non esse peccati. Sicut ergo in illo priori datur medium inter esse, & non esse peccati, sc licet, præcisio ab vtroque, quãuis in instanti reali non possit medium dari, inter esse, & non esse peccati: ita quamuis in instanti reali non detur medium inter esse humanitatem impeditam ad peccandum, & esse ad peccandum expeditam; datur tamen medium in signo, & priori naturæ; & sicut gratiam in instanti iustificationis existere, sufficit, vt pro signo actus primi nequeat, peccatum intelligi, quamuis non sufficiat, vt pro illo priori intelligatur, non esse peccati, ita vnionem humanitatis ad Verbum existere in reali institi sufficit, vt pro signo priori naturæ, non possit intelligi expeditio ad peccandum, quamuis non sufficiat, vt pro illo priori intelligatur huma- *Secũdæ.* *Instatur*

nitas ad peccandum impedita.

406 *Ad vltimã probationẽ maioris.* Ad vltimam probationem maioris, distinguo maiorem: concursum indifferentem indifferentia contradictionis, concedo maiorem: contrarietatis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam potentia expedita ad peccandum, requirit concursum indifferentem indifferentia contrarietatis: iste autem non debetur humanitati in signo actus primi respectu actuum disponentium ad vnionem: nam actus disponentes, concursum ita indifferentem non petunt, nam vt disponant ad vnionem hypostaticam, sufficit, esse liberos libertate contradictionis, ad quam libertatem sufficit, concursus Dei hac indifferẽtia gaudens. Ad probationem maioris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, concessa maiori, & minori, distinguo consequens, tradita distinctione: & cõcedo consequentiam de concursu indifferenti indifferentia contradictionis: nego autem consequentiam de concursu indifferenti indifferentia contrarietatis.

407 *Si opponas.* Nec obstat, si dicas, concursus debitus humanitati pro illo signo, non est determinatus ad bonum: ergo est indifferens ad bonum, & malum: nam concesso antecedenti, nego consequentiã: sicut enim humanitas pro illo signo, nec est expedita ad peccandum, nec positiué impedita, sed ab impedimento, & expeditione præscindens: ita concursus illi debitus pro signo actus primi actuum disponentium ad vnionem, est quidem indifferens indifferentia contradictionis: quia humanitas pro illo signo est in actu primo libera libertate contradictionis, non tamen est indifferens indifferentia contrarietatis, nec determinatus ad bonum, sed ab vtroque præscindens, eo quod actus ad vnionem disponentes, nec petunt concursum ad bonum determinatum, nec indifferentem ab bonum, & ad malum, sed solum indifferentem indifferentia contradictionis.

*Respõd.*

408 *Instabis* Sed dices: ergo si humanitas se disponeret ad vnionem hypostaticam per actus liberos libertate contrarietatis, deberet pro signo actus primi ad illos, esse paratus à Deo concursus ad bonum, & malum indifferens; & consequenter humanitas pro illo priori est ad peccandum expedita; at supposito, quod se possit ad vnionem disponere actibus honestis, non est cur non possit disponi per actus liberos libertate contrarietatis: ergo illa sententia supposita, admittenda est in humanitate vnita, potentia proximè expedita ad peccandum cum vnione ad Verbum in eodem instanti coexistens.

409 *Respod.* Respondeo, concedendo consequentiam, & negando minorem. Ratio autem implicationis est: nam vt actus liberi libertate contrarietatis disponant ad vnionem, & simul cum illa existant, debet in eodem reali instanti existere in humanitate potentia in actu primo ad peccandum expedita; hæc autem implicat in instanti reali.

Tùm, quia in illo instanti est impotens ab vnione; implicat autem in vno, & eodem instanti potentia, & impotentia ad peccandum, etiam pro diuersis signis, non minus, quam peccatum & carentia peccati. Tùm etiam, quia summa, & infinita sanctitas excludit potentiam peccandi, vt secum coexistentem in vno, & eodem instanti. Tùm denique, quia potentia ad peccandum existens realiter cum vnione, non potest non denominare Verbum, vt in illa subsistens, potens proximè peccare: quod implicat, vt supra §. 13. oltendimus, & Recentiores, cum quibus disputamus admittunt.

410 *Vrgebis primo.* Adhuc tamen contra dicta duplex manet difficultas. Prima: nam posse, & non posse peccare in eodem reali instanti pro diuersis signis naturæ non opponuntur, sed hoc tantum ex contrariorum positione colligitur: ergo nõ debet negari. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: tùm, quia sicut ad oppositionem requiritur identitas subiectiua: ita etiam identitas temporis; sed diuersa ratio virtualis ex parte subiecti tollit prædicatorum oppositionem: ergo diuersitas virtualis eiusdem realis instantis, qualis est diuersitas signorum naturæ, tollit etiam oppositionem.

*Maior probatur 1.*

Secundo

*Secũdo.* Secundo eadem maior probatur: nã eliciens amorem pro signo actus primi est potens ad non amandum; & tamen pro signo sequenti amoris, est ad non amandum impotens: ergo pariter posse, & non posse peccare in eodem reali instanti pro diuersis signis naturæ, scilicet, pro signo anteriori ad vnionem, & pro signo ipsius vnionis, oppositionem nõ habent.

411 *Vrgetur secũdo.* Secunda difficultas est: nam ex eo quod humanitas pro signo anteriori ad vnionem sit potens expedite peccare, non sequitur Verbum, prout in illa subsistens, esse potens ad peccandum: ergo malé probamus, non posse humanitatem vnitam pro illo signo esse ad peccandum expeditam, ex eo quod Verbũ, vt in illa subsistens, deberet denominari potens expedite peccare. Consequentia tenet. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem probatur primo. Nam prædicatum conueniens humanitati, vt præscindenti ab vnione, non potest enuntiari de Verbo, vt in illa subsistente, quod præsupponit, vel includit vnionem, vt intellectam; sed potentia expedita ad peccandum cõueniens humanitati pro signo actus primi ad actus disponentes ad vnionem, conueniret humanitati, vt præscindenti ab vnione: ergo ex eo quod humanitas pro signo anteriori ad vnionẽ esset, potens expedite peccare, nõ sequitur Verbum, vt in illa subsistens fore potens expedite ad peccandum.

*Secũdo.* Secundo probatur: nam actus disponentes ad vnionem insunt humanitati in instanti reali vnionis; & tamen, quia illi cõueniunt pro signo antecedente vnionem non prædicantur de Verbo, vt in illa subsistente; aliàs Verbum, vt in humanitate subsistens se ad vnionẽ humanitatis disponeret, quod implicat; cum in Verbo, vt subsistente in humanitate includatur vnio humanitatis ad Verbum: ergo pariter quamuis potentia peccandi conueniret humanitati in instanti reali vnionis, non sequitur potentiam peccandi debere prædicari de Verbo, vt subsistente in humanitate.

412 *Ad 1. instantiã respond.* Respondeo ad primam difficultatem, negando maiorem. Ad primam probationem, concessa maiori, & minori, nego suppositum consequentis, quod, nempe, diuersitas signorum naturæ sit diuersitas virtualis instantis. Itaque fateor, quod sicut diuersitas virtualis subiectiua sufficit, vt verificentur propositiones, quæ respectu eiusdẽ subiecti, nõ possunt verificari, ita diuersitas virtualis instãtis sufficiet: vnde in eodem instanti æternitatis propter diuersitatem solum virtualem, verificantur affirmatio, & negatio, v. c. *Petrus currit: Petrus non currit*, quæ contradictoriæ sunt verificantur in eodẽ instanti æternitatis, prout æquiualet, & respondet diuersis nostri temporis durationibus; cæterum diuersa signa naturæ, non multiplicant virtualiter instans, sed in vno, & eodem instanti identitate reali, & virtuali exercentur: vndé diuersitas signorum naturæ non sufficit, vt idem prædicatum affirmetur, & negetur; ac proinde non sufficit, vt de humanitate Christi affirmetur, & negetur potentia expedita in actu primo ad peccandum.

*Ad 1. pro bationẽ maioris.*

Ad secundam probationem, concessa maiori, nego minorem: amor namque non tollit potentiam ad non amandum conuenientem amanti pro signo actus primi ad amorem: nam hæc potentia non erat ad non amandum negatione amoris cum amore coniungenda, sed ad negationem amoris in sensu diuiso ab amore, quæ potentia sub amore perseuerat; & consequenter conuenit elicienti amorem, non solum pro signo actus primi, sed etiam pro signo eiusdem amoris.

413 *Ad 2. pro bationẽ respond.*

Ad secundam difficultatem respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem prætermissa maiori, nego minorem. Nam sola præcisio ab vnione, non sufficit, vt humanitati conueniat potentia expedita ad peccandum; sed ad id requiritur negatio realis vnionis, sicut sola præcisio à visione beatifica, non sufficit, vt beatus sit potens expedite peccare, & sola præcisio à qualitate physicé prædeterminante, non sufficit, vt saluetur potentia expedita ad oppositum actum, vel negationem actus, ad quem præmotio physica datur in sententia asserente, lædi, aut tolli libertatem per illam, & sicut sola præ-

414 *Ad 2 instãtiam respond. Ad primã antecedentis probationem.*

cisio à gratia iustificante pro signo aliquo, aut priori naturæ nō sufficit, vt pro illo signo peccatum intelligatur; vnde si potentia peccandi humanitati vnitæ conueniat, non conueniet illi, vt præscindenti ab vnione; & consequenter prædicabitur de Verbo, vt in illa subsistente.

Ad secundam antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem. Licet namque tales actus, quos prætermisimus possibiles disponentes ad vnionem, illamque de congruo merentes, non prædicentur de Verbo pro signo, & priori naturæ, quo disponunt ad vnionem, illamque moraliter causant, prædicantur tamen de Verbo, vt subsistente in humanitate in eodem instanti reali: vnde si actus charitatis esset, vere denominaret Verbum, vt subsistens in humanitate, Deum super omnia diligens. Nec sequitur Verbum, vt subsistens in humanitate se ad vnionem humanitatis disponere, aut illam de cōgruo mereri: nā ad hoc necessum erat, quod tales actus enuntiarentur de Verbo pro signo præcedenti naturæ, denominarent tamen Verbum merens merito infinito præmia ab vnione distincta, sicut actus vltimo disponentes ad gratiam in eodem reali instanti dignificantur ab illa, & sunt merita condigna gloriæ, nō tamen eiusdē gratiæ datæ in instanti iustificationis; quia pro priori, quo gratiam iustificantem præcedunt, non dignificantur ab illa.

415 *Ad 2. probationē antecedentis.*

## §. XVI.

### *Corollaria præcedentis doctrina.*

416 *Impotentia peccandi cō uenit humanitati, nō ex negatione cōcursus indifferentis, sed ratione vnionis ad Verbum.*

EX Dictis in discursu disputationis colligo primo: impotentiam peccandi conuenire humanitati ratione vnionis ad Verbum, nō ex negatione concursus indifferentis. Quod patet: nam ratione illius conuenit humanitati impotentia peccandi, ratione cuius illi primo repugnat peccare; sed id ratione cuius primo repugnat humanitati peccatum, non est negatio concursus indifferētis, sed vnio humanitatis ad Verbum: ergo ratione vnionis conuenit humanitati impotentia peccandi. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam ideo Deus non potest parare humanitati vnitæ concursum indifferentem ad bonum, & malum, quia illi, vt vnitæ Verbo repugnat peccatum: ergo id, ratione cuius humanitati primo repugnat peccatum, non est negatio concursus indifferentis, sed vnio humanitatis ad Verbum.

417 *Talis impotentia est physica philosophicè iuxta vltimā rationē.*

Colligo secundo: impotentiam peccandi conuenientē humanitati esse physicam philosophicé iuxta vltimam rationem, qua conclusionem monstrauimus, iuxta primam, & secundam rationē esse physicam Theologicé, non autē in hoc sensu moralem. Prima pars corollarij probatur: nam impotentia physica philosophicé est illa, quæ prouenit ex defectu alicuius principij physici, vel ex aliquo physicé in actu primo operationem impediente; sed subsistentia Verbi terminans humanitatē, ex qua vltimo impotentiam peccandi in humanitate monstrauimus, physicé illam terminat, & physicé ad operandum complet, & in actu primo physicé impedit operationem peccaminosam: ergo iuxta istum modum probandi impotentiā peccandi in humanitate Verbo vnita; consequenter est asserendum, impotentiam peccandi, esse physicam philosophicé.

418 *Iuxta alias rationes est physica Theologicè.*

Secunda pars corollarij probatur: nam iuxta primam rationem impotentia peccandi conuenit humanitati ratione summæ sanctitatis, & iuxta secundā ratione obligationis, quæ est in Verbo gubernandi humanitatem; sed impotentia operandi ex his principijs consurgens, quamuis non sit physica philosophicé, est tamen Theologicé physica: ergo iuxta primam, & secundam rationem impotentia peccandi humanitati conueniens, quamuis non sit philosophicé physica, est tamen physica Theologi-

logicé. Minor pro prima parte constat: nam impotentia philosophicé physica, debet prouenire ex aliquo physico physicé impediente actum; sed sanctificatio humanitatis à Verbo, non est physica, sed moralis, obligatio etiam Verbi gubernandi humanitatem non est aliquid physicum, sed morale: ergo impotentia ex his principijs consurgens, non est physica philosophicé.

419 *Nunquã debet dici impotentia Theologicè moralis.*

Deinde pro secunda parte probatur: nam id dicitur in sensu Theologico moraliter impossibile, quod adeò difficile est, vt nunquam sit euenturum; quod autem eueniat, non implicat. Sic Victoria grauis tentationis dicitur sine speciali gratia impossibilis 1. 2. *quæstione* 109 *artic.* 2. quia nempé, nunquam sine gratia obtinebitur, non tamen implicat sine gratia obtineri; sed impotentia peccandi in humanitate assumpta, est cum repugnantia essentiali, ita vt implicet ad actum peccati reduci, vt probauimus: ergo non est impotentia moralis in sensu Theologico, sed in sensu Theologico est physica, esto illi competat ratione sanctificationis à Verbo, & ratione obligationis gubernandi humanitatem, quæ sunt aliquid morale.

420 *Humanitas Verbo vnita, nõ fuit præuisa à Deo in statu cõditionato, cum peccato actuali coniuncta, nec præuideri potuit. Probatur.*

Colligo tertio: humanitatem vnitam Verbo hypostaticé, non fuisse præuisam à Deo in statu conditionato cum peccato actuali coniunctam, nec potuisse sic præuideri. Contrarium docuit Lorca *disput.* 57. *membro* 2. *numero* 20. eo quod Deus per scientiam conditionatam vidit plures cogitationes, & occasiones, sub quibus si humana Christi voluntas poneretur, existens in proprio supposito, peccaret: ergo vidit Deus per eandem scientiam, quod si eadem humanitas existens in Verbo, poneretur (per possibile, vel impossibile) sub eisdem occasionibus, & cogitationibus, peccaret. Nostrum autem corollarium cõmune debet esse Nostræ sententiæ Auctoribus, & probatur: nam actus essentialiter repugnans subiecto, nec absolutè, nec sub aliqua conditione potest illi conuenire; sed humanitati vnitæ essentialiter repugnat peccatũ: ergo non potest cum illa coniungi, nec absolutè, nec conditionatè; & consequenter implicat humanitatem vnitam præuideri à Deo cum actuali peccato coniunctam in statu conditionato.

421 *Respondet Lorca.*

Respondet Lorca: peccatum actuale repugnare humanitati vnitæ, non ratione vnionis, sed ratione obligationis, quæ est in Verbo, quatenus Deo, gubernandi humanitatem: vnde si præuideatur humanitas Verbo vnita, sub occasione aliqua destituta prædicta gubernatione, & posita sub cogitatione indifferenti, poterit sub his conditionibus cognosci cum peccato coniuncta.

422 *Contra 1*

Sed contra primo: vt enim fusè monstrauimus, repugnantia cum peccato actuali conuenit humanitati ratione vnionis ad Verbum: ergo implicat, quod humanitas vnita Verbo cognoscatur à Deo in statu conditionato coniuncta cum peccato actuali. *Secundo.* Secundo: vt enim fatetur Lorca *disput. vbi supra numero* 23 vnio hypostatica physicé cum peccato habituali pugnat; sed cui repugnat peccatum habituale, non potest non repugnare peccatum actuale: ergo vnio hypostatica ratione sui pugnat physicé cum vtroque peccato. Probatur minor: peccatum habituale est essentialiter cum actuali coniunctum, tanquam terminus illius: ergo, cui physicé, & essentialiter immediatè repugnat peccatum habituale, non potest non repugnare essentialiter, & physicé, saltim mediatè peccatum actuale.

423 *Tertio.*

Tertio: implicat humanitatem Verbo hypostaticé vnitam cognosci in statu conditionato coniuncta cum peccato actuali, quin in eodem statu conditionato cognoscatur cum habituali cõiuncta; sed implicat videri humanitatem vnitam in statu conditionato cum habituali peccato coniunctam: ergo implicat etiam cognosci cõiunctam cum actuali sub aliqua conditione. Consequẽtia tenet. Maior constat: nam habituale peccatum est essentialiter cum actuali connexum: ergo implicat, absolutè, vel conditionatè cognosci humanitatem vnitam actualiter peccantem, & non cognosci absolutè, vel conditionatè sub peccato habituali. Minor autẽ pro-

batur: nam ideo, iuxta Lorcam, non implicat humanitatem vnitam cognosci sub peccato actuali in statu conditionato: quia vnio non pugnat physicé cum peccato actuali; sed pugnat physice vnio cum habituali, vt ipse Lorca fatetur: ergo implicat, quod humanitas vnita cognoscatur à Deo in statu conditionato sub peccato habituali.

424 *Quarto.* Quarto reijcitur: vt enim docet Lorca *vb. proximè concluſ 3.* vnio hypostatica pugnat moraliter cum peccato actuali, adeò vt per potentiam Dei absolutam non possit cum illo esse; sed si vnio physicé pugnaret cũ peccato actuali, non posset humanitas vnita Verbo cognosci actualiter peccans in statu conditionato; quia ratione physicæ oppositionis implicat vtrumque coniungi: ergo idem dicendum est, quamuis vnio, non physicé, sed moraliter pugnet cum actuali peccato.

425 *Quinto.* Denique reijcitur: nõ enim est possibile futurum conditionatum sub conditione repugnante subiecto in statu absoluto; sed conditio, sub qua humanitas vnita peccaret; repugnat humanitati assumptæ in statu absoluto: ergo non est possibile peccatum sub conditione futurum in humanitate assumpta; & consequenter implicat cognosci per scientiam conditionatam, peccantem, vel cũ peccato actuali coniunctam in statu cõditionato. Consequentia tenet. Minor est certa: si namque conditio, sub qua humanitas vnita peccaret in statu conditionato, non repugnat illi in statu absoluto, posset conditio purificari; & cõsequenter posset humanitas Verbo vnita præuideri, peccans in statu absoluto; conditionatum namque transit in absolutum purificata conditione; & consequenter si est possibilis purificatio conditionis in statu absoluto, est possibilis transitus futuri de conditionato in absolutum. Maior autem non minus manifesta videtur: nam licet futurum conditionatum non exigat existentiam absolutam conditionis; petit tamen necessario illius possibilitatem in subiecto, cui conuenit futurum conditionatum, vel de quo aliquod futurum sub conditione enuntiatur; aliàs non posset futurum habere connexionem cum conditione: nam cum impossibili, repugnat aliquid tanquam cum causa connecti; sed eo ipso, quod conditio implicet in aliquo subiecto in statu absoluto, est tali subiecto impossibilis: ergo implicat futurum sub conditione repugnante subiecto in statu absoluto.

Et ex his ad fundamentum Lorcæ constat solutio, concesso antecedenti, negando suppositum cõsequentis: nam hoc coniunctũ, nẽpé: *Humanitas verbo vnita, sub occasionibus, sub quibus humanitas puri hominis præuidetur, & conditionibus, sub quibus purus homo peccans præuidetur*, est implicatorium in terminis: nam vna ex conditionibus, vt humanitas puri hominis præuideatur peccans, est, quod sit expedita ad peccandum, sub qua expeditione implicat præuideri humanitatem vnitam.

426 *Ad fundamẽ. M. Lorcæ resp. primo.*

Vel secundo respondetur, etiam si humanitas vnita præuideri posset sub cogitatione indifferenti, & sub alijs occasionib⁹, in quibus humanitas in proprio supposito existens, præuideretur peccans in statu conditionato, nõ posse præuideri humanitatem vnitam in prædicto statu peccantem: nam licet quantum est ex parte occasionum, & ex parte cogitationis, non repugnaret peccatum; repugnaret tamen aliunde, nẽpé, vel ratione summæ sanctitatis, vel ratione gubernationis specialis, vel ratione terminationis per subsistentiam Verbi, cui repugnat ad peccatum cum humanitate concurrere.

427 *Secunda respond.*

Sed dices: ratione gubernationis à Verbo debitæ humanitati vnitæ, nõ potest repugnare, quod humanitas vnita præuideatur peccans in statu conditionato; sed iuxta Lorcam, quem alij plures sequuntur, repugnantia peccati actualis in humanitate vnita, nõ oritur ex sanctificatione humanitatis à Verbo, nec ex terminatione per subsistentiam Verbi, cui repugnat in peccatum influere, sed tantum ex gubernatione speciali à Verbo debita humanitati: ergo saltim iuxta hanc sentẽtiam non repugnabit, quod humanitas Verbo vnita cognoscatur à Deo per scientiam conditionatam pe cãs peccato actuali. Cõsequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: nam gubernatio specia-

428 *Instabis*

lis

lis à Verbo debita humanitati vnitæ nō ingreditur ſtatum conditionatum; ſed ratione alicuius non ingredientis in ſtatu conditionato, non poteſt repugnare in tali ſtatu peccatum: ergo ratione gubernationis ſpecialis debitæ humanitati vnitæ, nō poteſt repugnare, quod præuideatur, peccans in ſtatu cōditionato.

429 *Cōfirmatur.*

Confirmatur: nam in ſententia ſuppoſita, hæc conditionalis eſt vera: *Si humanitati vnitæ non deberetur ſpecialis gubernatio à Verbo, poſſet peccare:* ergo hæc eſſet poſsibiliter vera: *Si humanitas Verbo vnita poneretur in hac, vel illa occaſione ſine debito ſpecialis gubernationis, peccaret.* At hæc ſecunda propoſitio eſt de peccato, vt futuro ſub conditione: ergo eſt poſsibiliter vera propoſitio enuntians de humanitate vnita peccatum in ſtatu conditionato; & conſequenter poteſt cognoſci humanitas Verbo vnita per ſcientiam conditionatam peccans in prædicto ſtatu. Secunda, & tertia conſequentia non indigent probatione. Minor ex terminis conſtat. Antecedens primum patet: nā in ſententia ſuppoſita, quod humanitas Verbo vnita non poſsit peccare, prouenit ex eo quod illi debetur ſpecialis gubernatio Verbi: ergo verum eſt, aſſerere, quod ſi illi non deberetur, poſſet peccare, ſicut quia Spiritum Sanctum procedere à Filio, eſt ratio diſtinctionis ab illo: hæc propoſitio: *Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, non diſtingueretur ab illo*, eſt vera, vt cum D. Th. 1. *p. quæſt.* 35. contra Scotum docuim⁹. Prima autem conſequentia probatur: nam illa propoſitio eſt poſsibiliter vera, in qua excluditur omnis repugnantia prædicati, quod de ſubiecto enuntiatur; ſed in hac propoſitione: *Si humanitas Verbo vnita conſtituatur in hac, vel illa occaſione ſine debito ſpecialis gubernationis à Verbo*, excluditur debitum gubernationis ſpecialis, quod debitum eſt vnica cauſa repugnantiæ peccati: ergo illa propoſitio eſt poſsibiliter vera.

430 *Ad rationē reſpōdetur 1.*

Reſpondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, diſtinguo maiorē: non ingreditur, vt debita, nego maiorem: formaliter in ſe ipſa, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Cum enim ſtatum conditionatum ingrediatur humanitas Verbo vnita, vt ſubiectum, & ratione vnionis ad Verbum debeatur humanitati ſpecialis gubernatio à Verbo, quamuis hæc ſpecialis gubernatio non ingrediatur ſtatum cōditionatum formaliter; ingreditur tamen debitum illius, cum quo non ſtat humanitatem vnitam coniungi in illo ſtatu cum peccato actuali.

431 *Reſpōd. ſecundo*

Vel ſecundo reſpondeo ad probationem maioris, diſtinguendo maiorē: non ingreditur, vt negata ex parte conditionis, nego maiorem: vt affirmata, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Vt enim humanitas præuideatur actu peccans in ſtatu cōditionato, neceſſum eſt, quod ex parte conditionis ingrediatur negatio ſpecialis gubernationis à Verbo, v. c. aſſerendo: *Si humanitas Verbo vnita in hac, vel illa occaſione ponatur, & non gubernetur ſpecialiter à Verbo, peccabit.* Hæc autē negatio implicat contradictionem, vt fatetur Lorca; aliàs poſſet humanitas Verbo vnita in ſtatu abſoluto peccare, cuius contrarium ab iſto Auctore docetur; & conſequenter implicat, quod humanitas vnita, præuideatur peccans in ſtatu conditionato. Nā ad veritatem futuri conditionati, etſi nō ſit neceſſaria exiſtentia conditionis, eſt tamen neceſſariū, quod non implicet conditio, ſub qua enuntiatur futurum.

432 *Ad confirmationē.*

Ad confirmationē, cōcedo antecedenti, diſtinguo conſequens: eſt poſsibiliter vera illa propoſitio accepta, vt conditionalis, concedo conſequentiā: accepta, vt conditionata, vel vt propoſitio de futuro conditionato, nego conſequentiā: ex quo non ſequitur, poſſe humanitatē vnitam præuideri peccantē in ſtatu conditionato, quia ad hoc neceſſarium erat, quod prædicta propoſitio eſſet poſsibiliter vera in ſenſu conditionato. Ratio autē diſtinctionis traditæ eſt: nam ad veritatem propoſitionis conditionalis ſolum exigitur, quod ſit bona conſequentia, ſiuē conditio poſsibilis ſit, ſiuē ſit impoſsibilis: vnde hæc propoſitio eſt vera, & neceſſaria: *ſi homo volat, habet alas*; quamuis conditio repugnet. Hæc etiam: *ſi Spiritus San-*

*Differentia inter propoſitionē cōditionalem, & de futuro conditionato.*

*tus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo*: iuxta D. Thom. vt conditionalis est vera, quamuis implicet cõditio, nempé, quod Spiritus Sanctus à Filio non procedat. Ad veritatem autẽ propositionis de futuro conditionato, nec sufficit, nec requiritur, quod sit bona consequentia, sed quod conditionatum sit futurum sub cõditione, sub qua enuntiatur futurũ, ad quod necessarium est, quod cum conditione, vt futurum connectatur, & à conditione aliquo modo causetur, & quia futuritio euentus, non potest cum conditione implicante, tanquam cum causa cõnecti, ad veritatem propositionis de futuro conditionato, licet necessaria non sit existentia conditionis, est tamen necessarium, quod nõ implicet conditio.

433 Ex quibus aperte colligitur, hanc propositionem: *Si humanitas Verbo vnita in hac, vel illa occasione ponatur, sine debito specialis gubernationis à Verbo, peccabit*: esse possibiliter veram in sensu conditionali, suppositio, quod solum ex illo debito proueniat impeccabilitas humanitatis vnitæ, quia tantum valet, ac ista: *Si humanitati vnitæ non deberetur specialis gubernatio, posset peccare*; quæ vera est in sensu conditionali, suppositio, quod adæquata ratio impeccabilitatis in humanitate assumpta sit debitum specialis gubernationis, quia est bona consequentia, & aliàs illius veritati, sic sumptæ, non obstat impossibilitas conditionis; si autem prædicta propositio accipiatur in sensu conditionato, nõ est possibiliter vera: quia negatio debiti gubernationis, quæ ingreditur conditionem, est omnino implicatoria. Ad veritatem autem propositionis de futuro conditionato, necessaria est possibilitas conditionis.

434 *Quartũ corollarium etiamsi humanitas Verbo vnita, traxisset originẽ ex Adamo per seminalem propagationẽ, non contraxisset, nec contrahere potuisset peccatum originale.*

Quarto infertur, quod etiam si humanitas Verbo vnita traxisset originẽ ex Adamo per seminalem propagationem, non contraxisset, nec contrahere potuisset peccatum originale; de facto tamen humanitas Christi non descendit ab Adamo per seminalem propagationem, nec fuit in illo secundum seminalem rationem, sed secundum corpulentam substantiam, vt ex Augustino docet D. Thom. *in hac quæst. art. 1. ad 2. & infra q. 31. art. 1 ad 3.* quia illius cõceptio non fuit medio semine virili, sed virtute Spiritus Sancti actiué concurrente, & Beatissima Virgine materiam ministrante, & quia materia à Virgine ministrata ex Adamo sumpta fuit, dicitur Christus fuisse in Adamo secũdum corpulentam substantiam: quia tamen cõceptio Christi humana, non fuit medio semine virili facta, sed virtute Spiritus Sancti, dicitur non fuisse in Adamo secundum seminalem rationem; potuit tamen de potentia absoluta humanitas Christi formari medio semine virili, & in eodem instanti cum Diuino Verbo vniri; cum in hoc nulla sit implicatio. Asserimus ergo, & ex dictis inferimus, quod etiam si sic formaretur, dummodo in eodem instanti Diuino Verbo vniretur, nõ contraxisset, nec contrahere posset peccatum originale, in quo debẽt cõuenire nostræ sententiæ Auctores.

435 *Probatur.* Et patet manifesta ratione; vt enim peccatum originale contrahatur in instanti generationis, oportet, quod in illo instanti non sit forma cum peccato originali essentialiter incompossibilis; sed quamuis humanitas Christi formaretur medio semine virili; & consequẽter traxisset ex Adamo originem secundum seminalem rationem, dummodo in eodem instanti, Diuino Verbo vniretur, esset in instanti generationis Christi forma incompatibilis cum peccato originali: ergo non contraheret, nec contrahere posset peccatum originale, adhuc in prædicta hypotesi. Consequentia tenet. Maior constat: non enim possunt in vno, eodemque instanti esse simul peccatum originale, & forma cum illo essentialiter opposita; sed peccatũ originale contrahitur in instanti generationis: ergo vt contrahatur oportet, quod in instanti generationis non sit forma cum illo essentialiter incompatibilis.

435 Hinc Auctores piæ opinionis eximentis Beatissimam Virginem ab originali peccato, asserunt in eodem instanti fuisse præuentam per habitualem gratiam, cum qua peccatum originale nõ potest simul existere: hinc etiam si aliquis ex posteris Adami in instanti generationis Deum super omnia diligeret,

non contraheret peccatum originale, ſuppoſito, quod dilectio Dei ſuper omnia habeat oppoſitionem directam, vel indirectam cum originali peccato. Minor etiam patet ex dictis: nam gratia ſubſtantialis vnionis pugnat eſſentialiter cum peccato originali, non minus quam cum peccato graui perſonali; ſed hæc gratia communicata fuiſſet humanitati Chriſti in ipſo generationis, & formationis inſtanti, vt ſupponimus: ergo quamuis ex Adamo originem traheret ſecundum ſeminalem rationem, non contraheret, nec contrahere poſſet peccatum originale.

437 *Obiectio 1.* Si opponas: nam D. Th. *locis nuper allegatis*, docet, ideo non fuiſſe in Chriſto peccatum originale, quia Chriſtus non fuit in Adamo ſecundum ſeminalem rationem, hoc eſt, quia non deſcendit ab illo medio ſemine virili: ergo ſentit, quod ſi ex Adamo traxiſſet originem medio ſemine virili, fuiſſetq; proinde in illo ſecundum ſeminalem rationem, contraxiſſet originale peccatum. Patet conſequentia; ſicut enim negatio eſt cauſa negationis: ita affirmatio eſt cauſa affirmationis: ergo ſi non fuiſſe in Adamo ſecundum ſeminalem rationem aſsignatur à D. Thoma pro cauſa, non contractionis peccati originalis ab humanitate Chriſti, ſi fuiſſet prædicto modo in Adamo, peccatum originale contraheret.

438 *Reſpõd.* Reſpondeo, negando conſequentiam. Nam negatio eſſendi in Adamo eſt quidem ſufficiens cauſa non contractionis peccati originalis ſecundum ordinem de facto ſtatutum, ſecundum quã ſoli illi contrahunt peccatum originale, qui ab Adamo medio ſemine virili deſcendunt, non tamẽ eſt cauſa adæquata, & vnica non contrahendi; cum poſſit contractio peccati originalis impediri, ſuppoſita dicta continentia in Adamo. Ex quo non infertur, quod ſi Chriſtus in Adamo fuiſſet ſecundum ſeminalem rationem, neceſſario contraheret; quia axioma illud, ſcilicet, *quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis*: & é contra, intelligitur de cauſa adæquata: vnde etſi negatio animalitatis ſit ſufficiens cauſa negationis hominis, affirmatio animalitatis nõ infert hominis affirmationem. Ideo autem D. Thom. ad doctrinam illam recurrit, vt ſolueret argumentum, quia innitebatur auctoritati Scripturæ aſſerẽti, nos contrahere peccatum originale, quia in Adamo fuimus, & ex illo originem traximus, & quia hoc intelligitur de exiſtentia in Adamo ſecundum ſeminalem rationem, quæ de facto eſt neceſſaria ad contrahendum peccatum, & humanitati Chriſti non conuenit; ideo Angelicꝰ Præceptor illa doctrina fuit vſus, non quia ſentiat caſu de potentia abſoluta poſsibili, in quo humanitas Chriſti fuiſſet formata medio virili ſemine, neceſſario contracturam originale peccatum.

439 *Quintũ corollarium. In data hypotheſi humanitas non haberet debitũ cõtrahẽdi peccatũ originale.* Quinto infertur in hypotheſi prædicta, non ſolum non contracturam humanitatem Chriſti peccatum originale, verum nec poſſe habere debitum cõtractionis illius. Quod patet manifeſta ratione: nã debitum contrahendi peccatum originale in inſtanti generationis, fundatur in peccaſſe in Adamo, vt in capite; ſed humanitas Verbo hypoſtaticé vnita in inſtanti generationis, etiam ſi fuiſſet formata medio ſemine virili, & in Adamo contenta ſecundum ſeminalem rationem; in illo tamen non peccaſſet, nec peccare potuiſſet: ergo non potuiſſet habere debitum contrahendi peccatum originale. Conſequentia tenet. Maior eſt certa. Et minor probatur: nam voluntas eſſentialiter impeccabilis non poteſt peccare, nec proprio peccato, nec etiam in alio, vt in capite; ſed voluntati Verbo hypoſtaticé vnitæ repugnat eſſentialiter peccatum: ergo nõ peccaſſet, nec peccare potuiſſet in Adamo.

440 *Obiectio 1.* Obiectio primo: ideò nos Adamo peccante peccauimus; quia ſumus illiꝰ mẽbra, & Adamus noſtrũ caput; ſed in illo caſu Adamus eſſet caput Chriſti, & illiꝰ humanitatis: ergo Adamo peccãte, peccaſſet: & conſequenter habuiſſet debitum contrahendi peccatum originale. *Secũdo.* Secundo: nam voluntas paruuli in inſtanti generationis capax peccati perſonalis non eſt; & tamen paruulus peccauit in Adamo: ergo quamuis humanitas Verbo vnita capax peccati perſonalis non ſit, poterit eſſe capax peccandi pec-

cato

Tertio-

cate capitis. Tertio: nam plures piè credunt Beatissimam Virginem fuisse, nedum in gratia, verum etiam in gloria cõceptam; & consequenter voluntas illius in instanti generationis fuit impeccabilis, cum Beatos esse ab intrinseco impeccabiles, teneat communis sententia; & tamen non ideò tenentur præfati Auctores negare, quod peccauerit in Adamo, & quod non habuerit debitum cõtrahendi peccatum originale: ergo ex eo quod voluntas vnita Verbo sit ab intrinseco impeccabilis, non sequitur, quod illi repugnet peccare in alio, vt in capite; ac proinde casu in quo ex Adamo traxisset originem medio semine virili humanitas Verbo vnita, in instanti generationis, potuisset in Adamo contineri, vt in capite morali, & illo peccante, peccare. Ex quo vlterius sequitur, habituram debitum contrahendi peccatũ originale.

441 *Ad primam obiectionem respõdetur.*

Respondeo ad primam obiectionem, distinguendo maiorem: quia fuit nostrum caput physicum, nego maiorem: quia fuit nostrum caput morale translatione nostrarum voluntatum in ipsum à Deo, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam in hypothesi facta Adamus esset caput physicum Christi, vt hominis; eo quod ex illo actiue originẽ traheret, non autem esset caput Christi morale, eo quod voluntas Christi non fuisset translata in Adami voluntatem, quatenus potentem peccare, ideoque nõ peccaret nec peccare potuisset Prothoparente peccante.

*Adam fuit caput nostrũ morale, in data autẽ hypothesi fuit caput Christi tantum physicũ.*

442 *Ad secũdam.*

Ad secundam, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam incapacitas peccati personalis imparuulis prouenit ex accidenti, nempe ex infantili ætate, non potente vti ratione, quæ impotentia excludit peccatum personale, non autem peccatum in capite: incapacitas autem in Christo prouenit ex summa sanctitate suppositi sustentantis humanitatem, quæ non solum opponitur cũ peccato proprio, & personali, sed etiam cũ capitali, quando quidẽ etiam ab isto denominatur homo peccans, & peccator.

443 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autẽ discriminis est: nã volũtas Beati est ab intrinseco impeccabilis ratione beatitudinis, quæ est donum accidentale, supponens naturam in suo esse completam, & de se potentem peccare: ac proinde quãuis beatitudo impediat in instanti generationis actualem contractionem peccati; non tamen tollit, quod voluntas secundum se, & in suo esse naturali concepta, fuerit contenta in Adamo, vt in capite morali, & in Paradyso peccauerit Prothoparente peccante; voluntas autem vnita Verbo in instãti generationis non supponitur ab vnione in suo esse naturali completa, sed illam complet in ratione operatiuæ: vnde voluntas sic Verbo vnita non supponitur capax peccati, nec proprij, nec capitalis: ac proinde nõ solum impeditur ab actuali contractione peccati originalis, sed etiam constitui tur incapax denominationis peccantis, nedum peccato proprio, verum etiam capitali.

444 *Sextum corollariũ. Casu in quo Verbum assumeret naturã peccato infectã, nedũ peccatũ habituale, verũ etiã reatum pœnæ, etiã temporalis excluderet.*

Sexto infertur: casu, in quo Verbũ assumeret naturam peccato infectam, non solum excludẽdum fore peccatum habituale, sed etiam debitum pœnæ, nedum æternæ, verum etiam temporalis: ita vt de potentia absoluta huiusce modi debita non possint in humanitate Verbo vnita manere. Et quidem de exclusione habitualis peccati cõstat ex dictis §. 2. & 3. Quod autem debitum pœnæ æternæ non possit in humanitate vnita manere, etiam de potentia absoluta, probatur; nam ideò peccatum habituale graue, non potest manere in humanitate vnita, quia peccato est essentiale constituere subiectum, cui ineit, dignum odio inimicitiæ; vnioni autem essentialiter conuenit constituere obiectũ dignum amore amicabili Dei, quæ duæ dignitates essentialiter repugnant; sed etiam conuenit gratiæ vnionis essentialiter constituere humanitatem dignam beatitudine æterna: ergo essentialiter habet excludere dignitatem carentiæ beatitudinis æternæ: & consequenter implicat in humanitate vnita manere æternæ pœnæ reatum, qui in huiusmodi dignitate consistit. Patet vtraque consequentia: non enim minus opponuntur dignitas beatitudinis æternæ, & dignitas

caren-

carentiæ illius, seu æternæ damnationis, quam dignitas odij inimicitiæ, & dignitas amoris amicabilis Dei.

445 *Secunda pars corollarij prob.*

Deinde secunda pars corollarij, quã negant Suarez *disp. 33. vers. Sed inquiri potest*, & Cardinalis Lugo *disp. 25 sect. 3 num. 41.* probatur: nam reatus pœnæ temporalis consistit in dignitate talis pœnæ ex peccato præcedente relicta; sed dignitas pœnæ temporalis ex peccato præcedenti, non potest manere in humanitate assumpta: ergo nec debitũ, vel reatus pœnæ temporalis potest in illa manere. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur. Etenim natura assumpta ratione vnionis ad Verbum, ita fit grata Deo, vt sit digna omni bono, cuius est capax humanitas: ergo etiã redditur digna carentia cuiusvis mali. Sed implicat simul esse dignam omni bono, & carentia omnis mali, & dignam mali pœnæ temporalis: ergo dignitas pœnæ temporalis ex peccato præcedenti relicta implicat manere in humanitate assumpta.

446 *Cõfirmatur. 1.*

Confirmatur primo: ideo peccatũ veniale, quoad culpam, non potest cum gratia vnionis componi, quia ratione vnionis humanitas fit digna omni complacentia diuina, & ratione culpæ venialis deberet constitui digna leui aliqua displicentia; sed non minus opponũtur dignitas carentiæ omnis mali, & dignitas mali alicuius; etsi leuis, & temporalis, quam dignitas omnis complacẽtiæ, & dignitas alicui⁹ displicentiæ diuinæ: ergo sicut non stant simul vnio, & peccatum veniale, quoad culpã, nequeunt etiam simul stare vnio, & reatus pœnæ temporalis in dignitate temporalis pœnæ consistens. Confirmatur, & vrgetur secundo: humanitas ratione vnionis redditur digna visione beata, vt statim conferenda: ergo nequit manere digna pœna temporali; non enim debetur beatitudo, quandiu manet reatus pœnæ tẽporalis.

*Cõfirmatur. 2.*

447 *Respondet Lugo.*

Respondet Lugo, negando consequentiam: nam quamuis ratione vnionis debeatur beatitudo, vt statim conferenda, potest non conferri à Deo; & cõsequenter potest Deus non condonare pœnam temporalem. Sed contra: nam quamuis Deus possit non conferre statim beatitudinem debitam, non tamẽ potest facere, quod ratione vnionis, non conueniat humanitati dignitas beatitudinis statim conferendæ: ergo quamuis possit humanitatem vnitam malo temporali afficere, non tamen potest in humanitate vnita dignitas talis mali manere; & consequenter manere in illa non potest pœnæ temporalis reatus in prædicta dignitate consistens.

*Reijcitur eius solutio.*

448 *Oppones 1.*

Oppones primo: potest Deus de potentia absoluta humanitatem Verbo vnitam in æternum beatifica visione priuare, imo potest illam ęternis inferni cruciatibus torquere: ergo potest simul cum vnione componi reatus pœnæ æternæ: si namque ipsa pœna potest cum vnione coniungi, cur non poterit pœnæ reatus cum vnione ad Verbum componi? Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam vnioni est essentiale conferre dignitatem gloriæ, non autem est illi essentiale gloriã inferre: vnde potest Deus non conferre gloriam debitam, non autem potest facere, quod humanitas vnita non sit digna beatitudine, & quia cum hac dignitate non stat dignitas pœnæ æternæ; fit cõsequens, quod quamuis cum vnione cõpatiatur carentia gloriæ in æternum, non tamen compatiatur talis carentiæ reatus.

*Resp̃d.*

*Deus potest nõ cõferre gloriam humanitati vnitæ, non tamẽ potest facere quod nõ sit digna gloriæ.*

449 *Oppones 2.*

Oppones secundo: reatus pœnæ cõsistit in obligatione subeundi pœnam ratione culpæ; sed non implicat in humanitate vnita obligatio subeundi pœnã temporalẽ ratione culpæ, quæ in illa potuit præcedere: ergo nõ implicat in humanitate vnita reatus pœnæ temporalis cum vnione compositus. Consequentia tenet. Maior videtur certa. Et minor probatur: non implicat in humanitate vnita obligatio sustinẽdi malum aliquod tẽporale relicta ex voto antea facto illud malum sustinendi: ergo nec implicat obligatio sustinendi pœnam temporalem ratione culpæ præteritæ.

450 *Respõd.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam obligatio sustinendi aliquod malum orta ex voto, non supponit in sustinente malum, dignitatem illud sustinẽdi:

*Humanitas Verbo vnita potest manere obligata ad aliquod sustinendū, ex voto ante vnionē facto, non verò ad pœnā tēporalem*

di: ac proinde sicut non repugnat humanitatem vnitam sola voluntate Dei plura mala sustinere, nec obligatio illa sustinēdi ratione fideiussionis, qualiter Christus obligatus pro hominibus omnia tormēta sustinuit: ita non implicat obligatio aliquod malum temporale patiēdi orta ex voto facto ab humanitate ante vnionem. Obligatio autem pœnæ tēporalis, in qua reatus pœnæ temporalis consistit, supponit dignitatem talis pœnæ, & quia humanitas vnita, eo quod ratione vnionis fit digna omnis boni, & carentiæ omnis mali, nō potest esse digna sustinendi aliquod malum; fit consequens quod non possit manere obligata ratione culpæ præteritæ ad pœnam aliquam temporalem.

451 *Instabis*

Sed dices: reatus pœnæ temporalis non consistit in obligatione ad pœnam ratione dignitatis præsentis, sed ratione dignitatis præteritæ; at quamuis repugnet in humanitate vnita obligatio ad pœnam ratione dignitatis præsentis, simulque cum vnione existentis, non repugnat obligatio ad pœnam ratione dignitatis pœnæ præteritæ: ergo nō repugnat in humanitate vnita reatus pœnæ temporalis compositus cum vnione. Consequentia tenet. Minor videtur certa: licet enim repugnet in humanitate vnita dignitas pœnæ cum vnione coexistens, non tamen repugnat simul cum vnione ad Verbum, quod digna extiterit pœna: ergo non repugnat simul cum vnione ad Verbum obligatio humanitatis ad pœnam ratione dignitatis præteritæ. Maior autem probatur: reatus pœnæ temporalis eo modo supponit dignitatem pœnæ, quo supponit culpā; sed non consistit in obligatione ad pœnam ratione culpæ præsentis; alias non posset dimissa culpa manere, sed ratione culpæ præteritæ: ergo non consistit in obligatione ad pœnam ratione dignitatis præsentis, sed ratione dignitatis præteritæ, & quoad temporalem pœnam non dimissæ.

452 *Respōd.*

Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, nego maiorē. Nam reatus pœnæ temporalis consistit formaliter in dignitate subeundi pœnam, non autem consistit formaliter in ipsa culpa: ergo non eodem modo comparatur reatus cum essentia culpæ, & cum dignitate pœnæ; cum illam supponat, vt causam, per istam autem formaliter cōstituatur: vnde non stat in humanitate assumpta esse reatum pœnæ temporalis præsentem, & non esse præsentem dignitatem talis pœnæ, quamuis possit esse præsens reat⁹, sine præsentia culpæ quoad essentiam, vt patet in homine iustificato, in quo essentia peccati non manet; & tamen perseuerat dignitas subeundi temporalem pœnam: de quo 1.2.q.87. *art.6 & 3.p.q.86.art.4.*

453 *Vrgebis*

Sed dices: non existente causa, non potest effectus existere; sed dignitas pœnæ est effectus peccati actualis, vel habitualis: ergo non stat dignitatem pœnæ temporalis existere nō existente culpa actuali, vel habituali. Sed stat reatum existere non existente culpa, vt supponimus: ergo existere potest sine dignitate pro tunc existente: & consequenter nō repugnabit in humanitate assumpta simul cum vnione ad Verbum reatus pœnæ temporalis, non ratione dignitatis præsentis, sed ratione dignitatis præteritæ.

454 *Respōd.*

Respondeo obiectionem istam ab omnibus esse soluendam. Nam reatus pœnæ est effectus culpæ in omnium Theologorum sententia, præter Scotū, qui essentiam maculæ, & peccati habitualis contendit in reatu consistere; & tamen omnes fatentur reatum pœnæ temporalis manere, culpa per pœnitentiam ablata: manet ergo effectus sine causa; & consequenter quamuis dignitas pœnæ sit effectus culpæ, poterit existere, culpa quoad essentiam ablata. Ad obiectionem ergo respondeo, culpam præteritam quandiu, vel non remittitur quoad pœnam temporalem, vel nō est pro illa satisfactum, existere moraliter, non quoad effectum formalem, quem præstat in ratione culpæ: quia quantum ad istum supponitur dimissa per gratiā, sed quoad effectum dignitatis pœnæ tēporalis, & hæc existentia moralis consistit in peccasse, & pro pœna temporali satisfactum non esse, nec pœnam esse dimissam, sicut peccatum actuale præteritum existit moraliter in ratione causæ maculæ habitualis, quandiu non remittitur, vel efficaciter retractatur, & pecca-

tum

tum actuale Adami censetur existens moraliter in ratione causæ peccati originalis paruulorum, quandiu non retracta tur à paruulis, vel illis per gratiam remittitur.

455 *Instabis adhuc.* Instabis: ergo in humanitate assumpta, in qua præcessisset peccatum, potest manere dignitas pœnæ temporalis pro culpa præterita; & consequenter potest cum vnione ad Verbum componi reatus pœnæ temporalis. Probatur consequentia: potest humanitas, quæ peccaret, vniri Verbo hypostatice, & præcedens culpa, moraliter saltim existere, vt causa dignitatis pœnæ temporalis: ergo potest hæc dignitas cum vnione ad Verbum componi. Probatur antecedens: culpam præcedentem existere moraliter in ratione causæ dignitatis pœnæ tēporalis, consistit in peccasse, & pro pœna debita satisfactum non esse, nec pœnā dimissam; sed posset humanitas Verbo vniri, quin satisfeciisset pro culpa, quā antea commisisset quoad pœnam temporalem; quandoquidem posset Verbo vniri de potentia absoluta sine aliquo actu proprio disponente ad vnionem, nec illam concomitante, & quin pœna temporalis à Deo dimitteretur; non enim potest huius repugnantia probari: ergo posset humanitas Verbo vniri, præcedēte culpa moraliter existente simul cum vnione ad Verbum in ratione causæ dignitatis pœnæ temporalis.

456 *Respōd.* Respondeo, negando consequentiam. Ad illius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, nego secundam partem minoris. Licet namque posset humanitas, quæ peccasset, Verbo hypostaticé vniri, quin pro pœna temporali satisfaceret, non tamen posset Verbo vniri, quin pœna temporalis debita pro culpa præcedente, à Deo remitteretur; & consequēter nō potest in instanti vnionis ad Verbum existere culpa antecedens existentia morali in ratione causæ dignitatis pœnæ temporalis.

457 Ratio autem cur non possit in eodem instanti pœna temporalis non remitti, habetur ex dictis; quia nempé, nō potest humanitas Verbo vniri, quin ex vi vnionis reddatur digna omni bono, cuius est capax humanitas, & carentia omnis mali, & omni libera complacentia diuina, cum qua dignitate non stant simul dignitas temporalis pœnæ: nam hæc est aliquod malum, & includit aliquam displicentiam diuinam; non enim potest Deus p enam, vt pœnam infligere, sine aliqua displicentia subiecti, cui infligit pœnam; eo autem ipso, quod Deus humanitati communicet dignitatem incompatibilem cum dignitate pœnæ temporalis, necessario pœnā temporalem remittit, sicut Deus infundens gratiam habitualē, necessario pœnam æternam remittit, quia à gratia habituali prouenit subiecto dignitas beatitudinis æternæ, cum qua simul esse nequit dignitas damnationis æternæ, & ideò nō potest de potentia absoluta humanitas, quæ peccasset, Verbo hypostaticè vniri, quin ex vi vnionis ad Verbū remittatur pœna temporalis, culpæ præcedenti debita. Scio, quosdam Recentiores sentire, posse de potentia absoluta mortalem culpam per habitualē gratiam destrui, quin pœna æterna remittatur. Sed opposita sententia frequentior, & verior est, in præsentique supponenda; non enim est huius loci in eius probatione immorari. Quomodo etiā dignitas pœnæ æternæ, vel temporalis, in qua reatus consistit, distinguatur à peccato, alienum est à præsenti disputatione. Consulantur Theologi 1. 2. *q.* 87.

458

## §. Vltimus.

### *Triplex difficultas ex dictis emergens resoluitur.*

459 *Triplex difficultas resoluitur.* PRo complemento disputationis restant tres difficultates breuiter examinandæ. Prima est: an casu, in quo humanitas assumeretur à Verbo propria personalitate retenta, posset humanitas assumpta peccare? Et quidem casum implicare supponimus, idque fusé ostendimus *supra disp.* 19. adhuc tamen difficultas restat sub hypotesi prædicta, quā

plu-

plures posſibilem censent: an humanitas, sic Verbo hypostaticé vnita, posſet de potentia absoluta peccare?

460 *Prima cõclusio.* Huic difficultati, triplici conclusione respondeo. Prima sit. In illo casu nõ posſe humanitatem peccare peccato cũ vnione composito. Quod probo: nam etiam in illo casu humanitas per gratiã vnionis esſet infinite sancta; sed cũ sãcti tate infinita non potest, etiã de potẽtia absoluta, simul peccatum cõponi, siue graue, siue leue, siue actuale, siue habituale: ergo in hypotesi data non posſet humanitas eo modo sũpta peccare vllo genere peccati cum vnione ad Verbum composito. Consequentia tenet. Minor quoad omnes partes constat ex dictis. Maior autem certa videtur, supposito, quod humanitas assumpta sine propria personalitate per gratiam vnionis infinite sancta sit: quod enim assumatur propria personalitate retenta, infinitudini sanctitatis à gratia vnionis præstãdæ obstare nequit: ergo si humanitas vnita sine propria personalitate, infinitè sancta esſet, etiam propria personalitate retenta, infinitè sanctificabitur per gratiã substantialem vnionis.

461 *Opponitur.* Oppones: peccatum in eo casu non deberet Verbo attribui, nec ab illo vt QVOD causari, prout in humanitate subsisteret: ergo humanitas sic assumpta posſet peccare. Consequentia patet: nã inde supra arguebamus, non posſe humanitatem Christi peccare: quia cũ actiones naturæ suppositatæ sint suppositi, vt principij QVOD operantis, illius peccatum à Verbo vt QVOD causaretur: ergo si in hypotesi admissa peccatum humanitatis assumptæ non esſet à Verbo, vt in illa subsistente tanquam à principio QVOD, posſet humanitas Verbo vnita propria personalitate retenta peccare.

*Antecedens probatur 1.* Antecedẽs autem probatur primo: ideò peccatum naturæ, est suppositi, vt principij QVOD operantis, quia natura completur per subsistẽtiã; sed in illo casu humanitas esſet duplici subsistentia cõpleta, increata scilicet, & creata: ergo posſet operatio humanitatis esſe vt QVOD à supposito creato, quin increatũ suppositum vt QVOD in illam influeret. *Secũdo.* Secundo probatur: nam posſet in illo casu operatio humanitatis efficivt QVOD à persona creata; sed eo ipso nõ posſet à Verbo vt QVOD efficienter procedere: ergo peccatum in prædicto casu ab humanitate commissum, non deberet Verbo, vt in illa subsistenti attribui. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam idem effectus non potest à duplici causa adæquata procedere; sed suppositum creatum, si influeret in operationem humanitatis, influeret vt principium QVOD adæquatum: ergo non posſet in talem operationem Verbum influere, vt in humanitate subsistens per modum principij QVOD.

462 *Respõdetur primo.* Respondeo primo, prætermisſo antecedenti, negando consequentiam: nõ enim ex eo quod impossibilitas peccati in humanitate Verbo hypostaticé vnita propria personalitate retenta, nõ probetur ex prædicto inconueniente, sequitur, humanitatem sic vnitam posſe peccare peccato cum vnione composito; cum aliunde sit probata repugnãtia peccati, etiam in prædicta hypotesi, nec vt ratio sumpta ex prædicto inconueniente bona sit, & efficax ad probandam impossibilitatem peccandi in humanitate vnita sine propria subsistentia, necessarium est, quod etiam efficax sit ad illam impossibilitatem suadendam in hypotesi vnionis humanitatis propria personalitate retenta, maximè, cum casus sit impossibilis in sententia Thomistarũ, quorum principijs præcipuè nititur prædicta ratio.

463 *Respõdetur 2. Ad primã antecedentis probationem.* Secundo, & melius respondeo, negãdo antecedens. Ad primam probationẽ, concessis maiori, & minori, nego consequẽtiam, imò oppositum debet inferri. Si namque operationes naturæ suppositatæ attribuuntur supposito vt QVOD, quia natura per subsistentiam completur, si duplici subsistentia in prædicto casu completur, illius operationes vtrique supposito, vt principio QVOD correspondebunt, sicut quia operationes absolutæ conuenientes naturæ diuinæ attribuũtur diuinis personis, quia in illa subsistunt, illãque propriis subsistentijs terminant, sequitur omnibus personis attribui, quia in omnibus est natura, & ab omnibus terminatur.

464 *Ad secũdam.* Ad secundam probationem concessa maiori, nego minorem. Ad proba-

tionem

tionem respondeo primo, distinguendo maiorem: in sententia, quam supponimus, nego maiorem: re ipsa, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Cum enim casus supponat naturam creatam propria personalitate retenta; posse per diuinam subsistentiã subsistere, per illam terminari, & compleri, & ab illa sustentari; consequenter supponit, vnum & eundem effectum à duplici causa adæquata dependere: vnde sicut in eo casu natura assumpta, adæquatè sustẽtaretur à duobus suppositis immediatè, ita illius operationes mediatè dependerent à duplici sustentante complete, & à duplici vt QVOD efficiente; sicut autẽ in Nostra sententia implicat vnum numero effectũ à duplici causa efficiẽti adæquata procedere: ita etiã implicat vnam, & eandem naturam dependere à duplici subsistentia in ratione sustentandi distincta. Vel secundo responderi potest ad probationem minoris, maiorem esse veram de duplici causa adæquata agente per diuersas virtutes; secus autem si vnica virtute agant, & quia in casu admisso, natura, quæ est virtus agendi, est vna in vtroque supposito; fit consequens, quod ab vtroque possit eadem operatio, vt ab efficiente QVOD adæquato procedere.

*Respõdetur 2.*

*Vnus effectus potest à duplici causa adæquata, per eandẽ virtutẽ agẽte, procedere.*

465 *Secunda cõclusio.*

SECVNDA CONCLVSIO: Humanitas sic assumpta, non posset peccare in sensu diuiso vnionis peccato destruente vnionem. Probatur: peccatum vnionẽ destruens imputaretur Verbo in se ipso; sed implicat Verbo imputari peccatũ: ergo implicaret in humanitate assumpta peccatum destruens vnionem, etiam in prædicto casu. Minor cum consequẽtia tenet. Maior autem probatur: peccatum humanitatis vnitæ sine propria personalitate, per quod destrueretur vnio, imputaretur Verbo in se ipso, vt ostendimus §. 12. Et hoc ideò, quia ex vnione substantiali humanitatis ad Verbum, cõsurgit in Verbo obligatio gubernandi humanitatem, & vitandi in illa peccatũ, non solum cum vnione compositum, verum etiam destruens vnionẽ; sed etiã in data hypotesi humanitas esset Verbo substantialiter vnita, & cum illo vnam constitueret personã: ergo esset in Verbo obligatio gubernandi humanitatẽ, & vitandi in illa peccatum, non solum cum vnione compositum, sed etiam vnionem destruens; & consequenter peccatum destruens vnionem imputaretur Verbo in se ipso.

Dices: obligationem Verbi gubernandi humanitatem fundari in vnione humanitatis, sine propria personalitate; in casu autem, quem supponimus, humanitas vniretur propria personalitate retenta; ex qua, & humana natura resultaret persona creata potens per se ipsam operari, & potens se ipsum propria libertate dirigere in suis operationibus; & ideò dicta obligatio in Verbo non resultaret. Sed contra primo: nam etiam ex humanitate Verbo hypostaticè vnita sine propria personalitate, & Verbo vt in illa subsistente resultat persona humana potens proprias operationes elicere distinctas ab operationibus in creatis, & diuinis, & potens propria libertate se dirigere ad prædictas operationes; & tamen hoc non obstante resultat ex hac vnione obligatio in Verbo, vt Deo, gubernandi se ipsum, vt hominem, & suam humanitatem: ergo quamuis in hypotesi supposita esset persona creata potens operationes proprias elicere, & se ipsa propria libertate dirigere, adhuc ex vnione substantiali prædicta obligatio consurgeret in Verbo, quatenus Deo, gubernandi personam creatam sibi substantialiter coniunctam, & illius peccata vitandi.

466 *Respõdebis.*

*Contra 1.*

Secundo; quia namque vnio seminalis parentis naturalis cum filio fundat in patre obligationem gubernandi filium, & eius peccata vitandi, intulimus eandẽ obligationem in Verbo gubernandi humanitatem fundatam in vnione substantiali humanitatis cum ipso; sed coniunctio seminalis fundat prædictam obligationem in patre respectu filij, non obstante, quod sint distinctæ personæ: ergo etiam vnio substantialis cum Verbo personæ ab ipso distinctæ fundabit obligationem in Verbo gubernandi personã sibi substantialiter coniunctam, & illius peccata vitandi.

467 *Secundo.*

Obijcies: implicatio peccati in persona sic vnita, non obstat potentiæ antecedenti ad peccandum, licet obstet potentiæ consequenti; sed potentia ad pec-

468 *Obiectiones.*

candum

candum antecedens sufficit ad libertatem contrarietatis: ergo humanitas in dicto casu vnita hypostaticé Verbo, esset libera libertate contrarietatis, & potens peccare in sensu diuiso vnionis. Cōsequentia tenet. Minor est certa: nam potentia antecedens ad actum, & eius negationem sufficit ad libertatem contradictionis, vt fatentur omnes Theologi: ergo potentia antecedens ad actum bonum, & malum sufficiet ad libertatē contrarietatis. Maior autem probatur: id quod ex terminis non implicat, quāuis implicet ex suppositione, potest esse terminus potentiæ antecedentis, vt constat in negatione à sensus, quæ quāuis implicet ex suppositione gratiæ efficacis ad consensum, quia non implicat ex terminis, sed tantum ex suppositione accidentali, nempé, ex suppositione præmotionis, est in homine præmoto potentia antecedens ad illam, quamuis non potentia consequens; sed implicatio peccati in persona coniuncta substantialiter Deo, non est implicatio ex terminis, sed tantum ex suppositione accidentali, scilicet, coniunctionis cum Deo, & regiminis specialis ab ipso: ergo non obstat quominus in persona sic cōiuncta detur potētia antecedens ad peccandum.

469 *Respōd.* Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, distinguo maiorē: si implicet ex suppositione se tenente ex parte actus primi, nego maiorem: si implicet ex suppositione supponente actum primum, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Requiritur itaque, vt aliquid sit terminus potentiæ antecedētis, quod ex terminis non implicet, nō autem hoc solum sufficit, sed insuper est necessarium, quod non implicet ex suppositione antecedenti, hoc est, ex suppositione, quæ ex parte actus primi ad operandum se teneat; non verò requiritur, quod non implicet ex suppositione, vel consequente actum, vel supponente actum primum constitutum. Et ratio est: quia potentia antecedens petit posse coniungere actum, vel negationē actus cum omni requisito ad posse; & consequenter, si repugnet, vel implicet coniunctio actus, vel negationis actus cum suppositione constituente, vel complente actum primum in ratione actus primi, non potest sic implicās, terminare potentiam antecedētem; potentia autem antecedens non petit posse coniungere actum, vel negationem actus cum requisito supponente actum primum constitutum: & ideò implicās ex suppositione nō constituente actum primum, sed illum supponente, potest esse terminus potentiæ antecedentis.

Hæc autem est differentia inter negationem amoris suppositā præmotione efficaci ad amorem, & peccatum suppositā vnione personali ad Verbum, quod illa implicat ex suppositione supponente actum primum. Nam præmotio actum primum non constituit, sed supponit, peccatum verò implicat ex suppositione vnionis personalis, quæ actum primum non supponit, sed completiué cōstituit: & ideò in personā substantialiter Verbo coniuncta nō datur, nec potest dari potentia antecedens ad peccatum; bené tamē in voluntate præmota ad amorem datur potentia antecedens ad odium, & amoris negationē. Sicut voluntas Deum videntis non est potens, adhuc potentia antecedenti, ad peccatum, quia hoc repugnat ex suppositione visionis, quæ ex parte actus primi regulatiué se tenet. Et quidem hoc argumentum instatur in natura Verbo vnita, cui ex terminis nō repugnat peccatum, sed solum ex suppositione vnionis personalis cum Verbo, & tamen nō est in illa potentia antecedens ad peccādum, & hoc non alia ratione, nisi quia vnio ex cuius suppositione illi repugnat peccatum, ex parte actus primi ad operandum in humanitate vnita concurrit. Pariter ergo in casu, & hypotesi admissā.

470 *In humanitate Verbo vnita, non datur potētia antecedēs ad peccandū, bené tamē in voluntate præmota ad amorē.*

Sed dices: ideò in humanitate Verbo vnita sine propria personalitate vnio, tollit potentiam antecedentem ad peccatum: quia vnio in illa est requisitum essentiale ex parte actus primi; at in humanitate vnita Verbo propria subsistentia retenta vnio ad Verbum, non est requisitum essentiale ex parte actus primi: ergo ab illa sic vnita non tollit potentiam antecedentem ad peccandum. Consequētia tenet. Maior constat: nam

471 *Instabis*

in Christo præceptum se tenet ex parte actus primi ad actus præceptos, estq; eũ peccato incõpatibile in ipso, suppoſita impeccabilitate; & tamẽ, quia nõ est requisitũ essentiale ex parte actus primi ad substantiam actus præcepti, nõ tollit à volũtate Christi potentiã antecedentẽ ad negationẽ actus quoad substantiam, v.c. ad negationem mortis: ergo si vnio tollit potentiam antecedentẽ ad peccatum ab humanitate vnita, nõ est solum quia ex parte actus primi se tenet, sed quia est ex parte actus primi essentiale requisitũ. Minor autem probatur; ideò in natura Verbo vnita sine propria personalitate, vnio se tenet ex parte actꝰ primi essentialiter, quia natura non est in actu primo potens operari, nisi per subsistentiam cõpleta, & solũ per Verbi subsistentiam cõpletur, quod media vnione præstatur; sed casu, in quo humanitas vniretur propria personalitate retenta, sufficienter cõpleretur per illam: ergo subsistentia Verbi non concurreret ex parte actus primi essentialiter; & consequẽter, nec vnio humanitatis ad Verbũ esset requisitũ essentiale ex parte actus primi ad operandum se tenens in humanitate vnita propria personalitate retẽta.

4.72 *Respõd.* Respondeo, distinguendo maiorẽ: quia est requisitum essentiale absoluté, nego maiorem: ex suppositione, quod humanitas subsistat in Verbo, concedo maiorẽ: & sub eadẽ distinctione minoris, nego cõsequentiã. Vt enim subsistẽtia Verbi impediat actum primum ad peccandum, nõ exigitur, quod sit requisitum essentiale absoluté ex parte actus primi; cum plures ex nostris defendant cum Caietano, posse de potentia absoluta naturã existere, & operari sine vlla subsistentia, sed sufficit, quod ex suppositione, quod humanitas in Verbo subsistat, & eius subsistẽtia cõpleatur, ex parte actꝰ primi essentialiter se teneat; hoc autem, etiam saluatur, casu, in quo humanitas propria subsistentia retenta vniatur personaliter Verbo; cum enim in prædicto casu humanitas in essẽdo vtraque subsistẽtia cõpleatur, propria, scilicet, & aliena, & in proprio, & in alieno suppoſito existat, per vtriusq; subsistentiã cõpletur in actu primo in operando, sicut per vtramq; simul completur in existendo; & cõsequenter vtraq; subsistentia ex parte actus primi essentialiter ad operandum ingreditur.

Tertia Conclvsio. *Humanitas sic vnita, non posset peccare peccato impediente primã existentiam vnionis.* 473 *Tertia cõclusio Probatur.* Probatur; vt enim posset peccare peccato impediente primam existentiã vnionis, opus erat, vt in ipso vnionis instanti haberet potẽtiam in actu primo ad peccandum expeditam; sed humanitas Verbo vnita propria personalitate retenta, non haberet in instanti reali vnionis potentiam in actu primo expeditã ad peccandum: ergo non posset peccare peccato impediente primã existentiã vnionis. Consequẽtia est euidens. Maior certa: vt enim posset peccare peccato impediente primam existentiã vnionis, necessum erat, quod carentia peccati esset libera humanitati in ipso vnionis instanti; sed non stat libere carere peccato, vel liberé non peccare, absque potentia in actu primo ad peccandũ expedita, sicut nõ stat libera negatio amoris, absq; potẽtia expedita in actu primo ad amidũ: ergo vt posset humanitas vnita peccare peccato impediẽte primã existẽtiã vnionis, necessario exigeretur in ipso vnionis instãti potẽtia ad peccandũ expedita.

Minor autem ostenditur primo; vt enim §. 11. arguebamus, sanctitas infinita simpliciter, non solũ opponitur peccato, sed etiam potẽtiæ proximæ ad peccandũ expeditæ; sed humanitas Verbo vnita propria personalitate retenta, esset infinitè sancta per gratiam substantialẽ vnionis: ergo in illa sic vnita non posset esse potentia in actu primo ad peccandum expedita in reali vnionis instanti. 474 *Minor probatur 1.*

Secundo probatur minor vt enim §. 13. arguebamus, implicat Verbum prout in humanitate subsistens esse potens peccare peccato destruente vnionem; & consequenter implicat esse potens peccare peccato impediente primã existentiam vnionis; cum eadem in vtroque sit ratio; sed implicat humanitatem Verbo hypostaticè vnitam propria personalitate retenta esse potentem peccare in instanti reali vnionis, peccato impediente primam existentiam illius, & quod Verbũ, quatenus in illa subsistens, non sit potens expedite peccare: ergo 475 *Secũdo.*

implicat humanitatem, sic vnitam in ipso vnionis instanti habere potentiã peccandi in actu primo expeditam. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primo: retentio propriæ personalitatis nõ obstat, quominus si humanitas sic vnita paccaret peccato cum vnione composito, necessario constitueret peccans Verbum, vt in humanitate subsistens: ergo pariter non obstat, quominus necessario deberet denominari potens proximé peccare à potentia expedita ad peccandum conueniente humanitati in instanti reali vnionis, & cum vnione composita. Secundo: nam retentio propriæ personalitatis nõ obstat, quominus Verbum in humanitate subsistens, necessario denominetur potens intelligere, & velle à potentia intellectiua, & volitiua in humanitate cum vnione compositis: ergo non potest obstare, quominus necessario deberet denominari potens expedite peccare à potentia expedita peccandi conueniente humanitati vnitæ in reali vnionis instanti.

475 *Oppones 1.* Oppones primo: potentia peccandi conueniret humanitati vnitæ ratione propriæ subsistentiæ, saltim vt modi intrinseci, vel conditionis, & complementi ad peccandum: ergo non deberet enũtiari de Verbo, vt subsistente in humanitate. Patet consequentia; quia namque potentia generandi conuenit Patri diuino ratione Paternitatis, vt modi cõplentis essentiã, nõ prædicatur de filio, vt subsistente in diuinitate: ergo si potẽtia peccãdi cõueniret humanitati, in hypotesi admissa, ratione propriæ subsistẽtiæ, nõ deberet prædicari de Verbo, vt subsistente in humanitate.

477 *Oppones 2.* Secundo: nã potentia peccandi peccato impediente vnionẽ, posset conuenire humanitati vnitæ pro signo priori ad vnionẽ; sed eo ipso, quod sic humanitati conueniat, non debet prædicari de Verbo, vt subsistente in humanitate: ergo non deberet prædicari de illo. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: ideò humanitati vnitæ Verbo sine propria subsistentia, non potest conuenire potentia peccandi pro signo anteriori ad vnionẽ, quia vt intelligatur potens operari, debet præintelligi subsistens, vel saltim existens, & sic vnita non existit, nec subsistit, nisi per existentiam, & subsistentiam Verbi, quibus repugnat peccatum; sed hæc ratio in prædicto casu non militat; cũ supponatur in eodem reali instanti subsistens, & existens per existentiã, & subsistentiã proprias, quibus sufficienter ad operandũ cõpletur: ergo potẽtia peccandi peccato impediente vnionem, posset humanitati illo modo vnitæ cõpetere pro signo anteriori ad vnionem.

478 *Ad 1. obiectionẽ respond.* Respondeo ad primam obiectionẽ, distinguendo antecedens: ratione propriæ subsistentiæ ex conceptu subsistentiæ increatæ communi, nempé, cõplentis, terminantisque naturã, concedo antecedens: ex conceptu distinguente, nego antecedens: & consequentiam. Ad cuius probationẽ, cõcesso antecedenti, nego consequentiam. Et ratio discrimínis est: nã paternitas cõplet naturam diuinã in ratione generatiuæ ex cõceptu, quo à filiatione distinguitur; & ideo potentia generatiua de Verbo nõ prædicatur, cuius cõtrarium oppositã de causã in nostro casu contingeret.

479 *Ad secũdam.* Ad secundã, nego maiorẽ. Ad probationem, distinguo maiorẽ: ly *ideo* dicente causam sufficientem, cõcedo maiorem: dicente causam necessariam, nego maiorẽ: & prætermissa minori, nego consequentiam. Nam licet hæc ratio in prædicto casu non militet, militat tamẽ alia, nimirũ sũma, & infinita sanctitas, qua humanitas vnita gauderet, quæ nõ solũ cũ peccato pugnat, sed etiã cũ potẽtia expedita peccandi. Et insuper, quia vt humanitas sit potens expedité peccare, nõ sufficit pro priori naturæ ab impedimento vnionis præscindere, sed requiritur realis vnionis negatio, quæ in hypotesi admissa non esset; ac proinde quãuis in illo priori præscinderetur à potentia, & impotentia peccandi; non tamen esset potens expedité peccare, iuxta dicta §. 16.

480 *Secũda difficultas An humanitas Verbo vni-* Secunda difficultas est, an natura Verbo vnita media propria personalitate posset peccare in sẽsu cõposito vnionis, vel saltim in sensu diuiso? Casus iste implicatorius est, vt *supra* probauim⁹, non tamen desunt Theologi existimantes, quod sicut natura diuina fuit humanitati vnita media subsistentia Verbi: ita

de

*ta media propria personalitate, posset peccare, in sensu composito, vel diuiso vnionis*

de potentia absoluta potuit natura creata vniri diuinæ naturæ media personalitate propria, ita vt ex natura diuina, & personalitate creata vna resultaret persona. Inquirimus ergo, an casu isto admisso, natura creata, diuinæ mediatè vnita, redderetur impeccabilis, an vero posset peccare peccato cum vnione cõposito, vel saltim in sensu diuiso vnionis? Affirmatiuè respondet Ragusa *disp.* 114. § 7. eo quod tale peccatum Deo non attribueretur; cũ nõ sustentaret humanitatẽ vnitã. Cui adhæsit Bernal *disp.* 44 *sect.* 2 Opposita verò sententia frequentior est apud Theologos. Pro qua sit

*Affirmatiua sententia.*

481 *Prima cõclusio negatiua. Probatur conclusio.*

PRIMA CONCLVSIO. *Humanitas Verbo vnita media propria personalitate foret impeccabilis peccato cum vnione composito.* Probatur; quia humanitas sic vnita foret sancta infinitè; sed cum sanctitate infinita nequit peccatum cõponi: ergo foret impeccabilis in sensu cõposito vnionis. Consequentia tenet. Minor constat ex dictis. Et maior probatur; esset mediatè vnita Deitati; sed hoc sufficit, vt sanctificetur ab illa infinitè: ergo esset infinitè sancta. Minor, in qua est difficultas, probatur: nam diuinitas vnitur humanitati Verbi mediatè, scilicet, media personalitate Verbi; & tamen illã infinitè sanctificat: ergo vnio mediata cum Deitate sufficit, vt infinitè ab illa sanctificetur.

482 *Respondebis.*

Dices: esse disparem rationem; nam Deitas vnitur humanitati Christi mediãte personalitate realiter à se indistincta, in casu autem disputationis humanitas vniretur naturæ diuinæ media personalitate creata, quæ realiter ab illa distinguitur. Sed contra primo: nam si mediatio virtualis non obest sanctificationi infinitæ, non est cur realis mediatio illam tollat. Secundo: nam voluntas, quæ in sentẽtia D. Tho. realiter differt ab anima, mediate realiter vnitur subsistẽtiæ Verbi, scilicet, mediante anima; & tamen sanctificatur infinitè ab illa: ergo realis mediatio vnionis nõ obest sanctificationi infinitæ. Tertio nã realis mediatio vnionis nõ obstat dignificationi infinitæ humanitatis vnitæ: nã in casu admisso humanitas esset infinitè digna cultu: ergo nec obesse potest infinitæ sanctificationi.

*Cõtra 1.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

Quarto: nã actus meritorij Christi, solum mediatè vniũtur cum suppposito Verbi; & tamen infinitè valorantur ab illo: ergo humanitas tametsi mediatè vnita mediatione reali vnionis, euaderet sancta infinitè. Deniq; nã humanitas Christi redditur à Deitate sancta infinitè moraliter, quia deificatur ab illa; & hoc ideo, quia mediante vnione ad Verbũ est diuinitati coniuncta in vna Christi persona; sed humanitas vnita diuinitati media propria personalitate, esset Deitati cõiuncta in vna persona creata: ergo deificaretur ab illa, & infinitè sanctificaretur.

483 *Quarto*

*Quinto.*

Oppones: ideò humanitas Christi est impeccabilis peccato cũ vnione cõposito, quia sustentatur à Verbo, & ab illo ad operãdũ in actu primo cõpletur; sed natura vnita Deo media propria personalitate, nõ sustẽtaretur à Deo, nec ab illo cõpleretur in ratione operatiuæ, sed à propria subsistẽtia, cui esset immediatè vnita: ergo sic vnita, impeccabilis nõ esset peccato cũ vnione cõposito. Respondeo, distinguendo maiorẽ: ideò vt causa sufficiẽte, cõcedo maiorẽ: vt causa vnica, & necessaria, nego maiorem: & cõcessa minori, nego cõsequentiã. Nam licet illa ratio nõ militet, militat tamen alia, nempé, sanctitas infinita, cum qua non potest vllum peccatum componi.

484 *Oppones.*

*Respõd.*

Instabis, & oppones secũdo. Natura Deo vnita media propria personalitate non esset sancta infinitè: ergo posset de potẽtia absoluta peccare peccato cum vnione cõposito, saltim eadẽ probabilitate, qua potest homo iustus peccare in sensu cõposito gratiæ, & iustitiæ habitualis. Consequentia patet ex dictis. Antecedẽs autẽ probatur: natura sic vnita, non est æquè sancta, ac natura vnita immediatè; sed hæc ad summum redditur sancta infinitè: ergo natura vnita mediatè non esset infinitè sancta. Probatur maior: effectus sancti in concreto pensatur non solum pœnes formam, sed etiã pœnes modum vnionis; quo circa licet Deitas reddat sanctam humanitatem, & Deum, quia modus veniendi est inæqualis; nam Deo conuenit per essentiam; humanitati autẽ per communicationem, Deus est sanctior humanitate, vt docet communis sentẽ-

485 *Instabis*

tia *supra q.7. art.1.* sed quamuis vtraq; natura à Deitate sanctificetur, illa autē, quæ solum vnitur mediatē, non vnitur ita perfectē, sicut illa, quæ immediatē vnitur: ergo natura vnita mediatē diuinitati, non est æquē sancta, ac natura immediatē vnita.

486 *Respōdetur.* Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem dicatur: excessum in modo vnionis ad Deum pœnes immediatē, & mediatē vniri, merē materialem esse; & ideo non inducere inæqualitatem in formali effectu, vel quasi effectu sanctitatis, quod autem excessus ille merē materialis sit: patet primo: nam voluntas vnitur mediatē Verbo, natura autem immediatē; & tamen æquē sancta est voluntas in sua linea, ac natura vnita immediatē. Secundo: nam actus meritorius Christi æquē digni sunt, ac humanitas est sancta, & tamen humanitas immediatē vnitur Verbo, actus autem meritorius solum mediatē. Tertio: quia omnes actus meritorios Christi esse æquales, quoad valorē sumptum à Verbo, est communis Theologorum sententia; & tamen non omnes vniuntur æquē immediatē: nam actus intellectus immediatius vniuntur, quam actus voluntatis, & inter plures actus voluntatis est ordo; nam electio intentionem supponit; & consequenter non omnes comparantur æquē immediatē cum Verbo: ergo excessus in immediatione, materialis est ad dignitatem meritoriam; & consequenter ad effectum sanctitatis, etiā materialis erit.

*Excessus in modo vnionis ad Deū pœnes immediatè, vel mediatè vniri merè materialis est. Probatur 1.*

*Secūdo.*

*Tertiò.*

487 *Quarto.* Denique: nam si materialis non esset, sequeretur naturam immediatē vnitam huic Deo, fore sanctiorem humanitate Christi; cōsequens est falsum. Tùm, quia à nullo admissum. Tùm etiam; quia aliàs humanitas Christi non esset sancta infinitē: ergo idem quod prius. Sequela patet: natura enim vnita huic Deo, immediatius vniretur Deitati, quā natura humana Christi; cum hæc vniretur media personalitate Verbi, quæ virtualiter à Deitate distinguitur, in vnione autem cum hoc Deo, vt tribus personis communi, vel nihil mediat distinctum virtualiter à Deitate, vel si existentia, & subsistentia virtualiter distinguuntur ab illa, distinctio minor est illa, qua personalitas à Deitate distinguitur, & immediatius se habent existentia, & subsistentia absoluta cum Deitate, quā personalitas, & subsistentia relatiua: ergo si excessus vnionis pœnes immediatum, & mediatum, materialis non est in ordine ad effectum sanctitatis, sanctior esset natura huic Deo immediatē vnita, humanitate Christi, quæ vnitur cum Deitate media subsistentia Verbi.

Sed adhuc instabis: opera elicita ab homine immediatē Deo vnito, non essent infiniti valoris: ergo natura mediatē vnita, infinitē sancta nō esset. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur primo: nā ideò actiones humanitatis sūt valoris, & dignitatis infinitæ, quia sustentantur, & eliciuntur à Verbo, tanquam à principio QVOD; sed opera hominis vniti immediatē Deo, non sustentarentur, nec elicerentur à Deo: ergo infiniti valoris, aut dignitatis nō essent. Secundo: nam ideò operationes Christi sunt infinitæ dignitatis: quia quāuis principiū QVO sit finitum, persona tamen, quæ est principium QVOD illorum, est infinita; sed respectu operationum hominis immediatē Deo vniti, tam principium QVO, quam principium QVOD essent limitata, & finita: nam principium QVO, esset humanitas; principium autem QVOD esset conflatum ex illa, & personalitate propria, quorum vtrumque esset finitū: ergo opera elicita ab homine immediatē vnito Deitati, valoris, aut dignitatis infinitæ non essent.

488 *Vrgebis.* *Antecedens probatur 1.* *Secūdo.*

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: ly *ideo* dicente causam sufficientem, concedo maiorem: causam vnicam, & necessariam, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiā: nam extat alia ratio ob quam operationes istæ essent infiniti valoris, nimirum, quod procederēt à persona infinitē sancta, Deoque infinitē placente ratione diuinitatis. Ad secundam probationē, concessa maiori, distinguo minorem: essent finita physicē, concedo minorē: moraliter, nego minorem, & consequētiam. Nam licet humanitas esset entitatiuē, & physicē finita; esset tamen

489 *Respōd. ad 1. antecedentis probationē.* *Ad secūdam.*

infi-

infinitè sancta moraliter à Deitate in vna, & eadem personâ coniuncta, personâ etiam hominis Deo vniti, esto esset finitæ, & limitatæ entitatis, esset tamen infinitè dignificata ex Deitate, cui in hypotesi data, supponitur vnita; & ideò operationes à tali homine elicitæ essent infinitè gratæ Deo, & infiniti valoris.

490 *Replicabis adhuc.* Vrgebis: esto personâ creata operationes eliciens, esset infinitè sancta, & digna infinitè moraliter, non tamen adæquaret in sanctitate, nec in dignitate morali suppositum increatum; sed operationes Christi valorantur à supposito increato; operationes autem hominis coniuncti Deo valorarentur moraliter à supposito creato, ratione sanctitatis, & dignitatis moralis: ergo non adæquarent in valore, & morali æstimatione operationes elicitas ab humanitate Christi. Patet consequentia: nam cum excessu in forma valorante, non stat æqualitas in effectu, vel quasi effectu formali. *Respõd.* Respondeo, concesis maiori, & minori, negando consequentiam. Ad cuius probationem dicatur: formâ valorantem operationes elicitas ab homine vnito Deo, non esse personâ creatam, sed Deitatem immediatè vnitam personalitati creatæ, & mediatè naturæ, & operationibus magis mediatè; hæc autem æqualis dignitatis esset cum personâ Verbi mediatè vnita operationibus Christi; atque adeò non obstante inæqualitate personæ creatæ elicientis vt QVOD prædictas operationes à persona Verbi vt QVOD eliciente operationes humanitatis Christi, operationes elicitæ forent æqualis valoris.

491 *Secũda cõclusio* SECVNDA CONCLVSIO. *Persona immediatè vnita Deo, non posset peccare in sensu diuiso vnionis, nec peccato dissoluente vnionem, nec peccato vnionem impediẽte.* Hæc conclusio quoad primam partem suadetur. Nam peccatum hominis coniuncti Deo, ob quod dissoluenda esset vnio, attribueretur Deo in se ipso; sed implicat peccatũ Deo attribui attributione morali: ergo implicat hominem Deo vnitum peccare in sensu diuiso vnionis peccato illam dissoluente. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: quia nam que humanitas Christi Domini est Verbo hypostaticè vnita, adest in Verbo obligatio gubernandi humanitatem, & vitandi in illa peccatum, non solũ cum vnione compositum, sed etiam vnionẽ destruens, vt §. 12. ostendimus: ergo pariter ex vnione personæ creatæ cũ Deo consurgeret in Deo specialis obligatio gubernandi personam sibi cõiunctam, & vitandi in illa peccatum, non solum cum vnione compositum, sed etiam vnionem destruens; & consequenter peccatum illius personæ vnionẽ cum Deo dissoluens, Deo attribueretur attributione morali.

492 *Secũda pars probatur.* Deinde pro secunda parte suadetur: vt enim persona immediatè Deo vnita posset peccare in sensu diuiso vnionis, peccato illam impediente, deberet in persona sic vnita simul cum vnione ad Deum reperiri potentia expedita peccandi; sed hæc competere nequit personæ physicè vnitæ Deo ergo nõ potest peccare peccato impediente vnionem. Consequentia tenet Maior constat: vt enim persona vnita posset peccare peccato impediente vnionem, simul cum vnione ad Deum, deberet coniungi libera carentia peccati; sed libera carentia peccati, non stat cum vnione ad Deum coniuncta sine potẽtia peccandi in actu primo expedita composita cum vnione: ergo vt persona Deo vnita, posset peccare peccato impediente vnionem, deberet in persona sic vnita reperiri potentia expedita peccandi cõposita cum vnione. Minor autẽ probatur; vt enim §. 11. ostendimus; cum sanctitate infinita, non solũ pugnat peccatum, sed etiã potentia ad peccandum in actu primo expedita; sed persona diuinitati vnita esset infinitè sancta, vt *conclusione prima* ostendimus: ergo in illa simul cum vnione ad Deum, non posset esse potentia proximè expedita ad peccandum.

493 *Contra vtrãq; cõclusionẽ oppones difficile Damasceni testimonium.* Contra vtramque conclusionẽ obstat difficile Damasceni testimonium, lib. quomodo ad imaginem Dei facti sumus, illis verbis: *Dei filius salutar. Patris voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi vna cum humana voluntate, quæ naturæ est coniunxit; hominis autem hypostasim non coniunxit, ne naturæ humanæ voluntas, quæ naturæ attribuitur, voluntate, quæ hypostasim*

*attingit à diuinæ voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus*: ergo sentit Damascen⁹, quod si Verbum non solam naturam hominis assumpsisset, sed etiam personã, posset persona assumpta peccare, peccato cum vnione composito; & consequenter etiã posset peccare peccato destruẽte vnionem, & peccato vnionem impediente. Patet prima consequentia: nam docet, non assumpsisse, vel sibi non coniunxisse personam hominis; *ne humana hypostasis sua propria voluntate à diuinæ voluntatis præscriptione discederet*: ergo sentit, casu, in quo sibi hominis personam coniungeret, personam Verbo hypostaticé vnitam, posse à voluntate diuina discedere; & consequenter peccare.

494 *Respõd. 1. translationẽ esse viciatam.*

Respondeo primo, Damasceni trãslationem suspectam de veritate videri, eo quod duplicem voluntatem, vnam naturæ, & aliã personæ distinguit, quod Theologis, & Philosophis aduersatur: in homine namq; vnam solum esse voluntatem, qua natura vt QVO, & suppositum vt QVOD proximé volitiua reduntur, omnibus est manifestum: vnde dubitari potest de translationis veritate, ne tam absurda doctrina tanto Doctori attribuatur.

*Respõd. 2. explicãdo Damascenũ*

Secundo respondeo, quod cum Damascenus docet, Dei Filium sibi coniunxisse humanam naturam, loquitur de coniunctione physica in vnitatem personæ; cum autem addit, non coniunxisse sibi hypostasim hominis, loquitur de coniunctione morali, quam hæretici docebant, scilicet, per solum amorem, & specialem affectum, & huius rationem reddit; *ne voluntate hypostasis natura humana à Dei voluntate discederet*. Ex quo solum sequitur personam hominis Deo speciali affectu vnitam, qualiter hæretici adstruebant hominem assumptum à Deo, futuram esse peccabilem, non autem, quod persona physicé cum Deitate coniuncta, posset expedite peccare. Et quidem Damascenum esse à contrarijs explicandũ patet: nam loquitur non de coniunctione personæ humanæ cum natura diuina, quam ipsi censent possibilem, sed de coniunctione hypostasis humanæ cum hypostasi Verbi, & de illius a Verbo assumptione: hanc autem implicatoriam esse, ipsi aduersarij fatentur: nam licet possibile censeant, humanitatem propria personalitate retenta, Verbo hypostaticé vniri, illiusque subsistentia subsistere; quod autem persona creata, & illius personalitas assumatur à Verbo, & ab illo terminetur, implicatoriũ existimant; sed vt ipsi aduersarij fatentur, loquitur Damascenus de coniunctione ad Verbum possibili: ergo non loquitur de coniunctione physica hypostasis hominis cum hypostasi Verbi, sed de coniunctione morali per specialem tantum affectum. Cætera, quæ opponunt contrariæ sententiæ Auctores ex dictis soluta manent.

495 *Tertia difficultas resoluitur.*

Tertia difficultas est, an casu, in quo persona creata vniretur cum existentia diuina immediatè, posset peccare in sensu composito vnionis, vel in sensu diuiso aliquo ex prædictis modis, nimirum, peccato destruente vnionem, vel primam illius existentiam impediente? Casum istum possibilem esse censuimus *supra quæstione 4. disp. 19. §. 4. num. 73. & 75.*

*Si persona creata vniretur immediatè cũ diuina existentia, nõ posset peccare, nec in sensu cõposito, nec in sensu diuiso vnionis. Probatur.*

Difficultati propositæ respondemus negatiué, & probatur primo ex dictis: nam persona sic vnita foret infinitè sancta; sed cum sanctitate infinita nõ potest componi peccatum, nec potentia peccandi: ergo non posset peccare, nec in sensu composito vnionis, nec in sensu diuiso aliquo ex prædictis modis. Deinde pro prima, & secunda parte probatur: nam peccatum cõpositum cum vnione, & peccatum illam destruẽs, attribueretur Deo in se ipso ratione specialis obligationis gubernandi personam sibi in existendo vnitam; sed peccatum Deo attribui, est implicatorium ex terminis: ergo implicat personam sic vnitam peccare peccato destruente vnionem, vel peccato cum vnione composito.

496

Denique pro secunda, & tertia parte probatur: nam persona creata vnita existentiæ diuinæ compleretur per diuinam existentiam in ratione operatiuæ: ergo non esset expedita in actu primo ad peccandum; & consequenter non posset peccare peccato dissoluen-

te,

te, vel impediente vnionem. Consequentia patet: nam, vt posset sic peccare, deberet cum vnione componi potentia ad peccandum in actu primo expedita. Antecedens autem probatur: nam persona creata non intelligitur in actu primo ad operandum completa, nisi intelligatur existens; sed tunc casus non existeret per existentiam creatam, sed tantum per existentiam diuinam: ergo compleretur in actu primo per illã, cumque diuina existentia repugnet cũ omni peccato, impediretur per diuinã existentiam in actu primo ad peccandũ.

497 *Oppones.* Oppones: homo iustus, instante dilectionis præcepto, potest dilectionem omittere omissione destruente gratiam habitualem, & habitum charitatis; & tamen constituitur potens in actu primo operari per charitatem, & gratiam, quæ essentialiter opponuntur cum peccato: ergo ex eo quod persona creata diuinæ existentiæ vnita compleatur per illam in ratione operatiuæ, & diuina existentia sit cum peccato incompatibilis, non sequitur non posse peccare peccato destruente vnionem cum existentia diuina.

498 *Cõfirmatur.* Et vrgebis: instante præcepto contritionis, potest homo contritionem omittere omissione impediente infusionem gratiæ habitualis; & tamen per gratiam habitualem redditur potens in actu primo operari: ergo quamuis persona creata vnita existentiæ diuinæ compleatur per illam in ratione operatiuæ, posset peccare in sensu diuiso vnionis peccato illam impediente. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur; est enim probabilis plurium Thomistarum sententia, docens, actum contritionis, & actum charitatis non posse elici ab auxilio, etiam de potentia absoluta, sed habere essentialem dependentiam à gratia habituali, & virtutibus gratiæ habituali annexis: ergo iuxta hanc sententiam instante præcepto contritionis, posse radicale, & proximum operari, à gratia, & virtutibus præstatur; & consequenter homo redditur per tales habit⁹ potẽs in actu primo operari.

499 *Respõd.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: constituitur potens operari dilectionem, concedo minorem: constituitur potens ad omissionem, nego minorem, & consequentia. Nam existentia diuina vnita personæ creatæ complet illam in ratione operatiuæ in ordine ad omnem operationem complemento per modum actus primi; & consequenter debet coniungi cum omni operatione abilla persona elicita; omnis enim operatio possibilis, possibiliter petit coniungi cum omni eo, quod ex parte actus primi se tenet respectu illius, & quia existentiæ diuinæ repugnat cum peccato coniungi; fit consequens, quod impediat peccatum impedimento actus primi; ac proinde non relinquat personam, quam existentem constituit expeditam in actu primo ad peccandum. Gratia autem habitualis, & habitus charitatis, etsi hominem iustum constituant potentem ad dilectionem, non autem præstant illi potentiam ad omissionem, nec ad odium contrarié oppositum dilectioni; & ideo vt possit omittere, non est necessarium, quod possit omissionem, aut odium cum gratia, & charitate coniungere: ex quo fit, quod possit omittendo dilectionem omissione peccaminosa, gratiam, & charitatem destruere.

500 *Ad confirmationem.* Et ex his ad confirmationem constat solutio: homo namque dilectionem omittens, non constituitur per habitum charitatis potens in ordine ad omittendum, sed tantum in ordine ad dilectionem; & ideo potest omissionem coniungere; cum non esse habitus charitatis, & illius infusionẽ impedire; persona autem creata existens existentia diuina completur per diuinam existentiã in ordine ad omnem operationem, & in ordine ad õmnem omissionem liberam operationis; & ideo non potest operationẽ, vel liberam operationis omissionem cum non esse diuinæ existentiæ coniungere, nec vnionem cum prædicta existentia destruere, vel impedire.

501 *Instabis* Instabis: licet habitus charitatis, in sententia supposita, non constituat voluntatem potentem ad omittendum influendo in omissionem, constituit tamen illam potentem liberé omittere; & tamen potest omissio impedire primam existentiam habitus charitatis, & illum præexistentem destruere: ergo

licet existentia diuina compleat personam creatam in ratione principij operatiui, potest per operationem impediri vnio existentiæ diuinæ, & præsupposita destrui. Minor supponitur. Consequentia videtur bona: nam omissio libera petit coniungi cum potentia, vt liberè operatiua: ergo si potest destruere, aut impedire formam, qua potentia constituitur potens libere omittere, poterit etiam operatio elicita à persona existente existentia diuina, vnionem cum diuina existentia destruere, quamuis per existentiam compleatur in ratione operatiuæ. Maior autem probatur: voluntas namque non est potens libere omittere dilectionem, nisi sit potens diligere; sed per habitum charitatis constituitur potens in ordine ad dilectionem: ergo per habitum charitatis constituitur potens ad liberè omittendum.

502 *Respõd.* Respondeo, distinguendo maiorẽ: vt principium influens in vtrumque extremum libertatis, nego maiorem: vt principium præbens virtutem ad dilectionem, & permittens in voluntate potentiam ad omissionem, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Nam, vt existat libera dilectionis omissio, non petit coniungi cum potentia libera sumpta adæquatẽ sed cum potentia libera, vt omissiua, secundum id, quo potentia in omissionem liberam influit; cumque ratione habitus charitatis non influat voluntas in omissionẽ, non petit coniungi cum habitu charitatis; & ideò potest illum destruere, aut impedire: existentia autem diuina complet complemento actus primi personam creatam suppositá vnione ad illam in ratione operatiuæ in ordine ad omnem operationem; & ideo omnis operatio à persona illi vnita procedens, debet cum diuina existentia coniungi: ex quo fit, quod nulla operatio ab illa persona proueniens possit vnionẽ destruere, vel impedire. Quomodo autem sine habitu inhærente saluetur potentia ad amorem suppositá essentiali dependentia amoris ab habitu charitatis, non est nostrum in præsenti examinare. Videantur Theologi 1. p. q. 12. 1. 2. q. 113. & 2. 2. q. 23. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. distinctione* 12. §. 3. & 4.

*Theologi.* *M. Sẽt.*

(?)

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA SECVNDA.

## An in Christo fuerit, vel potuerit esse fomes peccati?

## §. I.

### *Fomitis essentia explicatur.*

Nu. 1. *De fide est fuisse in Christo appetitũ sensitiuum. Probatur 1.*

EVisse in Christo appetitum sensitivum, extra cõtrouersiam est, & veritas fide certa; constatque ex epistola Agathonis, quæ refertur in 6. Synodo Generali, & in 8. supponitur, illis verbis: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius prædicamus, & vtramque proprietates naturales habere, confitemur, diuinam omnia, quæ diuina, humanam, omnia, quæ humana sunt absque vllo peccato.* Et ex Concilio Calcedonensi actione 5. vbi dicitur: *Christum rationalem animam perfectam assumpsisse, salua omni eius proprietate, & per omnia nobis similem absque peccato*; sed appetitus sensitivus est proprietas humanæ naturæ, & peccatum non est: ergo assumptus fuit à Verbo. Deinde: nam Christus est perfectus homo; & consequenter, non solum perfectus sub conceptu rationalis, sed etiam sub conceptu animalis; sed appetitus sensitivus est proprietas naturæ animalis, sicut voluntas est proprietas naturæ rationalis; & consequenter sine illo anima nequit esse perfecta: ergo inuenitur in Christo. Quod supponit D. Thom. *in præsenti, & infra q. 18. art. 2.* & cum illo omnes Theologi *in præsenti.* Et Scholastici cum Magistro *in 3. distinct. 17.*

*Conc. Calced.*

*Secũdo.*

Deinde extra controuersiam est, fuisse in Christo actus aliquos appetitus sensitiui, vt de Tristitia docet D. Thom. *in hac quæst. art. 6.* constatque ex capite 26. Matthæi, ibi: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Et de Timore art. 7. vt constat ex illo Marci 14. *Cœpit Iesus pauere, & tædere.* Et de Ira art. 9. Et patet ratione: nam potentia est propter actum; aliàs frustranea, & otiosa esset: cum ergo in Christo fuerit appetitus, fuerũt aliqui appetitus actus. Deinde: nam in Christo fuerunt actus sensuum internorum, & externorum: ergo etiam actus appetitus sentiui.

2 *Aliqui actus appetitus sensitiui fuerunt in Christo.*

His positis, vt examinemus, an in Christo fuerit fomes, oportet, quod breuiter explicemus quid sit fomes. Prima sententia docet: fomitem esse ipsum appetitum sensitivum, prout de se inclinatum ad obiectum delectabile, vel contra rationem, vel conformiter rationi. Ita Durandus *in 3. dist. 3. q. 3.* Hæc tamen sententia displicet communiter Theologis, & merito, reijciturque primo:

3 *Prima sententia.*

*Durãd.*

mo: quia in Adamo in statu Innocentiæ fomes non fuit, nec in Beatis manet; sed in Adamo in statu Innocentiæ, & in Beatis similiter est appetitus sensitiuus, quatum est de se inclinans in obiecta sensibilia cum prædicta indifferentia: ergo fomes non consistit in appetitu sensitiuo, vt de se prædicto modo inclinante in sensibilia obiecta. Præterea: vt enim Tridentinum diffinit *sessione 5. in decreto de peccato originali*, fomes dicitur peccatum, quia à peccato est, & in peccatū inclinat; sed si consisteret in appetitu sensitiuo, vt de se inclinante in obiecta sensibilia, effectus peccati originalis nō esset; quandoquidem conueniret etiam in statu innocentiæ antecedente peccatum: ergo fomes non consistit in sola entitate appetitus sensitiui. Denique: nam, vt docet Tridentinum *ibidem*, fomes in renatis relinquitur ad agonem; sed si esset ab appetitu sensitiuo indistinctus, nihilque illi superadderet, falsum esset ad agonem relinqui; sed ideo, quia à natura sensitiua separari non potest: ergo fomes non est solus appetitus sensitiuus secundum suam innnatam inclinationem.

*Reiicitur 1.*

*Secūdo.*

*Cōciliū Tridētinum.*

*Tertio.*

4 Secunda per extremum affirmat, fomitem non cōsistere in aliquo habituali, sed in actuali motu appetitus sensitiui circa obiectum delectabile præter ordinem rationis. Ita Vazquez *in præsenti disput. 61. cap. 3. n. 48. & infra disp. 118. cap. 4. n. 45.* Verum hæc sententia est falsa. Primo: quia est expresse contra D. Tho *1. 2. q. 82. art. 3. in præsenti art. 2. & infra q. 27. art. 3.* vbi docet: fomitem esse inordinatā inclinationem habitualem appetitus sensitiui in obiecta sensibilia præter ordinem rationis: ergo fomes non consistit in actu appetitus sensitiui, sed in ipso appetitu, vt in actu primo inordinatè inclinato.

Secundo: nam fomes in renatis relinquitur ad agonem, vt docet Tridentinum *vbi proximè*. Manet ergo in pueris baptizatis; at in pueris non est actualis motus appetus sensitiui in obiectum delectabile præter ordinem rationis: ergo non consistit in actu inordinato appetitus sensitiui, sed in illius inclinatione habituali. Tertio: nam fomes est in dormientibus, etiam si in illis nullus motus inordinatus appetitus sensitiui inueniatur: ergo nō in actu, sed in aliquo habituali, vel potentia cōsistit. Denique, nā in appetitu, vt expedite potente cōtra rationem insurgere, & rationē præuenire, saluatur essentia fomitis; sed hæc non in actu, sed in potentia consistit: ergo fomes non est actus inordinatus, sed inordinatio habitualis appetitus sensitiui.

*Reiicitur 1.*

*Secūdo.*

*Tertio.*

*Quarto.*

5 Tertia sententia

Tertia sententia, præter inclinationem innatam appetitus sensitiui, docet, fomitem superaddere qualitatem quādam morbidam inclinantem ad motus inordinatos in nobis relictam ex peccato originali, & in hac qualitate fomitē consistere affirmat. Pro hac referuntur Ochamus *in 3. q. 2. art. 1. & quodlib. 3. q. 10* Gabriel *in 3. dist. 3. q. 2. art. 1. & in 2. dist. 30 q. 2 art. 2. conclus. 3.* & Almainus *in 3 dist. 3. q. 2* Hanc sententiam, vt falsam, & improbabilem reiiciunt communiter Theologi *1. 2. q. 82 art. 1. ad 3.* Et meritò quidem: huius enim qualitatis causa assignari non potest: ergo admittenda non est, nec in illa essentia fomitis constituenda. Consequentia patet: & antecedens probatur: non enim causa huius qualitatis est Deus, nec homo per actum propriū, nec peccatum capitale Adami: ergo nō est assignabilis causa efficiens huius morbidæ qualitatis. Antecedēs pro prima parte constat primo: nam huiusce modi qualitas determinate inclinat ad malum; sed Deus non potest causare qualitatem determinatè ad malum inclinantem, & ad illud inducentem: ergo Deus non est causa illius qualitatis. Secundo: nam esto posset illam de potentia absoluta causare sine fundamento asseritur, illam causare de facto, sicut licet plures sentiant, posse Deum se solo habitu vitiosum producere, nullus tamen docuit, illum causasse aliquādo. Tertio: nam præfati Auctores asserunt, peccatum originale consistere in prædicta qualitate; sed Deus causa peccati originalis non est, nec illud causare potest de potētia absoluta: ergo nec potest causare illam qualitatem morbidam.

*Ochamus. Gabriel Almai.*

*Reiicitur.*

*Deus nō potest causare qualitatē, determinatè ad malū inclinantem.*

Quod autem homo illam per proprium actum non causet, certissimum est; cū deducatur ad paruulos in primo generationis instanti, in quo nihil operā-

6

rantur, nec capaces sunt eliciendi liberas operationes. Quod denique peccatū capitale Adami causa illius qualitatis non sit, de quo fuse 1.2. *loco nuper all. gr.* breuiter suadetur primo: nam peccatum capitale Adami fuit actus immanens voluntatis; sed actus immanentes nullam physicam entitatem efficiunt extra proprium subiectum: ergo causa esse non potest istius morbidæ qualitatis. Secundo: nam actus voluntatis Adami secluso diuino pacto, & transfusione voluntatum posterorum in ipsum, non erat potens de se ad causandam efficienter illam physicam qualitatem; sed ex pacto, & transfusione prædicta, non fuit physicé immutatus: ergo etiam pacto, & transfusione suppositis, manet impotens ad illam efficienter causandam. Denique: nam qualitas morbida, non solum in appetitu, sed etiā in voluntate adstruitur à prædictis Auctoribus; & cōsequenter non solum appetitum, sed etiam voluntatem moueret ad opperandum; sed nihil creatum extrinsecum voluntati potest illam ad operandum mouere in genere causæ efficientis, nisi sol⁹ Deus, qui est Auctor voluntatis, vt docet D. Thom. 1.2. *q.9. art.6. q.80. ar.1. & 1.p. q.105. art.4. q.111. art.2. & alibi sæpè*: ergo peccatum capitale Adami non potest qualitatem illam morbidam efficienter causare.

*Actus immanentes nō efficiūt entitatem physicā extra propriū subiectū*

Et ex his præclusum manet, quod aliqui Antiquiores somniarunt, & attribuitur Cordubæ *lib.1. q.45. puncto prim.*, nempe, causam effectricem extrinsecam illius physicæ qualitatis fuisse flatum, vel sibilum serpentis, quod esse omnino fictitium, conuincitur clare ex dictis, & insuper: nam flatus serpentis, vel effeciset illam physicam qualitatē sua naturali virtute, vel ex diuina eleuatione; neutrum potest dici: ergo causa efficiens extrinseca illius physicæ qualitatis, flatus, vel sibilus serpentis esse non potest. Maior cum consequentia tenet. Minor pro prima parte constat: nā vnde potuit flatus serpentis competere visna tiua ad efficiendam in nobis morbidam qualitatem inclinatem ad peccandum? Pro secunda etiam parte non minus est manifesta: nam Deus non potest supernaturaliter eleuare ad efficiendum id, quod ad malū inclinat, sicut nec potest illud se solo causare. Deinde: nam esto id posset efficere, nullum tamen fundamentum est ad asserendum serpentis flatum ad illam qualitatem efficiendam eleuasse de facto: ergo omnino est commentitium flatum serpentis fuisse causā effectricem extrinsecam illius morbidæ qualitatis.

7 *Flatus serpētis non potuit esse causa efficiēs extrinseca illius morbidæ qualitatis probatur 1.*

Secūdo.

Ex his etiam refutata manet quorundam Theologorum sententia, quam refert, nec improbabilē censet Magister Gregorius Martinez 1.2. *q.82. ar.3. dub.1.* asserentium, fomitem peccati consistere in qualitate physica inclinante ad obiectum delectabile præter ordinem rationis, formaliter solū distincta ab anima, & eius potentijs. Quam sentētiam miror valde tanto Magistro probabilem visam fuisse; ratio namque ob quam sententia præcedens de morbida qualitate visa est Theologis improbabilis est; quia illius causas efficientes non inueniunt; sed siue distinguatur realiter ab anima, & eius potentijs, siue realiter non distinguatur, eadem manet difficultas in illius causis assignandis: ergo si sententia constituens fomitem in qualitate morbida realiter distincta ab anima, improbabilis censetur, non potest consequenter probabile iudicari, quod fomitis essentia consistat in morbida qualitate realiter ab anima indistincta.

8 *Fomes peccati non cōsistit in qualitate physica inclinante ad obiectū delectabile formaliter distincta ab anima & eius potentijs. Probatur 1.*

Præterea: nam admissa illa morbida qualitate, facilius intelligitur realiter distincta ab anima, quam realiter indistincta: ergo sententia illam adstruēs realiter indistinctam ab anima, non minuit, sed potius auget improbabilitatem sententiæ illam realiter ab anima distinguentis.

Secūdo.

His ergo sententijs omissis, asserendum est, fomitem peccati consistere in inclinatione inordinata habituali appetitus sensitiui ad obiecta sensibilia præter ordinem rationis, ac proinde de materiali importare positiuam inclinationem appetitus, & de formali carentiam originalis iustitiæ frenantis appetitum, & illi rationi subijcientis. Ita D. Tho. *infra q.27. art.3. in corpore* illis verbis: *Oportet considerare, quod fomes, nihil aliud est, quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamē.*

9 *Fomes consistit in inclinatione habituali inordinata appetitus sensitiui ad obiecta sensibilia præter ordinē rationis.*

Quod

*Prob. ex D. Th. 1.* Quod etiam docuerat 1. 2. q. 82. art. 3. loquens de concupiscientia. *in 2. sententiarum. dist. 30. q. 1. art. 3. ad 2. & q. 4. de malo art. 2. ad 4. & ad 7.* vbi ait: *Concupiscientia contracta per originem, nihil est aliud, quam destitutio inferiorum virium à retinaculo iustitiæ originalis.* Hęc autem destitutio nihil est aliud, quam carentia iustitiæ originalis, cuius inter alios effectus, vnus erat, appetitum subratione continere, ita vt non posset contra rationem insurgere, quandiu ratio Deo maneret subiecta, vt docet Diuus Thom. 1. *p. quæst. 95. art. 2. 1. 2. q. 89. art. 3. p. 7. de malo art. 7. in 2. sententiarum dist. 21. q. 2. art. 3. & opusculo 2. cap. 186.* Ergo fomes pro formali consistit in carentia iustitiæ originalis, vt subijcientis appetitum sensitivum rationi.

10 *Secũdo probatur ratione.* Ratio autem habetur ex dictis; fomes enim non consistit in appetitu sensitiuo secundum se, alias fuisset in Adamo, & in Beatis maneret: ergo aliquid addendum est supra entitatem appetitus sensitiui, in quo essentia fomitis pro formali consistat; sed hoc non est actualis motus appetitus sensitiui in obiectũ delectabile, nec aliquid positiuum, vt constat ex dictis: ergo est aliqua priuatio, vel negatio; sed non alia, nisi carentia iustitiæ, vt frænãtis appetitum, illumque rationi subijcientis: ergo in hac carentia fomes pro formali consistit.

11 *Oppones* Obijcies: inclinatio habitualis appetitus sensitiui in obiectum delectabile præter ordinem rationis, est aliquid positiuum; sed in hac inclinatione consistit essentia fomitis: ergo non in priuatione, aut negatione formaliter. Consequentia tenet. Minor ex dictis habetur.

*Maior probatur 1.* Maior autem ostenditur primo: nã motus actualis in obiectum delectabile præter ordinem rationis, est aliquid positiuum; sed talis motus est effectus inclinationis habitualis: ergo huiusmodi inclinatio est aliquid positiuum: nam quod positiuum est, non potest in priuatione tanquam in causa contineri.

*Secũdo.* Secundo probatur maior: inclinatio elicita actualis voluntatis in obiectum diforme rectæ rationi, est aliquid positiuum; est enim peccatum commissionis, cuius essentiam in aliquo positiuo consistere; cum veriori sententia docuimus 1. 2. q. 71. art. 6. ergo pariter inclinatio habitualis appetitus sensitiui in obiectum delectabile præter ordinem rationis est aliquid positiuum.

12 *Respõdetur.* Respondeo, distinguendo maiorẽ: inclinatio habitualis remota, ab inclinatione expedita, & impedita præscindẽs, concedo maiorem: inclinatio habitualis proximé expedita ad motus inordinatos, nego maiorem: & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiam. Nam fomes non est inclinatio remota appetitus sensitiui ad motus inordinatos, sed inclinatio expedita importans de materiali entitatem appetitus, vt inclinantem in motus inordinatos, & de formali expeditionem in motus inordinatos, quæ expeditio consistit in negatione, vel in prîuatione formæ impediẽtis, quæ est aliquid positiuum, nempé originalis iustitia, vt appetitum rationi subijciens, ipsumque frænantis, ne contra rationem insurgeret: ac proinde quãuis inclinatio appetitus in motus inordinatos sit aliquid positiuum; non sequitur, fomitem pro formali in aliquo positiuo consistere.

*Ad primã probationẽ maioris.* Ad primam maioris probationem, quatenꝰ distinctioni traditæ obstare potest, concessã maiori, & minori, distinguo consequens tradita distinctione; & cõcedendo prædictam inclinationem sumptam remotè, & vt ab impedimento, & expeditione præscindit, esse aliquid positiuum; nego autem quod sit aliquid positiuum sumptam reduplicatiuè, vt proximé expeditam ad motus inordinatos, in qua, prout sic, fomitis essentia consistit; nec amplius secunda probatio conuincit.

13 *Replicabis.* Replicabis: motus inordinatus appetitus, est ab illo, vt inclinato in obiectum delectabile præter ordinem rationis inclinatione expedita; sed talis motus est aliquid positiuum: ergo inclinatio appetitus, etiam quatenus expedita, est aliquid positiuum. Patet consequentia: nam entitas positiua non potest effectiuè à priuatione, vel priuatiuo causari.

*Respõdetur.* Respondeo, distinguendo maiorem: ly *vt* reduplicante rationem formalem agendi, & continendi motus inordinatos, nego maiorem: reduplicante expeditionem tanquam remouentem prohibens, conditionemque requisitam,

con-

*Effectus positiue reducitur in priuationem tanquã in conditionẽ, & remouentẽ prohibens, nõ uero tanquam in causam.*

14

concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Licet namque effectus poſitiuus, nõ poſsit, vt in cauſam, & rationem formalem cauſandi in priuationem reduci; quod autem reducatur in illam tanquam in conditionem, & vt remouentem prohibens, non repugnat, imo neceſſarium eſt; cum agens ſupponitur impeditum per aliquid poſitiuum, vt motus progreſſiuus in carentiam catenarum reducitur, & motus grauis aliquo impedimento detenti, ne in centrum deſcendat, redducitur in remotionem, vel carentiam impedimenti.

Et hoc tantum modo reducuntur motus inordinati appetitus in illius expeditionem: erat enim ex vi iuſtitiæ originalis detentus, & rationi ſubiectus, ne poſſet contra illam inſurgere; vnde vt poſſet expedite, neceſſaria erat carentia originalis iuſtitiæ, vt ſubijcientis appetitum rationi, & quia huiuſmodi carẽtia fuit effectus peccati originalis, ideò à Tridentino dicitur, fomitem dici peccatum: *Quia à peccato eſt; & in peccatũ inclinat*, non quia inclinatio appetitus fuerit effect⁹ originalis peccati, ſed quia expeditio inclinationis, ſcilicet, carentia originalis iuſtitiæ, vt rationi appetitum ſubijcientis, eſt pœna, & effectus peccati originalis, & quia per ſanctificationem, quamuis infundatur gratia, non tamen infunditur originalis iuſtitia; fit conſequens, quod deſtructo peccato per gratiam, remaneat in iuſtificatis fomes, ideſt, appetitus ſenſitiuus, vt inclinans expeditè in motus inordinatos, quem *ad agonem relinqui; nihil tamen obeſſe, non conſentientibus*, docet Concilium ibidem. Hinc Paulo contra ſtimulum carnis clamanti, & ab illo liberari petenti, reſponſum eſt: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Cõuenientius exiſtimando victoriã reportare per gratiam contra fomitem vrgẽtem, quam illum extinguere, vel ligare.

15 *Inſtabis*

Inſtabis: ergo eſſentia fomitis non eſt conſtituenda in expeditione, aut priuatione formaliter, ſed in poſitiua inclinatione appetitus tanquam in ratione formali, & in priuatione ſolum modo, vt in conditione. Probatur conſequentia: nam fomes in actu primo, idem eſt, quod appetitus, vt ſufficiens cauſa motus in obiectum delectabile præter ordinẽ rationis; ſed appetitus in ratione cauſæ ſufficientis, non cõſtituitur per expeditionem, ſeu carentiam impedimenti, vt formam, vel rationem formalem, ſed tantum vt conditionẽ: ergo fomes quoad eſſentiam non conſiſtit formaliter in carentia impedimenti, ſed in aliquo poſitiuo tanquam in ratione formali, & vt conditione, vel complemento in carentia impedimenti, & in expeditione appetitus.

16 *Reſpõdetur 1.*

Huic inſtantiæ occurrere poſſumus primo, admittendo conſequẽs illatum, quod nempé, fomes prout in actu primo, non conſtituatur adæquate priuatione impedimenti, aut illi⁹ negatione, ſed poſitiua inclinatione in obiectum delectabile tanquam ratione formali, non tamen ſumpta abſolute, ſed vt completa per expeditionẽ formaliter, quæ conſiſtit in carentia impedimenti; hoc enim ſufficit, vt ex defectu expeditionis deficiat eſſentia fomitis, & vt in Adamo non fuerit in ſtatu innocentiæ, in quo illius appetitus impeditus erat per originalem iuſtitiam, ne poſſet in motus inordinatos contra rationem inſurgere; hoc etiam ſufficit, vt in Beatis non maneat, & vt in Chriſto Domino non fuerit. Sicut ſaluatur potentiam generatiuam, conuenire ſoli Patri, & in Filio non reperiri, per hoc quod Filio deſit Paternitas, per quam eſſentia diuina cõpletur in ratione principij quo generãdi, quamuis Filio conueniat eſſentia, & ſicut vt deficiat obiectũ formale quo fidei, ſufficit defectus obſcuritatis in reuelatione diuina, quamuis obſcuritas non ſit ratio formalis conſtituens obiectum fidei, ſed complementum, aut neceſſaria conditio.

17 *Secundo reſpõd.*

Secundo reſponderi poteſt, negando conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo maiorem: idem eſt in ſupponendo, concedo maiorem: idem eſt in ſignificando, nego maiorem: & prætermiſſa minori, nego conſequentiam. Sicut iſta conſequentia non valet: *Sacramentum nouæ legis idem eſt, quod cauſa inſtrumentalis gratiæ ſignificans gratiã, quam cauſat; ſed in ratione cauſæ gratiæ non conſtituitur Sacramentum nouæ le-*

gis

*gis per rationem significatiæ, tanquã per rationem formalem, sed per virtutem effectiuam gratiæ, significatione ingrediente tantummodo, vt conditione: ergo in ratione sacramenti non cõstituitur per significationem, tanquam per rationem formalem.* Quæ cõsequentia ideò deficit, quia licet Sacramentum nouæ legis, & causa instrumentalis gratiæ sint idem in supponendo, non tamen sunt idem in significando, eo quod sub hoc nomine, *causa instrumentalis*, de formali importatur vis causatiua, sub nomine autem *Sacramenti*, vis significatiua importatur de formali. Et similiter ista consequentia non valet: *Pater diuinus idẽ est, quod genitor filij; sed in ratione genitoris, non constituitur formaliter per relationẽ sub conceptu referẽtis: ergo in ratione Patris non importat de formali relationem, vt referentem.* Quæ consequentia eodem defectu laborat, quia nempé, etsi Pater, & genitor Filij, idem sint in supponendo, non tamen sunt idem in significando. Id ipsum in præsenti contingit: nam licet fomes prout in actu primo, idẽ sit in supponendo, quod appetitus, vt causa sufficiens motus in obiectum delectabile præter ordinem rationis, non tamẽ sunt idem in significando; vnde potest expeditio, vel carentia impedimenti respectu appetitus, vt potentis motus inordinatos causare, ingredi solum vt conditio, aut complementum, & respectu fomitis, vt ratio formalis constitutiua illi⁹ se habere.

18 *Fomes peccati foret in natura in puris naturalibus cõdita. Probatur.*

Ex dictis obiter colligo, fomitẽ peccati non solum esse in natura per peccatum corrupta, sed etiam futurum esse in natura in puris naturalib⁹ cõdita. Quod patet: nã fomes peccati idem est, quod inclinatio appetitus expedita in obiectũ delectabile præter ordinẽ rationis; sed in natura in puris naturalibus foret hui⁹ modi inclinatio appetitus expedita: ergo naturæ sic conditæ competeret fomes peccati. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: inclinatio appetitus expedita, solum addit supra inclinationem appetitus, carentiam formæ impedientis appetitũ, ne motiuus in ordinatis contra rationem insultet; sed in natura in puris naturalibus condita, esset carentia formæ impedientis appetitum, ne contra rationem insurgeret: ergo in illa in tali statu esset inclinatio appetitus expedita. Minor, in qua est posita difficultas, probatur naturæ enim in puris naturalibus conditæ solum conuenirent ea prædicata, quæ essent debita naturæ: ideò enim ille status dicitur puræ naturæ, quia solum includit prædicata, quæ naturæ debentur; sed forma appetitum frænans, ne contra rationem insurgat, non est debita naturæ, sed vel est supernaturalis, vel saltim supra exigentiam naturæ: ergo in natura sic condita, non esset forma appetitum sensitiuum impediens, illumque rationi subijciens; & consequenter naturæ in tali statu cõpeteret carentia formæ impedientis appetitum, ne contra rationem motibus inordinatis insurgeret.

19 *In statu puræ naturæ carentia iustitiæ originalis esset negatio, modo autẽ est priuatio.*

Cæterum cum hoc discrimine, quod huiusmodi carentia esset negatio in statu puræ naturæ; in statu autem originalis peccati est priuatio. Et ratio discriminis est: nam iustitia originalis, per quam appetitus frænabatur, fuit debita Adamo, & illius posteritati ex diuina ordinatione, qua fuit à Deo statutum, vt posteri nascerentur cum originali iustitia quantum ad omnes effectus, si præceptum obseruaret, & ideo carentia originalis iustitiæ est in posteris Adami carẽtia formæ debitæ, inquo priuatio consistit; homo autem in puris naturalibus, non esset ordinatus ad originalem iustitiam; & consequenter ex nullo principio esset debita, & quia negatio prout à priuatione distincta, est carentia formæ indebitæ; fit, quod carentia subiectionis appetitus ad rationem, & formæ impedientis appetitum, ne cõtra rationem insurgeret, non priuatio, sed negatio impedimenti foret.

20 *Oppones.*

Nec refert, si opponas ex Tridentino sessione 5. decreto de peccato originali, vbi tradit: *Fomitem causari in nobis ex peccato originali*; sed in statu puræ naturę peccatum originale non esset: ergo naturæ in prædicto statu fomes non cõueniret. Patet consequentia: nam effectus sine causa esse non potest. Confirmatur: nam ibi traditur, *fomitẽ peccati, dici peccatum, quia à peccato est, & in peccatum inclinat*; sed in statu puræ naturæ nõ esset effectus peccati: ergo quã-

*Cõfirmatur.*

uis

uis in peccatum inclinaret appetitus naturæ sic conditæ, non tamen prædicta inclinatio posset fomes nuncupari.

21 *Respõd. Fomes, nõ est effectꝰ peccati per se, sed tãtũ per accidẽs; et ideo potest peccato non existente, existere.*

Nam respondeo ad obiectionem: fomitem in nobis, non esse effectũ peccati per se, sed vt remouentis prohibẽs, quia nempé, iustitia originalis, quæ si Adamus non peccasset, erat in nos deriuanda, per quam appetitus subijciebatur rationi, fuit per peccatum ablata: ex quo non sequitur, fomitem futurum nõ esse in natura in puris naturalibus condita; licet namque effectus non possit esse sine causa illius per se, potest tamen esse sine illius causa peraccidens, vt constat in motu grauis in centrum, qui supposito impedimento detinente, ne cum centro coniungatur, prouenit à tollente impedimentum, tanquam à causa per accidens, & vt remouente prohibens: ex quo tamen non colligitur graue in centrum non mouendum, si talis causa nõ esset; si namque graue non impediretur, in proprium locum descenderet, quamuis causa remouens impedimentum, deficeret. Ita in præsenti contingit; quia namque iustitia originalis fuit Adamo à Deo concessa pro se, & sua posteritate sub conditione, quod præceptum de non comedendo de ligno non transgrederetur, quæ iustitia continueret, impediretque appetitum, peccatum iustitiam remouens fuit causa fomitis peraccidens per modum remouentis prohibens; ex hoc tamen non colligitur, quod si homo fuisset conditus sine originali iustitia, quæ impediebat appetitum, ne contra rationem insurgeret, fomes in illo non esset, & habilitas, inclinatioque ad motus inordinatos expedita.

22 *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem respondeo, Tridentinum non asserere fomitẽ, ideò dici fomitem, quia ex peccato est, & in in peccatum inclinat; sed quia in Scriptura fomes, peccatum non semel dicitur, vt saluet, peccatum nõ esse, & nihil damnationis in renatis per Baptismum manere, quamuis post Baptismum perseueret, explicat testimonia Scripturæ, in quibus peccatum dicitur, ideò dici peccatum, non quia peccatum sit quoad essentiã, & formaliter, sed quia à peccato est, & in peccatum inclinat: ex quo tantum sequitur, fomitem conuenientem naturæ in puris naturalibus conditæ, non fore dicendum peccatum ex illo duplici capite, non autem non fore fomitem, posset tamen in prædicto statu fomes nuncupari peccatum, nõ quia effectus peccati esset, sed quia in peccatum inclinaret; cum enim duplex ratio assignetur à Concilio, cur fomes dicatur peccatum, quamuis in prædicto casu vna non interueniret, dummodo alia intercederet, posset ob illam dici peccatum. Et quidem cum non solum effectui nomen adaptetur causæ, sed etiam causa nominetur nomine effectus, & in casu naturæ in puris naturalibus conditæ, quamuis fomes, effectus peccati non esset, esset tamen causa peccati, & in illud inclinaret, posset in prædicto casu fomes appellari peccatum, non quia esset peccati effectus, sed quia esset illius causa.

23 *Instabis*

Sed dices: fomes non potest habere aliam causam, quam peccatum; sed in statu puræ naturæ peccatum non præcessisset: ergo in tali statu fomes peccati non esset. Minor, & consequentia cõstat. Maior autem probatur: nam fomes non esset à Deo, vtpote in peccatum inclinans, Deo autem repugnat in peccatum inclinare, & esse causam specialem formæ in peccatũ inclinantis; sed negato, Deum esse causam fomitis, non potest alia illius causa, quam peccatum assignari: ergo fomes solum potest à peccato causari.

24 *Respõdetur. Deꝰ potest esse specialis causa fomitis, nõ autẽ habitus vitiosi.*

Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem nego maiorẽ. Cum enim omnis pœna sit à Deo; fomes autem, prout in nobis, sit pœna originalis peccati, non potest non esse à Deo: vnde ex hoc capite non potest repugnare homini in puris naturalibus condito, in quo tamen pœna non esset. Insuper: nã in fomite duo importantur, nempé, inclinatio appetitus sensitiui in obiectum delectábile præter ordinem rationis, & carentia formæ subordinãtis appetitum rationi, quorum vtrumque esset à Deo. Secundum, vt à nõ cõferente formam, appetitum frænantem: primum, vt causa naturæ sensitiuæ, quæ secundum omnem inclinationem, quam habet, est à Deo conditore naturæ. Nec obstat pro-

batio in contra: nam inclinatio appetitus non eſt in deformitatem, ſed in boni tatem delectabilem obiecti, licet autem Deo repugnet, efficere inclinationem in deformitatem formalem, quo circa non poteſt ſe ſolo habitum vitioſum infundere, non tamen repugnat Deo, cauſare ſe ſolo efficienter inclinationem in bonitatem delectabilem, & in materiale peccati.

## §. II.

### *Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio.*

25 VIso iam, in quo fomitis eſſentia conſiſtat, reſtat, vt examinemus, an fuerit in humanitate Chriſti, vel ſaltim eſſe potuerit de potentia Dei abſoluta, tam in actu primo, ſcilicet, habitu, quam in actu ſecundo quoad motus inordinatos? Qua in re prima ſententia, ſeu potius error defendit, de facto extitiſſe in Chriſto motus appetitus ſenſitiui præter ordinem rationis, paſsumque eſſe pugnam carnis contra ſpiritum. Ita Theodorus Hæreticus relatus, & condemnatus *in 5. Synodo actione 8. canone 12.* Secunda ſententia docet, fuiſſe in Chriſto fomitem in actu primo, non tamen quoad motus inordinatos contra rationem inſurgẽtes. Hæc tribuitur Durando *in 3. diſtinct. 3. q 3.* eo quod videtur docere, fomitis eſſentiam cõſiſtere in inclinatione appetitus accepti ſecundum ſe, quem ſic ſumptum fuiſſe in Chriſto, eſt certum ſecundum fidem. Tertia docet, de facto nõ fuiſſe in Chriſto, nec motus inordinatos, nec fomitẽ in actu primo, potuiſſe tamen de potentia abſoluta quoad vtrumque in humanitate inueniri. Ita Vazquez *diſput. 61. cap. 8. num. 47.* Cui conſentiunt Lugo *diſp. 26. ſect. 4. num. 52.* Gaſpar Hurtado *diſp 10. dificultat. 8.* Beccanus *cap. 12. q. 5.* & Arriaga *diſp. 35. ſect. 4 ſub ſectione 2. à num. 19.*

Secũda.

Durãd.

Tertia.

Vazq̃z Lugo Gaſpar. Hurt. Beccan. Arriag.

26 Quarta ſententia docet, potuiſſe de potentia abſoluta Verbum naturam aſſumere cum fomite quoad eſſentiam ſumptum prout in actu primo ligatum, & impeditum, ne exiret in actum ſecundum prorumpendo in motus inordinatos. Hanc tenet Raguſa *diſp 115.* Vltima, & vera ſententia docet, nec fuiſſe de facto, nec potuiſſe eſſe, etiam de potentia abſoluta fomitem, vel per modum actus primi, vel reductum ad actũ ſecundum per motus inordinatos. Ita Medina *in hac quæſt. in commento art. 2.* Nazarius *controuerſ. vnica* Illuſtriſsimus Araujo *dub. 2.* Magiſter Sancto Thoma *diſp. 16. art. 2* Zippullus *art. 2. dub. 1. 2. & 3.* Lorca *diſp. 58. num. 10.* & communiter Diſcipuli D. Thomæ *in præſenti art. 2.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *in præſenti diſput. 34. ſect. 2.* Granadus *controuerſia prima de Incarnatione tract. 10. diſp. 4. num. 6.* Martinus Perez *de Incarnatione diſput. 27 ſect. 6.* & Puente-Hurtado *diſp. 64. ſect. 2* Si verum ſit Deum non poſſe de potentia abſoluta appetitum ſenſitiuũ ad malum ſpeciali influxu excitare.

Quarta ſentẽtia

Raguſa. Quinta, & vera ſentẽtia

Medin. Nazar. Araujo. M. S. Thom. Zippul. Lorca.

Suaꝛ. Gran.

Mart. Perez. Hurt.

PRIMA CONCLVSIO. *De facto non fuerunt in humanitate Chriſti motus inordinati appetitus ſenſitiui.* Ita vniformiter Theologi in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum cenſeant Hæreticum. Et ſuadetur primo ex *5. Synodo actione 8. canone 12* vbi damnatur Theodorus, eo quod aſſeruerit, alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum à paſsionibus animæ, & deſideriis carnis moleſtias patientem, & à deterioribus paulatim reddentem, vbi vt rectè notauit Vazquez *diſp. allegata num. 50.* non ſolum in Theodoro damnatur, alium eſſe Dei Verbum, & alium hominem Chriſtum, ſed etiam quod aſſeruerit, hominem Chriſtum moleſtias carnis paſſum fuiſſe; ſed fomes in actu ſecundo in carnis moleſtijs, hoc eſt, in motibus carnalib⁹ appetitus contra ſpiritum, & rationem, conſiſtit: ergo aſſerendum eſt, & certa fide tenendum huiuſmodi motus in Chriſto non extitiſſe.

27 Prima cõcluſio

Prob. 1. ex 6. Synodo.

Secundo probatur ex PP. aſſerentibus, in Chriſto non fuiſſe pugnam carnis contra ſpiritum, quam Paul⁹ explicat ad Roman. 7. illis verbis: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum*

28 Secũdo prob. ex PP.

*lum hoc facio* Et insuper: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius?* &c. Id docent Leo Papa *epistola* 11. *circa finem* Augustinus *libro primo contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 71. *libro secundo de peccatorum meritis, & remissione cap.* 29. *& libro de correctione, & gratia cap.* 11. Cyprianus *in sermone de ieiunio, & tentationibus Christi.* Damascenus *libro tertio de fide cap.* 20. *&* 23. Ac tandem D. Thom. *in hac quæst. art.* 2. *quæstione* 27. *art.* 3 vbi fomitem excludit ab humanitate Christi: & *quæstione* 41. *art.* 1. *ad tertium*, vbi tentationem carnis à Christo excludendam docet.

*Leo Papa. S. Aug.*

*Cypriã.*

*Damasc. D. Th.*

29 *Tertio prob. ratione.*

Tertio probatur: nam prædicti motus non essent in Adamo in statu innocentiæ, nec erunt in statu gloriæ, nec fuerunt in Beatissima Virgine, vt docent vniformiter Theologi: ergo non fuerunt in Christo. Quarto: nam si illi motus fuissent in Christo, fuissent in illo peccata: consequens est hæreticum: ergo prædicti motus in Christo admittendi non sunt. Maior probatur: motus appetitus sensitiui in obiectum delectabile præter ordinem rationis in eo, qui illos vitare potest, peccaminosi sunt, vt fatẽtur omnes Theologi; sed Christus Dominꝰ potuit prædictos motus vitare, ne cõtra rationem insurgerẽt, nec rationem præuenirent: ergo essent in illo peccata. Minor ostenditur: nam beati, vel ratione visionis beatificæ, vel ratione alteriꝰ doni, possunt prædictos motus vitare; Adamus etiam in statu innocentiæ illos vitare poterat ratione originalis iustitiæ; sed Christus Dominus fuit beatus à primo suæ conceptionis instanti, habuit etiam in se iustitiam originalem quoad effectum subijciendi appetitum sensitiuum rationi: ergo potuit prædictos motus vitare, ne contra rationem insurgerent, nec rationem præuenirent.

*Quarto.*

30 *Deniq; prob. duplici ratione D. Tho.*

Præterea, id ipsum ostenditur duplici ratione D. Th. *in præsenti art.* 2. Prima est: nam ad finem redemptionis non potuerunt conducere motus inordinati appetitus sensitiui; aliàs veritas humanæ naturæ illis non manifestabatur, prout distinguitur à bruto, cum prout sic, in illos non inclinetur, sed potius illos abhorreat, vtpote aduersantes obiecto rationi conforme, in quod rationalis natura, & sensitiua, vt in homine, naturaliter inclinat: ergo non fuerunt in Christo. Secunda ratio est: nam in Christo fuerunt gratia, & virtutes in summo perfectionis gradu: ergo in illo fuit appetitus plenè rationi subiectus; & consequẽter non potuit in motus inordinatos cõtra rationem insurgere. Secunda consequentia patet: nam quod appetitus in prædictos motus prorumpat, prouenit ex defectu subiectionis ad rationem. Prima autẽ probatur; etenim virtutes morales appetitui conuenientes, illum rationi subordinant, & quo perfectiores sunt, illum perfectius subijciunt: ergo virtutes in summo illum summè rationi subijciũt; & consequenter plenè rationi subordinant, ita vt non possit contra illam insurgere. Quam rationem inferius examinabimus.

Modo contra conclusionem arguitur primo: Christus enim passus fuit interiorem tentationem carnis; sed hæc consistit in motibus appetitus aduersantibus rationi: ergo fuerunt huiusmodi motus in Christo. Maior probatur, vt enim docet D. Th. *infra q.* 41 *art.* 1. Christus tentari voluit à Dæmone, vt illum vincens nobis contra tentationes præberet auxilium, ideſt, vt *ibi* explicat Caietanus: *Vt sua tentatione nobis mereretur contra tentationes auxilium, & insuper ad nostrum exemplum, vt scilicet nos instrueret, qualiter Diaboli tentationes vincamus.* Sed rationes istæ æquè probant de tentationibus carnis: ergo Christus tentationem carnis sustinuit. Minor probatur: nam Christus tentationem carnis vincens, nobis mereretur auxilia ad similes tentationes vincendas, daretque nobis exemplum qualiter vincendæ sint: ergo oportuit ad hunc finem, quod Christus fuerit interius ab appetitu sensitiuo tentatus.

31 *Arguitur 1.*

*Caiet.*

Confirmatur: nam Divus Thomas *in hac quæstione articulo primo*, ideò excludit peccatum à Christo, quia nec ad finem redemptionis conducit; cum potius efficaciam redemptionis impediat, nec ad veritatem humanæ naturæ

32 *Cõfirmatur.*

ostendendam; cum contra naturam sit, nec vt nobis virtutis exemplum daret; cum peccatum opponatur virtuti; sed motus appetitus contra rationem insurgere, & ab illa superari, potest ad finem redemptionis conducere meritorié in nobis causando auxilium contra similes motus contra rationem insurgentes, & insuper deseruire potest ad exemplum virtutis, nempé ad similes tentationes vincendas, in quo maximé ostenditur virtus, iuxta illud Pauli: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*: ergo oportuit, quod motus appetitus sensitiui insurgerent contra rationem in Christo, vt vincerentur ab illo.

33 *Respondet D. Thom.*

Respondet D. Thom. ibi solutione ad tertium: *Christum tentari voluisse in omnibus absque peccato; hæc autem est differentia inter tentationem à Dæmone, & tentationem à carne, quod illa, quæ fit ab hoste, potest esse sine peccato, quia fit per solam exteriorem suggestionem: tentatio autem, quæ est à carne, nõ potest esse sine peccato, quia huiusmodi tentatio fit per delectationem, & concupiscentiam. Et sicut Augustinus dicit libro 19. de Ciuitate Dei cap. 4. Nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit aduersus spiritum; & ideo Christus tentari voluit ab hoste, sed non à carne.* Iuxta quam doctrinam ad argumentum respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, nego vtramque partem minoris. Cum enim peccatum non possit esse meritorium, nec virtutis exemplum, & motus appetitus sensitiui contra rationẽ insurgentes nonnullum peccatum sint; fit consequens, quod non possint ad prædictos fines conducere. Et ex his constat confirmationis solutio.

34 *Instabis*

Sed contra Angelici Præceptoris doctrinam obstat communis obiectio; etenim tentatio carnis ab interiori appetitu potest sine peccato inueniri: ergo ex eo quod peccatum sit, non debet à Christo excludi. Probatur antecedens; vt enim docet Tridentinum sessione quinta decreto de peccato originali: *Fomes in renatis relinquitur ad agonem, nihil tamen non consentientibus nocet.* Quæ doctrina accipienda est de fomite in actu secundo, ideſt, de motibus appetitus sensitiui contra rationem insurgentibus; at si prædicti motus, & tentatio ex illis orta, non posset sine peccato inueniri, fomes in actu secundo aliqualiter noceret non consentientibus; cum peccatum veniale, etsi grauiter non noceat, noceat tamen aliqualiter, vt omnibus est in confesso: ergo tentatio carnis interior orta ex motibus inordinatis appetitus sensitiui, potest sine peccato contingere; & consequenter non debet à Christo excludi, eo quod peccatum sit.

35 *Prima Theologorũ solutio.*

Huic obiectioni varié occurritur à Theologis, *loco vbi proximè*. Prima solutio ait: tentationem ab intrinseco, non dicere quamcumq; delectationem carnalem, sed illam, quæ aduersus spiritum est, & licet non omnis carnis delectatio sit mala: nam Christus ex pane delectationem capiebat, quæ quidẽ mala non erat; delectatio autẽ, seu concupiscientia carnis, quæ aduersus spiritũ est, nonnullum peccatum est, quia non dicit motum naturalẽ absoluté, sed motũ præter rationem; & ideò omnis tẽtatio ab intrinseco est aliquale peccatũ. Hæc tamen interpretatio præclusa manet ex dictis, & reijcitur primo: nam actus fomitis, non est carnalis delectatio appetitus sensitiui absoluté, sed præter ordinem rationis; & tamen peccatum non est, quandoquidem non nocet non consentientibus, vt docet Tridentinum, *vbi proximè*: ergo non omnis delectatio carnalis præter ordinem rationis, obtinet rationem peccati. Secundo: nam motus primo primus appetitus sensitiui erga obiectum delectabile præter ordinem rationis, est carnalis delectatio insurgens aduersus spiritum; & tamen peccatũ non est: ergo nõ omnis tẽtatio ab intrinseco, est formaliter peccatum.

*Reijcitur* 1.

*Secũdo.*

Secunda solutio est: ideò à Diuo Thoma dici tentationem ab intrinseco non posse sine peccato inueniri, nõ quia in se peccatum sit, sed quia nunquam sine peccato, quod sit illius origo inuenitur, quia huiusmodi tentatio est à fomite, qui in nobis ex peccato originali deriuatur, ob quam rationem docet Tridentinum, fomitem dici peccatum.

36 *Secũdo respõdẽt alij.*

Cæte-

Cæterum contra istam solutionem facit primo; ex hoc, quod carnalis delectatio, quæ aduersus spiritum est, sit peccatum à denominatione extrinseca sūpta a peccato originali, quia deriuatur ex illo, nō probari, quod non fuerit in Christo: ergo dicta interpretatio ad mētem D. Th. non est. Probatur antecedens: nā etiam fames, & sitis ortum ducunt, & deriuantur ex peccato originali; & consequēter possunt dici ab extrinseco peccata; sumpta denominatione à causa, ex qua originantur; & tamen fuerunt in Christo: ergo ex eo quod carnalis delectatio præter ordinem rationis sit ea ratione peccatum, non sequitur in Christo non fuisse.

*Cōtra 1.*

37 *Deinde.*

Deinde: nam quod tentatio ab intrinseco sine peccato non sit, probat D. Tho. ex Augustino *lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 4.* vbi loquens de concupiscentia carnis, quæ aduersus spiritum militat, ait: *Nec enim nullum est vitium, cum sicut dicit Apostolus, caro concupiscit aduersus spiritum, cum sicut idem dicit, spiritus cōcupiscit aduersus carnem.* Vbi, vt clarè constat, concupiscentiam carnis aduersus spiritum nonnullum vitium esse, inde probat Augustinus, quia spiritus illi aduersatur, illique contradicit; sed spiritus non aduersatur omni, quod peccatū dicitur per extrinsecam denominationem à peccato originali, eo quod ab illo causatur, vt constat in fame, & siti: ergo iuxta Diuum Thom. & Parentem Augustinum, concupiscētia carnis militans aduersus spiritum, non ideò solum non potest sine peccato inueniri, quia peccatum est per extrinsecam denominationem à peccato originali, ex quo vt ex causa deriuatur.

38 *Tertia solutio.*

Tertia solutio, eaque frequentior est: tentationem interiorem cum concupiscentia carnis, non posse sine peccato inveniri in humanitate Christi; benè tamen in puris hominibus, eo quod istis quamuis gratia præsto sit, qua possint tentationi carnis resistere, illique non consentire; non tamen semper possunt concupiscentiam, scilicet, motus inordinatos coercere; in Christo autem ratione supereminentis gratiæ erat facultas coercendi omnē inordinatum motum, vitandique, ne contra rationem insurgeret: vnde si illos non vitaret, imputarentur ad culpam. Ita Medina *ad articulum D. Th. citatum*, quem frequētius Recentiores sequuntur.

39 *Oppones 1.*

Sed oppones contra istam solutionē primo: nā iuxta hanc explicationē non debuisset asserere D. Thom. Christum non fuisse passum interiorē tētationem, quia tentatio interior à carne, nō potest sine peccato inueniri absolutè, sed quia in illo non poterat sine peccato inueniri; at causalitas D. Th. non est cum limitatione ad Christum, sed absolutè, quia scilicet, talis tentatio nō potest sine peccato inueniri: ergo tradita explicatio menti D. Tho. non congruit.

40 *Secundo.*

Secundo: nam D. Tho. probat prædictam causalem ex Augustino *lib. 19. de Ciuitate Dei*, vbi docet: *Non esse nullum vitium cum caro aduersus spiritū concupiscit*; at Augustinus non potest explicari cum limitatione ad Christum, sed absolutè: ergo D. Thom. prædictam explicationem non patitur. Minor, cui ineſt difficultas, probatur. Primo: nam Augustinus loquitur de eo, quod de facto contingit, nempé, de concupiscentia de facto insurgente contra spiritum; sed in Christo hoc numquam de facto accidit: ergo non loquitur cum limitatione ad Christum.

*Minor probatur 1.*

Secundo: nam quod nullum vitiū non sit cum caro aduersus spiritū cōcupiscit, probat Augustinus ex alijs verbis Apostoli asserētis: *Spiritū concupiscere aduersus carnē* ac si apertius Augustinus in hunc modum argueret: non potest nullum vitium esse, cui spiritus contradicit; sed spiritus contradicit concupiscentiæ appetitus præter ordinem rationis: ergo hæc concupiscentia non potest non esse vitium; at spiritum concupiscere aduersus carnem, in nobis verificatur: ergo doctrina Augustini asserentis, non esse nullum vitium cum caro aduersus spiritum concupiscit, non limitatur ad Christum, sed etiam ad nos extenditur.

*Secūdo.*

41 *Ad 1. probationē respond.*

Respondeo ad primam replicā, negando maiorem: nam causalis D. Tho. doctrinalis, & vniuersalis est, intelligenda tamen in subiecto potēte illam coercere, siue in Christo, siue in alijs; ex

qua ſubſumpta minori, quod in Chriſto fuit facultas ad omnem tentationem coercendam, infertur rectè tentationē interiorem non poſſe in illo ſine culpa reperiri.

42 *Ad ſecūdam. Ad 1. minoris probationem Ad ſecūdam.*

Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius primam probationem, nego maiorem. Nam loquitur de eo, quod dicit Apoſtolus: *Quod caro cōcupiſcit aduerſus ſpiritum*, in quo dicto docet, aliquod vitium includi abſtrahendo ab hoc, quod de facto cōtingat, vel non contingat. Ad ſecundam, conceſſa maiori, & minori, nego conſequētiam. Vt enim rectè inferat Auguſtinꝰ, concupiſcentiam carnis aliquale vitium eſſe, ex eo quod ſpiritus illi reſiſtit, & aduerſatur, ſufficit, quod vitium ſit in potente illam coercere: nam hoc ipſo quāuis in nobis non adſit facultas ad illam remouendam; adeſt tamen in nobis obligatio, vt illi nō conſentiamus, ſed ei viribꝰ gratiæ reſiſtamꝰ, & eo ipſo, quod ſpiritus illi aduerſetur, optima conſequentia colligitur, illum in quo eſt ad illam coercendam facultas, ad eam coercendam teneri: ex quo vlterius fit, quod peccatum ſit in tali ſubiecto formaliter.

43 *Vltima ſolutio.*

Vltima ſolutio eſt, loqui D Thom. non de peccato formaliter, ſed de peccato obiectiué, cauſaliter, & inclinatiué, quia nempé, concupiſcentia carnis aduerſus rationem, & motus appetitus ſenſitiui in obiectū delectabile præter ordinem rationis, ex quibus tentatio interior cauſatur, quamuis rationem præueniant; & ideò non ſint peccata formaliter, in peccatum tamen inclinant, & nō ſolum fuit indecens Chriſto peccatum, ſed etiam actus proximé ad peccādum inclinans. Pro qua explicatione facit, quia D. Thom. ductus fuit auctoritate Auguſtini, *loco proximè allegato*. Verba autem Auguſtini ſufficiēter explicantur de peccato ſumpto, non pro peccato formaliter, ſed pro inclinatione ad peccatum: nam vtitur nomine vitij, docēs: *Non eſſe nullum vitium cum caro aduerſus ſpiritum concupiſcit*: vitium autem propriè ſignificat habitum ad peccandum inclinantem; ac proinde, vt concupiſcentia, vitium ab Auguſtino dicatur; non oportet, quod ſit peccatum formaliter, ſed ſufficit, quod ad peccatū inclinet: ergo etiam mens D. Tho. ſufficienter explicatur per hoc, quod concupiſcētia carnis ſemper ſit inclinatio ad peccatum, & obiectiué, & cauſaliter peccatū, etiam ſi quando omnino præuenit rationem, non ſit peccatum formaliter.

*Motiuū ſolutionis.*

Sed dices: de facto fuerunt in Chriſto actus aliqui interius inclinantes, & alicientes ad malum: ergo ex eo quod actꝰ appetitus ſenſitiui, erga obiectum delectabile præter ordinem rationis, ad malum inclinet, non debet à Chriſto excludi. Conſequentia tenet. Et antecedens probatur; vt enim docet D. Thom. *infra q 41. art. 1* & ex Euangelio cōſtat, Chriſtus de facto fuit à Dœmone tentatus; ſed Chriſtus non potuit à Dœmone tētari, niſi in illo interueniret aliquis actus interior inclinans, & aliciēs ad malū: ergo actꝰ interiores aliciētes, & inclinātes ad malū, de facto extiterunt in Chriſto. Minor probatur; Chriſtus non potuit tentari à Dœmone, niſi interueniente cognitione in intellectu Chriſti apprehendente obiectum, ad quod Diabolus ſua tentatione inducebat, illudq; proponente voluntati humanæ Chriſti; ſed apprehenſio obiecti, illud voluntati proponens, voluntatem in tale obiectū inclinat, & ad eius amorem alicit: ergo Diabolus Chriſtum tentare non potuit, abſque interuentu alicuius actus interioris alicientis, & inclinantis ad malū, quod Diabolus ſua ſuggeſtione, & tentatione intendebat.

44 *Oppones contra illā.*

45 *Reſpōd.*

Reſpondeo, negādo antecedens. Ad illius probationē, conceſſa maiori, nego minorē. Ad probationē, nego maiorē: vt enim Chriſtus fuerit tentatus à Dœmone, non requiritur practica in Chriſto cognitio proponens voluntati obiectū malū, vt ab ipſa proſequendū, ſed ſufficit, quod Chriſtus ſpeculatiué cognouerit Dœmonis tentationē, vt obiectū ad quod ſua tentatione aliciebat, ſola autē cognitio practica mali ad eius proſecutionē inclinat; ac proinde ex Dœmonis tētatione, nō ſequitur fuiſſe in Chriſto actū aliquē interiorem determinatè inclinantem ad malum.

46 *Secūdo princi-*

Secundo principaliter arguitur: nā fomes in actu ſecundo eſt actus appeti-

paliter arguit.

tus sensitiui in obiectum delectabile, quod sit rationi contrarium; sed hic actus fuit in Christo: ergo fuit in illo fomes in actu secundo. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: fuit enim in appetitu Christi tristitia de morte subeunda, vt docet D. Tho. *in hac quæstione art. 7.* constatq; ex Matthæi cap. 26. ibi: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Tristitia autem est fuga mali; & consequenter fuit in appetitu Christi fuga mortis sustinendæ; sed hic actus fuit erga obiectum sensibile ordini rationis contrarium: ergo fuit in Christo actus appetitus sensitiui erga obiectum appetibile ordini rationis contrarium. Probatur minor: obiectum aliquod esse rationi contrarium est esse aliqua lege prohibitum; sed negatio mortis, in quam prædictus actus tendebat, erat Christo prohibita, quando quidem mors erat Christo præcepta: ergo actus appetitus sensitiui, quo Christus mortem fugiebat, versabatur erga obiectum sensibile ordini rationis contrarium.

Matth. cap. 26.

47 Respondet Vazquez.

Huic obiectioni Vazquez *vbi supra num. 54.* respondet: ideò actum illum, quo Christus per appetitum mortem præceptam fugiebat, fomitem dici non posse, quia non tendebat in aliquid ex se malum, sed solum lege positiua prohibitum; fomes autem non importat, quemcũque motum appetitus, cui si voluntas efficaciter consentiret, peccaret, sed motũ appetitus in id, quod est de se malum, vt turpẽ motum libidinis.

48 Reijcitur eius solutio.

Hæc tamen doctrina non placet: nã actus appetitus sensitiui inclinans volũtatem ad malum, sola lege positiua prohibitum, obtinet rationem fomitis in actu secundo: ergo ex eo solum quod fuga mortis in Christo non tenderit in obiectum de se malum, sed sola lege positiua prohibitum insufficienter à ratione fomitis actualis excluditur. Antecedens probatur primo: actus appetitus inclinãs ad esum carnium in die, in qua sunt prohibitæ, rationem fomitis obtinet; & tamen obiectum non est ab intrinseco malum, sed sola lege positiua prohibitum: ergo antecedens est verum.

Antecedens probatur 1.

49 Secũdo.

Secundo: nam actus appetitus, qui veré est tentatio interior ad malum, veré, & proprié est actus fomitis; sed actus appetitus inclinans voluntatem in obiectum lege positiua prohibitum, est veré tentatio interior: ergo veré est actus fomitis. Maior cum cõsequentia tenet. Minor autem probatur: Dæmon exterius suadens actum lege positiua prohibitum, proprié dicitur exteriori tentatione tentare; nam veré, & proprié primos Parentes tentauit, quamuis non suaserit actum ab intrinseco malum, sed sola lege positiua prohibitũ: ergo actus appetitus sensitiui interius voluntatem alliciens, illamque inclinans ad malum sola lege positiua prohibitum, veré, & proprié est interior tentatio.

50 Tertio.

Deniq; nam si actus ille, quo Christus mortem fugiebat, præueniret deliberationem rationis, illamque turbaret, & impediret ab efficaci mortis apetitione, & in oppositam efficaciter inclinaret, citra dubium esset fomes; & tamen non esset tendentia in obiectum de se malum, sed solũ quia lege positiua prohibitum: ergo vt actus appetitus rationem fomitis sortiatur, non est necessarium, quod versetur erga obiectum de se malum, sed sufficit, quod inclinet in obiectum lege positiua prohibitum.

51 Aliorũ solutio.

Aliorũ solutio est: ideo fugam mortis in Christo, & actum quo tractabatur, non posse fomitẽ dici, quia non præueniebat rationem deliberatam, sed ab illa imperabatur ex fine manifestandi infirmitatẽ naturæ. Sed nec ista solutio est sufficiens: si namq; motus ille, quo Christus fugiebat mortẽ esset erga obiectũ illicitum, quamuis à ratione imperaretur, non ideò actus fomitis nõ esset; imo aliquid amplius haberet, nempé, esse peccatum formaliter: ergo ex eo solum, quod rationem non præueniat, malè infertur actum fomitis non esse. Consequentia patet. Et antecedens probatur: motus namq; appetitus sensitiui erga obiectũ dissonũ rationi, ex eo quod voluntas consentiat, non desinit esse actus fomitis; imo ex hoc cõsensu euadit malus, & peccaminosus formaliter: ergo si fuga mortis in Christo esset erga obiectũ illicitũ, quamuis nõ præueniret deliberationem rationis, sed voluntatis imperio subesset, non ideo actus fomitis non esset.

Reijcitur.

52 *Traditur, et defenditur vera solutio.*

Quare omissis his solutionibus, ad argumentum respondeo: ideo actum quo Christus mortem fugiebat, fomitis actum non fuisse, quia non erat erga obiectum illicitum, nec rectæ rationi diformis, sed potius valde conformis: nam mors non erat Christo præcepta prout erat malum naturæ, sed attentis omnibus circunstantijs, & prout ad finem redemptionis conducebat, & similiter negatio mortis, non erat Christo prohibita, prout erat bona, & conueniens naturæ, sed attentis omnibus circunstantijs, & prout opponebatur morti, vt ad finem redemptionis conducenti. Motus autem appetitus sensitiui, quo Christus tristabatur de morte, non erat de illa attentis omnibus circunstantijs, sed præcisé, vt erat mala naturæ, nec mortis negationem attingebat sub omnibus circunstantijs, sed erat quædam simplex complacentia de negatione mortis, prout naturæ conueniente, & fuga simplex mortis prout est mala, & disconueniens naturæ, & quia displicere in morte prout sic, & in negatione mortis sic inspecta complacere, nullatenus erat prohibitum; fit consequens, quod actus ille non esset erga obiectum illicitum, & ideo nec actus fomitis.

53 *Est D. T. conformis.*

Quæ solutio est Diui Thomæ *in præsenti articulo quarto ad tertiũ*, quod tale erat: *Passiones animæ videntur idem esse cum fomite peccati: vnde Apostolus ad Roman. 7. Eas vocat passiones peccatorum; sed in Christo non fuit fomes peccati: ergo videtur quod non fuerint in eo animæ passiones.* Cui argumento ita respondet: *Ad tertium dicendum, quod passiones peccatorum sunt motus appetitus sensitiui in illicita tendentes, quod non fuit in Christo, sicut nec fomes peccati.* Sentit ergo Diuus Thomas, motus appetitus in Christo, passiones peccatorum non fuisse, nec actum fomitis, quia in obiecta illicita non tendebant; & consequenter ideo tristitia de morte, passio peccati, nec fomes peccati fuit, quia non erat erga obiectum illicitum, sed potius rationi conforme: nam licet supposito præcepto de morte, displicere in illa efficaciter, esset peccatum; in illa tamen inefficaciter displicere, quatenus mala naturæ, & in eius negatione inefficaciter complacere, vt naturæ conuenienti, bonum erat, & rationi conforme; fuitque in Christo à ratione superiori imperatum. Quæ doctrina est expressa Diui Thomæ *infra quæst. 18. articulo quinto in corpore*, vbi docet, voluntatem Dei fuisse, quod Christus dolores, passiones, & mortem pateretur, non quod ista secundum se essent volita à Deo, sed ex ordine ad finem redemptionis: sensualitas autem, illa fugiebat, non vt ad finem redemptionis ordinata, sed secundum se inspecta, prout naturæ difformia erant, & disconuenientia.

54 *Replicabis 1.*

Sed oppones primo: nam sequitur ex hac solutione fuisse in Christo pugnam interiorem appetitus contra rationem; sed hac concessa non potest negari fomes consistens in appetitu cõtra rationem surgente, iuxta illud Pauli ad Roman. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: ergo doctrina tradita non subsistit. Patet sequela: nam iuxta solutionis doctrinam, Christus per appetitum sensitium fugiebat, quod voluntas Christi secundum rationem superiorem efficaciter volebat: ergo erat in Christo contrarietas voluntatum sensualitatis, & rationis. Sed in hoc interior pugna appetitus contra rationem consistit: ergo fuit pugna interior in Christo inferioris appetitus contra rationem superiorem.

55 *Secundo.*

Secundo: nam sequitur ex eadem solutione motus appetitus sensitiui præuenientes omnem deliberationem, actus fomitis non esse: consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: ideò asserimus fugam mortis in Christo nõ fuisse actum fomitis, quia licet fugeret mortem præceptam, non tamen fugiebat illam, quatenus præceptam, nec prout ad finem redemptionis ordinatam; sed nullus motus appetitus sensitiui, vt præueniens omne voluntatis imperium potest attingere obiectum prohibitum, vt prohibitum: ergo nullus motus appetitus sensitiui præueniens omne imperium rationis, potest fomitis rationem sortiri.

55 *Tertio.*

Tertio: si fuga mortis in Christo anteuerteret imperium rationis, haberet rationem fomitis; & tamen non esset fuga de morte, vt ad finem redemptionis ordinata, sed secundum se, quatenus mala naturæ: ergo quod de facto fuerit recessus à morte sub hac consideratione, non tollit rationem fomitis. Maior est certa: nam fuga mortis præueniens imperium voluntatis in Christo, esset eiusdē rationis, ac fuga mortis in nobis, supposito quod esset nobis præcepta; in nobis autem fomitis rationem haberet, sicut quivis alius motus appetitus sensitiui tendens in obiectum prohibitum, & deliberationem præueniens: ergo pariter in Christo. Minor autem probatur; vt enim docet D. Th. *infra q. 18 art. 6. in corpore*, voluntas sensualitatis, hoc est, appetitus sensitivus, non potest velle mortem, nec illam repudiare, vt ordinatur ad hominum salutem, sed tantum secundum se: ergo si fuga mortis præueniret omne imperium rationis in Christo, non esset recessus à morte, vt ad illum finem ordinata, sed tantum considerata, & inspecta secundum se, prout, scilicet, est mala naturæ.

57 *Ad 1. replicam respond.*

Respondeo ad primam replicam, negando sequelam. Nam pugna interior appetitus contra rationem, consistit in contrarietate appetitus ad rationem; vt autem sit contrarietas, requiritur, quod oppositio attendatur in eodem secundum idem, vt docet D. Tho. *infra q. 18. art. 6. in corpore*: licet autem appetitus refugeret mortem præceptā, non recusabat illam, prout ad finem redemptionis ordinatam, sed secundum se inspectam, quatenus malam naturæ. Ratio autem superior non volebat mortem, quatenus malam naturæ, sed prout homini redimendo proficuam, & ad eius salutem ordinatam; vnde etsi erga idem versarentur, non tamen sub eadem ratione, atque adeò non erat contrarietas; & consequenter, nec pugna appetitus inferioris cum ratione superiori.

58 *Ad secundam.*

Ad secundam, nego sequelam. Ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: formaliter, concedo minorem: causaliter, & inclinatiuē, nempé, inclinando quantum est de se voluntatem ad obiectum prohibitum appetendum sub omnibus circunstantijs, sub quibus prohibitioni subijcitur, nego minorem, & consequentiam. Nā licet appetitus sensitivus secundum se inspectus, non possit attingere formaliter bonum, aut malum rationis; & consequenter, nec obiectum, vt prohibitum, quia tamen quando vsum rationis præuenit, fertur in obiectum efficaciter; fit, quod quamuis non attingat obiectum prohibitum, quatenus tale formaliter; inclinet tamen quatenus est de se voluntatem ad illud, prout sic attingendum; & ideo fomitis rationem sortitur, eo quod quamuis peccatum non sit, in peccatum tamen inclinat. Fuga autem mortis in Christo non erat à morte prout hic, & nunc sub omnibus circunstantijs, nec voluntatem Christi, etiam quantum est de se ad mortem fugiendam inspectam sub omnibus circunstantijs inclinabat, sed mortem recusabat displicentia ineficaci acceptam secundum se, quatenus malam naturæ; & ideo fomes non fuit.

59 *Ad tertiam.*

Et ex his ad tertiam obiectionem respondeo, concessa maiori, distinguēdo minorem: formaliter, concedo minorem: causaliter, nego minorem, & consequentiam. Nam si fuga mortis in Christo omnem deliberationam præcederet, non esset actus inefficax, & conditionatus, sed absolutus, & efficax; vnde quamuis non attingeret formaliter ordinationem mortis ad hominum redemptionem, quia illam non potest attingere ratione sui, inclinaret quantum est de se voluntatem ad illam prout sic efficaciter fugiendam; & ideo fomitis rationē haberet, & pugnaret contra rationem superiorem, mortem amplectentem, quatenus sic ordinatam. Fuga autem mortis, quia imperio voluntatis Christi subdebatur, & ex illo ortum ducebat, nō erat efficax recessus à morte, sed inefficax displicētia de illa secundum se, quatenus mala naturæ: vnde, nec formaliter attingebat mortem, quatenus prohibitam, nec causaliter inclinabat voluntatem in illam, prout sic sumptam, & ideo fomitis actus nō fuit. Ratio autem cur, si præueniret rationem, esset actus absolutus; secus autem

prout imperio rationis subdebatur in Christo, est: nam appetitus sensitivus, quatenus præueniens rationem, solum agit naturaliter: vnde toto impetu, quo potest, fertur in obiectum propositum per prosequutionem, vel fugam, prout autem rationis imperium sequitur, sicut capax est libertatis, ita est capax tendentiæ conditionatæ, & inefficacis in obiectum proprium per modum fugæ, vel prosequutionis.

60 *Instabis primo.* Sed instabis adhuc primo ex D. Th. *infra q. 18 art. 3. in corp.* vbi in Christo duplicem voluntatem distinguit, vnam per modum rationis, aliam per modū naturæ, & docet, voluntatem per modū naturæ, etiam refugisse mortem: ergo appetitus Christi non libere, sed necessario, & naturaliter mortem fugiebat; & consequenter non inefficaci, & conditionato motu, sed efficaci, & absoluto, si vera est nostræ solutionis doctrina.

*Secūdo.* Secundo: nam simplex complacentia finis, mouet quantum est de se ad illius efficacem intentionē: ergo ex eo quod motus, quo Christus mortem fugiebat per appetitum sensitivum, fuerit displicentia inefficax, non tollitur quominus de se inclinauerit ad fugam, displicentiamque efficacem; & consequenter nō impedit, quod fuerit actus fomitis.

61 *Ad 1. instātiam respond.* Respondeo ad primam instantiam, D. Thomam nomine *voluntatis naturæ*, non intelligere voluntatem, vt necessario, & per modum naturæ operantem, sed voluntatem, vt fertur in obiecta terminantia naturalem inclinationē, non inspecta, vt hic, & nunc sub omnibus circunstantijs, sed præcisé prout cō uenientia naturæ in actu prosequutionis, & prout disconueniētia per fugam: quia ergo tristitia voluntatis Christi de morte nō terminabatur ad illam, vt hic, & nunc sub omnibus circunstantijs, qualiter erat præcepta in ordine ad hominum redēptionem, & à Christo secundum rationem superiorem efficaci voluntate volita, sed vt erat mala, & disconueniens naturæ secundum se, & hoc nō per receſſum efficacem, & absolutum, sed inefficacem, simplicem, & virtualiter conditionatum, ideò dicit D. Tho. tristitiam de morte subeunda fuisse in Christo secundum voluntatem naturæ: ex hoc tamen non colligitur non fuisse actum plenè liberum.

62 *Ad secūdam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas autem est: nam simplex complacentia finis, non præscindit ab aliqua circunstantia, aut bonitate in fine amato reperta, nec est actus conditionatus, sed absolutus, & ideo mouere, & inclinare potest ad intentionem efficacem finis, quæ in illam prout in re fertur sub omnibus circunstantijs; fuga autem mortis in Christo non respexit mortem sub omnibus circunstantijs, sed tantum vt malum naturæ virtualiter conditionatè: nam taliter Christus tristitiam mortis admisit, quod si ex illa esset negatio mortis sequenda, illam in se non admitteret, & ideo non potuit mouere ad fugam efficacem mortis per appetitum rationalem; imo de facto erat in Christo simul hæc duplex voluntas, nempè, inefficax, qua mortem voluntate naturæ fugiebat, & efficax, qua illam voluntate rationis amabat, efficaciterque amplectebatur, vt constat ex illo Matthæi 26. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua.* *Matth. 26.*

## §. III.

### *Secunda conclusio statuitur.*

63 *Secūda cōclusio.* SECVNDA CONCLVSIO SIT. *Fomes in actu secundo, hoc est, motus inordinati appetitus, non potuerunt esse in Christo, etiam de potentia absoluta*: ita Auctores quartæ, & vltimæ sententiæ.

*Prob. 1.* Et probatur primo ratione ex summa sanctitate desumpta: nam summa, & infinita sanctitas pugnat essentialiter, non solum cum peccato, sed etiam cum motibus appetitus ad peccatum inclinantibus; sed humanitas Christi Domini ex vi gratiæ substantialis vnionis est infinite, & summè sancta: ergo in illa sic vnita repugnant essentialiter motus inordinati appetitus ad peccatum inclinā-

tes.

tes. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primo: nam sanctitas summè talis, summè distat à peccato; sed maior à peccato distantia est non solum opponi cum ipso peccato, sed etiam repugnare cũ eo quod ad peccatum inclinat: ergo summa sanctitas non solum opponitur cum peccato; sed etiam essentialiter pugnat cum motib⁹ appetitus ad peccatum inclinantibus

*Maior probatur 1.*

64 *Secũdo.* Secundo: nam gratia vnionis, quia summa sanctitas est; & consequenter sũmè distans à peccato, non solum peccato opponitur, sed etiam potẽtiæ ad peccandum expeditæ, vt fatetur Cardinalis Lugo *vbi supra*; sed motus inordinati appetitus, quamuis rationem præueniant, & libertate non gaudeant; & consequenter nec malitia morali formaliter, magis ad peccatum accedunt, quam potentia proximè expedita ad peccandum; cum ad peccatum inclinent; potentia autem expedita peccandi, inclinationem ad peccatum non dicat: ergo ex eodem cõceptu nempe, summæ sanctitatis, summæque distantiæ à peccato, debet essentialiter opponi, non solu cũ peccato, sed etiam cum omni illo, quod ad peccatum inclinat, quales sunt prædicti motus.

65 *Tertio.* Tertio: nam motus huiusmodi, quãuis quia indeliberati sunt, malitia morali non gaudeant; dicunt tamen quandã indecentiam moralem in natura sensitiua cum rationali coniuncta: vnde viri sancti illos pati, ab illisq; vexari erubescũt; sed sanctitas summa ex conceptu sũmæ sanctitatis, non solum pugnat cum malitia morali, sed etiã cum omni eo quod moralem indecentiam importat: ergo pugnat essentialiter cum motibus inordinatis appetitus sensitiui, quãuis rationem præueniant, ideoqué non sint peccata formaliter.

66 *Minor probatur 1.* Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo: nam sanctitas pugnans, nedum cum morali malitia, sed etiam cum indecentia morali maior est in ratione sanctitatis, quam illa, quæ solum malitiæ morali opponitur: ergo summa sanctitas ex conceptu summæ sanctitatis opponitur cum indecentia morali. *Secũdo.* Secundo: vt enim fatentur communiter Auctores, impeccabilitatem humanitatis Christi defensãtes, gratia vnionis quia summa sanctitas est, non solum opponitur cum transgressione legis obligantis ad culpam, sed etiã cum transgressione legis, non ad culpã, sed ad pœnam obligantis: vnde asserunt, Christo ratione summæ sãctitatis repugnare essentialiter transgredi legem pœnalem, & esse dignum aliqua reprehensione; sed trãsgressio legis quæ puré pœnalis est, non est peccatum formaliter, sed solum indecens aliqua morali indecentia: ergo sanctitas summa ex conceptu summæ sanctitatis, non solum pugnat cum peccato, sed etiam cum omni eo quod moralem indecentiam importat.

67 *Tertio.* Denique probatur minor: nõ enim est implicatoria ex terminis sanctitas essentialiter oppositã, non solum cum malitia morali, sed etiam cum morali indecentia, vel assigna implicationẽ; sed hoc admisso non potest huiusmodi oppositio negari gratiæ substantiali vnionis ex conceptu summæ sanctitatis: ergo non solum pugnat cum malitia morali, sed etiam cum morali indecentia. *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur: nam diuinitas, vt sanctificans Deum non solum opponitur cum malitia, sed etiam cum morali indecentia; at nulla est ratio cur oppositio cum indecentia morali essentialiter importet modum conueniendi à se: ergo hanc oppositionem præstat humanitati, cui conuenit per cõmunicationem.

68 *Respõdebis.* Dices: in huiusmodi motibus inordinatis, nec reperiri moralem malitiã, nec indecentiam moralem respectu humanitatis Christi, licet in hominibus iustis moralem indecentiam importent. Et ratio discriminis est: nam in istis mouent, & aliciunt illorum voluntatem ad peccandum, eo quod impeccabiles non sunt; Christ⁹ autem, quia impeccabilis erat, non poterat à motibus inhonestis perturbari, nec ab illis ad peccandum alici, vel moueri, & ideo in humanitate Christi impeccabili, nec moralem malitiam, nec moralem indecentiam dicebant.

69 *Cõtra 1.* Sed contra primo: nam licet voluntas Christi, eo quod peccare non poterat, non posset de facto alici à prædictis motibus, & ad malum inclinari, de se tamen

menad malum inclinant, & aliciunt voluntatem; at in actu quantum est de se ad malum excitante, & mouēte, aliqua indecentia inuenitur: ergo à motibus inordinatis non potest indecentia præscindi. *Secūdo.* Secundo: nam sequitur ex hac solutione huiusmodi motus potuisse esse in Christo, non solum præueniente rationem, sed etiam ratione aduertente; consequens absurdum videtur: ergo solutio tradita est falsa. Probatur sequela: nam voluntas Christi non poterat ab illis ad peccatum incitari: ergo quamuis ratio aduerteret inordinatos motus in appetitu surgentes, nulla foret indecentia; & consequenter possent esse in humanitate Christi, etiam vigilante, & aduertente ratione.

70 *Tertio.* Tertio: nam sequitur, motus inordinatos appetitus sensitiui, nō solum esse potuisse, sed etiam de facto fuisse in humanitate Christi; consequens admitti non potest: ergo nec solutio tradita. Probo sequelam; secluſa à prædictis motib⁹ omni indecētia morali, nulla esset ratio, cur in humanitate Christi non fuerint, imò adesset ratio, vt ei concedātur de facto; at iuxta solutionis doctrinam, nullam habent indecentiā moralem: ergo ex illa sequitur, esse de facto in Christo admittendos. Maior probatur: nam secluſa omni indecentia morali, Christus illos motus vincens, nobis præbuisset exemplum vincendi tentationes interiores, illasque in seipso superādo, sua victoria nobis meretur auxilia ad similes tentationes vincendas: ergo sicut his rationibus tentari à Dæmone exteriori tentatione permisit, oportuisset etiā interius tentari à carne, & à motibus inordinatis appetit⁹ sēsitiui, si in illis nulla indecentia inuenitur in humanitate impeccabili.

71 *Oppones.* Oppones: de facto in Christo mot⁹ appetitus sensitiui erga obiectum delectabile non contrarium rationi numquam extiterunt, vt rationem præuenientes, & non imperati ab illa; & tamen potuerunt de potentia absoluta existere in natura humana Christi ante omne imperium rationis, & non imperati ab illo: ergo ex eo quod mot⁹ inordinati appetitus nullam indecentiam importent, ideoque potuerint esse in Christo de potentia absoluta; non sequitur, fuisse in illo de facto. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam prædicti motus, vt rationem præuenientes, non sunt peccata formaliter, nec peccata materialiter, nec in peccatum aliqua ratione inclinant: ergo non repugnat in humanitate vnita de potentia absoluta inueniri.

72 *Respōderi potest ex Recētiorū doctrina.* Huic obiectioni respondeti potest ex quorundam Recentiorum doctrina, negando minorem. Nam motus appetitus sensitiui præuenire rationem & illius imperio non subijci, est modus inordinatus operandi contra debitum naturæ sensitiuæ, vt rationali coniunctæ, cui prout sic debetur naturæ rationali sub esse, illius imperio regi, illudque non præuenire, & ideo motus isti, quamuis erga obiecta honesta, & rationi non diformia, non potuerunt esse in Christo, etiam de potentia absoluta, nisi ex imperio rationis.

73 *Displicet primo.* Hæc tamen doctrina non placet primo; quia falsum est naturæ sensitiuæ, vt rationali coniunctæ deberi, quod numquam suis motib⁹ rationem præueniat, sed semper ex illius imperio operetur: ergo solutio tradita falso fundamento nititur. Probatur antecedens: subiectio appetitus ad rationem præstita à iustitia originali, fuit indebita naturæ humanæ, & ex gratia illi concessa: ergo quod natura sensitiua non operetur, nisi ex imperio rationis, illamque præuenire nō possit, non debetur illi, etiam vt naturæ rationali coniunctæ.

74 *Secūdo.* Secundo: nam si naturam sensitiuā non operari, nisi ex imperio rationis, esset illi debitum, vt rationali coniūctæ, conueniret illi in puris naturalibus conditæ; consequens est falsum, & contra omnes Theologos 1. 2. q. 109. art. 2. asserentes, naturam in puris naturalibus conditam duplici inclinatione gaudere, rationali, scilicet, & sēsitiua, sine vnius sub ordinatione ad aliam: ergo falsa etiam est tradita solutio. Probatur sequela: naturæ namque in puris naturalibus conditæ conuenirent omnia prædicata illi debita: ergo si modus ille operandi semper ex imperio rationis, & illud nō præuenire, esset debitus naturæ sensitiuæ, vt rationali coniunctæ, conueniret naturæ

in puris naturalibus conditæ.

75 *Tertio.* Tertio: nam esto natura sensitiua, vt in homine, inclinet in prædictum modum operandi, potest Deus modum illum naturæ Verbo vnitæ negare; sed naturæ sensitiuæ ex coniunctione ad naturam rationalem in homine, ad summū potest prædicta inclinatio competere: ergo potest de potentia absoluta natura sensitiua Christi rationalem præuenire, & non semper ex illius imperio operari. Maior probatur; etenim rationalis natura de se inclinat ad virtutes naturales; & tamē potuit de potētia absoluta Verbo hypostaticé vniri sine aliquo habitu virtutis: ergo quamuis de se inclinet natura sensitiua, vt rationali coniuncta, ad operādum semper ex imperio rationis: potuit Deus de potentia absoluta modū istum operandi naturæ sensitiuæ Christi negare.

76 *Quarto.* Denique: nam esto naturæ sensitiuæ, vt cōiunctæ rationali esset, debitum operari semper ex imperio naturæ rationalis, illudque non præuenire, non sequitur, non posse in Christo sine tali subordinatione operari: ergo falsō negatur possibile de potentia absoluta. Probatur antecedens: naturæ ex vnione ad Verbum debentur gratia, virtutes, & visio beatifica; & tamen de potentia absoluta potuit humanitas Verbo vniri sine aliquo ex prædictis donis, vt tenet communis Theologorum sententia: ergo quāuis naturæ sensitiuæ, vt in homine, deberetur operari semper ex imperio rationis, non sequitur, non posse in Christo de potentia absoluta sine tali subiectione operari.

77 *Vera solutio.* Quare melius respondetur secundo, concessa maiori, & minori, negando cōsequētiā. Ratio autē discriminis est: nā vt motus sensitiui rationem in humanitate Christi præueniant, nulla congruētia inuenitur; & ideò quamuis non implicet talis modus operandi in humanitate vnita, non est vnde colligamus, de facto extitisse in Christo, vt autem motus inordinati contra rationem insurgerēt, si nulla ratione implicaret, sufficiens cōgruentia inuenitur, nempé, quod Christus illos vincendo nobis exemplū præberet, & nobis sua victoria auxilium gratiæ mereretur ad similes tentationes vincendas; & ideò si non repugnaret, de facto in Christo extitissent.

78 *Secūdo probatur conclusio.* Secundo probatur conclusio ratione ex obligatione Verbi desumpta: nam motus inordinati appetitus, quāuis quia indeliberati, & ideò non potentes à natura rationali coerceri, non essent peccata respectu humanitatis Christi, Verbo in se ipso ad culpam imputarentur; sed implicat hæc imputatio: ergo implicat motus inordinati indeliberati appetit⁹ sensitiui in humanitate vnita. Consequētia cum minori tenet. Maior autem probatur; Verbo ex vnione humanitatis ad ipsum, ineſt obligatio specialis gubernādi humanitatem, nedum vt rationalem, sed etiam vt sensitiuam; & aliàs potest prædictos motus coercere, & ne insurgant euitare: ergo sinere prædictos motus insurgere, illosque non prohibere, imputabitur Verbo ad peccatum. Minor probatione nō indiget. Maior cōstat: nā obligatio gubernandi consurgit ex coniunctione in vna Christi persona; sed nō solū est cōiuncta Verbo natura prout rationalis, sed etiā prout sensitiua: ergo ineſt Verbo obligatio gubernandi humanitatem, & illius mala vitādi secundum vtranque rationem. Consequentia autē probatur: quia namque naturæ prout rationali, incumbit obligatio gubernandi se ipsam, vt sensitiuam, si prædicti mot⁹ insurgerent natura rationali aduertēte, & illos potente impedire, imputarentur ipsi ad peccatum: ergo si Verbo conuenit obligatio gubernandi naturam, vt sēsitiuam; cum aliàs possit prædictos motus inordinatos vitare, attribuentur ipsi ad culpam.

79 *Obiectiones.* Obiicies: si Verbum naturam irrationalem assumeret, vt de potentia absoluta potuisse cum frequentiori sententia docuimus *supra q. [illegible] art. 18.* non teneretur motus appetitus sensitiui vitare: ergo pariter in natura sensitiua coniuncta cum rationali, quā sibi vniuit de facto, non tenetur speciali obligatione vitare prædictos motus, quando rationē præueniunt. Antecedens probatione non indiget. Consequentia autem probatur. Tum: quia natura sensitiua hominis eiusdem rationis est cum natura sensitiua bruti, quatenus operatur, præueniendo omnino rationem; cum solum di-

*Cōsequētia probatur 1.*

stin-

ſtinguatur ab illa prout eſt apta rationi obedire: ergo ſi in natura irrationali nō teneretur Verbum prædictos motus vitare, nec in natura ſenſitiua, quam ſibi de facto vniuit cum rationali coniunctam, tenetur vitare prædictos motus, quādo omnino rationem præueniunt. Secundo: nam ideo non teneretur motus appetitus ſenſitiui in natura irrationali vitare, quia eſſent prædictæ naturæ conſoni, & quia peccata non eſſent; ſed motꝰ inordinati appetitus ſenſitiui naturæ ſenſitiuæ cū rationali coniunctæ, ſunt huic naturæ conſoni, & aliàs peccata nō sūt, quādo rationem præueniunt: ergo Verbum non tenetur prædictos motus vitare.

*Secūdo.*

80 *Tertio.*

Tertio: nam ideò Verbum non teneretur motus appetitus ſenſitiui naturæ irrationalis ſibi coniunctæ coercere, quia in natura irrationali non adeſt obligatio prædictos motus vitandi; ſed nec etiam in humanitate eſt obligatio vitandi prædictos motus omnino indeliberatos: ergo in Verbo talis obligatio nō datur. Confirmatur, & vrgetur: inde namq; *diſputatione præcedenti* probauimus, nō eſſe in Verbo obligationem ſpecialem expellendi peccatum habituale, ſi in natura aſſumpta præcederet; quia in natura vnita talis obligatio non eſſet, excludendi à ſe ſtatim peccatum habituale; obligatio autem Verbi excludendi à natura peccatum ratione ſpecialis regiminis, non poteſt naturæ obligationem excedere; ſed in humanitate Verbo hypoſtaticé vnita, non eſt obligatio vitandi motus inordinatos appetitus ſenſitiui, quando rationem præueniunt: ergo nec in Verbo eſt conſtituēda obligatio, prædictos motus coercendi.

*Cōfirmatur.*

81 *Reſpōd.*

Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiā. Ad primā probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia licet natura ſenſitiua hominis, quatenus rationem præuenit, eiuſdem rationis ſit *phyſicè* cum natura irrationali, non tamen eſt eiuſdē rationis in conſideratione morali, quia ex tali coniunctione cum natura rationali redduntur prædicti motus moraliter indecētes, & peccaminoſi *obiectiuè* inclinantesque ad peccatū, & ideò quāvis nulla eſſet in Verbo obligatio ad illos motus in natura irrationali coercēdos, rectè à nobis conſtituitur in Verbo ſpecialis obligatio vitandi prædictos motꝰ in natura ſenſitiua cum rationali coniūcta. Et ex his ad ſecundam probationem nego cauſalem majoris, vt adæquatam: non enim ſolum negatur obligatio in Verbo reſpectu naturæ irrationalis vitādi prædictos motus, quia peccata non ſunt, ſed inſuper quia non ſunt moraliter indecentes, nec in peccatum inclinant: in natura autem ſenſitiua coniuncta cū rationali, quamuis non ſint mali maliria morali formaliter, quando rationē præueniunt, ſunt tamen moraliter indecentes, vtpote mali *obiectiuè*, & in malum inclinantes, & ideo eſt in Verbo obligatio illos coercendi, & vitandi.

*Ad ſecūdam.*

82 *Ad tertiam.*

Ad tertiam conſequentiæ probationē, nego cauſalē majoris, ſed ob cauſas aſsignatas, quæ in natura irrationali nō militant, bene tamen in natura ſenſitiua coniuncta cum rationali, illique identificata. Et quidem certum eſt, quod ſi Verbum naturam irrationalem ſibi hypoſtaticé vniret in vnitatem ſuppoſiti, non ſolum non teneretur motus appetitus ſenſitiui coercere, ſed quod de facto ſineret naturam irrationalem in motus illos exire; & tamen quod de facto motus inordinati appetitus ſenſitiui in humanitate extiterint, nullus Catholicus docuit, idque aſſerere eſt hæreſis manifeſta: ergo quia in his motibus aliqua indecentia inuenitur in natura ſenſitiua cū rationali coniuncta, quæ in eiſdem in natura irrationali nullatenus inuenitur: ac proinde ex eo quod Verbo naturæ irrationali coniuncto, obligatio non adeſſet vitandi motus appetitus ſenſitiui, efficax illatio eſſe nequit ad negandam huiuſmodi obligationem in Verbo vnito naturæ ſenſitiuæ cum rationali in humanitate coniunctæ.

*Ad 1. probationē cōſequētia.*

83 *Ad cōfirmationē*

Ad confirmationem, diſtinguo majorem: per ſe, concedo majorem: per accidens tantum, nego majorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam licet in humanitate vnita non ſit obligatio vitandi prædictos motus, hoc ideò eſt, quia nō poteſt illos vitare, quando rationem præueniunt, vnde ſi poſſet, teneretur illos vitare, & hoc eſt non teneri per accidens, cumque in

Verbo

Verbo prædicta ratio non militet; cum illos coercere possit; fit cõsequẽs, quod in illo sit specialis obligatio illos coercendi, & vitandi. At verò in ordine ad peccatum habituale, & illius expulsionem, non est obligatio per se ad illã statim ponendam; cum supposita potentia in homine, qui peccauit, disponendi se ad remissionem, destructionemque habitualis peccati, vt de facto in omnium sententia supponitur, non teneretur homo, qui semel peccauit, se ad illius remissionem disponere; & consequenter nec humanitas teneretur si postquam peccauit, assumeretur à Verbo, & ex hoc intulimus *disp. præced. §. 2.* nõ fore in Verbo obligationem statim destruendi peccatum habituale in humanitate vnita, casu in quo sibi vniret naturam, quæ ante assumptionem peccasset.

84. *Non est in homine obligatio ad statim se disponendum ad destructionem peccati habitualis.*

Denique probatur cõclusio: repugnat Deum vt causam specialem causare motus inordinatos appetitus sensitiui; sed si darentur in humanitate vnita, Verbum prout in ea subsistit, esset specialis causa motuum inordinatorum appetitus sensitiui: ergo tales motus implicãt in humanitate vnita. Consequentia tenet. Minor constat ex dictis *disp. præcedenti §. 9.* vbi ostendimus omnes operationes humanitatis Verbo hypostaticé vnitę attribuendas esse Verbo, vt in illa subsistenti, nõ solum *denominatiuè*, verum etiam *influxiuè*, & *effectiuè*, vt causæ particulari; cum ergo motus inordinati appetitus, sint actiones naturæ sensitiuæ, necessario essent Verbo, vt in illa subsistenti attribuendæ, vt causæ particulari. Maior autem præterquam quod frequentior Theologorum sentẽtia illam docet. Probatur primo: nã motus prædicti, esto non sint peccaminosi formaliter, sunt mali malitia obiectiua: ergo non possunt effici à Deo, vt causa particulari.

85 *Vltimo probatur conclusio.*

*Deus nõ potest vt causa specialis causare motus inordinatos appetitus sẽsitiui, nec habitũ vitiosum.*

Secundo nam habitus vitiosus non potest à Deo causari, vt causa particulari etiam de potentia absoluta, vt cum frequentiori sententia docuimus 1.2 q. 71 art. 1. & hoc ideò, quia licet peccatum non sit, determinate tamen in peccatũ inclinat, & Deo repugnat esse causam specialem entitatis determinatè in peccatum inclinantis; sed motus inordinati appetitus sensitiui præuenientes vsum rationis, quamuis peccata nõ sint, in peccatum tamen inclinant: ergo Deus non potest illos, vt causa particularis causare. Denique probatur maior; licet namque odiũ Dei vsum rationis præueniens non sit peccatum formaliter, vtpote cum liber non sit, & sine libertate peccatum esse non possit, non tamen potest à Deo efficienter, vt causa particulari procedere: ergo pariter motus inordinati appetitus, quamuis peccata non sint ex defectu libertatis, nõ possunt à Deo, vt à causa particulari causari.

86

Et ex his robur accipiunt, quæ in nostræ sententiæ probationem adduximus, & in hunc modum vrgentur; odiũ Dei indeliberatum implicat in humanitate vnita, siue ratione summæ sanctitatis, siue ratione obligationis specialis illam gubernandi, & in bono continẽdi, siue quia repugnat Verbo, vt subsistẽti in humanitate attribui, vt causæ particulari: ergo ex eisdem principijs implicant in humanitate vnita motus inordinati appetitus sensitiui, etiam indeliberati. Antecedens admittunt plures contrariæ sententiæ Auctores. Consequentia autem probatur à paritate rationis.

87 *Confirmatur.*

Respondebis, negando consequentiam, & disparitatẽ reddes: nam odium Dei indeliberatè elicitum, esto non sit peccatum formaliter, est tamen materialiter peccatum, & sanctitati infinitæ, non solum repugnat peccatum formaliter, sed etiam materialiter tale. Motus autem inordinati appetitus sensitiui nõ sunt peccata, nec materialiter, quando rationẽ præueniunt, sed actiones naturales animalis; & ideò non est vnde repugnent cum sanctitate infinita, nec cur non possint adeo, vt à causa particulari causari, & à Verbo vt subsistente in humanitate effici, ab illoque sustentari Ita Arriaga *disp. 35. sect. 4 subsect 2. num 20.*

88 *Respõdebis.*

Sed contra primo: nam actum aliquem esse materialiter peccatum, est erga obiectum malum, & prohibitum versari, sine formali malitia ex defectu aduertentię ad præceptum, vel defectu libertatis; sed motus inordinati appetitus sensitiui versantur erga obiecta prohibita, & solum à malitia excusãtur ex

89 *Cõtra 1.*

de-

defectu libertatis: ergo sunt materialiter peccata. Consequentia tenet. Maior ex ipsis terminis constat: non enim potest peccatum materialiter à peccato formaliter tali distinctum, aliter explicari, nec alia ratione odium Dei indeliberatum, est peccatum materialiter, nisi quia prohibitum est, & à malitia excusatur ex defectu libertatis, vel ex defectu notitiæ prohibitionis, & ignorantia inuincibili, si forte potest admitti. Minor autē probatur: nam motus inordinati appetitus, in hoc distinguuntur à motibus ordinatis, vel à motibus non inordinatis, quia illi tendunt in obiecta, aut lege naturali, aut positiua prohibita; isti autem in obiecta sensiuilia, quæ nulli legi aduersantur: ergo motꝰ appetitus, vel inordinati nō sunt, vel tēdunt in obiecta prohibita.

90 *Secūdo.* Secundo: ideò odium Dei indeliberatum, est peccatum materialiter, quia si liberé à volūtate procederet, esset malum malitia formali; sed motus inordinati appetitus, si liberé ab illo procederent, essent peccata formaliter: ergo cū indeliberaté ab appetitu procedūt, quia vsum rationis præueniunt, sunt materialiter peccata.

*Tertio.* Tertio: nam motus inordinatus voluntatis indeliberaté elicitus circa materiam veneream, est peccatū materialiter: ergo motus appetitus sensitiui vsum rationis præueniens, tendensque in eandem materiam, est peccatum materialiter. Consequentia tenet: non enim alia ratione motus inordinatus voluntatis in materia venerea, est peccatū materialiter, nisi quia est tendentia non libera in obiectum lege prohibitum; sed non solum prohibentur voluntati, verū etiam appetitui sensitiuo, quia ex coniūctione, quam cum rationali habet, est capax libertatis: ergo si motus inordinatus volūtatis est peccatum materialiter, idē est dicendum de motu inordinato appetitus sensitiui. Antecedens autem probatur: non enim alia ratione odium Dei indeliberatum est peccatum materialiter, nisi quia versatur erga obiectum lege naturali prohibitum, quod si deliberaté attingeret, esset peccatum formaliter; sed etiam affectus absolutus indeliberatus voluntatis circa materiam venereā, versatur erga obiectum lege naturali prohibitum, essetque peccatum formaliter, nisi obstaret indeliberatio: ergo est peccatum materiale.

91 *Arguitur 1.* Contra istam conclusionem obiiciunt Auctores contrarij primo: nam motus inordinati nō sunt mali, nec peccata formaliter, sed ad summum materialiter, & malitia pure obiectiua; sed nō repugnant humanitati Christi de potentia absoluta actus solum matetialiter, & obiectiué mali: ergo non repugnant in humanitate Christi motus inordinati appetitus sensitiui de potentia absoluta. Maior constat: nam eo ipso, quod sint indeliberati, non possunt esse mali malitia morali formaliter; cum hæc libertatem actus supponat, & super illam fundetur. Minor autem probatur primo: nā actus, quī potest esse meritorius præmij supernaturalis non potest repugnare humanitati vnitæ, nec ratione summæ sanctitatis, nec ratione indecentiæ moralis, sed actus materialiter, & obiectiué malꝰ possunt esse meritorij præmij supernaturalis: ergo actus materialiter, & obiectiué tantum malus, non repugnat humanitati de potentia absoluta. Consequentia tenet. Minor constat: nā potest quis ignorans inuincibiliter, carnes esse prohibitas illas comedere comestione orta ex motiuo supernaturali; sed talis actus materialiter, & obiectiué malus, esset meritorius præmij supernaturalis: ergo actus materialiter, & obiectiué mali possunt esse meritorij, & laudabiles.

92 Deinde: nam potest quis occidere amicū falso existimans esse Reipublicæ hostem, qui actus est malꝰ materialiter, & obiectiue, & posset esse meritorius, & laudabilis: ergo actus materialiter, & obiectiué mali, possunt esse meritorij præmij supernaturalis. Maior autem probatur: nam sanctitas quamuis summa, & infinita, non potest cum actu meritorio pugnare; cū ex conceptu sanctitatis habeat valorare meritum. Deinde suppositā ignorantia inuincibili nulla indecentia moralis in tali actu inuenitur, sed potius bonitas moralis, laudabilitas, & meritum, indecentia autem ignorantiæ inuincibilis non repugnat humanitati vnitæ: ergo operari meritoriè occasione sumpta ex illa, non est indecens indecentia morali, quamuis actus sit materialiter malus.

Si respondeatur ex doctrina Recentiorum, hoc argumento probari actus materialiter malos ex obiecto malo intrinsece, vt odium Dei, mendacium, & cætera, repugnare humanitati vnitæ: secus vero actus malos materialiter ex obiecto sola lege positiua prohibito, qualis est comestio carnium in die prohibito, quæ supposita ignorãtia prohibitionis poterit meritorié fieri, & ab omni indecentia morali purgari: in contrarium obstat primo: nam sequitur ex hac solutione, potuisse esse actu formitis in Christo erga obiecta sola lege positiua prohibita, quod à nobis admittendum non est, nec posse admitti, constat ex his, quæ *superius* diximus, scilicet, quod si non repugnarent, essent admittendi de facto, quod nullus Theologorum concedit.

93 *Respondetur ex doctrina Recentiorum.*

*Cõtra 1.*

Secundo: nam idem argumentum vrget contra actus ab intrinseco malos; nam quæ possunt meritorié fieri supposita ignorantia inuincibili de illorũ prohibitione, vt si quis inuincibiliter ignoraret, mendacium esse prohibitum, posset ex fine supernaturali operando laudabiliter, & meritorié mentiri: ergo argumentum factum dicta euasione non soluitur.

*Secũdo.*

94 *Respõd. obiectioni.*

Vnde ad obiectionem respondeo, negando minorem. Ad probationem, nego maiorem. Nam licet actus ex obiecto de se bonus, laudabilis, & meritorius, ex nullo capite repugnet summæ sanctitati, & actus ex obiecto malus, meritorius, & laudabilis supposita ignorantia inuincibili non pugnet cum sanctitate summa ex ratione meriti, & boni, pugnat tamen cum illa ratione indecentiæ moralis, quæ inuenitur in illo modo operandi, & licet ignorantia puré negatiua, quæ nescientia dicitur, non dicat indecentiam moralem repugnantem humanitati vnitæ de potentia absoluta, operari tamen erga obiectum lege prohibitum ex ignorantia inuincibili, indecens moraliter est. Quis enim poterit negare, mentiri ex ignorantia inuincibili, quamuis excusetur à culpa, non autem excusari ab indecẽtia morali? Et cũ ex superuenienti motiuo, quamuis supernaturale sit, & exinde actus meritorij euadat, non tollatur illa moralis indecentia; fit, vt ex ratione meriti non auferatur repugnãtia talis actus cum sanctitate infinita, esto ex illa non naſcatur, sicut in sententia admittente posse eundem actum esse simul bonum, & malum, meritorium, & demeritorium, talis actus non posset in humanitate admitti, & repugnaret cum summa illius sanctitate, non ea parte, quâ bonus, & meritorius est, sed ratione malitiæ moralis, quæ simul cum bonitate illi actui conueniret.

Sed opponẽs primo: actus materialiter, & obiectiue malus, meritorius tamen ob præsuppositam ignorantiam, terminat specialem Dei influxum; cum à gratia supernaturali procedat: ergo potuit etiam à persona Verbi procedere, prout in humanitate subsistit, & à Verbo, vt Deo, in humanitate permitti, non obstante obligatione speciali gubernandi humanitatem, & cum summa sanctitate humanitatis vnitæ componi.

95 *Instabis primo.*

Secundo: nam supposita ignorantia inuincibili prohibitionis, melius est operari erga obiectum re ipsa prohibitum ex motiuo supernaturali, quam omnimodé ab operando erga tale obiectum cessare; sed in cessatione ab omni operatione nulla indecentia inuenitur: ergo nec in operando erga illud ex supernaturali motiuo Minor supponitur; alias omnimoda operationis suspensio erga obiectum re ipsa prohibitum repugnaret humanitati. Maior constat: nam id, quod bonum, & meritorium est, melius est; eo quod, nec bonitatem habet, nec meritum; sed cessatio ab omni operatione erga obiectum illud prohibitum, nec bona est, nec meritoria; operatio autem erga tale obiectum elicita, bona, & meritoria est: ergo supposita ignorantia inuincibili, melius est operari erga obiectum re ipsa prohibitum, quam ab omni operatione cessare. Consequentia autẽ probatur: nam in agendo id quod est melius, non potest moralis indecentia inueniri: ergo si ignorantia supposita, melius est operari erga obiectum re ipsa prohibitum, quam ab omni operatione cessare, non potest in tali actu aliqua indecentia inueniri.

96 *Secundo.*

Respondeo ad primam replicam, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam licet omnis actus conueniens

97 *Ad primã instãtiã respõdetur 1.*

ueniens humanitate vnitæ posit esse à Deo generali, vel speciali influxu, non tamen omnis actus, qui potest à Deo speciali influxu fieri, potest humanitati vnitæ competere. nam potest aliquã indecentiam habere, ratione cuius humanitati Verbo vnitæ repugnet, quæ tamen non obstat actui, vt terminet supernaturalem, & specialem Dei influxum. Et quidem actus consilio oppositus, nõ potest elici ab humanitate vnita in sententia satis frequenti; & tamen potest supernaturalis esse; & consequenter supernaturalem Dei influxum terminare: nõ ergo ex eo quod actus materialiter mali, bonitate formali supernaturali gaudẽtes, terminent specialem Dei influxum, rectè infertur, posse in humanitate vnita inueniri.

98 *Secũdo respond.* Vel secundo responderi potest, actus illos considerari posse dupliciter, nempé, ea ratione, qua supernaturales, & meritorij sunt, & quatenus sunt indecentes moraliter; & licet sub prima consideratione terminent specialem Dei influxum: secus autem sub secunda; ex quo solum sequitur, actus illos non repugnare humanitati vnitæ ex conceptu bonitatis, & meriti, non autem quod ei non repugnent ex conceptu indecentiæ moralis.

99 *Ad secũdam.* Ad secundam, distinguo maiorem: est melius per se, & ex meritis obiecti, nego maiorem: est melius per accidẽs, permitto maiorem, & concessa minori, nego consequentiã. Nam licet id quod est meli⁹ per se, & ex meritis obiecti, nõ possit moralem indecentiam habere, si illius oppositum, quod in bonitate superat, moralem indecentiam non habet; quod autem non est melius per se, & ex meritis obiecti, sed per accidens ratione ignorantiæ suppositæ, potest aliquam indecentiam habere sumptam ex attingentia obiecti per se, quam illius oppositum non habeat. Et quidem supposita ignorantia inuincibili prohibitionis mendacij, melius est mendaciũ ex motiuo supernaturali imperatum, quam carentia mendacij ex nullo motiuo supernaturali procedens, & tamen in mendacio ex ignorãtia procedente, moralis indecentia inuenitur, secus autem in carentia mendacij; & hoc ideo, quia ille excessus non conuenit mendacio per se, sed per accidens. Idem nos dicimus de quovis actu materialiter, & obiectiuè malo, quamuis per accidens bonus sit, & meritorius. Præterquam quod licet supposita ignorantia prohibitionis, sit melius, ignorantia tamen supposita est indecens indecentia morali, quia est ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur in ordine ad operandum; & consequenter quamuis ignorantia puré negatiua, non repugnet humanitati vnitæ, illi tamen prædicta ignorantia repugnat.

100 *Secũdo respond. principali argũmẽto.* Secundo responderi potest principali argumento, distinguendo minorem: actus materialiter mali destituti omni bonitate morali, nego minorem: bonitate morali formaliter ex superueniente motiuo ignorantia præsupposita, trãseat minor, & nego consequentiã, quod nempé, motus inordinati appetitus sensitiui rationem præueniẽtes, & contra illam insurgentes, non repugnent humanitati vnitæ de potentia absoluta: nã isti motus sunt mali *obiectiuè*, & nulla bonitate morali sunt boni, & ideo indecentes sunt, & cum summa sanctitate pugnantes. Ratio autem discriminis esse potest; nam actus materialiter mali ex obiecto, eliciti ex honesto motiuo supposita ignorantia inuincibili, non inclinant voluntatem ad malum; cum solum possint causare in voluntate habitũ inclinantem ad similes actus imperatos ex eodem motiuo, in quibus prout sic malitia non reperitur; motus autem appetitus sensitiui erga obiectum delectabile legi, & rationi dissonum, quando rationem præueniunt, nulla gaudẽt bonitate morali sumpta ex aliquo honesto motiuo; & licet ipsi formaliter non attingant malitiam obiectiuam moralem, inclinant tamen quantum est de se voluntatẽ ad actus ergà illa obiecta malitia morali infectos, & ideo indecentes sunt moraliter, & cum summa sanctitate pugnantes; si autem à ratione imperentur ex motiuo aliquo honesto supposita ignorantia inuincibili prohibitionis obiecti, v.c. esus carnium in die Veneris prohibiti, sicut actus voluntatis, ex quibus actus appetitus imperantur, non sunt mali malitia morali: ita motus

appetitus ab his actibus imperati rationem fomitis non obtinent.

101 *Secũdo arg.* Secundo obijciunt: potuit Verbũ de potentia absoluta assũmere humanitatem amentem, & iudicio rationis, illiusq; vsu priuatam, sed in humanitate amẽte Verbo hypostaticé vnita, esse possent motꝰ inordinati appetitus sẽsitiui: ergo etiã esse possũt de potẽtia absoluta in humanitate assũpta vsu rationis cõpete motus inordinati appetitus sensitiui omnino indeliberati. Cõsequẽtia tenet. Tùm à paritate rationis. Tùm etiam; quia motus appetitus sensitiui omnino indeliberati eiusdẽ rationis sunt in natura rationali potente ad vsum rationis, & in natura rationali amente. Tum denique: quia natura rationalis ab vsu rationis impedita, esset infinité sancta. ergo si in illa esse possent motus inordinati appetitus sensitiui, summa sanctitas illis non obstat; & consequenter esse poterunt in humanitate vnita, & vsus rationis compete. Maior, quam aliqui negant constat primo: nã potuit Verbum assũmere naturam irrationalem, vt fatetur communis sententia: ergo etiam rationalem amentem, & impeditam. Secundo: potuit enim Verbum assũmere naturam rationalem sine potentijs proximé operatiuis in sententia D. Th. asserente realiter distingui ab anima: ergo sine intellectu, & voluntate; & cõsequẽter potuit etiã assũmere naturã rationalẽ cum intellectu, & volũtate ad suas operationes impeditis; si namque potuit assũmi natura sine potentijs, cur inassumptibilis erit cum potentijs impeditis ad suas operationes?

102 *Minor probatur 1.* Minor autem ostenditur primo: nã motus inordinati appetitꝰ sensitiui eiusdem rationis sunt in natura rationali amente; atque in natura irrationali; sed in natura irrationali essent motus naturales appetitus sensitiui erga omnia obiecta appetitus: ergo in natura rationali amente esse possunt motus appetitus sensitiui erga omnia obiecta appetitus; & consequenter erga obiecta de se rationi disformia. *Secũdo.* Secundo probatur: natura rationalis vsu rationis priuata, posset in verba iniuriosa, imo & blasphemias prorumpere, posset etiã puerum sibi obvium occidere, non minus quam natura irrationalis, quamuis esset Verbo vnita posset puerum obvium obruere: ergo posset etiam in motus inordinatos appetitus sensitiui. *Tertio.* Tertio: si namque Verbum, vt potuit assumeret naturam Leonis, posset hominem innocentem occidere, & si fluvij naturam assumeret, posset campos inundare, prædia, & hominum domus destruere, quæ si fierent à natura rationali cum libertate, & aduertentia rationis essent moraliter mala: ergo etiã id posset natura rationalis vnita Verbo, quæ in amentiam incidisset, quamuis facta cum aduertentia rationis, imputarentur ad culpam; & consequenter etiã posset in motus inordinatos appetitus sensitiui.

103 *Respondetur ad 1 probationem minoris* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, distinguo maiorem: sunt eiusdem rationis *physicè*, concedo maiorem: in morali consideratione, nego maiorẽ: & concessa minori, nego consequentiam. Nam in natura rationali quamuis ad vsum rationis impotente, motus illi, etsi non essent mali moraliter ex defectu libertatis, de se tamen ad peccandum inclinarent; & consequenter sunt moraliter indecentes, quam moralem indecentiam in natura irrationali non habent: vnde in illa non dicuntur motus inordinati; bené tamen in natura rationali, etsi amente: quia in hac natura aduersantur radicali inclinationi, qua in bonum rationi consonum propendit, in natura autem irrationali, nulli inclinationi, etiam radicali aduersantur.

104 *Ad secũdam.* Et ex his ad secundam probationẽ, nego antecedens. Blasphemare namq; verba iniuriosa proferre, & innocentem occidere, sunt quantum est de se peccata, & solum per accidens in natura amẽte à malitia excusantur: vnde in natura rationali Verbo hypostaticé vnita, non posset in illa prorumpere, sicut nec in odium Dei, occisio autem facta à natura irrationali nullam continet malitiam; & ideo posset natura bruti Verbo hypostatice vnita, puerum obvium necare, secus autem natura rationalis, etiã si esset vsu rationis priuata. Ex his etiam constat ad tertiam probationem solutio.

## §. IV.

### *De fomite quoad essentiã sũpto prout in actu primo.*

105 *Tertia cõclusio*

TERTIA CONCLVSIO. *De facto in humanitate Christi non fuit fomes quoad essentiam.* Ita cõmuniter Theologi contra Durandum, Quod aliqui probant primo: nam fomes non est appetitus sensitivus, nec motus illius, vt cumque, sed quatenus ex peccato originali causantur, & vt pœna sunt originalis peccati; at in Christo culpa originalis non fuit: ergo appetitus in Christo fomitis essentiam non obtinet. Hæc tamen ratio non vrget, & quæstionem facit de nomine: si namque in Christo fuit appetitus sensitivus in motus inordinatos expeditus, fuit in illo, quidquid ad essentiam fomitis necessarium est, etiam si huiusce modi expeditio, nec effectus fuerit, nec pœna originalis peccati: ergo quod in Christo fomes quoad essentiam non fuerit, non debet probari, ex eo quod expeditio appetitus sensitiui non fuerit effectus, vel pœna originalis peccati, sed ex eo quod, quamuis in illo extiterit appetitus quoad essentiam, non tamen fuit in illo ad motus inordinatos expeditus.

*Probãt aliqui primo.*

*Ratio ista non vrget 1.*

106 *Secũdo.*

Deinde; vt enim §. 1. docuimus, & probauimus, in homine in statu puræ naturæ esset fomes quoad essentiam; & tamen in illo statu, fomes non esset pœna peccati originalis: ergo non benè relegatur à Christo fomes, quia in illo nõ fuit effectus peccati originalis. Deniq; nam qui admitteret de facto fuisse in Christo motus inordinatos appetitus sensitiui, asserens, non fuisse actus fomitis, quia non processerunt ex peccato originali, quæstionẽ grauissimam Theologorum, in cuius decisione versamur, faceret quæstionem de nomine: ergo idem dicendum est, si fomes in actu primo, solum ex hac ratione ab humanitate Verbo vnita excludatur.

*Tertio.*

107 *Secũdo probãt alij.*

Secundo ab alijs probatur: nam fomes dicitur talis, quia est incitamẽtum ad peccandum; ac proinde connotat in subiecto potẽtiã peccandi expeditam; at in Christo non erat potentia expedita ad peccandum; vnde nec poterat ad peccandũ ab appetitu incitari: ergo etsi in illo fuerit appetitus sensitivus, fomes tamen in illo non fuit. Cæterum etiam hæc ratio quæstionẽ facit de nomine, an scilicet, appetitus sensitivus expeditus in motus inordinatos, sit dicẽdus fomes, vel non, eo quod non connotet potentiã ad peccandũ expeditam? Deinde reijcitur: nã ex illa sequitur, posse admitti de facto in Christo, non solum appetitũ sensitivũ in motus inordinatos expeditum, sed etiã ad actũ secundũ reductũ; consequens non admittetur, nec admitti potest: ergo ratio facta est ineffi-cax. Probatur sequela: nã diffinitio sextæ Synodi Generalis, qua contra Theodorũ asseritur, non fuisse pugnã carnis in Christo, & PP. id asserentes explicari possunt, dicendo, non fuisse pugnam interiorẽ in Christo, esto motus appetit⁹ contra rationem in illo extitissent, quia non excitabant voluntatẽ Christi ad peccandũ, eo quod peccare nõ poterat: ergo possunt isti motus in Christi appetitu admitti.

*Displiceret ista probatio*

*Vltimo rejcitur*

108 *Vazq̃z probat tertio.*

Tertio probat Vazquez *disp. allegata*: etenim in Christo nõ fuerunt mot⁹ appetitus sensitiui erga obiectũ delectabile ordini rationis contrariũ; sed in his motibus essentia fomitis consistit: ergo nõ fuit in Christo fomes quoad essentiã. Hoc tamen argumẽtũ nõ vrget primo: nã falsum est essentiã fomitis consistere in motibus inordinatis appetitus sensitiui, vt §. 1. ostendimus: ergo ex eo quod hi motus de facto in Christo non fuerunt, nõ probatur, fomitẽ quoad essentiã de facto in Christo nõ fuisse. Deinde: nã in appetitu sensitiuo, vt expedito ad inordinatos motus fomitis essentia saluatur, sicut in voluntate, vt proximé expedita ad peccãdũ saluatur potẽtia peccãdi: ergo vt excludatur fomitis essentia à Christo, non solum debent negari motus actuales appetitus sensitiui.

*Non vrget 1.*

*Secũdo.*

109 *Respõd.*

Respõdet Vazquez *vbi supra n.* 48. se non solum excludere prædictos motus à Christo, sed etiam facultatem expeditam ad illos, quia non solum docet non fuisse, sed etiam non potuisse esse,

ad

ad quod necessarium est appetitum impediri; cum enim sit potentia naturalis, nisi impeditus sit, operabitur: vnde eo ipso, quod illorum existentia negatur, negatur etiam expeditio appetitus; ac proinde excluditur fomes, non solum in actu secundo, verum etiam in actu primo. Sed contra primo: vt enim docet D. Thom. *infra q. 27. art. 3.* stat fomitē ligari, quin extinguatur; & de facto docet ligatum fuisse in Beatissima Virgine ante conceptionem Christi, & penitus extinctum in illius cōceptione: cui doctrinæ quantum ad distinctionem ligati, & extincti fomitis frequentius adhærent Theologi; sed vt appetitus de facto non fuerit motus illos operatus sufficit fomitē fuisse ligatum: ergo ex negatione prædictorum motuum in Christo, non sequitur, fomitis essentiam in illo non fuisse.

*Cōtra 1.*

110 Secūdo, & explicatur magis hoc ipsum: vt appetitus in Christo de facto nō exiret in motus inordinatos, sufficit decretum Dei nunquā concurrendi cum illo, vel præuiē, vel simultaneē; sed vt fomes quoad essentiam non fuerit, decretum illud non sufficit: ergo ex negatione motuum inordinatorum in appetitu Christi, non sequitur, quod in illo fomes quoad essentiam non fuerit. Cōsequentia probatione non indiget. Maior est certa: nam appetitus sensitivus non potest sine concursu diuino motus, siuē ordinatos, siuē inordinatos operari: ergo eo ipso, quod Deus decernat, non concurrere cum illo ad motus inordinatos, tales motus nō eliciet; & consequenter, vt de facto non extiterint in Christo, sufficit decretum extrinsecum Dei nunquam concurrendi ad illos Minor autem ostenditur primo: vt enim frequentius docetur à Theologis, potest fomes impediri, & non extingui; & cōsequenter potest impediri, & quoad essentiam manere; sed hæc distinctio non staret, si decretum Dei extrinsecum, nunquam concurrendi cum appetitu sensitiuo in motus inordinatos, fomitem quoad essentiam excluderet: ergo decretum illud, fomitem quoad essentiam non tollit. Secundo probatur: vt enim docet D Tho. *infra q. 27 art. 3.* fomes ante conceptionem Christi fuit in Beata Virgine ligatus, sed non extinctus vsque ad Christi conceptionem; & tamē Deus efficaciter decreuit, nunquā concurrere ad motus inordinatos cum illius appetitu: ergo fomes quoad essentiam tali decreto non tollitur.

*Secūdo.*

*Minor probatur 1.*

*Secūdo.*

111 Quia tamen Pater Vazquez *infra disp. 118. cap. 3.* sententiam D. Th. de fomite in Beatissima Virgine impugnat, & distinctionem illam de fomite ligato, & non extincto, impossibilem cēset: breuiter talis distinctio probatur, posseque appetitum sensitivum impediri ad motus inordinatos, & tamen fomitem quoad essentiam manere. Nam fomitis essentia consistit in appetitu sensitiuo, vt expedito expeditione actus primi ad motus inordinatos; sed stat ab extrinseco impediri per decretum efficax Dei nunquam concurrendi ad illos, & manere in appetitu facultatem in actu primo expeditam: ergo stat fomitem ligari, & quoad essentiam manere. Maior cum consequentia tenet Minor autem probatur: stat voluntatem humanā per decretum efficax Dei non concurrendi cum illa ad actus peccaminosos, impediri in ordine ad illos, & manere facultatem in actu primo ad peccandum expeditam: ergo pariter poterit in appetitu contingere ab extrinseco impediri ad actus inordinatos, & manere in ipso facultatem in actu primo expeditam in ordine ad tales motus. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autē constat. Tùm in confirmatis in gratia impeditis ab extrinseco ad mortaliter peccādū per decretū Dei extrinsecum, nunquā concurrendi cum illis ad materiale peccati, in quibus tamē manet potentia ad peccandū in actu primo expedita. Tū etiā, in Beatissima Virgine, cū qua Deus decreuit nunquā ad peccatū concurrere, nec mortale, nec veniale; & tamē erat potens peccare potētia in actu primo expedita: stat ergo voluntatē ad peccandū impediri, & manere in illa potentiā expeditā ad peccandū; & consequenter id ipsum poterit in appetitu contingere.

*Distinctio tradita à D. Tho. defenditur.*

112 Denique Pater Suarez explicans rationem D. Thom. *in præsenti art. 2.* sic arguit: fomes namq; tunc dicitur solum ligatus, quando solum ab extrinseco impedi-

*Suarez explicat rationē D. T.*

peditur: tunc autem extinctus dicitur; & consequenter quoad essentiam perse uerans, quando impeditur per aliquam formam intrinsecam adiuncto decreto extrinseco Dei, nunquam concurrendi cum appetitu sensitiuo ad motus inordinatos; sed in Christo appetitus fuit impeditus ad motus inordinatos, non solum per extrinsecum decretum, sed per gratiam, & virtutes intrinsecas, adiuncto decreto extrinseco: ergo in illo fomes ligatus non fuit, sed fomitis essentia non extitit. Hæc tamen ratio, nisi aliquid illi addatur, non sufficit ad mentem D. Thom. explicandam. Quod probo: nã D. Tho. *infra q. 27. art. 3. in corp.* docet, fomitem in Beatissima Virgine ante cõceptionem Christi solum fuisse ligatũ, & in conceptione Christi penitus sublatum; & tamen expresse affirmat, fomitẽ fuisse impeditum per gratiam intrinsecam, & per extrinsecam prouidentiam prohibentem motus inordinatos, completam: ergo, vt fomes quoad essentiam non maneat, non sufficit, esse impeditum per gratiam, quamuis intrinsecam, sed datur gratia intrinseca ligans, & datur gratia extinguens intrinseca.

*Hæc ratio nõ explicat plenè mẽtẽ D. Th.*

113 *Vrgetur amplius D. Th.*

Quod amplius vrgetur ex D. Tho. *q. allegata art. 4. ad 1.* illis verbis: *Dicendum, quod in Beata Virgine post sanctificationem in vtero, remansit quidem fomes peccati, sed ligatus, ne scilicet, prorumperet in aliquem motum inordinatũ, qui rationem præueniret, & licet ad hoc operaretur gratia sanctificationis, non tamen ad hoc sufficiebat, alioquin virtute illius gratiæ, hoc ei fuisset præstitum, vt nullus motus posset esse in sensualitate eius, nisi ratione præuentus, & sic fomitem non habuisset, quod esset cõtra supradicta; vnde oportet dicere, quod complementum illius ligationis fuit ex diuina prouidentia, quæ non permittebat aliquem motum inordinatum ex fomite prouenire.* Sentit ergo D. Thom. dari impedimentum fomitis ex gratia intrinseca non extinguente fomitem, sed illum ligante, & dari gratiam intrinsecam fomitem extinguentem; & consequenter ex eo solum, quod impedimentũ appetitus ad motus inordinatos fuerit ex gratia intrinseca cõpleta per extrinsecã prouidentiam, nõ colligitur in Christo fomitem quoad essentiam non fuisse.

112

Vnde prætermissis huiusce modi argumentis, suadẽda est cõclusio primo: nam fomes in actu primo expeditus ad motus inordinatos non fuit in Adamo in statu innocentiæ, vt fatentur omnes Theologi, nec in Beatissima Virgine ab instanti conceptionis Christi, nec in beatis existit, vt omnibus est in confesso: ergo nec fuit in humanitate Christi, in qua fuit omnis plenitudo gratiæ, & cui nulla defuit perfectio ex his, quæ possunt illi competere, nisi defectus illius ad finem redemptionis expediret. Secundo: nam in humanitate Christi, non solum nõ fuit peccatum, sed nec etiam potentia ad peccandum in actu primo expedita, vt communis tenet sententia: ergo pariter, non solum non fuerunt in illa motus inordinati appetitus sensitiui, sed nec etiam potentia in actu primo ad prædictos motus expedita.

114. *Probatur conclusio 1.*

*Secũdo.*

115 *Tertio.*

Tertio probatur duplici D. Tho. ratione *in præsenti art. 2.* Prima est: nã fomes in actu primo expeditus ad motus inordinatos, non conducit ad finem redemptionis: ergo in humanitate Christi non fuit. Secunda: nã in Christo fuerunt gratia, omnesque virtutes in summo perfectionis gradu; sed cum his non compatitur expeditio in actu primo appetitus sensitiui ad motus inordinatos, in quo fomitis essentia consistit: ergo in Christo fomes quoad essentiã non fuit.

Maior cũ consequentia tenet. Minor autem probatur: nam virtutes insidentes appetitui sensitiuo, illum subijciunt rationi, & quo perfectiores sunt, eo perfectius illũ rationi subijciunt, ne insurgat cõtra rationem: ergo virtutes in summo, summé illũ rationi subijciũt; sed summa subiectio appetitus ad rationem non saluatur in hoc, quod numquam rationi aduersetur, sed in eo quod non possit contra rationem insurgere: ergo virtutes in summo, non solum efficiunt, vt appetitus numquam contra rationem insurgat, sed etiam, vt non possit insurgere, nec rationem præuenire; & consequenter cum virtutibus in summo perfectionis gradu in appetitu existentibus, non potest illius expeditio in actu primo subsistere ad motus inordinatos.

116 *Difficultas contra rationē istam insurgēs*

Cæterum cōtra hanc rationē statim difficultas pulsat, quam tetigit Caietanus in explicatione articuli; etenim in Ioanne Baptista, aliisque primæ sanctitatis viris, virtutes in gradu heroico extiterunt; & tamen in illis fomes extinctus non fuit, imo nec fomes ligatus, vt communiter docetur à Theologis, qui hoc priuilegiū fomitis extincti, aut ligati in statu legis gratiæ solū in Beatissima Virgine admittunt propter Matris Dei dignitatē: ergo virtutes insidentes appetitui, quantūuis in summo sint, non sufficiunt, fomitē ligare, aut extinguere; & consequenter ex eo quod huiusce modi virtutes fuerunt in humanitate Christi in summo gradu perfectionis, nō sequitur in illa fomitē quoad essentiam non fuisse, imo nec fomitē ligatum, & impeditum, sed aliunde erit probandum.

117 *Respondet Caietanus.*

Huic difficultati respondet Caietanus, perfectionē virtutis in alijs hominibus regulariter fomitē non tollere, bene tamen in tali subiecto, scilicet, in anima Christi; & rationē discriminis reddit: nam anima Christi erat, quantum ad elongationē à peccato, sicut animæ in statu innocētiæ; animæ autē reliquorum quantūcumq; sanctificatorum in vtero, in hac vita sunt sicut anima hominis, qui incidit in latrones, & non solum spoliatus est gratuitis, sed etiā vulneratus in naturalibus; & ideo in anima Christi secundum se sola naturalis inclinatio appetitus sensitiui in bonū, sibi consonum erat per virtutē subijcienda perfectē rationi, ita vt nulla ratio fomitis maneret in eo; in alijs autem, non solū est naturalis inclinatio partis sensitiuæ in bonum sibi consonum, sed talis inclinatio est vulnerata; & propterea in illis non sufficit perfectio virtutis ad tollendum fomitem, sed speciali gratia est opus sic sanante, vt fomes peccati extinguatur, quod soli Beatissimæ Virgini in hac vita fuit concessum.

118 *Vazq; reijcit hanc doctrinam primo.*

Quam doctrinam Vazquez *vbi supra*, vt friuolam reijcit, quia eadem omnino est natiua inclinatio appetitus in quouis statu, & virtutes eiusdem sunt efficacitatis, & solum est discrimē, quia in statu innocentiæ appetitus sensitiuus protectione peculiari Dei, non sinebatur exire in motus inordinatos; in hoc autem statu finitur: ergo si in natura vulnerata virtutes non subijciunt appetitum perfectē rationi, pariter nec in statu innocentiæ, nec in anima Christi Domini, esto in naturalibus vulnerata non fuerit.

*Leuiter ducitur motiuo.*

Futili tamen motiuo ducitur prædictus Auctor ad paruipendendam doctrinam Caietani, supponens, quod probare deberet, nempé, fomitem in statu innocentiæ, fuisse sola Dei extrinseca protectione impeditum, ne exiret in motus inordinatos, cuius contrariū à Caietano supponitur cum D. Thom. 1. 2. *art. quæst.* 95. *art.* 1. & 2. vbi docet, gratiam status innocentiæ, scilicet, iustitiam originalem, inter alios effectus habuisse subijcere appetitum rationi, quam gratiam non in extrinseca Dei protectione consistere, sed in aliquo dono permanente, tenet communis sententia.

119 *Secūdo reijcit Vazq; doctrinā Caietani.*

Deinde; quod Caietanus docet, perfectionem iustitiæ non sufficere ad tollendum fomitem; benē tamen in tali subiecto, scilicet, in anima Christi, quia quantum ad elongationem à peccato erat, sicut animæ in statu innocentiæ, ex aliorum referens sententia *num.* 53. etiam, vt innane reijcit: nam gratia, & virtutes prout in tali subiecto non possunt intrinsecē habere maiorem vim, quam habent secundum se, quandoquidem à subiecto non participant efficacitatem, sed potius illam subiecto communicant: ergo si virtutes appetitui sensitiuo insidentes, non habent ex se efficaciam ad tollendum, vel extinguendum fomitem, nec illam habet in Christo.

120 *Non vrget.*

Hæc tamen obiectio non vrget, & ex non penetrata mente Caietani procedit non enim docet Caietanus, virtutes quoad intrinseca invariatas, habere maiorem vim, & efficaciam, quam eis concedit in Christo, & non in alijs hominibus, emendicare à subiecto; sed quod animæ Christi, quia erat quoad elongationem à peccato, sicut animæ in statu innocentiæ debebantur virtutes illius status ratione iustitiæ originalis primo residentis in anima, & quia iustitia originalis poscebat virtutes in appetitu illum subijcientes rationi, ne posset

contra illam insurgere huiusmodi virtutes cum hac intrinseca perfectione, qua possent plene subijcere appetitum rationi, esse animæ Christi tribuendas: non ergo à subiecto participabāt virtutes vim ad fomitem tollendum, sed quia anima Christi iustitiam originalē habebat, debebantur illi virtutes illius status, quas ab intrinseco habuisse vim ad fomitem extinguendum, supponit Caietanus ex frequētiori, & veriori sententia 1. p. q. 99.

## §. V.

### *Obiectionibus contra solutionem istam occurritur.*

121 *Varijs obijcit.*

SED contra hanc doctrinam obijcit prædictus Auctor: nam virtutes, si quæ sunt in appetitu, non possunt omnes illius motus reprimere, & eius inclinationem ad illos omnino impedire: ergo ratione virtutum non potest fomes quoad essentiam tolli, imo nec potest ligari. Probat antecedens; quia nāque habitus vitiosi non minuunt inclinationem ad virtutem intrinsecé, sed extrinsecé, scilicet, per contrariam inclinationem ad malum, quātumcumq; crescant, non possunt omnino inclinationem ad virtutem extinguere, quod à se probatum supponit 1. 2. *disp.* 137. *cap.* 2. docuitque D. Thom. 1. 2. q. 85. *art.* 1°. sed virtutes, si quæ sunt in appetitu, non minuunt intrinsecé illius inclinationem; aliàs tandem finiretur per incrementum virtutum: ergo quantumcumque crescant, non possunt omnino prauos motus appetitus inordinatos reprimere, nec impedire omnino inclinationem appetitus ad illos.

122 *Cōfirmari potest primo.*

Quod amplius vrgeri, & confirmari potest; vt enim docet D. Tho. 1. 2. q. 71. *art* 4 hæc est differentia inter formam naturalē, & habitus animæ, quod illa necessario suam operationem producit; habitus autem in anima non necessario suam operationem producit, sed homo illo vtitur cum voluerit: vnde habitu existente in homine, potest illo non vti, aut agere contrarium actū. Et q. 78 *art.* 2. ait, vti habitu necessariū non esse; sed subijci voluntati agentis, vnde, inquit, habitus diffinitur, esse, quo quis vtitur, cum voluerit: ergo habitus virtutum insidentes appetitui, quamuis perfecti sint, subiacent vsui appetitus; ac proinde non possunt illū plenè rationi subijcere; taliter, vt nequeat contra rationem insurgere.

123 *Secundo.*

Confirmatur, & vrgetur secūdo: nā habitus virtutū inhærentes appetitui, insunt illi, prout potenti libere operari ex coniunctione ad rationē; sed appetitus, vt præueniens rationē, libera potentia non est: ergo non inhærent illi, vt potēti motib⁹ inordinatis anteuertere rationē; & consequenter non possunt appetitū impedire, ne vsū rationis præueniat. Patet hæc secunda consequentia: nā per formam operatiuā nō conuenientē subiecto sub aliqua cōsideratione, sicut sub illa non potest constitui in actu primo ad operandum, ita nec per talem formam potest ab operando impediri: ergo si habitus virtutum non inhærēt appetitui sub ea ratione, qua est potēs præuenire vsū rationis, nequit impediri per illos, ne suis motibus rationē præueniat.

124 *Respondet Lorca, & est prima solutio.*

Huic argumēto variè occurritur à Theologis. Lorca vbi *supra n.* 5. respondet, negando antecedens. Ad cuius probationē, concesso antecedenti, negat cōsequētiā: & rationē discriminis reddit: nā inclinatio ad bonū naturalis est residēs in volūtate, in qua nulla est ad malū inclinatio, cōsistitq; in ipsa entitate voluntatis, & ideo per nullū habitū potest extingui; inclinatio autē ad malū, solū est in appetitu sensus, & non est ad malū formaliter, sed materialiter, & nō cōsistit in ipsa entitate appetit⁹, sed in modo tēdendi in obiectū, nēpé, in vehemētia, & excessu inclinationis, quæ vehementia per rationis imperiū, & habit⁹ sibi inditos potest coerceri, & ideo quāuis inclinatio ad bonū sensibile, quia est appetitui essentialis, nunquā posit omnino auferri; inclinatio autē ad bonum sensibile, quod est materiale peccati omnino auferri potest: quia nō ad essentiā, sed ad modū inclinationis eius pertinet.

Cæte-

125 Cōtra 1.

Cæterum contra hanc solutionem facit primo: vehementiā appetitus sumptam prout in actu primo, nō distingui ab entitate appetitus, nisi per carentiam formæ impedientis, ne exeat, nec possit exire in actus inordinatos: ergo vt possit talis vehementia extingui, debet assignari aliqua forma, quæ possit illum in actu primo impedire in ordine ad tales motus; at huiusce modi forma, habitus esse non potest: ergo per habitus nō potest fomes extingui. Antecedens est certum: nam præter motum actualem non potest assignari, quid addat vehementia appetitus supra illius entitatē, nisi aliquā carentiam, vt §. 1. ostendim⁹. Consequentia probatione non indiget. Et minor subsumpta probatur paritate supra facta: nam quia habitus vitiosi nō minuunt intrinsecé inclinationē voluntatis ad bonum, sed extrinsecé tantum per cōtrariam inclinationem ad malū, non possunt in actu primo impedire inclinationem ad bonum, nec voluntatē inexpeditam in actu primo constituere ad rectam operationem, sed habitus virtuosi non diminuunt intrinsecé inclinationem appetitus ad malum, & ad resistendum rationi, sed solum extrinsecé per contrariam inclinationem ad bonum, & ad obediendum rationi: ergo non possunt appetitum in actu primo impedire in ordine ad motus inordinatos.

126 Secūdo.

Deinde: nam esto inclinatio appetitus ad obiectum delectabile, quod est materiale peccati, non sit adæquata essētia appetitus; cum etiam ad alia obiecta inclinetur, quæ contraria rationi non sunt; est tamen prædicatū indistinctum ab entitate appetitus; non enim per aliquid superadditum, sed per se ipsum est in actu primo inclinatus in obiecta sensibilia, quæ rectæ rationi aduersantur; quæ quidem inclinatio per habitus virtuosos, non intrinsecé, sed extrinsecé tātum minuitur; at quia inclinatio ad bonum rationi cōforme est indistincta ab entitate voluntatis; & aliàs non intrinsecé per habitum vitiosum minuitur, sed extrinsecé tantùm, probat D. Thomas non posse habitibus vitiorum extingui: ergo ex eadem ratione per habitus virtuosos, non potest omnino extingui inclinatio appetitus ad bona delectabilia, quæ sunt mala materialiter; & consequenter nec poterit omninò in actu primo impediri ad motus inordinatos. Denique contra hanc solutionem faciunt, quæ in argumenti confirmationem adduximus, nempé, habitus subordinari potentiæ quoad vsum; & consequenter non posse illam in actu primo impedire; & insuper virtutes insidentes appetitui, non subiectari in illo, vt agente naturali, sed solum, vt liberest ex coniunctione ad rationem; & consequenter non posse illum in actu primo impedire per ordinem ad motus inordinatos præuenientes omnino rationem, quos respicit, non vt liber, sed vt agens naturale. *Vltimo.*

127 Secūda solutio.

Secunda solutio est; virtutes infusas Christo, cōsiderari posse dupliciter: primo secundū se, & secūdum intē siuā perfectionem: secundo, vt sunt debitæ humanitati ratione vnionis ad Verbum, & ad illam consequentes; & in priori consideratione non esse ad fomitem extinguendum sufficientes, bené tamen in secunda: nam eo ipso, quod ab intrinseco consequantur ad gratiam substantialem vnionis, non potest in appetitu Christi esse inclinatio ad peccandum: quia inclinationes ad oppositā nō possunt vni, & eidē ab intrinseco conuenire. Et sicut gratia habitualis, quia in tali subiecto est, & ad vnionis gratiam cōsequitur, habet esse capitalem, quod gratiæ habituali in alio subiecto non conuenit, de quo *supra q. 8.* ita virtutes infusæ ex coniunctione ad gratiam vnionis, & quia ad illam consequuntur, fomitem omnino impediunt, & illius essentiam excludunt, esto in cæteris iustis huiusce modi effectum non præstent. Ita Nazarius *in præsenti ar. 2. controu. vnica.* Idem docuisse videtur Vincentius *relectione de Gratia Christi quæstione prima p. g. 43.* in eandem solutionem inclinat Magister Sancto Thoma *disput 16. art. 3. ad 4. & vltimum argumentum.* *Nazar.* *Vincet.* *M. S. Thoma.*

128 Cōtra 1.

Hæc tamen solutio, nisi aliquid illi addatur, non satisfacit facto argumento, nec menti D. Tho. videtur congruere. Quod patet primo: nam D. Thom. *infra q. 27 art. 3.* docet, gratiam super-

abundantem communicatam Beatissimæ Virgini in conceptione Christi, nō solum ligasse fomitem, sed illum omnino extinxisse, quæ doctrina non est accipienda de sola gratia habituali, sed simul cum virtutibus infusis voluntati, & appetitui; & tamen huiuscemodi virtutes non consequebantur ad gratiam substātialem vnionis: ergo iuxta D. Thom. possunt gratia habitualis, & virtutes illi annexæ ex se, & ratione intrinsecæ perfectionis sine consecutione ad gratiam substantialem vnionis, non solum ligare fomitem, sed illum omnino extinguere, & tollere quoad essentiam; & cōsequenter cum *in præsenti art.* docet, virtutes humanitati infusas, omnino appetitum subordinasse rationi, & fomitē exclusisse ab humanitate Christi, sine necesitate explicatur de virtutibus infusis, vt vnionem consequentibus, & cum vnione coniunctis.

129 *Secūdo.* Secundo; vt enim docet D. Thom. *1. p. q. 95. art. 1. & 2.* iustitia originalis in Adamo, ita subijciebat appetitum sēsitivum rationi, vt non posset contra rationem insurgere, nec illam præuenire, quam subiectionem art. 1. in corpore, at

D. Th. tribuit gratiæ habituali, illis verbis: *Si desserente gratia soluta est obedientia carnis ad animam, datur intelligi, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Quæ verba non sic accipiēda sunt, vt gratia habitualis ab omni modo superaddito præcisa, huiusmodi effectum præstiterit, sed cum modo superaddito: ex quo habebat rationem originalis iustitiæ, ad quā isto modo sūptam consequebantur virtutes omnino subijcientes appetitum ad rationem, & fomitem omnino tollentes: ergo vt virtutes infusæ fomitis essentiam tollant ab humanitate Christi, & appetitum omninò rationi subijciant: ita vt non possit aduersus illam consurgere, nec rationem præuenire, recursus ad coniunctionem illorum cum gratia vnionis non est necessarius, nec ad mentem Angelici Præceptoris.

130 *Tertio.* Tertio: nam quod virtutes infusæ subiecerint appetitū humanitatis Christi rationi, ita vt nec illam præuenire, nec ei resistere potuerit, probat Angelicus Doctor, eo quod fuerunt in Christo in summo gradu perfectionis; at si hoc præstarent, quia consequuntur ad gratiā vnionis formaliter, recursus ad summum perfectionis gradum, quem in anima Christi obtinerent, omninò superfluus erat; cum in quolibet gradu perfectionis eundem effectum præstarent, dummodo consequerentur ad gratiam substantialem vnionis: ergo dicta interpretatio menti D. Thom. non cōgruit. Denique: nam virtutes infusæ non consequuntur ad gratiam vnionis per dimanationem physicam, sed tantum consequutione morali, vt docet frequentior sentētia *supra q. 2. art. 12. q. 6. art. vltim. & q. 7. art. 13.* ex qua consequutione nullam habent perfectionem intrinsecam, sed tantum extrinsecam denominationem: ergo si secundum se non sufficiunt, fomitem ligare, extinguere, vel auferre, nec consecutæ ad gratiam substantialem vnionis, possunt illos effectus præstare. *Vltimo.*

Vnde his modis dicendi omissis, & in sua probabilitate relictis; pro solutione argumenti supponēdum est primo ex D. Thom. *1. p. q. 95. art. 1. & 2.* gratiam statusinnocentiæ, quæ idem erat, ac iustitia originalis, inter alios effectus, quos homini in illo statu præstabat, vnum fuisse, ita appetitum sensitivum rationi subordinare, vt illam præuenire non posset, nec aduersus illam motibus inordinatis insurgere; dū ratio sub Deo contineretur, & in Dei obedientia persisteret. Secundo supponēdum est, huiuscemodi subiectionem non fuisse per prouidentiam extrinsecam Dei negantis concursum ad motus inordinatos appetitus sensitiui, quibus præueniret rationem, & aduersus illam insurgeret, sed ex vi donorum gratiæ intrinsecē residentium in anima, & in potentijs illius: quod patet primo: nam per prouidentiam tantum extrinsecam non tollitur, sed tantum ligatur fomes, vt docet D. Th. *infra q. 27. art. 3. in corp.* sed in homine in statu innocentiæ fomes quo ad essentiam non fuit, vt docet communis sententia, & constat ex Trid. *sess. 5. decreto de peccato originali*, asserente, fomitem esse pœnam originalis peccati, quod verum esse non posset, si in primo Parente ante culpā extitisset: ergo subiectio

131 *Vera solutio traditur: pro qua supponitur 1.*

*Secūdo.*

*Hoc notabile, prob. 1.*

iectio appetitus ad rationē non erat tantum per prouidentiam extrinsecam, sed in vi donorum gratiæ intrinsecé animæ inhærentium, illamque perficientium intrinsecé.

132 *Secūdo.* Secundo: non enim implicat donū intrinsecum animæ ita frænans appetitum, illumque rationi subordinans, vt non possit præuenire rationem, nec insurgere contra illam; cum enim possit Deus efficienter hanc subiectionem in appetitu causare, cur non poterit medio dono intrinseco habituali subiectionē istam efficere, ita vt à Deo sit effectiué, & à dono gratiæ intrinseco formaliter talis subiectio proueniat? Sed nulla est ratio, cur ita de facto non fuerit: ergo asserendum est subiectionem appetitus ad rationem de facto fuisse effectum donorum gratiæ inhærentium animæ intrinsecé. *Vltimo.* Denique: nam gratia consummata in beatis huiusmodi effectū præstat, & non solum extrinseca prouidentia: ergo gratia originalis iustitiæ potuit quātum ad hoc, ita esse perfecta intrinsecé, vt effectum istum præstaret; quod si potuit nulla est ratio, cur negetur de facto ita contigisse, quodscilicet, ratione alicuius modi intrinseci, ita appetitum frænaret, sub ratione que contineret, vt non posset contra rationem insurgere, quandiu ratio in Dei obedientia persisteret.

133 *Supponitur 3.* Tertio supponendum est, subiectionem appetitus ad rationem non fuisse adæquate effectū gratiæ habitualis, aut donii immediaté animæ inhærentis, prout à potentijs distincti, sed etiam donorum intrinsecé inhærentium potentijs, ita vt gratia animæ inhærens, illam, vt radicaliter sensitiuam subordinaret in genere causæ formalis sibi ipsi, vt rationali; appetitum autem non subordinaret rationi in genere causæ formalis, sed radicaliter, radicando nempé virtutes simili perfectione gaudentes, inhærentes appetitui, illumque in genere causæ formalis rationi subordinantes. Quod patet: nam hæc subiectio est intrinseca appetitui: ergo prouenire non potest in genere causæ formalis à dono animæ immediatè inhærente, sed necessario petit à forma appetitui intrinsecé inhærente, præstari.

134 *Vltimo.* Denique aduertendum est, huiusmodi perfectionem, ratione cuius virtutes inhærentes appetitui, illum rationi subordinabant, non fuisse gradum intensissimum, sed modum aliquem similem modo gratiæ consummatæ, & virtutum consequentium ipsam; quod patet manifesta ratione: nā gratia, & virtutes fuerunt à Deo communicatæ Apostolis, Ioanni Baptistæ, & pluribus alijs Sanctis cum maiori perfectione intēsiua, quam Adamo in statu innocentiæ, vt omnib⁹ est in confesso; & tamen in illis non fuit appetitus sensitiu⁹ rationi omnino subiectus, nec ligatus, nec extinctus, vt fatētur omnes Theologi asserentes huiusce modi priuilegium fomitis extincti, aut ligati fuisse Virgini speciale, & nulli sancto cōcessum in statu viæ: ergo fomitis ablatio, & illius plena subiectio, non fuit in Adamo effectus gratiæ, & virtutum ratione perfectionis gradualis intēsiuæ, sed ratione alicuius modi intrinseci diuersæ omnino rationis à graduali intensione, simili, modo gratiæ consummatę beatorum; & virtutum ipsam consequentium, quam esse diuersæ rationis à gratia, & virtutibus viatorum, docet D. Thomas 1.2 q. 24. art. 7. ad 3 loquendo in specie de habitu Charitatis.

135 *Mēs D. Tho. explicatur.* Ex quibus manifeste sequitur, cum docet D. Tho. virtutes humanitati Christi inhærentes, quia in summo gradu in anima Christi existunt, ita plene subiecisse appetitum sensitiuum rationi, vt non posset aduersus illam insurgere, indeque in Christo fomitem peccati non fuit; non loqui de summo gradu intensionis, sed de summo gradu perfectionis de lege ordinaria possibili. Et ita formari potest. Virtutes summo gradu perfect onis gaudentes de lege ordinaria possibili, omnino subijciunt appetitum rationi: ita vt non possit contra rationē insurgere, vt constat in virtutibus Adami in statu innocentiæ, quæ ratione intrinsecæ perfectionis, omnino subiecerunt rationi appetitum sensitiuum; sed virtutes existentes in humanitate Christi fuerunt in summo perfectionis gradu, hoc est, omnis perfectionis de lege ordinaria possibilis: ergo omnino subijciebant rationi appetitum, ita vt nō posset contra rationem insurgere, nec illam inordinatis motibus præuenire; & con-

sequenter fomes quoad essentiam in humanitate Christi non fuit: nam fomitis essentia consistit in appetitu sensitiuo, vt in actu primo expedito ad motus inordinatos contra rationem pugnantes.

136 *Ad argumentum P. Vazquez respondetur*

Ex his etiam ad argumentum Vazquij dicatur, verum esse antecedens de virtutibus appetitui inhærentibus secundum gradum intensionis inspectis, falsū autem de eisdem consideratis secundū intrinsecam perfectionem modalē, qua si extensiuam originalis iustitiæ, quam virtutes Christi habuerunt. Ad antecedentis probationem, quatenꝰ distinctioni traditæ obstare potest, respondeo, loquendo de inclinatione remota, hoc est, quantum est de se potēte in proprias operationes, eandem esse rationem de habitibus vitiosis in ordine ad voluntatem, & de habitibus virtutum in ordine ad appetitum; sicut enim habitus vitiosi quantumcumque intendātur, & crescant, non possunt efficere, vt voluntas quantum est de se non possit in actum honestum, ita habitus virtutum existentes in appetitu, quantumcumque perficiantur, non possunt præstare, quod appetitus quantum est de se non possit in motus inordinatos.

137

Loquendo autē de potentia in actu primo expedita, tenet paritas inspectis habitibus honestis secundum gradualē intensionem, non autem consideratis secundum perfectionem extensiuam, qua appetitum rationi subordinabant. Ratio primæ partis est; quia sicut habitus vitiosi subordinātur voluntati quoad vsum, ita actus virtutum inspecti in sua gradualī intensione appetitui subordinantur; & ideo, sicut illi non possunt voluntatem in actu primo impedire in ordine ad actum honestum, ita nec illi possunt appetitum in actu primo impedire in ordine ad prauos, & inordinatos motus. Ratio autem secundi est: nam habitus virtutum insidentes appetitui secundum illam perfectionem extensiuā, non subduntur appetitui, sed illum sibi, & voluntati subijciunt, secus vero habitus vitiosi; cum enim naturales sint, non possunt sibi voluntatē subijcere; & ideo, quamuis habitus vitiosi nequeant voluntatem in actu primo impedire in ordine ad actus bonos, possunt habitus virtutum inhærentes appetitui, illū in actu primo impedire in ordine ad motus inordinatos, eumque omnino rationi subordinare, taliter vt illam præuenire non possit: sicut enim Deus hoc potest seipso efficere, potest etiam id præstare media qualitate inhærente.

138 *Ad formā argumēti respōdetur*

Vnde in forma respondetur: quia habitus vitiosi non minuunt inclinationē ad bonum intrinsecé, sed extrinsecé, nō possunt illam extinguere, distinguo maiorem: quoad vim remotam ad bonum, concedo maiorem: quoad vim proximé expeditam, subdistinguo maiorem: præcisé ex illa ratione, nego maiorem: ex illa, & insuper, quia voluntati subordinantur quoad vsum, concedo maiorem: & concessa minori, nego cōsequētiam. Solum enim infertur habitus virtutum non posse inclinationem remotam appetitus sensitiui ad motus inordinatos auferre; non autem quod expeditionem proximam ad illos omnino extinguere nequeant, ob rationem differētiæ assignatam: quia nempé habitus vitiosi, non sibi volūtatem subijciunt, sed illi subordinantur; habitus autem virtutum ratione perfectionis explicatæ, nō subdūtur appetitui, sed appetitum subijciunt, & subordinant rationi. Et quidem visio beatifica appetitum impedit in actu primo in ordine ad motꝰ inordinatos, vt docet prædictus Auctor, & tamē magis extrinsecé se habet ad appetitū, quam habitus illi inhærentes: ergo ex eo quod habitus non intrinsecé, sed extrinsecé minuant inclinationem appetitus ad motus inordinatos; non sequitur, quod non possint, illum in actu primo impedire.

139 *Ad primā cōfirmationē*

Ad primam confirmationem dicatur, doctrinam D. Thomæ non sic accipiendam esse, vt formæ naturali conueniat necessario suam operationem elicere, idque habitui ex communi conceptu repugnet. Quod patet: nam lumen gloriæ non est potentia, sed habitus; & tamen naturaliter suam operationē causat; charitas etiam beatorum per respectum ad amorem beatificum, nō est potentia, sed habitus; & tamē quoad illum actum, nō subditur voluntati, nec illum elicit liberé, sed necessario, & per modū naturæ: ergo quamuis habitus ex communi

muni ratione non petat necessario suam operationem efficere, non tamen positiuè excludit istum modum operādi, & quod non subdatur voluntati quoad vsum. Vnde explicandus est D. Tho. de habitibus naturalibus, qui voluntati subduntur, & etiam de supernaturalibus in ordine ad actus liberos, & meritorios, qui prout sic, voluntatis imperio subdūtur, non autem de omni habitu in ordine ad omnem actum; cum enim habit⁹ datur ad sibi subijciendum, & subordinādum subiectum aliquod, vel potētiam, non subordinatur illi, & quia perfectio originalis iustitiæ conueniens habitib⁹ appetitus tendebat ad hunc effectū, nēpé ad subijciendum appetitum rationi, ne illam præueniret motibus inordinatis; fit consequens, vt non subderetur appetitui quoad vsum, sed illum sibi subijceret, & omnino ad prædictos motus impediret.

140 *Ad secūdam.* Ad secundam confirmationem, distinguo maiorem: adæquatè, nego maiorem: inadæquatè, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiā. Nam licet habitus infusi appetitui quoad intēsionē gradualem illi inhæreant inquantum potentiæ liberæ; quoad perfectionem autem, qua subdunt appetitū rationi, ne illam præuenire possit, insunt illi inquantum est agens per modum naturæ, non vt motus naturales eliciat, sed vt non præueniat rationem motibus inordinatis, nec inconueniens est vnum, & eundem habitum secundum diuersas rationes inhærere eidem potentiæ, vt liberæ, & vt causæ naturali: nam habitus charitatis perficit voluntatem, vt liberam, & vt operantem per modum naturæ; quandoquidem illam eleuat, vt libere Deum diligat in via, & in patria necessario, & per modum naturæ.

141 *Instabis.* Si dicas: de ratione virtutis moralis solum est perficere potentiam in ordine ad rectam operationē: ergo hoc, quod est impedire appetitum, ne rationem præueniat motibus inordinatis, est extra rationem virtutis; & consequenter dato, quod appetitus sensitiuus qualitate intrinseca impediatur, ne rationem præueniat motib⁹ inordinatis, talis qualitas, virtus non erit; ex quo vlterius fit, vt non subsistat doctrina Angelici Præceptoris asserentis, subiectionem appetitus in Christo prouenire à virtutibus infusis.

142 *Respod.* Respondeo, negando antecedens. Nam licet præcipu⁹ finis virtutis, sit honesta, & recta operatio, quia tamen impedire appetitum, ne rationē præueniat motibus inordinatis, ordinatur ad rectā operationem; fit consequens, quod præstare huiusmodi impedimentum nō sit extra rationem virtutis; ac proinde illa perfectio, qua virtutes inhærentes appetitui, illum rationi subijciunt, impedientes ne præueniat deliberationem rationis, extra rationem virtutis non est.

143 *Vrgebis primo.* Cæterum contra hanc resolutionē obijciet aliquis primo D. Thomam, *q. 24. de veritate art. 8. in corpore*, vbi de beatis, & beatifica cognitione loquens, sic ait: *Et hac cognitionis claritate in tantum mens roborabitur, quod in inferioribus viribus nullus motus insurgere poterit, nisi secundum regulam rationis* Et art. 9. in corpore, vbi docet, perfectā confirmationem in bono, non posse homini competere in statu viæ, & rationem reddit: *Primo, & principaliter, quia rationem esse semper in actu rectæ contemplationis in statu viæ, ita quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundo: quia in statu viæ non contingit inferiores vires, ita rationi esse subditas, vt actus rationis nullatenus propterea impediatur, nisi in Domino Iesu Christo, qui simul viator, & comprehensor fuit, sed tamen per gratiam viæ, ita potest homo bono astringi, quod nō, nisi valde de difficili peccare possit, per hoc, quod ex virtutibus infusis inferiores vires refrænantur, & voluntas in Deum fortius inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veritatis diuinæ, cuius continuatio ex feruore amoris prouenies, hominem retrahit à peccato*: Ergo aperte sentit D. Tho gratiam, & virtutes intrinsecas non posse fomitem ligare, aut extinguere, sed solam visionem beatificam posse huiusce modi effectum præstare.

144 *Cōsequētia probatur 1. Secūdo.* Patet consequentia primo; quia in beatis extinctionem fomitis tribuit visioni beatificæ: ergo sentit, non præstari à donis gratiæ, & virtutum. Secundo: nam probat non posse hominem in statu viæ perfectè confirmari in bono (nē-

pé,

pé, ablatione potentiæ peccandi) quia in via nō contingit vires inferiores, ita esse rationi subditas, vt actus rationis nullatenus impediatur per illas; at si virtutes, & gratia non coniunctæ cum beatifica visione, possent vires inferiores plenè rationi subijcere; huiusmodi ratio esset nulla: ergo gratia, & virtutes non possūt fomitem ligare, aut extinguere. *Tertio.* Tertio: nam quod in Christo vires inferiores plenè fuerint rationi subordinatæ, ita vt rationem impedire non potuerint, probat D Thom. ex eo quod fuit simul viator, & comprehensor: ergo sentit sola visione beata posse vires inferiores omnino rationi subijci, illique subordinari.

145 *Vrgebis secundo.* Secundo contra eandem doctrinā arguitur: voluntas namque per nullam formam creatam, exceptis visione beatifica, & vnione hypostatica, potest ita Deo subijci, & in bono confirmari, vt nō possit peccare potentia in actu primo expedita: ergo appetitus sensitivus per nullam formam creatam, exceptis prædictis donis, potest ita subijci rationi, vt non possit potentia in actu primo expedita contra rationem insurgere, illiusque imperio aduersari. *Tertio.* Tertio: nam appetitus sensitiuus inspectus secundum se, est potentia naturalis; & consequenter circa obiectum sibi media imaginatiua applicatum, agit per modum naturæ; sed nulla qualitate intrinseca residente in appetitu potest impediri applicatio obiecti virtute imaginatiuæ: ergo nulla qualitate intrinseca potest appetitus impediri, ne in motus inordinatos prorumpat vsum rationis præueniēdo.

146 *Quarto.* Quarto: nam si qualitas aliqua supernaturalis intrinseca posset impedire appetitum, ne in malum feratur sine rationis consensu, etiam impediret illum, ne inclinaretur in obiectum bonum delectabile, nisi ex imperio rationis: consequens est falsum: ergo & tradita doctrina. Consequentia tenet. Minor constat: nam qualitas appetitum frænans, illumque rationi subijciens, constituitur à nobis vt fomitis essentia non maneat; fomitis autem essentia non consistit in facultate appetitus erga bonum expedita sine rationis imperio, sed tantum in expeditione ad malum: ergo qualitas prædicta non posset impedire appetitum, vt ferretur in obiectum bonum delectabile, imperium rationis præueniendo, sed solum vt exiret in motus inordinatos, & rationi repugnantes. Sequela autē probatur: nam qualitas illa intrinseca impediens appetitum, ageret per modū naturæ, & omnino determinata ad vnū: ergo si impediret, ne appetit⁹ appeteret carnes in die Veneris prohibitas, etiam impediret, ne illas appeteret in die, quo prohibitæ non essent. Patet consequentia: nam esus carnium eiusdem rationis est in die, quo prohibetur, atque in die, in quo libere potest compleri: ergo qualitas impediens motum appetitus sensitiui in esum carnium prohibitum antevertentem rationem, etiam impediret motū appetitus sensitiui erga esum carnium, vt præuenientem rationem prohibitione ablata.

147 *Quinto.* Denique: nam appetitus in Christo libere obediebat rationi; & consequenter poterat non obedire; at si esset prædicta qualitate in actu primo impedit⁹, ne contra rationem insurgeret, liberè non obediret; cum esset necessitatus ad imperium rationis sequendum: ergo qualitas illa in appetitu Christi constituenda non est.

148 *Ad primam obiectionē respond.* Hæc tamen, etsi difficilia sint, veritatem resolutionis traditæ non eneruāt. Ad primam respōdeo, admissa, vt iacet, Angelici Præceptoris doctrina, negando consequentiam. *Ad primā cōsequentiæ probationē.* Ad primam probationem, distinguo antecedens: tanquam causæ sufficienti, concedo antecedens: tanquam causæ necessariæ, nego antecedens, & consequentiam. Et quidem *in præsenti art.* exclusionem fomitis, aut eius non existentiā in humanitate Christi attribuit D. Tho. donis habitualium virtutum, quin ex hoc recte inferatur, visionem beatificam sufficientem causā non esse ad essentiam fomitis excludendam: ergo pariter ex eo quod *loco in argumento allegato*, fomitis exclusionem visioni beatificæ attribuerit, non licet inferre virtutes infusas ad illum excludendum non sufficere. Et ratio omnium est: nam attributio alicuius effectus vni, vt causæ sufficienti, non tollit, quod alteri, vt sufficienti causæ attribuatur: de quo *§. sequenti* fusius.

Ad

149 *Ad secũdam.*

Ad secundam probationem dicatur, loqui D. Thom. de iustis in statu naturæ lapsæ, in quibus regulariter non contingit vires inferiores omnino esse rationi subordinatas, ita vt illam impedire non possint, ex quo tantum sequitur, virtutes hominibus iustis infusas, prout regulariter infunduntur, fomitis essentiam non tollere, nec omnino appetitum sensitiuum impedire, vt rationem præuenire, impugnareque non possit, quod libenter fatemur, non autem quod non possint ea perfectione infundi, vt prædictos præstent effectus, vt in Beatissima Virgine speciali priuilegio accidisse, docet D. Thom. *inf. q. 27. art. 3 & 4* & in humanitate Christi non ex priuilegio speciali, sed ex debito rationè hypostaticæ vnionis euenisse, docet *in præsenti art.*

150 *Ad tertiã probationẽ respõdetur 1.*

Ad tertiam probationem dicatur, causalem illam à D. Thom. assignatam, quia nempè Christus fuit simul viator, & comprehensor, non sic accipiendam esse, quod visionis comprehẽsio sit causa vnica, & necessaria subijciẽdi vires inferiores rationi, ita vt non possint aduersus illam insurgere; cum in Adamo in statu innocentiæ sine visione beatifica subiectionem illam concesserit D. Tho. 1. p. q. 95. artic. 1. & 2 & in Beatissima Virgine plenam subiectionem appetitus ad rationem admisit ab instanti cõceptionis Christi, *infra q 27. art. 3. & 4* sed illam pro causa sufficiẽti assignauit; ex quo nõ sequitur, causas alias sufficiẽtes non esse. Vel dicatur, causam illam assignasse, non subiectionis appetitus ad rationem absolutè, sed subiectionis sine priuilegio speciali; ex quo tantum sequitur, quod in non videnti Deum, sine priuilegio speciali non possit prędicta subiectio existere; non autem, quod absolute dari, & existere nequeat.

*Secũdo.*

151 *Ad secũdã obiectionẽ respõd. 1.*

Ad secundam obiectionem responderi potest primo, negando antecedens. Sicut enim potest voluntas necessitari ad exercitium actꝰ, qualitate fluida præmouente, non regulata per iudicium indifferens quoad exercitium, potest itẽ necessitari quoad specificationem per qualitatem fluidam præmouẽtem, quæ non supponat iudicium quoad specificationem indifferens, cur non poterit, & quoad exercitium, & quoad specificationem necessitari qualitate creata permanẽte? Quoad exercitiũ quidem si qualitas talis conditionis sit, vt pro regulanõ petat iudicium quoad exercitium indifferens, sed necessariũm quoad exercitium, & quoad specificationem, si talis conditionis adstruatur, quod petat in suos actus exire supponendo pro regula iudicium intellectus indifferens quoad exercitium, quia in obiecto nõ attendit omnimodã rationẽ boni; necessariũ tamẽ quoad specificationẽ, quia in obiecto nullã cõsiderat rationẽ mali, nec in obiecto cõtrario aliquã rationem boni; qua quidẽ qualitate admissa necessitabitur voluntas quoad specificationem, etsi quoad exercitium libera maneat; eo autem ipso per talem qualitatem cõstituetur impeccabilis; nã libertas ad peccandum, est libertas quoad specificationem.

152 *Instabis primo.*

Sed opponẽs primo: eo ipso quod qualitas illa relinquat indifferentiã quoad exercitium, potest voluntas omittere actum: ergo accedente præcepto positiuo actus, potest peccare. Patet cõsequẽtia: nam peccatum contra præceptum positiuum, in actus omissione consistit: ergo si existente præcepto præscribente actum, potest actum omittere, potest peccare.

*Respõd*

*Præceptũ affirmatiuũ nõ violatur per omissionẽ negatiuè sumptam, sed priuatiuè.*

Respondeo, negando consequentiam: nam præceptum non violatur omissione actus *negatiuè* sed *priuatiuè* sumpta, & cum præcepto composita; licet autem voluntas dicta qualitate affecta possit in omissionem actus *negatiuè*, & *præcisiuè* à præcepto; non tamen posset in illam *priuatiuè* sumptã, & cum præcepto compositam, sicut voluntas Christi impeccabilis, potest præcepto supposito velle non mori, sumptum *negatiuè*, & *præcisiuè* à præcepto; non autem *priuatiuè* & *compositiuè* cũ illo, & Angelus in primo instanti potẽs fuit ad negationem amoris in sensu diuiso à præcepto, non autem ad amoris priuationem in sensu composito cum præcepto

153 *Instabis secundo*

Opponẽs secundo; qualitas illa, nec esset eiusdem speciei cum gratia, & virtutibus ei annexis, nec diuersæ speciei ab illis: ergo esset omnino impossibilis. Consequentia tenet. Antecedens autem

pro

pro prima parte constat: nam gratia, & virtutes illi annexæ non determinant ad bonum honestum tollendo potentiam ad malum; qualitas autem illa vt QVO, & vt QVOD esset ad bonum honestum determinata: ergo nō esset eiusdem speciei cum gratia, & virtutib⁹ illi annexis. Pro secunda vero parte probatur; non enim est possibilis, etiam de potentia absoluta, gratia habitualis diuersæ speciei ab illa, quæ de facto datur; & consequenter non sunt possibiles virtutes inhærentes potentijs specificé distinctæ ab illis, quæ dātur de facto, vt tenet communis Thomistarum sententia 1.2.q.110. ergo qualitas illa non foret diuersæ speciei à gratia, & virtutibus, quæ de facto in ordine gratiæ existunt.

154 *Respōd.*

Respondeo, negando secundam partem antecedentis, foret namque illa qualitas specificé diuersa à gratia, & virtutibus de facto gratiam consequentibus, nec obstat probatio in cōtra; licet enim sententia illa sit nostris Thomistis frequé rior, non tamen desunt discipuli D. Th. oppositæ sententiæ adhærentes. Nec video, quomodo probari possit implicatio vnius habitus per se primo specificati à bono abstrahente ab obiecto charitatis, & ab obiecto spei: & similiter, nō est vnde possit ostendi implicatio vnius habitus per se primo respiciētis veritatem diuinam, vt attingibilem claré, & obscuré, qui habitus specie distinguerentur à charitate, & lumine gloriæ existentibus de facto; concessa autem possibilitate istorum habituum, necessario est admittenda possibilitas gratiæ habitualis specificé distinctæ ab illa, quæ de facto datur.

*Dabilis est qualitas specificè diuersa à gratia, & virtutibus quæ de facto dantur.*

155 *Instabis tertio.*

Oppones tertio; implicat substantia creata ad bonum honestum determinata ab intrinseco, vt docet cōmunis Theologorum sententia 1.p.q.12. & 1.2.q.112. ergo etiā implicat qualitas creata, quæ vt QVO, & vt QVOD sit intrinsecé ad bonum honestum determinata; cum illoque omnino adæquata. Respondeo primo, concesso antecedenti, negando cōsequentiam: implicat enim substantia supernaturalis creata, non tamen qualitas creata supernaturalis. Præterea: nā lumē gloriæ est, vt QVO, & vt QVOD ad bonum determinatum; cum constituat beatos ab intrinseco impeccabiles ratione visionis beatificæ, qua beatos impeccabiles constitui, tenet communis sententia: ergo ex implicatione substantiæ ab intrinseco impeccabilis, non infertur implicatio qualitatis accidentalis cū bono honesto adæquatæ, ad illudque determinatæ, non solum, vt QVOD, quæ determinatio omni bonæ qualitati est cōmunis, sed etiā vt QVO, taliter, quod tollat à subiecto potentiam ad malum amplectendum, & à bono deuiandum.

*Respōdetur 1.*

Secundo responderi potest, cōcesso antecedenti; negando consequentiam: & ratio discriminis est: nam qualitas cōstituens voluntatem impeccabilem, naturalis esse non potest, vt omnib⁹ debet esse in confesso, aliàs supernaturalis esse non potest, quod patet: nam qualitas supernaturalis, esto non exigatur à natura voluntatis, illam tamen eleuat, & perficit conformiter ad eius naturam, & quia natura voluntatis est, quod non determinetur ad media, nisi prius sit ad finem determinata; & consequenter non necessitari ad media, nisi prius necessitetur ad finem; consequens fit, quod non sit dabilis qualitas supernaturalis creata necessitans voluntatem ad præcepta seruāda, quæ sunt media, nisi illam ad finem, nempé Deum diligendum necessitans, cum quæ natura voluntatis sit, non necessario, sed libere Deum diligere, nisi claré, & intuitiué propositum; cōsequens fit, quod sola illa qualitas necessitare possit voluntatem ad bonum honestum, quæ visionem beatificam petat pro regula; ac proinde, quod non, nisi media visione beatifica possit voluntas reddi ab intrinseco impeccabilis. Appetitus autem sensitiuus secundum se inspectus, est potentia naturalis, & solum liber ex coniūctione ad rationem, non tamen, ita perfectè, quod ad vltimum finem extendatur; non enim potest etiam ex subordinatione ad rationem Deum super omnia diligere; ac proinde potest per aliquam formam, vel qualitatem creatam necessitari, vt voluntati obediat absque præuia qualitate illum ad finem necessitante. Ex quo vlterius fit, vt necessitari possit ad non resistendum rationi extra visionem beatificam.

156 *Respōdetur 2.*

Ad tertiam, concessa maiori, & præ

157

ter-

termissa minori, nego consequentiam. nam licet agens naturale erga obiectū sibi applicatum naturaliter agat, si impeditum non supponatur; secus autem quādo impeditum ad intrinseco supponitur, qualiter in præsenti contingit: nam qualitas à nobis posita, impedit appetitum, ne in actum, nisi ex imperio rationis exeat, vnde quamuis imaginatiua illi proponat obiectum, non poterit illū mouere, nec appetitus in actum erga tale obiectum exire, sicut corpora beatorum dote impassibilitatis affecta, nō patiuntur, nec pati possunt ab igne, & aliis agentibus corruptiuis quantumuis sibi applicatis, quia hæc est illius qualitatis natura; vt beatorum corpora impassibilia constituat.

*Ad tertiam obiectionē respond.*

158 *Ad quartam.*

Ad quartam, concessa maiori, nego minorem, quam non conuincit probatio: nam qualitas ista subijciens appetitū rationi, non solum constituitur ad fomitem excludendum, sed etiam ad subordinandum appetitum rationi in omnibus suis actibus, qualiter erat appetitus in statu innocentiæ; & sicut, qui hanc subordinationem attribuūt extrinsecæ prouidētiæ, non solum loquuntur in ordine ad motus inordinatos, verum etiam in ordine ad omnem motum, ita nos illam tribuentes qualitati intrinsecæ permanenti, ad omnes motus extendimus. Et quidem asserentes, fomitem extingui in Beatis per beatificam visionem, eodem argumento tenentur; vel enim media visione beatifica impeditur, ne exeat in actum erga obiectum delectabile bonum, sine rationis imperio, vel solum erga obiectum delectabile rectæ rationi contrarium. Si primum, idem Nos dicimus de qualitate intrinsece afficiente appetitū Si secundum: ergo ex vno ab alio bona consequentia non fit; ac proinde ex eo quod qualitas intrinseca appetitui, illū ad motum inordinatum impediat, non sequitur debere etiā impedire, ne exeat in actum erga obiectum delectabile rectæ rationi, non oppositum præter illius imperium.

159 *Ad quintam.*

Ad vltimam obiectionem dicatur, quod sicut voluntas Christi liberē obediuit præcepto sibi de moriendo imposito, quin ex hoc inferatur, potuisse præcepto Patris resistere componendo cū præcepto negationem obedientiæ: ita appetitus qualitate illa supposita, & supposito rationis imperio, libere illi obsequebatur, quin ex hoc liceat inferre, posse ad negationem motus per rationem imperati compositam cū imperio, sed tantum posse in prædictam negationem *negatiue* sumptam, & vt ab imperio præcisam.

## §. VI.

### *Quid de potentia absoluta dicendum?*

160 Vltima conclusio.

VLTIMA CONCLVSIO SIT. *Fomes sumptus quoad essentiam, non potuit esse in humanitate Christi, etiam de potentia absoluta.* Huius conclusionis veritas sequitur ex dictis §. 2. vbi ostēdimus motus inordinatos appetitus nō potuisse esse in humanitate Christi, etiā de potentia absoluta, & ex *ibi* dictis probatur: nam essentia fomitis non consistit in sola entitate appetitus, sed in illa, vt in actu primo expedita ad motus inordinatos; sed quamuis in humanitate Christi extiterit entitas appetitus, expeditio tamen per modum actus primi ad motus inordinatos nō potuit esse in illa, etiam de potentia absoluta: ergo fomes quoad essentiam non potuit de potentia absoluta esse in Christi humanitate. Consequentia probatione non indiget. Maior constat ex dictis § 1. & insuper à paritate probatur; etenim potentia peccandi non consistit in sola voluntatis essentia, sed in illa, vt ad peccādum in actu primo expedita: ergo pariter fomes sūptum quoad essentiam, non consistit in sola entitate appetitus, sed in illa vt in actu primo expedita ad motus inordinatos. Et insuper: nam alias non solum esse potuisset in Christo; sed etiam de facto extitisset, quod communi Theologorū sententiæ aduersatur. Patet sequela: nam entitas appetitus de facto fuit in humanitate Christi; ergo si in sola entitate appe-

*Probatur 1.*

titus

titus essentia fomitis consisteret, extitisset de facto in Christi humanitate.

161 *Minor probatur 1.* Minor autem, cui soli inest difficultas, ostenditur primo: potentia expedita peccandi, non solum non fuit de facto in humanitate Christi, sed nec potuit in illa esse, etiam de potentia absoluta: ergo pariter potentia appetitus sensitiui in actu primo expedita ad motus inordinatos, nec fuit, nec potuit esse in humanitate Christi.

162 *Secundo.* Secundo probatur: nam potentia in actu primo expedita, dicit carētiam impedimenti se tenentis ex parte actus primi in ordine ad operandum; sed implicat in appetitu humanitatis Verbo hypostaticè vnitæ carentia impedimenti se tenentis ex parte actus primi operatiui: ergo implicat expeditio in actu primo ad motus inordinatos in humanitate vnita, vel in eius appetitu. Consequētia cum maiori tenet. Minor autem probatur: nam motus inordinati appetitus pugnant essentialiter cum vnione hypostatica, vel ratione summæ sanctitatis, vel ratione obligationis, quam fundat in Verbo, vt Deo, prædictos motus vitandi, vel quia subsistentiæ Verbi repugnat influxus causæ particularis in illos, vt §. 3. vidimus; sed vnio se tenet ex parte actus primi in ordine ad omnes operationes humanitatis vnitæ, *vt disputatione præcedenti* §. 9. ostēdimus: ergo implicat in appetitu humanitatis vnitæ carentia impedimenti ad motus inordinatos ex parte actus primi operatiui se tenentis.

163 *Tertio.* Tertio, & explicatur magis hoc ipsum: implicat humanitatem vnitam, intelligi in actu primo potentem ad motus inordinatos, nisi intelligatur subsistens, vel existens, saltim subsistentia, vel existentia Verbi; sed implicat intelligi, sic existens, vel subsistens, & carere impedimento actus primi in ordine ad illos motus: ergo in humanitate vnita implicat carentia impedimenti actus primi per comparationem ad illos; & consequenter implicat in humanitate vnita, vel in eius appetitu expeditio in actu primo ad motus inordinatos. Consequentia tenet. Minor constat: nam existentia, & subsistentia Verbi impediunt prædictos motus; cum habeant oppositionem cum illis, vt §. 3. monstrauimus; & aliàs ex parte actus primi se tenent in humanitate Verbi: ergo implicat intelligi humanitatē existentem, vel subsistentem, existētia, aut subsistentia Verbi, & carere impedimēto actus primi. Maior autem probatur; vt enim communis sentētia tenet: causa efficiens non potest intelligi potens proximé operari, quin intelligatur subsistens, vel saltim existens; sed humanitas Verbo hypostaticé vnita nō existit, nec potest existere, nisi tantum per existentiam, & subsistentiam Verbi: ergo implicat intelligi humanitatem vnitam in actu primo potentem ad motus inordinatos, quin intelligatur subsistēs, vel saltim existens subsistentia, vel existentia Verbi.

164 *Quarto.* Denique probatur minor: non stat humanitatem vnitam esse expeditè potētē ad motus inordinatos, quin Verbū prout in illa subsistens, sit potens proximé prædictos motus efficere; sed implicat Verbum, vt subsistens in humanitate, esse potens proximé, & expeditè ad illorum efficientiam: ergo implicat in humanitate vnita expeditio in actu primo in ordine ad tales motus Consequentia tenet. Minor constat ex dictis *in hac disputatione* §. 3. Maior autem probatur ex his, quæ *disputatione præcedenti* §. 9. docuimus: sicut enim humanitas subsistentiæ Petri vnita, esset Petri, vt in illa subsistentis: ita humanitas subsistentiæ Verbi vnita, esset Verbi, vt in illa subsistentis; sed implicat humanitatem vnitam subsistentiæ Petri, esse potentē ad motus inordinatos, quin Petrus, quatenus in illa subsistens, sit potens ad tales motus: ergo implicat humanitatem subsistentiæ Verbi vnitam esse expeditè potentē in ordine ad motus inordinatos appetitus, & quod Verbum, quatenus in illa subsistens, nō possit prædictos motus efficere Recolantur dicta illo §. 9. vbi euasiones, quibus occurri potest præclusimus.

165 *Contra cōclusionem arguitur 1.* Contra istam conclusionem arguitur primo: vt enim vidimus ex D Tho. *in præsenti art.* 2. impedimentum fomitis in humanitate Christi, fuerunt virtutes morales inhærentes appetitui; sed potuit de potentia absoluta humanitas

Verbo

Verbo vniri sine prædictis virtutibus, imo & sine omni dono intrinseco excepta vnione hypostatica, vt *disp. præc.* §.1 ex cõmuni Theologorũ sententia docuimus: ergo potuit Verbo vniri sine fomitis impedimẽto; & cõsequẽter potuit de potẽtia absoluta esse in humanitate vnita appetitus sensitivus in actu primo expeditus ad motus inordinatos, in quo fomitis essentia consistit.

166 *Respondet primo M. Vincẽt.*

Huic argumento Vincẽtius *relect. de Gratia Christ. q.1. pag.43.* occurrit dupliciter. Primo, casu in quo humanitas assumeretur à Verbo sine aliquo dono intrinseco, nõ esse auferẽdũ fomitẽ, vel extinguendũ, sed ligãdum, sicut fuit in Beatissima Virgine antequã Christũ cõciperet. Secundo respõdet, virtutes infusas nõ esse necessarias ad auferendum fomitẽ ab humanitate, sed sufficit gratia vnionis, pertinere tamen ad cõgruitatẽ, & decentiã, vt natura humana sit intrinsecé disposita per gratiã habitualẽ, & virtutes gratiam consequentes proportionabiliter ad gratiam vnionis.

*Secũdo.*

167 *Prima solutio reijcitur primo. Secũdo.*

Sed neutra solutio est sufficiens: non prima: tũ, quia iuxta illã manet fomes quoad essentiã in humanitate Christi in casu de potentia absoluta, cuius contrariũ defendimus, docetq; ipse Vincẽti⁹. Tùm etiã, quia vt ipse Sapiẽtissimus M. fatetur *pag* 42. tanta cum certitudine sentiendũ est, humanitati Christi repugnare fomitẽ, quanta credimus, nulla potentia fieri posse, quod Christus, vt homo, actuale peccatũ cõmittat; sed quod Christus, vt homo, nõ possit actuale peccatum cõmittere, etiã de potentia absoluta, ita certũ existimat prædictus Mag. *pag.*32 vt oppositã sententiã, vt malé sonantẽ, & piarũ aurium offẽsiuã reijciat; & consequenter in illa nullã probabilitatẽ admittat: ergo idẽ debuisset iudicium ferre de fomite, quod scilicet, esse nequeat in humanitate Christi, etiã de potentia absoluta.

168 *Secũda solutio impugnatur.*

Secunda solutio; et si in eo, quod docet, virtutes morales in Christo necessarias ad fomitẽ auferendũ non esse, sed ad id gratiã vnionis sufficere, verã cõtineat doctrinã; in eo tamen, quod addit esse insufficientes ad fomitẽ auferẽdum, solumque pertinere ad congruentem dispositionẽ humanitatis, nec vera est, nec ad mentem D. Thom. Primum patet: nã gratia, & virtutes fuerunt sufficientes ad fomitẽ extinguendum in Beatissima Virgine in instanti cõceptionis Christi, vt docet D. Th. *infra q.27 art.3. & 4.* ergo nõ potest negari gratiæ, & virtutibus Christi sufficientia ad fomitẽ auferendum. Secundum etiã probatur: nam D. Tho probat *in præsenti art.* fomitem in humanitate Christi non fuisse, quia virtutes inhærentes appetitui, illum plenè subordinauerunt rationi, ita vt non posset aduersus illã insurgere: ergo asserere virtutes humanitati infusas, sufficientes non fuisse ad fomitem extinguẽdum, sed solum pertinuisse ad congruẽtem, & decentem humanitatis dispositionem, menti D. Tho. non congruit.

D. Th.

Quare his solutionibus prætermissis, argumento facto, dupliciter potest occurri. Primo, distinguendo maiorẽ: impedimentũ vnicum, nego maiorem: impedimentũ sufficiens, cõcedo maiorẽ, & minorẽ, & nego consequentiam. Nã licet ex negatione causæ vnicæ, & necessariæ, rectè negatio effectus colligatur, nõ tamen ex negatione causæ, quæ licet sufficiens sit, vnica causa non est, licet autẽ virtutes in ea perfectione, qua in humanitate Christi extiterunt, sufficiẽtes fuerint ad fomitẽ auferendũ, necessariæ tamẽ nõ fuerunt, sed poterat sine illis fomes in humanitate impediri, nẽpé à subsistẽtia, & existẽtia Verbi; cũ quib⁹ nõ possunt mot⁹ inordinati appetitus sensitiui cõponi; atq; adeò, etiã si humanitas Verbo vniretur sine prædictis virtutibus, & sine omni dono gratiæ intrinseco accidẽtali, vt potuit de potẽtia absoluta, fomes in illa non esset.

169 *Ad argumentum resp.1.*

Sed dices. ergo licet virtutes infusæ essẽt de se sufficiẽtes ad fomitẽ auferẽdũ, illum tamen de facto nõ abstulerunt ab humanitate Christi; cõsequens est falsũ: ergo & tradita solutio Cõsequentia tenet. Minor constat: nã D. Th. docet, fomitẽ in humanitate Christi non fuisse: quia in illa fuerunt virtutes morales perficiẽtes appetitũ, illumq; rationi subijciẽtes in sũmo perfectionis gradu; sed hæc causalis importat causã, non solum sufficiẽtẽ ad fomitẽ impediẽdũ, sed etiã ad illum actu auferẽdum: ergo aut vera nõ est propositio D. Th. aut falsum est,

170 *Instabis.*

virtutes de facto fomitē nō abstuliſſe. Sequela vero probatur: nā cauſa ſupponēs effectum, illū de facto non cauſat; ſed ſi ſubſiſtētia Verbi eſſet ſufficiēs ad fomitē auferendū; cum habitus virtutū priori naturæ præcedat, fomitē pro illo priori excluderet; & conſequēter virtutes ſuperveniētes, illum exclusū ſupponerēt: ergo data, vt Nos fatemur, ſufficiētia in vnione hypoſtatica ad fomitē excludendū ſe ipſa, virtutes cōſequētes ad vnionem, illum nō excludunt de facto.

171 *Cōfirmatur.* Et augetur difficultas; quia nāque gratia ſubſtātialis vnionis, eſt ratione ſui ſufficiens ad excludendū peccatū habituale ab humanitate vnita, ſi peccatū in humanitate præcederet ad vnionē, per illā excluderetur, nec poſſet per gratiā habitualē excludi, eo quod pro ſigno anteriori ad illā, ſupponeretur excluſum: ergo ſi gratia vnionis ſe ipſa eſt ſufficiēs ad fomitē auferēdum, illum abſtulit de facto; & conſequēter virtutes ſupponētes gratiam ſubſtātialem vnionis, illum non abſtulerunt de facto.

172 *Ad inſtātiā reſp.* Reſpōdeo, negando cōſequētiam. Ad illius probationē, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo cōſequēs: ergo virtutes nō excludunt fomitē de facto, per ſe primo, & excluſione eiuſdē rationis cum excluſione præſtita per gratiā vnionis, concedo conſequentiā: ſecundario, & excluſione diuerſæ rationis, nego cōſequentiā. Iraq; excluſio fomitis conſiſtit in impedimēto appetitus, ne exeat, nec exire poſsit in motus inordinatos: vnde quot fuerint formæ impediētes in actu primo appetitū, tot erunt fomitē auferentes de facto, etſi impedimēta sūt diuerſarum rationū, excluſio fomitis diuerſæ rationis erit, & forma, quæ primo impedit, primo fomitē excludit; forma autē, quæ ſubſequitur, nō primo, ſed ſecundo illū excludit, nō excluſione, quā ſupponit, ſed quam præſtat appetitui.

173 *Duplici exēplo illuſtratur ſolutionis doctrina.* Quæ doctrina duplici exēplo illuſtratur: primū eſt in gratia ſubſtantiali, & in gratia habituali, quarum vtraq; de facto humanitatē ſanctificat, licet vna aliā ſupponat, & ſicut iſta conſequentia non tenet: *Gratia habitualis ſupponit humanitatē Chriſti per gratiam vnionis ſanctā: ergo illā nō ſanctificat*; quia vtraque eſt ad ſanctificandū ſufficiens, & ſānctitas diuerſæ rationis, ſed ſolū ex illo antecedēti colligitur gratiā habitualē poſteriorē gratia vnionis, nō primo ſānctificare, nec præſtare ſanctitatē eiuſdē rationis cū illa, quā præſupponit: ita iſta cōſequentia non tenet: *Virtutes infuſæ ſupponūt excluſū fomitē ab humanitate Chriſti: ergo illā non excludūt de facto*; ſed ſolū ſequitur, illū nō excludere primo, nec excluſione eiuſdē rationis; ſed ſecundo, & excluſione diuerſa. Secundū, & proximius ad rē noſtrā inuenitur exēplū in ſubſiſtētia Verbi, & beatifica viſione; quarum vtraq; de facto humanitatē Chriſti impeccabilē cōſtituit; & conſequenter vtraq; potentiā peccandi ab humanitate excludit; & tamen viſio beata, cum ſubſiſtentiā ſupponat, ſupponit etiā potentiā peccandi excluſā: ſicut ergo iſta cōſequētia nō tenet: *Viſio beatifica ſupponit potentiā peccandi ab humanitate excluſā: ergo illā nō excludit*; ſed ſolum poteſt inferri, non excludere primario, nec eadē excluſione, quam à ſubſiſtentia præſtitā præſupponit, nō tamen quod illā nō excludat ſecundario, & excluſione diuerſæ rationis: ita in noſtro caſu cōſequentia facta nō tenet, niſi cum eadē diſtinctione. Et ratio omniū eadē eſt, quia nēpē, excludere fomitē, & potentiā peccādi, eſt impedire appetitū impedimēto actus primi ad motus inordinatos, & voluntatē ad peccatū actuale: & quia vno impediēte ſuppoſito, aduenit aliud impediēs, etſi ab vno ſupponatur ablata potentia peccandi, à ſuperueniente aufertur, non primo, ſed ſecundario, non eadē, ſed diuerſa ablatione. Et ſimiliter vno impediēte in appetitu ſuppoſito, per ſuperueniēs impedimētū tollitur fomes, nō primo, ſed ſecūdario, nō ablatione eiuſdem rationis cū præcedente, ſed diuerſæ rationis ab illa.

174

Et ex his ad confirmationē dicatur, eſſe diuersā rationē. Nam peccati excluſio eſt vna, & indiuiſibilis conſiſtens in deſtructione peccati in anima præexiſtentis; vnde forma ſupponēs deſtructionē peccati ab alia priori præſtitā, nō poteſt peccatum deſtruere: fomitis autem excluſio non eſt vna tantum, ſed multiplex ob rationem aſsignatam; quia, nempē, conſiſtit in impedimento appetitus per modum actus primi ad mot⁹

175 *Ad confirmationē reſp.*

inor-

inordinatos; vnde multiplex est iuxta impedimentorū multiplicitatē, & ideo impedimentū superueniens impedimēto priori, etsi nō excludat fomitē exclusione præstita ab impedimēto præcedēte, excludit tamen exclusione sibi propria. Secundo respōderi potest principali argumēto: fomitē posse auferri dupliciter, vno modo *negatiuè*, scilicet, per formā repugnantē motibus inordinatis; non tamen positiué inclinantē appetitum ad obediendū rationi, alio modo *positiuè* scilicet, per formā intrinsecé subijcientē appetitum, intrinsecéq; inclinantē ad obediendum rationi: vt primo modo auferatur, virtutes necessariæ non sunt, sed sufficit vnio hypostatica, eo quod illa mediante humanitas subsistentiæ Verbi coniungitur, cui essentialiter motus inordinati appetitus sensitiui repugnāt; vt autē secundo modo auferatur, necessariæ sunt virtutes intrinsecé appetitui inhærētes cum perfectione explicata; cū enim subsistētia Verbi nō cōstituat humanitatē in actu primo potētē ad operandum per modum principij QVO; vnde sine donis gratiæ intrinsecis, quāuis humanitas subsistētia Verbi subsisteret, non esset ad actus supernaturales sufficiens; fit, quod vt fomes auferatur *positiuè* per subiectionē positiuā intrinsecam appetitus ad rationē, necessariæ sint virtutes illū intrinsecé perficiētes, intrinseceq; inclinantes; ex quo nō sequitur casu, in quo humanitas Verbo vniretur sine donis gratiæ intrinsecis, fomitē in illa futurū, sed tantum sequitur non fore in eo casu auferendum positiua subiectione appetitus ad rationē, quod necessario est concedendū, sed per formā essentialiter repugnātē motibus inordinatis appetitus sensitiui. Sicut ex eo quod humanitas Verbo vniretur sine visione beatifica, per quā etiam suo modo impeccabilis cōstituitur, non sequitur, fore peccabilē, sed tantum nō habituram eam impeccabilitatē, quam visio beata præstat.

176 *Secūdo respond. principali argumēto.*

177 *Secūdo arg.*

Secundo arguitur: habitus vitiosus non repugnat de potētia absoluta in humanitate vnita: ergo nec fomes peccati. Cōsequentia videtur bona. Tu à paritate rationis: tùm etiā; quia habitus vitiosus proximi⁹ se habet ad malū, ad quod dat facilitatē, quā fomes peccati, qui nō in facilitate, sed in potētia consistit. Tū deniq; nā fomes peccati nō inclinat ad malitiā moralē formaliter, sed solū pro materiali malitiæ, nēpé, ad bonum delectabile, habitus autē vitiosus est facilitas, prōptitudo, & inclinatio ad malum, vt malum malitia morali formaliter: ergo si habitus vitiosus nō repugnat in humanitate assūmpta, à fortiori potest fomes in illa cum vnione ad Verbū cōponi. Antecedens autē probatur: nā habitus vitiosus nō est malus malitia morali formaliter, nec odio habetur à Deo, sed potius ab ipso amatur ratione bonitatis transcēdentalis: ergo nō est cur cum sūma Verbi sanctitate in humanitate vnita repugnet essentiali repugnantia; & consequenter non est cur esse in illa nō possit, saltim de potentia absoluta.

## §. Vltimus.

### *Quid de habitu vitioso dicendum?*

VT HVIC argumēto occurramus breuiter est discutiendū, an habitus vitiosi possint de potentia absoluta existere in humanitate Verbo hypostaticé vnita? Et quidē non posse ab humanitate vnita post vnionē ad Verbū acquiri, liquido constat ex dictis *disp. præced.* cū enim habitus acquirātur per actus, & habitus vitiosi per actus peccaminosos, istiq; in humanitate implicauerint; fit cōsequens, quod omnino implicauerit ab illa post vnionē, habitū vitiosum acquiri. Quod etiā Deus se solo illum in humanitate infundere non potuerit, vel illum se solo in humanitate vnita producere, modo supponendū est ex cōmuni, & vera sentētia asserente, esse implicatorium à solo Deo, habitū vitiosum efficiēter causari, quod fusè ostēdimus 1.2. q. 71. a. 1. si autē Deus se solo in alijs subiectis nequit habitū vitiosum producere, à fortiori nō poterit habitum vitiosum in humanitate sibi hypostaticé vnita causare. Quod ergo examē desiderat, est, an si in humanitate an

178 *Habit⁹ vitiosus nō potest ab humanitate post vnionē acquiri.*

*De⁹ non potest se solo illū causare.*

*Difficultas proponitur.*

te assumptionē ad Verbū habitus vitiosi propriis actibus acquisiti præcederent, posset humanitas Verbo vniri habitibus vitiosis retentis, & cum vnione compositis?

179 *Prima sentētia Vazq̄z Lugo. Arriaga*

Qua in re duplex é regione opposita versatur sententia. Prima, affirmans est, quā tuentur Vazquez *disp. 61. alleg. c. 6. n. 30* Cardinalis Lugo *d. sp. 36. sect. 4. n. 53.* Arriaga *disp. 35. sect. 4 subsect. 2. n 15.* Et ex his, qui fomitē peccati excludunt ab humanitate vnita, vt impossibilē, etiā de potentia absoluta, ōpossibilitatē habitus vitiosi cum vnione hypostatica admittit Martinus Perez *disp 37. sect 5* Secunda negās est, quā præter omnes Thomistas *in præsenti art. 2.* Tuētur ex PP. Societatis Suarez *disp. 34 sect. 2. ad finem.* Bernal *disp. 43 sect. 3. n 45.* Amicus *disp. 24 sect 2.* eandē sententiā nouissimé tenet Prudentius *tom. 2. in 3. p. tract. 1 disp. 3 dub 4 sect. 4.*

*Mart. Perez. Secunda. Thomist Suarez. Bernal. Amic⁹. Prudēt.*

Quā pro cōclusione statuimus. Illā probat Suarez; quia gratia vnionis sanctificat, & dignificat omne id, quod in natura assūpta inuenitur; sed habitus vitiosi nō possunt dignificari, aut sanctificari à Verbo: ergo implicant in natura à Verbo assumpta. Hæc tamen ratio nō vrget, illamq; in simili *disp. præced.* reiecimus: nā licet Verbum sāctificet, & dignificet ea, quæ sūt sāctitatis, dignitatisq; capacia; secus autē ea, quib⁹ sanctitas, & dignificatio repugnant, quales sunt habitus vitiosi, quod autē ex hac incapacitate nō reddantur incapaces assumptioni; patet in natura bruti, quæ à Verbo assumptibilis est, & tamen incapax est sanctificationis ab illo.

180 *Conclusio. Illā probat Suarez. Et⁹ probatio nō vrget.*

Secundo illā probāt Amicus, & ex ipso Prudentius. Nā eo ipso, quod Verbum naturā rationalē assumpsit, tenetur ab illa excludere omne id, quod rationi opponitur; sed habitus vitiosus naturæ rationali aduersatur; cū de se inclinet ad malum naturæ rationali oppositū: ergo Verbum naturā rationalē assumens, tenetur ab illa habitum vitiosum excludere; & consequenter si illum nō excludat de facto, ad culpam ipsi imputabitur.

181 *Secūdo probant Amic⁹, & Prudentius.*

Hæc tamen ratio nō placet, illamq; *disp. præced. §. 2* reiecimus; eo quod supposito creatum potens à se habitū vitiosum excludere, nō tenetur ad illius expulsionē: ergo nec Verbū à natura aliena sibi hypostaticé vnita, tenetur statim habitū vitiosum depellere. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens autē, quod prædicti Auctores negant, manifestē probatur: nā supposito creatum postquā habitū vitiosum acquirit, sēper est potēs in cōtrarios actus exire, quibus habitum vitiosum excludat; & tamen non peccat sēper, ex eo quod in tales actus nō exeat, imo nec peccat nō se disponēdo statim ad peccati habitualis expulsionem: ergo non tenetur statim habitum vitiosum excludere,

182 *Ratio ista non placet.*

Quare his fundamentis omissis suadenda est nostra conclusio primo. quia sūma, & infinita sanctitas, nō solum peccato opponitur, sed etiā facilitati ad peccandum; sed habitus vitiosus cōsistit in facilitate ad peccandū: ergo est incōpossibilis in humanitate vnita sūmé à Verbo sanctificata; & cōsequenter implicat cum illa existere, etiā de potētia absoluta. Cōsequentia cum minori tenet. Maior autē ostenditur primo; vt enim Cardinalis Lugo, & alij ex cōtrarijs fatētur, gratia vnionis ex cōceptu sanctitatis, nō solum pugnat cum peccato actuali, sed etiā cū potentia proxima peccādi: ergo à fortiori pugnat cū facilitate ad peccādū, quæ proximi⁹ ad peccatum accedit, quā proxima potētia peccādi. Secundo: nā summa sanctitas dicit sūmā à peccato distantiā, sūmāq; elōgationē ab illo; sed maior distantia à peccato est, distare non solum ab illo, sed etiā à facilitate ad peccandū, qua ab illo solū distare, & cū illo solum opponi: ergo sūma, & infinita sanctitas, nō solum cū peccato pugnat, sed etiā cum facilitate ad peccadu.

183 *Prob. 1. cōclusio.*

*Maior probatur 1.*

*Secūdo.*

Tertio: nam facilitas ad peccandum est mala formaliter in genere moris, licet non malitia actuali, benē tamen habituali; sed summa sanctitas essentialiter opponitur omni malitiæ morali: ergo opponitur, & repugnat facilitati ad peccandum. Quarto: nam facilitas ad peccandum, esto moralē malitiā no importet formaliter; non tamen potest non dicere moralem indecentiam; sed summa sanctitas ex cōceptu summæ sanctitatis, non solum opponitur cum malitia morali, sed etiam cū morali indecentia: ergo essentialiter pugnat cū facilitate ad

184 *Tertio.*

*Quarto.*

peccan-

*Quinto.* peccandum. Deniq; probatur maior: non enim implicat sanctitas, quæ ex cõceptu sãctitatis pugnet essentialiter cũ facilitate ad peccãdũ; sed eo ipso, quod non implicet, concedenda est huiusmodi repugnantia gratiæ substantiali vnionis ex conceptu summæ sanctitatis: ergo gratia vnionis prout summé humanitatem sanctificans, pugnat essentialiter cum facilitate ad peccandum.

185 *Respõdebis.* Dices: implicare huiusmodi repugnantiam, quia sanctitas ex conceptu sãctitatis, solũ opponitur fœditati peccati: vnde ex conceptu summæ, solum potest repugnare summé peccato, non autẽ facilitati ad peccandum. *Contra.* Sed contra: nam gratia vnionis ex cõceptu summæ sanctitatis pugnat cum potẽtia proxima peccandi, vt fatetur Cardinalis Lugo *disp. præced.* allegatus; pugnat etiã cum motibus inordinatis appetitus sensitiui prævenientibus rationem, vt fatẽtur aliqui ex contrarijs Auctoribus, & cum odio indeliberato Dei, vt fatetur Arriaga, & cum transgressione legis puré pœnalis, vt concedunt, etiã plures ex contrarijs Auctoribus; & tamẽ nec potentia peccãdi, nec motus inordinati appetitus antevertentes rationẽ, nec odiũ Dei indeliberatum, nec transgressio legis puré pœnalis, fœdantur formaliter fœditate peccati: ergo sanctitas ex conceptu, & linea sanctitatis, non solũ pugnat cum fœditate peccati, sed etiã cum alijs; & consequenter non implicat sanctitas, quæ ex cõceptu sanctitatis opponatur, non solum peccato, sed etiam facilitati ad peccandum.

186 *Secũdo probatur conclusio.* Secundo probatur. implicat Deum speciali influxu in habitum vitiosum influere: ergo in habitu vitioso aliqua indecentia inuenitur, vel aliqua inhonestas moralis, ratione cuius repugnet speciali Dei concursui effectiuo, aut cõseruatiuo; & consequenter repugnabit ex eisdem principijs in humanitate vnita incipere, aut conseruari. Prima consequentia ex antecedenti colligitur. Secũda à paritate probatur. Antecedens autẽ fusé ostendimus 1. 2. *q.* 71. *art.* 1 & breuiter suaderi potest: nã habitus vitiosus determinaté inclinat ad malum, nõ solum pro materiali, sed etiam pro formali malitiæ; cum cautetur ex actibus inhonestis formaliter malitia morali, & habit⁹ acquisitus inclinet in similes actus, illis à quibus causatur; sed implicat Deum effectiué inclinare ad malũ malitia morali formaliter, saltim efficientia speciali, & per specialẽ concursum; aliàs illi malitia, ad quam inclinaret, vt causæ particulari attribueretur, quod implicat: ergo implicat Deum speciali concursũ, aut influxu, habitum vitiosũ causare. Secundo idem antecedẽs probatur: esto namq; nõ repugnet, Deum offerre voluntati concursum, quem voluntas quandoque ad malum determinet; & quandoque ad bonum actum, quem Doctores Societatis admittunt; concursum autem determinaté inclinãtem ad malum pro formali malitiæ, & quo solum posit vti voluntas ad malum, nullus Theologorum Deo cõcessit posibilẽ; sed habitus vitiosus, ita determinaté inclinat ad malum, vt voluntas vti illo in ordine ad bonũ nõ posit: ergo implicat talẽ habitũ à Deo speciali influxu, & cõcursũ speciali procedere.

187 *Tertio probatur conclusio.* Deniq; probatur conclusio; cui repugnat essentialiter primarius effectus formæ, ipsa forma essentialiter repugnat; sed voluntati humanæ Christi in sẽ su cõposito vnionis essentialiter repugnat effectus primari⁹ habitus inhonesti, & vitiosi: ergo in eodẽ sensu repugnat habit⁹ vitiosus in illa. Cõsequẽtia tenet. Maior cõstat primo: nã effect⁹ formalis primari⁹ alicuius formæ, est ipsa forma subiecto cõmunicata: ergo cũ repugnãtia effectus primarij formæ, non stat ad formã capacitas. Deinde: non enim alia ratione repugnat Angelo quantitas, & lapidi intellectus, nisi quia Angelus est incapax primarij effectus quantitatis, & lapis omnino est incapax effect⁹ primarij intellectus ergo verũ est, nõ stare capacitatẽ ad formã cũ incapacitate essentiali ad eius primarium effectũ. Minor autẽ probatur; etenim primarius effect⁹ habitus acquisiti est, reddere potẽtiã facilẽ ad propriũ actũ: ergo primarius effectus habitus vitiosi est cõstituere potẽtiã facilẽ ad actũ pravũ; sed repugnat voluntati Verbo vnitæ in sensu cõposito vnionis, esse facilẽ ad actũ malũ morali ter: ergo repugnat illi in sensu cõposito vnionis effectus primari⁹ habit⁹ vitiosi.

*Deus nõ potest speciali influxu habitũ vitiosum causare.*

Antecedens, & prima consequentia tenent. Minor autē subsumpta probatur: nā potentiā aliquā esse facilē ad actū, necessario præsupponit, esse proximé potentē ad illū, nec mente percipi potest potentia facilis, & prōpta, nisi intelligatur, vel præintelligatur proximé potens ad actū; sed voluntas humanitatis Christi nō est potens proximé ad actus peccaminosos, vt *disp. præced.* monstrauimus: ergo sic vnita, implicat esse facilē ad illos; & cōsequenter essentialiter illi repugnat effectus formalis primarius habitus inhonesti, & vitiosi.

188 *Respōdebis.* Dices habitū vitiosum existentem in humanitate vnita, illā facilitare, nō facilitate expedita, sed inexpedita proximé in ordine ad actum malum; licet autem voluntati vnitæ repugnet esse facilē ad actum malū facilitate expedita, nō tamen illi repugnat esse facilē facilitate impedita, sicut quamuis cum vnione ad Verbū repugnet potentia proximé expedita ad peccandū, non tamē cum illa incōponitur potentia in actu primo impedita, sed de facto voluntas humanitatis est potens peccare remoté; & consequenter habet potentiam impeditam proximé peccandi.

189 *Contra.* Sed contra: nā esse potētiam facilē ad operationem facilitate impedita, est implicatorium in terminis: ergo si voluntas Christi est facilis, & prōpta ad actum peccaminosum, non est impedita ad illum impedimento actus primi. Cōsequentia tenet. Antecedens autē probatur: nā facilitas ad actum ex proprio conceptu supponit posse proximū ad illum, & aliquid addit; sed esse potentiam aliquam proximé potētem ad actum, & esse ad illum impeditā impedimēto actus primi, est implicatorium in terminis: ergo esse potentiam facilem, & promptam ad actum, & esse ad illum impeditam impedimento actus primi, est implicatorium in terminis; ac proinde, vel negandum est voluntatē Verbo vnitam esse facilem, & promptā ad actum moraliter malum, vel concedendū est, esse in actu primo expeditam ad peccandum, quod cōtrarij Auctores negāt.

190 *Ad 2. ar* Et ex his ad secundum argumentū respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationē respōderi potest primo

*gumētū respond. primo.* prætermisso antecedenti, quod nempé, habitus vitiosus nō sit malus malitia morali formaliter, & negando consequentiam; vt enim non possit esse in humanitate vnita, nec cum illius summa sanctitate cōponi, sufficit, quod inclinet voluntatem ad malum; hoc enim ipso est indecens indecentia morali; sanctitas autē vnionis ex conceptu summæ, infinitæq; sanctitatis, non solum opponitur cum morali malitia formaliter, sed etiā cum eo quod moralē indecentiam importat, & cum causa proxima malitiæ formalis, vt cōstat ex dictis *disp. præced.* vbi ab humanitate vnita ratione summæ sanctitatis potentiā proximé ad peccandum expeditam exclusimus, quia quamuis non sint mala, malitia morali formaliter, est mala causaliter proximé. Et in hac *disput.* §. 3. vbi motus inordinatos appetitus sensitiui exclusim⁹ ab humanitate vnita ratione sūmæ sāctitatis; eo quod licet quādo rationē præueniunt, non sint mali malitia morali formaliter; inclinant tamen quantum est de se ad malum, & ex hoc moralē indecentiam important, cum gratia vnionis ex conceptu sūmæ sanctitatis pugnātē. Nec obstat, quod habitus vitiosus terminet amorem diuinum: illum namq; nō terminat, quatenus ad malum inclinat, sed præcisé sub ratione entitatis, & actualitatis, prout autem ad malum inclinat, potius terminat displicētiā diuinā, cui nō solum malitia displicet, sed etiā omne id, quod proximé ad malū inclinat.

*Habit⁹ vitiosus solū sub ratione entitatis terminat amorem diuinum.*

191 *Respōd. secundo.* Vel secundo respondetur ad antecedentis probationē, negando antecedēs: nā licet habitus vitiosus non sit malus formaliter malitia morali actuali, est tamen malus formaliter malitia morali abstrahente ab actuali, & habituali; malitiam enim formalē nō esse alligatam ad actum, sed abstrahere à malitia actuali, & à malitia habituali, docuimus 1.2. *q. 71. art. 3* ac proinde etsi habitus vitiosus non sit malus formaliter, sed tantum causaliter malitia morali actus, est tamen malus formaliter malitia morali abstrahente à malitia habitus, & actus.

192 *Instabis* Sed contra istam solutionē obijcies: si namq; malitia formalis abstrahit in ratione formali à malitia habituali; & à

mali-

malitia actꝰ, etiã abstrahet à malitia potentiæ; & consequenter non solũ habitꝰ erit malus formaliter malitia morali, sed etiã voluntas, quatenus potens deficere, erit formaliter mala, malitia morali; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Sequela patet à paritate rationis: si namq; non solũ actus, sed etiã habitus, est formaliter in genere moris, quãuis habitus formaliter nõ sit laude, aut vituperio dignus, quia est causa ad actum facilitans, cur potentia, vt defectibilis, qua ratione est causa malitiæ in actu repertæ, nõ erit etiã in genere moris boni, vel mali formaliter, quãuis nõ sit vituperio, aut laude digna?

193 *Minor probatur* 1. Minor autẽ ostenditur primo: quia namq; habitꝰ vitiosus est malus malitia morali formaliter, excluditur per gratiã vnionis ex conceptu summæ sanctitatis; sed voluntas, vt potentia defectibilis nõ excluditur per gratiã vnionis; aliàs destrueretur per illã; cum esse defectibilẽ, sit prædicatum essẽtiale voluntati creatæ; & consequenter hoc prædicato excluso voluntas manere non posit: ergo voluntas, vt potentia defectibilis, nõ est mala malitia morali formaliter. *Secũdo.* Secundo probatur minor: quia habitus vitiosus est malꝰ malitia morali formaliter, est obiectum displicẽtiæ diuinæ; sed voluntas, vt potentia defectibilis nõ est obiectũ odij, aut displicentiæ diuinæ; aliàs in Christo esset aliquid displicẽs Deo, vel odio habitũ ab ipso: ergo, vt sic, nõ est mala in genere moris formaliter.

194 *Tertio.* Tertio: si namq; esset mala in genere moris formaliter, esset in hoc genere peior habitu vitioso; consequens est falsum: ergo voluntas, vt potentia defectibilis nõ est formaliter mala malitia morali. Minor cum cõsequentia tenet. Maior autẽ probatur: habitus namq; ideò est malus formaliter in genere moris, quia est causa malitiæ actꝰ, & voluntas, si esset mala formaliter in hoc genere; ideò etiã esset, quia esset causa malitiæ actus; sed voluntas in ratione causæ excedit habitũ vitiosum; cũ voluntas in genere deficiendi sit prima causa nulli alteri subordinata; habitus autẽ nõ ita, sed voluntati subdatur; causa autẽ prima in quocumq; genere sit, causam nõ primi in ratione causæ excedat: ergo si voluntas est mala in genere moris formaliter, excedit habitũ vitiosũ in malitia morali.

Deinde contra primã solutionem obijcies; quod habitus vitiosus in actũ inhonestũ inclinet, non sufficit, vt non possit cum gratia vnionis cõponi, & à Verbo vniri in humanitate assumpta: ergo fuit prima solutio. Probatur antecedẽs: natura sensitiua inclinat in actu primo in motꝰ inordinatos, & in actꝰ inhonestos; & tamẽ fuit Verbo vnita de facto: ergo quod habitus vitiosus in actũ inhonestum inclinet, non reddit illum à Diuino Verbo inassumptibilem, media humanitate assumpta, & in ipsa incompossibilẽ cũ gratia substantiali vnionis.

195 *Cõtra* 1. *solutionem obijcies.*

Si respondeatur, disparẽ esse rationẽ. Habitus nãq; vitiosus inclinat in actum turpẽ determinatẽ; non enim potest in actum honestũ, virtuosumq; inclinare; natura autẽ sensitiua non propendit determinatẽ in motus inordinatos, sed indifferenter ad illos, & ad motus ordinatos, imo in istos maiori pondere fertur, ideoq; non repugnat naturæ sensitiuæ vnio cũ Verbo Diuino, & cũ summa sanctitate in humanitate cõponi; habitui autẽ vitioso huiusmodi coniunctio repugnat, sicut ex eodem discrimine in modo inclinandi oritur, posse naturã sẽsitiuã à solo Deo causari, secus habitum vitiosum.

196 *Respõdebis.*

Contra hanc solutionem arguitur primo: non enim repugnat habitus inclinãs in actu primo ad actum bonum, & malum malitia, & bonitate morali: ergo si natura sensitiua, quia non solum inclinat ad malum, sed etiam ad bonum actum, potest cum summa sãctitate humanitatis cõponi, & diuino Verbo coniungi, non repugnabit habitus aliquis vitiosus assumptibilis à Verbo, media humanitate immediatẽ Verbo vnita, & in illa compossibilis cum summa sanctitate. Consequentia videtur bona à paritate rationis. Antecedens autem probatur; vt enim plures, etiam ex Nostris Thomistis, docent 1. 2 q 18. art. 5. & 6. potest dari aliquis actus simul bonus, & malus moraliter; sed iste actus repetitꝰ non est cur non possit habitum generare in similes actus inclinantẽ: ergo nõ repugnat habitus inclinãs in actũ bonũ, & malum malitia, & bonitate morali.

197 *Cõtra* 1.

198 *Secũdo.*

Secundo contra eandem ſolutionem arguitur: non repugnat habitus inclinans in actu primo inclinatione indifferenti ad actum bonum, & malum: ergo ſi ob indifferentiam inclinationis in natura ſenſitiua repertæ ad motus inordinatos, & ad motus ordinatos, non repugnat cum ſumma ſanctitate à gratia vnionis præſtita, & poteſt à Verbo aſſumi; poſsibilis erit aliquis habitus vitioſus à Diuino Verbo aſſumptibilis, & in humanitate cum vnione ad Verbum coniungibilis. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur; vt enim plures non ignobiles Theologi docent 1 2 *q.* 18. *art.* 6. *& q.* 20 *art.* 6 poteſt idem actus numero voluntatis interior de bono in malum trãſire, vt ſi quis volens comedere carnes die non prohibito, quia vtiles ad cõſeruationem naturæ, & in eadem voluntate perſiſtere vſque ad diem, in quo ſunt prohibitæ: tunc ille actus phyſicé inuariatus manens, vel ſaltim non variatus indiuidualiter phyſicé, de bono in malum tranſiret bonitate, & malitia morali: ergo poteſt habitus inclinare indifferenter in bonum, & malum actum.

199 *Cõſequẽtia probatur* 1.

Patet conſequentia. Tùm à paritate rationis; ſi namque diſtinctio moralis penes bonitatem, & malitiam, non variat indiuidualiter actum interiorem voluntatis, non eſt cur variet indiuidualiter habitum; & conſequenter poterit indiuidualiter inuariatus manens, modo in actum bonum, & modo in actum malum inclinare, in quo videtur conſiſtere inclinatio indifferens ad actum bonum, & malum. *Secũdo.* Secundo: nam habitus, qui generaretur ex actu voluntatis repetito, quo vellet comedere carnes, quia vtiles ad conſeruationem naturæ in die non prohibito, etiam inclinaret in eundem actum prohibitione accedente, quandoquidem in vtroque ſtatu, idem numero actus perſeuerat; ſed ille actus prohibitione ſecluſa, erat moraliter bonus, & prohibitione adueniente redditur moraliter malus: ergo vnus, & idem habitus inclinaret diuiſiué in actum bonum, & malum; & conſequenter erit ad bonum, & malum indifferens.

200 *Ad* 1. *replicã reſpond.*

Reſpondeo ad primam replicam, concedendo ſequelam, & negando minorem. Ad primam minoris probationem, diſtinguo maiorem: quia eſt malus tali malitia morali, concedo maiorẽ: ex conceptu communi malitiæ moralis, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaque ſicut habitus, eſto in plurium ſententia non ſit malus malitia morali formaliter, ſed tantum cauſaliter, eſt inconiungibilis cum gratia vnionis in humanitate aſsũpta; potentia autem, quæ etiam eſt mala cauſaliter, poteſt à Diuino Verbo aſſumi, quia potentia eſt cauſa malitiæ, non perſe inclinans ad illam, ſed tantum potens illam efficere, & non adæquata cũ malitia morali actus, quem poteſt cauſare, ſed illum inadæquatè reſpiciens, habitus autem eſt cauſa per modum inclinantis in actum malum, vt malum, & adæquatur cum illo: ita etſi vtrique cõcedatur malitia moralis formaliter, sũpta malitia ſecundum rationem genericam abſtrahentem à malitia actus, habitus, obiecti, & potentiæ: quia tamen malitia conueniens potentiæ, minor eſt malitia habitus, & non adæquatur cũ entitate potentiæ, ſed inadæquatè comparatur ad illam; fit conſequens, quod non excludatur à ſumma ſanctitate humanitati communicata; benè tamen habitus, quia excedit in malitia potentiam.

*Ad* 1. *minoris probationem.*

*Habit⁹ vitioſus excedit in malitia potẽtiam.*

201

Tùm etiam, quia illi conuenit adæquatè, & per modum inclinãtis ad actum inclinatione adæquata cum illo. Eſt inſuper alia ratio diſcriminis: quia nempè, malitia potentiæ, vt defectibilis radicaliter, non poteſt auferri, non deſtructa ipſa potentia quoad ſuam entitatem, Verbum autem aſſumens humanitatem non poteſt illam deſtruere; & conſequenter non poteſt ab illa excludere remotam defectibilitatem, nec moralem malitiam, quæ in hac remota defectibilitate conſiſtit; ac proinde aſſumpta entitate humanitatis, etiam aſſumitur defectibilitas remota, & radicalis illi eſſentialiter conueniens, ita vt defectibilitas quaſi per accidens aſſumatur, entitas autem humanitatis, vt explicans perfectionem aſſumatur quaſi per ſe. Malitia autem habitus eſt adæquata cum illius entitate: vnde ex inaſſumptibilitate malitiæ conuenientis habitui

totus

totus habitus inassumptibilis redditur.

202 *Ad secũdam.* Ad secundam minoris probationẽ dicatur: nec habitum vitiosum, nec voluntatẽ formaliter vt defectibilem, esse obiectum displicentiæ punitiuæ Dei, id est, ex qua ad pœnam, aut subiecti punitionem possit moueri, hoc enim solum conuenit malitiæ actuali, esse autem obiectum displicentiæ simplicis non punitiuæ, habitui competit, & potentiæ vt defectibili, nec in hoc aliquod inconueniens apparet; cum enim potentia quatenus defectibilis, non causetur à Deo, vt communiter docent Thomistæ 1. 2. *q.* 79 *art.* 1. & 2. non est cur debeat Deus in illa complacere; & consequenter non est cur in illa, quatenus sic, aliqualiter voluntas diuina non displiceat.

203 *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem dicatur, in omnium Theologorũ sententia, actũ excedere habitum in malitia morali, & habitum superare potentiam, de quo 1. 2. *q.* 71. *art.* 3. sicut ergo non obstante, quod malitia actus à potentia, vt à prima causa sit in genere deficiendi, in malitia potentiam excedit, ita non obstãte, quod habitus in causando subordinetur potentiæ, potẽtia autem defectibilis, sit prima causa in hac linea, excedit habitus potentiã in malitia morali; & hoc ideò, quia ex cessus in malitia, nõ est excessus in perfectione, sed potius in imperfectione, & quia inconueniens nõ est, quod effectus imperfectior sit sua causa, & causa secunda non sit tam perfecta, quam prima: ita inconueniens non est, quod actus, qui effectus est, excedat in malitia potentiam, quæ est causa prima illius, & habitus, qui causa prima non est in genere deficiendi, excedat in malitia potẽtiam, quamuis in ratione deficiendi sit prima.

204 *Ad secũdam obiectionẽ respond sustinẽdo solutionem ibi traditã. Ad 1. replicã respond.* Ad secundam obiectionem, quæ cõtra primam solutionem procedit, respõdetur sustinendo solutionem ibi traditã. Ad primam impugnationem, præmisso antecedenti, nego consequentiã Ratio autem discriminis est: nam habit⁹ causatus ex actibus, qui simul essent boni, & mali bonitate, & malitia morali, non esset ad bonitatem, & malitiam indifferens, sed ad malum determinatus per modum inclinationis, quamuis simul in eodem actu inclinaret ad moralem bonitatem; vnde sicut hac ratione talis habitus non posset à Deo perspecialem concursum causari: ita nec posset à diuino Verbo assumi, nec cum summa sanctitate coniungi, non ita quod hæc inassumptibilitas illi habitui conueniret ex ea parte, qua bonitatem respiceret, sed ex ea, qua in malitiam inclinaret. Sicut actus, qui simul bonitate gauderet, & esset malitia infectus, esset impossibilis in humanitate vnita, non ita quod ex bonitate actus impossibilitas ista consurgeret, sed ex malitia illi adiuncta. Natura autem sensitiua non inclinat determinate ad obiectum delectabile malũ, sed inclinatione indifferẽti respicit obiectũ delectabile, quod est conforme rationi, & quod rationi aduersatur, & ideo potest à diuino Verbo assumi per se, vt ad bonum inclinat, & per accidens, aut qua si per accidens, ea ratione, qua inclinat ad obiectum delectabile, quod est rationi contrarium.

205 *Ad secũdã respõdetur 1.* *Idẽ habitus nequit de bono in malũ trãsire, esto in actu id admittatur.* Ad secundam impugnationem respondeo primo, negado antecedẽs. Hæc enim est differentia inter habitum, & potentiam; quod potentia est indifferens ad bonum, & malum; habit⁹ autem est determinatus, vel ad bonum, vel ad malum, vnde non potest idem habit⁹ de bono in malum transire, aut é contra: nam diuisio habitus in bonum, & malum est essentialis, vt tenet verior, & frequentior sententia 1. 2. *q* 55 *art.* 1. Nec est eadẽ ratio de actibus, ac de habitibus; sicut enim libertas in actu, vel est denominatio extrinseca, vel intrinsecum accidẽs; in potentia autem est prædicatum essentiale: ita moralitas esse potest in actibus, vel extrinseca denominatio, vel accidẽs intrinsecum, & ad habitum comparari, vt differentia essentialis. Sed de his consulantur Discipuli D. Thomæ *loco allegato.*

206 *Secũdo.* Vel secundo respondetur, prætermisso antecedenti, negando consequentiam. Ratio autem discriminis inter habitum, & naturam sensitiuam est: nam habitus per se primo inclinat in moralitatem actus, vel in materiale, vt fundat moralitatem; & consequenter habitus vitiosus per se inclinat in malitiam moralem, & habitus indifferens inclinaret cum indifferentia in bonitatem, & mali

tiam

tiam moralem; sicut autem cum summa sanctitate repugnat, & indecens Verbo censetur inclinatio determinata ad moralem malitiam, ita etiam inclinatio indifferens ad malitiam, & bonitatem moralem: nam talis inclinatio eo ipso quod terminetur ad malitiam moralé quamuis indifferenter, & disiunctiué, aut disiunctim, est vitiosa, moraliter mala, & rationali naturæ diformis, sicut cõsilium de aliquo indifferẽti ad bonum, & malum est moraliter malum, & volũtas actualis ad obiectum indifferẽter bonum, & malum terminata, est moraliter mala malitia morali actuali.

207 *Differentia inter naturã sẽsitiuã, & habitũ vitiosũ in ordine ad assũptionem.*

Natura autem sensitiua, licet quatenus cum rationali coniuncta sit *elicitiuè* indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem, *inclinatiuè* tamen hac indifferentia nõ gaudet: nõ enim inclinat sub aliquo sui conceptu ad formalem malitiam. Quod patet; quia non inclinat ad illam ex conceptu naturæ sensitiuæ; cũ ex hoc conceptu capax malitiæ non sit, nec bonitatis moralis, nec ex coniunctione cum natura rationali; non enim potest naturæ sensitiuæ ex coniunctione cum natura rationali cõuenire, quod naturæ rationali repugnat: naturæ autẽ rationali, vt rationali repugnat inclinatio ad formalem malitiam; & consequẽter naturæ sensitiuæ ex coniunctione cum rationali, & ex subordinatione ad illam, non potest conuenire inclinatio ad malitiam moralẽ formaliter, nec determinatẽ, nec indifferenter, sed solum inclinat in bonum delectabile, vt sibi cõueniens, præscindendo à bonitate, & malitia morali inspecta secundum se; prout autem coniuncta cum natura rationali inclinat ad bonum delectabile refugiendo per inclinationem naturalem, malitiam moralem, & moralem bonitatem naturaliter appetendo, & ideo potest natura sensitiua Verbo hypostaticé vniri; & cum summa sanctitate humanitatis componi; secus autem habitus vitiosus, etsi admittatur, posse indifferenter malum, & bonum respicere, & cum hac indifferentia inclinare. Ex qua doctrina, & obiectioni factæ sufficienter occurritur, & simul Recentiorum solutio reijcitur, asserentium, dato habitu cum illa indifferentia inclinante, posse in humanitate assumpta inueniri, & cum eius summa sanctitate componi.

Sed dices: motus inordinatus appetitus sensitiui præueniens deliberationem rationis non inclinat in obiectum delectabile, quatenus malum formaliter malitia morali, sed solum quatenus naturæ sensitiuæ conueniens; & tamen quia obiectum, in quod inclinat, est malum materialiter, repugnat essentialiter humanitati vnitæ in sensu composito vnionis: ergo quod natura sensitiua, prout in actu primo inclinans in obiectum delectabile, possit cum vnione ad Verbum cõponi, Verboque hypostaticé vniri, non prouenit ex eo quod non inclinet in deformitatem, & malitiam moralem formaliter, sed quia non determinatẽ inclinat in actum materialiter malum, sed in clinatione indifferenti.

208 *Instabis.*

Respondeo, vtrumque requiri, nempé, quod non inclinet vllo modo, nec determinatẽ, nec indifferenter in malitiam moralem formaliter ob ea, quæ *proximè* dicebamus, & insuper, quod nõ inclinet determinate in id, quod est materialiter malum, vt possit à Verbo assumi, & cum summa sanctitate componi: quia in eo, quod determinatẽ inclinat ad malum pro materiali, moralis indecẽtia inuenitur, quæ non adest in natura inclinante ad obiectum delectabile cum indifferentia ad hoc, quod materialiter substernatur malitiæ, vel bonitati, maximé cum sub alio cõceptu inclinat in bonitatẽ, & naturaliter à malitia declinat, vt in natura sensitiua rationali coniũcta contingit: nam licet, vt sensitiua, nec inclinet in bonitatem moralem, nec declinet à malitia, prout tamen cum rationali coniuncta, determinatẽ inclinat per appetitum innatum in bonitatem moralem, & à malitia auertit.

209 *Respõdetur.*

Sed adhuc instabis: indifferentia voluntatis in ratione principij elicitiui, est ad bonum, & malum formaliter; & tamen voluntas cum hac indifferẽtia fuit assumpta à Verbo: ergo indifferentia inclinationis ad bonitatem, & malitiam moralem, assumptioni non obstat, nec summæ sanctitati præstitæ à gratia substantiali vnionis opponitur; & consequẽter quamuis habitus inclinet indifferenter ad bonitatem, & malitiam formali-

210 *Vrgebis*

ter,

ter, poterit cum summa sanctitate in humanitate assumpta componi.

211 *Respõdetur.* Respondeo, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam inclinatio ad malum formaliter, quamuis indifferens sit, est vitiosa, & rationi contraria, ideoque indecens vt à Verbo assumatur, posse autem ad malum indifferenter inspectum, contrarium rationi non est, sed necessario conueniens omni naturæ creatæ sumptum remoté, & ideo indecentia nulla est in eo, quod assumatur à Verbo, dummodo impediatur proximé, qualiter de facto contigit. Concluditur ex dictis, fuisse in appetitu Christi illos motus, qui rationi contrarij non sunt, eos autem, qui rationi aduersãtur, nec fuisse, nec esse potuisse de potentia absoluta.

Pro complemento totius disputationis animadvertendum, duxi, ea, quæ de fomite in Beatissima Virgine dixim⁹, non esse accipienda de fomite, vt ex peccato originali causato, sed de illo secundum se, & prout esset in homine in puris naturalibus condito, in quo, nec ex peccato esset, nec peccati pœna. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3 distinctione 12.* vbi disputatio præcedens, *& dist. 3.* vbi de fomite disputatur in Beatissima Virgine. 212 *Mser.*

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA TERTIA

## An Christus quatenus homo potuerit esse moraliter imperfectus transgressione Consiliorum?

## §. I.

### *Quibusdam præsuppositis ratio dubitandi proponitur.*

Nu. 1. *Primus gradus Christianæ perfectionis.* QVATVOR gradus Christianæ perfectionis distinguunt Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 184. Primus in charitate cõsistit, perquã excluditur omne peccatum mortale, quod charitati opponitur, & in hac, substantiam Christianæ perfectionis consistere, docet Diuus Thomas *quæst. citata art. 3. in corpore*, & pluribus Sanctis concessum constat ex ipsorum officijs, quibus ab Ecclesia colũtur, ex quibus habetur, plures totam vitam sine graui peccato transisse.

2 *Secũd⁹.* Secundus consistit in carentia venialium peccatorum, vel in particulari materia, vel in omni ex aduertentia, & perfecta deliberatione, vtrumque aliquib⁹

sanctis

*SS. Patris Dominici, Angelicique Doctoris puritas, & innocentia cōmēdatur.*

sanctis concessum, plures docent, & nos pié credimus de parente nostro Dominico, & de Angelico Præceptore, qui numquam mortaliter peccauerunt, gratiam primam conseruantes, imo nec venialiter cū plena deliberatione, nec etiā ex subreptione, & deliberatione imperfecta in aliquibus materijs, vt in materia humilitatis: iuxta illud, quod de Angelico Doctore canit Ecclesia. *O munus Dei gratiæ vincens quodvis miraculum pestiferæ superbiæ nunquam persensit stimulum.* Si namque superbiæ stimulum numquam persensit, videtur in materia humilitatis numquam venialiter deliquisse.

3 *Tertius.*

Tertius consistit in carentia omnis peccati venialis, siue cum aduertentia, siue inaduertenter commissi, quæ perfectio iuxta D. Thom. *quæst. allegata art. 2. ad 2. & art. 3. ad 3.* est propria charitatis patriæ, qua Beat⁹ Deū efficaciter diligit, non solum super omnia à fine vltimo auertentia, qualia sunt peccata mortalia, sed etiam super omnia diuertentia, quod præstant peccata leuia, quem statum concessum fuisse Beatissimæ Virgini ex priuilegio speciali propter dignitatem Matris Dei, est cōcors Patrum, & Doctorum sententia, & fide certa tenendum, ad alios autem quātumcumque eximié sanctos hoc priuilegium extendere, tutum non est, etsi non desint Theologi, aut prædicatores, id Beato Ioanni Baptistæ cōcedētes, propter id, quod de illo canit Ecclesia: *ne leui, saltim maculare vitam famine posses.* Ac si esset idem quantum est de se prætendere omnia venialia vitare, quod illa de facto per totam vitam excludere.

*Excepta B. Virgine omnes alij Sancti, etiā Ioannes Baptista veniali ter peccauerunt.*

4 *Quartus*

Vltimus gradus consistit in adimplendis consilijs faciendo semper, nō solum, quæ à Deo præcepta sunt, sed etiā, quæ consiliata, & id, quod iudicatur diuinæ voluntati conformius, & iuxta mai⁹ Dei beneplacitum, quem ad substantiā perfectionis Christianæ non pertinere, docet D. Th. *q. allegata art. 3. in corpore, & art. 7. ad 1.* vbi comparandum statum Episcoporum, statui Religiosorū, primum, in perfectione, secundo anteponit, quamuis Religiosi consilijs adhærētes omne proprium renuntiauerint, non autem Episcopi, eo quod (inquit) in cōsilijs non consistit substantialiter perfectio vitę Christianæ, sed instrumentaliter; sicut etiam in præceptis à præcepto charitatis distinctis, quia ad charitatem ordinantur, in qua perfectio consistit, aliter tamen, & aliter: nam præcepta ordinantur ad remouēda ea, quæ sunt charitati contraria (quod intelligendū est de præceptis grauiter obligantibus) cōsilia autem ad remouendum ea, quæ impediunt actum charitatis, non tamen illi opponuntur, vt est matrimonium, occupatio negotiorum, &c. Quamuis tamen executio consiliorum de substantia perfectionis Christianæ non sit, quia sine illa subsistere potest, & de facto in multis subsisti, in omnibus tamen amplecti consilia, & in omnibus cum maiori beneplacito Dei conformari, magnæ perfectionis est, & proprium charitatis patriæ, vt docet D. Tho. *vbi proximè art. 3. ad 2.* pié tamē credimus, istū perfectionis gradum concessum Beatissimæ Virgini, etiam ex priuilegio speciali, ad alios tamen quantumuis eximiæ sanctitatis hoc priuilegium extendere, fas non est.

*Episcoporū status, statui Religiosorū antefertur.*

*Obseruatio consiliorum, magnæ perfectionis est inditium.*

*Iste perfectionis gradus fuit B. Virgini cōcessus.*

5 *Tres primos perfectionis grad⁹ in humanitate fuisse, est certum secūdū fidē.*

Hac graduum perfectionis Christianæ distinctione supposita, ex dictis *disp. 42.* cōstat, tres priores gradus fuisse in humanitate Christi, quam numquam actu peccasse, nec graui, nec leui peccato, est certum secundum fidem, & oppositum asserere impium, & blasphemum censetur: & insuper ibi ostendimus, hoc ita esse cum gratia vnionis connexum, vt nec de potentia absoluta potuerit aliquod peccatum admittere, non solum in sensu composito vnionis, & potentia consequenti, verum nec in sensu diuiso, & potentia antecedenti. Quam repugnantiam *disputatione præcedenti* protēdimus, non solum ad actus peccaminosos, malitiaque morali formaliter infectos, sed etiam ad actus *obiectiuè* tātum malos excusatos à malitia morali formali, vel ob ignorantiam legis, vel ob libertatis defectum, vt quantum in nobis est, sāctitati, & summæ puritati humanitatis vnitæ consuleremus.

6 *Christus de facto nullū fuit consiliū trāsgresus.*

Restat modò de quarto perfectionis gradu inquirere consistente in sequela consiliorum, & in omnimoda consonantia cum eo, quod conformius est maiori Dei beneplacito. Et quoad hoc vnu

tan-

tanquam certum supponimus, & aliud in examen vocamus: supponimus quidem de facto ita contigisse, scilicet, Christum vt hominem nullum consilium fuisse transgressum, & in omnibus semper sequutum, quod conformius maiori beneplacito Dei fuit, in quo nullus Theologorum dissentit, sed omnes id pro comperto præsupponunt, constatque ex illo Ioannis 8. *quæ placita sunt ei, facio semper*. Quæ verba vera esse nō possunt, si à beneplacito Dei aliquando recessisset. Et ex illo Ioannis 6. *descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meā, sed voluntatem eius qui misit me*. Semper ergo Christus vt homo fuit voluntati Dei conformis; at consilium datum à Deo, eius voluntatem importat, numquam ergo à Dei consilio recessit.

*Probatur 1. auctoritate scripturæ.*

Et ratione id ipsum constat: nam recedere à maiori beneplacito Dei, & illi non conformari, esto peccatum non sit, est tamen imperfectio moralis, vt *infra* amplius declarabitur; sed Christo quatenus homini ratione visionis beatificæ manifestum erat, quod Deo magis placebat: ergo numquam recessit à maiori beneplacito Dei: alias esset moraliter imperfectus, quod pias aures offendit. Quod amplius vrgetur: nam culmen Christianæ perfectionis in sequela consiliorum consistit, & in exequendo, id quod est conforme maiori beneplacito Dei; sed concedendum est Christo, vt homini culmen spiritualis perfectionis: ergo est indubitatè asserendū, ad hæsisse semper consilijs, semperque sequutum, quod beneplacito Dei iudicauit conformius, in quo vt diximus, omnes Theologi vno ore consentiunt.

7 *Secūdo probatur ratione.*

*Confirmatur.*

Quod igitur examen desiderat, est. An hæc conformitas cū consilijs, & cū maiori Dei beneplacito fuerit Christo necessaria, an non, sed potuerit à consilijs dissentire, & à maiori Dei beneplacito sibi manifesto, & noto discordare? Ratio dubitandi, eaque vrgentissima est: si namque non potuit discedere à maiori beneplacito Dei; sequitur, nullam actionem cū libertate exercuisse; consequēs est absurdum; alias nulla actione meruisset, quod est contra fidem: ergo potuit à consilijs discedere exequendo oppositum operi sub consilio cadenti, & à maiori Dei beneplacito discordare, id, quod Deo minus placet faciendo. Consequētia cum minori tenet. Sequela autem, in qua sola est difficultas probatur: nam Christo notum erat magis Dei beneplacitum, & hac notitia regulatus semper eliciebat actum, qui Deo magis placebat, sed si non posset à maiori Dei beneplacito discedere, non posset in oppositum actum, nec in negationem actus, quem de facto operabatur: ergo in nullo actu esset liber, sed in omni necessario operaretur. Consequentia tenet: nam libertas contrarietatis consistit in indifferentia ad actum, & ad contrarium illius, & libertas contradictionis in indifferentia ad actum, & ad eius negationem: ergo si non posset in contrarium actum, nec in negationem actus, quem de facto eliceret, nulla libertate in eius elicientia gauderet.

8 *Punctus difficultatis.*

*Ratio dubitandi proponitur.*

Maior est certa, & minor probatur eliciendo actum contrarium, vel non eliciendo actum, quem de facto eliciebat, discederet à maiori Dei beneplacito: ergo si posset, vel non elicere actum, vel elicere actum contrarium, posset discedere à beneplacito Dei; & consequenter si nō posset discedere à beneplacito Dei, non posset nō elicere actum, nec elicere actum contrarium. Secunda cōsequentia ex prima clare colligitur. Antecedens est certum, & cōsequentia probatur. Quod enim actu præstat actᵘ, vel negatio actus existens, præstat possibiliter actus, vel negatio possibilis: ergo si negatio actus, quem de facto eliciebat, vel actus contrarius, actu, et de facto existentes, essent actualis recessus à maiori beneplacito Dei, negatio actus, & actus contrarius possibiles, sunt possibilis, recessus à diuino beneplacito; & consequenter si posset, vel non elicere actum vel elicere contrarium, posset à beneplacito Dei recedere, et si non posset recedere, non posset in actum contrarium, nec in negationem actus, quem de facto exercebat.

9

## §. II.

### *Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur.*

10 Prima sententia. *Vazq̃z*

ANTIQVIORES punctum hoc nõ attigere, Recẽtiores autẽ Theologi in duas diuiduntur sententias. Prima est negatiua, quam tenet Vazquez *disp. 74. cap. 5.* vbi docet, Christum sup posito præcepto moriendi fuisse liberum in eius adimpletione, & per mortẽ nobis meruisse, quia licet esset ad mortem necessitatus, non tamen ad hoc, vel illud motivum, nec ad intensionem illam actus interioris voluntatis, quo mortem de facto acceptauit; vnde sentit, potuisse actu minus intenso mortem præceptam acceptare, cumque negare non possit, fuisse Christo notum maius beneplacitum Dei erga maiorẽ actus intensionem, consequenter docere tenetur, potuisse Christum, vt hominẽ, recedere à maiori beneplacito Dei, & à cõsilijs discedere: nam facere, quod Deo magis placet, esto non sit sub præcepto; sub cõsilio tamen cadit. Pro qua *Valent.* sententia refertur Pater Valentia *in hac 3 p. q. 19. punct. 2.* Huic etiam adhæsisse videtur Mag. Lorca *disp. 63.* vbi negat *Lorca.* habuisse Christum rigorosum moriendi præceptum, eo quod cum illo libertas in acceptanda morte nequit compo ni: verba autem Scripturæ asserentia in Christo præceptum, explicat de simplici Patris mandato, & de voluntate Patris insinuata moriendi. Ex quibus aperte colligitur, sentire potuisse Christum ab hac insinuata voluntate discedere; aliàs nec cum illa posset libertas Christi consistere, nec meritum in mortis acceptatione; sicut non potest in sententia Lorcæ cum stricto præcepto libertas in moriendo subsistere, eo quod ratione impeccabilitatis, non potuit præcepto non obedire, vel ab illo discordare. Illam expressé tenet Arriaga *in præ* *Arriaga* *senti disput. 43. sect. 3. & 4.* vbi docet, Christum, vt hominem necessitatum non fuisse nec ratione vnionis hypostaticæ, nec ratione visionis beatificæ, nec physicè, nec moraliter ad adimplẽda cõsilia, ex quendumque maius Dei beneplacitum, & alij, quos sine nomine refert Hurtadus non tam (inquiens) argumento armati, quam difficultatis oneri succumbentes.

11 Secunda sentẽtia. *Hurt. Lyra.*

Secunda sententia docet, implicasse Christum, vt hominem, à consilijs Dei recedere, & à maiori Dei beneplacito sibi noto discordare. Hanc tenet Puente-Hurtado *disp. 61. sect. 5.* pro illa refe- *Suar.* gens Lyram super illud Ioannis 6. cap. *Raguſa.* *Descendi de Cœlo non vt faciam volun* *Lugo.* *tatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Vbi ait: *Et sic voluntas Christi nullo modo poterat à voluntate Patris discrepare.* Suarez *disp. 37. sect. 6. §. Quo modo autẽ.* Raguſa *disp. 128.* in quã etiã inclinare videtur Cardinalis Lugo *disp. 26. sect. 10.* & si doceat impotentiam ad moralem imperfectionem in humanitate Christi non fuisse physicam, sed moralem; per hoc tamen non admittit potuisse Christum, etiam de potentia absoluta esse imperfectum moraliter per recessum à consilijs, imo *sect. 11. num. 144.* concedens, potuisse humanitatem Christi de potentia absoluta carere omni honesta cogitatione; & cõsequenter omni operatione honesta, negat, potuisse carere perfectione morali possibili, quia hæc carentia imputaretur humanitati, quæ doctrina necessario est accipienda de potentia absoluta; aliàs inter antecedens, & consequens, nulla disparitas esset; & consequenter antecedenti concesso, malé consequentia negaretur.

12 Cõclusio

SIT NOSTRA CONCLVSIO. *Implicat humanitatem Verbo hypostaticè vnitam, omittere actum consilij, & recedere à maiori Dei beneplacito sibi manifestato de aliquo opere efficiendo.* Ita Auctores secundæ sententiæ. Quam etiam tenet Prudentius *tom. 2. in 3. p. tractat. 2.* *Prudẽt.* *disp. 1. dub. 4 sect. 4.* Et probatur ratione sæpé inculcata ex summa sanctitate desumpta; etenim humanitati ratione summæ sanctitatis repugnat essentialiter, non solum malitia moralis, sed etiã moralis imperfectio; sed in recessu à consilijs, esto malitia moralis non sit; *Proba-* *tur.*

est

est tamen imperfectio moralis: ergo essentialiter illi repugnat à consilijs recedere. Consequentia tenet. Præmissæ autem indigent probatione.

13 *Maior probatur 1.*

Maior ostenditur primo ad hominē cōtra Arriagam; vt enim hic auctor docet *lib. 35. sect. 4. subsect. 1.* actus intrinsece mali, quamuis excusati à malitia ob ignorantiam, vel defectum libertatis, repugnant essentialiter in humanitate vnita, quia semper retinent indecentiam moralem, quamuis à malitia morali excusentur; summa autem sanctitas, quia talis, non solum pugnat cum malitia morali, sed etiam cum moraliin decentia; sed moralis imperfectio estò formalis malitia non sit, non tamen potest à morali indecentia præscindi: ergo humanitati vnitæ ratione summæ sanctitatis non solum moralis malitia repugnat, sed etiam imperfectio moralis.

*Secūdo.* Secundo: non enim implicat sanctitas, quæ ex conceptu sanctitatis repugnet essentialiter, non solum cum moralimalitia, sed etiam cum imperfectione morali; sed eo ipso, quod huiusmodi sanctitas implicatoria non sit, concedenda est talis repugnantia essentialis gratiæ substantiali vnionis, aliàs infinita, & summa in ratione sanctitatis non esset; cum posset in ratione sanctitatis excedi à sanctitate maiori: ergo humanitati vnitæ, & summē ab illa sanctificatæ essentialiter repugnat omnis imperfectio moralis.

14 *Minor probatur 1.*

Minor etiam ostenditur primo in eodem exemplo insistēdo: actus intrinsecē materialiter malus, esto à malitia morali excusetur, non tamen est liber ab indecentia morali, vt prædictus Auctor fatetur; & consequenter fateri tenetur, esse imperfectum moraliter: nam moralis indecentia, est moralis imperfectio: ergo pariter actus transgrediens consilium, & omissio actus consiliati à Deo, esto non vitientur malitia morali; non tamen liberantur à morali indecētia; & consequenter nec à morali imperfectione.

15 *Secūdo.*

Secundo: nam subditum recedere à simplici mandato superioris, hoc est, à voluntate superioris intimata de aliquo opere efficiendo sine intentione obligādi ad culpam mortalem, nec venialem, esto peccatum non sit, est tamen actus moraliter imperfectus: ergo pariter recessus à consilijs diuinis, & à maiori beneplacito Dei, quamuis peccatum non sit, est tamen imperfectus moraliter

16 *Tertio.*

Tertio: transgresio legis pœnalis, hoc est non ad culpam, sed ad pœnam obligantis, quamuis non sit mala malitia morali formaliter, est tamen imperfecta imperfectione morali, & reprehēsione digna; vnde si Christus, vt homo, talis legis esset capax, repugnaret illam transgredi, vt fatentur omnes Theologi; aliàs potuisset efficere aliquid pœna, & reprehensione dignum, quod pias aures offendit: ergo pariter recederea consilijs diuinis; & à maiori beneplacito Dei, quamuis non sit peccatum, nec malum malitia morali formaliter; est tamē aliquid moraliter imperfectum, & moraliter indecens; & consequenter repugnans cum summa sanctitate humanitatis vnitæ.

17 *Respōdebis.*

Ex quibus præclusa manet solutio prædicti Auctoris asserentis, non obsequi Dei consilijs, esse imperfectum moraliter imperfectione tantum negatiua, hoc est, minus perfectum, quam consilijs adhærere, nō vero positiua imperfectione morali; licet autem cum summa sanctitate repugnet imperfectio moralis positiua, negatiua tamen non est vnde cum summa sanctitate repugnet; ac proinde cum summa sanctitate humanitatis vnitæ, non repugnat essentialiter omissio operis consiliati, nec actus illi contrarius. Quæ solutio excluſa manet ex dictis; si namque non esset imperfecta moraliter *positiuè*, sed tantum *negatiuè*, maximē, quia moraliter mala nō esset; at hæc ratio est nulla: ergo transgresio consilij est moraliter *positiuè* imperfecta. Maior patet: non enim est alia ratio assignabilis. Minor autem constat in exemplis adductis: inobedientia namque simplici superioris mandato, transgresio legis tantum obligantis ad pœnam, & simplicium statutorum alicuius Religionis ad culpam nō obligantium, non sunt peccata, nec mala malitia morali; & tamen moralem imperfectionē important: ergo quod transgresio consilij non sit moraliter mala, non tollit, quod sit moraliter imperfecta.

*Contra.*

Respon-

18 *Respõdebis.*

Respondebis, negando causalẽ maioris: non enim ideò transgressio consilij non est imperfecta moraliter *positiuè*, quia non est moraliter mala, sed quia actus consiliatus ex viconsilij nõ est moraliter debitus; vt enim docet D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. ad 2. q. 92. art. 2. ad 1. q. 93. art. 2. q. 100. art. 9. & 2. 2. q. 44. art. 1. Lex, seu præceptum necessitatem operis præcepti inducit, in quo differt à consilio, quod necessitatẽ operandi non inducit, sed adhuc consilio suppositio operatio manet in arbitrio operantis, ita, vt sine culpa possit operationem omittere, & ideo omissio operis sub consilio cadentis, etsi sit *negatiuè* imperfecta, hoc est, minus perfecta, quam actus consiliatus, non tamen est imperfecta moraliter *positiuè*. Simplex autem superioris mandatum, & simplicia regulæ statuta, & lex tantum ad pœnam obligans; cum rationem legis obtineant, reddunt debitos aliqualiter actus præceptos, & ideo transgressio illorum, quamuis non sit culpa moralis, est moraliter *positiuè* imperfecta.

D. Th.

19 *Cõtra 1.*

Sed contra primo: nam semel concesso, dari moralem imperfectionem sine morali malitia, non est cur in transgressione consilij, quamuis malitia moralis non sit, non detur imperfectio moralis.

*Secũdo.*

Secundo: nam licet actus consiliatus à Deo, non sit debitus debito stricto, hoc est, obligante ad culpam, imo nec debito obligante ad pœnam, est tamen debitus debito condecentiæ moralis, iuxta leges amicitiæ, & superioritatis diuinæ: ergo in eius transgressione moralis indecentia; & consequenter aliqua moralis imperfectio inuenitur. Cõsequentia videtur bona. Et antecedens probatur, notando ex D. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. debitum duplex esse, scilicet, legale, & morale. Primum attendit iustitia, secundum ad alias virtutes spectat, & à D. Thom. diffinitur esse; *quod aliquis debet ex honestate virtutis*: & quia debitum necessitatem importat, illud in duplicẽ gradum diuidit: nam quoddam ita necessarium est, vt sine eo honestas morum conseruari non possit: aliud vero debitum est necessarium, sicut conferẽs ad maiorem honestatem, sine quo tamen honestas conseruari potest, & addit; *quod quidem debitum attẽdit liberalitas, affabilitas, siuè amicitia.* Iuxta quam doctrinam datur debitum morale, necessitatem inducens, talem, quod sine illa honestas morum subsistit, quod aliud esse non potest, quam debitum condecentiæ moralis.

20 *Antecedens probatur 1.*

Hoc supposito probatur antecedẽs primo nam leges amicitiæ postulant, quod amicus maius beneplacitum amici exequatur, & amicus, hoc non præstans aliquali est dignus reprehensione iuxta leges amicitiæ; sed consilium datum à Deo alicui in particulari de aliquo opere efficiendo, signum est maioris beneplaciti in illius efficientia: ergo actus consiliatus à Deo, esto non debeatur debito morali stricto, debetur tamẽ debito aliquo morali, scilicet, moralis condecentiæ iuxta legẽs amicitiæ.

21 *Secũdo.*

Secundo: nam exequi maius superioris beneplacitum, etsi debitum non sit debito morali stricto, est tamen debitum debito condecẽtiæ moralis, & subditus nõ exequens maius beneplacitum prælati sibi manifestatum, etsi culpam nõ incurrat, nec alicuius pœnæ reatũ, aliquali tamen reprehensione, & prælati seueritate fit dignus, & indignus, vt subditus à prælato, vel filius à patre hilari, & grato vultu inspiciatur; sed consilium datum à Deo de aliquo opere in particulari efficiẽdo, est signum maioris voluntatis diuinæ, vt tale opus efficiatur: ergo opus consiliatum, etsi non debeatur debito morali stricto, est tamen debitum debito moralis condecentiæ, iuxta regulas superioritatis, & talis consilij transgressio, etsi culpa non sit, nec reatum pœnæ inducat, est tamen digna aliqua reprehensione, ex probratione q; aliquali.

22 *Secũdo prob. cõclusio.*

Secundo principaliter suadetur cõclusio: ideo Christus, vt homo, necessitatus ad opera consilijs non esset, quia ex tali necessitate auferretur ab illo libertas ad meritum requisita; sed hoc inconueniens non sequitur: ergo fuit necessitatus ad obsequendum consilijs, & impotens ad illorum transgressionem in sensu composito vnionis. Consequẽtia tenet. Maior est certa: si namq; hoc inconueniens non sequitur; cum aliàs ad maiorem Christi dignitatem, maiorem q;

rem que sanctitatis perfectionem cõducat impotentia transgrediendi consilia à nullo Theologorum negabitur. Minor autem ostenditur primo; necessitas obediẽdi præcepto positiuo moriendi in voluntate Christi impeccabili, stat cũ illius libertate in præcepti adimpletione, vt fatentur omnes Theologi admittentes in Christo strictum moriẽdi præceptum: ergo pariter necessitas obsequendi consilijs, stabit cum libertate in executione operis præconsiliati. Secundo probatur in principijs Thomistarum, iuxta quæ infallibilis connexio prædeterminationis physicæ cum consensu, & necessitas consensus ex suppositione prædeterminationis, non tollit libertatem in elicientia consensus: ergo pariter infallibilis connexio consilij in voluntate vnita cum opere consiliato, & necessitas orta ex consilio, non obstat libertati in executione illius, & in elicientia operis præconsiliati.

*Minor probatur 1.*

*Secũdo prob. in principijs Thomistarũ.*

23 *Tertio prob. in principijs Scotistarum*

Tertio probatur in principijs Scholæ Scoti, in quibus decretum extrinsecum Dei, quamuis infallibiliter connectatur cum actu, & illum inferat necessario in voluntate creata, non tollit libertatem in illius elicientia: ergo pariter quamuis consilium infallibiliter cõnectatur cum actu in voluntate Verbo hypostaticé vnita, & necessario illum inferat, non obstabit libertati in illius elicientia. Quarto probatur in principijs Societatis, iuxta quæ, vt plures fatẽtur, prædiffinitio efficax Dei consensus à voluntate eliciendi, illius libertati non obstat; & tamen infallibiliter infert actum prædiffinitum, & necessario cum illo connectitur: ergo pariter infallibilis connexio consilij cum actu in voluntate Verbo hypostaticé vnita, & quod illum inferat necessario, nõ obstat, quo minus liberé exequatur consilium, libere que actum consiliatum eliciat. Præterea: nam esto ab alijs Auctoribus eiusdem familiæ prædiffinitiones intrinsecé efficaces negentur; nullus tamen potest negare coniunctum ex voluntate dandi gratiam sufficientem, & præscientia consensus conditionati, infallibiliter cum consensu connecti, illumque necessario inferre necessitate infallibilitatis; & tamen ex hoc non læditur libertas voluntatis creatæ: ergo pariter ex necessitate sequendi consilia in voluntate Christi impeccabili, non impedietur libertas in consilij executione.

*Quarto prob. in principijs Societatis.*

*Quinto.*

Denique probatur minor: nam id, quod essentialiter connotat libertatem in actu, esto necessario illum inferat, non tollit, sed potius infert libertatem illius; sed consilium essentialiter connotat libertatem in actu consiliato: ergo necessitas orta ex consilio non potest libertati actus obesse, sed potius illam infert. Consequentia tenet. Maior cõstat; nihil enim potest destruere id, quod essentialiter connotat, quo circa præceptum Christo impositum libertatem non abstulit, quia, scilicet, præceptum pro materia connotat libertatem in actu præcepto, & physica prædeterminatio, ideo libertatem non destruit; quia illã cõnotat, & infert, & iuxta D. Thom. 1. *part. q. 19 art. 8* ideo voluntas efficax Dei libertatem nostrorũ actuum non adimit, quamuis illos inferat necessario, quia est de actu, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum libertatis, ideoque non solam substantiam infert, sed etiam libertatis modum: Nihil ergo connotans libertatẽ, potest illam adimere, quãuis necessario connectatur cũ actu. Minor autem probatur: nam actus necessarij non possunt sub consilio cadere: ergo consilium habet pro materia actum liberum; & consequenter connotat libertatem. Quod amplius confirmari potest: non enim stat, Deum efficaciter velle, quod actus libere fiat, & actum esse necessarium; sed supposita impotentia in voluntate Christi discedendi à consilijs Deus consilians actum Christo, vult efficacitér, quod actum liberum eliciat ergo hac impotentia supposita, necessario sequitur, Christum liberé operari; & consequenter non destruitur, sed potius infertur libertas ex impotentia transgrediendi consilia.

24 *Sexto prob. minor.*

*Confirmatur.*

Dices: implicare in terminis, Deum efficaciter ab intrinseco velle, quod voluntas liberé operetur; atque adeò ex illa voluntate efficaci, vtrumque sequitur, nempé, actum esse liberum, & non esse liberum. Sed contra, omissis pluribus, quibus *Tract. de Auxilijs* prædicta

25 *Respõdebit.*

*Contra.*

solutio impugnatur, breuitér in hunc modum reijcitur: incrementum efficaciæ in libertate inferenda non potest libertatem destruere; sed efficacia intrinseca in libertate inferenda est incrementum efficaciæ illatiuæ libertatis; efficacior enim est actus ab intrinseco efficaciter inferens, quam solum efficacia ab extrinseco: ergo per efficaciam intrinsecam illatiuam libertatis non potest destrui libertas; & consequenter nō implicat, & min⁹ complicat terminos, Deum efficaciter velle efficacia voluntatis intrinseca independente ab omni præuisione consensus, quod actus voluntatis creatæ fiat, & quod liberé fiat: ex quo vlterius sequitur, stare cum necessitate orta ex voluntate, & beneplacito Dei libertas in actu volito.

## §. III.

### *Varij modi occurrendi rationi dubitandi excluduntur.*

26 *Prima solutio rationis dubitandi.*

RATIONI dubitādi § 1. propositæ variè occurritur à Theologis. Prima solutio, negat sequelam; eo quod impotentia recedendi à consilijs in humanitate Christi, & necessitas acquiescendi consilijs non fuit physica, sed moralis, quæ libertati non obstat, vt patet in impotentia vitandi omnia peccata venialia, quæ cum libertate demeritoria compatitur. Ita Cardinalis Lugo *disp.* 26. *sect.* 10. Hæc tamen solutio nō placet; vt enim fatetur Lugo *disp. citata sect.* 11. *num.* 144 recessus à consilijs nō fuit posibilis Christo de potentia absoluta, sed ad id, quod implicat de potentia absoluta, non solum est impotentia moralis in humanitate Christi, sed etiā physica: ergo impotentia recedendi à consilijs, physica fuit in humanitate Christi. Consequentia tenet. Minor cō stat: nam id dicitur impossibile moraliter, quod taliter est difficile, quod quātis possit esse, nunquā tamē erit ob maximam difficultatem; sed id, quod non potest esse de potentia absoluta, non solū nunquā erit, sed nec potest esse vllo modo: ergo ad impossibile de potentia absoluta, non datur impotentia solū moralis, sed physica. Maior autē constat: nā *loco citato* docet, potuisse Christum omni perfectione morali carere, quia potuit humanitas Verbo vniri sine vllo dono accidentali gratiæ, & sine omni honesta cogitatione, non tamen potuisse opus minus perfectum efficere, relicto opere perfectiori, sed primū: solum est verum de potentia absoluta: nam de potentia ordinaria non potuit humanitas Verbo vniri sine donis gratiæ intrinsecis, vt fatentur omnes Theologi: ergo cum docet secundum, loquitur de potētia absoluta; aliàs nullum esset discrimē inter carentiam omnis perfectionis moralis, & elicientiā operis imperfectioris; cum vtrumq; esset possibile de potētia absoluta, & neutrum de lege ordinaria.

*Displicet* 1.

Secundo reijcitur: ideo namque docet Cardinalis Lugo, Christum, vt hominem, non potuisse à cōsilijs recedere, quia transgressio cōsiliorum est imperfectio moralis, & Christus non potuit esse moraliter imperfectus; sed hæc ratio, si quid probat, cōuincit impotētiā, non moralem, sed physicam: ergo vel neganda est Christo impotentia moralis ad recessū à cōsilijs, vel physica est cō cedenda. Probatur minor: nō enim est fūdamētū, vt difficile cēseatur, Christū, vt hominē, esse imperfectū moraliter, & nō iudicetur impossibile: ergo ex impotētia ad moralē imperfectionem, vel probatur physica impotētia in Christo cōsistens in omnimoda impossibilitate euentus, vel nō conuincitur impotētia moralis in difficultate magna cōsistēs.

27 *Secūdo*

Tertio: nam impotentia non acquiescendi consilijs, & ab illis recedendi, & à culmine perfectionis moralis, vel præstatur humanitati à gratia vnionis formaliter, vel ab amore Dei super omnia moraliter imperfecta; quodcumque istorum dicatur, vtraque impotentia inducitur: ergo inconsequenter adstruitur impotentia moralis, & physica impotentia negatur. Maior cum cō sequentia tenet. Minorem autem probo; quia namque, vel gratia vnionis formaliter, vel amor Dei super omnia le-

28 *Tertio.*

uiter

uiter offendentia excludunt ab anima Christi potentiam venialiter peccandi, inducunt impotentiam, non solum moralem, sed physicam ad peccandum venialiter: ergo si aliquid ex his excludit potentiam ab humanitate Christi ad moralem imperfectionem, quæ in recedendo à consilijs inuenitur, vtramque impotentiam inducit.

29 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur: quia namque amor Dei super omnia leuitér offendentia, physicé est incompatibilis cum peccato veniali excludit potentiã physicam ab humanitate Christi venialiter peccandi; sed amor Dei super omnia moraliter imperfecta, est physicé incompatibilis cum morali imperfectione: ergo tollit, non solum moralem, sed etiam physicam potentiam ab humanitate Christi ad imperfectionem moralem, quæ inuenitur in transgressione consiliorum, & in recessu à maiori Dei beneplacito.

30 *Secũda solutio.* Secunda solutio, inde cum necessitate sequendi consilia in Christo, eius libertatem componit, quia Christus liberé postulauit à Patre consilia, vnde habuit potentiam antecedentem ad non sequendum consilia, quæ ad libertatem in illis sequendis sufficit, non autem habuit potentiam consequentem, vt à consilijs recederet; hæc autem potentia ad libertatem in sequela cõsiliorum, necessaria non est. Ita Prudentius *vbi supra sectione 4.* Quam solutionem in simili de præcepto loquẽdo fusé reijciemus *Tractatu de Merito Christi.* Et breuiter reijcitur primo: *Reijcitur 1.* si namque aliquis postularet sibi visionem beatam, ex tali postulatione non esset liber in amore Dei beatifico; ex eo quod visio necessario amorem beatificum infert: ergo si consilium in voluntate impeccabili actum consiliatum necessario infert, quamuis liberé petatur, in actu ad ipsum sequuto, non manebit libertas.

31 *Secũdo.* Secundo: nam sequitur, Christum nullo actu meruisse formaliter præter illos, quibus postulauit à Patre consilia; consequens est falsum; aliàs non meruisset per actus charitatis, & obedientiæ formaliter, quod est absurdum: ergo tradita solutio non sufficit. Probatur sequela: actus non liber formaliter nequit esse formaliter meritorius; sed nullus actus fuisset formaliter liber, præter illos, quibus postulauit consilia: ergo nullꝰ præter illos fuisset formaliter meritorius. Minor, in qua sola est posita difficultas probatur: nam Auctores traditæ solutionis ad postulationem consilij recurrunt pro tuenda libertate in actibus consiliatis, quia censent, consilium in voluntate impeccabili inducere necessitatem antecedentem; cum qua stare nequit libertas, eo autem ipso, quod liberé ab operante petatur, non inducit consilium necessitatem antecedentem, sed consequentem ad libertatem operantis; at ex hoc solum saluatur libertas formalis in actu, quo petitur consilium, secus autem in actu consiliato: ergo iste non erit liber formaliter, sed ad summum causaliter; & consequenter, nec formaliter meritorius. Probo minorem; respectu actus consiliati, necessitas ex consilio non est consequens, sed antecedens; cum non consequatur ad ipsum: ergo si consilium ex se inducit necessitatem antecedentem cum libertate incompatibilem, actus cõsiliatus nõ potest esse liber formaliter, sed tantum causaliter, & antecedenter, nempé, in illo actu, quo Christus postulauit consilium.

32 *Tertia solutio.* Tertio alij respondent; ideo Christum fuisse liberum in sequela consiliorum, quia potuit in actum oppositum, non in sensu composito consilij, sed in sensu diuiso, & hoc ideo, quia potuit petere à Patre abrogationem consilij, sicut fuit liber in adimplendis præceptis, quia illa liberé acceptauit, potuitque petere à Deo illorum dispensationem, & Christo imposita fuerunt præcepta dispensabiliter iuxta illius voluntatem. Ita Puente-Hurtado *disp. 62. sectione 6. subsect. 1. num. 121.*

33 *Reijcitur 1.* Sed contra primo: nam etiam ex hac solutione sequitur, actus consiliatos Christo solum fuisse liberos in causa, non autem in se ipsis formaliter; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Probatur sequela; vt Christus ex consilio operetur supponitur priori actus primi consilium non abrogatum: ex quo necessario sequitur actus in Christo; sed hæc necessitas

esto sit consequens alium actum voluntatis, nempé illum, quo noluit petere abrogationem consilij; non tamen est consequens ad actum consiliatum, sed ad ipsum antecedens: ergo actus consiliatus ad summum erit liber in causa, non autem in se ipso formaliter.

34 *Secũdo.* Deinde: nam consilia data fuerunt Christo, vt homini à Deo, modo, quo à superiori communiter dantur consilia, nisi oppositum sic reuelatum; sed modus regularis consiliandi non est dependenter à subditi voluntate in abrogando, vel reuocando consilio; & aliàs specialis reuelatio in oppositum non adest: ergo absque fundamento asseritur fuisse data Christo consilia cum prædicta dependentia.

*Tertio.* Tertio: nã Christ⁹ certò sciebat, quid magis diuinæ volũtati placeret, petere, aut non petere abrogationem consilij; sed ad illud, quod magis Deo placebat, erat Christus, vt homo, physicé necessitatus, vt Auctor huius solutionis fatetur: ergo vel non poterat, petere reuocationem consilij, si non petere magis diuinæ voluntati placebat, vel necessitatus erat ad petendam consilij abrogationem, si illius petitio erat diuinæ voluntati gratiosior.

35 *Respondebis.* Si dicas: nihil horum determinatè fuisse magis placitum Deo; sed vtrumque æquè gratum diuinæ voluntati extitisse, & sic fuisse Christo manifestatum, vnde omnino liber mansit ad petendam, & non petendam reuocationem consilij.

*Contra.* In contrarium obstat: nam iuxta Diuum Thomam *prima parte quæstione 19. art. 12.* consilium est voluntas signi in Deo, quia indicat voluntatem diuinam, vt accipiens consilium, rem consiliatam efficiat: ergo non stat, Deum aliquid consiliari, & non magis inclinari in executionem actionis à se cõsiliatæ, quam in omissionem illius; sed maius beneplacitum actionis præconsiliatæ, quam in omissione illius, etiam est maius beneplacitum in non petenda abrogatione consilij, quam in petitione illius: ergo fuit magis placitum Deo, quod Christus dispensationem non peteret.

*Deinde.* Deinde: nã Deus de facto voluit, quod Christus dispensationem, vel reuocationem consilij non peteret: ergo fuit de facto gratior voluntati diuinæ non petitio, quam petitio dispentationis, vel abrogationis consilij.

36 *Quarta solutio.* Quarto alij respondent: ideo consilijs non adimi libertatem à Christo, etiam si necessitatus esset ad sequendum maius beneplacitum Dei, quia maius Dei beneplacitum non erat de opere perfectiori, sed de opere magis libero: eo quod ex maiori libertate samitur incrementum obsequij. Ita Amicus *in præsenti disputatione 25. sect. 4. num. 122.*

*Reijcitur 1.* Sed contra primo: nam sequitur ex ista solutione omnes Christi operationes fuisse æqué gratas Deo; consequens est falsum: ergo & tradita solutio Falsitas consequentis constat: nã licet omnes Christi operationes fuerint æquales in dignitate personali, nõ tamen fuerunt æquales in morali bonitate actus ex obiecto desumpta; actus enim charitatis excedit in bonitate obiectiua essentiali actus aliarũ virtutum: ergo licet attenta personali dignitate, omnes Christi operationes fuerint Deo æqué gratæ, non tamen æqualiter fuerunt gratæ secundum bonitatem moralem ex alijs capitibus desumptam.

*Prob. sequela.* Sequela verò probatur: nam consilium datum Christo penés conformitatẽ ad quod metitur prædictus Auctor adæquatè gratitudinem diuinæ voluntatis, non fuit de substantia operum, sed de illorum tantùm libertate; at omnes Christi operationes fuerunt æqualiter liberæ: ergo omnes fuerunt Deo æqualiter gratæ.

37 *Secũdò.* Secundo: nam consilium, & maius beneplacitum Dei regulans perfectionem moralem operationum Christi, antecedit illius operationes, illasque infallibiliter infert; & tamen, quia est de libertate earundem operationum, & non de substantia operum, illorum libertatem non lædit: ergo stat principium antecedens actum, illumque inferens infallibiliter, illius libertatem nõ destruere; & consequenter, nec præmotio efficax Dei, nec illius efficax prædiffinitio, nec præceptum Christo

impo-

impositum, quoad omnes circunstantias independenter ab illius voluntate in fieri, & in conseruari, libertatem tollere nequeunt, quæ omnia Auctor traditæ solutionis non admittit.

38 *Tertio.* Tertio: nam si consilium datum Christo, solum fuit deliberé se determinando, & de liberé pro suo nutu eligendo, & ideo libertatem Christi non abstulit: ergo etiam si accepisset de sic operando præceptum, libertas operationum Christi conseruaretur illæsa; consequens non admittit Auctor traditæ solutionis: ergo, nec potest solutionis doctrinam admittere. Probatur sequela; consilium datum de opere determinato, libertatem Christo adimeret, vt prædictus Auctor docet; & tamen datum de opere liberé exercendo, & de libertate electionis, cum libertate componitur: ergo licet præceptum de opere determinato, libertatem excluderet à voluntate Christi impeccabili, præceptum tamen de operum libertate, illorum libertatem non læderet.

39 *Quinta solutio.* Aliorum solutio est, ideo Christum fuisse liberum in sequela consiliorum, quia nullum fuit ipsi datum de aliquo in particulari, sed tantùm fuisse Christo pro consilio datum, vt id eligeret, quod malet, & ideo in quacumque electione, & liberrimé operabatur, & aliundé perfectissimé, quia conformitér ad maius beneplacitum Dei, & ad diuinum consilium. Modum istum dicendi alijs hinc inde discussis, & impugnatis, tenet, & fusé prosequitur Bernal *disputatione 54. sectione 5. §. 1. & 2.*

Sed contra illum facit primo; quia namque præceptum inducit subditum necessaria inductione ad aliquid efficiendum, vel omittendum, implicat ex terminis præceptum subdito impositum de faciendo, vel eligendo, quod maluerit; sed vt docet D. Thomas *1 p. quæstione 19. art. 12.* & ex terminis est manifestum, consilium inducit, non necessaria, sed persuasoria inductione accipientem consilium ad aliquid efficiendum: ergo implicat in terminis consilium cum hac generalitate, nempé, quod consilium accipiens eligat, quod ipse maluerit.

40 *Rejicitur 1.*

Secundo: non enim stat consiliū alteri datum, nisi de aliquo particulari agibili, aut eligibili: ergo vel dicendum est, Christum, vt hominem, esse consilij incapacem, vel non fuisse illi datum consilium de eligendo, quod maluerit; sed de aliquo in particulari faciendo. 41 *Secūdo.*

Antecedens ostenditur primo: consilium propriam electionem præcedēs, semper est de aliquo particulari eligibili; cum sit sententia, & iudicium subsequens inquisitionem, sententia autem semper sit de aliquo determinato: ergo pariter consilium alteri datum, debet aliquid determinatum respicere, & non dari de quocumque ipse maluerit. *Antecedens probatur 2.*

Secundo: nam præceptum semper est de aliquo determinato: ergo pariter consilium. *Secūdo.* Tertio: si quis namque alteri petenti consilium, pro consilio daret, quod faceret quidquid vellet, non nisi ineptissimé, & irrisoriē diceretur dedisse consilium: ergo vel consilium prudens non est, vel aliquid determinatum præalio eligibili respicit. *Tertio.*

Tertio reijcitur: sicut enim implicat præceptum, à quo ex terminis, & ex modo præcipiendi repugnet recedere: ita implicat consilium, quod est regula actionis liberæ, cui ex terminis, & ex modo consiliandi repugnet non conformari; sed consilio dato alicui, vt faciat, quod ipse maluerit ex terminis, & ex modo consiliandi repugnat, accipientem consilium non conformari: ergo implicat consilium sic datum. 42 *Tertio reijcitur solutio.*

Quod amplius confirmo ad hominem contra istum Auctorem, qui *disputatione allegata sectione secūda, num. 26.* referens sententiam Patris Hurtado, asserentis, fuisse Christo datum cōsilium de non petenda dispensatione præcepti, simulque ei manifestatum æqué gratum fore Deo, siué dispensationem peteret, siué non peteret, illam reijcit hoc argumento, quia perinde foret, ac si nullum Deus, consilium Christo tribueret; quia sicut præceptum est determinata superioris volun- 43 *Confirmatur.*

tas, vt aliquid fiat à subdito, alioqui recessuro à stricta obligatione, ita consilium est determinata voluntas, vt res fiat ab accipiente consilium, alioqui recessuro à perfectione morali: ergo sicut in terminis implicaret, qui diceret, præcipimus, vt hoc facias, æqué tamen obligationi satisfacturus, siué facias, siué non facias: ita repugnantia diceret, Deus, Christo consulens, vt ieiunaret, addens, æqué gratum sibi fore, siué peteret, siué non peteret dispensationem consilij, & ea petita non ieiunaret, & non petita ieiunaret. Hæc ferè ad verbum Bernal contra sententiam relatam. Ex quibus ita subsummo; sed terminos implicat præceptum subdito impositum de faciendo, quod ipse maluerit: ergo vel inefficaciter impugnat sententiam Patris Hurtado, vel fateri, tenetur implicare in terminis consilium datum Christo de faciendo, quod maluerit. Patet consequentia: ideo primum implicat, quia præceptum est determinata superioris voluntas; & consequenter debet esse de aliquo determinato; sed etiam consilium, vt prædictus Auctor fatetur, est determinata consiliantis voluntas, tametsi obligationem non inducens, vt fatetur idem Auctor sententiam illam impugnãs: ergo sicut implicat in terminis præceptum alicui impositum de faciẽdo, vel eligendo, quod maluerit, ita implicat in terminis consilium alteri datum, vt faciat, quod ipse velit.

44 *Quarto reijcitur*

Quarto reijcitur: non enim negari potest sub consilio esse, quæ Deo sunt gratiora operari; sed Christus benè sciebat, esse Deo gratius cum maiori intensione actum charitatis elicere, quam in remissiori gradu: ergo ad actum intensiorem eliciendum consilio dirigebatur; & consequenter non fuit ei pro consilio datum, vt quidquid malet, eligeret; sed consilium habuit de aliquo particulari agibili, & eligibili.

45 *Respõdebis.*

Dices: perfectiora esse Deo magis grata, si de opposito nõ supponatur cõsilium: nam si Deus matrimonium alicui consuleret, gratius esset ipsi, quod accipiens consilium contraheret matrimonium, quã quod cœlibatum iniret, & stat⁹ perfectionis id peteret: quia ergo Christo pro consilio datum est, vt quod ipse malet, efficeret; hoc ipso, quod vellet cum minori intẽsione operari, minor operationis intensio Deo gratissima foret; ac proinde non adstringitur consilio ad intensiùs operandum.

Cæterum abstrahendo pro nunc ab ea quæstione, an Deus possit minus perfecta, & min⁹ bona cõsulere, de quo inferius forsitan sermo reddibit: contra istam solutionem obijcio primo: est enim omnibus Theologis inconfesso, Christum semper fuisse cum summa intensione operatum; sed si doctrina traditæ solutionis subsisteret, hoc certissimum non foret, nec ab omnibus ita concessum, nec posset aliqua ratione probari: ergo solutio tradita est falsa. Probo minorem: non enim alia ratio potest Theologos inducere ad ita firmitẽr, & vniformitẽr asserendum semper Christum fuisse operatum, iuxta summam intensionem virtutum, nisi quia status perfectionis id petit, & in opposito aliqua moralis imperfectio inuenitur; sed admissa traditæ solutionis doctrina, id non petit status perfectionis in Christo, vt solutionis Auctor fatetur, imo in hoc resolutionem traditam fundat: ergo nulla ratio esset probans, semper Christum fuisse operatum iuxta adæquatam habituum intensionem.

46 *Cõtra 1.*

47 *Confirmatur.*

Quod amplius vrgetur ad hominem; etenim hic Auctor *numero 27.* ex eo quod æqué gratum foret Deo, petere, vel non petere consilij dispensationem, vt asserebat Hurtado, infert, nullum esse fundamentum ad negandum, petijsse pluries consiliorum dispensationem: ergo pariter si æqué gratum foret Deo, Christum intensé, vel remisé operari, nullum fundamentum esset ad negandum pluries fuisse remisé operatum.

48 *Cõtra 2.*

Secundo contra eandem solutionem obstat; sequitur namque ex illa superflué infusas fuisse animæ Christi virtutes in summa intensione de lege ordinaria possibili, vt fatentur omnes Theologi; consequens nequit admitti: ergo solutio tradita est falsa. Probatur sequela: nam summa intensio virtutum eo fine desideratur, vt subiectum summa in-

tensio-

tensione operetur; at Christum summa intensione operari, foret superfluũ; cum operando remisse, culmen perfectionis moralis attingeret, & gratissimæ essent Deo illius operationes: ergo superflua fuisset tanta virtutum supernaturalium intensio.

49 *Cõtra 3.* Tertio: nam sequitur ex eadem solutione, potuisse Christum secundum ordinem à Deo de facto statutum sine vlla imperfectione morali matrimoniũ contrahere, cœlibatumque, & virginitatem desserere; consequens videtur absurdum: ergo solutio tradita ruit. Probatur sequela, casu in quo Christus cœlibatu, & virginitate relictis, matrimonium eligeret, gratissimus esset Deo in traditæ solutionis principijs: ergo absque vlla imperfectione morali matrimonium contraheret, & virginitatem dessereret.

50 *Quinto reijcitur principalis solutio fundamẽta Auctoris soluẽdo. Primũ est.* Deniq; principaliter doctrina istius Auctoris reijcitur, occurrendo tribus fundamentis, quibus illam suadere contendit: primum ex illo Matthæi cap. 11. illis verbis: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, ideſt (vt interpretatur ipse) omnium actionum, consiliorumque determinatio fuit meæ voluntati concessa. Et cap. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et Ioannis 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Qua locutione innuitur manifestẽ facultas Christo concessa omnia pro arbitratu faciendi. Ex quibus verbis tale argumentum conficitur: in his omnibus testimonijs importatur vniuersalis distributio per ly *omnia*, vel ly *omnis*, à qua iuxta regulam interpretandi Scripturam, nihil est excludendum, nisi in cuius inclusione aliqua contineatur absurditas; at in eo, quod omnium consiliorum ratio, ac determinatio fuerit voluntati Christi commissa, non solum non est absurditas, sed potius summa decentia, & conuenientia, imo & necessitas: ergo accipiendi sunt illi termini cum ea amplitudine, vt comprehendant omnia, quorum consilia Deus dare potuisset; ac proinde istorum ratio, ac determinatio taliter fuit voluntati Christi concessa, vt de nullo in particulari consilium acceperit, sed solum pro consilio habuerit, vt quidquid malet, eligeret.

51 *Secũdũ. S. Anſ.* Secundum ex Anselmo libro primo, cur Deus homo cap. 19. in medio, vbi hæc de Christo profert: *Nempè, quoniam idem ipse est Deus, & homo secũdũ humanam, ex qua fuit homo sic accepit à diuina natura, quæ alia est ab humana, esse suum, quod habebat, vt nihil deberet dare, nisi quod volebat*; sed si cõsilia de actibus in particulari accepisset, hoc verum esse nõ posset; cum deberet, actionem in particulari consiliatam præstare, ne à consilijs diuinis recederet, & culmine perfectionis deficeret: ergo iuxta Anselmum de nulla actione in particulari consilium accepit.

52 *Tertiũ.* Tertium; nam gratiam vnionis, quæ est suprema omnium gratiarum connaturaliter sequitur dominium vniuersorum, Deo, quam maximè simile; sed Deus ratione supremi dominij habet, vt quidquid libere eligat, perfectissimè eligat, hoc est, absque omni imperfectione morali: ergo humanitas Christi, ratione vniuersalis dominij, eandem dignitatem accepit. Quod amplius confirmatur: nam nisi hoc concedatur, tollitur libertas à Christo, vel saltim valdè minuitur in omnibus electionibus; sed hoc, inconueniens est: ergo vt vitetur, necessario est asserẽdum, nulli consilio de actibus in particulari fuisse subiectum, sed illi pro consilio datum esse, vt eligeret, quod malet sub Dei contestatione id sibi gratius futurum, cum quo, & maxima libertas in operibus Christi saluatur, & impotentia cadendi, vel à culmine perfectionis recedendi. *Cõfirmatur.*

53 *Ad 1. respõdetur* Hæc tamen leuia sunt pro tam singulari stabilienda doctrina. Ad primum omissis interpretationibus ex proprio cerebro datis, respondeo ex nullo ex prædictis testimonijs aliquid illi fauẽs, deduci: nõ ex primo: nã verba illa accipiũt de Christo ratione diuinitatis, Chrisostomus, Hieronymus, Hilarius, & Augustinus, & ex ipsis Angelicus Doctor *in cap. 11. Matth.* vnde verbum illud *tradita*, explicat per originem, æternamque generationem à Patre, & in eodem sensu secundum testimonium interpretatus est D. Thom super Matth.

S. Tho. cap. 28. ex Hieronymo, his verbis: *Potentia Dei, nihil aliud est quam omnipotentia, & hæc data nō est Christo, quia non conuenit Christo secundum humanitatem, vel si Christo data dicitur, non est, vt consequens gratiam vnionis, sed per ipsam gratiam vnionis; licet autem duplicentur, quæ gratiam vnionis sequuntur, non autem duplicantur, quæ insunt Christo gratia vnionis: vnde dico* (subiungit Angelicus Doctor) *quod potentia est data, non quia alia potentia sit data, sed data est secundum quod est vnita Verbo, vt Filio Dei per naturam, sed Christo per gratiam vnionis.* Hæc D. Thom. quæ ita intelligenda sunt, quatenus ea, quæ abæterno prædicabantur de Verbo Dei, vt subsistente in diuina natura, temporaliter prædicari cœperunt de ipso, quatenus per gratiam vnionis facta humanitati in eadem subsistente. Vel si de Christo ratione humanitatis prædicta verba accipiantur, vt etiam admittit, & interpretatur D. Thomas, accipienda sunt de potestate, vt significat quendam præcedentiæ honorem Christo, vt homini, super creaturas concessum.

54 Tertium etiam testimonium interpretatur D. Thomas super Ioannē cap 13. lect. 2. de Christo ratione diuinitatis. Dato tamen, quod testimonia allegata de Christo, vt homine, intelligantur ratione potestatis iudiciariæ, & quia illi, vt homini, omnis creatura est subiecta, minor argumenti est neganda: ex eo namque, quod Christus de nulla re in singulari à Deo accepisset consilium, sed tantum de eligēdo, quod maluisset, magnum sequitur absurdum, nempé, voluntatem Christi fuisse sibi suprema suæ perfectionis regulam. Deoque vt consulenti non re ipsa, sed nomine tantum subiectam, quod asserendum non est.

55 *Ad 2. argumentū resp.* Ad secundum ex Anselmo respondeo, solum excludere à Christo, quatenus homine, debitum operandi ex coactione, aut ex timore pœnæ ortum, nō autem debitum obligationis ex præcepto, vel consilio, quod debitum non coactè sed liberè, & spontaneè Christus impleret. *Ad tertium.* Ad tertium, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: quia vt rectè cōcluderetur, deberet Christo, vt homini, competere dominium propriarum actionum, non solum diuino dominio simile, sed cum illo identificatum, aut æquale, illique non subordinatum: nam Deum eligere quidquid vult absque imperfectione morali, ipsi competit, quia regulam superiorem, à qua possit discordare non habet, quod Christo, vt homini, cōmunicari nō potest; ac proinde non potest illi concedi, quod superioritatem illam consequitur. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, nego maiorem. Plena enim libertas, quæ potest inferiori competere, optimé in Christo saluatur, absque efugio subordinationis ad Deum, vt consulentem, imo, vt omnia præcipientem.

56 *Quinto respond. Suarez.* Quinta solutio esse potest; ideo Christum fuisse liberum in obsequendo consilijs, quia licet ratione vnionis essentialiter illi repugnet consiliorū transgressio, vnio tamen, nec consilia intrinsecé immutabat modum agendi voluntatis, sed solum extrinsecé, quatenus vnio essentialiter exigebat specialissimam prouidentiam, qua Deus humanitati præberet auxilia congrua præuisa per scientiam conditionatam, & cum actu consiliato coniuncta, cumq; huiusmodi auxilia, quibus voluntas Christi reddebatur proximé potens obsequi consilijs diuinis, illam indifferentem relinquerent; fit, vt cum impotentia recedendi à consilijs conueniente humanitati ratione vnionis ad Verbum, fuerit libera in consiliorum sequela. Ita in simili P. Suarez *disp. 37. sect. 3.*

57 *Reijcitur, et inconsequētia notatur.* Illius tamen doctrina in hac parte parum grata extitit Doctoribus Societatis, eo quod cum necessitate orta ex aliquo antecedenti, & libertati voluntatis Christi non subiecto, tentauit libertatem componere, quod non benè conuenit cum vnico fundamento, quo mouentur ad negandam gratiam ab intrinseco efficacem, & asserendum non posse cum libertate nostrorum actuum cōponi: quia, nempé, principium à nobis ineuitabiliter infallibiliter cū actu cōnexum, reddit ineuitabilem actum; & consequenter non liberum; gratia autē ab intrinseco efficax est à nobis ineuitabilis, & infallibiliter cum cōsensu con-

nexa:

nexa: ergo reddit consensum ad quem datur à nobis ineuitabilem; & consequenter non liberum: nam de essentia actus liberi est taliter à voluntate procedere, quod potuerit ab intrinseco non esse; & consequenter a voluntate potest vitari.

58 Quod argumentum pari efficacia militare videtur contra Patrem Suarez; etenim præceptum Christo impositū, vel consilium illi datum, infalibiliter infert in voluntate Christi impeccabili, & moralis imperfectionis incapaci, actu præceptum, vel consiliatum; sed præceptum, vel consilium non potuit ab humanitate Christi vitari in sententia Patris Suarez; non enim fuit Christo impositū dependenter ab illius libera postulatione in fieri, nec in conseruari ab eo quod peteret, vel non peteret præcepti, aut consilij dispēsationem, vt expresse etiā fatetur, nec dependenter à præuisione cōditionata actus adimplentis præceptum, aut consilium diuinum: hæc namque conditionalis: *si humanitati vnitæ imponatur præceptū de aliquo actu, vel de illo detur consilium, præceptum, vel consilium adimplebit*: est consequentia necessaria, supposito quod ab intrinseco sit impeccabilis, & moralis imperfectionis incapax; & consequenter adimpletio præcepti, vel consilij humanitatis vnitæ sub conditione præcepti, vel consilij, obiectum scientiæ conditionatæ nō est, sed scientiæ necessariæ simplicis intelligentiæ: ergo præceptum, vel consilium in humanitate vnita impeccabili, & moralis imperfectionis ab intrinseco incapaci, reddent ineuitabilem ab humanitate vnita actum præceptum, vel consiliatum; & consequenter non liberum.

59 *Confirmatur.* Quod amplius vrgeri potest ex illorum principijs: nam Christus, vt homo, non fuit potens proximé ad omissionē actus supposito præcepto, aut consilio: ergo altero illorum supposito liber non mansit. Consequentia est euidens: nam ad libertatem in actu requiritur proxima, & expedita potentia per modum actus primi ad illius omissionem, vel liberam negationem: ergo si præcepto, vel consilio præsupposito nō mansit humanitas Christi potens ad omissionem actus præcepti, vel consiliati, non fuit libera in adimpletione præcepti, aut cōsilij. Antecedens autem probatur: non fuit potens ad omissionem actus præcepti, vel consiliati, in sensu composito præcepti, aut cōsilij, nec in sensu diuiso: ergo nullo modo fuit potens ad prædictam omissionem. *Antecedens pro prima parte constat*: nam si fuit potens ad omissionem actus præcepti, vel cōsiliati in sensu composito, fuit potens proximé, & expedité peccare, & esse moraliter imperfecta; consequens est falsum: ergo non fuit potens ad omissionem actº præcepti, vel consiliati in sensu composito præcepti, aut consilij. *Probatur sequela*: nam omissio actus præcepti composita cum præcepto, est formaliter peccatum, & omissio actus consiliati composita cum consilio, esset moraliter imperfecta: ergo si præcepto, aut consilio præsupposito potuit humanitas Verbo vnita expedité in actu primo ad omissionem actus compositam cum præcepto, & cum consilio, potuit expedité in actu primo peccare, & esse imperfecta moraliter.

60 *Pro secū da probatur.* Deinde pro secunda parte idem antecedens probatur: ideo non fuit potens ad omissionem actus in sensu composito, quia non potuit omissionem cum præcepto, aut consilio coniungere; sed nec potuit omissionem actus à consilio, vel præcepto diuidere: ergo non fuit potens ad omissionem actus in sensu diuiso. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; posse omissionem actus à consilio, vel præcepto diuidere, est posse omissionem ponere cum negatione præcepti, aut consilij, seu cū non esse illorum; sed non potuit omissionem ponere cum negatione præcepti, aut consilij: ergo non potuit illam à præcepto, vel consilio diuidere. Maior est certa; & minor probatur: posse componere omissionem actus, cum nō esse præcepti, aut consilij, est posse ponere vtrumque; sed humanitas non fuit potens ponere negationem præcepti, aut consilij: ergo non fuit potens componere omissionem actus, cum non esse præcepti, aut consilij. Minor supponitur à Suarez. Maior autem est quasi principium inter Societatis Doctores, qui nō

alia

aliaratione probant, voluntatem efficaciter præmotam non posse negationē consensus componere cum negatione physicæ præmotionis, nisi quia posse ad illam compositionem, est posse ponere vtrumque; voluntas autem creata non potest, ponere, non esse, seu negationem physicæ prædeterminationis in sententia Thomistarum; ex quo inferunt (& suo iudicio euidenter) non posse voluntatem efficaciter præmotam ad actum componere negationem actus cum negatione physicæ prædeterminationis; & consequenter non habere potentiam ad omittendum actum in sensu diuiso: ergo idem tenetur Suarez in præsenti fateri, ne deserat indubitatū Societatis principium.

61 *Respondebis.* Respondebis: humanitatem Christi, supposito præcepto, aut consilio de aliquo opere in particulari, habuisse potentiam ad oppositum illius in sensu cōposito, hoc est, vt componendum cum præcepto, vel consilio attentis principijs proximis, quibus ad operandum fuit applicata, nempe, gratijs congruis, quæ quia ab intrinseco efficaces non erant, relinquebant voluntatem Christi cum indifferentia ad oppositum componendum cum præcepto, vel consilio, etsi attento principio remoto, scilicet, vnione hypostatica, repugnaret illi huiusmodi compositio; & quia ad libertatem sufficit potentia ad vtrumque extremum secundum principia proxima; fit consequens, quod humanitas Christi libera fuerit in consiliorum sequela. Ita quidā Recentiores, quibus non omnino sentētia Patris Suarez displicuit.

62 *Si opponas 1.* Quod si illis opponas primo: principium remotum non indifferens, sed determinatum, exigere proxima principia etiam determinata, & non indifferētia, eo quod inter principium proximū, & remotū debet seruari proportio; sed vnio hypostatica, quæ est principium remotum operationū humanitatis Christi, non est indifferens ad actum præceptum, vel consiliatum, & illius omissionē in sensu composito; cum illi essentialiter talis omissio composita cū præcepto, vel consilio repugnet: ergo principia proxima, quibus voluntas Christi vtebatur, tali indifferentia non gaudent. *Respondent.* Respondent, negando maiorem, imo vnio hypostatica cum essentiali repugnantia ad prædictam omissionem petit principia proxima, quibus hæc repugnantia essentialis nō conueniat, eo quod simul cum repugnantia, quam habet, petit liberam præcepti, & consilij adimpletionem, quæ subsistere non posset, si principijs proximis essentialiter repugnaret omissio operis, vel consiliati in sensu cū illis composito.

63 *Si opponas 2.* Si opponas secundo: sequi ex ista solutione, potuisse humanitatem Christi peccare in sensu composito vnionis; cōsequens est falsum: ergo, & solutionis doctrina. Probatur sequela: ad libertatē exigitur potentia ad actū, & illius omissionem, vt componendam, non solum cū principio proximo operationis, sed etiam cum principio remoto; sed vt ipsi fatētur vnio hypostatica est principium remotum operationum humanitatis: ergo vt hæc libere adimpleret præcepta, & consilia diuina, debebat habere potentiam ad omissionem operis præcepti, vel consiliati, non solum cum præcepto, & consilio, sed etiam cum vnione hypostatica.

64 *Respondent.* Respondent, negando sequelam: & ad probationem dicunt, veram esse maiorem de principio remoto essentialiter ab operatione petito, falsam autem de principio ab illa per se non exacto, qualis est vnio hypostatica, quam per se operationes Christi non postulant, quāuis de facto fuerit principium remotum illarum, & ideo ad libertatem in obediēdo præceptis, vel obsequendo consilijs, non exigitur in humanitate vnita potētia ad componendam omissionē actus præcepti, vel consiliati cum vnione siti ad Verbum, sed sufficit potentia ad prædictam omissionem præcisiuē ab vnione, etsi non præcisiuē, vel diuisiuē à præcepto, vel consilio.

65 *Displicet hæc doctrina 1.* Hæc tamen doctrina displicet, & cōtra illam facit primo: nā licet stare possit, quod principium impeditum radicaliter, non impediatur positiuē per principia proxime operatiua, quod autem subiectum aliquod sit radicaliter impeditum, & expeditum proximē ad operādum, neutiquam potest componi; eo quod sicut principium proximum, radi-

cale

cale supponit, ita proxima expeditio ad operandum, supponit expeditionem remotam, & radicalem; sed humanitas Christi ex vi vnionis est radicaliter impedita ad omissionem actus coniungendam cum præcepto, vel consilio: ergo licet gratiæ auxiliantes illam non impediant ad prædictam omissionem, ex vi tamen illarum non potest proximè expediri ad illam; & consequenter hac via non potest consistere in humanitate libertas in obediendo præceptis, & obsequendo consilijs.

66 *Secũdo.* Deinde nam sequitur ex hac solutione, Christum vt hominem fuisse liberum, non solum libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis; consequens est falsum: ergo tradita solutio. Falsitas consequentis est certa in sententia Patris Suarez (cuius sententiam Recentiores tuentur) negantis Christo Domino omnem potentiam peccandi, non solum in sensu compositò, verum etiam in sensu diuiso vnionis, quod etiam fatentur omnes Recentiores Societatis, quos viderim: nam licet illorum aliqui affirmẽt, posse cum vnione humanitatis ad Verbum in casu de potentia absoluta possibili, stare potentiam ad peccandum in sensu diuiso, quos *supra* allegauimus, nõ tamen loquuntur de Christo, vt homine, sed de humanitate vnita, nec de vnione, prout modo fuit decretata, sed secundum alium ordinem, loquendo namq; de humanitate prout de facto fuit vnita independenter à proprijs operationibꝰ, omnes fatentur, carere potentia peccandi, Christumque quatenus hominem in nullo euentu posse aliquo ex prædictis modis peccare. Sequela autem probatur: nam iuxta solutionis doctrinã Christus fuit liber in adimpletione præceptorum; quia attentis principijs proximis potuit omittere actum præceptum; sed attentis principijs proximis potuit omittere omissione cum præcepto cõposita: ergo potuit peccare; & consequenter fuit liber libertate, non solum contradictionis, sed etiam contrarietatis. Patet consequentia: nam libertas cõtrarietatis consistit in indifferẽtia ad bonum, & malum; sed omissio actus præcepti composita cum præcepto, est moraliter mala: ergo si fuit indifferens, & potens ad actum præceptum, & ad omissionem cum præcepto compositã, fuit liber non solum libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis.

67 *Respõdebis primo.* Respondebis primo: libertatem cõtrarietatis consistere in potentia ad bonum, & malum vndequaque expedita; voluntas autem Christi, etsi attentis principijs proximis, sit potens ad omissionem culpabilem, non tamen erat vndequaque expedita; cum vnione inspecta, quæ est radicale principium, in talẽ omissionem non posset, ideoque non fuit liber libertate contrarietatis. Vel secundo respondebis, potentiam ad omissionem culpabilem non conuenire, nec enuntiari de Christo, quatenus homine, sed de humanitate Christi pro signo priori ad vnionem, & ab hac libertate Christum denominari liberè obedientem præcepto, & libere obsequentẽ consilijs.

*Secũdo.*

68 *Prima solutio reijcitur primo.* Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit primo: nam indifferentia ad actum, & omissionem actus culpabilem attentis principijs proximis, aliquam libertatem constituit; sed non constituit libertatẽ contradictionis: hæc namque non respicit malum, nec omissionem culpabilem, & priuatiuam actꝰ, sed negationem præcisè: ergo cõstituit libertatem contrarietatis. Secundo: nam posse omittere omissionẽ cum præcepto coniuncta, attentis principijs proximis, sufficit, vt actus adimpletiuus præcepti sit Christo absolute liber: ergo etiã sufficit, vt Christus quatenus homo sit absolute potens ad omissionem culpabilem; & consequenter absolute potens peccare, in quo libertas cõtrarietatis est posita.

*Secũdo.*

69 *Secũda solutio impugnatur.* Deinde secunda solutio, quam in publicis disputationibus defensatam vidi, in hunc modum reijcitur, & supponendo eandem doctrinam applicandam esse ad libertatem Christi in sequela cõsiliorum, ne plura Verba insumantur, loquemur de libertate in adimpletione præcepti. Contra solutionem ergo traditam sic argumentabar: libertas in obedientia taliter debet saluari, quod verificetur in proprietate sermonis: hæc propositio, *Christus liberè obediuit præcep-*

to; sed ratione libertatis conuenientis humanitati pro illo signo antecedenti, non verificatur dicta propositio in proprietate, & rigore: ergo libertas, illa esto admittatur in humanitate Christi, de quo *disp. 1. huius tract. §. 9.* omnino insufficiens est ad saluandam, & componendam libertatem Christi in operibus præceptis cum illius impeccabilitate. Maior constat: tum ex illis verbis Pauli: *Factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum.* Quæ non de humanitate quasi in abstracto, sed de Christo, vt homine, accipiuntur, & in rigore sunt accipienda. Tum etiã: nam de Christo est verum in proprietate sermonis nos redemisse obediendo, nobisque per actum obedientiæ meruisse: ergo etiam cum proprietate debet verificari de Christo liberé obedijsse præcepto.

70 *Minor prob.* Minor autem probatur: illa propositio non est vera pro signo anteriori ad vnionem, nec pro signo vnionis: ergo numquam de Christo verificatur in proprietate sermonis liberé obedijsse præcepto. Antecedens pro prima parte est certũ; vt enim veré affirmetur aliquod prædicatum de Christo, debet intelligi Christus; at pro signo antecedente vnionem nondum concipitur Christus; cũ non concipiatur vnio humanitatis ad Verbum, ex qua vnione Christus resultat: ergo non verificatur dicta propositio pro signo anteriori ad vnionem. Pro secunda parte probatur, vt veré pro aliquo signo affirmetur libera obedientia de Christo, debet libertas in eodem signo intelligi; sed in signo vnionis humanitatis ad Verbum, in quo Christus intelligitur, non concipitur libertas: ergo in tali signo nequit affirmari de Christo libera obedientia ad præceptum. *Maior constat.* Maior constat; cum enim effectus formalis sit forma communicata subiecto, implicat effectum formalem intelligi in aliquo instanti, aut signo, non intellecta forma in eodem signo, aut instanti; sed forma liberi in concreto est libertas: ergo non stat Christum intelligi liberũ in aliquo signo, quin pro eodem signo intelligatur libertas. Quod amplius potest vrgeri: sicut enim esse volentem, est effectus formalis volitionis, ita esse liberũ est effectus formalis libertatis, seu volitionis liberæ, vt liberæ; sed implicat intelligi volens pro aliquo signo, quin pro eodem signo intelligatur volitio: ergo implicat pro aliquo signo intelligi liberũ in actu secundo, nisi libertate pro eodẽ signo intellecta.

71 *Minor prob.* Deinde minor suadetur; implicat libertatẽ pro aliquo signo intelligi, quin pro eodem signo intelligatur forma libertatis, vel principium à quo essentialiter dependet libertas; sed pro signo vnionis nequit intelligi forma libertatis obedientiæ, vel principium à quo essentialiter dependet libertas: ergo implicat Christum pro illo signo liberé obedientem intelligi. Minor probatur: expeditio ad vtrumlibet per modum actus primi, vel est forma libertatis, vel est principium à quo essentialiter dependet libertas; sed implicat pro signo vnionis intelligi expeditionem ad omissionem culpabilẽ, & peccaminosam in Christo: ergo implicat pro tali signo intelligi formam libertatis, vel principium, à quo essentialiter dependet libertas. Minor probatur; pro signo vnionis intelligitur humanitas Christi impeccabilis intrinsecé; & consequenter impedita ad vnum extremum libertatis contrarietatis: ergo non potest in eodem signo intelligi expeditio ad vtrumlibet.

72 *Respõdebis.* Dices: expeditionem, quæ est forma libertatis, non esse expeditionem consequentem actum, sed antecedentem, licet autem pro illo signo expeditio consequens tollatur, manet tamen expeditio antecedens, scilicet, expeditio signi antecedẽtis vnionem, & ab hac sumitur denominatio libertatis, & Christus denominatur liberé obediens, vt constat in voluntate actu amante, quæ sub amore non potest in illius omissionem: quia tamen pro signo actus primi ad amorem est in voluntate potestas ad illius omissionem, saluatur in amore libertas

73 *Cõtra 1.* Sed contra primo: nam ideo amor, sui libertatem non destruit, quia simul secum conseruat omnia libertatis principia, quod si aliquod destrueret, v.c. indifferentiam iudicij, vel entitatem voluntatis, quæ ex parte actus primi exiguntur, suam libertatem euerteret; at

expe-

expeditio in actu primo, hoc est, negatio impedimenti essentialis, aut saltim præcisio ab illo, vel est libertatis forma, vel essentiale requisitum ex parte actus primi liberi: ergo vt actus suam libertatem conseruet, debet cum tali expeditione componi, vel si expeditio tollatur, quamuis liberé per actum, per ipsum sua libertas destruitur.

74 *Secũdo.* Contra secundo: nõ stat, Christum pro illo signo denominari liberé obedientem, nisi dicatur liber libertate contrarietatis; sed implicat dici liberum libertate contrarietatis: ergo implicat dici liberé obedientem præcepto. Minor constat: nam libertas contrarietatis consistit in potentia ad vtrumque contrarietatis extremum, scilicet, ad bonum, & malum; Christus autem pro illo signo non est, nec intelligitur potens peccare; & consequenter, nec liber libertate contrarietatis. Maior autem probatur: nam Christus pro signo vnionis, est, & dicitur liber à libertate humanitatis pro signo antecedente vnionem; sed libertas humanitatis pro illo signo est libertas cõtrarietatis iuxta solutionis doctrinam: ergo si esset pro illo signo liber à libertate humanitatis pro signo antecedente vnionem, esset, & diceretur liber libertate contrarietatis.

75 *Respõdebis.* Respondebant, Christum dici liberum à libertate contrarietatis, & hoc probatione facta conuinci, non autem dici liberum libertate cõtrarietatis; quia istius denominationis capax non est ob impotentiam peccandi. Sed contra primo. *Cõtra* 1. implicat concretum liberum, vel subiectum denominatum liberum à libertate contradictionis, quod non sit liberum libertate contradictionis, sicut implicat concretum libertatis, non liberum & subiectum denominatum à libertate, quod liberum non dicatur, & sit: ergo pariter implicat, Christum dici liberum à libertate contrarietatis & non esse liberum libertate contrarietatis.

76 *Secũdo.* Secundo: nam Christus pro signo vnionis denominatur à libertate contrarietatis cõueniente humanitati pro signo antecedente vnionem: ergo vel denominatur liber libertate contrarietatis, vel libertate contradictionis. Patet consequentia: non enim est alius modus libertatis possibilis; & consequenter, nec est possibilis alius modus denominationis: nam denominatio, cum realis sit, sumitur ab eo, quod est; tunc vltra, si dicatur primũ, sequitur denominari potentem peccare, quod pro signo vnionis implicat, si asseratur secundum: ergo est possibilis libertas contradictionis præsupposito præcepto in supposito incapaci peccandi, quæ non inuoluat libertatem contrarietatis; ac proinde per hanc solum distinctionem absque fuga ad libertatem contrarietatis conuenientem humanitati pro signo antecedente vnionem componitur Christi libertas cum illius impeccabilitate.

Dicebant, habitum charitatis in sententia Thomistarum esse liberum; & tamen, nec est liber libertate contrarietatis, nec contradictionis; cum nõ sit principium odij, nec omissionis amoris: ergo ista consequentia non valet: *Christus pro signo vnionis humanitatis ad Verbum est liber: ergo libertate contrarietatis, vel libertate contradictionis.* Sed contra: nam eo modo, quo habitus charitatis à Thomistis liber adstruitur, conceditur ei libertas contrarietatis, & contradictionis: ergo instãtia nulla est. Probatur antecedens: nam charitas dicitur à nobis libera libertate virtutis, ad quem modũ libertatis nõ petitur, quod ipsa præbeat, ad vtrumque extremum posse, sed quod præstet proximam potentiam ad amorem, & in voluntate relinquat potentiam ad oppositum amoris, sed relinquit potentiam, non solum ad omissionem, sed etiam ad odium in voluntate, quamuis, nec ad odium, nec ad omissionem præstet virtutem: ergo eo modo quo à nobis conceditur habitui charitatis libertas, conceditur illi libertas contradictionis, & libertas contrarietatis; & consequenter instantia cõtra Thomistas, adducitur extra rem.

77 *Respondebis.* *Contra.* *Quo modo charitati libertas.*

Sed dices: stat habitum charitatis esse liberum, quin possit in vtrumque extremum contradictionis, vel contrarietatis: ergo pariter stare poterit in Christo, quatenus homine, pro signo vnionis, libertas in obediendo, quin possit obedientiam omittere, vel cõtrarium actũ elicere. Respondeo, negando conse-

78 *Oppones.* *Respõdetur.*

quen-

quentiam. Ratio autem discriminis est: nam libertas charitatis, est libertas per modum virtutis, & non vt QVOD, sed vt QVO, ad quem modum libertatis nō petitur vis in vtrumque influxiué, sed sufficit vis ad influendum in vnum, permittendo potentiæ, cuius est virtus facultatem ad influendum in alia, libertas autem, quæ conuenire debet Christo, est, tanquam subiecto vt QVOD libero, ad quem modum libertatis, imo etiam ad libertatem potentiæ exigitur, quod positiué possit ad vtrumque extremum concurrere: vnde sicut ex libertate charitatis, non sequitur, posse dari voluntatem liberam, absque facultate ad vtrumque extremum libertatis, ita nec id potest colligi, loquendo de libertate Christi.

79 *Deinde principalis solutio reijcitur.*

Deinde contra principalem solutionem arguitur. Nam Suarez, cuius sententiam defendunt, non admittit in humanitate potentiam expeditam ad peccandum pro signo antecedenti ad vnionem, sed cum communi sententia tuetur humanitatem Christi fuisse impeccabilem omnino, imo, vt superius notabam, etsi aliqui Recentiores sentiant, potuisse humanitatem in alia decretorum serié taliter Verbo vniri, vt pro priori naturæ haberet potentiam expeditam ad peccandum in sensu diuiso vnionis, hoc est, peccato destruente, vel impediente vnionem; nullus tamen docet, ita de facto contingere: ergo nō potest sententia Patris Suarez solutione data defendi.

80 *Deniq; reijcitur solutio.*

Denique: nam sequitur ex solutionis doctrina, Christum, vt hominem, non solum fuisse liberum in adimpletione præcepti positiui moriendi, sed etiam in adimpletione præceptorum naturalium, v. c. non menciendi, & non odio habendi Deum; cōsequens expressé aduersatur sententiæ Patris Suarez, imo, & omnium Doctorum Societatis: ergo & tradita solutio. Minor est certa, cum expressé præfati Auctores doceāt, Christum non meruisse in non menciē do, nec in negatione odij Dei, nisi quatenus per actum positivum illas negationes voluit, eo quod negationes odij, & mendacij non fuerunt liberæ Christo. Sequela vero probatur: quia namque humanitas Christi pro signo antecedente vnionem fuit potens ad mortem, & negationem mortis, vt cōpositam cum præcepto moriēdi, Christus, vt homo, in signo vnionis dicitur liberé obediens præcepto positiuo moriendi; sed si humanitas pro signo antecedente vnionem esset potens ad omissionem mortis, vt compositam cum præcepto, eriā esset pro tali signo potens mentiri, & odio Deum habere: ergo si ratione potentiæ ad omissionem mortis culpabilem conuenientem humanitati Christi in illo signo, dicitur Christus liberé obediens præcepto positiuo moriendi, etiam dicetur liberé obediens præceptis naturalibus negatiuis non menciēdi, & non odio habendi Deum. Consequentia tenet. Maior continet solutionis doctrinam. Minorem autem probo: ideo humanitas pro signo antecedente vnionē est potens omittere mortem omissione culpabili, quia de se potens est ad prædictam omissionem, & pro illo signo nō intelligitur vnio, quæ sola illam impedire potest; sed etiam de se est potens in mendacium, & odium diuinum, & pro illo priori præscinditur ab vnione impediente potentiam ad prædictos actus: ergo si humanitas pro signo antecedente vnionem esset potens ad omissionem culpabilem mortis, etiam esset potens ad mendacium, & odium prohibita lege naturali negatiua non menciendi, & Deum odio non habendi. Mitto plura, quibus *supra* arguebamus, probantes non posse conuenire humanitati Christi potentiam expeditam peccandi, quæ de Christo, vt homine, non prædicetur, quæ etiam militant contra istam solutionē.

(?) (§) (✠)

## §. IV.

### *Traditur, & defenditur vera rationis dubitandi solutio.*

81 *Vera solutio rationis dubitandi.*

HIs igitur modis dicendi relictis, ad rationem dubitandi respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: non posset in actum, nec in negationem oppositam actui consiliato, & magis Deo placenti, potentia cōsequenti, & in sensu composito, concedo minorem: potentia antecedenti, & in sensu diuiso, nego minorem, & consequentiam. Vt enim suppsito consilio de aliquo actu eliciendo, & maiori beneplacito Dei, Christus sit liber in actu consiliato, & magis Deo placente eliciendo, non requiritur, quod posit in negationem actus consiliati potentia consequenti & in sensu composito consilij, & maioris beneplaciti Dei, sed sufficit, quod posit in oppositum, scilicet, in negationem actus consiliati potentia antecedenti, & in sensu diuiso; Christus autem, etsi potentiam consequentem non habeat in prædictam negationem, nec illam posit cum consilio Dei, & cum maiori ipsius beneplacito componere, habet tamen potentiam antecedentem ad illam in sensu diuiso, & ideo cum impotentia recedēdi à consilio, & maiori Dei beneplacito, subsistit in ipso libertas. Ad probationem sequelæ, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, concesso antecedenti, nego cōsequentiam. Quia actualis negatio actu existens componitur cum consilio actus, & ideo est actualis discessus à consilio, & à maiori beneplacito De; in consequenti autem fit sensus diuisus, & ideo potentia ad negationem actus consiliati non est potentia discedendi à consilio diuino, nec discordandi à maiori beneplacito Dei.

82 Vel claritatis gratia, distinguo consequens: si posset potentia consequenti, & in sensu composito, concedo consequentiam: si posset potentia antecedēti, & in sensu diuiso, nego cōsequentiā. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: quod præstat actu negatio actus existens, præstat posibiliter, negatio posibilis, posibilitate consequenti, & in sensu composito, concedo antecedens: negatio posibilis posibilitate antecedenti, & in sensu diuiso, nego antecedens, & distinguo consequens: negatio posibilis potentia consequenti, & in sensu composito, est posibilis recessus à consilio, & maiori beneplacito Dei, concedo consequentiam: negatio actus consiliati posibilis posibilitate antecedenti, & in sensu diuiso, est posibilis recessus à consilio, & maiori beneplacito Dei, nego consequentiam. Sicut ista consequentia non valet: *Negatio consensus actu existens præsuppositæ efficaci præmotione, est actualis præmotionis frustratio: ergo si præmotione suppositā, est posibilis negatio consensus, est posibilis frustratio efficacis præmotionis*; nec ista consequentia valet: *Negatio actus præsciti à Deo actu existens, est actualis falsificatio scientiæ diuinæ: ergo negatio actus à Deo præsciti suppositæ scientia posibilis, est posibilis falsificatio scientiæ.* Antecedens namque est verum, & consequens falsum in omnium Theologorum sententia.

*Explicatur potēta antecedēs, et consequēs, sēsus compositus, & diuisus.*

Et ratio omnium est; quia in actuali existentia negationis, non præscinditur ab vllo accidenti, & quia suppositā physica præmotione ad consensum, negatio consensus habet ex accidēti adiunctum, quod sit physicē præmotionis frustratio, & negatio actus præsciti habet ex accidenti adiunctum, quod sit diuinæ scientiæ falsificatio; fit, vt si actu existerent, actu frustrarent physicā præmotionem, & actu falsificarent scientiā; potentia autem antecedens est præcisiua ab his, quæ ex accidenti conueniunt negationi actus, & solum illam respicit secundum sibi essentialia: vnde ad illam tendit, non vt coniūctam cum scientia, nec cū physica præmotione, nec cum præcepto, aut consilio, sed ab his præscindendo; & ideo negatio actus præsciti, vt posibilis potentia antecedenti, nō

83 *Ratio distinctionis traditur*

est

est posibilis falsificatio sciētiæ, negatio cōsensus, vt posibilis, non est posibilis frustratio decreti, aut præmotionis efficacis, nec negatio actus consiliati, vt terminans potentiam antecedentem, & vt posibilis potentia antecedenti, est posibilis discessus à consilio: quia in discessu à consilio importatur negatio actus consiliati, vt coniuncta cum consilio, non autem est posibilis, vt coniuncta cum consilio, sed præcisiué, aut diuisiué ab illo.

84 *Replicabis.* Sed dices: ideo Christus non est potens ad negationem actus consiliati in sensu composito consiliï, quia non potest negationem cum consilio componere, sed nec potest negationem actus consiliati à consilio diuidere: ergo nō potest in negationem actus consiliati in sensu diuiso. Minor probatur: posse diuidere negationem actus à consilio, est posse componere negationem actus, cum non esse consiliï; sed Christus non est potens componere negationem actus consiliati, cum non esse consiliï: ergo non potest negationem actus à consilio diuidere. Probatur minor: posse componere negationem actus; cum nō esse consiliï, est posse vtrumque ponere, scilicet, non esse actus, & non esse cōsiliï; sed Christus non habet potentiam ad ponendum non esse consiliï; cum supponamus consilium quoad esse non dependere à voluntate Christi: ergo non habet potentiam ad ponendam negationem actus consiliati, cum non esse consiliï.

85 *Respōd.* Respondeo, concesis maiori, & minori, distinguendo consequens: in sensu diuiso positiuo, concedo consequentiam: præcisiuo, nego consequentiam. Cui distinctioni nihil obstat probatio minoris: nam posse componere negationem actus consiliati; cum non esse præcepti, aut consiliï, est posse positiué diuidere, & posse ad negationem actus in sensu diuiso positiuo, quod posse ad libertatem in actu consiliato necessariū non est, sicut ad libertatem in actu efficaciter prædiffinīto, non est necessaria potentia ad omissionem actus, & ad nō esse prædiffinitionis efficacis, sed sufficit, potentia ad omissionem actus secundum se, nempé, vt coniungendam cum potentia, non vero ad illam, vt cōiungendam, nec vt positiué diuidēdam à prædiffinitione efficaci. Ita in præsenti, vt Christus consilio supposito liber sit in opere consiliato, non est necessaria potentia ad omissionem actus, & ad non esse consiliï, quæ est potentia positiué diuisiua omissionis à consilio, sed sufficit potentia ad omissionem actus consiliati secundum se, ideſt, secundum sua prædicata essentialia, qua ratione nō dicit coniunctionem cum consilio, nec cum non esse consiliï, sed ab vtroq; præscindit, & vtrumque illi potest accidere, & hæc potentia manet in Christo consilio supposito, & ideo illo supposito manet liber.

*Sens⁹ diuisus, alius positivus, ali⁹ præcisivus.*

86 *Instabis.* Sed dices: hic, & nunc consilio supposito implicat omissio actus consiliati, nisi vel coniuncta cum consilio, vel cum remotione consiliï: ergo non est omissio posibilis, nisi alterutro ex his modis; & consequenter non est dabilis potentia in Christo ad omissionem actus consiliati, nisi vel vt coniungendam cum consilio, vel cum non esse consiliï. Prima consequentia ex antecedēti colligitur. Secunda probatur: nam in Christo non est potentia ad omissionem actus impossibilem: ergo si est impossibilis sine aliquo ex illis modis, non est in potentia ad omissionem actus consiliati sine aliquo ex illis.

87 *Respōdetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: implicat ex terminis, nego antecedens: ex suppositione aliqua accidentali omissioni actus consiliati, nempé, consiliï, & indefectibilitatis moralis cōuenientis Christo, cōcedo antecedens, & distinguo consequens: non est posibilis omissio sine aliquo ex illis modis potentia consequenti, concedo consequentiam: posibilitate antecedenti, nego consequentiam. Nam licet id, quod implicat ex terminis non sit posibile, nec posibilitate cōsequenti, nec antecedenti, id tamen quod ex terminis non implicat, sed ex aliqua accidentali suppositione, quamuis nequeat esse posibile posibilitate potentiæ consequentis; quia hæc à nullo accidenti præscindit, potest tamē manere posibile posibilitate potētiæ antecedentis, quæ, quia practica perfectē non est, vtpotē nun-

quam

quam ad actum reducenda, terminatur ad actum, vel ad eius omissionem, illaque respicit secundum prædicata essentialia præcisiué ab his, quæ accidentaliter illis conueniunt.

88 *Vrgebis.* Sed instabis; quamuis non implicet ex terminis omissio actus consiliati, sine aliquo ex illis modis; supposito tamen consilio in voluntate Christi moraliter indefectibili, implicat omissio operis consiliati sine remotione consilij; sed non stat potentia ad actum, vel ad omissionem actus sine facultate ad omne essentialiter requisitum ad illorum existentiam: ergo consilio supposito non datur in Christo potentia ad omissionem operis consiliati. Patet cõsequentia; non enim est in illo potentia ad remouendum consilium, cuius non existentia ad omissionem requiritur.

89 *Cõfirmabis 1.* Et vrgebis: implicat ex terminis omissio actus consiliati, nisi coniuncta cum consilio, vel cum non esse consilij; sed ad implicans ex terminis nulla datur potentia, nec consequens, nec antecedens: ergo non est dabilis potentia, etiam antecedens ad omissionem operis consiliati, nisi vt coniunctam cum consilio, vel cum non esse consilij; sed in Christo non est potentia ad omissionem operis consiliati, vt coniunctam cum consilio; aliàs esset potens ad consilij transgressionem, nec vt coniunctã, cum non esse consilij; aliàs posset ponere non esse consilij; & consequenter posset consilium à se remouere, cuius contrarium supponimus: ergo consilio supposito non datur in Christo potentia, adhuc antecedens, ad omissionem actus præconsiliati.

90 *Cõfirmabis 2.* Confirmabis, & vrgebis secundo: quia implicat prædeterminatio Dei in voluntate creata sine huius determinatione, implicat Deũ posse efficere præmotionem sine potentia effectiua determinationis voluntatis creatæ; sed implicat in voluntate Christi indefectibili omissio operis consiliati, sine remotione consilij: ergo implicat in voluntate Christi potentia ad omissionem operis consiliati sine potentia ad remouendum consilium.

Respondeo, distinguendo maiorem: implicatione orta ex concepti essentialis omissionis, nego maiorem: orta ex aliquo accidentali omissioni, nempé, ex indefectibilitate Christi morali, concedo maiorem, & distinguo minorem: non stat potentia ad omissionem sine potentia ad requisitum exactum ex terminis omissionis, transeat minor: ad requisitum non exactum ab illa de se, sed ex adiuncto accidẽti, nego minorem, & consequentiam. Quod enim omissio nequeat existere in Christo sine remotione consilij, non nascitur ex exigentia essentiali omissionis operis consiliati, sed ex indefectibilitate morali voluntatis Christi; & ideò est dabilis potentia antecedens ad omissionem operis consiliati sine potentia antecedenti ad remouendum consilium.

91 *Respõdetur.*

Ad primam confirmationem, cõcesso antecedenti, & prima consequentia, nego secundam partem minoris sub sumptæ: potentia enim, quæ in Christo datur, est ad omissionem operis cõsiliati coniungendam cum non esse cõsilij, nec ad hoc requiritur potentia in Christo ad consilium remouendum, sed sufficit, quod remotio consilij possit à Deo prouenire, sicut vt saluetur in volũtate prædeterminata ad cõsensum, potentia ad negationem consensus, vt coniungendam cum non esse physicæ prædeterminationis, non est necessaria potentia ad remouendum à se physicam prædeterminationem, sed sufficit, quod hæc possit remoueri à Deo, quam uis remotio physicæ prædeterminationis essentialiter requiratur ad negationem consensus ex suppositione existentiæ physicæ prædeterminationis: ergo à fortiori sufficiet ad possibilitatem omissionis in voluntate Christi, vt coniungendam cum non esse consilij, quod consilium, quod supponitur, possit remoueri à Deo; cum remotio consilij non sit exacta essentialiter ab omissione operis consiliati secundum se, sed ratione indefectibilitatis moralis conuenientis humanitati Christi.

92 *Ad 1. cõfirmationem.*

Ad secundam confirmationem, nego causalem maioris, vt adæquatam; sed ratio adæquata est, quia Deo

93 *Ad secũdam.*

conuenit potentia primi agentis, de cuius conceptu est, quod nullum requisitum essentiale non subsit eius potentiæ positiué, aut permisiué; potentia autem voluntatis Christi non est primi agentis alij non subordinati, sed agentis secundi, de cuius conceptu non est, posse activum in omne requisitum ad existentiam actus, vel omissionis actus: vnde sicut hac ratione voluntas creata actiué continet actum sine actiua continentia prædeterminationis physicæ ad actum essentialiter requisitæ ad illum, & semel prædeterminata ad consensum, continet actiué in actu primo liberam omissionem consensus sine continentia actiua negationis physicæ prædeterminationis ad consensum; quod tamen essentialiter requiritur ad negationem consensus, quia nempe, est continentia causæ secundæ alteri subordinatæ, de cuius ratione non est continentia omnis requisiti essentialis, quamuis Deus ex conceptu primi agentis non possit vnum continere, & non alterum: ita & eadem ratione est dabilis in voluntate Christi creata potentia ad omissionem operis consiliati sine potentia ad remouendum consilium, quamuis hæc remotio necessaria sit ex suppositione consilij, & indefectibilitatis humanitati Christi conuenientis. Hæc, & alia fusé prosequemur *tractatu de Merito Christi*, de illius præcepto agentes, vbi plura contra illam obijciemus, & diluemus.

94 *Contra nostrã resolutionem arguitur 1. & replicatur cõtradicta*

Modo tamen contra resolutionem istam arguitur primo: Christus namque necessitatus erat ad sequẽdum maius Dei beneplacitum, ita vt nec physicé posset ab illo recedere, vt constat ex dictis; sed certo per visionem beatificam iudicabat Deo esse gratius opus consiliatum ex equi, quam illud omittere: ergo erat necessitatus ad opus consiliatum à Deo, & impotens physicé ad illius omissionem; & consequenter non liberé, sed necessario, & naturaliter consilijs obsequebatur.

*Respõdetur.*

Respondeo, distinguendo maiorem: erat necessitatus ad sequendum liberé maius beneplacitum Dei, concedo maiorem: ad sequendum naturaliter, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: necessitas namque sequendi maius beneplacitum Dei, quæ à nobis in Christo adstruitur, est iuxta conditionem, & qualitatem beneplaciti diuini; quia vt docet Divus Thomas *prima parte quæstione 19. articulo octauo ad quartum, & passim alibi*, posteriora habent necessitatem iuxta modum priorum; vnde, quod Deus vult, vt fiat liberé, necessum est, vt fiat, & quod liberé fiat: cum ergo maius beneplacitum Dei erga opus consiliatum sit operis quoad substantiam, & modum libertatis; fit consequens, quod licet Christus necessitatus sit ad illius executionem, necessitas hæc non tollat, sed potius inferat libertatem in executione operis consiliati.

95 *Replicabis.*

Sed dices: ad libertatem in opere consiliato requiritur potentia ad illius omissionem; sed cum necessitate sequendi maius beneplacitum Dei exequendo opus consilij, non manet in voluntate Christi potentia ad illius omissionem: ergo non manet libertas.

Minor, in qua sola est difficultas, probatur; vt voluntas possit omittere opus cõsilij, requiritur in intellectu iudicium practicum dictans talem omissionem; sed cum visione beatifica dictante esse in omnibus sequendum maius Dei beneplacitum, non stat iudicium dictans omissionem operis consiliati: ergo nec in voluntate Christi stat ad talem omissionem potestas.

96 *Respõdetur.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Cum enim vt *proximè* dicebamus, necessitas sequendi maius Dei beneplacitum sit necessitas illud liberé sequendi, ad quod requiritur potentia ad omissionem operis Deo magis placentis; fit consequens, quod cum tali necessitate, & libertas, & potentia ad omissionem subsistant, & ex illa inferantur. Ad probationem minoris dicatur: vt voluntas de facto velit omissionem operis consiliati, requiri iudicium dictans hic, & nunc omissionem

esse

esse appetendam; vt autem velit opus consiliatum cum potentia ad non volendum illud, quod ad libertatem sufficit, non est necessaria illius iudicij existentia, sed sufficit taliter opus exequēdum proponi, quod non proponatur cum omnimoda ratione boni, vt docet D. Thomas 1.2. quæst 10. art. 2. in corpore, ibi: *Si autem voluntati proponatur aliquod obiectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cuiuscumque boni habet rationem non boni, idcò solum illud bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo* Hæc Divus Thomas: ex quibus constat obiectionis factæ solutio; cum enim visio beatifica non proponat voluntati Christi opus consiliatum à Deo, vt habens omnimodam rationē boni; fit, quod taliter Christus velit opus, quod possit illud non velle; ac proinde, quod sit liber in illius executione, quamuis de facto non detur iudicium practicum dictans omissionem operis consiliati, vt hic, & nunc à voluntate amplectendam.

D. Th.

97 *Instabis*

Instabis: licet ad possibilitatem omissionis non sit necessarium iudicium actu existēs dictans talem omissionem, requiritur tamen possibilitas huius iudicij; sed in Christo non erat possibile iudicium dictans omissionem operis consiliati: ergo nec omissio illius erat possibilis; & consequenter non fuit liber in eius executione. Maior cum cōsequentia tenet.

*Minor prob. 1.*

Minor autem ostenditur primo: Christo namque erat impossibile iudicium imprudens; & consequenter omne iudicium, quod erat Christo possibile debebat esse, iuxta regulas prudentiæ, quod petit terminari ad obiectum sub omnibus circunstantijs hic, & nunc circunstantibus ipsum; sed non poterat Christo proponi omissio operis consiliati, vt hic, & nunc amplectenda sub omnibus circunstantijs; cum vna circūstantia sit oppositio cum consilio, sub qua proponi non potest, nec à voluntate Christi amari: ergo iudicium dictans omissionem operis cōsiliati, non solum de facto non extitit, sed etiam fuit impossibile. Secundo probatur minor: iudicium dictans opus consiliatum, simul esse non potest cum iudicio dictāte illius omissionem; cum sint contraria, vel contradictoria, aut priuatiuè oppositа *obiectiuè*; sed si supposita visione beatifica dictante opus consiliatum, esset possibile iudicium dictās hic, & nunc omissionem illius, simul esse possent hæc duo iudicia: ergo iudicium dictans hic, & nunc omissionem amoris non est possibile. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; visio dictans opus consiliatum hic, & nunc esse exequendum, non potest reuocari; cum visio immutabilis sit, non solum erga obiectum primariū, sed etiam circa secundarium, vt docetur 1 p. q. 12. art 7 & 8 ergo si visione supposita, esset possibile iudicium dictans omissiōnem, posset componi cum iudicio dictante opus consiliatum, vt hic, & nunc exequendum.

*Secūdo prob.*

98 *Respōd. Ad primā probationē minoris.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationē dicatur: ad possibilitatem antecedentē omissionis, non requiri possibilitatem consequentem iudicij illam regularis, sed sufficere, quod tale iudicium sit possibile possibilitate antecedenti, & hoc modo esse possibile iuxta regulas prudentiæ, nec respicit circunstantias hic, & nunc per accidens omissioni adiunctas, qualis est oppositio cum consilio, sed circunstantias intrinsecé ab omissione petitas; licet autem inspectis omnibus circunstantijs hic, & nunc circunstantibus opus sub consilio existēs, imprudens esset iudicium dictans hic, & nunc illius omissionem; inspectis autem illis tantùm, quæ per se ab obiecto exiguntur, posset illius omissio, vt prosequenda prudenter proponi.

99 *Ad secūdam.*

Ad secundam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: si tale iudicium maneret supposita visione, possibile ex omni capite, concedo minorem: si maneret possibile non ex omni capite, sed attentis meritis obiecti, nego minorem, & distinguo consequēs distinctione minoris: solum enim sequitur tale iudicium non manere vndequaque possibile, quod verum est;

redditur enim impossibile ob conditionem, & naturam visionis beatificæ, quæ immutabilis est; non autem, quod non sit possibile inspectis obiecti meritis; si namque hæc sola inspiciantur, possibile manet iudicium dictans hic, & nũc omissionem operis consiliati; cum enim in illo plenitudo bonitatis non sit, sicut ob hanc causam non potest voluntatem necessario rapere, nec impossibilem reddere omissionem amoris ad ipsum terminati: ita non potest necessitare intellectum, nec reddere impossibile iudicium dictans omissionem operis consiliati, & hoc sufficit vt omissio sit possibilis possibilitate sufficiente ad libertatem actus terminati ad opus consiliatum.

100 *Vrgebis.* Sed vrgebis adhuc; eo ipso, quod ex aliquo capite sit impossibile iudicium dictans omissionem operis consiliati, est ex eodem capite impossibilis omissio: ergo si ex cõditione immutabilitatis visionis redditur impossibile iudicium dictans hic, & nunc omissionẽ operis consiliati, est impossibilis ex eodem capite omissio; at cum impossibilitate omissionis ex hoc capite proueniẽte, non stat libertas in executione operis consiliati: ergo supposita visione beatifica dictante opus consiliatum, non stat libertas in illius executione. *Minor prob.* Minor subsumpta, in qua sola est posita difficultas, probatur: eo ipso, quod ex conditione immutabilitatis visionis, sit impossibilis omissio operis consiliati, est necessarium opus consiliatum ex eadẽ conditione; sed cum hac necessitate orta ex immutabilitate visionis, non stat in opere consiliato libertas: ergo cum impossibilitate omissionis orta ex immutabilitate visionis, non stat libertas in executione operis consiliati. Probatur minor: necessitas orta ex aliquo se tenẽte ex parte actus primi nobis non libero, nec ad nostram libertatem subsequuto, inducit necessitatem simpliciter incompatibilem cum libertate, quo circa visio beatifica non compatitur cum libertate amoris; quia necessario illum infert, & ex parte actus primi se tenet; sed visio beatifica dictans opus consiliatum, in Christi potestate non erat, nec ad eius libertatem subsequebatur; & aliàs ex parte actus primi se tenet: nam apprehensio obiecti, & illius propositio ex parte actus primi ad actum voluntatis concurrit: ergo necessitas orta ex conditione visionis, inducit in actum, quem regulat necessitatem simpliciter cum illius libertate incompatibilem.

101 *Respõdetur.* Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, negando minorem subsumptam. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: si oriatur ex parte actus primi secundum id, quod in illo per se exigitur ab actu secundo, concedo maiorem: si oriatur ex aliquo non exacto ab actu secundo, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam opus consiliatum, & illius amornõ petit per se immutabilitatem visionis, sed tãtùm illam exigit, vt proponentẽ obiectum, in quo; cum plenitudo bonitatis nõ adsit, non inuenitur aliquid ad sui amorem necessitans, nec in visione, vt ipsum proponente; licet quia visio immutabilis est, non possit omissio operis consiliati executioni mandari ob impossibilitatem iudiciĩ ipsam regulantis ortam, non ex meritis obiecti, sed ex conditione visionis ab opere non exacta. Et quidem ex suppositione, quod Deus iudicauerit conueniens, hic, & nunc amare Petrum, non potest reuocare cõsilium, nec ab amore semel habito cessare; & tamen talis amor est Deo liber, quia iudiciĩ oppositi impossibilitas non nascitur ex conditione obiecti, sed ex conditione subiecti, quod immutabile est.

102 *Secũdo arg.* Secundo contra eandem solutionem arguitur; vt Christus liberẽ exequatur opus consiliatum à Deo, requiritur potentia antecedens ad omissionem operis consiliati, vt coniungẽdam cum potentia expedita per modum actus primi ad obsequendum consilio; sed talis potentia non datur: ergo nec libertas in executione operis consiliati. Maior constat: si namque auxilium efficax non relinqueret in voluntate potẽtiam antecedentem ad negationem cõsensus, vt coniungendã cũ voluntate, vt in actu primo potente expedite consentire, non saluaret libertatem. Item si

voluntas sub gratia sufficiente non haberet potentiam ad negationem consensus, vt cum illa coniungendam, libera non remaneret: ergo ad saluādā libertatem in Christo in opere consiliato, necessaria est potentia ad illius omissionem, vt coniungibilem cum actu primo expedito ad obsequēdum consilio.

*Minor prob.* Minor autem probatur: voluntas Christi non intelligitur expedita per modū actus primi ad opus ex consilio exequēdum, nisi vt regulata cognitione proponente consilium; sed non potest ad negationem operis consiliati, vt coniungibilem cum cognitione proponente consilium; aliàs posset ad illam sub conceptu priuationis, & vt est moraliter imperfecta: ergo non est in Christo potentia ad omissionem operis consiliati, vt coniungibilem cum actu primo expedito ad obsequendum consilio. Maior autem probatur: voluntas nō est potens in actu primo proximo, & expedito ad amorem obiecti, nisi complea. tur cognitione obiecti propositi; sed opus, vt consiliatum, est obiectum voluntatis, vt ex consilio operantis: ergo non est potens expedite in actu primo ad obsequendum consilio, & ad operandum ex illo, nisi media cognitione operis, vt consiliati.

**103** *Cōfirmatur.* Quod amplius vrgetur: quia namque præceptum superioris est obiectū formale obedientiæ strictè sumptæ, nō stat voluntatem esse proximè expeditè potentem ad obediendum, nisi præsuppositā cognitione præcepti; sed consilium superioris est formale obiectum actus exequentis consilia: ergo non stat voluntatem esse proximè expeditè potentem ad exequendum consilium, & operandum ex illo, nisi præuia cognitione cōsiliāte, operisque, vt consiliati.

**104** *Respōdetur.* Respondeo, vt Christus liberè ex consilio operetur, v. c. vt liberè non petat dispensationem consilij, quod sub consilio fuisse, supponimus, vel vt liberè ieiunaret, quod etiam supponimus, fuisse Christo, saltim sub consilio præscriptum, sufficere potentiam antecedē tem ad omissionem ieiunij sumptam purè *negatiuè*, vt coniungibilem cum actu primo expedito expeditione essentialiter exacta à bonitate ieiunij sic sumpta; licet autem cognitio de facto regulans in Christo volitionem ieiunandi, ieiunium vt consiliatum supponat; omissio tamen ieiunij sumpta purè *negatiuè*, qua ratione est terminus potentiæ antecedentis, quam in Christo constituimus, vt saluetur in ieiunando libertas, cognitionem illam, vt proponentem consilium, & ieiunium vt consiliatum, essentialiter non petit, sed præcisè quoad substantiam cognitionis, hoc est, vt terminatam ad ieiuniū quoad substantiam: ac proinde sufficit potentia in Christo ad omissionem ieiunij, vt coniungibilem cum cognitione, vt proponente ieiunium quoad substantiam præcisiuè ab eadem cognitione, vt attingente consilium, & proponente ieiunium, vt consiliatum, vt saluetur in Christo libertas in ieiunando. Nec ex tali potentia sequitur in Christo potentia ad omissionem ieiunij, vt imperfectam moraliter; hoc enim conuenit omissioni ieiunij ex coniunctione ad cōsilium de ieiunando, à qua coniunctione præscindit potentia Christi antecedens.

**105** *Replicabis.* Sed dices: libertas quam in Christo constituimus, est ad ieiunandum ex cōsilio, & ad obsequendum illi: ergo potentia ad omissionem ieiunij debet esse ad illam, vt coniungendam cum omni expediente ad ieiunandum ex motiuo obsequendi consilio; sed ad sic ieiunandum expeditur voluntas media cognitione operis, vt consiliati: ergo debet esse in Christo potentia ad coniungendam omissionem ieiunij cum cognitione, vt proponente ieiunium, quatenus consiliatum.

*Respōd.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam ieiunio vt ex consilio exequendo, duo opponuntur extrema, scilicet, priuatiuum, & negativum: vnde potentia solum ad extremum negativum sufficit ad libertatem in ieiunando ex consilio, & quia tale negativum non petit essentialiter pro regula cognitionem, vt proponente ieiunium, vt consiliatū, sed solum vt proponentē ieiunium quoad suam substantiam; fit, quod non requiratur potentia ad coniungendam omissionem ieiunij cum cognitione, vt proponente

*Potētia antecedens ad extremū negatiuū sufficit ad libertatem.*

consilium, nec opus vt consiliatum formaliter, sed tantum cum cognitione, vt proponente substantiam ieiunij *praecisivè* ab accidenti coniunctionis cum consilio.

106 *Instabis.* Instabis: debet esse potentia ad omissionem ieiunij prout hic, & nunc potentem egredi ab hac potentia expedita, & prout hic, & nunc conungibilem cum illa; sed hic, & nunc expeditur cognitione, vt proponente consilium: ergo debet esse potentia ad omissionē ieiunij, vt coniungibilem cum cognitione, vt proponente cōsilium, & opus consiliatum formaliter.

107 *Respōdetur.* Respondeo, distinguendo maiorē: sumpto hic, & nunc, vt mensurat substantiam operis ieiunandi, & omissionis ieiunij, & potentiam voluntatis, & cognitionem ieiunij quoad substantiam, cōcedo maiorem: sumpto hic, & nunc adæquatè, vt mensurante accidentia, scilicet consilium, accidens operi, rationem priuationis accidentem omissioni ieiunij, & cognitionem, vt terminatam ad consilium, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam hic, & nunc potest dupliciter sumi. Primo *inadæquatè*, prout, scilicet, mensurat voluntatem quoad substantiam; opus etiam consiliatū, & illius cognitionem substantialiter inspecta, & vt potens mensurare omissionem operis consiliati secundum substantiam sumpti. Secundo; vt mensurat accidentia, quæ hic, & nunc voluntatem, & opus consiliatum circunstant, quorum vnum est consilium, & alterum eius cognitio: igitur potentia antecedens, quam in Christo hic, & nunc volente ieiunare constituimus, vt liberè ieiunium exerceat, terminatur ad omissionem ieiunij, vt hic, & nunc coniungibilem cum voluntate, non secundum omnia, quæ de facto mensurantur ab hoc instanti, vel tempore, sed secundum substantialia: ac proinde respicit illam, vt coniungibilem cum voluntate, non autem cum consilio, & cum cognitione operis quoad substantiam, non autem cum cognitione, vt terminata ad consilium, nec ad opus, quatenus consiliatum formaliter.

108 Tertio arguitur, & replicatur contra dicta: nam ex dictis sequitur, Christum non fuisse liberum in actu obediētiæ formali: consequens non admittemus: ergo hucusque dicta ruunt. Probatur sequela primo: inde namque in Christo componimus libertatem in ieiunando ex consilio, quia datur in illo potentia antecedens terminata ad omissionem ieiunij sub conceptu negationis *præcisivè* à ratione priuationis, & à coniunctione cum consilio, quæ ex accidēti tali omissioni conueniunt; sed carentia actus obedientiæ formalis, est essentialiter priuatio: ergo non est dabilis potentia antecedens ad illam sub conceptu negationis præscindens à conceptu priuationis; cumque potentia ad illam sub conceptu priuationis repugnet voluntati Christi; aliàs posset potentia antecedenti peccare, non dabitur in Christo potentia antecedens ad omissionem actus obedientiæ formalis: ac per consequens in tali actu non fuit liber. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: actus obedientiæ supponit essentialiter præceptum; cum sit illius obiectum formale, & consequenter est essentialiter debitus: ergo omissio actus obedientiæ formalis est essentialiter carentia formæ debitæ; & consequenter est priuatio essentialiter.

*Tertio arg. & replicatur contra dicta.* *Sequela prob.*

109 *Secundo.* Secundo probatur sequela: omissio actus obedientiæ, vt libera, petit essentialiter ex parte actus primi cognitionem præcepti: ergo potentia ad illam, vt liberam, quæ exigitur ad liberè obediendum de facto, est potentia ad illam, vt coniungibilem cum cognitione præcepti. Antecedens probatur: sicut negatio amoris supernaturalis, vt libera, petit potentiam expeditam ad amorem: ita negatio actus obedientiæ, vt libera, petit potentiam per modum actus primi expeditam ad actum obedientiæ; sed potentia expedita ad actum obedientiæ essentialiter petit cognitionem præcepti: ergo omissio actus obedientiæ, vt libera, essentialiter petit ex parte actus primi cognitionē præceptī. Probatur minor: voluntas nō intelligitur expeditè potens ad actū, nisi media cognitione obiecti; sed obiectū actꝰ obediētiæ est præceptū superioris: ergo nō intelligitur volutas expedita per mo

dum

dum actus primi ad actum obedientiæ, nisi media cognitione præcepti.

110 *Respõdetur. Ad 1. probationẽ sequelæ.*

Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, distinguo antecedens: essentialiter supponit præceptum, vt obligans ad ipsum actum obedientiæ, nego antecedens: vt obligans ad materiam præceptam, quæ est obiectum obedientiæ, concedo antecedens, & nego consequentiam. quia vt ipse actus obedientiæ esset essentialiter debitus, oportebat, quod essentialiter postularet præceptum, vt obligans ad ipsum, & ad illius exercitium: hoc autem ita non est: nam præceptum à superiori impositum, v. g. ieiunandi, solo ieiunio impletur, quod, si inferior ieiunet ex motiuo obediendi, exercet actum obedientiæ, non tamen obligatus erat ad actum obedientiæ exercendum, sed solum ad ieiunandum: licet ergo actus obedientiæ essentialiter supponat cognitionem præcepti, non sequitur, esse debitum essentialiter; ac proinde nõ infertur conceptum priuationis esse, illius omissioni essentialiter annexum.

*Actus obedientiæ supponit essentialiter præceptũ vt obligans ad materiã præceptã nõ ad ipsũ actũ obedientiæ.*

111 *Ad 2. probationẽ respond.*

Et ex his ad secundam sequelæ probationem constat solutio: licet enim actus obediẽtiæ essentialiter petat cognitionem præcepti obligantis ad materiam præceptam, non tamen supponit essentialiter cognitionem præcepti obligantis ad ipsum actum obedientiæ: ex quo solum sequitur omissionem actus obedientiæ sumptam *negatiuè*, vt liberam essentialiter exigere ex parte principij cognitionem præcepti obligantis ad materiam præceptam, ipsam que vt præceptam voluntati proponentem, non vero cognitionem præcepti obligantis ad actum, cuius est negatio, & cum cognitione præcepti ad materiã obedientiæ obligantis, non verò ad actũ obedientiæ formalem, bené potest in Christo coniungi omissio actus obedientiæ formalis. Et si supponamus, actum obedientiæ Christo præceptum non fuisse, sed solam substantiam mortis, poset negatio actus obedientiæ cõiungi cum præcepto mortis subeundæ, & cum cognitione illius.

112 Sed dices: ergo casu in quo actus formalis obedientiæ præciperetur Christo, non maneret liber in obediendo. Probatur sequela primo: nam illi actui est essentialis obligatio. ergo negatio illius essentialiter esset priuatio: ergo nõ posset dari in Christo potentia ad talem negationem sumptam *negatiuè* & non *priuatiuè*. Secundo probatur sequela: ille actus essentialiter peteret pro regula cognitionem præceptĩ obligantis ad ipsum: ergo potentia ad negationem liberam talis actus, est potentia ad negationem actus, vt cõiungibilem cum cognitione præcepti obligantis ad ipsum; & consequenter esset potentia ad negationem sub conceptu priuationis, qua ratione non potest non esse peccaminosa. Antecedens probatur: actus ille peteret essentialiter pro regula cognitionem præcepti, sed non vt obligantis ad aliud; siquidem supponitur non præcipi aliud præter ipsum actum: ergo essentialiter petit pro regula cognitionẽ præceptĩ, vt obligantis ad ipsum.

*Replicabis. Sequela prob. 1.*

*Secũdo.*

113 *Respond. Ad 1. probationẽ sequelæ.*

Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem, nego antecedens. Nam licet Deus posit actum obedientiæ præcipere, & ad ipsum obligare, non tamen potest rerum essentias inuertere: ac proinde facere nequit, quod actui obedientiæ sit essentialis obligatio cadens in ipsum.

*Ad secũdam.*

Ad secundam probationem sequelæ, nego antecedens. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: cum enim actus obedientiæ habeat pro obiecto materiali rem præceptam, & pro motiuo, vel obiecto formali præceptum superioris, & actus sine vtroq; obiecto nequeat subsistere; & aliàs idẽ actus non possit supra se ipsum immediatè reflecti, necse ipsum habere pro obiecto, non potest præcipi actus obedientiæ interior, quin etiam aliquid, quod habeat pro obiecto præcipiatur, & licet omni actui obedientiæ essentiale sit præceptum, prout cadit supra materiam præceptam, nulli tamen actui obedientiæ est essentiale præceptum, vt cadens supra ipsum actum; vnde, casu in quo actus obediẽtiæ præciperetur, tali actui essentiale esset præceptu, vt cadẽs supra materiam præceptam, & cognitionem præcepti, vt obligantis ad mate-

*Nõ potest actus obedientiæ interior præcipi, nisi aliquid distinctũ præcipiatur.*

riam præceptam essentialiter ex parte actus primi supponeret, & illius omissio accepta sub conceptu negationis, qualiter est terminus potentiæ antecedētis posset cum prædicta negatione coniungi.

114 Præceptum autem, vt cadens supra ipsum actum, illi essentiale non esset, sed actui reflexo, quo Christus posset velle actum obedientiæ elicere; vnde actus ipse præceptus, non supponeret ex parte actus primi suppositione essentiali cognitionem præcepti, vt ad ipsum obligantis; vnde nec omissio illius *negatiuè* sumpta peteret posse cum tali cognitione coniungi; benè tamen id exigeret omissio actus reflexi, quo Christus vellet obedire: cæterum tali omissioni hæc coniunctio non repugnaret, quia cum actus reflexus sub tali præcepto non cadat, negatio actus reflexi cum cognitione præcepti obligantis ad actū directum, peccaminosa non esset, sicut negatio actus obedientiæ directi peccaminosa redditur ex coniunctione cum cognitione præcepti ad materiam præceptam obligantis.

## §. Vltimus.

### *Vltima obiectio diluitur, & explicatur, an Christus potuerit remisè, & minus perfectè operari?*

115 *Quarto arguitur.* QVARTO arguitur: potuit Christus elicere actum imperfectum omissō perfectiori, v. c. diligere Deum actu intensionis, vt quatuor, omissa intensione, vt octo; sed elicere actum intensiorem, supposita potentia expedita ad intensionis excessū, erat Christo sub consilio, & maius beneplacitum Dei: ergo potuit à consilio discordare, & à maiori Dei beneplacito discedere. Consequentia tenet. Minor videtur certa: non enim videtur, negari posse, Deo gratius esse cum maiori intensione, quam cum minori actum virtutis exercere; & consequēter etiam sub consilio cadere; cum sanum consilium sit, operari ea, quæ Deo sunt magis grata. Maior autem ostenditur primo: potuit enim Christus, vt homo, de potentia Dei absoluta omni morali perfectione carere; cum potuerit de potentia absoluta humanitas Verbo vniri, absque omni dono supernaturali gratiæ actuali, & habituali, imo & sine potentijs *proximè* operatiuis, in sententia illas realiter distinguente ab anima: ergo potuit etiam, casu in quo esset in actu primo expedito ad actum intensionis vt octo, cum minori intensione operari, omissa maiori. Si namque potuit omni morali perfectione actuali carere, cur non potuit carere maiori perfectione morali, actum cum minori perfectione eliciendo? *Maior probatur 1.*

116 *Secūdo.* Secundo probatur; potuit humanitas Christi, de potentia absoluta, constituta in actu primo ad virtuosè operandum, nunquam in actum secundum exire, Deo illi negante gratiam efficacem intrinsecè præmouentem, & ad actum applicantem; cum hæc non magis connectatur cū actu primo proximo operatiuo, quam facultates proximæ cum principio radicali operandi, quas, vt nunc supponimus, potuit Deus humanitati vnitæ negare, relinquendo illam solum radicaliter operatiuam: ergo voluntati Christi expeditæ in actu primo ad actum intensum vt octo, potuit Deus de potentia absoluta præbere gratiam efficacem, vt quatuor; & consequenter potuit humanitas Christi elicere actum minus intensum maiori intensione omissa.

117 *Tertio.* Tertio: nam Deus necessitatus non est, nec *physicè*, nec *moraliter* ad eligenda meliora, esto in electione melioris, & perfectioris obiecti maior inueniatur honestas, vt frequentius docetur à Theologis 1. p. q. 19. art. 3 & 3. p. q. 1. art 2 quo circa taliter incarnationem voluit, quod posset ipsam non velle, nō solum potentia physica, quod nullus potest negare: est enim veritas

fidei,

fidei, sed etiam potentia morali excludente omnem moralem necessitatem, vt frequentius *ibi* docetur: ergo potuit Christus, vt homo, de potentia Dei absoluta inter duo obiecta, minus perfectum eligere, & ex actibus magis, & minus perfectis in graduali intensione, elicere minus intensum, intensiori, & perfectiori omisso.

118 *Quarto.*

Denique eadem maior probatur: si non posset omisso actu perfectiori minus perfectum elicere, non operaretur liberé, sed necessario in omnib⁹ suis actibus; consequens absurdum est: ergo potuit actum minus perfectum efficere, actu perfectiori omisso. Probatur sequela primo: si non posset actum minus perfectum elicere omisso actu perfectiori, multo minus fuisset potens ad omissionem act⁹, vt ex terminis est manifestum; sed sine potentia in actu primo expedita ad operis omissionem stare nequit libertas: ergo si non potuisset actum minus perfectum elicere, omisso actu intensiori, & perfectiori in nullius actus elicientia esset liber. Secundo: si Deus nō posset min⁹ perfectum eligere, non esset liber in eligēdo, quo circa, vt fide certum asseritur, non fuisse *physicè* necessitatum ad volendam incarnationem; eo quod cum tali necessitate non potest componi, quod liberé camē assumpserit, & Incarnationem decreuerit, quod est contra fidem: ergo pariter, si Christus, quatenus homo, non posset opus minus perfectum efficere, intēsiori, & perfectiori omisso, non liberè, sed necessario operaretur.

*Sequela prob. 1.*

*Secūdo.*

119 *Respōdetur. Ad 1. probationē maioris.*

Respondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: supposito consilio, & maiori Dei beneplacito de actu intensiori, & perfectiori eliciendo, nego consequentiam: illis non suppositis, concedo consequentiam. Itaq; si humanitas Verbo vniretur sine vllo gratiæ dono, vt potuit de potentia absoluta, careret omni perfectione morali: hæc tamen carentia solum esset negatiua, non priuatiua imperfectio, quia illo statu supposito, non teneretur humanitas, nec præcepto, nec consilio ad aliquid operandum: ex quo solum sequitur, quod si consilium non detur de opere perfectiori eliciendo, nec Deo magis placeat, quod actum intensiorē eliciat, vel hoc maius beneplacitum Christo non manifestetur, possit actum remissum, & minus perfectum elicere omisso intensiori, & perfectiori, quod libenter fatemur; non autem, quod si consilium detur de actu perfectiori eliciendo, & maius Dei beneplacitū Christo, vt homini, manifestetur, quia consilio, & maiori beneplacito Dei Christo noto præsuppositis, esset imperfectio moralis priuatiua actum minus perfectum, & minus intensum elicere; secus autem si consilium de opere intensiori, & perfectiori non detur, nec maius Dei beneplacitum Christo manifestatum de opere perfectiori eliciendo; tūc enim erit tantum negatiua imperfectio Christo, non repugnans in casu de potētia absoluta, vt argumento facto probatur.

120 *Ad secūdam.*

Et ex his ad secundam maioris probationem, distinguo antecedens: si nec præceptum adsit, nec consilium operādi, concedo antecedens: si in operando detur, vel præceptum, vel consilium, nego antecedens, & consequentiam: quia supponimus Christum de facto habuisse consilium, vt si in actum secundum exiret, esset iuxta adæquatam gratiæ intensionem: hoc enim secundum se est Deo magis gratum; & cōsequenter à Deo cōsiliatum Christo supponitur, eo quod oppositum nō est reuelatum, ideoque non potuit Christus actum minus perfectum, & minus intensum elicere, omisso intensiori, & perfectiori. Si tamen de intensiori, perfectiorique operatione cōsiliū datū non fuisset, potuisset remisé operari, & actu feruentiori omisso in minus intensum prorumpere.

121 *Ad tertiam*

Ad tertiam concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam Deus cum superiorē non habeat, cuius præceptis obtēperet, aut cuius cōsilijs dirigatur, vel cuius beneplacito conformari teneatur, absque vlla imperfectione, vel physica, vel morali, *e*ligit minus perfectum, perfectiori relicto: Christus autem, vt homo, prima regula suæ moralis perfectionis nō est, sed Deo, vt superiori subijcitur, cui⁹

*Deo absque imperfectione eli*

præ-

*git min⁹ perfectū perfectio ri relicto, nō antē Christus. Aliorū solutio-*

præceptis tenetur, illiusque consilijs, maiorique beneplacito manifestato dirigitur; vnde sicut peccaret à præceptis discedēdo, ita esset moraliter imperfect⁹, si recederet à consilijs, & à maiori Dei beneplacito sibi noto, & manifesto. Alij negant consequentiam ducti alia discriminis ratione, quia nempé, omnes actus Dei sunt æquales in honestate morali quin ex diuersitate, & inæqualitate obiectorum aliqua in diuinis actibus inæqualitas deribetur, & ideo potest sine imperfectione minus perfectum eligere, magis perfecto relicto.

**122** *Inter actus diuinos est virtualis inæqualitas in honestate morali.*

Quæ solutio optima est, si doctrina, quam supponit, esset vera. Quia tamen oppositum plures docent, nempé, inter actus diuinos esse inæqualitatem nō realem, sed virtualem, sicut virtualis distinctio inter ipsos inuenitur, & de isto virtuali excessu restat argumentum soluendum, ideo rationi discriminis traditæ stādum est. Quod autem inter actus diuinos sit virtualis inæqualitas in honestate morali; patet primo: nam cum reali identitate, virtualiter distinguuntur: ergo cum æqualitate reali, sunt inæquales virtualiter, patet consequentia: si namque realiter distinguerentur, essent inæquales realiter: ergo si virtualiter distinguūtur, virtualiter sunt inæquales. Deinde: nā quia natura diuina virtualiter ab attributis distinguitur, & attributa inter se, natura est virtualiter perfectior attributis, & vnum attributum alij eminet, non reali, sed virtuali excessu, v.c. intellectus est virtualiter voluntate perfectior: ergo si inter actus Dei honestos est virtualis distinctio, est etiam inter illos inæqualis virtualis honestas. Denique: nam actus charitatis in Deo, si ab actu misericordiæ virtualiter distinguitur, non potest illum non excedere virtualiter, sicut in nobis, quia realiter distinguuntur, actus charitatis realiter excedit in honestate morali actū misericordiæ; sed quod actus charitatis, & misericordiæ in Deo virtualiter distinguātur, tenet frequentior sententia: ergo iuxta illam virtualiter inæquātur. Sed de hoc 1.*p.q.*3. vbi de attributis agitur.

*Probatur 1. & solutio reijcitur*

*Secūdo.*

*Tertio.*

**123** *Ad vltimā pro-*

Ad vltimam probationem, quidā, quos sine nomine refert Cardinalis Lugo *disp. allegata num.* 136. respondent, quod licet Christus fuerit *physicè* necessitat⁹ ad opera perfectiora, & ad optime operandum, fuit tamen liber in suis operationibus, quia inter actus optimos potuit hunc, vel illum eligere, quorū neuter alio erat melior, atque adeò hunc actum numero, quem de facto elicuit Christus, libere elicuit; cum potuerit nō elicere illum, actum numero distinctū æqualem omnino eliciendo.

*bationē, r sp. aliqui.*

Quam solutionem reijcit prædictus Auctor, & bene; eo quod quamuis saluetur in Christo libertas physica, non tamē saluatur libertas moralis, hoc est sufficiēs ad meritū; sed Christo debet cōcedi non solum libertas physica, sed etiā libertas moralis ad meritum, & laudem sufficiēs; alias nobis nō meruisset, quod est contra fidem: ergo non solum fuit liber ad opera omnia æqualia, sed etiam ad inæqualia in honestate morali. Maior probatur: nam meritum operis fundatur in obsequij æstimabilitate; sed quod necessitatus ad optimum efficiendum, hoc numero eliciat, altero omnino æquali relicto, æstimatione dignum in ratione obsequij non est: ergo huiuscemodi libertas ad meritum est insufficiens.

**124** *Reijcitur 1.*

Quod amplius vrgeri potest: ea nāque libertas exigitur in inferiori ad merendum, quæ in superiori requiritur ad præmiandum, sed si superior esset physicé necessitatus ad tribuendum alteri optimum, non sufficeret ad præmiandum, quod hoc optimum tribueret, alio optimo æquali omnino relicto: ergo ad merendum, non sufficit cum necessitate physica ad optimum efficiendum, libertas ad hoc opus efficiendū, vel hunc actū numero eliciendum, alio omnino æquali omisso.

**125** *Cōfirmatur 1.*

Explicatur, & vrgetur secundo: si Deus esset *physicè* necessitatus ad gloriam conferendam in summo intensionis gradu, quod inter visiones beatificas, hanc numero Petro conferret, alia numero distincta, & omnino æquali relicta, æstimatione dignum in ratione præmij non esset, nec capax, vt propter illā Petrus ad meritum cōnaretur, imò nec vlla gratificatione dignum: ergo pariter, si Christus esset *physicè* necessitatus ad optimum efficiendum, quod inter

**126** *Secūdo.*

actus

actus optimos hunc actum numero eliceret, alio omnino æquali relicto æstimatione dignum in ratione obsequij non esset, & consequenter ad meritum non sufficeret.

127 *Tertio.* Quod exemplo ex humanis sumpto, probatur: si namque vnus debens alteri centum nummos ex iustitia, illi hæc numero centum soluat, alijs centū omnino æqualis valoris relictis, nihil gratitudine dignum efficeret: ergo pariter, qui necessitatus est ad actus omnino æquales, nihil remuneratione dignum efficeret hunc actum numero eliciendo, altero omnino æquali numero distincto relicto. Sed de hoc 1. 2. q. 114. *art.* 1. vbi de conditionibus ad meritum requisitis agitur. Et quidem si sola indifferentia ad actus omnino æquales ad meritū sit sufficiens, rectè solutione data, & Christi meritum, & illius summa sanctitas, & perfectio moralis saluantur. Quia tamen contrarium, est ad minus probabile, & apud Theologos frequentius, ideo alia via est argumento facto occurrendum.

128 *Vera vltimæ probationis maioris solutio.* Igitur ad vltimā probationē maioris, distinguo consequens: si non posset minus perfectum elicere, nec in sensu composito consilij, & maioris beneplaciti Dei, nec in sensu diuiso, nec potentia consequenti, nec potentia antecedenti, concedo sequelam: si non posset solū in sensu composito, & potentia consequenti, nego consequentiam. Itaque sicut Christus liberè adimpleuit præceptum moriendi, quia licet præcepto præsupposito, non potuerit, non mori potētia consequenti, & in sensu composito cum præcepto, potuit tamen ad negationem mortis in sensu diuiso, & potentia antecedenti, ita libere adimpleuit consilium operandi perfectissimè, & maius Dei beneplacitum de operando in summa intensione possibili, quia licet consilio supposito non potuerit elicere operationem minus perfectam potentia consequenti, & in sensu composito, hoc est, componendo operationem minus perfectam cum consilio operandi perfectissimè; potuit tamen potentia antecedenti ad minus perfectam operationem inspectam secundum se, & præcisiuè à consilio.

Et ex his ad vtrāque probationē sequelæ cōstat solutio. Ad primā, quia eo modo damus, & negamus potentiam in Christo ad minus perfectam operationem, quo ad omissionem actus præcepti, vel consiliati: ad vtramque namq; ponimus potentiam antecedentem, & in sensu diuiso, & excludimus potentiā consequentem, & in sensu composito. Ad secundam etiam probationē, quia si Deus esset impotens physicè ad eligēdum id, quod imperfectius est, & necessitatus ad eligendū perfectius, esset necessitas, & impotentia antecedens, cum qua nequit stare libertas: in Christo autem est necessitas, & impotentia non antecedens, sed consequens, & ideo ex tali necessitate, & impotentia auferretur libertas à Deo: in Christo autem cum necessitate ad actum perfectiorem, & impotentia ad actum minus perfectum recte libertas componitur.

129 *Ad primam probationē sequelæ. Ad secundam.*

Ratio autem discriminis est: nam impotentia eligendi minus perfectum in Deo non proueniret ex aliquo accidē tali electioni minus perfecti, sed ex ipsa minori perfectione, & necessitas eligendi perfectius, proueniret, non ex aliquo accidentaliter adiuncto, sed ex perfectionis excessu, cum quo non potest stare in opere minus perfecto duplex consideratio, nempé, secundum se, & vt subest alicui accidētaliter illi coniuncto, quod tamen necessarium est, vt cum impotentia consequenti daretur potentia antecedens, & cum impotentia in sensu composito, daretur potentia in sensu diuiso: in Christo autem impotentia ad actum minus perfectum, non prouenit præcisè ex minori perfectione, sed quia actus minus perfectus est contra consilium diuinum, & maius beneplacitum Dei; vnde datur locus in opere minus perfecto duplici considerationi, scilicet secundum se, & vt cōtrariatur consilio: ac proinde cum impotentia consequenti ad actum minus perfectum, & cum impotentia ad illum, vt coniunctum cum cōsilio, datur in Christo potentia antecedens ad actum minus perfectum, & in sēsu diuiso à consilio; quæ potentia sufficit, vt actum perfectiorem libere eligat.

130 *Ratio præcēdētis doctrinæ traditur.*

Cæterum contra istam doctrinam

131

obij-

*Replica bis 1.*

obijciet aliquis primo: operi min⁹ perfecto essentialiter conuenit, quod contra consilium sit: ergo non stat potentia antecedens in Christo ad actum min⁹ perfectum, præscindens ab illo, vt opposito consilio. Consequentia tenet ex dictis: nam potentia antecedens non potest præscindere ab his, quæ actui, vel omissioni actus sunt essentialia; vnde si omissioni mortis conueniret essentialiter esse prohibitam, non posset constitui in Christo potentia antecedens ad illam, à prohibitione præscindens, & quia odio Dei essentialis est prohibitio, non datur in Christo iuxta frequentiorem sententiam potentia antecedens ad odium; eo quod non potest à prohibitione odio essentiali præscindere. Antecedens autem probatur: si operi minus perfecto non competeret essentialiter contraenire consilio, posset sub consilio cadere; sed hoc non potest admitti: ergo cõuenit illi essentialiter. Sequela videtur bona: si namque non cadit essentialiter sub consilio, non est cur non possit consuli, sicut potest non disuaderi. Minor autem probatur: si namque posset Deus consulere opus minus perfectum, omisso perfectiori, sequeretur hominẽ operantem opus minus perfectum consultum à Deo, operari perfectius, & imperfectius, quam si opus magis perfectum eliceret. Consequens implicatorium videtur: ergo opus minus perfectum sub consilio cadere non potest. Sequela probatur: nam ex parte qua conformaretur consilio diuino, perfectius operaretur, & alias operaretur minus perfectè ex parte operis; cũ opus imperfectius efficeret: ergo operaretur perfectius, & simul minus perfectè.

132 *Respõdetur.*

*Opus minus perfectũ nõ opponitur essẽtialiter consilio, & nõ repugnat,*

Respondeo, negando antecedens: nam licet regulariter loquendo sub cõsilio sit, perfectius opus efficere; & consequenter opus minus perfectum contraponatur consilio, non tamen est de essentia operis perfectioris, quod à Deo consulatur, & consequenter, nec de essẽtia imperfectioris est contraenire consilio, sed oppositum potest de potentia absoluta contingere; vnde licet virginitas sub consilio sit de facto, & matrimonium consilio de facto opponatur, potuit de potentia absoluta oppositum cõtingere, & matrimonium cadere sub cõsilio, virginitasque illi opponi, quo in casu, status perfectionis exigeret matrimonium amplecti, & cœlibatum relinquere. Vnde ad probationem antecedẽtis, concedo sequelam, & nego minorem. Ad illius probationẽ dicatur, quod licet perfectius, & minus perfectè operari ex eodem principio, opponantur: secus verò iuxta diuersa principia: sequens autem consilium de opere min⁹ perfecto operaretur perfectius penes conformitatem cum diuina voluntate, & minus perfectè *obiectiuè*, aut *intentiuè*, quæ sunt diuersa perfectionis moralis principia.

*quod sub consilio cadat,*

133 *Replica bis 2.*

Secundo obijcies: Christus necessitatus erat ad opus perfectius, nõ solum quia consultum à Deo, sed etiam quia perfectius est: ergo impotens ad minus perfectum, non solum, vt oppositũ consilio, & vt cum illo compositum, sed etiam secundum se; & consequenter non fuit liber in sequela consiliorum. Secũda consequentia ex prima colligitur. Prima ex antecedenti: nam eo modo est Christus impotens ad opus minus perfectum, quo necessitatus est ad perfectius: ergo si necessitatus fuit ad perfectius, non solum quia conforme consilio diuino, & vt cum illo coniunctum, sed etiam ex conceptu solo maioris perfectionis, fuit impotens ad minus perfectum, non solum, vt diforme consilio, & cum illo coniunctum, sed etiam secũdum se, & ex conceptu minoris perfectionis, seu minus perfecti.

134 *Antecedẽs probatur 1.*

Antecedens autem ostenditur primo: vt enim omnes Theologi communi consensu docent, Christus semper operatus est perfectissimè, & iuxta adæquatam intensionem virtutum; at si non esset necessitatus ad sic operandum, non esset cur aliquando non fuisset minus perfectè, & minus intensè operatus: ergo necessitatus erat aliqua necessitate ad perfectissimè, & cum summa intensione operandum. Secundo: nam Christus necessitatus erat ad non cadendum à culmine perfectionis; sed non operando perfectius à culmine perfectionis deficeret: ergo necessitatus erat ad optimum. Tertio: nam operari remisè, & opus minus perfectum, omisso perfec-

*Secũdo.*

*Tertio.*

tiori,

tiori, est imperfectio moralis; sed Christus non poterat esse imperfectus moraliter: ergo non poterat operari remisé, nec opus minus perfectum efficere, perfectiori, & intensiori omisso; & consequenter necessitatus erat ad optimum.

135 *Christus non fuit moraliter ad optimũ efficiẽdum necessitatus.*

Propter hæc Cardinalis Lugo *ubi supra* docet, Christum necessitatũ fuisse, non ne cessitate physica, cum qua libertas ad meritum requisita nequit subsistere, bene tamen necessitate morali ad optimum operandum, & ad volendũ perfectius, non solum quia à Deo consultum, aut maiori Dei placito conforme, sed etiam solum quia perfectius est. Cæterum vt *supra* vidimus, vel concedenda est Christo, vt homini necessitas physica ad optimum, vel releganda est moralis. Tum; quia si in operando remisé est moralis imperfectio, nec *physicè* potuit Christus remisé operari, quia nec *physicè* potuit esse imperfect⁹ moraliter. Si autẽ nõ est imperfectio moralis non est cur sit moraliter impotẽs Christus ad remisé operãdum. Tum etiam; quia impotentia moralis consistit in difficultate operandi, non est autem vnde probetur vnionem hypostaticam hanc difficultatem præbere voluntati Christi in ordine ad remisé operandum.

*Probatur, & doctrina Cardinalis Lugo reijcitur 1. Secũdo.*

136 *Tertio.*

Præterea: nam in Deo, nec est impotentia physica, nec moralis ad eligẽdum id, quod minus perfectum est: ergo nec in Christo est moralis imposibilitas, ad minus perfectum adstruenda ex ea præcisa ratione, quia minus perfectum est. Tum denique: nam si potuit carere omni perfectione morali, non est cur non potuerit maiori perfectione carere secluso consilio, & beneplacito Dei; sed his secluſis potuit *physicè*, & *moraliter* carere omni perfectione morali, & omni cogitatione ad bonum moraliter operandum, vt fatetur Lugo *disp. allegata sect.* 11. ergo seclusis consilio, & maiori beneplacito Dei, potuit maiori perfectione carere, remisé operando, aut minus perfectum eligendo, omisso opere intensiori, & perfectiori.

*Quarto.*

137 *Ad secũdã replicã respõdetur.*

Vnde ad obiectionem factam respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem dicatur commune Theologorum iudicium docens, Christum semper optimé, & cum summa intensione fuisse operatum, fundari in consilio, & maiori beneplacito Dei operandi semper optimum, quibus seclusis fundamentum hoc non adesset, sed ex hoc non sequitur, Christum fuisse ad optimum necessitatum. Ad secundam, distinguo minorem: supposito consilio operandi, quod perfectius est, concedo minorem: secluso consilio, nego minorem, & consequentiam. Si namque De⁹ alicui minus perfectum consuleret, culmen perfectionis exigeret operari minus perfectum, etsi modo posset perfectissimam operationem, est, quia cadit sub consilio; vnde si de nullo ex his esset diuinum consilium, nullum ex illis culmen perfectionis exigeret; ac proinde posset aliquis minus perfectum amplecti sine recessu priuatiuo à culmine perfectionis moralis.

*Ad primã probationẽ antecedentis.*

*Ad secũdam.*

Ad tertiam antecedentis probationem distinguo maiorem: imperfectio moralis negatiua, concedo maiorem: priuatiua, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; Christus namque in capax imperfectionis moralis puré negatiuæ nõ est; cum potuerit omni morali perfectione actuali carere in casu de potentia absoluta, sed tantum est incapax imperfectiõnis moralis priuatiuæ: remisé autem, & minus perfectè operari secluso consilio Dei, est imperfectio moralis negatiua, non vero priuatiua, quia illo secluso maior operationis intensio, aut perfectio nullatenus debita est, & ideo, si consilium non adesset perfectissimæ operationis, non repugnaret Christo minus perfecta, aut minus intensa operatio.

138 *Ad tertiam.*

Sed dices: etiam posito consilio operandi, quod perfectius est, carentia operis perfectioris non est priuatio moralis, sed tantum negatio; & consequenter non est imperfectio moralis priuatiua, sed tantum negatiua; & tamen iuxta nostram sententiam Christus est incapax ad operandum remisé, & minus perfectè, supposito consilio operandi perfectissimè: ergo quamuis operari remisé, & minus perfectè, secluso consilio Dei sit tantum negatiua imperfectio, Christus ad sic operandum est incapax, vel è contra, si capax est operandi remisé, & minus perfectè, secluso consilio Dei,

139 *Instabis.*

etiam

etiam est capax, Dei consilio præsuppo sito. Consequentia tenet. Minor continet nostram sententiam, & maior probatur: carentia perfectionis non debitæ est negatio, & non priuatio; sed adhuc consilio dato perfectioris operationis, non est debita operatio perfectior: ergo adhuc consilio suppositio, carentia perfectioris operationis remanet pura negatio. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: vt enim docet D. Thomas 1.2. q. 90. art. 3. ad 2. & q. 92. art. 2. ad 1 & alijs locis §. 2. adductis, præceptum inducit necessitatem operis præcepti, in quo differt à consilio, quod non inducit operandi necessitatem; sed consilio, adhuc suppositio operatio consiliata remanet in arbitrio operantis: ergo ex vi consilij nõ redditur debita operatio cõsiliata; sed carentia formæ nõ debitæ est pura negatio: in hoc enim negatio à priuatione distinguitur: ergo consilio suppositio operandi intensè, & perfectè, carentia intensioris, perfectiorisque operationis remanet pura negatio; & consequenter defectus perfectioris operationis, etiam præsuppositio consilio purè negativus est, & nullatenus priuatiuus.

S. Tho.

140 *Respõdetur.* Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: debito stricto obligante ad culpam, aut pœnam, concedo consequentiam: debito cõcedentiæ moralis iuxta leges amicitiæ, & superioritatis, nego consequentiam. Vt enim §. 2. vidimus, ex D. Tho. 2.2. q. 80. art. 1. datur debitum morale, sine quo nõ subsistit morum honestas, & debitum morale, sine quo morũ honestas subsistit; confert tamen ad maiorem honestatem, quod debitum, vt ibi arguebamus, non potest esse aliud, quã moralis concedentiæ, & hoc debito, actus consiliatus debetur; vnde strictum debitum non est; ac proinde dato consilio intensè, & magis perfectè operandi, carentia perfectioris, intensiorisque operationis non remanet pura negatio, sed aliqua ratione est priuatio, licet non omnino stricta iuxta debiti conditionẽ quod inducitur ex consilio.

141 *Instabis.* Sed instabis: hoc debiti genere, nempé, concedentiæ moralis, etiam debetur intensa, & perfecta operatio, quamuis secludatur consilium: ergo illius carentia, etiam consilio secluso, pura negatio nõ est, sed aliqua ratione priuatio; & consequenter, vel est impotens Christus ad illam, secluso consilio Dei, vel potens consilio suppositio; vtraque consequentia tenet ex doctrina à nobis tradita. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem probatur primo: non enim negari potest hominem iustum decere perfectionem operationem: ergo carentia perfectioris operationis est carentia formæ decentis: ac proinde formæ debitæ debito condecentiæ moralis.

142 *Secũdo.* Secundo: nam intensè, & perfecte operari conducit ad maiorem honestatem, imo est ipsa maior honestas; sed debitum quod Nos adstruimus ex cõsilio, est, vt conferens ad maiorem honestatẽ: ergo consilio secluso est debita perfectior, & intensior operatio debito cõdecentiæ moralis. *Tertio.* Tertio: nam Christo ratione vnionis ad Verbum, debentur debito morali gratia, & virtutes in sũmo, vt communiter docetur à Theologis *supra q. 7. art. 1* ergo ratione eiusdem vnionis, sunt debitæ illi, debito morali operationes in summo gradu intensionis, & perfectionis; & consequenter etiã secluso consilio intensé, & summé perfectè operandi, perfectior, & intensior operatio est moraliter debita. Ex quo vlterius fit, quod quamuis secludatur cõsilium carentia intensioris, perfectiorisque operationis, sit carentia formæ moraliter debitæ: ac proinde non pura negatio, sed aliqua ratione priuatio.

143 *Respõdetur. Ad primã antecedentis probationem.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo antecedens: decet decentia debita, nego antecedens: non debita, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam licet operari perfectius, sit conueniens homini iusto, non tamen debet sic operari, adhuc debito non stricto, si secludatur consilium: ac proinde illo secluso carentia perfectioris operationis, nullatenus est debita, sed remanet pura negatio. *Ad secũdam.* Ad secundam probationem dicatur; aliud esse conducere ad maiorem honestatem, & aliud illam condecentiam deberi; interueniente consilio datur condecentia, & debitum, illo secluso, etsi de

tur

tur condecentia, debitum tamen nō datur.

144 *Ad 3 ertiam.* Ad tertiam, concesso antecedenti, distinguo consequens: sunt debitæ Christo à Deo, transeat consequens: sunt debitæ eliciā à Christo, nego consequentiā. Itaque ratione vnionis ad Verbum, debentur Christo virtutes in summo gradu perfectionis, vel debito connaturalitatis, vel saltim debito morali; hoc tamē debitum non est Christi, sed Dei: Deus namque est qui tenetur ad infusionem virtutum suppositā vnione hypostatica, sicuti gratia suppositā, tenetur conferre gloriam per modū hæreditatis, ex quo ad summum colligi potest, humanitati vnitæ, & summo virtutum gradu perfectæ, deberi à Deo debito congruentiæ, vel cōdignitatis moralis auxilia efficacia in summo gradu intensionis, vt operationes eliciat iuxta adæquatam virtutum intensionem: non autem quod ipse Christus ad sic operandum debito aliquo adstringatur, secluso præcepto, & consilio. Et ratio omnium est: quia debitum morale operandi est effectus legis stricte, vel late acceptæ, & ideo secluso præcepto, quod est actus legis strictæ, & consilio, quod est actus legis non strictæ, sed late sumptæ, stare non potest debitum morale operandi.

145 *Vrgebis.* Sed vrgebis adhuc: nam lex amicitiæ perfectissimæ dictat, mouetque ad exequenda consilia, quia circa illa datur antecedens beneplacitum Dei consulētis, sed de opere perfectiori, esto non præcedat consilium, datur tamen maius beneplacitū consequens Dei: magis enim approbabit opus perfectius, quam opus minus perfectum, & de illo magis gaudebit: ergo secluso consilio debetur op⁹ perfectius debito condecentiæ moralis iuxta leges perfectissimæ amicitiæ.

146 *Respōdetur.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: datur maius beneplacitum consequens approbativum Dei liberé, concedo minorem: necessario, nego minorem, & consequentiam. Sicut enim opus perfectius non necessario consulitur, sed potest non consuli à Deo, imo, & consuli potest, quod min⁹ perfectum est, ita non necessario approbatur, sed potest Deus in illo non complacere postquam elicitum est: ac proinde ex isto maiori Dei beneplacito consequenti, non potest Christus, vt homo, obligari ad opus magis perfectum.

147 *Tacitæ obiectioni occurritur.* Quod si illi manifestetur, Deum magis approbaturum perfectiorem operationem, magisque complaciturum in illa, & opus perfectius proponatur sub ista ratione, necessitabitur Christus ad opus magis perfectum; cæterum ista necessitas non erit antecedens, sed consequens, sicut necessitas orta ex propositione operis, vt consiliati, eo quod sicut propositio consiliij non est operi perfectiori essentialis, ita nec esset essentialis propositio maioris beneplaciti approbatiui; vnde cum impotentia consequenti ad omissionem operis perfectioris, vt coniunctam cum cognitione approbationis, & beneplaciti consequentis, dabitur potentia antecedens ad prædictam omissionem acceptam secundum se.

148 *Op⁹ perfecti⁹ cō naturalius sub consilio cadit.* Aduertendum tamen est, vt tacita obiectio diluatur, quod quamuis operi perfectiori non sit essentiale consilium, nec maius beneplacitum Dei, vel antecedens, vel consequens, connaturaliusta men opus perfectius, quam minus perfectum consulitur; vnde de opere perfectiori supponēdū est consiliū, nisi oppositum reueletur. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 12. §. 3. & 4.*

(?)

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVARTA.

## An In intellectu humano Christi ignorantia, aut error esse potuerit?

### §. I.

*Præmittuntur, quæ apud omnes sunt certa.*

Nu. 1. HVCVSQVE Perfectionē voluntatis Christi indagauimus, immunemque ab omni morali defectu pro Nostra tenuitate defendimus; cū impotentia, nedum ad moralē malitiam, sed etiam ad quod vis genº moralis imperfectionis. Restat modò de perfectione intellectus Christi humani disserere: & quia sicut voluntatis obiectū est bonum, ita obiectum intellectus est verum: & sicut imperfectio voluntatis est malitia, ita imperfectio intellectus est falsitas, ignorantia, vel error: ideo in præsenti examinandum suscipimus, an in humano Christi intellectu, error, vel ignorantia esse potuerit? de quo agit D. Thom. *in hac q. 15. art. 3.* Et vt ad rem deueniamus, breuiter est aduertendum, ignorantiam dici dupliciter. Primo *negatiuè* pro carē tia scientiæ subiecto nullatenus debitæ. Secundo *priuatiuè* pro carentia scientiæ aliqua ratione subiecto debitæ, vel debito orto ex lege, vel debito connaturalitatis, vel debito congruentiæ, vel condignitatis moralis. Rursus error duplex est, nempe, speculativus, scientiæ speculatiuæ oppositus, & practicus, ille nēpé, qui peccatum antecedit, iuxta illud: *Omnis peccans est ignorans*: quia nempé, omne voluntatis peccatum aliquis error, ignorantia, vel practica inconsideratio antecedit, de quo 1. 2. *q. 76. & 1. p. q. 63. art. 1.*

*Ignorantia alia priuatiua, alia negatiua, quæ nescientia dicitur.*

*Error, alius speculatiuus, aliº practicº*

2 *Ignorantia priuatiua, nec fuit, nec existere potuit in intellectu Christi humano.*

His positis cōsentiunt omnes Theologi primo: non fuisse in humanitate Christi ignorantiam priuatiuam moralem, hoc est, illarum rerum, quæ quis scire ex aliqua lege tenetur, quod patet: vt enim docet D. Thom. 1. 2. *q 76 art. 2.* & cum illo omnes Theologi, talis ignorantia est peccatum, vtpote carentia scientiæ, quam quis habere tenetur; sed est de fide, nullum peccatum actu fuisse in humanitate Christi: ergo etiam est, vt certum de fide tenendum, nihil ignorasse ex his, quæ ex lege tenebatur scire; & consequenter non fuisse in Christo ignorantiam priuatiuam moralē, imo nec esse potuisse de potentia Dei absoluta, iuxta communem sententiam, negantem in humanitate vnita possibilitatem peccati.

3 *Nec error practicus.*

Secundo, omnes Theologi fatentur errorem practicum in humanitate Christi non fuisse, quod patet: nam talis error, esto peccatum nō sit; est tamē

causa

causa peccati; sed in Christo nec peccatum fuit, nec causa actu influens in peccatum: ergo nō fuit in humanitate Christi error practicus intellect⁹. Explicatur, & vrgetur amplius: nam error practicus, vel positivus, est dictans hic, & nunc amandū, vt bonum, quod re vera bonum non est, nec amandum, vel practica inconsideratio eorum, quæ à peccando, amouerent, & detinerent voluntatē; Christo autē nihil horum potuit accidere; cum clare diuinā essentiam viderit: videns autem claré Deum nō possit apprehendere, vt bonum, quod re vera bonū non est, sed tantum apparens, nec inconsideraté aliquod obiectū cognoscere, vt docet Divus Thom. 1 p. q. 62. art. 7. & 1. 2. q. 4. art. 4 ergo in Christo error practicus non extitit, imo nec potuisse existere, etiam de potentia absoluta, docent omnes, quia Christo relegant potentiam peccandi, & repugnare peccatum in humanitate assumpta tuentur, vt docet Vazquez *disp.* 61. *cap.* 9. *num.* 59.

*Cōfirmatur.*

4 *Fuit in illo ignorātia purè negatiua.*

Tertio feré apud omnes est certū, ignorantiam puré negatiuam, quæ proprié nescientia, non vero ignorantia dicitur, de facto fuisse in humanitate Christi repertam: quod patet; Christus namque non cognouit per intellectum humanū omnia, quæ cognoscit De⁹, nec de facto omnia possibilia cognouit, vt cū Diuo Thoma *supra q.* 10. *art.* 2. docēt cōmuniter Theologi: ergo in illo fuit aliquarū rerum nescientia; ac per cōsequens ignorantia negatiua, quæ improprié ignorantia dicitur.

5 *Potuit in illo esse ignorātia priuatiua nō moralis, nec peccaminosa. Prob.* 1.

Quarto feré omnes fatentur: ignorantiam priuatiuam, non moralem, nec peccaminosam potuisse esse in humanitate Christi de potentia Dei absoluta, imo potuisse humanitatem Verbo hypostaticé vniri sine omni cognitione: quod patet primo; nam ex vi vnionis nō magis debentur humanitati perfectiones, & habitus intellectus, quam debeāturgratiæ, & virtutes perficientes voluntatem; sed potuit de potentia absoluta humanitas Verbo vniri sine gratia habituali, & donis consequentibus ipsam, vt *supra* ex communi sententia docuimus: ergo potuit etiam vniri sine donis intellectus, & illius perfectionibus; ac proinde omni destituta notitia.

6 *Secūdo.*

Deinde: nam connexio perfectionum, aut donorum intellectus cum gratia subsistantiali vnionis, essentialis non est, imo nec connaturalis connaturalitate physicæ dimanationis ad modū, quo proprietates connectuntur cum essentia, sed tantum condecentiæ, aut condignitatis moralis: ergo nō est vnde repugnet omnipotentiæ diuinæ vnione humanitatis ad Verbum suppositā, illa dona non infundere, aut iam infusa destruere.

7 *Tertio.*

Præterea: nam esto connecterentur *physicè* cum vnione hypostatica, & ad illam sequerentur physica consequutione, ad modum quo proprietates connectuntur cum essentia, & ad illam consequuntur, possent de potentia absoluta nō cōsequi; sicut de alijs passionibus ad essentias rerum secutis, docet cōmunis sentētia suppositō, quod realiter distinguantur ab illis: ergo etiam illa cōnexione admissa, potuit humanitas Verbo vniri sine vlla perfectione actuali, vel habituali intellectus; ac proinde sine aliqua cognitione.

8 *Quarto. Potuit humanitas Verbo vniri sine aliqua sensitiua, aut intellectiua potentia.*

Deinde: nam potuit humanitas Verbo vniri sine vlla sensitiua, aut intellectiua potentia: ergo à fortiori sine habitibus intellectus, & sine omni cognitione Consequentia tenet. Tùm à paritate rationis. Tùm à fortiori: magis enim cōnectuntur cū humanitate potentiæ, quam habitus, & actus cum potentijs: ergo si potuit humanitas vniri sine potentijs, potuit vniri cum potentijs sine habitibus, & actibus. Antecedens autem probatur: nam suppositā sententia Diui Thomæ distinguente realiter potentias animæ ab anima, potest de potentia absoluta anima sine potētijs existere; sed sic existens est à Verbo assumptibilis: ergo posset sine potentijs assumi. Probatur minor: potest irrationalis natura Verbo *hypostaticè* vniri de potentia absoluta, vt cum communi sentētia docuimus *disp.* 18. *n.* 54. *& seqq.* ergo etiam est assumptibilis, & Verbo *hypostaticè* vnibilis anima rationalis sine potentijs existens.

9 *Quinto prob.*

Denique: nam esto gloria corporis esset humanitati debita ratione vnio-

nis, fuit de facto multo tempore suspensa ergo quamuis gloria animæ debeatur ratione vnionis, potuit de potentia absoluta per aliquod tempus suspendi; & consequenter potuit illo debito non obstante, in æternum non conferri: ex quo vlterius fit, quod potuerit omni cognitione priuari: nulla enim cognitio est magis cum vnione connexa, quã ipsa visio beatifica; & consequenter si hæc potuit, nunquam humanitati vnitæ concedi, potuit ei omnis alia cognitio negari; ac proinde potuit de potentia absoluta inueniri in humanitate ignorantia priuatiua, hoc est, illarum rerum, quarum cognitio debetur aliqua ratione subiecto. Patet hæc vltima consequentia: nam cognitio illarum rerum, quas Christus de facto cognouit, est debita humanitati, vt tenet communis sententia *supra q. 9* sed potuit de potentia absoluta hac cognitione carere: ergo potuit de potentia absoluta habere ignorantiam priuatiuam.

*Potuit humanitas vnita, in æternum gloria animæ carere.*

10 *Oppones 1.*

Si opponas primo: repugnat Verbo ignorantia, aut denominatio ignorantis; sed si humanitas vnita aliquam ignorãtiam haberet, Verbum denominaretur ignorans: ergo repugnat ignorantia in humanitate vnita. *Respondeo*, distinguendo maiorem Verbo in se ipso, concedo maiorem: vt subsistenti in humanitate, & ratione humanitatis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Sicut enim mors repugnans Verbo in se ipso, non repugnat in humanitate vnita; & sicut nescientia, & denominatio nescientis Verbo in se ipso essentialiter repugnat; secus autem in humanitate assumpta, ita ignorantia, & denominatio ignorantis, Verbo in se ipso, & quatenus in diuinitate subsistit repugnat. secus autem Verbo in humanitate assumpta, & prout in illa subsistenti.

*Respõdetur.*

11 *Oppones 2.*

Si opponas secundo: ignorantia est malum intellectualis naturæ illius inclinationi oppositum, in quantum intellectualis est; sed omne malum naturæ intellectiuæ illius inclinationi, quatenus tali oppositum, repugnat humanitati assumptæ aut Verbo in assumpta humanitate: ergo illi repugnat ignorantia. Consequentia tenet. Maior constat nã ignorantia est priuatio scientiæ, in quã inclinat natura intellectualis, vt in propriam, & congruentem perfectionẽ: ergo ignorantia est malũ naturæ intellectualis illius inclinationi oppositum. Minor autem probatur: omne malum naturæ appetitiuæ illius inclinationi oppositum repugnat Verbo in humanitate assumpta, quo circa illi repugnat peccatum cõmissionis, quod est malũ illi contrarium, & peccatum omissionis, quod est malum priuativum: ergo pariter repugnabit Verbo in assumpta humanitate omne malũ, tam positivum, quã priuativum naturæ intellectualis, illius inclinationi oppositum, quatenus intellectualis est.

12 *Respõdetur.*

Respondeo: ignorantiam esse malũ pure physicum, & nulla ratione morale, & licet malum morale intellectualis naturæ repugnet Verbo in humanitate assumpta; non autẽ illi repugnat malũ, quod pure physicum est, & nulla ratione morale. Nec obstat probatio minoris: idem namque in malo naturæ volitiuæ contingit. nam carentia gratiæ habitualis, & virtutum perficientium voluntatem malũ est naturæ volitiuæ oppositum, aut quia opponitur termino naturalis inclinationis, vt est carentia virtutum moralium naturaliũ, in quas natura volitiua naturaliter inclinat, aut quia opponitur formæ naturæ volitiuæ conuenienti, qualis est carentia gratiæ, & virtutum infusarum, quæ sunt perfectiones naturæ volitiuæ congruentes, quamuis in illas inclinationem naturalem non habeant; & tamen non repugnant humanitati vnitæ, nec Verbo in illa subsistenti repugnantia essentiali: potuit namque humanitas Verbo vniri sine aliquo ex illis donis in casu de potentia absoluta, vt *proximè* dicebamus, & tenet communis sententia: non ergo omne malum naturæ volitiuæ, in quantum talis, repugnat humanitati vnitæ, sed solum malum morale, vt est peccatum, vel moralis defectus, aut transgressio consiliorum, & id, quod in malum inclinat, vt motus sensuales appetitus sensitiui, de quibus hactenus locuti sumus. De qua autem ignorantia hæc suppositio procedat ex sequentibus cõstabit.

Deniq;

13 *Nō fuit in intellectu humano Christi error actualis, nec habitualis positiuꝰ.*

Denique omnes Theologi fatētur, errorem actualem positiuum in humanitate Christi non fuisse, & præterquā quod a fortiori ex *infra* dicendis constabit: probatur; nam error positivus est malum naturæ intellectualis, & nulla ratione ad finem redemptionis conducit, officioq; vniuersalis Magistri, quod in se Christus suscepit aduersatur: ergo relegandus est ab humanitate Christi. Ex quo sequitur, nec errorem habitualem, hoc est, habitum erroneum esse in humanitate Christi admittēdum, quod etiam omnes Theologi, vt certum supponunt, & patet: nam habitus erroris actibus erroneis acquiritur; sed in Christo actus erronei non fuerunt: ergo in illo habitus erroneus non fuit; aliàs à Deo fuisset infusus, quod vel implicat, vel nunquam à Deo fuit factum, vt omnes Theologi docent.

## §. II.

### *Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.*

14 *Circa ignorātiā priuatiuam non moralē.*

HIs positis, in quibus parum, aut nihil cōtrouersiæ inuenitur, duo restant examinanda. Primum de ignorantia priuatiua non morali, an fuerit de facto in humanitate Christi? Secundū de errore positiuo speculatiuo, an potuerit de potentia absoluta in humanitate Christi inueniri? Circa primum prima sententia, seu potius error, defendit, Christum, in quantum hominem, plura ignorasse, & inter alios defectus ignorātiam suscepisse. Ita quidam hæretici, qui Valentiniani sunt dicti relati ab Irinæo *lib. 1. aduersus hæreses cap. 17.* asserentes alphabetum subferula præceptoris, & plura alia, quæ ignorauit, ab hominibus didicisse. Ita etiam Agnoitæ, vel Ignoitæ relati à Nicephoro *lib. 18. historiæ cap. 50.* & à Saudero *lib. 7. de Visibili Monarchia hæresi 103.* quibus accessere Melanthon, Lutherus, Erasmus, Brētius, Calbinus, & alij, Christo in pueritia communē cum alijs pueris ignorantiam tribuentes, imo etiam adultum errasse, asseuerantes, quos ex Canisio *lib. 3. de Deipara Maria cap 22.* refert Vazquez *disp. 51. cap. 1.* vbi hæreticis adiungit Originem *homil. 30. in Matthæum, non longè à fine*, super illud Matthæi 24. *De die autem illa nemo scit, &c.* Athanasium *oratione 4. contra Arrianos post medium.* Cyrillū *lib. 9. Thesauri cap. 4. & lib. 5. de recta fide ad Reginas cap. 1.* Et ex Recentioribus Iansenium *in cōcordia Euangelica cap. 123. circa finem.* His accessit Doctor quidam Complutensis, quem sine nomine refert Mag. Medina *in præsenti ar. 3.* vbi addit ab Inquisitoribus fuisse punitum, & sententiam retractare coactum.

*Canisio. Vazq. & Orig.*

*Athan. Cyril.*

*Iansen.*

*Medin.*

15 Secūda sētentia

Secunda, & vera sententia oppositum docet, negans Christo, vt homini, non solum positivum errorē, sed etiam ignorantiam priuatiuam illarū rerum, quas scire ad statum Christi spectabat. Ita ex Patribus Iustinus Martyr *q. 58. ad Orthodoxos*, Clemens Alexandrinus *in lib. Pedagogij cap. 6. in principio.* Hilarius, Hieronimus. Chisostomus. Basilius. Ambrosius. Nazianzenus. Bernardus, & alij, quorum verba refert Vazquez *disp. allegata cap. 2.* D. Thomas *in hac quæst. art. 3* cui omnes Theologi vnanimi consensu adhærere.

*Iustinus Clē. Al.*

D. Th.

16 *Circa errorē positiuū speculatiuum.*

Circa secundum, duplex versatur sententia. Prima affirmat: quod licet Christus de facto nunquā errauerit, potuit tamen de potentia Dei absoluta in humanitate assumpta error positivus reperiri, vel specialiter causatus à Deo, vel ab humanitate post vnionem elicitus. Ita Vazquez *in præsenti disputatione 51. cap. 9.* Gaspar Hurtado *disput. 10. difficultate 9.* Lugo *disput. 23 sectione 3.* falsò asserens, esse communem. Arriaga *disputat. 40. sectione 4 sub sectione 3.* Luisius de Torres *2. 2. disputatione 3. dub. 4.* & Ripalda *tom. 1. de ente supernaturali disputatione 59. sectione 2.* quos refert Prudentius *tom. 2. in 3. p. tract. 2. disputatione prima dubio 2. sectione 3.*

Prima sētentia *Vazq. Hurt. Lugo. Arriag. Luisius. Ripald.*

*Prud.*

17 Secūda-

Secunda sententia negat, potuisse esse in Christo iudicium speculativum

erroneum, etiam de potentia absoluta, adeòque repugnare cum vnione hypostatica, vt si naturam assumeret, in qua error speculativus existeret, non posset, eadem potentia inspecta, cum vnione conseruari. Hanc tenent Vincentius *relectione de Gratia Christi quæst. 1 pag. 38.* Medina *in præsenti art. 3.* Nazarius *supra quæst. 9. art. 1. cõtrouersia prima, & secunda, & in præsenti art. 2. controuersia vnica.* Illustrissimus Araujo *in præsenti art. 3. dub. 2. & 2. 2. quæst. 1. art. 3. dub 1.* Prudentius *tom 2. in 3. p. tractat 2. disp. 1. dub 2* Et cæteri Recẽtiores Thomistæ. Tenent etiã ex Patribus Societatis Suarez *disp. 24. sect. 3. ad finem.* Ragusa *disput. 116.* Amicus *disp. 14. sect. 4.* & Bernal *disp. 42. sect 2.*

*Vincẽt. Medin. Nazar.* *Araujo.* *Prudẽt. Suar. Ragusa. Amicus Bernal.*

**18** *Prima cõclusio. Opp sitam sentiam esse hæreticã dicẽt Medin. & Vazquez.*

Sit Prima Conclvsio. *In Christo de facto nulla fuit ignorantia sumpta* priuatiuè, *hoc est, illarum rerum, quas scire ad statum Christi spectabat.* Ita omnes Theologi in eo gradu certitudinis, vt Medina oppositum censeat hæreticum, cui consentit Vazquez *disp. 51. cap. 2.* docens, quod licet in nullo Generali, aut Prouinciali Concilio, hactenus fuerit diffinitum, Christum cognouisse omnia futura, & nullam ignorantiam habuisse, nihilominus id certa fide Catholica esse credendum eo quod Sancti Patres, ita vno ore id pronuntiant, vt oppositum, tanquam errorem damnent; ex quo infertur, hanc fuisse in Ecclesia Dei indubitatæ fidei traditionem. Cæterum cum Vazquez sentiat Originẽ, Athanasium, & Cyrillum in opposita fuisse sententia, quomodo potest esse verum Patres vno ore a Christo ignorantiam excludere, & oppositum, vt errorem damnare? Præterea nam Athanasium, & Cyrillum traditionem, ita vniuersalem ignorasse, credendum non est, idque asserere, irreuerentiæ speciẽ præsefert. Tanerus *disp. 1. de Incarnation. q. 5. dub. 4 assertione 8.* censet cõclusionem esse de fide. Valentia *disp 1. de Incarnatione q 15. punct. 1.* esse omnium Orthodoxorum sententiam. Suarez *vb supra*, esse omnino certam affirmat, quod etiam alij supponunt.

*Vazqz redarguitur primo.* *Secũdo.* *Aliæ cẽsuræ.*

**19** *Propriũ iudiciũ profertur.*

Mihi distinguendum videtur, asserendumque ignorantiam proprié dictã intellectui Christi attribuere, esse ad minus temerarium: quia opponitur vniformi Theologorum sententiæ in re Theologica, & graui asserere, quod hæc, vel illa, etiam ex futuris non nouerit, v. c. numerum arenæ maris, etsi falsum sit, non tamen censura dignum; quia minimarum rerum notitiam Christo, vt homini, deberi, etsi verum sit, nõ tamen potest euidenter ostendi, quod tamen necessarium erat, vt istius notitiæ defectus probaretur esse ignorantiam priuatiuam, quæ sola potest dici proprié ignorantia; ac proinde quamuis certum sit, Christum nullam ignorantiam habuisse, non sequitur esse certum omnia quomodolibet futura cognouisse: sicut ex eo quod nullam ignorantiam proprié talem habuerit, non sequitur cognouisse omnes creaturas possibiles, quia omnium possibilium cognitio Christo, vt homini, non debetur, quin potius illi repugnat, vt cum Diuo Thoma ostendimus *tom 2 Disp 34.*

Quod autem in Christo, vt homine, nulla fuerit ignorantia proprié dicta, quod asserit nostra conclusio, ostenditur primo ex illis verbis Ioannis cap. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quæ accipiẽda esse, non solum de Christo, vt Deo, sed etiam quatenus homine, docet Divus Thomas *ibi lect. 8.* Et *ad Colossenses 1. lectione 5.* vbi in eodem sensu accipit illa verba Pauli: *Quia in ipso* (scilicet Christo) *complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare*; & verba illa Ecclesiastici cap. 24. *Et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Ex quibus sic intellectis habetur, humanitatem fuisse plenam veritatis, ideſt, cognitionis; sed si habuisset ignorantiam priuatiuam, plena cognitionis, & veritatis non fuisset; cui namque deest aliqua cognitio debita, plenum cognitionis non est, sicut cui deficit gratia aliqua sibi debita, plenum gratiæ dici nequit: ergo in Christi humanitate non fuit ignorantia priuatiua.

**20** *Prob. 1. cõclusio.*

Deinde probatur conclusio: nam cum scientiæ plenitudine, ignorantia stare nequit; sed in humanitate Christi fuit scientiæ plenitudo: ergo in illa nulla fuit ignorantia. Consequentia tenet. Maior est certa: nam ignorantia oppo-

**21** *Secũdo.*

nitur

nitur scientiæ: ergo cum plenitudine scientiæ nequit ignorantia componi. *Minor prob. 1.* Minor autē ostenditur primo ex adductis verbis Ioannis de Christo, vt homine, à D. Thom. acceptis. *Secūdo.* Secundo: quia vt arguit D. Th. *supra q. 7. art. 1.* in humanitate Christi fuit omnis plenitudo gratiæ, quia ratione vnionis ad Verbū fuit summé approximata Deo, qui est fons, & origo gratiæ; sed etiam est fons, & origo cognitionis, & scientiæ: ergo ratione vnionis summé approximantis humanitatem ad Deum, fuit in illa cognitionis, & scientiæ plenitudo. *Tertio.* Tertio probatur: vt enim omnes Theologi fatentur, in humanitate Christi ratione vnionis ad Verbum fuit omnis perfectio sine inconnaturalitate possibilis, cum vnione compossibilis, & fini redemptionis non opposita; sed plenitudo scientiæ est huiusmodi: est enim perfectio possibilis, cum vnione compossibilis, fini redemptionis non obstans, nullamque inconnaturalitatem dicens: ergo adstruēda est in humanitate Christi.

22 *Quarto.* Denique probatur minor: nam Magistro vniuersali decet plenitudo scientiæ; sed Christus, vt homo, institutus fuit à Deo vniuersalis Magister: ergo decet illi, vt homini, omnis scientiæ plenitudo; & consequenter fuit illius humanitati concessa. *Obiectioni occurritur.* Nec obstat, quod Christus, vt homo, de facto speculatiuas scientias non docuerit, ex quo videtur inferri ad illius vniuersalem doctrinam necessarias non fuisse. Licet namque illas non docuerit de facto, posse tamen illas docere ad perfectionem vniuersalis magisterij spectat; vt autē posset prædictas scientias docere, illas scire debebat: ac proinde oportuit, quod omnes illas haberet, cognitionemq; omnium rerum ad statum Christi spectantium.

23 *Vltimo prob. cōclusio.* Denique suadetur conclusio: nam Christus illos defectus assumpsit, qui ad finem redemptionis conducunt; sed ignorantia est defectus ad finem redemptionis non conducens: ergo illam non assumpsit; & consequenter in eius humanitate non fuit. Maior est D. Thom. *in hac quæst. art. 1. & 2.* & communis Theologorum. *Minor prob. 1.* Minor autem probatur primo: quia in hoc quod est ignorare, nulla ad nos homines redimendos conducentia invenitur, nec in cognitionis defectu meritum esse potest. *Secūdo.* Secundo: vt enim arguit Divus Thomas in argumento sed contra *in præsenti art. 3.* ignorantia, per ignorantiam non tollitur: Christus autem venit, vt ignorantias nostras auferret: ergo ad finem ad quem destinatus fuit, ignorantia non conducit; & consequenter in Christo ignorantia non extitit.

## §. III.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

CONTRA istam conclusionem arguitur primo, ex illo Marci cap. 13. vbi dicitur: *De die autem illo nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater*; vbi vt claré constat, Christus de se ipso fatetur diem Iudicij nescire; sed cognitio diei Iudicij pertinet ad statum Christi: ac proinde illius carentia est priuatiua ignorantia: ergo hæc in Christo fuit. Hoc testimonio, & alijs praué intellectis vtebantur Arriani ad probandum Filium consubstantialem Patri non esse, nec Deum. Et quidem concesso filium, alicuius rei cognitionem latere, rectē inferebant: si namque alicuius rei cognitione carebat, Deus esse non poterat, neq; eiusdem cum Patre naturæ; contra quos Hilarius *lib. 9. de Trinitate*, & cæteri Ecclesiæ Patres probantes Filij diuinitatem, consubstantialitatem, & naturæ identitatē cum Patre. Eodem etiam testimonio hæretici *supra allegati* vtebantur, probantes ex illo Christum, quatenus hominem, plura ignorasse, licet, vt Deum, nihil ipsum latuerit, nec alicuius rei ignorantiam habuerit. 24 *Arg. 1. auctoritate Scripturæ.*

Contra quos obstant ea, quibus *supra* ostendimus in Christo, vt homine, non fuisse ignorantiam priuatiuam, idest, carentiam cognitionis aliqua ratione debitæ; cognitio autem diei Iu- 25 *Christū, vt hominē diem*

*iudicij cognoui se. Probatur 1.*

dicij debetur Christo ratione supremæ Iudicaturæ, quam à Patre accepit, iuxta illud: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*; & consequenter tali cognitione non caruit. Præterea: vt enim arguit D. Thom. *supra q. 10. art. 2. in solutione ad primũ*, ex Chrisostomo *homil. 72. in Matthæum*, & *homilia 14. in Marcum*: *Si Christo homini datum est, vt sciat qualiter oportet iudicare, quod maius est, multo magis datum est ei, quod minus est, scire scilicet, tempus iudicij.* Ideſt, si Christo, vt homini, datum est iudicare, non oportuit, quod ipsum, quatenus hominem, tempus iudicij lateret. Deinde: quia vt arguit Abulensis *q. 209. in 24. caput Matthæi.* Pater videretur Christo, in quantum homini, invidus, qui ei mortem cognoscendam dedit; diem autem Aduentus ad iudicandum, in quo glorificandus est occultauit. Præterea: nam Christus prædixit omnia signa diei Iudicij, & quæ ante talem diem, & post ipsum euentura erant: ergo diem non ignorauit. Denique: nam hæc sententia, vt erronea, & hæretica damnatur *in 6 Synodo Generali actione 11.* vt refert Suarez *quæst. 10. art. 2. in commentar. art.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

*Quarto.*

*Quinto.*

**26** *Prima explicatio illius testimonij*, de die autẽ illa nemo scit, &c.

Ab his autem, qui veram tenent sententiam, varié argumento facto occurritur. Prima prædicti testimonij explicatio est, nomine *Filij*, non intelligi Filium naturalem, sed adoptiuum: ex quo non infertur, Christum, etiam vt hominem, diem Iudicij ignorare, qui non Filius adoptiuus, sed naturalis est. Quam expositionem sine Auctorum nomine refert, & nec reijcit, nec approbat D. Dhom. *quæst. 9. art 2. in solutione ad primum.* Eandem Abulensis *quæst. 209. in 24. caput Matthæi*, attribuit Basilio, illamque reijcit primo: quia Christus de se ipso dicit, quod nesciat: ipse autem, vt homo, Filius adoptiuus non est: ergo nomine *Filij* non adoptiuus, sed naturalis accipitur. Hæc autem obiectio non vrget; nam assumit probandum nempé, Christum loqui de se ipso, quod Auctores expositionis negant.

*Cõtra illã obijcit Abulensis.1.*

**27** *Secuao.*

Secundo illam reijcit; quia si de adoptiuo acciperetur, intelligeretur de nobis credẽtibus: *Dedit enim nobis spiritum adoptionis, in quo clamamus ab bà Pater*; at hoc dici nequit: nos enim supponebamur excluſi, illis verbis: *De die illa nemo scit*; cum sub *nemine* includamur; & consequenter superflué iterum excluderemur. Sed nec ista obiectio vrget nam etiam Angeli implicité includuntur sub *nemine*: nam hæc nomina *nullus*, & *nemo*, nisi aliquid illis addatur, etiam Angelos comprehendunt; & tamen non superflué exprimũtur; cum dicitur, nec *Angeli in Cœlo*: ergo ex eo quod Filij adoptiui supponãtur inclusi in illa propositione: *De die autem illa nemo scit*, non colligitur superflué addi, *neque filius*, si de Filio adoptiuo accipiatur.

*Nec ista impugnatio vrget.*

Tertio illam reijcit: si namque loqueretur Christus de Filio adoptiuo, non diceret *Filius* singulariter, sed *Filij* pluraliter; cũ filij adoptiui sint multi, sicut quia Angeli sunt plures, non singulariter, sed pluraliter fuerũt excluſi; at non dixit Christus *Filij* pluraliter, sed *Filius* in singulari: ergo nomine *Filij*, non fuit de Filio adoptiuo loquutus, sed de filio naturali, quitantum est vnus, nempé, Christus. Præterea cõtra illam facit: nam Christus gradatim ab inferioribus ad superiora ascẽdens notitiã diei Iudicij excluſit: primo ab hominibus, dicendo, *nemo scit*: ideſt nullus homo; secundo ab Angelis, neque *Angeli in Cœlo*: tertio à filio *neque Filius scit*; sed Filius adoptiuus supra Angelos nõ est ex conceptu Filij adoptiui: ergo nomine *Filius* non adoptiuum, sed naturalem accepit, qui super Angelos est, & si non ratione naturæ humanæ; bene tamen ratione vnionis ad Verbum. Denique: nam dicendo, *nisi Pater* soli Deo notitiam diei Iudicij concesit; & consequenter omni alteri dictam notitiam negauit; sed Christus, quatenus homo, est aliquid distinctum à Deo, licet non ratione suppositi, benè tamen ratione naturæ humanæ: ergo Christo, vt homini, illam notitiam negauit, qui Filius adoptiuus, etiam vt homo non est.

**28** *Tertio illã reijcit.*

*Quarto reijcitur*

*Quinto reijcitur*

Secunda explicatio est: Christum loqui non in persona propria, sed in persona Ecclesiæ, cuius est caput: & quia Ecclesia, quæ est eius corpus notitiam

**29** *Secunda explicatio.*

diei

diei Iudicij non habet, Christus dicitur diem iudicij nescire, iuxta regulam Tychonij ab Augustino, & Theologis acceptatam, iuxta quam ea, quæ membris conueniunt, Christo capiti attribuũtur, vt constat ex illo Psalmi: *Et delicta mea à te nõ sunt abscondita.* Vbi delicta mẽbrorum, sua Christus appellauit. Et Paulo in Ecclesiam sæuienti Christus dixit: *Cur me persequeris?* Quam expositionem Divus Thomas dicta solutione ad primum refert ex Origine *Homilia 30 in Matthæum*, nec illam reijciens, nec approbans.

30 *Abulẽs. opponit cõtra illam primo.*

Abulensis autem *q. supra allegata*, illam eidem Origini attribuens, reijcit primo; quia membra Ecclesiæ iam supponebantur excluſa, illis verbis: *Nemo scit*; cum membra Ecclesiæ sub *nemine* contineantur: ergo cum dicit, *nec Filius*, nõ loquitur de Filio secundum corpus Ecclesiæ, sed de se in propria persona. Hæc tamen obiectio, *vt proximè* dicebamus, non vrget; cum etiam de Angelis fieri possit, qui sub *nemine* cõtinentur: nam hæc particula *nemo* est signum negativum, idemque, non solũ quod *nullus homo*, sed etiam quod *nullum ens*, qualiter Angelos continet; & tamen non superfluè explicantur cum dicitur, *neque Angeli in Cœlo*: ergo ex eo quod membra Ecclesiæ sub *nemine* contineantur, & dictum sit, *nemo scit*, non colligitur superfluè addi, nec *Filius* si nomine Ecclesiæ accipiatur. Melius dictam interpretationem impugnat secundo: nam Christus prætendebat se excusare, vt non reuelaret Apostolis illum diem, quia scilicet, illum nesciebat; sed illum Ecclesiæ membra nescire, sufficiens excusatio non esset: nam Apostoli eo tendebant, vt quamuis alij diem illum ignorarent; ipsis tamen reuelaretur, ob specialem amicitiam, qua Christo cõiungebantur, & propter specialem familiaritatem, qua Christus illos tractabat: ergo nõ benè explicatur de Christo nomine Ecclesiæ.

*Hæc obiectio nõ vrget.*

*Secũdo, et melius contra illã obponit.*

31 *Tertia explicatio.*

Tertia expositio dicti testimonij est; Christum nescire illum diem, non quia absolutè non sciat, sed quia illum non scit à se, sed à Patre, quare dicit se nescire, quia cognitio, quam Christus habet, non eius, sed Patris est, iuxta illud Ioannis 7. *Mea doctrina nõ est mea, sed eius, qui misit me.* Quam expositionem refert Abulensis vbi *supra*, & illam impugnat primo, ex his, quæ *proximè* dicebamus: Christus namque prætendebat se excusare à reuelando Apostolis illum diem, eo quod ipse diem Iudicij nesciebat; sed illum non scire à se, sed per reuelationem à Patre, sufficiens excusatio non erat, nec Apostolos quietaret; quandoquidem alia, quæ ipsis reuelabat non à se, sed à Patre sciebat: ergo expositio illa non videtur sufficiens.

*Opponit cotra illã Abulensis.* 1.

Secundo: quia non à se, sed à Patre cognitionem habere, commune est in omnibus, quæ scit Filius omnis enim cognitio, quam habet, illi conuenit à Patre, vel per generationem, vt Deus, vel per reuelationem, vt homo, saltim illa, quæ est supernaturalis; at ibi loquitur specialiter de notitia diei Iudicij, vt ex contextu colligitur illis verbis: *De die illa nemo scit*: ergo non ideò dicit se diem Iudicij nescire, quia illam scit non à se, sed à Patre.

*Secũdo.*

32 *Vltima explicatio est.*

Vltima expositio est; Christum rectè dixisse se diem Iudicij nescire, quia illam secreto sciebat, & non ad reuelandam alijs, quæ expositio consonat cum communi modo loquẽdi, quo illa, quæ secreto scimus, dicimus absolutè nescire; & confessarius illa, quæ in confessione scit, quia ea sub sigillo sunt, verè dicit se nescire; consonat etiam modo loquẽdi Scripturæ, iuxta illud Geneſis cap. 22. vbi Deus ad Abraham, ait: *Nunc cognoui, quod timeas Dominum*, idest, nunc cognoscere feci, quia timorem Abrahæ manifestauit, quasi antea non cognouisset, quia antea non manifestauerat. Quæ explicatio tribuitur Hieronymo, Theophilato, Ambrosio, Athanasio, Hilario *in 24. caput Matthæi*, & *in 13 Marci*, Basilio *lib. 4 contra Eunomium*, & Augustino *lib. 1. de Trinitate cap. 12.* & *1. de Genesi ad litteram cap. 22.* Illam sequitur D. Thom. *vbi supra q. 10. art. 1.* ex Chrisostomo *Homil. 72. in Matthæum*, & *Homil. 14. in Marcum.* Quã etiam alijs excluſis, & impugnatis secutus est Abulensis *q. 209. in 24. caput Matthæi*, & quamuis expositiones traditæ possint nõ improbabiliter sustineri,

*Hæc vltima expositio præfertur.*

huic tamen standum est. Tùm, quia frequentior est apud Patres, & Theologos. Tùm etiam, quia vt dixi, consonat cum communi modo loquendi, qui etiam in Scriptura vsurpatur.

33 *Obiectio quædam diluitur.*

Nec ex illa sequitur, Christum, vt Deum, diem Iudicij nescire: nam Christus, vt Deus, diem illum sibi vt homini reuelauit: ac proinde iuxta istum modum loquendi, non potest dici Christũ, vt Deum, diem Iudicij nescire. Nec obstat illa exclusio, *nisi Pater*, qua videtur Filius excludi, quia ly *Pater* non sumitur personaliter, vt vna ex tribus personis realiter ab alijs distincta, sed absolutè prout dicitur Pater hominum, & Angelorum tutulo creationis, & iustificationis, de quo D. Thom. *infra q. 32 art. 3 in corpore*, qualiter etiam accipitur in oratione Dominica, cum dicitur: *Pater noster*, quæ paternitas conuenit Deo ratione perfectionis absolutæ, est que tribus personis communis, quod sapienter notauit Abulensis *Matthæi 24. q. 108.* Loquendo autem de illis rebus possibilibus, quas Deus Christo nõ manifestauit, rectè dici potest, Deum talia possibilia nescire, quia licet illa perfectissimè cognoscat, ea tamen non reuelauit.

34 *Contra expositionem traditã oppones primo.*

Sed contra istam expositionem obstat commune argumentum: sequitur namque ex illa Angelos diem Iudicij scire; consequens est falsum: ergo & tradita explicatio. Probatur sequela: nam si diem Iudicij nõ scirent, maximè propter illa verba Christi: *De die illa nemo scit, neque Angeli in Cælo*; sed ex illis non infertur Angelos diem Iudicij absolutè ignorare: ergo diem Iudicij sciunt. Probatur minor: nam etiam de Christo dicitur, diem Iudicij nescire; & tamen non sequitur illum absolutè ignorare sed non scire ad reuelandum: ergo pariter quamuis de Angelis dicatur, quod diem Iudicij non sciunt, non sequitur ipsum absolutè nescire, sed tantum, quod illum sciant secreto, & non vt alijs reuelent.

35 *Aliquorũ solutio cõcedentiũ*

Huic argumento quidam, quos sine nomine refert Sapientissimus Magister Soto *in 4. dist. 43. q. 2. art. 2. propè finem*, concedunt Angelos diem Iudicij scire, non quidem naturali notitia, nec supernaturali extra Verbum, sed in Verbo per beatificam visionem: nam licet hoc nõ pertineat ad essentiam beatitudinis, spectat tamen ad illorum gloriam accidentalem: quia est res scitu dignissima, quemadmodum Augustinus *in Enchiridione cap. 36.* Angelis beatis attribuit cognitionem numeri saluandorum: nam quamuis inde non colligatur omnimoda certitudine diem Iudicij cognoscere; fit tamen coniectura (inquit Doctissimus ille Magister) quod sicut cognoscunt prædestinatorum numerum, perspiciant, & salutis diem. Ex quo consequenter censet, dicendum, etiam animas beatas diem Iudicij in Verbo cognoscere, quia pariter illis iucundissimum erit, diem illam nosse, quam suis optant amicis. Præsertim cũ non immineat periculum, quod mysterium enuntient mortalibus. Quam sententiam Suarez *vbi supra* attribuit Abulensi *Matth. 24. q. 209.* Cæterum Abulensis *ibi* sententiam istam non docuit, imo *q. 205.* expressè negat, Angelis cognitionem diei Iudicij: *q. autem 206.* docet, quod licet Angeli post diẽ Iudicij omnia sint cognoscituri, nunc autem aliqua ignorant, & inter alia illum diem,

*Angelis diei Iudicij notitiam.*

36 *Probabilius est Angelos diem Iudicij ignorare.*

Magister Soto vbi *supra* oppositam sententiam, vt probabiliorem sequitur. Tùm, quia ad illorum beatitudinem nõ spectat diem Iudicij cognoscere. Tùm potissimè, quia dicens Christus *nec Angeli in cœlo*, significare videtur Angelos nullo pacto cognoscere illũ diem. Cui sententiæ Suarez loco *vbi supra* vt probabiliori adhæret, addens Abulensem affirmantem, & Sotum id negantem diuinare. Cæterum cum Magister Soto id solum, vt probabilius affirmet, & in hoc prædictus Auctor conueniat, qua ratione Mag. Sotus diuinare potest, nisi etiã ipse Suarez diuinet? Ad argumentum autem respondet ex prædicto loco tantum in rigore colligi Angelos non scire diem Iudicij ad dicendum, an verò absolutè nesciat, ex hoc loco non inferri, sicut neque etiam oppositum.

37 *Vera obiectionis solutio.*

Melius tamen respondetur negando sequelam. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, & minori,

nori, nego consequentiam. Ratio autē discriminis est: nam vt de Christo, quatenus homine, prædicta verba, non absolutē, sed cum illa restrictione accipiātur, vrgent alia verba Scripturæ, quibus dicitur: *Verus gratiæ, & veritatis*, & communis Patrum, & Theologorum consensus omnem ignorantiam à Christo, vt homine, relegans, quæ pro Angelis non vrgent: ac proinde loquendo de illis sunt absolutē, & non cum limitatione accipienda. Et quidem si verba illa: *Neque Angeli in Cœlo*, licet cum limitatione accipere, etiam alia, scilicet, *De die illa nemo scit*, poterunt cum eadē limitatione vsurpari. Ex quo fieret, quod ex prædicto testimonio, nec etiā de hominibus constet, diem Iudicij ignorare, nec illum absolutē nescire, sed tantum nescire ad dicendum, quod non concedet Suarez.

*Prob. 1. Angelos ignorare diem Iudicij.*

38 *Secūdo prob.*

Præterea: nam si Angeli diem Iudicij cognoscerent, id esset illis à Christo reuelatum, illumque scirēt ex Christi reuelatione; sed hoc admisso non potest dici de Christo diem Iudicij non scire: ergo ex dicto testimonio colligitur Angelos diem Iudicij ignorare, nō solum quia illum non sciunt ad dicendum, sed quia absolutē illum nesciunt. Consequentia tenet. Minor constat: vt enim docet Suarez *q. 10. t. 2. commentar. art. ad finem* ideo de Patre non verificatur diem iudicij non scire cum illa limitatione, quia Pater ita sciebat, quod saltim Christo homini reuelauit: ergo si Christus reuelasset Angelis diem Iudicij, non esset verum illum diem nō scire. Maior autem probatur: vt enim docet D. Thom. *q. 20. de Veritate art. 4. ad 5* Christus est Angelorum caput, quia illos illuminat secundum humanā naturam, vt dicit Dionisius 7 *de diuinis nominibus*, quo circa idem D. Thom. *supra q. 12 art. 4.* probat Christum etiā vt hominem, ab Angelis non didicisse, quia fuit Angelorum Magister; non est autem eiusdem respectu eiusdem docere, & doceri: ergo si Angeli diem Iudicij prænoscerent, esset ex illuminatione Christi secundum humanitatē. Præterea: vt enim docet D. Thom. *3 p. q. 8. art. 4* Christus etiam, vt homo, est caput Angelorum secundum ordinem dignitatis, & influentiæ, quia nempé, ex influxu Christi acceperunt Angeli gratiam, & gloriam, quod adhuc de prima Angelorum gratia, & gloria substantiali esse accipiendum, docent plures D. Thomæ Interpretes, & inter illos Suarez *q. 9. art. 4 à sp. 42 sect. 1* ergo etiā notitiam diei Iudicij ex influxu Christi accepissent.

*Si illū cognosceret esset ex reuelatione Christi.*

Si forte respondeas: si Angeli diem Iudicij prænoscerēt, habituros hanc notitiam à primo suæ glorificationis instanti: ac proinde non posset illis conuenire ex illuminatione Christi, vt hominis, sed tantum ex influxu illius in genere causæ finalis, aut meritoriæ, quod non sufficit, vt non sit verum de Christo diem Iudicij secreto scire, illamque nonscire ad dicendum, quandoquidem etiam si finaliter, & meritorié notitiam diei Iudicij in mentibus Angelorum causaret, nō diceretur diē illum Angelis dicere.

39 *Respondebis.*

In contrarium obstat; vt enim quis dicatur nescire ad manifestandum, oportet, quod notitiam non communicet, non solum per locutionem, sed alio quocumque modo; sed quāuis Christus, vt homo, non communicaret Angelis dictam notitiam loquendo; alio tamen modo illam communicasset, nempé, meritorié moraliter, vel in genere causæ finalis: ergo non verificaretur Christum, vt hominem, non scire diem Iudicij ad illum manifestandum. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: vt enim fatetur Suarez *vbi supra* impugnando secundam expositionem dicti testimonij referentem Christum, etiam vt Deum, diem Iudicij non scire, quia non scit illum ad manifestandum alijs, hoc non potest de Filio verificari, eo quod Filius est principium Spiritus Sancti, & per processionem Spiritui Sancto dictam notitiam communicat; & tamen illam non cōmunicat loquendo; cum processio Spiritus Sancti, sicut generatio non est ita etiam non sit locutio, sicut Spiritus Sanctus, nec Verbum, nec Filius est: ergo vt aliquis dicatur rem, quam cognoscit nescire, quia non scit ad manifestandū, oportet, quod notitiam habitā non cōmunicet, non solum per locutionem, sed nec etiam alio modo.

40 *Contra.*

Quod

Quod amplius vrgetur: etenim si antiqui Patres diem iudicij cognouissent notitia ex meritis Christi habita, non posset verificari Christum, vt hominē, diem iudicij non scire, quia illam non sciret ad reuelandum; & tamē Antiquis Patribus non reuelaret loquendo, sed tā tum meritorie notitiam illam causando: ergo si Angeli ex influxu meritorio Christi notitiam diei iudicij habuissēt, non esset verum Christum vt hominem diem iudicij nescire, eo quod secreto diem iudicij cognouit. Consequentia tenet. Minor est certa nam Christus nō dum existens non potest loquendo notitiam aliquam tradere. Maior autem probatur: si namque, prædicta doctrina admissa, verificaretur de Christo diem iudicij nescire, quia illam ad reuelandū non sciret, non constaret ex prædicto testimonio Antiquos Patres diem iudicij ignorasse: consequens est falsum: omnes enim inferunt ex prædicto testimonio, nullum ex hominibus diem extremi iudicij cognoscere: ergo si Patres Antiqui diem iudicij cognoscerent notitia ex meritis Christi habita, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ finalis, non verificaretur de Christo quatenus homine diem iudicij nescire, eo quod illam non sciuit ad reuelandum.

41 *Cōfirmatur.*

Deinde contra expositionem traditam obstat: etenim ex illa sequitur Christum ex industria, & intentione dedisse Apostolis occasionem errandi; consequens est falsum: ergo & tradita expositio. Falsitas consequentis cōstat primo: nam error, cuius occasionē daret, esset error contra fidem, nempé, assensus istius propositionis: *Christus nescit absolutè diem iudicij*: Christus autem errorem contra fidem nequit intendere. Secundo: nam Christus, nec vt Deus, nec vt homo, potest errorem per se, & ex intentione causare. Sequela autem probatur: nam Christus nō intendebat, quod Apostoli intelligerent filium nescire diem iudicij cum limitatione, & addito, nempé, ad manifestandum illis. Tum; quia si hoc intenderet, facilius intentum assequeretur dicendo se quidem scire diem illum, non tamen vt illis manifestaret; quia ipsis non expediebat. Tum etiam; quia per huiusmodi notitiam Apostolos non quietaret, sed potius illorum desiderium obtinendi diei iudicij notitiam magis accenderet, quia rem magnam esse intelligerent, quam Christus sub se creto sciebat: Christus autem quietare intendebat Apostolos: ergo intentum Christi fuit, quod Apostoli huic propositioni assentirēt, *Filius nescit diem iudicij absolutè*, quæ si de Christo, vt Deo accipiatur, aperté est hæretica: si autem de Christo vt homine, etiam erronea censetur; & consequenter ex industria, & intētione occasionem errandi discipulis dedit.

42 *Oppones secundo cōtra expositionē tradita.*

Difficultatē tetigit Abulensis *Matth* 24 *q.* 210. & respondet concedendo sequelam, & negando minorem. Nam licet repugnet Deo esse Auctorem erroris formalis contra fidem, qui damnabilis, & peccatum est; non tamen repugnat illi errorem materialem intendere, & illum per se causare: error autem ille non formalis, sed materialis esset, quia veritas contraria non erat Apostolis sufficienter proposita, vt patet ex cap. 14. Ioānis, vbi Philippo petenti à Christo, vt illis Patrem ostenderet, Christus respondit: *Tanto tempore vobiscum sum, & nō cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrē meum.* Ex quibus constat Apostolis, tunc temporis nondum sufficienter esse propositam consubstantialitatem Filij cum Patre, illamque nō credidisse pro tūc: sicut ergo hoc nescie bant, ita etiam ignorabant, Christum scire omnia, quæ Pater sciebat, & sic intelligere poterant, Christum, etiam vt Deū, diem iudicij absoluté ignorare, absque errore contra fidem formali ex defectu sufficientis propositionis oppositæ veritatis.

43 *Respondet Abulensis.*

Hæc tamen Abulensis doctrina vera non est, & contra illam facit primo: nam licet error materialis in fide, non sit peccatum formaliter, est tamen materialiter peccatum, & ex meritis obiecti: Deus autem non solum actus peccaminosi formaliter, verum etiam nec actus, qui peccatum sit materialiter, & ex meritis obiecti potest esse Auctor, illum speciali influxu causans, & ex industria procurans, vt constat in odio indeliberato Dei, quod à malitia formali excusatur ob defectum libertatis, & tamen à Deo

44 *Reijcitur primo eius solutio.*

*Deus nō potest errorē materialem contra fidem, spe-*

causari,

*cialiter causare, aut intẽdere.*

causari, & per se intendi non potest, vt *supra* vidimus: ergo errorem materialem in fide non potest per se causare, nec per se intendere.

45 *Secundo reijcitur*

Deinde: nam sequitur ex solutione tradita, Christu fuisse mentitum, sumpto mendacio inadæquaté; consequens absurdum est: ergo tradita solutio sustineri non potest. Probatur sequela, vt enim ex Augustino *tom. 4. lib. de mendacio cap. 4.* docet D. Tho. 2. 2. *q.* 110 *art.* 1. *Mendacium est enuntiatio falsi cum intentione fallendi.* Quam diffinitionem mendacij amplectuntur omnes Theologi; sed Christus dicens se nescire diem iudicij, quia non sciebat ad dicendum, intendens, quod Apostoli intelligerẽt, Christum diem iudicij absoluté ignorare, tametsi falsum nõ diceret, haberet tamen animum, & intentionem fallendi: ergo mentitꝰ esset sumpto inadæquaté mendacio. Probatur minor: falli cõsistit in cognoscendo rem aliter, ac est: ergo fallere est inducere ad concipiendã rem aliter, quam est; sed Christus intendens, quod Apostoli intelligerent ipsum absoluté nescire diem iudicij, intenderet, quod Apostoli rem aliter quam est intelligerent: ergo haberet animum, & intentionem fallendi. Denique: nam falsũ est: posse Deum esse Auctorem, & per se causam erroris, qui damnabilis non sit, vt vera sententia tenet 2. 2. *q.* 1. *art.* 3. & ex dicendis constabit: ergo quamuis error in Apostolis inductꝰ, damnabilis, & peccatum non sit, Christus illum non intendit per se, nec ex industria quæsiuit.

*Tertio.*

46 *Vera 2. obiectionis solutio.*

Quare ad obiectionem factam aliter est occurendum, negando sequelam. Nam zelare veritatem, quamuis ex hoc sit ab alijs occasio errandi sumenda, nõ est errorem intendere, aliàs sicut numquam licet mentiri, ita numquam liceret veritatem zelare, cuius contrarium docet D. Thom. 2. 2. *q.* 110 *art.* 3. *ad* 3 & 4. *argumentũ*, ex August. *tomo* 6. *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 34 & *tom.* 4. *lib. de mendacio cap.* 10. Christus autem dicẽs, se nescire diem iudicij; quia non sciebat ad dicendum, veritatem occultauit, & quamuis ex dicto Christi sumerent Apostoli occasionem errandi, non sequitur fuisse intentum ab ipso, nec ex industria quæsitum. Ad probationem sequelæ prætermisso antecedenti, nego consequentiam. Nam potuit Christus intendere, quod Apostoli cognoscerent, se diem iudicij nescire, nec determinaté absoluté, nec cum illo addito, nempe, *ad manifestandum ipsis*; sed nihil horum exprimendo, & sicut Christus absoluté dicens, se nescire non fuit mentitus, ita Apostoli assentiẽtes huic propositioni absoluté sine expressione alicuiꝰ ex prædictis modis, verũ assensũ elicerẽt, quod si ex propositione absoluté prolata occasionem sumpsere sentiendi Christum absoluté diem iudicij ignorare, hoc à Christo intentum non fuit, sed permissum, in quo nullum peccatum est, nec moralis imperfectio.

47 *Secũdo arg. auctoritate Patrũ*

Secundo principaliter contra eandẽ conclusionem arguitur Auctoritate Patrum; Christo diei iudicij ignorantiam attribuentium. Ita Origines tract. 30. in Matth. explicans illa verba: *De die autem illa nemo scit, nec Angeli in Cœlo, neque filius hominis, nisi Pater*; vbi probabilẽ censet sententiam illorum, qui dicunt, Christum, vt hominem, diem iudicij ignorasse, Athanasius etiam oratione 4. cõtra Arrianos post medium, vbi fusé tractat dictum testimonium, & inter alia sic ait: *Nam sicut vt homo cum hominibus esurit, & sitit, & patitur, ita cum hominibus, vt homo, non nouit.* Ac deniq; Cyrillꝰ lib. 9. Thesauri cap. 4. & lib. de recta fide ad Reginas cap. 1 eandem sentẽtiam his verbis docuit: *Quemadmodum enim ipse cum sit vita, & facultas omniũ, alimentum suscepit, ex inanitionis mẽsuram non despiciens* (scribitur enim, & dormisse, & laborasse) *ita etiam ignorationis futurorum, quæ humanæ naturæ conuenit, eum non puduit, quam quidem in se recepit: omnia enim, quæ humanitati annexa sunt, ipsi communicata sunt, præter peccatum. Cum vero discipuli, quæ ipsorum vires excedebant, scire cuperent, consulto ignorantiã suam ea ratione, qua homo erat, prætexit.* Ergo iuxta istos Patres, Christus, vt homo, ignorantiam priuatiuam habuit; quandoquidem diem iudicij ignorauit, cuius notitia Christo, vt homini debebatur, vel nullius futuri notitia fuit humanitati vnitæ debita.

Propter

Propter hæc Pater Vazquez *disp. 51 cap. 1.* aperté fatetur prædictos Patres in ea fuisse sententia, quod Christo quatenus homini ignorantiam attribuerēt, & nihilominus nostram esse de fide tenendam ob vniuersalem traditionem. In quo minus consequenter loquutum notauimus *supra*: non enim credendum est, traditionem ita vniuersalem ignorasse, minusque in Patres benignus notatur ab alijs, quia cum posset illos benignè interprætando à sententia, quam hæreticam censet, eximere, illos, vt particulares Doctores tractans, nolluit interpretari.

48 *P. Vazq. parū in PP benignus.*

Ad argumentum ergo respondeo, Originem eam sententiam retulisse, nō tamen approbasse, quamuis non expressé reiecerit. Vel explicari potest de ignorantia experimentali negatiua, quod nempé, Christus, vt homo diem iudicij scientia experimentali non cognouit. Et eodem modo explicatur Athanasius, cum docet; Christum, vt hominem cū hominibus diem iudicij non nouisse, quia scilicet diem iudicij scientia experimentali non cognouit, non tamen negat diem iudicij cognouisse per scientiam beatam in Verbo, & per scientiam infusam extra Verbum. Vel secundo potest explicari de Christo quatenus homine inspecto secundum se, non autem attenta vnione, id est, non nouisse, vt hominē, diem iudicij per vires ipsi vt homini debitas, cum quo tamen stat, quod diem iudicij cognouerit per auxilia gratiæ debita humanitati vnitæ, non ratione sui, sed ratione vnionis ad Verbum, qualiter ipse Vazquez *vbi supra* num. 7. explicat Nacianzenū orat 36. quæ est 4. de Theologia num. 60. vbi sic ait: *Et cui igitur dubium esse potest, quin horam, quidem, vt Deus cognitam habeat; ignorare autem, vt homo?* Quæ verba quamuis adeò expressa sint, sic intelligenda censet, Christum secūdum humanitatem ignorasse diem iudicij, si eius humanitas secūdum propriam naturam consideretur, & à Verbo cui re vera coniuncta est, vt separata per rationem inspiciatur: secus autē si attendatur, quatenus Verbo coniuncta, & à Deo scientiæ, & sapientiæ thesauris ditata. Si namque Nazianzenus quamuis ita expressé Christo vt homini prædictam notitiam negauerit sic explicatur, in quo Athanasius peccauit, vt eadem expositione ab absurda sententia, & vt Vazquez censet hæretica, defendatur immunis?

49 *Respōdetur explicādo Patrū testimonia. Orig. & Athanasius.*

Sed contra hanc expositionem opponit Vazquez alia verba, quæ postea Athanasius addidit: inquit enim: *Diuinitus omnia scire, carnaliter tamen ob carnem ignorationi obnoxiam, dixit se eius rei ignarum esse.* Quæ verba non videtur posse expositione data explicari. Cæterum hæc verba non minus quam prius adducta interpretationem datā admittum: nam illorum sensus est *carnaliter*, hoc est, ex viribus carnis loquendo, & præcisa reuelatione diuina, *ob carnem ignorationi obnoxiam*, id est de se ignorantiæ, & errori expositam, *dixit Christus se illius rei ignarum esse*, id est non conscium diei iudicij ex viribus debitis humanitati, & secundum carnis reuelationem, iuxta illud Christi ad Petrum Matth. 16. *Non caro, & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus, qui in Cœlis est.*

51 *Opponit Vazq.* — *Respondetur.*

Et eodem modo explicandus venit Cyrillus cum docuit: *Ignorationis futurorum, quæ humanæ naturæ cōuenit, eum non puduit.* Non enim loquitur de ignorantia futurorum Christo vt homini absolute cōueniente; vere enim futura cognouit; & consequenter absolutè non ignorauit: ignorauit autem vt homo, id est, ex viribus humanitatis illa non cognouit, & huius ignorationis Christum non puduit, sed illam in se suscepit: verū namque est, de Christo loquendo, dicere, vt hominem non cognouisse futura, non sumpto ly *vt subiectiuè*, sed *principiatiuè*, quia humanitas de se non fuit sufficiens causa cognitionis futurorū; qua ratione D. Thom. in præsenti art. 3. ad 1. explicat Damascenū *lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 21* dicētem: *Verbum seruilē, & ignorantem accepisse naturam*: quia nempé, accepit naturam humanam, quæ secundum rationem suæ speciei cognitionem futurorum non habet: negatio ergo cognitionis futurorum ex viribus suæ speciei, ignorantia dici potest, & hāc ignorantiam docet Cyrillus Verbum Dei suscepisse, & Christo vt homini conuenire, cum dicit: *Ignorationi futurorū Christum non puduit.*

52 *Explicatur Cyrillus.*

50 *Vazq. redarguitur.*

Sed oppones primo: Cyrillus docet, quod *sicut dormiuit, & laborauit, ita etiam ignorationis futurorum, quæ humanæ naturæ conuenit ipsum nō puduit*; sed vere, & absolute laborauit, & dormiuit: ergo veré, & absoluté futura aliqua ignorauit. Secundo: nam assignans causā, cur ignorantiam assumpsit dicit: *Omnia enim, quæ humanitati annexa sunt, communicata sunt ipsi præter peccatum*; sed absoluta futurorum ignorantia, est humanitati annexa, & peccatum non est: ergo iuxta Cyrillum absoluta ignorantia futurorū fuit in Christo, vt homine, de facto reperta

53 *Oppones primo.*

*Secundo*

Respondeo ad primam replicam: necessarium non esse, quod similitudo in omnibus teneat; vnde etsi somnum, & labor absolute Christo inferint, non sequitur, quod ignorātia futurorum absolutē in Christo fuerit, sed solum cum addito, nempē, ignorantia futurorum ex vi humanitatis assumptæ consideratæ secundum conditionem suæ speciei. Ad secundam dicatur, causalem illam traditam à Cyrillo non ita ample esse accipiēdam, vt omnem humanitatis defectum, qui peccatum non sit, Verbum cum humanitate assumpserit, alias dicere cogeremur sensisse Cyrillum motus indeliberatos sensualitatis fuisse in humanitate Christi cum nō sint peccata formaliter, sed excipiendo peccatum, in quo apertius obstaculum fini redemptionis inspicitur, etiam excipiuntur alia, quæ redēptori non congruunt, qualem esse ignorātiam futurorum constat ex dictis, & amplius ex dicendis constabit.

54 *Respōdetur ad primam obiectionem.*

*Ad secūdam.*

Tertio arguitur: nam Christus cum natura nostra assumpsit naturales defectus, qui non impediebant finem assūptionis, nempé, redemptionem nostram; sed multarum rerum nescientia, impedimentum nostræ redemptionis nō est, vt patet si Christus nesciret, quot lapides sunt influuio, numerumque arenæ maris: ergo hæc ignorauit Christus; & consequenter ignorantiam assumpsit. Huic argumento respondet D. Thom. q. 20. de veritate art. 4. ad 11. negando minorem. *Nam quæcumque nescientia esset defectus redemptionem humani generis impediens, quia in redemptore per quē gratia, & veritas per totum humanum genus diffundēda erat, requirebatur plenitudo gratiæ, & veritatis, cui quilibet scientiæ defectus præiudicare poterat.* Quæ doctrina non sic accipienda est, vt nescientia futurorum immediatè aduersaretur fini redemptionis, vt aliquid ei contrarium, qualiter aduersatur peccatum, satisfactionis valorem impediens, sed mediate, & per quamdam incongruentiam; quia nempé vniuersalis redemptor debebat esse vniuersalis Magister, quem quæcumque ignorantia dedecet.

55 *Tertio arguitur*

*Respondet Diuꝰ Thomas*

Cæterum contra hanc solutionem obstat doctrina a Nobis §. 1. tradita ex cōmuni sententia: Christus namque non cognouit omnes creaturas possibiles; & consequenter fuit in illo aliquorum possibilium nescientia: ergo non quæcumque nescientia est defectus redemptionem impediens, nec indecens Magistrū vniuersalem, qualis esse debet vniuersalis Redemptor. Respondeo, concesso antecedenti, distinguēdo consequens: nescientia puré negatiua, concedo consequentiam: nescientia priuatiua, quæ proprié ignorantia dicitur, nego consequentiam. Et de hac nescientia loquitur D. Thom. cum docet, *quamlibet nescientiam impedimentum fore redemptioni ratione indecentiæ*: nescientia autem possibilium puré negatiua est, eo quod humanitati assumptæ non debetur omniū possibilium cognitio, & ideo in tali nescientia nulla indecentia inuenitur.

56 *Oppones*

*Respōdetur.*

Sed contra hanc solutionem insurgunt quidam Recentiores primo nescientia possibilium est in proprietate ignorantia; & tamen Christum non dedecet: ergo quamuis futurorum nescientia, proprié ignorantia dicatur, non dedecet Christum ex munere vniuersalis Magistri. Probatur maior: ea est proprié ignorantia, qua quis proprié dicitur ignorans; sed non minus proprié dicitur nos ignorare possibilia; quam ignorare futura: ergo non minus proprie dicitur ignorantia, possibilium nescientia, quā nescientia futurorum

57 *Instant Recētiores 1.*

Secundo obijciunt: si ob aliquā rationem nescientia futurorum esset ignorantia proprié: secus autem nescientia possibilium, & ideò illa, & non ita esset Christo vt homini indecens, maximè quia

58 *Secūdo.*

futu-

futurorũ cognitio esset debita: secus autem cognitio possibilium; sed hoc est falsum, & dato quod verum esset, non probaretur discrimen: ergo vel vtraque nescientia est proprié ignorantia Christum vt hominem dedecens, vel in neutra ratio propriæ ignorantiæ, aut indecẽtiæ inuenitur. Minorem pro prima parte probant: non enim potest ratio assignari, cur futurorum cognitio sit Christo debita: secus autem possibilium, nec potest certo determinari, quorum cognitio debeatur, & quorum cognitio debita non sit.

*Minor pro pri-ma parte probatur.*

Deinde pro secunda parte arguunt primo: quia asserere illam proprié dici ignorantiam, quæ est carentia cognitionis debitæ, est contra communem conceptionem; quia esto mihi nõ debeatur cognitio quadraturæ circuli, ab omnib⁹ tamen in omni proprietate dicor, illam ignorare: ergo vt aliqua nescientia dicatur proprié ignorantia, non requiritur, quod cognitio, cuius est negatio, sit debita. Deinde; quia nos propriissime dicimur, diẽ iudicij ignorare, & in eodem sensu, in quo Christo illius diei notitia negatur; & tamẽ illius diei cognitio nulli ex nobis secũdum statum nostrum est debita: ergo ex hoc, quod cognitio futurorum sit Christo, vt homini, debita: secus autem cognitio possibilium, nõ probatur defectum cognitionis futurorum esse cum proprietate ignorantiam Christo, vt homini, indecentem, non autem defectum cognitionis possibilium. Ex quo inferunt Recentiores, vel Christo tribuendam esse cognitionem omnium possibilium, vel fatendum fuisse in illo quatenus homine ignorantiam proprié dictam.

59 *Pro secũda parte probatur 1.*

*Secũdo.*

Cæterum cum sententia feré communis releget à Christo, vt homine, cognitionem omnium possibilium; & consequenter nescientiam in illo admittat: ignorantiam autem proprie dictam intellectui Christi concedere, probabilitate careat, immerito Recentiores vnum cum alio connectunt, & ex non cognitione aliquorum possibilium, ignorantiam proprie dictã irrationabiliter colligunt. Igitur ad primam obiectionem respondeo, negando minorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem, & suppositum minoris. Nam respectu nostri, tam possibilium, quam futurorum nescientia, non nisi improprie dicitur ignorãtia, eo quod nobis nec possibilium, nec futurorum cognitio debetur: ignorantia autem prout a nescientia distincta, quæ solum est proprie ignorantia consistit in carentia cognitionis debitæ, quod si aliquorum futurorũ cognitio sit puro homini debita, illius carẽtia dicetur proprie ignorantia: si autem cognitio alicuius rei possibilis indebita sit, illius carentia improprié ignorantia dicetur.

60 *In Christo admittitur aliquarũ rerũ nescientia, nõ autẽ ignorãtia proprie dicta.*

*Ad 1. replicã res põdetur*

Ad secundam, concessa maiori, nego vtramque partem minoris. Ad primæ partis probationẽ nego antecedens. Ratio autem est: nam Christo ratione vnionis debetur omnis cognitio ad quã est in humanitate capacitas, & quia humanitas est capax cognoscendi omnia futura: secus autẽ omnia possibilia, ideo carentia cognitionis cuiuscumq; rei futuræ esset in humanitate vnita cum proprietate ignorantia: carentia autem cognitionis aliquorum possibilium non est ignorantia proprié. Ad primam probationem secundæ partis minoris, nego antecedens, imo oppositum asseritur ab omnibus Theologis: & ratio est manifesta: nam ignorantia proprié sumpta, est priuatio, & priuatiuus defectus: in hoc autem priuatio à pura negatione distinguitur, quod priuatio est carẽtia formæ debitæ: negatio autem debitum formæ cuius est negatio non petit, vt communiter docent Philosophi: ac proinde ignorantia proprié sumpta, est carẽtia cognitionis debitæ aliqua ratione subiecto. Quod si nos dicimur cum proprietate quadraturam circuli ignorare, est, quia cognitio quadraturæ circuli est possibilis: & debita naturę intellectiuæ, etsi nõ in omni indiuiduo. Quod autem debetur generi, vel speciei, licet indiuiduo non conueniat, dicitur illo priuatum.

61 *Ad secũdam. Ad primã probationẽ 1 partis minoris respondetur.*

*Ad primã probationẽ 2 partis*

*Differentia inter negationẽ & priuationẽ.*

Ad secundam probationem, nego maiorem. Nos enim dicimur ignorare diem iudicij, ignorantia negatiua, eo quod quamuis in nobis sit capacitas obedientialis ad notitiam illius diei, non tamen est nobis debita. In Christo autem est ratione humanitatis capacitas, & ratione vnionis debitum talis notitiæ: ac

62 *Ad secũdã probationem.*

pro-

pro inde ignorantia, quæ foret in Christo esset veré, & proprie priuatio, & in hoc sensu negatur: ex quo vlterius fit, quod non in eodem sensu conuenit nobis ignorātia diei iudicij, in quo de Christo negatur.

## §. IV.

### *Vltimæ obiectioni occurritur, & explicatur, an, & qualiter fuerit in Christo admiratio?*

63 *Vltimo arguitur* DENIQVE arguitur: nam in Christo fuit admiratio, vt constat ex illo Matth. 8. *Audiens Iesus* (scilicet Centurionis verba) *miratus est*; sed admiratio ignorantiam præsupponit: ergo in Christo fuit ignorantia. *Minor probatur 1.* Minor, in qua est difficultas, probatur primo ex Aristotele 1. *metaphysicæ cap.* 2 asserēte, quod admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, & ignorat causam: ergo admiratio ignorantiam supponit. *Secūdo. Arist.* Secūdo: vt enim docet Aristoteles *lib.* 1. *methaphysicæ cap.* 1. & ex ipso D. Thom. 1. 2. *q.* 41. *art.* 4 *ad* 5. Phylosophi ex admiratione sunt moti ad inquirendam veritatem; sed moueri ad veritatem inquirendam, ignorantiam veritatis supponit: ergo admiratio procedit ex ignorantia.

64 *Tertio. S. Tho.* Tertio; quia vt docet idem D. Tho. 1. 2. q. 32. art. 8. in corpore. *Admiratio est desiderium quoddam sciendi; quod in homine contingit ex hoc, quod videt effectum, & ignorat causam: vel ex hoc quod causa talis effectꝰ excedit cognitionē, aut facultatem ipsius, & ideo admiratio est causa delectationis in quantum habet adiunctam spem consequendi cognitionem eius, quod scire desiderat*: ergo iuxta D. Thom. admiratio præsupponit ignorātiam, & ex illa procedit. *Quarto.* Denique probatur ex Augustino Epist. 101. post medium, vbi docet: *Admirationē esse de re, cuius ratio latet admirantem, ideoque de Virginei partus mysterio se dixisse si ratio quæritur, non erit mirabile, eiusque rationē latere eos, quibus Deus voluit esse mirabile*: sentit ergo Augustinus, verā, propriamque admirationem, ignorantiam præsupponere. *S. Aug.*

65 *Propter hoc argumētū, aliqui non admittūt verā admirationē in Christo.* Hoc argumento conuincuntur non nulli Theologi, vt asserant Christū, nec vt Deum, nec vt hominē proprié fuisse miratum, nec capacem affectus admirationis, sed dicitur fidem Centurionis miratus, quia fuit ad instar hominis mirantis loquutus laudans Centurionis fidem, quod homines efficiunt cū rem aliquā admirantur, sicut Deus dicitur, irasci, nō quia re vera cum proprietate irascatur, sed quia instar irati se gerit cum punit, quod homines irati efficere solent. Quā doctrinam, vt probabilem sustinet Abulensis *cap.* 8 *Matthæi q.* 34. Illamque sequitur Maldonadus *ibidem num.* 10. Cui aliqui Recentiores Societatis adhærēt, Arriaga *disp.* 40. *sect.* 5. Bernal *disp* 41. *sect.* 4. Et Martinus Perez *disp.* 28. *sect.* 5. vbi docet, erga obiecta creata affectum veræ, & propriæ admirationis in Christo non fuisse, bene tamen erga obiectū increatum, eo quod, vt homo, illud non comprehendit, quamuis per scientiam beatam Deum quidditatiué cognouerit. Et iuxta hanc doctrinam cessat difficultas proposita: nam licet admiratio ignorantiam præsupponat, cum in Christo vt homine non fuerit, non sequitur fuisse in illo ignorantiam, sed instar hominum mirantium, & ignorantium se gessisse, fidem Centurionis laudando. *Abulēsis* *Maldon* *Arriaga Bernal. Perez.*

66 *Opposita sententia est cōmunis, & probatur 1.* Cæterum contra illam obstat primo: communis Scholasticorum sententia docens fuisse in Christo veré, & proprié admirationis affectum, quam præter vnum, aut alterum Recentiorem, omnes tenere docet Vazquez *disp.* 62. *cap.* 4. & alij censent esse communem: ergo deserenda non est, vt argumento occurratur. Deinde quia ad minus nequit negari sententiam admittentem cum proprietate admirationem in Christo, admodum probabilem esse; cum tot habeat patronos, & inter alios Angelicū Præceptorem, qui solus, omnibus alijs *Secūdo.*

omissis,

omissis, illam probabilem efficere potest; at sententia Christo ignorantiam tribuens, omnino improbabilis est: ergo sustineri debet, admisso in Christo, quatenus homine, admirationis affectu. De-

*Deniq;*

nique: nam verba Scripturæ cum proprietate sunt accipienda; cum sic accipi sine incõmodo possunt, & ex illorum rigorosa acceptione aliquod incõueniens non sequitur; at Christum fuisse miratum, in Scriptura Sacra inuenitur, & ex eo quod proprié explicetur, nullum sequitur absurdum, vt ex argumenti solutione constabit: ergo cum proprietate est constituenda in Christo, quatenus homine, admiratio.

67 *Secũda solutio Suarij, & Vazquez.*

Secunda solutio est: duplicem esse admirationis speciem, alteram consistẽtem in desiderio cognoscendi causam orto ex cognitione effectus, cuius causa, vel ratio ignoratur, de qua admirationis specie interpretantur Philosophum 1. metaphysicæ cap. 2. cum ait: *Propter admirationem enim, & nunc, et primo cœperunt homines philosophari, à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant: deinde paulatim vlterius procedentes, etiam de maioribus dubitando.* Et hoc ideo, quia cognoscendo effectus, illorum cognitione delectati desiderabant illius causas cognoscere, & hoc genus, vel speciẽ admirationis in Christo non fuisse docent, quia ignorantiam præsupponit, quæ in illo admittenda non est.

*Philos.*

68

Alia est species, vel genus admirationis consistens in delectatione orta ex apprehensione alicuius rei insuetæ in eius laudem inclinans, & hoc genus admirationis non supponit, vel rei, vel causæ ignorantiam. Nam postquam, quis est miratus, videns aquam arte ascendẽtem in montem, si causa sit magni ingenij, etiam visa causa miratur, non quidẽ desiderans causam videre, sed rei magnitudinem laudans; eo quod insueta sit, quo genere admirationis accipiendus est Philosophus *lib. 4. Ethicorum cap.* 3. cum docet, magnanimum non esse ad admirationem procliuem; eo quod quamuis res aliquæ insuetæ illi occurrant; paucas tamen ex illis magni facit, & ita parcus est in laudando. Cum ergo Christus dicitur, fidem Centurionis miratus, intelligendus est de hoc admirationis genere, quæ in affectu laudis cõsistit, ignorantiamque non supponit. Ita Suarez *in hac q. art. 8. in commentario articuli*, & Vazquez *disput. 62. cap.* 4. cum hac tamen differentia, quod Suarez aliquam nouitatẽ in rei magnæ cognitione ad affectum propriæ admirationis requirit. Vazquez autem solam rei magnitudinem, & delectationem ex illa captam in laudem inclinantem exposcit.

*Suar.*

Quod si contra doctrinam istam opponas: sequi ex illa esse in Deo constituendum admirationis affectum cum eadem proprietate, qua in Christo, vt homine, adstruitur; consequens est falsum: omnes enim Theologi excludunt à Deo admirationem: ergo tradita doctrina vera non est. Probatur sequela: nam Deus potest cognoscere rem aliquam insuetam, & raram, eamque magni facere, & laudare, vt laudauit fidem, & timorem Abrahæ *Genesis* 22. potest insuper in re illa à se cognita delectari: ergo si delectatio orta ex cognitione rei insuetæ, & raræ inclinans in eius laudem, absque vlla ignorantia rei, vel causarum talis rei, est in rigore admiratio, erit constituendus proprié in Deo admirationis affectus.

69 *Si opponatur.*

Respondet Vazquez, negando sequelam. Vt enim res aliqua admirationem causet, quia rara, & insueta est, debet esse supra vires eius, qui admiratur: nihil autem ab aliquo fieri potest quantumuis inassuetum, & rarum, quod sit supra vires Dei: & ideo, quamuis plura Deus laudet, in illisque delectetur, nihil tamen potest illum ad delectationẽ mouere, quæ proprié admiratio sit: fides autem Centurionis ex vna parte fuit rara, in homine que militari, & gentili insueta, & ex alia vires naturales humanitatis Christi excedebat, & ideo potuit, Christum, vt hominem, in delectationem mouere, quæ proprié admiratio sit.

70 *Respõd. Vazq̃z*

Sed contra primo ad hominem cõtra Vazquez: non enim minus sufficit excitare admirationem res insueta, & rara, quia ab admirante non cognita, quam quia supra vires eius sit, sed fidem Centurionis non esse à Christo, vt homine,

71 *Reijcitur 1. eius solutio.*

*Iuxta eius doctrinã ponitur admiratio in Christo, etiã est in Deo adstruenda.*

mine vno modo cognitionis, nempé, experimentali cognita antecedenter, non est sufficiens, vt admirationem excitet ex defectu cognitionis, vt docet prædictus Auctor, quia per scientiam infusam, & beatam perfectè cognoscebantur à Christo, & fides, & illius causæ: ergo pariter excedere vires Christi secundum vnam rationem, nempé, vires naturales non constituit illam, sufficiẽs admirationis obiectum respectiué ad Christum, vt hominem; cum non excederet vires supernaturales, quas humanitas habebat. Deinde: nam homines non mirantur ortum Solis, & occasum, nec pluuiam de cœlo cadentẽ, & tamen sunt opera vires hominum excedentia: ergo magnitudo rei excedentis vires cognoscentis illam, nõ sufficit admirationem causare; & cõsequẽter ex eo quod fides Centurionis vires humanitatis excederet: secus autem vires Dei, in cuius virtute, & cuius auxilijs credidit, non redditur sufficiens ratio discriminis, vt in Christo, & non in Deo admirationem causauerit.

*Secũdo.*

72 *Respondebis.*

Dices: præter excessum obiecti supra vires cognoscentis, requiri, quod rarum, & insolitum sit: opera autem prædicta, etsi hominum vires excedant, insueta, & rara non sunt, ideoque admirationem non excitant: vt enim ait Augustin⁹ tract. 24. in Ioannem: *Maius miraculum* (idest maius op⁹ est) *gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; & tamen illud nemo miratur, hoc mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est*: Ergo vt admiratio excitetur, requiritur, quod obiectum rarum sit, & insuetum, ideoque ortus, & occasus Solis, & alia diuinæ virtutis opera, quantumuis eximia sint, homines non admirantur, quia inconsueta, & rara non sunt, & assiduitate vi luerũt, vt ait Augustus *vbi proximè*.

73 *Contra.*

Sed contra: vt enim res aliqua affectum admirationis excitet, quia rara est, non sufficit, quod in se rara sit, & vt talis cognoscatur, sed insuper est necessarium, esse raram cognoscenti, in quantum tali, idest, rara ab ipso cognitam, vel nouiter occurrentem; sed fides Cẽturionis non fuit Christo, vt homini rara, quatenus cognoscenti, in sententia istius Auctoris: ergo non potuit in Christo, quatenus homine excitare admirationem. Consequentia tenet. Minor constat: Vazquez enim non admittit admirationem in Christo causatam ex re nouo modo cognita, vnde quamuis per scientiam experimentalẽ (in quit ipse) fidem Centurionis antea non expertem cognouerit, hoc non sufficit, vt Christus illam fuerit miratus: ergo in illius sentẽtia fides Centurionis non fuit Christo, vt cognoscenti rara, modo sufficiente ad causandam admirationem in illo. Maior autem probatur: nam Deus cognouit fidem Centurionis, vt raram, ideſt, vt raro, & præter morem solitum in hominib⁹ illius status, cõditionisq; euenientẽ; & tamẽ illi miratus nõ est: ergo vt res aliqua admirationẽ excitet, quia rara, nõ sufficit, esse in se rarã, & insolitam, & vt talẽ apprehendi, sed insuper est necessarium esse rarã cognoscenti, in quantũ tali, id est, raro ab ipso cognitam, vel absoluté, vel saltim modo aliquo cognitionis.

74 *Respondebis.*

Si dicas: quod licet fides Centurionis cognoscatur à Deo, vt rara, respectu nostri, non tamen cognoscitur, vt rara respectu sui, quia non est supra virtutem Dei naturalẽ; & ideo non posse excitare admirationem in Deo. In contrarium obstat, nam rem aliquã esse raram, & inconsuetam alicui, non est vires eius excedere; aliàs ortus, & occasus Solis, & alia opera Dei, quæ nostram excedunt virtutem, rara essent respectu nostri: ergo non ideo, non fuit rara per cõparationem ad Deum: quia eius virtutem non superet, sed quia Deo, vt cognoscenti non fuit de nouo occurrens, sed ab æterno perfectissimé cognita; & consequenter; cum nec etiam respectu Christi, vt cognoscentis, aliquã nouitatem habuerit, vt docet prædict⁹ Auctor, nec etiã respectu Christi fuit rara.

*In cõtrarium obstat.*

Secundo respondet Suarez obiectioni principali, quod vt obiectum aliquod excitet admirationẽ, requiri, quod nouo aliquo modo cognoscatur, & quia hoc contigit in Christo qui scientia experimentali fidem Centurionis cognouit, quam antea non cognoscebat hoc genere cognitionis, ideo in illo excita-

75 *Secũdo respõdet Suarez obiectioni factæ num. 69*

tafuit admiratio: Deus autem est incapax noui modi cognitionis, & ideo capax veræ admirationis non est. Contra quam solutionem opponit Vazquez, sine fundamento peti ad veram admirationem nouitatē cognitionis: nam res, quæ obsui raritatem causauit admirationē, etiam post exactam rei, & causarum eius cognitionem, admiratio perseuerat: ergo nouitas cognitionis ad veram, & propriam admirationem, necessaria non est. Hæc tamen obiectio non vrget: falsum enim est, nō requiri ad veram admirationē aliquam cognitionis nouitatem, debet enim esse insolita cognoscenti, quod sine aliqua noua cognitione esse non potest. Vnde solum contra doctrinam Patris Suarez opponi potest, novum modum cognitionis non stare sine aliqua ignorantia, quam ipse videtur excludere, vt ad veram admirationem necessariam.

*Contra illā opponit P. Vaz.*

*Eius obiectio nō vrget.*

*Aliter reijcitur solutio P. Suarez.*

His igitur prætermissis pro argumenti solutione præsupponendum est primo: obiectum admirationis non esse rem magnam, quia magna, sed quia rara, & insolita est: quod patet primo ex Augustino tom. 6. lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 7. illis verbis: *Qui miratur secundum consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum, atque improuisum sibi esse significat, quod miratur.* Ergo vt res aliqua excitet admirationem, non sufficit esse magnam, sed debet esse rara, & insueta miranti. Deinde; vt enim ait Augustinus tract. 24. in Ioannem: *Maius opus est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinq; millium hominum de quinque panibus, & tamen illud nemo miratur: hoc autem omnes mirantur, nō quia maius est, sed quia rarum est.* Non ergo sufficit ad veram admirationem magnitudo rei cognitæ, nisi etiam inconsueta, & rara sit. Denique: nam in consideratione operum diuinæ virtutis communiter occurrentium, vt est mundi cōseruatio, segetum multiplicatio, & alia, quæ communiter occurrunt, quæ absque dubio magna sunt, & nostram virtutem excedunt, valde homines delectantur, & in Dei laudes excitantur, & nec affectus Deum laudandi, nec delectatio ex illorum consideratione orta,

76

*Obiectū admirationis non esse rem magnā, quia magna, sed quia rara: probatur 1.*

*Secūdo.*

*S. Aug.*

*Tertio.*

admiratio vera est: ergo consideratio rei quantumcumque magnæ, nisi inconsueta, & rara sit cognoscenti, licet excitet delectationem, & in affectum laudis inclinet, sufficiens tamen non est ad inducendam admirationem.

Secundo aduertendum est: rem aliquam inopinatam, & improuisam esse, ex eo quod scientiam, & opinationem antecedentē excedit: & hoc ideo, quia causæ aliquæ videntur, per quas aliter esse deberet, vel quia in re sunt tales causæ, vel quia cognoscenti apparent. Ita docuit D. Thom. q. 6. de potentia art. 2. in corpore, & in secundo Sententiarum dist. 18. q. 1. art. 3. in corpore, ibi: *Admiratio ex duobus causatur, scilicet, ex hoc, quod alicuius effectus causa occulta est, & ex eo quod aliquid in re videtur, per quod aliter esse deberet.* Et paucis interpositis addit: *Contingit ergo aliquid esse admirabile simpliciter, & esse aliquid admirabile quoad hunc: admirabile huic est esse id, cuius causa occulta est sibi, & cui videtur secundum suam æstimationem aliquid obuiare, quare nō ita esse deberet, quamuis in re nihil sit repugnans, nec causa in se sit nimis occulta, & hoc potest dici mirum illi: admirabile autem in se, est id, cuius causa simpliciter occulta est, ita etiam quod in re est aliqua virtus secundum rei veritatem, per quam aliter debeat contingere.* Ex quibus verbis apparet, mirum, quod est obiectum admirationis, quod idem est, atque insolitum, & rarum, in eo consistere, quod eueniat supra cognoscentis expectationem, & supra iudicium, quod de illa ferre posset, attento eo, quod est in re, vel quod cognoscenti apparet.

77

*Res aliqua mira inopinata, & improuisa est, quia scientiā, et opinationē antecedentē excedit.*

*Prob. ex D. Tho.*

Tertio est aduertendum, hoc dupliciter contingere posse. Primo, ita vt excedat omnē cognitionem subiecti, etsi non expectationem. Secūdo, ita vt quāuis non excedat omnē cognitionē subiecti, aliquā tamē excedat, & expectationem alicui cognitioni innitētē. Si primo modo cōtingat, erit omnibus modis subiecto mirum; si autem secundo modo eueniat, non erit tali subiecto omnibus modis mirum; benē tamen aliquo modo, videlicet, mirum, & mirabile huic, vt taliter cognoscenti, &

78

*Tertio notatur*

tali

tali cognitioni innitenti, ad quod non requiritur, quod præcedat rei cognitæ ignorantia omnibus modis, sed ignorantia tali modo, nempé, carentia cognitionis huius, vel illius generis.

79 *Vera principalis argumẽti solutio.*

Quia ergo fides Centurionis, quamuis non excederet omnem Christi cognitionem: non enim superabat beatificam cognitionem, qua res in Verbo cognoscit, nec supernaturalem infusam, qua cognoscit res extra Verbum; bene tamen cognitionem experimentalem, eo quod si iudicium ferret iuxta huius scientiæ principia, oppositum iudicaret, nempé, hominem militiæ deditum, alijsque implicatum negotijs, tantam fidem non habiturum; & consequẽter excederet expectationem Christi huic cognitioni innitentem; fit consequens, quod fuerit mira Christo, vt per scientiam experimentalem cognoscenti, illique vt sic inopinatam, improuisamque, & sufficiens obiectum admirationis in Christo, non vt cognoscente per scientiam beatam, & infusam, sed vt cognoscente per scientiam naturalem experimentalem.

80 *In forma resp.*

Iuxta quam doctrinam ad vltimũ argumentum respondeo, concessa maiori, distinguendo minorẽ: ignorantiã priuatiuã, & absoluté talem, nego minorem: priuatiuam, & absolutam, vel negatiuam, & aliquo modo, vel genere cognitionis, concedo minorem; & nego consequentiã. Nam licet in Christo non fuerit ignorantia priuatiua, nec aliquod ex futuris absoluté ignorauerit; cum omnia futura per scientiã per se infusam, & beatam cognouerit, non tamen cognouit omnia per scientiam experimentalem, & carentiam experimentalis cognitionis habuit, quæ ignorantia priuatiua non est, sed negatiua; & ideo iuxta hanc scientiam potuit aliquid ei nouiter occurrere, & quod expectationem huic scientiæ innitentem excederet, illudque ex hac scientia mirari, sicque de facto in fide Centurionis accidit. Quæ doctrina est D. Thomæ *in hac quæst. art. 3. in corpore.*

81 *Ad primã minoris probationem.*

Et ex his ad primam minoris probationem dicatur, Philosophum esse accipiendum de ignorantia aliquo ex prædictis modis. Ad secundam probationem dicatur, Divum Thomam, & Philosophũ loqui de admiratione prout communiter in hominibus accidit, non supponendo in illis aliquam cognitionem causæ, & ex hac admiratione fuerunt moti ad inquisitionem veritatis; cum quo recté stat, contingere admirationem, quin supponatur ignorantia omnibus modis, sed tali, vel tali modo, hoc est, illo genere cognitionis, & ita accidit in Christo, cuius scientiam experimentalem, fides Centurionis excessit, etsi non excederet scientiam per se infusam, nec beatam.

*Ad secũdam.*

Ad tertiam probationem dicatur: admirationem non consistere formaliter in desiderio, vel delectatione, sed tantum causaliter; vt enim docet D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 3. ad 3. *Admiratio est species timoris consequens apprehensionem alicuius rei excedentis nostram facultatem.* Quod etiam docet 1. 2. q. 41. *art. 4. in corpore, & solutione ad 4. & 5.* ac proinde non potest formaliter in desiderio consistere, licet illud habeat adiunctum, prout explicat solutione ad 5. statuens hanc differentiam inter admirationem, & stuporẽ, quod *admirans refugit in præsenti dare iudicium de eo, quod miratur, timens defectum, sed in futurum inquirit: stupens autem timet, & in præsenti iudicare; & in futuro inquirere: vnde admiratio est principium philosophandi, sed stupor est philosophicæ considerationis impedimentũ.* Quæ doctrina intelligenda est de admiratione prout contingit regulariter in hominibus, cum omni modo ignorantia causæ: non autem, quia essentiale sit admirationi habere desiderium adiunctum; cum enim non supponit omnimodam ignorantiam, sed tantum ignorantiam tali modo, vel tali genere cognitionis, non est necessarium, quod habeat adiunctum desiderium cognoscendi causam: & quia admiratio in Christo non fuit de re penitus ignorata, sed ignorata tali genere cognitionis, scilicet, experimentali, non habuit coniunctum desiderium cognoscendi causas fidei Cẽturionis, quæ fuit admiratio nis obiectũ, quia causas illas per scientiam beatam, & infusam cognoscebat.

82 *Ad tertiam Admiratio solũ causaliter consistit in desiderio.*

D. Th.

*Regulariter habet desiderium adiunctũ, sed nõ essentialiter.*

Nec obstat, Divum Thomam so-

83

lutione ad quartum docere, non quam libet admirationē esse speciē timoris, sed illam, quæ est de magno malo: non inquā obstat. Tùm, quia statim secundā solutionem adiunxit, his verbis: *Vel potest dici, quod sicut segnities refugit exteriores operationes: ita admiratio, & stupor refugiunt difficultatem considerationis rei magnæ, & insolitæ, siuè bona sit, siuè mala.* Quibus verbis asserit omnem admirationem esse speciem timoris. Tùm etiam: nam admirans quandoque timet obiectum, nempè, quando malum est, quod non accidit quando est bonum, tunc tamen timet, vel refugit iudicium ferre de illo. Cum ergo docet, non omnem admirationem esse speciem timoris, intelligitur de primo timoris modo, scilicet, per fugam ipsius obiecti, quia ipsum, malum est miranti; non autem negat omnem admirationem esse speciem timoris consistentis in fuga ferendi statim iudicium, vt explicat *solutione ad quintum.*

83 *Quidam obiectioni occurritur.*

*Omnis admiratio est species timoris.*

Ad vltimam probationem ex Augustino sumptam dicatur: duplicem ibi admirationis causam agnoscere, vel cum ratio cuiuscumque rei latet, vel eadem res vsitata non est, eo quod singularis, aut rara est, & duplex admirationis genus, scilicet, ortæ ex latentia causæ, vel ex rei nouitate, & de primo genere admirationis explicat se dixisse, *si ratio quæritur non est mirabile.* Secundo autem admirationis genere docet Christum fidem Centurionis miratum, quamuis Christum nihil latuerit: sentit ergo Augustin⁹ dari admirationem, quæ in subiecto, non supponat priuatiuam ignoratiam, ex eo quod res cognita, rara, & inconsueta sit, non tamen inde colligitur, vt Vazquez colligere intendit, posse dari admirationem sine nouitate rei cognitæ, & sine ignorantia anteceden ti, saltim negatiua, rei, quæ est admirationis obiectum; vt enim *supra* arguebamus sine ista nouitate, res, rara, & insolita cognoscenti vt tali, esse nequit, quod necessario requiritur, vt admirationem causet; cum ergo Augustin⁹ petat in obiecto admirationis esse rarum, & inconsuetum, necessario etiam exposcit nouitatem cognitionis, & ignorantiam aliquam negatiuam præcedentem, non per negationem omnis cognitionis rei, quæ excitat admirationem; bené tamen per negationem alicuius generis cognitionis, ex qua admiratio causatur.

84 *Ad vltimā probationē minoris respōd.*

Sed oppones primo: eundem Augustinum *libro primo de Genesi contra Manicheos cap. octauo*, vbi contra illos hæreticos disputans testamentum vetus improbantes, quia in eo continerentur aliqua Deo indecentia, vt est illud Geneseos primo: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona*: ex quo ipsi colligebant, Deum ante non vidisse, quod est absurdum: obijcit Augustinus illis ex nouo Testamento (quod hæretici admittebant) illud Matthæi octauo, vbi dicitur, Christum fidem Centurionis miratum, & in hunc modum redarguit: *Quomodo enim admirari potuit Christus fidem illorum, quam ipse in illis operaretur, aut licet alius eam operaretur, quomodo miraretur, qui illius fidei antea præscius erat? Si soluunt Manichei quæstionem istam, & illa solui potest, ipse autem illam sic soluit: quod enim mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus, sic moueri: omnes ergo tales motus eius, non perturbati animi sunt signa, sed docentis Magistri: sic sunt, & verba veteris Testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur.* Ergo sentit Augustinus admirationi proprié sūptæ essentialem esse ignorantiam priuatiuam, ideoque in Christo proprié non fuisse, quia in illo ignorantia priuatiua non fuit. Patet consequentia: nam comparat verba veteris Testamenti, & noui inter se, & asserit, vtraque eodem modo dicta fuisse, vt nos instrueremur; sed illa verba veteris testamenti: *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, quibus denotatur, tunc primum Deum lucem vidisse; non ideo dicta sunt, quia re vera Deus inceperit lucem videre, sed quia taliter se gessit, ac si tunc primum lucem vidisset, illam tunc primum laudando: ergo sentit verba Noui Testamenti, quibus Christus dicitur miratus, non sic esse intelligenda, vt verè

85 *Replicabis 1.*

*Gen. 1.*

*S. Aug.*

mira-

miratus fuerit, sed quod taliter se gessit, ac si ipse miraretur, fidem Centurionis laudans.

86 *Secũdo.* Secundo: nam sequitur ex tradita solutione, & doctrina esse in Deo verè, & proprié admirationis affectum: consequens est falsum: ergo & tradita resolutio. Probatur sequela: ideo iuxta nostram doctrinam est in Christo, vt homine cum proprietate admiratio, propriéque dicitur fidem Centurionis miratus, quia excessit scientiam experimentalem Christi; & hoc ideo, quia si iuxta ea, quæ antea expertus fuerat iudicium ferendum foret, oppositum iudicaret; sed etiam Deus si iuxta ea, quæ in hominibus eiusdem conditionis, & status cognouerat, iudicium ferret, oppositum iudicaret: ergo excessit scientiam experimentalem Dei; & consequenter potuit in Deum cadere cum proprietate admiratio.

87 *Tertio.* Tertio: nam rem aliquam experiri de nouo, & scientiam experimentalem antecedentem excedere, dũmodo alia via perfectè cognitum sit, non sufficit excitare admirationis affectum; sed quamuis fides Centurionis nouiter scientiæ experimentali occurrerit, erat tamen perfectissimè a Christo cognita per scientiam per se infusam, & beatam: ergo quamuis excesserit scientiam experimentalem non excitauit in Christo, quatenus homine, verè, & proprié admirationis affectum. Probatur maior: obiectum admirationis est res noua, inopinata, & improuisa antecedenter; sed si quamuis experientiam excedat, & de nouo experientiæ se offerat, est tamen alia via perfectè res aliqua cognita, non dicitur proprié inopinata, & improuisa: ergo non excitat affectum admirationis, quæ proprié sit admiratio.

88 *Quarto.* Denique: nam admiratio propria, propriam ignorantiam supponit; sed ignorantia puré negatiua propria ignorantia non est, nec proprié ignorantia dicitur: ergo admiratio solam istam ignorantiã supponens, qualiter in Christo adstruitur, non est admiratio propria, nec proprié admiratio dicenda est; & consequenter in Christo, quatenus homine, non fuit proprié admirationis affectus.

*Maior prob. 1.* Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primo: nam admiratio ignorantiam præsupponit: ergo admiratio propria, ignorantiam propriam præsupponere debet, sicut quia volitio præsupponit cognitionẽ, volitio proprié, & simpliciter talis, cognitionem supponit, quæ proprié, & simpliciter sit cognitio. *Secũdo.* Secundo nam admiratio simpliciter, est de obiecto nouo simpliciter; sed obiectum non ignoratum simpliciter, non est simpliciter nouum: ergo admiratio non supponens ignorantiam simpliciter, non est simpliciter admiratio.

*Tertio.* Tertio: nam admiratio secundum quid, est de re secundum quid noua, & secundum quid ignorata; aliàs de re simpliciter ignorata proprié admiratio non esset, quod est omnium consensu falsissimum, nec est de re noua, & ignorata nouitate, & ignorantia abstrahente à tali secundum quid, & à tali simpliciter; aliàs admiratio sic abstrahens non vniuocé, sed æquiuocé diceretur de vna, & alia admiratione; sicut nouitas æquiuocè dicitur de nouitate simpliciter, & nouitate secundum quid, vel saltim analogicé, & ignorantia, æquiuocé, vel saltim analogicé dicitur de ignorantia tali simpliciter, & tali secundum quid: ergo admiratio est de re noua simpliciter, & simpliciter ignorata; & consequenter, vt proprié admiratio detur, debet propria ignorantia supponi.

89 *Ad 1. replicã respondet Vazq.* Hæc tamen non vrgent, nec traditæ resolutionis veritatem infringunt. Ad primam respondet Vazquez, duplicem admirationis modum fuisse ab Augustino traditum: vnum procedentem ex cognitione effectus, & latentia illius rationis, & ignorantia causæ: alterum procedentem ex apprehensione rei nouæ insolitæ, & miræ absque vlla ignorantia præsupposita. Quæ distinctio habetur in Augustino *epistola* 101. & illa præsupposita, docet Vazquez, Augustinum *in testimonio allegato* loquutum de admiratione, iuxta primum modum accepta, & hæc verum est, quod ignorantiam supponit, & in Christo numquam fuit: ex

*P. Vazquez sine causa D. Tho. carpit.*

quo non sequitur, non fuisse in illo veram, propriamque admirationem in secunda illius acceptione: miraturque *disp. allegata cap. 29* D. Tho. testimonio in argumento obiecto vsum fuisse, vt ex Augustino probaret fuisse cum proprietate in Christo, quatenus homine, admirationis affectum; cum ex illo oppositum colligatur, quod ponderatione facta in argumento putat conuinci. Mirum est, quam pronus sit semper Vazquez ad carpendum Divum Thomam, & quod in præsenti sine vlla ratione Divum Thomam redarguat, vt ex Nostra solutione constabit.

90 *Vera solutio.*

Igitur ad primam obiectionē respondeo, admissa, vt iacet parētis Augustini doctrina, negando consequentiā. Ad cuius probationem, concessa maiori, & minori, nego cōsequentiam: imo oppositum colligitur: sicut enim verba illa: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona*; cum proprietate accipiuntur ex parte rei significatæ, quamuis attento modo, quo illis vtimur communiter, supponendo in nobis carentiam antecedentis notitiæ, non possint de Deo verificari, sed quia ad instar tunc incipientis lucem videre se gessit: ita verba illa, quibus admiratio Christo attribuitur ex parte rei significatæ cum proprietate accipiuntur, quamuis attendendo ad id, quod in hominibus communiter accidit cum admirantur, nempé, ad ignorantiam priuatiuam, quam regulariter importat, Christo cum proprietate admiratio non competat.

91 *P. Vazquez in cōsequētiæ in doctrina notatur.*

*Probatur.*

Præterquamquod, etiam si Augustinus vtriusque Testamēti verba æquiparauerit, & verba illa veteris testamenti: *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, improprié essent accipienda, non posset prædictus Auctor consequenter ad suam doctrinam inferre admirationē, de qua in nouo Testamento, improprié Christo, vt homini, attribuere: quod probo meo iudicio claré: nam hic Auctor censet, admirationem, quam Augustinus *Epist* 101. admittit in Christo, vt homine, esse talem veré, & proprié; & tamen verba noui testamenti, quibus admiratio Christo attribuitur, comparat cum illis veteris testamenti, quibus Deum homines tentare dicitur, Deuteronomij 13. *Tentat vos Dominus Deus vester*; quæ proprié accipi nō possunt; nullus enim Theologorum admissit Deum proprié nos tentare: ergo ex eo quod *lib. 1. de Genesi contra Manicheos*, æquiparauerit verba noui testamenti admirationem Christo attribuentia, verbis testamenti veteris, quæ in sensu improprio accipiuntur, non sequitur Augustinum in præfato testimonio admirationem, quam Christo, vt homini, attribuit, accipere in sensu improprio.

92 *Cōfirmatur.*

Explico difficultatem, & vrgeo: Augustini verba epistola 101. hæc sunt: *Nec ideò reprehendēda est sententia, qua dictum est, si ratio quæritur non erit mirabile, quoniam est aliud genus admirationis; cum ratio manifesta est admiranti; neque enim propterea culpatur sententia, qua dictum est, Deus neminem tentat, quoniam est aliud tentationis genus, propter quod rectè itidem dictum est, tentat vos Dominus Deus vester.* En vbi Augustinus ait, esse duplex genus admirationis, sicut est duplex genus tētationis, quorum vno Deus neminem tentat; alio tamē tentare dicitur, æquiparatque admirationem, quam admissit in Christo, tentationi, qua concedit Deum homines tentare, quæ proprié tentatio non est in omnium Theologorum sententia; & tamen ex hoc non infertur tribuere Christo eo in loco impropriam admirationē, vt fatetur Vazquez: ergo pariter ex eo quod *loco ex libro super Genesim*, adducto, admirationem, quam in Christo admittit, æquiparauerit visioni incipienti in Deo, quæ improprié solum accipitur, non sequitur loqui de admiratione improprié. Et ratio vtrobique est eadem; quia non est necessarium, quod æquiparatio teneat in omnibus: sine fundamento ergo Vazquez carpit Divum Thomam, eo quod testimonio illo vsus fuerit ad probandum ex Augustino in Christo, quatenus homine, propriæ admirationis affectum.

93 *Ad secūdam replicam.*

Ad secundam obiectionem, nego sequelam. Ratio autem discriminis est: nam quamuis fides Centurionis excedat motiua antecedenter cognita à Deo, non tamen excedit aliquam cog-

nitio-

nitionem antecedentem Dei, nec in Deo est noua cognitio terminata ad illam fidem, sed vnica indiuisibili formaliter, & virtualiter cognitione omnia illa obiecta cognoscit; ideoque in Deo, nequit cum proprietate admiratio constitui: in Christo autem scientia experimentalis distincta est à scientia beata, & infusa, & Cēturionis fides scientiam experimentalem Christi antecedentem excedit, & expectationem huiusmodi scientiæ innitentem; & ideo potuit secundum hanc scientiam fidem Centurionis mirari.

*In Deo non datur vera, & propria admiratio, benè tamen in Christo.*

94 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego maiorem. Ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: non dicitur proprié inopinata, improuisaque omnibus modis, & secundum omne genus cognitionis, concedo minorem: aliquomodo, & aliquo cognitionis genere, nego minorem, & consequentiam. Nam licet admiratio, quæ turbati animi est, exigat obiectum improuisum, & inopinatum antecedenter omni genere cognitionis; illa autem, quæ turbati animi non est, sed docentis Magistri, & absque vlla turbatione exercetur, non petit obiectum omni cognitione improuisum, sed tantum improuisum, & inopinatum secundum aliquod cognitionis genus; & licet improuisum hoc modo non dicatur improuisum omnibus modis; est tamen proprié improuisum; & consequenter obiectū sufficiens affectus propriæ admirationis.

95 *Ad vltimam. Ad primā probationē maioris.*

Ad vltimam, nego maiorem. Ad primam probationem, distinguo antecedens: ignorātiam, ideſt, nescientiam, concedo maiorem: ignorantiam, ideſt, scientiæ priuationem, nego antecedēs: & distinguo consequens: ignorantiam proprie talem in ratione nescientiæ, cō cedo consequentiam: ignorantiam proprié talem in ratione priuationis, nego consequentiam. Admiratio namque non petit ex carentia cognitionis debitæ procedere, sed tantum ex carentia cognitionis abstrahentis à debita, vel non debita, quæ proprié nescientia dicitur: licet autem carentia cognitionis non debitæ, improprié ignorantia sit, proprié tamen est nescientia; & ideo ex illa potest admiratio proprié talis procedere.

96 *Ad secūdam.*

Et ex his ad secundam probationē maioris, distinguo maiorē: de obiecto nouo simpliciter, ideſt, omnib⁹ modis, nego maiorem: simpliciter, ideſt, proprié, concedo maiorē: & sub eadē distinctione minoris, nego consequentiam. Id namque quod novum est cognoscenti secundum aliquem modum cognitionis, quāuis aliàs sit cognitum alio cognitionis genere, & quāmuis cognitio, qua non est cognitum antecedenter debita subiecto non sit, simpliciter nō, ū est, ideſt, proprié novum est, quamuis non sit novum simpliciter, ideſt, omnibus modis, & ideo est potens causare affectum admirationis, qui proprié admiratio sit.

97 *Ad tertiam*

Ad tertiam probationem dicatur: admirationem, vt sic, respicere obiectum novum nouitate tali simpliciter, ideſt, proprié, non tamen simpliciter, ideſt, omnibus modis, respicere etiam obiectum nescitum nescientia, quæ proprié nescientia sit, non tamen ignoratum ignorātia proprie tali, vndé quamuis admiratio procedens ex obiecto non scito negatione cognitionis non debitæ, non sit de obiecto proprié ignorato, quia tamen est de obiecto proprie nescito, est cum proprietate admiratio conueniens cum admiratione de obiecto ignorato proprié, in hoc, quod est præsupponere nescientiā, quæ proprié nescientia est, quamuis non conueniat cum illa in suppositione ignorantiæ proprié talis.

## §. V.

### *De iudicio erroneo speculatiuo.*

98 *Secūda cōclusio*

SIT SECVNDA CONCLVSIO. *Iudicium speculatiuum erroneum, nō potuit esse in humanitate vnita, etiam de potentia absoluta.* Conclusionem istam probat Suarez: primo; nam id, quod à

*Probat illâ Suarez 1.*

Verbo in humanitate assumitur, necessario sanctificatur; sed iudicium erroneum est incapax sanctificationis à Verbo: ergo etiam est incapax, vt ab illo in humanitate assumatur. *Secũdo.* Secundo: nam omne, quod Verbo mediatè, vel immediatè coniungitur, venerationis dignum efficitur; sed iudicium erroneum nequit esse venerabile: ergo nec potest, adhuc mediatè, diuino Verbo coniungi; & consequenter non potest in humanitate Verbo vnita simul cum vnione coniungi.

99 *Vtraque ratio vt insuffi-cies reij citur 1.*

Hæc tamen duo argumenta non vrgent: illaque *Disp.* 41. §. 3. inefficacia censuimus, eo quod natura irrationalis incapax est sanctificationis à Verbo; & tamen non est incapax vnionis immediatæ cum ipso, vt docuimus cum communi sententia *supra q. 4. disp. 18. §. 4 à num. 54.* ergo quamuis iudicium erroneũ incapax sit sanctificationis à Verbo, poterit esse capax vnionis mediatæ cum ipso. Ex quo etiam secunda ratio infirmatur: non enim minus petit Verbum sanctificare extremum sibi immediatè vnitum, quam reddere venerabile id, quod vnitur ipsi mediatè; sed illa exigentia non obstat, vt possit immediatè Verbo vniri natura insanctificabilis: ergo nec obstat, vt possit cum Verbo vniri mediatè natura omnis venerationis incapax.

100 *Secũdo.*

Deinde: sicut enim ex vnione cum Verbo redditur aliquid venerabile, ita ex contactu constituitur adorabile, vt patet in Cruce Christi, & in vestibus ipsius, quæ ex solo contactu sunt adoratione Latriæ dignæ; & tamen hoc non obstante id, quod adorationis est incapax, non inde incapax contactus constituitur: manus namque, quæ alapa Christum cæsit, ipsum contigit contactu physico, quamuis ex illo adorabilis non fuerit constituta: ergo pariter esse poterit capacitas ad vnionem mediatam cum Verbo cum incapacitate venerabilitatis ab ipso: ac proinde, ex eo quod assensus erroneus incapax sit; recipiendi venerabilitatem à Verbo, non probatur incapax vnionis mediatæ cum ipso.

101 *Prob. cõclusio 1.*

Vnde his argumentis, vt inefficacibus omissis, suadetur conclusio primo: Deo namque repugnat, vt causam particularem in errorem influere, illumq; speciali concursu causare; sed si humanitas vnita Verbo erraret, Verbum, vt illa subsistens, esset causa particularis erroris: ergo implicat error in humanitate vnita. Consequentia tenet. Minor constat ex dictis *Disp.* 41. vbi ostendimus, actiones omnes humanitatis Verbo hypostaticè vnitæ, esse Verbi, vt in illa subsistentis, nedum *denominatiuè*, verum etiam *influxiuè*, ex illo communi axiomate asserente, actiones esse suppositorum, quod non solum *denominatiuè*, sed etiam *influxiuè* accipiendum, ibi ostendimus; sed iudicium erroneũ esset actus ab humanitate elicitus: ergo Verbum, vt in illa subsistens vt QVOD in errorem influeret, sicut causa particularis.

102 *Maior prob. 1.*

Maior autem præterquam quod frequentior est apud Theologos 2. 2. *q. 1. art. 3.* probatur primo: quia namque Deus est summè bonus, non solum non potest peccare, sed etiam non potest esse causa particularis peccati, & quia summè verax est, nõ solum nõ potest mentiri, sed etiam ipsi repugnat, esse causam particularem mendacij; sed etiam est summè verus: ergo non solũ non potest errare, sed nec etiam potest vt causa particularis in errorem influere. Patet consequentia: non enim minùs opponitur error summæ veritati, quam mendacium summæ veracitati, & peccatum summæ bonitati: ergo si Deo, quia summè verax, & summè bonus est, non solum repugnat mentiri, & peccare, sed etiam, vt causam particularem in mendacium, & peccatum influere, repugnabit ipsi, quia summè verus est, non solum errare in se ipso, sed etiam in nobis errorem, vt particularem causam efficere, & in illum speciali influxu influere.

103 *Secũdo.*

Secundo probatur maior: Deo nãque non solum repugnat falli, rem aliter, ac est cognoscẽdo, sed etiam repugnat fallere, nos inducendo ad rem aliter, ac est cognoscendam; sed si vt specialis causa iudicium erroneum infunderet, falleret nos *effectiuè*, faciendo, quod intelligeremus rem aliter, quam est in se: ergo repugnat Deo, vt particularem

larem causam in iudicium erroneum influere. Tertio: si namque posset Deus, vt causa particularis efficere iudicium erroneum, posset errorem, vt errorem intendere, sed repugnat Deo intendere per se errorem: ergo repugnat illi particulari influxu in errorem influere. Cōsequentia tenet. Maior constat: quod enim Deus, vt particularis causa operatur, intendit illud per se; cum omnis effectus ex intentione alicuius causæ procedat: effectus autem Dei, vt causæ particularis in aliam non reducatur: ergo si Deus esset causa particularis erroris intenderet illum per se. Minor autē probatur: nam si Deus intenderet per se errorem mentiretur, sumpto inadæquatè mendacio, vt §. 3. impugnando Abulensem dicebamus; sed asserere Deum posse mentiri sumpto inadæquatè mendacio, temerarium videtur: ergo asserēdum non est, Deum posse errorem per se intendere.

*Tertio.*

104. *Secūdo prob. cōclusio.* Secundo probatur conclusio: Deo namque repugnat peccatum, etiam in natura assumpta, vt cum communi sententia docuimus *Disp.* 41. à quanō dissentit Vazquez; sed assensus speculativus erroneus, est actus peccaminosus: ergo repugnat Verbo in humanitate assūpta, etiam de potentia absoluta. Consequentia est bona. Maior ex superius dictis constat. Minor autem ostenditur primo: vt enim docet D. Thom. 2. 2. q. 110. *art.* 3. mendacium ideo est peccatum ex genere; quia ex se cadit supra materiam indebitam: *Cum enim* (ait Divus Thomas) *voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente*; sed non minus naturaliter ordinantur conceptus ad res significandas, vt sunt, quā voces ad manifestandum conceptus: ergo non minus inconnaturale, & indebitum est, res aliter, ac sunt significare conceptibus, quod fit per assensum erroneum, quam vocibus significare res aliter, ac sunt in conceptu, quod fit per mendacium; & consequenter sicut mentiri est ex genere suo peccatum, ita rei aliter ac est, assentiri, est ex genere suo peccatum.

*Minor prob. 1.*

105 *Secūdo.* Secundo: probatur minor: mendacium non solum est malum ratione deformitatis vocum ad conceptus, sed etiā ratione animi, & intentionis fallendi in clusæ in ipso mendatio, vel expressæ, & superadditæ, vt communiter docetur a Theologis cum Diuo Thoma 2. 2. q. 110. *art.* 1. ergo animus fallendi aliū, quo formaliter constituitur, vel saltim completur mendacium, est peccatum; & consequenter peccatum est, alium in errorem inducere: ergo etiam erit peccatum, quod aliquis in se ipso voluntariè causet errorem: ac proinde error voluntarius alicui est formaliter peccatū.

106 *Respondebis.* Dices, ex hoc ad summum concludi in humanitate vnita non posse, etiam de potentia absoluta, iudicium erroneum voluntarium existere: non autem quod error, qui voluntarius non sit in illa existere nequeat. Sed contra primo: nam eo ipso, quod error voluntarius, sit formaliter peccatum, error libertate carens est peccatum materialiter, & solum à malitia formali excusatur ex defectu libertatis, sicut odium indeliberatum Dei excusatum à malitia formali ob defectū libertatis, est peccatum materialiter; sed humanitas vnita, non solum est incapax actus formaliter mali malitia morali, sed etiam actus mali materiali malitia, vt *disp.* 42. diximus, & constat in odio indeliberato Dei, ad quod non est in humanitate vnita capacitas, quamuis excusetur à malitia morali formali, quia *obiectiuè* malum est: ergo ratione factanō solum excluditur ab humanitate vnita capacitas assensus erronei voluntariè, & liberè eliciti, sed etiam erroris non liberi, & involuntarij.

*Cōtra 1.*

107 *Cōtra 2.* Contra secundo: nam estò iudiciū erroneum ex defectu libertatis, non imputaretur ad culpam humanitati vnitæ, Verbo tamen in se ipso ad culpam imputaretur; sed hoc implicat: ergo implicat iudicium speculatiuum erroneum in humanitate vnita. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: Verbo, ratione vnionis humanitatis ad ipsum, inest obligatio specialis gubernādi humanitatem, & vitandi in illa omnem motum inordinatum, siué ad voluntatem spectet, siué ad intellectum, siué ad quamcumque aliam potentiam humanitatis; & aliàs potest iudicium erroneum humanitatis vitare: ergo iu-

dicium

dicium erroneum in humanitate existēs Verbo in se ipso ad culpam imputaretur. Patet consequentia: ideo humanitati ratione sui inspectæ, iudiciū erroneū sine libertate elicitum non imputaretur ad culpam quia quamuis obligationem habeat dictum iudicium vitandi, non potest illud vitare, cum necessario illi conuenit; sed in Verbo, vt Deo, est specialis obligatio gubernandi humanitatem, & vitandi iudicium erroneum, & aliàs est potens illud vitare: ergo Verbo, vt Deo ad culpam imputaretur.

108 *Cōfirmatur.* Explicatur, & vrgetur; vt enim *disp.* 42. §. 3. arguebamus: motus inordinati appetitus sensitiui quamuis quia indeliberati, non imputarentur humanitati inspectæ ratione sui, Verbo in se ipso imputarentur ad culpā, quia ad illos coercendos obligatur speciali obligatione consurgente ex vnione humanitatis cū ipso, & aliàs potest illos impedire; sed hæc ratio pari efficacia militat in iudicio speculatiuo erroneo non libero humanitati: ergo quamuis quia non liberum non imputaretur humanitati ad culpam, Verbo in se ipso ad culpam imputaretur.

109 *Vltimo probari solet conclusio.* Denique probari solet conclusio ab inconuenienti, quod ex contraria sententia sequitur, nempé, Christum, vt hominem nō esse infalibilis auctoritatis in dicendo; consequens est falsum: ergo sententia contraria. Consequentia tenet. Minor videtur certa: si namque Christus vt homo infalibilis auctoritatis in dicendo non esset, non essent certa, nec vt talia fide credenda, quæ in Euangelio nos docuit; consequens absurdum est: ergo absurdum etiam est Christo, vt homini, negare infalibilem auctoritatem in dicendo. Sequela autem probatur: non stat infalibilitas in dicendo sine infalibilitate in cognoscendo, ideoque Deus infalibilis est in dicendo, quia nec falli potest, nec fallere, quod si Deus falli in cognoscendo posset, etiam posset alios fallere, loquendo, vt ipse cognosceret, aliter tamen, ac res esset in se ipsa; sed si Christus quatenus homo posset elicere assensum erroneum, non esset infalibilis in cognoscendo; cum falleretur hoc ipso, quod erroneé assentiretur: ergo infalibilis in dicendo non esset.

Quod amplius vrgetur: nam hoc ipso quod Christus quatenus homo de re aliqua aliter, quam esset iudicaret, posset rem illam, vt à se iudicatam verbis manifestare; sed hæc manifestatio esset falsa loquutio: ergo hoc ipso, quod posset iudicium erroneum elicere, posset etiam falsum loqui falsitate, saltim materiali; & consequenter infalibilis in dicendo non esset. Consequentia tenet. Minor est certa: nam huiusmodi loquutio, etsi esset menti conformis, non tamen conformaretur cum re ipsa, vt est in se, & consequēter esset materialiter falsa. Maior autem non minus aperta videtur: omne namque, quod quis concipit, potest alijs manifestare verbis: ergo Christus, vt homo, concipiens rē aliter, ac esset, posset conceptum istum manifestare verbis, & vt conciperet, loqui.

110 *Cōfirmatur.*

111 *Si respōdeatur.* Si respondeatur, Christum vt hominem considerari dupliciter. Primo, vt Doctorem fidei, & Magistrum vniuersalem, & prout est caput Ecclesiæ. Secundo, vt doctorem particularem, & priori modo inspectum, non posse falli, nec fallere, etiam materiali fallatia: secus autē secundo modo, & hoc sufficere, vt quæ in Euangelio traduntur, certa sint, & vt talia fide diuina credenda, eo quod ab ipso, vt Ecclesiæ capite, vniuersalique Magistro sunt dicta. In contrarium obijciunt, argumento facto vtentes, non posse certo constare, quæ in Euangelio continentur esse à Christo tradita, vt Ecclesiæ capite, & Magistro vniuersali, & non ex cognitione ipsi potente competere, vt particulari Doctori: vnde namque hoc certo constare potest? Ergo si potest vt Doctor particularis errare, & verbis errorem manifestare, non constat esse certa ea, quæ in Euangelio continentur.

*Opponunt Auctores hoc argumēto vtētes.*

112 *Obiectio ista Auctores cōtrarios non vrget, & instatur.* Hæc tamen obiectio instatur in his, quæ diffinit Pontifex, quæ certa sunt, & fide diuina tenenda, & hoc ideo, quia licet possit, vt particularis Doctor errare, non potest errare, vt Doctor, & caput Ecclesiæ & tamen obiectio facta potest fieri eodem modo; vnde namque constat; Pontificem loqui vt caput visibile Ecclesiæ, & non vt Doctor particularis? Sicut ergo de hoc constat ex Ecclesiæ propositione, & quia Ecclesia id, vt diffinitum à Pontifice, vt Ecclesiæ capite

*Pōtifex errare potest, vt*

pro-

proponit, ita constare potest ea, quæ cõtinentur in Euangelio esse à Christo, vt Ecclesiæ capite dicta; quia Ecclesia illa vt ita dicta proponit. Explicatur, & vrgetur instãtia, quod Põtifex, vt Ecclesiæ caput non possit errare, quamuis, vt Doctor particularis errare possit, sufficit, vt certæ sint, & fide diuina credendæ illius diffinitiones: ergo pariter, quod Christus, vt caput Ecclesiæ, & vt Doctor vniuersalis non possit falli, nec fallere, etsi vtrumque possit vt particularis Doctor, & vt homo particularis, sufficiet, vt ea, quæ in Euangelio tradidit, certa, & indubitata sint, & fide diuina credantur.

*particularis Doctor, non vero vt Ecclesiæ caput.*

*Vrgetur instantia*

113 *Aliter impugnatur solutio tradita. 1.*

Potest tamen aliter solutio tradita infringi. Primo: quia multũ derogat auctoritati Christi, vt hominis, posse nos fallere, etiam vt particularem Doctorem, sed hoc saltim sequitur ex eo quod possit errare: ergo asserendum est implicare errorem in humanitate vnita, vt dictum in conueniens videtur. Secundo: nam humanitati vnitæ ratione vnionis ad Verbum debetur negatio concursus ad mendacium, etiam materiale, sicut illi ratione vnionis debetur negatio concursus ad odium Dei, etiam indeliberatum; sed hoc ipso non potest Christus, vt homo, dicere materiale mendacium, etiam de potentia absoluta: ergo Christus, vt homo, nullatenus potest fallere; & consequenter nec falli. Maior constat ex his, quæ *disp.* 41. docuimus, nempé, humanitati vnitæ ratione vnionis ad Verbum deberi omne bonum possibile, & carentiam omnis mali: mendacij autem, estò materiale sit, malum est: ergo illius carẽtia debetur humanitati; & consequenter etiam est debita illi carentia concursus Dei ad mendacium materiale. Minor etiam ex *ibidem* dictis cõstat: nam hoc ipso, quod humanitati debeatur negatio concursus ad mendacij materiale, Deus concurrens *positiuè* cum humanitate ad mendacium nõ cõcurreret, vt causa vniuersalis, sed vt causa particularis, quod implicat; sed implicante concursu Dei ad mendacium materiale, implicat tale mendacium in humanitate vnita: ergo eo ipso, quod negatio concursus sit debita humanitati; implicat, Christum, vt hominem materiale mendacium proferre. Recollantur dicta *disp.* 41. §. 1.

*Secũdo.*

*Humanitati ratione vnionis debetur negatio cõcursus ad mẽdacium, ad huc materiale.*

## §. Vltimus.

### *Soluitur oppositæ sententiæ fundamentum.*

CONTRA conclusionem arguitur. Non minus opponitur mors vitæ, quam error veritati; sed quod Verbum summa vita sit, non obstat quominus in natura assumpta moriatur, & mortẽ possit, vt particularis causa causare, & in illã speciali influxu influere: ergo quod sit summa veritas, non tollit, quominus in natura assumpta erret, & in iudicium erroneum, vt causa particularis influat.

114 *Arguitur contra conclusionẽ*

Si respondeatur, instando in malitia peccati, quæ bonitati Verbi non solum opponitur in se ipso, sed etiam in humanitate assumpta, & ab illo nequit speciali influxu causari; & tamen de illa idem argumentum fit, nempé, nõ minus mortem summæ vitæ opponi, quam malitiã summæ bonitati: sicut ergo non conuincitur argumento facto, posse Verbum in natura assumpta peccare, ita nec illo concluditur, posse Verbum in natura sibi vnita errare.

115 *Si respõdeatur instãdo argumẽtũ.*

In contrarium obstat primo: nam plures censent eandem esse de peccato, atque de errore rationem, quantum ad hoc, quod est posse Verbo in natura assumpta competere: ergo instantia ad rẽ non est. Secundo: nam ideo peccatu opponitur Verbo non solum in se ipso, sed etiam in natura assumpta, quia Verbum non solum in se ipso est sanctum infinitè simpliciter sed etiam humanitatem sanctificat sanctitate simpliciter infinita, & increata; sed Verbum non constituit se ipso humanitatem sapientem: ergo ex eo, quod peccatum non solum opponatur Verbo in se ipso, sed etiam in humanitate assumpta, non sequitur idem de errore dicendum. Tertio: nam error est malum physicum, & pœna, peccatum

116 *Replica bis 1.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

autem

autem est malum morale; sed malum puré physicum, nō est cur repugnet Verbo in humanitate assumpta; cum alia, quæ mala physica sunt, in humanitate susceperit, vt cōstat in fame, siti, morte, & alijs, quæ non sunt moraliter, sed tantum physicé mala, & pœnæ originalis peccati: ergo quamuis peccatum non solum repugnet Verbo inse ipso, sed etiam in humanitate assumpta, non sequitur idem esse de errore dicendum.

117 *Respōdetur argumento facto.*

Respondeo, distinguendo maiorē: non minus *intensiuè*, concedo maiorem: *extensiuè*, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nā mors non opponitur naturæ viuenti, vt sic, sed naturæ particulari viuenti, cuius vitæ priuatio est, & huic magis opponitur, quam error veritati, quia oppositio mortis cum vita est priuatiua, quæ maior est oppositione contraria, qua error opponitur veritati; error autē licet *subiectiuè* solum opponatur veritati particulari iudicij existentis, vel potentis existere in subiecto, cui error inhæret, & soli naturæ intellectuali, cui inest; *obiectiuè* tamen repugnat cum iudicio vero oppositio in quocumque subiecto sit, & cum omni intellectuali natura; vnde opponitur iudicio vero Dei de obiecto terminante errorem, tenditque in illius destructionem; & consequenter opponitur non solum cum natura intellectuali, cui inhæret, sed etiam cum omni intellectuali natura, & cum natura diuina. Ex quo fit, quod quamuis mors *intēsiuè* non minus, imo magis opponatur vitæ, quam error veritati; *extensiuè* autem nō ita; quia mors solum opponitur vitæ, cuius est priuatio, quæ est vita particularis: error autem opponitur naturæ intellectiuæ ex communi conceptu intellectiuæ sub quo natura diuina continetur, & quia Deus nihil sibi contrarium, vel oppositum potest speciali influxu causare: fit, quod in errorem sibi oppositum non possit speciali influxu influere, bene tamen in mortem. Ex quo vlterius fit, quod Verbo ex conceptu summæ vitæ non opponatur mors in assumpta natura; error autem ipsi etiam in natura assumpta opponatur ex conceptu summé veri. Et quia in simili ratione discriminis fundatur oppositio peccati cum Verbo, etiam in natura assumpta, quam uis mors cum Verbo in natura assumpta oppositionem non habeat, rectē instatur argumentum in malitia peccati.

*Errori opponitur omni intellectuali naturæ mors autē solum opponitur vitæ particulari*

118

Ad primam replicam dicatur, sufficere nostræ sententiæ, quod eadē ratio sit de errore speculatiuo, atque de malo morali, quoad posse, & nō posse in humanitate assūpta cū vnione ad Verbū cōponi. Nam sententia docens, posse peccatum simul cum vnione ad Verbum existere, est ad minus improbabilis. Ad secundam, distinguo maiorem: ideo, vt causa sufficienti, concedo maiorem: vt causa vnica, & necessaria, nego maiorē: & concessa minori, nego consequentiā. Peccatum namque non ideo solum non potest cum vnione ad Verbum componi, quia humanitas ex vnione ad Verbū infinitē sancta redditur; sed insuper, quia Verbo repugnat speciali influxu in peccatum influere, vt *disp.* 41 §. 9. ostendimus, quæ ratio etiam militat de errore speculatiuo, & ideo quamuis humanitas non sit sapiens à Verbo formaliter, restat alia causa, in compossibilitatis erroris cum vnione ad Verbum in humanitate assumpta.

119 *Ad 1. replicā respōdetur*

*Ad secūdam.*

Ad tertiam respondeo primo, negando maiorem; vt enim secundo loco arguebamus, error speculatiuus volūtariē admissus, est malus malitia morali, quod si involuntariē fiat, est malus, saltim materialiter; repugnat autem sanctitati infinitæ simpliciter, qua humanitas gaudet à Verbo, non solum actus malus formaliter, sed etiam actus materialiter malus, vt ibi dicebamus, & ostendimus *disp.* 42. §. 3.

120 *Ad 3. respōdetur primo.*

Secundo prætermissa maiori, negādo minorem. Nam estò malum physicū sit, & non morale, est tamen vnde repugnet speciali Dei influxui, & causalitati; & consequenter coexistentiæ in humanitate assumpta simul cum vnione ad Verbum, nempé, oppositio, quam habet cū natura intellectuali, vt sic; & consequenter cum natura diuina sub illa ratione contenta, quæ ratio in alijs malis physicis in obiectione enumeratis non militat; & ideo quamuis illa mala possint à Deo, vt à particulari causa procedere, & cum vnione ad Verbum in humanitate componi, non sequitur posse errorē

121 *Secūdo respondetur.*

specu-

ſpeculatiuum exiſtere in humanitate vnita, nec à Deo ſpeciali influxu cauſari.

122 *Inſtabis primo.*

Sed oppones primo: omne malum pœnæ poteſt terminare ſpecialem Dei cauſalitatem, & à Deo ex intentione procedere; ſed error ſpeculatiuus eſt malum pœnæ: ergo poteſt Deus in illum ſpeciali influxu influere, illumque vt cauſa particularis cauſare: ac proinde poterit in humanitate vnita ſimul cum vnione exiſtere. Secundo: nam ſi ob aliquam rationem non poſſet, eſſet quia opponitur cum natura intellectiua ex conceptu intellectiuæ, & hoc ideo, quia opponitur *obiectiuè* cum veritate, quã dictat iudicium verum in quocumque ſubiecto ſit, etiam iudicium diuinũ; ſed hæc ratio ſupponit falſum, & quamuis verum ſupponat, non concludit: ergo poteſt à Deo ſpeciali influxu effici; & conſequenter poteſt cum vnione ad Verbũ in humanitate componi. Maior cum cõſequentia tenet. Minor autem pro prima parte probatur: nam etiam mors opponitur vitæ, qua priuat, & hæc terminat amorem diuinum, & tamen non opponitur amori, quẽ vita terminat: ergo ex eo quod error ſpeculatiuus opponatur veritati obiectiuæ, quam dictat, & ad quam terminatur iudicium verum exiſtens in diuino intellectu, non ſequitur opponi iudicio Dei, nec naturæ intellectuali diuinæ, nec cũ natura intellectiua ex conceptu intellectiuæ.

*Minor pro prima parte probatur.*

123 *Pro ſecũda parte ſuadetur minor.*

Deinde pro ſecunda parte ſuadetur: nam ignorantia priuatiua, & amentia opponuntur cum natura intellectuali, vt ſic; & tamen non repugnãt eſſentialiter cum vnione humanitatis ad Verbum: ergo ex eo quod error ſpeculatiuus ſit malum naturæ intellectiuæ, ex conceptu intellectiuæ, non colligitur opponi eſſentialiter cum vnione humanitatis ad Verbum. Conſequentia tenet. Minor conſtat ex dictis *in hac diſputatione, & præcedentibus*. Maior autem probatur: nam ignorantia opponitur *priuatiuè* eidem veritati, cui opponitur error *contrariè*, & amentia *impeditiuè*; cum per illam impediatur intellectus ad aſſenſum veritatis: ergo ſi error ſpeculatiuus, quia opponitur veritati, eſt malũ oppoſitum cum natura intellectiua ex conceptu intellectiuæ, etiam ignorãtia, & amentia, ſunt mala naturæ intellectualis ex eodem communi conceptu.

124 *Ad 1 inſtantiam reſpondetur.*

Reſpondeo ad primam replicam, negando maiorem. Non enim omne malum pœnæ poteſt per ſe intendi à Deo, nec ab illo procurari, & ſpeciali influxu cauſari, vt conſtat in motu inordinato appetitus, & in iudicio practico erroneo, quæ etiam ſunt mala pœnæ; & tamen non poſſunt à Deo per ſe intendi, nec ab illo procurari, aut ſpeciali influxu procedere: ergo ex eo quod error ſpeculatiuus non ſit malum culpæ, ſed pœnæ: non ſequitur, poſſe à Deo intendi per ſe, nec ab ipſo vt particulari cauſa procedere.

*Non omne malũ pœnæ poteſt per ſe intẽdi à Deo.*

125 *Ad ſecũdam.*

Ad ſecundã, conceſſa maiori, nego vtramque partem minoris. Ad probationem primæ partis, conceſſis maiori, & minori; nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt: nam amor, quẽ terminat vita, quæ per mortem excluditur, non eſt efficax, ſed ineffícax, de cuius ratione non eſt, quod obiectum ad quod terminatur exiſtat; & ideo mors excludens vitam terminantem dictum amorem, non tendit in deſtructionẽ alicuius prædicati diuini: ac per conſequens vitæ Dei non opponitur. Iudicium autem erroneum dictans verum, quod eſt falſum, dictat falſum eſſe, quod à Deo iudicatur vt verum; ex quo ſequeretur Deum infalibilem non eſſe in iudicando; vnde iudicium erroneum *obiectiuè* oppoſitũ iudicio diuino vero, opponitur naturæ intellectiuæ Dei, quæ talis non eſſet, ſi poſſet iudicare falſum, vel falſum eſſe, quod iudicat verum.

*Ad probationẽ primæ partis minoris.*

126 *Ad probationẽ ſecundæ partis minoris.*

Et ex his ad probationem ſecundæ partis minoris: nego maiorem: ignorantia namque priuatiua, & amentia ſolum opponuntur naturæ intellectiuæ, cui inſunt, non autem naturæ intellectuali vt ſic. Ad illius probationem, nego antecedens. Ignorantia namque non opponitur veritati obiectiuæ, ſed cognitioni illius, & ſimiliter amentia non impedit veritatem obiectiuam, nec in eius tendit deſtructionem, ſed tantum impedit veritatem formalem, ideſt, cognitionẽ, impediendo intellectum, vt in actum cognitionis exire poſsit; & ideò ſolum ſunt mala naturæ intellectualis, cui *ſubiec-*

*Ignorantia, & amentia, ſolũ opponũtur naturæ intellectiuæ, cui inſunt.*

*tiuè*

*Iudicium vero erroneum, iudicium verum, etiã diuinũ destruit.*

*tiuè* conueniunt, non autem naturæ intellectualis, vt sic. Iudicium autem erroneum opponitur obiectiuæ veritati, quam dictat iudicium Dei ac per consequens ipsi iudicio, & Deo, vt intellectiuus est, & idcirco non potest à Deo speciali influxu causari, nec ab illo per se intendi, aut procurari, sicut peccatum, quia *obiectiuè* auertit à Deo, & *affectiuè* illum destruit, non potest à Deo per se intendi, nec ab illo, vt à causa particulari procedere.

Et hæc de ista Disputatione, & Tractatu.

# TRACTATVS DVODECIMVS.

## De Merito Christi.

DE quo D. Thomas in 3. dist. 18. q. 1. ab art. 2. vsque ad 6. ad Annibaldum in eadem dist. quæst. vnic. per quatuor articulos, quæst. 29. de veritate art. 6. 7. & 8. opuscul. 3. c. 238. ac denique in hac 3. p. quæst. 19. quam diuidit in quatuor art. docens in 1. esse in Christo duas operationes, humanam, nempe, & diuinam, quod diffinitum est in sexta Synodo generali act. 4. 8. & 9. probatq; D. Thomas. *Eo quod vbi mouens, & motum habent diuersas formas, seu virtutes operatiuas, ibi oportet, quod sit alia operatio mouẽtis, & alia operatio propria moti; licet motum participet operationem mouentis, & mouens vtatur operatione moti, & sic vtrumque agat cum communione alterius; sed in Christo est duplex natura, humana scilicet, & diuina, impermixta, & inconfusa, & similiter duplex virtus operatiua: ergo in illo sunt duæ operationes, diuina nempè, & humana. Et tamen diuina natura vtitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione sui instrumenti: & similiter humana natura participat operationem naturæ diuinæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est, quod dicit Leo Papa* in epist. 10. cap. 4. *agit vtraque forma (scilicet tam natura diuina, quam humana in Christo) cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est & carne exequente, quod carnis est.* Quæ doctrina debet intelligi in ordine ad

Articulus primus.

illá,

illa, quæ humanitas Christi operabatur vt instrumentum diuinitatis; in his nãque operatio humana participabat operationem diuinam. Non autem in ordine ad illa, quæ ab humanitate Christi principaliter causabantur.

Si oppo nas.

Nec obstat, quod humanitas fuerit diuinitatis instrumentum, vt distincta, & sibi propria gaudeat operatione; vt enim docet D. Thomas solut. ad 2. *Licet actio instrumenti, in quantum instrumentum est, non sit alia ab actione principalis agentis; actio tamen instrumenti, in quantum res quædam est, ab actione principalis agentis distinguitur.* Vbi aduertendum est, identitatem istam non esse entitatiuê accipiendam, sed tantum terminatiuê. Quia, nempè, actio instrumenti, in quantum talis, non habet distinctum terminum ab illo, qui per actionem agentis principalis producitur. Cũ enim, in doctrina D. Thomæ, Deus operetur adextra per actionem immanentem, sibique identificatam, nõ potest actio, qua humanitas, vt diuinitatis instrumentum operatur, identificari realiter cum diuina operatione; quia tamẽ vtra que ad eundẽ terminatur effectum; ideo dicitur, esse vtriusque eandem operationem, scilicet terminatiue.

Si oppo nas secũ do.

Nec similiter obstat distinctioni operationum in Christo, quod sit vna hypostasis, & vna persona; vt enim docet D. Thomas solut. ad 3. *Cum operari sit hypostasis subsistentis, secundum formam, & naturam,* hoc est ratione naturæ, vt principij *quo* operatiui, *specifica vnitas, vel diuersitas operationũ, penes vnitatem, vel diuersitatem naturæ, est pensanda, non autem penes vnitatem, vel diuersitatem hypostasis. Et quia in Christo est duplex natura essentialiter distincta; fit consequens, quod dentur in illo operationes distinctæ essentialiter.* Additq; Diuus Thomas, *vnitatem numericam operationum sub eadem specie sumi ab vnitate hypostasis.* Quod non est intelligendum de vnitate hypostasis, pro eo quod dicit in recto; alias vnitas numerica intellectionis humanæ sumeretur â personalitate Verbi; quod falsum est, cum non recipiatur immediate in illa. Sed de vnitate hypostasis, pro eo quod impor-

tat

tat in obliquo, nempê naturam, in qua operatio creata ab humanitate elicita recipitur immediatê.

Nec inferas, nullum esse discrimen, iuxta istam intelligentiam, inter vnitatem specificam, & vnitatem numericam, quoad hoc, quod est sumi, vel non sumi ab hypostasi; quandoquidem vtraque ab hypostasi desumitur ratione naturæ, & neutra ab illa sumitur ratione personalitatis, quod doctrinæ traditæ â Diuo Thoma aduersatur. Nam licet hoc ita sit; quia tamen natura explicat principia formalia, & specifica; persona autem indiuiduationem; idcirco â Diuo Thoma asseritur, vnitatem specificam operationis sumi â natura, numericam verô ab hypostasi; quia nempè, hypostasis dicit indiuiduam substantiam. Quod autem explicatio tradita sit admittenda, patet; nam si duæ personæ diuinæ vnam numero humanitatem assumerent, intellectio in anima existens, vna numero esset; cum tamen in tali casu non esset vna hypostasis, nec vna persona, sed plures.

Nec denique obstat, in Christo vnum tantum esse dari, etsi duplex sit natura, propter vnitatem hypostasis; & tamen esse, ad formam, vel naturam consequitur: ergo quamuis operatio conueniat personæ ratione formę, aut naturæ, vel ad illam consequatur, & naturæ multiplicentur in Christo; non ideo multæ sunt, & distinctæ operationes. Non inquam obstat, propter diuersum modum, quo ad naturam comparantur existentia, & operatio; hæc nãque cõsequitur ad naturam, tanquam ad principium *quo*, & tanquam ad subiectum immediatê susceptivum; & ideô multiplicatis naturis, multiplicantur operationes in vna, & eadem persona. Existentia autem, licet â natura sit, vt â principio formali; non tamen in natura, sed in supposito immediatè recipitur; & ideô in Christo, quamuis duplex sit natura, quia solum est vna hypostasis, non est multiplex, sed vna existentia; sicque accipiendus est Diuus Thomas solutione ad 4. cum docet: *Esse pertinere ad ipsam*

*Si denique opponas.*

*constitutionem personæ; & ideò non multiplicari in Christo, in quo vna tantum est persona*; non enim intenditur ab Angelico Doctore, quod esse, vel existentia constituat essentialiter personam; sed solum, quod pertineat ad illius constitutionem, vt terminus complens personam, & vt actualitas suscepta immediatè in illa. Quæ explicatio est Caietani in præsenti, & ad intentum Angelici Præceptoris sufficiens: imo expressè ab ipso tradita in hac 3. p. supra quæst. 17. art. 2. ibi: *Ad primum dicendum, quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est; personam autem, siuè hypostasim consequitur, sicut habentem esse: & ideò magis retinet vnitatem, secundum vnitatem hypostasis, quam habeat dualitatem, secundum dualitatem naturæ.* Vbi ly *magis* non est comparatiuè, sed aduersati uê accipiendum, vt constat ex intento articuli, quod erat saluare vnam tantum existentiam in Christo, quamuis sit duplex natura.

Articulus secūdus.

*In secundo Articulo docet, in Christo esse tantum vnam operationem humanam, sicut in alijs hominibus.* Quod intelligendum est de vnitate ex parte principij, quod est ratio, vel voluntas; *diuersificatur autem*, inquit D. Thomas, *secundum respectum ad diuersa obiecta. Et quia in homine Iesu Christo nullus erat motus partis sensitiuæ, qui non esset ordinatus à ratione; ipsæ etiam operationes naturales, & corporales aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, in quantum in voluntate eius erat, vt caro eius ageret, & pateretur; ideò multo magis est vna operatio in Christo, quam in quocumque alio homine.* Quæ consequentia tenet ex antedictis in eodem articulo. Quia nempê, *in alijs hominibus non omnis motus partis sensitiuæ est subordinatus rationi; motus autem naturales, qui sequuntur animam vegetabilem, vel etiam naturam elementaris corporis, in nullo puro homine subijciuntur rationi; in Christo autem omnes istæ operationes erant aliqualiter illius voluntati subiectæ: & ideò in Christo magis est vna operatio, quam in quocumque alio homine.* Quæ doctrina

sic potest ad breuem formam reduci. Actio inferioris, vt subordinati superiori agenti, est quodammodo vna cum actione agentis superioris; sed in Christo omnes actiones, quæ naturæ humanæ conueniunt, secundum diuersos gradus, erant aliqualiter illius rationi, & voluntati subiectę; & consequenter quodammodo vna operatio cum operatione rationis; secus autem in alijs hominibus: ergo multo magis est vna operatio in Christo, quam in cęteris hominibus.

Articulus tertius.

*In tertio Articulo docet, Christum sibi aliqua promeruisse, & aliqua habuisse absque merito; habuit quidem absque merito gratiam substantialem vnionis. Gratiam habitualem, & virtutes cõsequutas ad ipsam. Beatitudinem animæ, & scientiam. Meruit autem beatitudinem corporis, & sui nominis exaltationem.*

Articulus quartus.

*Ac denique, in quarto Articulo docet, Christum, quia est Caput Ecclesiæ, plura hominibus meruisse.* Pro quorum intelligentia, & maiori explicatione, plures, graueſque difficultates sunt â Nobis discutiendæ. De Merito Christi absolutê. De tempore, in quo meruit. De actibus, quibus meruit. De his, quæ sibi per meritum acquisiuit. Ac tandem, de his, quæ hominibus, & Angelis meruit.

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVINTA.

## An Meritum Christi sit simpliciter infinitum?

### §. I.

*Vno præsupposito, referuntur sententiæ.*

Nu. 1. *Christū meruisse supponitur.*

VT Ad Difficultatis punctum præsētis Disputationis veniamus, vt extra controuersiam, & indubitata fide tenendum supponimus, Christum aliquid meruisse. Quæ veritas constat primo ex Tridentino *sessione sexta cap.* 7 vbi diffinitur, Christum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis. Deinde ex illo Esaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, videbit, & saturabitur.* Vbi Christo Domino sub conditione mortis pro hominibus sustinendæ, præmium promittitur; ac proinde illud sua morte promeruit. Præterea ex Paulo ad Philip. 2. illis verbis: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod, & Deus exaltauit illum.* Quibus verbis exaltatio Christi, illius humilitati, & obedientiæ, tanquam præmium attribuitur. Acdenique hac ratione: nam opus liberum, honestum, charitate Dei informatum, in obsequiū Dei factum ad præmium ordinatum, & ab homine viatore procedens, meritorium est apud Deum; cum illi nulla ex conditionibus ad meritum exactis deficiat; talia fuerunt omnia opera Christi Domini: ergo fuerunt meritoria, & per illa Christus meruit.

*Esai. 53.*

*Phil. 2.*

Si opponas primo; meritum ex libertate arbitrij procedit; sed in Christo libertas arbitrij non fuit; cum determinatus fuerit ad bonum, & impotens ad peccandum: ergo non potuit mereri ex defectu primæ conditionis ad meritum requisitæ, videlicet libertatis. Respondeo, negando minorem. Licet enim in Christo non fuerit libertas contrarietatis, consistens in indifferentia ad bonum, & malum, quæ est libertas imperfecta; fuit tamen liber libertate contradictionis consistente in indifferentia ad agere & non agere, & ad hoc, & illud bonum, quæ est libertas perfectissima, Deo conueniens, & ad meritum sufficiens in habente superiorem, in cuius obsequium fiat, qualis fuit Christus, vt homo. Ita Diuus Thomas *quæstione 29. de Veritat. art. sexto ad primum, & in tertio Sent. distinctione 18. quæstione prima art. 2. ad quintum.*

2 *Obijcies primo.*

*Respōdetur.*

D. Th.

Si opponas secundo, per meritum crescit charitas subiecti operantis, quæ

3 *Obijcies secūdo.*

illi

illi est principium merendi; sed charitas Christi per illi⁹ opera nō creuit: fuit enim incapax incrementi; vt *supra q. 7. art.* 12. cum Diuo Thoma docuimus: ergo fuit incapax meriti. Respondeo, veram esse maiorem, quando charitas subiecti merentis nō est in termino augmenti; tunc enim per opera meritoria gratia, & charitas augentur; falsam autem, quando charitas in termino est, qualiter contigit in charitate Christi; fuit enim à primo instanti conceptionis beatus; ac proinde illius charitas, vtpote in termino existens, fuit incapax incrementi; ideò que per opera Christi meritoria non creuit. Ita D. Thomas *in 3. distinctione* 18. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 4. *argum.*

*Respōdetur.*

4 *Obijcies tertio.*

Si opponas tertio; vna ex conditionibus ad meritum requisitis, est, quod à viatore procedat; sed Christus à primo conceptionis instanti fuit comprehensor; fuit enim ab illo instanti beat⁹, vt *Disp.* 32. cum communi sententia docuimus: ergo non potuit mereri ex prædictæ conditionis defectu. Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Nam licet Christus, vt homo, fuerit à primo instanti conceptionis beatus beatitudine animæ, & quantum ad animam comprehensor; erat tamen simul viator, quia carebat beatitudine corporis; ad meritum autem non petitur status viæ quantum ad omnia, sed sufficit status viæ quantum ad aliquid. Ita D. Thomas *loco vbi proximè solut. ad* 1.

*Respōdetur.*

5 *Replicabis* 1.

Sed replicabis primo; sequi ex ista solutione, animas beatorum esse nunc in statu merendi; consequens est falsū: ergo & tradita solutio. Probatur sequela; carent beatitudine corporis: ergo si ex hac carentia Christus constituitur in statu viæ capaci merendi, in illo etiā beatorum animæ erunt. Respondeo, negando sequelam. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Christus enim fuit viator, & in statu capaci merendi, non solum ex eo quod caruit beatitudine corporis, sed insuper, quia illius anima erat corpori passibili vnita, passibilitate orta ex carentia beatitudinis corporis; quia, nempé, gloria animæ in corpus non redundauit, vt daretur locus morti, & passioni. Animæ autem Sanctorum in Patria, corpori non sunt vnitæ, & impassibiles sunt; & idcirco omninò extra merēdi statum constitutæ. Ita D. Thomas *quæst.* 29. *de Veritate art. sexto ad quintum.*

*Respōdetur.*

6 *Tacitæ obiectioni occurritur.*

Nec sequitur, Christum tempore transfigurationis fuisse extra statum merendi. Nam licet tunc gloria animæ redundauerit in corpus, non fuit per modum permanentis, sed per modū transeuntis, quod, sicut non fuit sufficiens, vt fuerit beatus beatitudine corporis; eo quod de ratione beatitudinis est permanentia; ita sufficiens non fuit, vt desineret esse viator, & in statu capaci merendi. Et quidem Paulus in raptu diuinam essentiam vidit, in qua visione animæ beatitudo consistit; & tamen quia non fuit illi permanenter communicata, non desiuit esse viator, quantum ad animam. Idem Nos dicimus de gloria corporis Christi transfigurationis tempore. Quod, nempé, quia non fuit permanenter communicata, non constituit Christum beatum beatitudine corporis; atque adeò, nec extra statum viatoris ad meritum sufficientem.

7 *Replicabis* 2.

Replicabis secundo: nam sequitur ex eadem solutione, Christum non meruisse secundum legem ordinariam Dei, sed ex dispensatione speciali; consequens non admittemus: ergo solutio tradita est nulla. Probatur sequela: nam quod esset Christus simul viator, & cōprehensor habuit ex dispensatione speciali; de lege enim ordinaria, anima beatificata redundat beatitudo in corpus, si anima sit illi cōiuncta: ergo si meruit, quia fuit viator, & comprehensor, meruit speciali dispensatione, nō autem ex lege ordinaria Dei.

8 *Respōdetur.*

Hac obiectione Scotus *in* 3. *dist.* 18. teste Medina vbi *infra*, convictus fuit, vt negaret, Christum de lege ordinaria meruisse. Melius tamen respondetur, negando sequelam. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Licet enim coniunctio status viatoris cum statu comprehensoris in Christo orta ex non redundantia beatitudinis animæ in corpus, fuerit facta speciali dispensatione; tali ta-

men coniunctione suppositа, vt Christus mereretur, non fuit opus speciali priuilegio, vel speciali dispensatione, sed id contigit ex lege ordinaria Dei, & iuxta prouidentiam communem. Et quidem coniunctio humanitatis ad Verbum miraculosa fuit; quod verò, tali coniunctione suppositа, Christus, quatenus homo, actus humanos eliceret, non fuit miraculosum, sed omnino cōnaturale. Ita in præsenti, ex eo quod coniunctio status viatoris cum statu comprehensoris ex speciali dispensatione processerit, non sequitur Christi meritum ex illa formaliter, & proximé processisse, sed ad summum remoté, & antecedenter. Quod, si hoc solum voluit Scotus, cum illo non contendemus.

*Instatur obiectio.*

9 *Explicatur difficultas.*

Supposito ergo, vt de fide Christum Dominum suis operibus meruisse, huius meriti quantitatem indagamus. An, scilicet, fuerit infinitum? Non in genere physico; etenim in hoc genere, vt omnino certum supponimus, illius operationes infinitas non fuisse; fuerunt enim in linea physica eiusdem rationis cum illis, quæ ab homine puro procedere possunt; hæc autem finita physicé sunt, cum principia, à quibus procedūt, vel procedere possunt, tam proxima, quā remota sint in linea physica finita. Vnde tota difficultas ad gen⁹ moris devolvitur. An, scilicet, operationes Christi fuerint in genere moris infinitæ dignitatis, & rationem meriti infiniti obtinuerint?

10 Prima sētētia.

*Gabr. Almai. Medin.*

*Radda. Faber. Castillo.*

Quia in re prima sententia, etsi operationibus Christi supremam inter omnes operationes creatas dignitatem cōcedat; negat tamen illis infinitatem moralem, siué in ratione meriti, siué in ratione valoris. Hanc tenent Gabriel *in 3. dist. 19. q. vnic. art. 1.* Almainus *q. 1.* Ioannes de Medina *codic. de satisfact. q. 1.* Tenent etiam ex Scotistis Recentioribus Radda *3. p. controuers. 13. art. 2.* Philippus Faber *in 3. disp. 45. cap. 2. & 3.* Et Franciscus del Castillo *in hac 3. p. disp. 3. q. 2.* Sequuti Scotum *in 3 dist. 19. q. vnic. §. In ista quæst. et §. ad primum principale, & in 4. dist. 15. q. 1. §. De secundo dicitur.*

11 Secunda sententia docet, Christi meritum fuisse in ratione meriti infinitum, non tamen infinitate simpliciter, sed tantum secundum quid; eo quod non ex omni capite habuit infinitatem, sed tantum ex parte personæ operantis. Ita quidam Recentiores tribuentes suā sententiam Caietano *supra q. 1. art 2*

Secūda sētētia.

*Caiet.*

12 Tertia sētētia.

*Ruard. Vincēt.*

Tertia sententia, distinguens in operibus Christi rationem meriti, & rationem valoris, docet, fuisse in valore infinita, secus in ratione meriti. Hanc tenet Ruardus Taper relatus à Vincentio *relectione de Gratia Christi q. 5. art. 3.* Tenent etiam alij, quos sine nomine refert Beccanus *de Incarnatione cap. 14. q. 2.*

*Beccan.*

13 Quarta, & vera sētētia.

*Caiet. Ferrar. M. Sot. Luna. Aluar. Cornejo. Araujo. Zippul.*

Quarta, & vera sententia defendit, operationes Christi, & in ratione valoris, & in ratione meriti fuisse infinitas simpliciter. Ita Antiquiores Thomistæ, Caietanus *supra q. 1. art. 2. respons. ad 3. dub.* Ferrara 4. *Contra Gentes c. 55. §. Ad euidentiam eius.* Magister Soto *in 4. dist. 1. q. 3. art. 5. & lib. 3. de Natura, & Gratia cap. 6.* Tenent etiam ex Thomistis Recentioribus Magister Luna *quæst. 1. de valore operum Christi art. 2.* Aluarez *supra disp. 4. concl. 3. & in præsenti disp. 44.* Cornejo *disput. 5. dub. 5.* Illustrissim⁹ Araujo *supra quæst. 1. art. 2. dub. 5. concl. 1. & in hac quæst. art. 3. dub. 1.* Zippullus *supra q. 1 art. 2. dub. 5. & in præsenti art. 3. dub. 7.* Qui Auctores indiscriminatim de merito, & satisfactione Christi loquentes, docent, fuisse in linea moris simpliciter infinita. Eandem sententiam ex PP. Societatis sequuntur Valentia *d. sp 1. q 1. punct. 5. quæstiunc. 5.* Suarez *disp 4. sectione 4.* Vazquez *disp. 6* Meratius *tract. de Incarnat. disp. 6. sect 3.* Beccanus *de Incarnat. cap. 14. q 2.*

*Valent. Suar. Vazq. Merat. Beccan.*

Quibus alij Recentiores ex eadem familia frequenter adhærent.

## §. II.

### *Valor infinitus operationum Christi defenditur.*

14 *Prima cõclusio.*

PRIMA CONCLVSIO. *Opera Christi Domini fuerunt infiniti valoris simpliciter.* Ita Auctores quartæ sententiæ sequentes; sicque Interpretantes Angelicum Doctorem D.Th. *in 2. Sententiar. dist. 9. q. 1. art. 8. ad 2. in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 4. distinct. 15. q. 1. art. 2. ad 1. & dist. 20. quæst. vnic. art. 2 quæstiunc. 3. ad 1. quæst. 29. de Veritate art. 3. ad 4. & 8. & art. 5. ad 4. 4. Contra Gentes cap. 54. in hac 3. p. infra quæst. 48. art. 2. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod dignitas carnis Christi non est æstimanda, solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum, scilicet, erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* Vbi cum D. Thomas sine vllo addito diminuente loquatur, non sunt illius verba ad infinitatem secundum quid talem intra lineam moris coarctanda. Nec, vbi particula *quodammodo*, aut *quandam* est vsus, loquendo de infinitate operationum Christi, denotat defectum ab infinitate simpliciter in genere valoris moralis; sed defectum ab infinitate in genere physico, & ab infinitate in ratione bonitatis moralis ex obiecto, & alijs circunstantijs desumptæ. Id ipsum docuit *in hac 3. part. supra quæst. 1. art. 2. ad 2. quodlib. 2. quæst. 1. art. 2.* & passim in alijs locis.

15 *Suadetur 1. auctoritate Clemẽtis VI.*

Et suadetur primo ex Clemente Sexto in Extrauag. vnigenitus de pœnitentijs, & remissionibus, vbi loquens de Thesauro Ecclesiæ, sic ait: *De cuius consumptione, aut diminutione non est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi:* ergo iuxta Clementem operationes Christi fuerunt valoris meritorij simpliciter infiniti. Patet consequentia primo: nam si illarum valor non esset infinitus simpliciter, non deberent appellari merita infinita absolutè, sed cum aliquo addito diminuente; infinitum namque absolutè prolatum, stat pro infinito tali simpliciter: ergo meritum absolutè infinitum est meritum infinitum simpliciter. Sed Pontifex non cum addito diminuente, sed absolutè merita infinita operationes Christi appellauit: ergo quia censuit, esse merita simpliciter infinita.

*Probatur consequentia 1.*

16 *Secũdo.*

Secundo; nam si merita simpliciter infinita non essent, posset aliquatenus, & cum fundamento aliquo formidari, ne in tantum peccata crescerent, vt illorum multitudine Thesaurus Ecclesiæ ex meritis Christi constans diminueretur, ac tandem extingueretur; sed ait Pontifex, nullatenus formidandum esse de consumptione, aut diminutione Thesauri Ecclesiæ propter infinita merita Christi: ergo sentit fuisse infinita simpliciter. Probatur maior, si namque operationes Christi non essent merita infinita simpliciter, nec etiã in ratione satisfactionis essent simpliciter infinitæ; & consequenter valor satisfactorius illarum, finitus simpliciter esset; non enim datur medium inter simpliciter infinitum, & simpliciter finitum; sed quod finitum simpliciter est, terminis præfixis clauditur, ad quos potest peruenire: ergo si merita infinita non essent, possẽt in tantum peccata crescere, vt tandem peruenirentur ad terminos Thesauri Ecclesiæ constantis ex illis: ac proinde extingueretur.

17 *Secũdo suadetur ratione.*

Deinde suadetur ratione ex præcedenti authoritate desumpta: nam vis meritoria præmiorum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum arguit in actu valorem meritorium infinitum simpliciter; sed vis meritoria operationum Christi extendebatur ad præmia inæqualis perfectionis sine termino in infinitum: ergo valor meritorius illarum fuit infinitus simpliciter. Consequentia tenet.

*Minor prob. 1.*

Minor constat primo: nam eadem est vis operationum Christi sub ratione meriti comparatione ad præmia, ac sub ratione satisfactionis per respectum ad peccata; sed habuerunt vim satisfactoriam pro culpis inæqualis malitiæ sine termino in infinitũ; alias timeri posset, ne culparum multitudine tandem con-

sumerentur: ergo etiam habuerunt valorem meritorium præmiorum in perfectione inæqualium sine termino in infinitum. Secundo: nam omnia præmia creata, etiã collectiué sumpta, nõ sunt tantæ æstimationis, quantæ sunt opera Christi propter coniunctionem ad Verbum: ergo vis illorum meritoria extenditur sine termino ad omnia præmia creata, vel creabilia, quæ inæqualis sunt perfectionis.

*Secũdo.*

18 *Maior ostenditur* 1.

Maior autem ostenditur primo: vis productiua physica effectuum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, arguit entitatem, & actualitatem simpliciter infinitam; vnde, quia omni potentia huiusce modi vi gaudet, colligimus, esse entitatis, & actualitatis infinitæ simpliciter: ergo pariter vis meritoria se extendens ad præmia inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, arguet valorem meritorium infinitum simpliciter. Sicut enim vis effectiua physica, in entitate, & actualitate causæ fundatur, ita vis effectiua moralis, & meritoria fundatur in valore morali; & cõsequenter, si ex vi effectiua physica syncathegorematicé infinita, arguitur in causa entitas simpliciter, & cathegorematicé infinita, ex vi effectiua morali infinita syncathegorematicé, colligitur valor moralis actu infinitus simpliciter.

19 *Secũdo prob. maior.*

Secundo probatur maior: etenim, nec singuli effectus, nec omnes sumpti collectiué, possunt excedere perfectionem causæ ipsos continentis perfectè; sed præmia, licet creata, sine fine multiplicabilia, sunt infinita simpliciter: ergo non possunt contineri moraliter in actu non habente valorem simpliciter infinitum; aliàs collectiué sumpta, causæ ipsos continentis perfectè excederent perfectionem; & consequenter vis meritoria præmiorum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum arguit valorem moralem simpliciter infinitum.

20 *Cõfirmatur.*

Explicatur, & vrgetur: nam æstimabilitas præmij nõ potest esse maior æstimabilitate meriti; sed præmia, quamuis finita, prout multiplicabilia sine termino, sunt infinitæ æstimabilitatis: ergo non possunt contineri in actu non gaudente æstimabilitate infinita; & cõsequenter valore meritorio infinito.

21 *Tandem suadetur conclusio notando* 1. *Secũdo.*

Denique suadetur conclusio ratione D. Thom. *quodlib. 2. q. 2. art.* 2. Animadvertendo primo, in operationibus Christi coincidisse rationem meriti, & rationem satisfactionis, vt loquendo in particulari de passione Christi Domini docet D. Tho. *infra quæst. 48. art.* 1. & 2. Advertendo secundo, rationem meriti nõ esse eandem formaliter cum ratione satisfactionis; hæc enim respicit malum personæ ofensæ, vt repellendũ, meritum verò respicit bonum merentis, vt à Deo consequendum, vnde dicimur Deo pro nobis satisfacere, nobisque mereri à Deo, vel apud Deum.

22 *Tertio.*

Animadvertendo tertio, valorem satisfactorium sumi ex dignitate personæ satisfacientis, & valorem meritoriũ sumi ab ipsius sanctitate, de quo plura diximus *Tom.* 1. *Tract.* 1. *Disput.* 3. §. 8. His positis sic suadetur conclusio: sanctitas personæ operantis dat operi valorem meritorium: ergo infinita sanctitas, infinitum dat valorem; sed sanctitas Christi Domini, infinita est in ratione sanctitatis; fuit enim illius humanitas reddita infinitè sancta a sanctitate vnionis substantiali, vt *Tract.* 5 *Disp.* 21. docuimus: ergo illius operationes fuerunt valoris meritorij simpliciter infiniti, sicut sanctitas humanitati præstita à diuinitate, infinita fuit simpliciter in ratione sanctitatis.

23 *Contra rationẽ istã obijcies.*

Ea, quibus contrarij Auctores his argumentis occurrunt, fusè impugnauimus *Tomo Secundo Tract.* 1. *Disp.* 3. § 1. *& sequentibus*, loquendo in simili de satisfactione Christi: vbi etiam argumentis, quæ contra illorum efficaciam obijciunt, occurrimus. Modò cõtra hanc rationem desumptam ex Diuo Thoma, qua nostra conclusio à priori probatur, obijcies: laus Dei in ore Christi nõ est dignitatis meritoriæ simpliciter infinitæ, quãuis Christi sãctitas infinita simpliciter sit in ratione sãctitatis: ergo ex sãctitate infinita humanitatis Christi, non sequitur vis meritoria simpliciter infinita in eius operationib⁹. Cõsequẽtia probatione nõ indiget. Antecedens autẽ probatur: laus Christi in ore Dei non est præmium infinitum simpli-

pliciter, nec in ratione præmij gaudet æstimabilitate simpliciter infinita, alias sola Dei laudatione, merita Christi Domini essent adæquate præmiata: ergo laus Dei in ore Christi meritum infinitum non est, nec dignitatis meritoriæ simpliciter infinitæ. Probatur consequētia: nam Deus Christum laudans est subiectum infinitum simpliciter infinita gaudens dignitate, & sanctitate simpliciter infinita; & tamen non communicat laudi à se præstitæ Christo æstimabilitatem in ratione præmij infinitam simpliciter: ergo licet Christus Deum laudās infinitè sanctus sit, infinitæque dignitatis, non ideò communicauit laudi à se præstitæ Deo, dignitatem meritoriam simpliciter infinitam; & consequenter laus Dei in ore Christi non est valoris meritorij simpliciter infiniti.

24 *Respōdetur.* Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam æstimabilitas præmij in ratione præmij non sumitur à persona præmiante, nec penes eius dignitatem, aut sanctitatem pensatur, sed solum penes vtilitatem, quam quis ex præmio consequitur: vnde, quāuis Deus infinitè sanctus sit, infinitæque dignitatis, laus ex illius ore procedens, quæ præmium virtutis est, nō accipit ab illo æstimabilitatem in ratione præmij infinitā; sicuti nec alia præmia, quibus merita iustorum remunerat, eo quod à Deo sint, sunt in ratione præmij æstimabilitatis moraliter infinitæ. Dignitas autem meriti non sumitur ex bonitate operis adæquate, sed etiam, & præcipuè, penes dignitatem, & sanctitatem operantis pēsatur; imo dignitas, vel sanctitas personæ operantis est forma valorans meritum, eique tribuens dignitatem; & ideo, quādo sanctitas personæ operantis est infinita simpliciter, reddit opus meritorium simpliciter infinite valoratum: ac proinde actus, quo Christus laudabat Deum, erat valoris meritorij simpliciter infiniti; actus verò, quo Deus laudabat Christum, infinitæ æstimabilitatis in ratione præmij non erat. Et quidem persona merens se subijcit præmianti, in illius obsequium operando; & ideo quantificat meritum vt eius forma moralis. Præmians autem nullatenus subiecto, cui cōfertur præmium, se subijcit; & ideo non quantificat præmium, nec præmij æstimabilitas ex dignitate præmiantis augetur, aut penes illā pensatur. Sicut in emptione, & venditione; quia nec venditor emptori subijcitur, nec emptor venditori, non ad illorum dignitatem, sed ad valorem rerum, quæ in emptione, & venditione interueniunt, attēditur adæquate; nec valor mercium crescit ex maiori dignitate vendentis, nec valor monetæ ex maiori dignitate ementis augetur.

*Valor mercium ex dignitate vendētis non crescit.*

25

## §. III.

### *Primum argumentum contrariæ sententiæ diluitur.*

CONTRA istam conclusionem arguitur primo: nam de ratione meriti, valoris simpliciter infiniti, est, quod nullo præmio dato illius vis meritoria exhauriatur, sed quocumque præmio assignato inexausta perseueret; sed valor operationum Christi huius conditionis non est: ergo operationes Christi nō sunt valoris meritorij simpliciter infiniti. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; nam si Pater carnē assumeret intuitu alicuius operationis Christi, vis meritoria talis operationis adæquate exhauiretur; tunc enim meritum exhauritur, quando ei correspondet præmium æqualis æstimationis; Incarnatio autem Patris, æqualis valoris, & æstimationis est cum quacumque Christi operatione: ergo valor operationum Christi non est talis conditionis, vt quocumque præmio dato, inexhaustus perseueret.

26 *Arguitur primo.*

Materiam huius argumenti tetigimus Tom 1. disp. 3. num. 60. vbi quorundam Theologorum solutionem reiecimus; restat modò aliorum solutiones expendere. Quidam respondēt, nō adæqua-

27 *Prima solutio.*

ri

ri valorem meritorij operationis Christi ab Incarnatione Patris, vt præmio, quia valor meritorius cuiuscumque operationis à Christo Domino elicitæ, tãtus est, quanta est dignitas personæ Christi in se ipsa; dignitas autẽ personæ Christi in se ipsa, maior est dignitate, aut sanctitate, quam personalitas Patris humanitati præstaret, sicut persona Verbi in se ipsa dignior est humanitate ab ipsa dignificata; ac proinde valor vnius operationis Christi Incarnationem Patris in ratione præmij excedit: ex quo vlterius sequitur per illam non exhauriri. Ita Cardinalis Lugo vbi supra.

28 *Prædicta solutio reijcitur.*

Sed non placet hæc solutio. Non enim video, cur in valorando meritum persona Christi non cadat ab eo gradu dignitatis, quæ illi in se conuenit per essentiam, & persona Patris in sanctificando, vel dignificando humanitatem ab eo gradu dignitatis descendat. Et quidem non alia ratione dignitas humanitati præstita à persona increata non adæquat dignitatem eius in se, nisi quia præstatur humanitati, quatenus illi vnita & est infinita, non per essentiam, sed per communicationem; persona autem increata in se ipsa est per essentiam infinita; sed etiam valor operationum Christi præstatur à Verbo, quatenus illis vnito, estque infinitus, non per essentiam, sed per communicationem: ergo non adæquat dignitatem Verbi in se ipso; & consequenter exæquari, & exhauriri poterit ab Incarnatione Patris, vt præmio, nisi oppositum aliunde probetur.

29 *Secũda solutio.*

Aliorum solutio est, Incarnationẽ Patris, fore quidem in ratione præmij infinitam; non tamen ita infinitam, sicut valor meritorius operationis Christi, & idcirco non exhauriendum ab illa, casu, quo in præmium daretur. Rationem autem istius doctrinæ reddunt: nam valor operationum Christi est in genere meriti tantus, quanta est perfectio Verbi in se ipso, estque in linea meriti infinitus simpliciter; eo quod maius meritum dari non potest; cum personæ diuinæ, in se ipsis prout in Deitate subsistunt, capaces merendi non sint, & solũ persona diuina in se, posset valorem meritorium eiusdem prout subsistentis in humanitate excedere. Dignitas autem humanitati præstita à Verbo est in linea honoris, & iuris ad beatitudinem, in qua linea non est infinita simpliciter; datur enim alia dignitas maior, nempé, illa, quæ competit diuinis personis ratione diuinitatis: nam personæ diuinæ in se ipsis, etsi meriti sint incapaces, iuris tamen ad honorem, & beatitudinem incapaces non sunt: & idcirco dignitas humanitati præstita à persona Patris, casu quo illam assumeret, non esset ita infinita, sicut est infinitus valor operationũ Christi; ac proinde non exhauriretur ab incarnatione Patris vt præmio. Ita Zipullus *in hac quæst. art. 3. dub. 8. num 19. & 20*

30 *Reijcitur primo.*

Hæc tamen ratio, quam prædictus Auctor euidentem iudicauit, mihi displicet omnino. Primo: nam esto ita sit, quod meritum Christi sit in ratione meriti infinitum simpliciter, eo quod maius in ratione meriti dari non possit; quia Deus in se ipso capax merẽdi non est, & humanitas à persona Patris nõ reddatur sancta infinitè in ratione sanctitatis per essẽtiam, sed solũ in ratione sanctitatis per cõmunicationẽ, quia Deus in se ipso est sanctus, & in ratione sancti humanitatẽ excedit, quod libenter admitto; ex hoc tamen non colligitur, sanctitatem, aut dignitatem à persona Patris præstitam humanitati non esse ita æstimabilem, ac opus meritorium Christi: ergo ex tradito discrimine male colligitur Incarnationem Patris in ratione præmij nõ adæquare valorem meritorium vnius operationis Christi. Consequentia patet; nã adæquatio præmij cum merito est penes æstimabilitatem pensanda: ergo si æstimabilitas Incarnationis Patris tanta esset, quanta est æstimabilitas vnius operationis Christi, adæquaretur in ratione præmij cum illa in ratione meriti.

31 *Antecedens probatur primo.*

Antecedens autem ostenditur primo ex doctrina istius Auctoris, qui, nõ obstante discrimine iam statuto, fatetur magis perfici, seu maiorem perfectionẽ recipere humanitatem à persona diuina sibi vnita, quam operationes Christi à persona Verbi operante; sed æstimabilitas fundatur in perfectione: ergo nõ obstãte prædicto discrimine, tanta, imo & maior erit æstimabilitas præstita humanitati

nitati à persona sibi vnita, quam æstimabilitas cõmunicata operationibus Christi à persona Verbi operante.

32 *Secundo probatur.*

Secundo idem antecedens probatur: nam quod operatio Christi dicenda sit in ratione meriti infinita absolute, humanitas vero in ratione sanctitatis infinita solum cum addito, nempé, in ratione sanctitatis communicatæ, prouenit ex eo quod Deus in se ipso capax merendi non est, bene tamen sanctitatis; at ex hoc nulla dignitas accrescit operi meritorio à Christo Domino elicito; nec in aliquo dignitas sanctificationis humanitatis decrescit, vt per se est manifestum; tanta enim est, modo sanctitas humanitatis, quanta esset, casu, in quo Deꝰ capax sanctitatis in se ipso non foret: ergo ex discrimine assignato nõ sequitur, æstimabilitatẽ Incarnationis Patris in ratione præmij non fore adæquandam cum æstimabilitate operationum Christi in ratione meriti:

33 *Deniq; probatur.*

Denique probatur: nam infinitas meriti Christi in ratione valoris meritorij, esto sit talis simpliciter ob rationem assignatam; non tamen est infinitas per essentiam, sed solum per communicationem; sed sanctitas humanitatis à persona Patris illi præstanda, esset infinita in linea sanctitatis per communicationẽ: ergo non obstante discrimine assignato, sanctitas in eo casu communicanda humanitati, adæquaret in ratione præmij opus Christi meritorium in ratione meriti.

34 *Secũdo. impugnatur solutio.*

Deinde tradita solutio reijcitur: nam ex illa sequitur exhauriendum fore valorem meritorium vnius operationis Christi, si illi, vt potuit, correspõderet in præmium alia eiusdem Christi operatio meritoria; consequens est cõtra istiꝰ Magistri doctrinam: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela; ideo namque iuxta datam solutionem Incarnatio Patris non adæquaret in ratione præmij vnam Christi operationẽ, quia, quod præstaretur humanitati à personalitate Patris, non esset in linea sanctitatis infinitum simpliciter; actus autem meritorius Christi est in ratione meriti simpliciter infinitus; sed valor operis ab humanitate eliciti respondentis in præmiũ alteri Christi operationi, esset simpliciter infinitus, in ratione valoris, non minus, quam alius actus, cui in præmium correspõderet: ergo iuxta principia traditæ solutionis adæquaret, consequenterque exhauriret valorem meritorium vnius operationis Christi.

35 *Respõdetur 1.*

Quare, his omissis solutionibus, respondetur primo, admittendo, casu in quo Pater assumeret carnem intuitu alicuius operationis meritoriæ Christi, exhauriendam fore talis operis condignitatem, ob rationem in argumento assignatam, nec id obstare eius infinito valori. Non enim petit infinitudo valoris meritorij nõ exhauriri à præmio, quod est infinitum simpliciter, sed tantũ quod finito præmio quantumcumque multiplicato, numquam possit exhauriri. Sicut de ratione potentiæ, quamuis infinita sit, non est, quod non exhauriatur productione termini infiniti; vt constat in potentia generatiua Patris diuini, quæ infinita est per essentiam, & vnius filij generatione exhauritur, quia simili gaudet infinitate. Pariter ergo in præsenti, quod valor vnius operationis Christi adæquate, exhauriretur per Incarnationẽ Patris ei respondentem in præmium, illius infinitati non obest: quia Incarnatio Patris non est minus in ratione præmij infinita, quam in ratione meriti vnica Christi operatio. Iuxta quam doctrinã respondeo, distinguendo maiorem: illãque concedo, si præmiũ finitum sit: nego autem, si præmium sit infinitum: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam præmium, quo, in casu dato exhauriretur valor meritorius operationis Christi, Patris, scilicet Incarnatio, esset infinitum simpliciter.

36 *Respõderi potest secundo.*

Secundo responderi potest, concessa maiori, negando minorem: ad cuius probationem dicatur: Incarnationem Patris, vt præmium, non adæquare valorem meritorium vnius operationis Christi, nec esse in ratione præmij infinitam: nam licet infinitè humanitatem sanctificaret, concretumque sanctitatis ex humanitate, & persona Patris resultans, foret infinitum moraliter; ratio tamen sub qua illud concretum, rationem præmij meritorum Christi obtineret, non foret, quod persona Patris in ratione sanctificantis dicit in recto, sed vnio formæ

sanctificantis cum humanitate sanctificata, quæ vnio infinita non est, sed finita; ac per consequens concretum illud infinitum non foret in ratione præmij formaliter. Ratio autem, cur id quod forma increata sanctificans importat in recto, nequit esse præmiũ formaliter, est, nam præmium in ratione præmij est effectus meriti in genere moris, & ab illo dependet moraliter; forma autem increata, secundum nihil sibi intrinsecum, potest dependere à creatura, nec physicé, nec moraliter; quia in quacumque, ex his dependentijs, imperfectio importatur; ac proinde formæ increatæ, secundum sibi intrinseca, omnino repugnat: vnde concretum illud solum potest rationem præmij sortiri ratione vnionis personæ sanctificantis cum humanitate sanctificata, quæ vnio infinita non est.

37

38 *Replicabis. 1.* Sed replicabis primo: Incarnatio Patris foret infinita in ratione beneficij diuini: ergo etiam esset infinita in ratione præmij formaliter; & consequenter valorem meritorium vnius operationis Christi exæquaret, & talis valor per illã exhauriretur. Consequentia tenet: nam omne beneficium, quod Deus potest liberaliter largiri, potest etiã intuitu meritorum conferre; & consequẽter potest rationem præmij obtinere: ergo si Incarnatio Patris infinita esset in ratione beneficij diuini, facta intuitu meritorum Christi foret in ratione præmij infinita. Antecedens autem probatur: nam Incarnatio Patris esset beneficium diuinum prout humanitati bona, non solũ physicé, sed etiam moraliter; sed esset infinité humanitati bona moraliter, cum illam infinite sanctam constitueret: ergo esset infinita in ratione beneficij diuini.

39 *Replicabis. 2.* Replicabis secundo: nam sequitur ex hac solutione, posse Incarnationem Patris, aut Filij, cadere sub merito condigno operum puræ creaturæ; consequens est falsum, & contra communem Theologorum sententiam: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: Incarnatio Patris, vt præmium, iuxta solutionis doctrinam, infinita non est: ergo ad meritum illi æquale, dignitas infinita non petitur; ac proinde sub condignitate meritoria operis puræ creaturæ cadere potest. Prima consequentia patet: nam præmium non infinitum, non potest in merito sibi æquali infinitam condignitatẽ exigere. Secunda consequentia probatur: nam merito puræ creaturæ sola condignitas infinita repugnat: ergo si Incarnatio Patris vt præmium in merito sibi æquali, & condigno, infinitam condignitatem non petit, non est vnde operi à pura creatura elicito repugnet cũ Incarnatione Patris, vt præmio, in ratione meriti adæquari, esseque meritum condignum illius.

40 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur: vt enim *Tom. 1 disp. 1. 2. & 3.* docuimus, sola superioritas ordinis, in linea moris non obstat, vt ab inferiori in ordine, vel ratione intensionis, vel ratione multitudinis, aut ex alijs capitibꝰ adæquari, & superari possit; ex quo intulimus, quod si offensa mortalis non esset infinita moraliter, posset pura creatura æqualem pro illa conferre satisfactionẽ: & quod si merita Christi infinitæ dignitatis non essent, posset meritum à pura creatura elicitum cum merito Christi adæquari: ergo, si Incarnatio Patris non est in ratione præmij infinita, sed tantum superioris ordinis, nempé hypostatici; poterit opus à pura creatura elicitum, adeo crescere in morali æstimatione, vt adæquet Incarnationem Patris, vt præmium; & consequẽter poterit esse meritum condignum illius.

41 *Ad primã replicã respõdetur.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo antecedens: in ratione beneficij, secundum rationem boni, quæ in beneficio importatur, concedo antecedens: secundum rationem facti, quam etiam beneficium importat, nego antecedens & consequentiam: nam persona increata, vt humanitati vnita, nequit sub merito cadere secundum quod bona est illi, pro eo quod dicit in recto; quia vt sic perfectionem increatam, & à creatura omnimode independentem importat, sed vt facta humanitati; cumque non fiat secundum se, qua ratione est infinita, sed ratione vnionis cum humanitate, quæ vnio finita est; fit consequens, quod vt præmium infinita esse non possit: ac proinde, nec meritũ Christi exhaurire.

42 Ad secundam replicam, nego sequelam. Ad illius probationem, distin-

guo

guo antecedens: in ratione præmij formalis, concedo antecedens. in ratione præmij virtualis, nego antecedēs, & cō sequentiam. Nam licet forma increata humanitatem sanctificans, nō possit esse præmiū formaliter respectu operis merentis vnionem sui cum humanitate sanctificata; eo quod illi, secundum omne prædicatum intrinsecum, repugnat dependere ab aliqua entitate creata; petit tamen esse præmium virtualiter actus de condigno formaliter merentis vnionem: nam eo ipso, quod opus aliquod mereatur de condigno vnionem personalitatis diuinæ cum natura creata, talis conditionis est, vt si personalitati vnitæ, secundum id, quod importat in recto, ratio præmij non repugnaret, sub eodem merito formaliter caderet, in quo consistit formam sanctificantem, secundum id, quod importat in recto, virtualiter mereri, & talem formam rationem præmij virtualiter sortiri: ac proinde solum opus potens, quantum est de se ad merēdam de condigno personalitatem diuinam, vt sanctificantem extendi, potest de condigno vnionem eius cum humanitate mereri; & quia operi à pura creatura elicito prædicta extensio virtualis repugnat; fit consequens, quod etiam illi repugnet esse meritum condignum vnionis personæ diuinæ cū natura creata, esto huiuscemodi vnio non sit in ratione præmij formaliter infinita. Et ex his ad confirmationem constat solutio.

*Ad secūdā respōdetur.*

43 *Instabis*

Sed instabis: homo iustus merens de condigno gloriam, virtualiter de cōdigno meretur decretum diuinum executiuum gloriæ; & tamen hoc decretum, cum sit actus Deo intrinsecus, infinitæ est dignitatis: ergo quod personalitas diuina humanitatem sanctificans infinitæ sit dignitatis, non tolit, quominus esse possit virtualiter præmium operis valoris finiti; & consequenter, si non requiritur quod sit formaliter præmium actus merentis vnionem illius cum humanitate, poterit pura creatura condigné hanc vnionem mereri; esto personalitas vnienda futura sit præmium virtuale meriti à pura creatura eliciti.

44 *Respōdetur.*

Respondeo, distinguendo maiorē: meretur virtualiter decretum Dei executiuū, secundum quod per se petitur à gloria quæ est effectus illius, concedo maiorem: secundum totum, quod habet, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam personalitas diuina per se petitur ab vnione hypostatica secundum infinitam dignitatem, quam humanitati communicat; ac proinde, prout infinitē humanitatem dignificans, debet esse virtualiter præmium actus merentis vnionem, quod sine infinita dignitate meritoria talis actus nequit saluari. Decretū autem diuinum executiuum non petitur ab effectibus creatis, secundum totā dignitatem, quam habet, per se perfectate causæ: vnde nō est necessarium, quod secundum infinitam dignitatem conuenientem tali decreto sit virtualiter præmium meriti condigni illorum: ideoq; opus à pura creatura elicitum, quamuis finitæ sit dignitatis, & valoris meritorij finiti, potest condigne gloriam mereri formaliter, & condigne virtualiter decretum executiuum illius.

45 *Prædicta solutio defenditur.*

Hæc solutio est probabilis, & subtilem continet doctrinam. Ab illa tamen recedimus: tum propter ea, quæ *Tom. 1. disp. 3. num. 64.* quorundam Recentiorum doctrinam impugnantes docuimus. Tum etiam, quia argumenta contra illam facta difficilia sunt, & ægré soluuntur. Accedenique nam præmium nō potest, in merito exigere dignitatem aliquam non remunerandam per ipsum: ergo si Incarnatio Patris, vt præmium, petit infinitam dignitatem in merito, talis dignitas per illam remuneratur; & consequenter exhauritur per illam iuxta solutionis doctrinam. Quod patet exemplo decreti executiui Dei, quod non est præmium formale, sed tantum virtuale operum hominis iusti, ob rationem in solutione assignatam; & tamen illorum dignitatem adæquat, exhauritque: ergo licet personalitas Patris naturæ creatæ vnita, non foret præmium formale, sed tantum virtuale operis à Christo eliciti; sufficiēter tale opus remuneraretur per illam: ac proinde exhauriretur, si verū est, fore illius dignitatem exhauriēdam, casu in quo personalitas Patris esset illius præmium formaliter.

46

Quare, prædicta solutione omissa, aliter est respondendū argumento principali,

cipali, concessa maiori, negando minorem; ad illius probationem dicatur: Incarnationem Patris, vt præmiũ, adæquãdam fore cum valore vnius Christi operationis intensiue, non vero extensiue; ex quo tantum sequitur, intensiue abilla exhauriendam, non autem quod extensiue per illam exhauriretur: vnde nõ posset extendi ad præmium intensiuè maius, in quo illius intẽsiua adæquatio, & intensiua exhauritio consisterent, posset tamen ad præmium extensivè maius extendi; cumque gratia, & quoduis bonum creatum adiuncta Incarnationi Patris, non sint præmium maius illa intensiue sed extensiue tantum; fit consequens, quod vna Christi operatio, cui responderet Incarnatio Patris in præmium, posset etiam simul cum Patris Incarnatione quodvis aliud præmium mereri. Ita occurrimus huic argumento *Tom. 1. disp. 3. num. 65.*

47 *Opponnes. 1.* Sed oppones primo: nam Incarnatio Patris, vt præmium, æquè bona, & æquè æstimabilis foret, ac vna Christi operatio, vt in hac solutione supponimus: ergo adæquaret eius dignitatem, & valorem meritorium, non solum intensiuè, sed etiam extensiue; & consequenter vtroque modo exhauriret vim meritoriam vnius Christi operationis.

48 *Secũdo.* Secundo: nam præmium intensiuè maius, petit in merito sui condigno æstimabilitatem intensiue maiorem: ergo præmium maius extensiuè, petit in merito sui condigno æstimabilitatem maiorem extensiue; ac proinde in vno actu meritorio Christi non potest condignitas reperiri ad Incarnationem Patris vt præmium, & simul ad gratiam habitualem, vel aliud donum creatum.

49 *Tertio.* Tertio, & explicatur magis obiectio: nam Incarnatio Patris, & simul gratia habitualis sunt præmiũ maioris æstimationis, quam sola Incarnatio Patris; sed in vna operatione meritoria Christi non est maior æstimabilitas in ratione meriti, quam in Patris Incarnatione in ratione præmij inuenitur: ergo non potest reperiri in vna operatione Christi æqualitas meritoria cũ Incarnatione Patris, & gratia habituali simul.

50 *Denique obijcies.* Denique: nam saltim data Incarnatione Patris in præmium vnius actus meritorij Christi, nõ posset Incarnatio Spiritus Sancti tali actui, vt condigno merito respondere: ergo non habet vim meritoriam se extendentem ad omne præmium posibile; & consequenter nõ est condignitatis meritoriæ simpliciter infinitæ. Probatur antecedens, primo: nam vtriusque personæ Incarnatio maius quid est, quam Incarnatio vnius; sed vn⁹ actus meritorius Christi non est quid maius in morali æstimatione, quã vnius personæ Incarnatio: ergo tantus nõ est, quanta est Incarnatio duarum personarum in æstimatione morali. Secundo probatur: nam in duobus actibus meritorijs Christi est maior dignitas meritoria, quam in vno Christi actu; sed duo actus meritorij Christi non excedunt Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, sed solum adæquantur cum illis: ergo vnus actus Christi meritorius, solum adæquatur cum Incarnatione vnius personæ diuinæ; & consequenter per illam remuneratus, non posset ad Incarnationem alterius personæ condigne promerendam extendi.

51 *Ad primã replicam respõdetur.* Respondeo ad primam replicam, cõcesso antecedenti, negando consequentiam. Imo ex eo quod Incarnatio Patris esset infinite bona, & infinite æstimabilis; sequitur meritum condignum illi⁹, fore etiam condignum cuiuscumque alterius præmij contenti in ipsa eminenter; ac proinde non fore exhauriendum extensiue ab Incarnatione Patris illi respondẽte in præmium. Sicut ex eo quod Deus est in se infinite bonus, meritum, quod foret condignum diuinitatis in se, ad omne aliud extra Deum haberet condignitatem; quia omne, quod est extra Deum continetur eminenter in ipso.

52 *Ad secũdã respõdetur.* Ad secundam replicam, concesso antecedenti, nego consequentiam; vt enim meritum condignum intensiuè exhaustum à præmio aliquo infinito extẽdi possit ad præmium, quod sit maius extensiuè, non est necessarium, quod æstimabilitas meriti sit maior extensiue æstimabilitate præmij, à quo intensiuè exhauritur; sed sufficit, quod æstimabilitas alterius præmij eminenter contineatur in æstimabilitate præmij tale meritum intensiue exhaurientis, vt constat in exemplo *proximè* adducto.

53 *Ad tertiam*

Ad tertiam obiectionem, concedo maiorem: loquendo de excessu æstimabilitatis extensiuo; nego autem de excessu intensiuo; & concessa minori, nego consequentiam. Instoque in actu, qui esset meritum condignum diuinitatis in se. Hic enim actus maioris æstimationis, quam diuinitas non esset; & tamen, eo ipso, quod esset meritum cõdignum diuinitatis, prout est in se ipsa, posset etiam de condigno mereri Deitatẽ, & quodvis donum creatũ; licet in aggregato resultãte ex dono creato, & Deitate esset perfectio extensiué maior, quam in sola Deitate. Ita *in præsenti*, meritum condignum Incarnationis Patris, posset etiam de condigno mereri gratiam habitualem, & quodvis donum creatum, quãuis in aggregato ex illis, & Incarnatione Patris, sit maior æstimabilitas extensiué, quam in sola Patris Incarnatione.

54 *Ad quartam.*

Ad quartam, nego antecedens. Ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: est quid maius extensiué, cõcedo maiorem: intensiué, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Sicut enim duæ personalitates diuinæ, non sunt aliquid intensiué melius, quam vna, sed solum extẽsiué: ita vnio duarum personalitatum ad vnam, vel duas naturas creatas, non est quid intensiue æstimabilius, sed solum extẽsiué, quam vnio vnius tantum personæ; vnde meritum condignum vnionis vnius personalitatis diuinæ cum natura creata, potest etiam vnionem duarum personarum de condigno mereri.

55 *Ad secũdã probationẽ.*

Ad secundam antecedentis probationem, cõcessa maiori de excessu æstimabilitatis extensiuo, & negata de intensiuo, & concessa minori, nego consequentiam. Cum enim in duab⁹ Christi actionibus vna sit forma valorans, nempé, hypostasis Verbi, tota, & totaliter vtrique communicata; fit consequens, quod valor personalis, qui in illis est infinitus, idem in vtraque sit, & solum sit differentia ex parte valoris finiti desumpti ex alijs capitibus, qui ad Incarnationem merendam omninò insufficiens est. Imo potest argumentum in contrarios retorqueri. Vt enim ipsi fatentur, duæ actiones meritoriæ Christi, possunt condigné duarum personarum Incarnationem mereri; sed ex parte valoris personalis, quo solo possunt condigna merita Incarnationis constitui, nulla est differentia in vna, & duabus Christi actionibus, nec in duabus est maior personalis dignitas, quam in vna: ergo si in duplici Christi actione est cõdignitas sufficiens ad Incarnationem duarum ex diuinis personis merẽdam, etiam reperitur in vna operatione Christi sufficiens valor, vt sit meritum condignum Incarnationis Patris, & Spiritus Sancti, nec vtriusque personæ Incarnatio vnius Christi actionis condignitatem excedit.

## §. IV.

### *Cætera argumenta diluũtur.*

56 *Secũdo arg.*

SECVNDO principaliter arguitur: nã de ratione meriti valoris infiniti simpliciter, est, quod non sit assignabile præmium, ad quod illius condignitas non extendatur; sed est possibile præmium, ad quod non extẽdatur, nec possit extendi condignitas meritoria operationum Christi: ergo illius merita non sunt valoris simpliciter infiniti. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur, supponendo casum possibilem, quod Pater carnem assumeret, & à Deo postularet alicuius ægroti sanitatem, ad illamque consequendam sua merita dirigeret; & Christus, qui modo est, à Deo oppositum peteret, nempé, quod ægrotus non consequeretur sanitatem. In hoc casu, qui possibilis est, negatio sanitatis ægroti, non caderet sub condignitate petitionis Christi; aliàs mereretur condigné, quod Pater ægroti sanitatẽ postulans, nõ exaudiretur à Deo, quod impossibile est; cum vtriusque merita æqualis essent valoris: ergo est assignabile præmium, ad quod non extẽdatur, nec possit extendi condignitas meritoria operationum Christi.

Ad

57 *Prima solutio.*

Ad hoc argumentum varié occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Prima solutio est in casu præsuppositio petitionem Christi postulantis, quod ægroto sanitas non conferretur, fore condignam negationis sanitatis, si actu, quo Christus talem negationem peteret, ratione intensionis, vel repetitionis, aut ex alia circunstantia excederet orationem alterius personæ incarnatæ oppositum postulantis; secus autem, si ex nullo capite, & ex nulla circūstantia illius orationem excederet.

58 *Hæc solutio argumētū in suo robore relinquit.*

Hæc tamen solutio, nec euacuat vim argumenti, nec veram doctrinam continet. Primū patet; nam de actu Christi æqualis perfectionis moralis ex omni capite, & ex omni circunstantia, cum oratione, qua Pater Incarnatus postularet sanitatem ægroti, restat argumentum soluendum, nempé, quomodo sit valoris meritorij simpliciter infiniti, si non habet condignitatem ad omne præmium possibile; sed aliquod præmium datur, ad quod illius condignitas meritoria non extenditur nec potest extendi: ergo argumentum factum tradita solutione non soluitur, sed illius difficultas integra perseuerat.

59 *Falsam continet doctrinam.*

Quod autem falsam contineat doctrinam, probatur: nam sequitur ex illa, orationem Christi vincere ratione valoris finiti orationem Patris Incarnati oppositum postulantis; consequens admitti non debet: ergo nec solutio tradita. Minor patet: nam condignitas postulationis Patris prouenit ex valore personali infinito: ergo impediri non potest ab actu meritorio Christi ratione valoris finiti, ex circunstantijs actus, vel ex obiecto desumpti. Sequela verò probatur: nam postulatio Christi, & postulatio Patris conuenirent in valore infinito sumpto ex dignitate personæ; & consequenter solum discriminarentur in valore limitato sumpto ex alijs circunstantijs; sed victoria petitionis Christi contra Patrem oppositum postulantem, non posset ex eo, in quo cōueniunt, adæquanturque prouenire, sed solum ex eo, in quo postulatio Verbi, & petitio Patris inter se discriminantur: ergo vinceret, impediretq; petitio Verbi Incarnati postulationem Patris ratione valoris finiti sumpti ex circunstantijs actus, in quo supponitur petitionē Verbi Incarnati, postulationem Patris excedere.

60 *Respondebis.*

Respondebis, negando sequelam. Nam in oratione Patris postulantis ægroti sanitatem esset valor infinitus sumptus ex persona Patris, & valor finitus sumptus ex alijs capitibus, in quo oratio Christi præsupponitur excedens orationem Patris; victoria autem postulationis Christi contra Patris petitionem orta ex valore finito, nō esset respectu petitionis Patris, prout subest valori personali, sed prout subest valori finito; ac proinde postulatio Christi non vinceret ratione valoris finiti, valorem infinitum postulationis Patris.

61 *Sed contra.*

Sed contra: nam condignitas postulationis Patris orta ex valore personali, de facto impediretur à postulatione Christi; quandoquidem non consequeretur sanitatem postulatā, eo quod Christus illius negationem petijsset per actum excedentem orationem Patris in valore ex circunstantijs desumpto; at non impediretur, seu vinceretur valor personalis postulationis Patris à postulatione Verbi, ratione valoris ex persona Verbi sumpti, in quo æquales supponuntur: ergo vinceretur, seu impediretur valor personalis orationis Patris ab oratione Verbi, ratione valoris finiti ex circūstantijs desumpti, in quo præsupponitur illam excedens.

62 *Secūda solutio.*

Secunda solutio est, in casu præsuppositio vtriusque postulationem futuram esse condignam, vnam sanitatis ægroti postulatæ à Patre, aliam negationis sanitatis postulatæ à Filio. Nec esse aliquod inconueniens dari simul duo merita condigna obiectiué inter se opposita; sicut sæpé dantur de facto simul duo merita congrua oppositā obiectiué inter se, vt quando duo iusti petunt à Deo res diuersas, & oppositas, ad quas in illorum petitionibus congruitas reperitur. Et sicut multoties in oppositionibus Beneficiorum contingit; sæpé namque respectu eiusdē beneficij duo, vel plures oppositores æqué digni concurrunt; ac proinde simul dantur in illis cōdigna merita obiectiué inter se opposita. Ita Cardin. Lugo *disp. 6. sect. 1. à n. 23.* Lugo.

Hanc

63 *Prædicta solutio reijcitur.*

Hanc tamen solutionem alij merito reijciunt: nam licet in oratione Christi detur sufficiens condignitas ad negationem sanitatis ægroti acceptam secundum se; non tamen potest habere condignitatem ad prædictam negationem in sensu composito orationis Patris sanitatem ægroti postulantis; at in hoc sensu argumentum factum procedit: ergo dicta euasione non soluitur. Maior, in qua sola est posita difficultas, probatur; vt enim postulatio Christi foret condigna negationis sanitatis ægroti in sensu composito orationis Patris postulantis ægroti sanitatem, necessarium erat, quod Christus mereretur condigné Patrem non exaudiri; at in oratione Christi non potest esse condignitas, vt Pater non exaudiatur: ergo non posset habere condignitatem ad negationem sanitatis ægroti, præsuppositā oratione Patris sanitatem postulantis, in sensu composito illius.

64 *Minor ostenditur 1.*

Minor ostenditur primo: nam si Filius mereretur cōdigne, quod Pater nō exaudiretur à Deo, etiam Pater mereretur condigne, quod Filius non exaudiretur; sed implicat hæc mutua nō exaudition is condignitas, sicuti, & implicat vtrumque exaudiri, & non exaudiri simul; meritum enim de re implicante esse nequit: ergo in oratione Filij non potest esse condignitas, vt Pater postulans ægroti sanitatem non exaudiatur à Deo.

65 *Secūdo prob. minor.*

Secundo probatur minor: Filium namque mereri condigne non exaudi tionem Patris, esset suo merito impedire, & vincere Patris meritum; sed nō stat meritum Filij vincere meritum Patris; cū victoria vnius meriti præ alio ex maiori æstimabilitate proueniat; meritum autem Filij non possit excedere meritū Patris in æstimabilitate, sicut nec in valore illud excedere potest: ergo Filij meritum nequit habere condignitatē, vt Pater non exaudiatur.

66 *Vrgetur amplius*

Quod amplius vrgetur exemplo, quo Cardinalis Lugo doctrinam traditæ solutionis confirmat. Quando namque duo oppositores æquē digni ad aliquod Beneficium concurrunt, in nullo est condignitas, vt alteri Beneficium negetur: ergo pariter cum duo merita æqualis dignitatis referuntur, vel diriguntur ad præmia incōpatibilia, in nullo esse potest condignitas, vt alterum reijciatur, illique præmium negetur. Sed in casu præsuppositō interueniunt duo merita æqualia relata ad præmia incompatibilia: ergo nec in merito Patris est condignitas, vt Filius nō exaudiatur, illiusque meritum reijciatur, nec in merito Filij condignitas esse potest, vt nō exaudiatur Pater. Antecedens, in quo est difficultas, probatur; quod enim potest sine iniuria oppositoris non fieri, non cadit sub illius condignitate; sed posset in dicto casu, sine vnius oppositoris iniuria, alteri sibi æquali Beneficium concedi; cum vterque æqualis dignitatis supponatur: ergo quod huic negaretur nō cadebat sub alterius dignitate, sed ex superioris gratia pendebat.

67 *Opponēs.*

Si opponas: qui dignus est beneficij, non amittit dignitatē, ex eō quod oppositor æquē dignus ad idem beneficiū concurrat; aliàs beneficium ipsi in tali concursu collatum conferretur indigno; sed, vt supponitur, ex se erat beneficio dignus, altero non concurrente: ergo dignus etiam perseuerat in concursu alterius, illi in dignitate æqualis. Sed non potest in concursu æquē digni, esse dignus beneficio, quin etiam dignus sit, vt alteri beneficium negetur; cum non possit ipsi dari, & alteri non negari: ergo est dignus, vt alteri sibi æquali beneficium negetur; & consequenter dātur simul duo digni dignitatibus oppositis obiectiué in ordine ad idem præmium.

68 *Respōd.*

Respondeo, concessa maiori, & minori, distinguendo consequens: perseuerat dignus beneficio accepto secundum se, & vt collato sine concursu dignioris, vel æquē digni, concedo consequentiā; beneficio, vt conferendo in cō cursu alterius oppositoris, vel æqualis, vel maioris dignitatis, nego consequentiā. Itaq; beneficium considerari potest dupliciter: primo, vt conferendum sine cōcursu æquē digni: secundo, vt in hoc concursu cōferendū, & sub hoc secūdo statu maioris æstimationis est, quā sub primo; pluris enim æstimari debet actio cōferendi beneficiū oppositori digno in concursu alterius oppositoris ipsi æqua-

æqualis in dignitate, quã sine tali cõcursu; cũ conferens beneficium minus liber sit in illius collatione, quãdo nullus oppositor æqualis dignitatis concurrit, quam cum cõcurrit aliquis æqualis dignitatis cum illo; in primo enim casu tenetur ex iustitia opposito digno beneficium conferre; secus autẽ in secundo, cum possit sine illi⁹ iniuria alteri æquẽ digno beneficium dare. Dicimus ergo, oppositorem dignum habere condignitatem ad beneficium acceptum secundũ se, & vt conferendum sine concursu æquẽ digni, vel dignioris; in conspectu verò dignioris, esse positiuẽ indignum, & in cõspectu æquẽ digni esse indignũ negatiuẽ, hoc est, non habentem ius, vt illi ex iustitia beneficium debeatur; cũ possit ei sine iniustitia negari, alteri æquẽ digno beneficium conferendo.

69 *Traditur vera solutio.*

Vnde, his omissis, vera solutio est, quam tradit Zippullus *in hac quæst. art. 3. dub. 10.* nimirum, negationẽ sanitatis ægroti considerari posse dupliciter, scilicet, secundum se, & suppositã orationẽ Patris, vel alterius personæ incarnatæ postulantis ægroto salutẽ: primo modo inspecta cadit sub condignitate meritorum Christi; secus verò secundo modo sumpta, eo quod, vt postulatio Verbi esset condigna negationis sanitatis, suppositã orationẽ Patris sanitatem petentis non exaudiretur à Deo, quæ condignitas orationi Christi nequit competere; ad hoc enim necessarium erat, quod valor orationis Christi maior esset valore orationis Patris, quandoquidem impediret efficaciam illius, & contra illam prævaleret. Iuxta quam doctrinã ad argumentum factũ respondeo, concessã maiori, negando minorẽ. Ad illius probationẽ, concesso antecedenti, nego consequentiam. Negatio enim sanitatis ægroti, nõ est præmium possibile, suppositã orationẽ Patris petẽtis eius sanitatẽ: ac proinde ex eo quod prædicta negatio in tali suppositione sub condignitate valoris operum Christi non cadat, non sequitur, Christi merita non extendi ad omne præmium possibile.

70 *Obijcies*

Sed dices, posset Deus in prædicto casu no exaudire orationẽ Patris incarnati petentis sanitatem ægroti, & sanitatem à Patre postulatam non dare: ergo negatio exauditionis, & sanitatis à Patre postulatæ est possibilis; & consequẽter si talis negatio non cadit sub condignitate meritorum Christi, aliquod præmium possibile non cõprehenditur sub illorum condignitate; ex quo vlterius sequitur, non esse valoris meritorij simpliciter infiniti; quandoquidem est dabile præmium, ad quod illorum condignitas non extendatur, nec possit.

71 *Respõdetur.*

Respondeo, prætermisso antecedẽti, & prima consequentia, negando secundam, quæ subinfertur. Nam licet demus, posse Deum in prædicto casu nõ conferre ægroto sanitatẽ, & non exaudire Patris Incarnati orationẽ sanitatem postulantis, & ad illam consequendam sua merita dirigentis, cuius veritatem *Disp. seq.* examinabimus; nõ tamen potest orationem Patris non exaudire, sanitatemque negare intuitu meritorum Verbi oppositum postulantis, & motus ab illis; eo quod in meritis Verbi Incarnati non reperitur condignitas, imo nec congruitas ad negationem illam in tali suppositione. Ex quo tantum sequitur, negationẽ exauditionis Patris Incarnati esse possibilem acceptam in esse rei: non autẽ sequitur, esse possibilẽ in ratione præmij formaliter: & vt infinitas valoris operationum Christi saluetur, sufficit, quod vis illarum meritoria extendatur ad omne præmium possibile in ratione præmij formaliter, licet non cõprehendatur sub illa, quod non potest rationem præmij obtinere; & consequenter non est in ratione præmij possibile, quamvis sit possibile in esse rei.

72 *Replicabis 1.*

Sed instabis primo: nã sequitur ex hac solutione, valorẽ operationũ Christi, non esse moraliter infinitum; consequens aduersatur nostræ cõclusioni: ergo non potest cũ illius veritate solutio data subsistere. Probatur sequela: nã infinitũ in aliquo genere, à nullo impediri potest; sed in casu præsuppositio, valor operationũ Christi ab oratione Patris impeditur; quãdoquidẽ, illa suppositã, negatio sanitatis sub illius efficacia non cadit, quæ secundum se sub illa continebatur: ergo infinitus non est

73 *Repliicabis 2.*

Replicabis secundo: quidquid potest

test cadere sub oratione, potest cadere sub merito; & consequenter est in ratione præmij possibile; sed quod Pater postulans sanitatem ægroti non exaudiatur à Deo, potest cadere sub oratione Christi: ergo etiam sub merito illius; & consequenter est possibile, non solum in esse rei, sed etiam in esse præmij. Minor probatur dupliciter: primo: nam de facto supponimus, Christum petentem negationem sanitatis postulatæ à Patre: ergo orat, & petit Christus, vt Pater sanitatem postulans non exaudiatur à Deo. Secundo probatur: nam quod Deus potest facere, potest Christus ab ipso postulare; sed Deus potest non exaudire Patrem petentem sanitatem ægroti, negando sanitatem postulatam: ergo potest Christus petere, vt Pater, non exaudiatur; & consequenter non exauditio Patris postulantis potest cadere sub oratione.

74 *Replica bis 3.* Denique replicabis, vel Pater, tunc casus postulans sanitatem ægroti, Filio oppositum postulante, est dignus, vt exaudiatur à Deo, vel non: si primum, etiam Filius petens negationem sanitatis ægroti, merebitur de condigno exaudiri; cum non sit maior ratio vnius, quam alterius, quoad condignitatem meriti, in qua supponuntur æquales: si secundum dicatur; nequit Pater sua oratione impedire condignitatem orationis Filij; sola enim condignitas petitionis Patris postulantis sanitatem, potest impedire condignitatem orationis Filij.

75 *Ad 1. replicã respond.* Respondeo ad primam replicam, negando sequelam. Ad illius probationem, distinguo maiorem: à nullo finito, sibique inferiori, concedo maiorem: ab infinito, & æquali, nego maiorem; & cõcessa minori, nego consequẽtiã. Iraq; infinitum per essentiam à nullo impediri potest, quia aliud infinitum illi æquale repugnat, quod si per impossibile essent duo Dij æqualis infinitatis, & potestatis, vnus posset alterum impedire, & é contra, & ex hoc inconueniẽti inter alia, probatur repugnantia multiplicitatis Deorum: quia ergo infinitũ per cõmunicationem, quale est meritũ Christi, aliud infinitum sibi æquale nõ excludit; consequens fit, quod ab illo possit impediri, quin hoc illius obstet infinitati, sicut obstaret, si ab aliquo finito impediretur, vel impediri posset.

76 *Ad secũdam.* Ad secundam, præterm issa maiori, nego minorem. Ad primam probationem distinguo antecedens: cum cognitione postulationis Patris, nego antecedens: sine tali cognitione, transeat antecedens, & nego consequentiã. Vt enim Filius petens negationem sanitatis, ex consequenti peteret Patrem non exaudiri, necessarium erat, quod negationẽ sanitatis peteret cum notitia petitionis oppositæ Patris; Filius autem cum tali notitia non potest petere prædictã negationem; esset enim imprudẽs petitio: & ideo, quamuis supponatur petens negationem sanitatis ægroti, non supponitur petens, quod Pater non exaudiatur. Ad secũdam probationem minoris, nego maiorẽ. Potest enim Deus aliquid facere, quod non potest Christus mereri, vt constat ex dictis; esset autem imprudentia petere id, ad quod oratio nõ posset efficaciam habere; ideoque non omne, quod Deus facere potest, Christus potest postulare, cui imprudens petitio repugnat.

77 *Ad tertiam.* Ad tertiam obiectionẽ dicatur: Patrem fore dignũ, vt exaudiretur à Deo, non postulante oppositum Filio, & Filium fore dignum, vt exaudiretur, Patre oppositum non postulante; si autem vtriusque petitio intercedat cum oppositione in re postulata, vtrumque habere condignitatẽ ad rem petitam acceptã secundum se, & neutrum illam habere in sensu composito petitionis oppositæ alterius, & impedimentũ prouenit ex condignitate infinita petitionis vtriusque.

78 *Contra hucusq; dicta obijcies.* Sed contra dicta in nostra resolutione obstat grauiter doctrina à Nobis tradita *Tomo primo Disput. secunda §. 8.* vbi docuimus, posse purum hominem merito condigno mereri gratiam sanctificantem hominis in peccato mortali existenti. Ex qua doctrina tale argumentum consurgit contra nostram resolutionem. Potest meritum Verbi Incarnati, contra infinitum Patris meritum præualere: ergo ex eo quod oratio Patris postulantis sanitatẽ ægroti sit dignitatis meritoriæ infinitæ, nõ sequi-

tur, non posse Filiũ negationẽ sanitatis à Patre postulatæ de condigno mereri. Consequentia patet ex dictis; nam istius meriti possibilitatem negauimus, quia contra infinitam dignitatem meritoriam orationis Patris, non potest Filij meritum prævalere. Antecedens autẽ probatur: potest meritum finitum prævalere contra infinitum demeritum: ergo à fortiori poterit meritum Filij infinitum prævalere contra meritum Patris, quamuis infinitum sit. Consequẽtia videtur bona; minor enim est actiuitatis proportio finiti cõtra infinitum, quam vnius infiniti contra aliud infinitum: ergo si potest meritum dignitatis finitæ, prævalere contra demeritum infinitæ indignitatis; poterit à fortiori vnum meritum infinitum prævalere contra aliud.

79 *Antecedens probatur.*

Antecedens autem probatur: nam in doctrina præsupposita, opus à pura creatura elicitum potest condigne mereri collationem gratiæ iustificantis homini in peccato mortali existenti; sed hoc non potest cõtingere sine eo, quod meritum finitum prævaleat contra infinitum demeritum: ergo potest meritum finitum, contra infinitum demeritum prævalere. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: homo existens in peccato mortali meretur ratione peccati, non esse gratiæ iustificantis, & quod ipsi talis gratia non conferatur à Deo, quod demeritum est infinitum, vt *Tomo primo Disput. prima*, verius censuimus: ergo opus à pura creatura elicitum, quod in ratione meriti finitæ dignitatis est, nõ potest tali homini condigne mereri collationem gratiæ iustificantis, sine eo quod meritum finitum contra demeritum infinitum prævaleat. Probatur consequentia: vt enim in nostra resolutione docuimus, oratio Verbi prævaleret contra orationem Patris, si meretur condigne negationem sanitatis, oratione Patris promeritæ: ergo opus merens collationem gratiæ iustificantis, cuius negationem condigne meretur peccatum, prævalet contra peccatum; & consequenter non potest opus à pura creatura elicitum mereri de condigno gratiam iustificantem homini in peccato mortali existenti, quin meritum finitum contra demeritum infinitum prævaleat.

Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad illius probationem, distinguo antecedens: quando vtrumque actiuum est, concedo antecedens: quãdo extremum infinitum, nõ actiuè, sed passiuè se habet, nego antecedens, & consequentiam. Peccatũ enim, licet infinitæ sit grauitatis, & etiã in ratione demeriti; eius tamen concursus in pœnam, non actiuus, sed passiuus est; non enim inducit in Deo obligationem puniendi peccatorẽ; etsi ratione illius Deus possit peccatorem punire. Ideoque potest Deus per meritum puræ creaturæ, pacto præcedente, obligari ad conferendam gratiam homini in peccato mortali existenti, dignoque ratione peccati, vt Deus gratiam ipsi non conferat: hoc enim non fit pugnãdo cum actiuitate peccati, sed cum passiua indignitate illius; & licet agens finitæ actiuitatis, non possit contra infinitè actiuum prævalere; contra infinitum autem, quod actiuum non est, prævalere optimè potest. In casu autẽ nostræ disputationis, in vtroque extremo est infinitas æqualis, & vtrumque actiuum est; meritum enim inducit in præmiante obligationem præmiandi; & ideò non potest vnum meritum ex istis contra aliud meritum prævalere; vtrumque enim æquale supponitur, & inter duo actiua æqualis actiuitatis non potest dari proportio, vt vnum alterum vincat, & contra illud prævaleat.

80 *Respõdetur.*

*Tacitæ obiectioni occurritur.*

Nec obstat, vt tacitæ obiectioni occurramus, peccatum actiuè inducere in Deo, etsi non obligationem; benè tamen ius peccatorem puniendi negatione gratiæ habitualis. Hoc enim ius non tollitur per meritum puræ creaturæ; sed Deus paciscens cum puro homine conferre peccatori gratiam sub conditione operis à puro homine eliciti, cedit iuri, quod habet peccatorem puniendi, & hac cessione supposita, opus à pura creatura elicitum, meretur gratiam iustificantem homini in peccato mortali existenti, quin tale meritum vincat actiuitatem peccati, aut prævaleat

*Alteri obiectioni occurritur.*

leat contra illam. Nec ob hoc ab opere puræ creaturæ tollitur condignitas meritoria respectu prædictæ gratiæ: sicut opera iustorum non cadunt à condignitate meritoria gloriæ; ex eo quod ad illorum condignitatem necessaria sit diuina gloriæ promissio, in qua includitur cessio iuris, quod Deus habet ad illa opera alijs titulis petenda.

81 *Vltimo arg.* Denique arguitur, ex maiori sanctitate personæ non crescit dignitas in opere meritorio: ergo ex infinita dignitate, vel sanctitate personæ non consurgit in actu meritorio condignitas infinita; ac proinde ex infinita sanctitate personæ Christi merentis, perperam intulimus infinitatem valoris meritorij in eius operationibus. *Antecedens probatur* 1. Antecedēs, in quo est difficultas, ostenditur primo: maior vilitas, aut indignitas orta ex peccato habituali præcedenti, non dat peccato actuali maiorem grauitatem demeritoriam: ergo maior dignitas, aut sanctitas personæ merentis non auget in opere meritorio valorem.

82 *Secūdo probatur antecedens* Secundo probatur antecedens: nam maior amicitia cum Rege non dat operi, ex se æquali, maiorem valorem meritorium apud ipsum: ergo pariter maior amicitia cum Deo non auget valorem meriti; & consequenter maior sanctitas operantis, quæ idem est cum amicitia diuina, non auget valorem meriti.

83 *Tertio.* Tertio probatur: nam ex maiori sanctitate, aut dignitate personæ non crescit dignitas laudis in opere; non enim dignus maiori laude censetur, qui sanctior, & iustior est, si æquè intensè Deum diligat, ac alius, qui minoris est sanctitatis, nec Comes Regem liberans à morte, maiorē laudem meretur, quā plebeius Regem ab eodem periculo eripiens: ergo pariter ex maiori dignitate, vel sanctitate personæ non augetur valor meriti.

84 *Deniq;* Denique idem antecedens probatur: nam ex maiori sanctitate accidentali præstita à gratia sanctificante non crescit dignitas, aut valor meritorius in opere, si cætera paria sint: ergo pariter ex maiori sanctitate substantiali dignitas meritoria non crescit; ac proinde, quamuis sanctitas substantialis personæ Christi operantis sit infinita simpliciter, non ideò illius operationes erunt infiniti valoris, infinitæque dignitatis.

85 *Respōdetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: si maior sanctitas, vel dignitas personæ operantis materialiter se habeat comparatiuè ad actum, concedo antecedens: si formaliter comparetur cum illo, nego antecedens; & sub eadem distinctione primi consequentis, nego secundam consequentiam. Nam infinita dignitas personæ Christi operantis, formaliter comparatur ad proprias operationes; & ideo ex illa, & ratione illius, sunt valoris meritorij infiniti. Contra quam distinctionem non obstant prima, & secunda antecedentis probatio; malitia namque habitualis præcedens in peccatore, omnino materialiter comparatur cum peccato actuali de nouo ab illo commisso; ideoque illius vim demeritoriam non auget. Sicut enim malitia habitualis non præexigitur in subiecto peccante ad indignitatem peccati actualis, sed de se, & ratione sui illam habet: ita maior malitia habitualis præcedens, cum peccato subsequenti materialiter comparatur. *Ad* 1. *& 2. probationē respōdetur* Et ratio à priori est: nam malitia habitualis præcedens in peccatore, nullatenus influit in peccatum de nouo à peccatore commissum, ideoque illud non informat; & consequenter non auget grauitatē demeritoriā peccati de nouo commissi.

86 *Amicitia cum Rege materialiter se habet ad meritū.* Amicitia etiam cum Rege non exigitur ad merendum apud ipsum; ideoque maior amicitia cum Rege non auget valorem meriti, sed materialiter cōparatur cum illo. Et ratio est eadem, nempé, quia amicitia cum Rege non influit in actum, quo aliquis apud Regem meretur: ac per consequens talem actum non informat, quod necessarium erat, vt illius valorem meritoriū apud Regem augeret.

87 *Alia ratio discriminis.* Possumus etiā aliā rationē discriminis assignare, nēpé, quod meritū vassalli apud Regē fundatur in vtilitate, quę ex illi⁹ opere accrescit reipublicæ; & quia ex maiori amicitia cū Rege, nō crescit reipublicæ vtilitas; fit, quod nec valor meritorius in opere augeatur. Meritū autem hominis apud Deum fundatur

in ratione obsequij ipsi facti; & quia gratius est Deo obsequiũ à magis amico, & magis sancto ipsi factum; fit, quod etiam sit maius meritum, quamuis in alijs omnimoda æqualitas bonitatis operis supponatur.

88 *Ad tertiam.*

Ad tertiam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Et ratio discriminis est: nam laudabilitas fundatur adæquatè supra operis bonitatem; & quia ex maiori sanctitate personæ non crescit moralis bonitas operis; consequens sit, quod ex illa non augeatur laudabilitas. Meritum autem, etsi operis bonitatem supponat; non tamen fundatur adæquatè in illa, sed etiam in sanctitate personæ operantis; & ideò, sanctitate crescente, etsi moralis bonitas operationis non crescat, valor meritorius augetur. Quod si rationem huius discriminis petas, ea est: nam iuxta D. Thomam 1-2-q-21-art-2. *Nihil aliud est laudari, vel culpari, quã imputari alicui malitiam, vel bonitatẽ sui actus.* Et *in eadem quæst. art. 3. ad finem corporis* hæc habet: *Actus bonus, vel malus habet rationem laudabilis, vel culpabilis, secundum quod est in potestate voluntatis; rationem verò meriti, & demeriti apud Deum, secundum retributionem iustitiæ ad alterum.* Verba sunt D. Tho. Ex quibus infertur opera nostra habere rationem meriti apud Deum, secundum retributionem iustitiæ ad ipsum; & hoc quatenus in eius obsequium fiũt; & quia obsequium Deo à magis amico factum gratius est ipsi; fit, quod crescat in ratione meriti, quamuis bonitas sit æqualis; non autem in ratione laudabilis; eo quod laudabilitas non consequitur ad bonitatem operis, vt alteri obsequiosam, & gratam, sed prout est in potestate voluntatis; aliàs laudari non esset solum imputari alicui sui actus bonitatem; cum laus operis bonitatem excederet, cuius contrarium docet Angelicus Doctor *art. 2.* relato.

D. Th.

89 *Ad vltimam.* *Medin.*

Ad vltimam probationem varié occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ, quorum placita fusè examinauimus *Tom. 1. Disp. 3 à num. 67.* quibus prætermissis solutio, quæ mihi semper probabilior est visa, est, quam tradunt Medina 1-2 *quæst. 114. art. 5. dub. vlt.* & Zumel *in eadem quæst. art. 2. disp. 3.* plures alios referentes. Potestq; ad formã reduci, distinguẽdo antecedens: ex maiori sanctitate accidẽtali formaliter cõparata cũ actu, nego antecedens: materialiter ad illum se habente, concedo antecedens, & nego consequentiã. Nã sanctitas substantialis infinita Christi Dñi formaliter cõparatur ad omnẽ actum ab humanitate elicitum; & ideò omni actui libero procedenti ab humanitate dignitatẽ meritoriam infinitã cõmunicat. Non sic gratia accidentalis, secundũ omnem gradum suæ intensionis; sed quandoque formaliter, & quandoque materialiter cõparatur cum actu, illius excessus gradualis: primum, si secundum omnem intensionem gradualem influat in operationem: secundum autem, si quamuis intensior sit, non tamẽ influat in operationem secundum intẽsionis excessũ: sicut enim in influendo effectiuè omnes illius gradus in primo casũ formaliter exercentur: ita ad formandum, & valorandum actum, formaliter comparantur; si verò quamuis gratia intensa sit, non influat nisi remisè, tunc gradualis excessus in influxu effectiuo non exercetur formaliter: ita ad formandum, & valorandum actum materialiter se habet; & ideò non præstat illi maiorem dignitatem, nec eius valorem meritorium auget.

Zumel.

90 *Ratio differentiæ.*

Et ratio assignatæ differentiæ est: nã iuxta commune axioma, *habitibus vtimur, cum volumus*; vnde habitus subordinantur voluntati nostræ quoad vsum; ac proinde si voluntas habitu intensionis vt octo non vtatur, nisi secũdum intensionem, vt quatuor, cæteri gradus de materiali se habent per comparationem ad actum, sicut quando voluntas habitum omninò otiosum reliquit nullatenus illo vtendo, tota entitas habitus gratiæ materialiter se habet ad dandum valorem actui: vnde si voluntas in actum vndequaq; naturalẽ prorumpat; quia non vtitur habitu gratiæ, talis actus nullatenus meritorius euadit. Non sic in subsistentia Verbi cõtingit: nam licet ex libertate voluntatis dependeat, quod ad actũ applicetur, semel tamen voluntate operante non potest subsistentia Verbi nõ concurrere ad

opera-

operationem, nec subest libertati voluntatis, quod secundum partem tantùm dignitas subsistentiæ operationi applicetur, sed necessario adæquatè applicatur, & secundum totam dignitatem, quã habet; ideoque omnem actum ab humanitate elicitum infinitè dignificat, & infinitè meritorium constituit. Quæ contra istam solutionem militant, loco vbi *proximè* opposuimus, & diluimus, ibi etiam §. 6. & *sequentibus*, formam, per quam operationes Christi valorantur explicuimus: videantur ibi tradita, ne eadem repetamus.

## §. V.

## *Infinitas operationum Christi in ratione meriti defenditur.*

91 *Secũda cõclusio*

SECVNCA CONCLVSIO. *Operationes Christi non solum fuerunt infinitæ dignitatis, sed etiam meriti infiniti simpliciter.* Ita Auctores quartæ sententiæ. Et ostenditur primo, ex Clemente Sexto in Extranag. *Vnigenitus de pœnitentijs, & remissionibus*, verbis superius relatis, quibus Pontifex merita Christi appellat absolutè infinita; sed verba Pontificis sunt in sensu formali accipienda, nisi ex tali acceptione aliquod absurdũ, vel inconueniens sequatur, quod in præsenti non accidit: ergo iuxta Clementẽ operationes Christi fuerunt infinitæ formaliter, non solum in ratione valoris, sed etiam in ratione meriti.

*Prob.* 1.

92 *Secũdo prob.*

Secundo probatur; vt enim conclusione præcedenti monstrauimus, & tertia sententia admittit; opera Christi Domini fuere infiniti valoris; & consequẽter infinitæ condignitatis: ergo fuerunt meriti infinitè condigni. Patet hæc cõsequentia: nam per valorem, & condignitatem meritum constituitur in ratione condigni: ergo, si fuerunt operationes Christi infinitæ dignitatis, fuerunt meriti infinitè condigni; & consequenter fuerunt infiniti meriti. Patet hæc secunda consequentia: nam ratio cõdigni est differentia contractiua meriti; cũ meritum diuidatur in cõdignum, & cõgruũ: ergo meritũ infinitum in ratione condigni, est infinitũ in ratione meriti.

93 *Respõdebis.*

Respondebis; meritum; cum sit abstractum huius concreti *merens*, nõ dicere solum valorem, aut solam condignitatem, sed insuper applicationem, aut directionem ad præmium, & ius actuale ad illud supra applicationem, & valorem fundatum; licet autẽ valor operationũ Christi fuerit infinitus, applicatio ad præmium infinita non fuit, quia non fuit ex intentione Christi ad præmium infinitũ applicata, nec ius actuale ad præmiũ fuit infinitum; non enim fundauerunt ius ad infinitum præmiũ; & ideò, quamuis fuerint infiniti valoris, non fuerunt infiniti meriti.

94 *Cõtra* 1.

Sed contra primo: nã merito Christi Dñi respõdet præmium infinitum: ergo licet requiratur ad meritũ infinitũ ius ad infinitum præmium; non ideò operationes Christi non fuere infiniti meriti. Antecedens probatur; præmium operationum Christi fuit remissio peccati mortalis; sed remissio peccati mortalis est in ratione præmij infinita: ergo merito Christi respondet præmium infitũ. Minor probatur: tanti æstimatur remissio offensæ mortalis, quanti odio habetur offensa; sed offẽsa peccati mortalis, cũ infinita simpliciter in ratione offensæ sit, odio habetur infinitè: ergo remissio illius infinitè æstimatur; & cõsequẽter est in ratione præmij infinita.

95 *Secũdo.*

Contra secundo: nam ad rationem meriti infiniti non est necessariũ ius ad infinitum præmium, quod illi de facto respõdeat: ergo esto operationes Christi nõ dederint Christo ius ad infinitum præmium, fuerunt infiniti meriti. Antecedens, in quo est difficultas, ostẽditur primo: sicut enim meritum importat ius ad præmiũ, ita sanctitas importat ius ad gloriam per modum hæreditatis; sed vt sanctitas sit infinita in ratione sãctitatis, nõ est necessariũ ius actuale ad hæreditatẽ actu infinitã: etenim humanitas Christi infinitè sãcta fuit per gratiã substãtialẽ vnionis; & tamẽ non habuit ius actuale ad hæreditatẽ actu infinitã, cũ nec beatitudo essẽtialis, nec beatitudo

*Antecedens probatur* 1.

accidentalis in Christo fuerint de facto infinitæ: ergo pariter ad meritum actu infinitum, ius ad præmium actu infinitum necessarium non est.

96 *Secundo.* Secundo probatur: ad meritum infinitum in ratione meriti sufficit ius infinitum; sed stat infinitas iuris absque præmio actu infinito: ergo ad meritū actu infinitum in ratione meriti, ius ad præmium actu infinitum non petitur. Minor probatur: stat infinitas iuris hæreditarij absque actuali hæreditatis infinitudine, vt constat in humanitate Christi, cui ratione gratiæ substantialis conuenit ius hæreditarium infinitum; aliàs ratione illius infinitè sancta non esset; & tamen hæreditas humanitati Christi cõcessa, actu infinita non fuit: ergo pariter stare poterit infinitas iuris meritorij, absque infinitudine præmij actualis.

*Tertio prob.* Tertio probatur: non enim minus correlatiuè dicũtur actio; & termin⁹ actionis, quam præmium, & meritum; sed hoc non obstante, stat actionis infinitas absque infinitudine termini, vt constat in actione, qua Deus agit ad extra, quæ in ratione actionis est infinita, & tamen terminus per actionem Dei productus, actu infinitus non est: ergo pariter stabit meritum actu infinitum, etsi præmium illi de facto respondens actu infinitum non sit.

97 *Reijcitur 3. solutio. Falsitas cõsequẽtis ostenditur 1.* Tertio tradita solutio reijcitur: sequitur namque ex illa nullum dari meritum in ratione meriti, præmium excedens: consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Falsitas consequentis constat primo. in Christo, cuius satisfactio superabundans fuit, in omnium PP. sententia; & consequenter excedēs in ratione satisfactionis omnium hominum peccata; eadem autem ratio est de merito in ratione meriti, ac de satisfactione in ratione satisfactionis: ergo datur meritum in ratione meriti præmium excedens. *Secũdo.* Secundo: nam datur meritum, quod in ratione meriti superatur à præmio, vt constat in merito congruo, quod in ratione meriti cum præmio non adæquatur: ergo é contra dari potest meritum in ratione meriti præmium excedens.

98 *Sequela prob.* Sequela probatur: quia namque meritum dicitur per correlationē ad præmium inferunt contrarij Auctores, nõ stare meritum actu infinitum absq; præmio infinito: ergo quia sẽtiunt meritum, & præmium debere inter se adæquari; ac per consequens non erit dabile meritum in ratione meriti præmiũ sibi correspondens excedens. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur; prima vero in hunc modũ probatur: nam si meritum in ratione meriti non petit non excedere præmium: ergo nec petit non excedere infinitè; nam eadem est ratio quoad hoc, excessus, & infiniti excessus: eo autem ipso, quod meritum infinitè excedat præmium, erit meritum infinitum in ratione meriti, & præmium erit finitum; ac proinde vt ex correlatione inter meritum, & præmium rectè colligant cum præmio finito in actu non stare infinitatem meriti, fateri tenentur meritum in ratione meriti non posse excedere præmium.

99 *Vnica obiectio cõtra cõclusionẽ* Contra istam conclusionem vnica supereſt obiectio; non enim stat meritum actu infinitum, nisi ei respondeat præmium infinitum actu; sed merito Christi Domini non respondet præmiũ aliquod actu infinitũ: ergo in ratione meriti infinitum non fuit. *Maior prob. 1.* Maior ostenditur primo: nam meritum dicitur correlatiuè ad præmium: ergo meritum infinitum correlatiuè ad præmium infinitum. *Secũdo.* Secundo: nam meritum non consistit in sola condignitate; cum actiones Christi fuerint de se condignæ remissionis peccati Angelorum, & hominum damnatorum; & tamen non fuere merita illius, sed insuper addit applicationem à merente factam, ad præmium, & promissionem ex parte præmiantis: ergo meritum, in ratione meriti infinitum, applicationem ad infinitum præmium expoſcit, & illius promissionem: ac proinde absque infinito præmio meritum infinitum non stabit. *Tertio.* Tertio: nam meritum supra condignitatem addit ius, quo merenti facit debitum præmium: ergo meritum infinitum stare nequit absque iure actuali ad præmium infinitum.

100 *Quarto.* Quarto; quia namque condignitas meritoria dicitur per comparationem ad præmium, non stat condignitas infinita

nita absque præmio aliqua ratione infinito: vnde infinitatẽ valoris operationũ Christi explicamus per ordinẽ ad præmiũ syncathegorematicè infinitũ; sed etiã ius actuale dicitur per cõparationẽ ad præmiũ: ergo nõ stat ius actuale infinitũ absq; præmio aliqua ratione infinito; at hæc infinitas nõ potest esse infinitas in potentia; cum ius actuale reddat actu debitum, & non in potentia præmium: ergo debet esse infinitas actualis: ac proinde sine præmio actu infinito meritum infinitum non stabit. Deniq; nam meritum est, quo actu quispiã meretur, non quo potest mereri: ergo meritum in ratione meriti infinitum, est quo quis constituitur actu merens infinitè; sed actu infinite merens non stat sine præmio actu infinito ergo meritum infinitum in ratione meriti sine præmio actu infinito subsistere nequit.

*Vltimo.*

## §. VI.

### *Examinantur varij modi dicendi.*

101 *Prima solutio.*

HVic argumento varié occurrunt Authores nostræ sententiæ. Prima solutio est quorundam, quos sine nomine refert Vincentius *Relectione de gratia Christi quæst 5. fol. Mihi* 444 Qui Auctores, concessa maiori, negat minorem: nam de facto suis meritis præmium infinitum Christus obtinuit, scilicet, suã resurrectionem, quæ beneficiũ fuit infinitum simpliciter, quatenus in illa fuit diuinum Verbum toti humanitati reunitum; sicut autem vnio humanitatis ad Verbum beneficium infinitũ fuit, ita reunio Verbi ad totam humanitatem in resurrectione facta, debet infinitum beneficium censeri. Quam solutionem reijcit Vincentius primo: quia ex illa sequitur per solam Christi resurrectionem fuisse ipsius meritum plene, & exactè præmiatum; consequens est falsissimum, parumque in fide securum, ex illo namque infertur, gratiam, & gloriam, quæ vniuersis confertur hominibus, præmium meritorum Christi non fuisse, contra Tridentinum *Sess. 6 cap. 7.* ergo amplectenda non est. Patet sequela: nam dato infinito præmio, meritum infinitum adæquatè præmiatur: ac per consequens quidquid additur ad illud, ex liberalitate, & nõ intuitu meritorum confertur; at Resurrectio Christi foret in ratione præmij infinita: ergo si Christi operationes suam Resurrectionem meruerunt, ad æqualitatem fuerũt remuneratæ per illam: ac proinde gratia, & gloria à Deo hominibus concessæ præmium meritorum Christi non fuerunt, sed effectus soliusliberalitatis diuinæ.

*Reijcit Vincentius primo.*

Hæc tamen obiectio non vrget: ad illam namque responderi potest primo, negando sequelam nam, estò infinitũ præmium esset, non inde fieret, vt gratia, & gloria à Deo hominibus concessæ, etiam rationem præmij meritorum Christi, non obtinerent, vt constat ex dictis *supra § 3 num 45. & sequentibus.* 102 *Vincentij obiectio non vrget. Primo.*

Secundo respondeti potest, distinguendo consequens omnia Christi merita, nego sequelam: aliquod Christi meritum, transeat consequens: & sub eadẽ distinctione minoris, negando consequentiam: nam estò admitteremus vnũ Christi meritum sua Resurrectione collata in præmium adæquate exhauriri: ac proinde tali merito aliud præmium correspondere non posse, non colligitur ex inde gratiam, & gloriam hominum, effectum meritorum Christi non fuisse, sed tantùm illius actionis, cuius in tuitu fuit Resurrectio facta, licet autem sit de fide, Christum hominibus gratiã, & gloriam meruisse; non tamen de fide est ea omnibus actionibus meritorijs promeruisse. *Secũdo.*

Mitto solutionem Nazarij *supra q. 2. art. 11. contro. vnic. q. 8.* ad argumenta contra vltimam conclusionem, vbi obiectioni factæ respondet, negando sequelam; & rationem reddit: quia in resurrectione Christi, & est vnio animæ ad corpus, & vnio humanitatis ad Verbum: prima in ratione præmij finita, & per se a meritis Christi intenta: secunda autem, etsi infinitè æstimabilis sit, & so 103 *Solutio Nazarij.*

ret

ret in ratione præmij merito Christi adæquata: si primario intendatur, de facto præmium adæquatum meritorum Christi non fuit, quia ad illam per se primo non fuerunt merita Christi ordinata, sed ex consequenti, & veluti secundario, & in radice: vnio enim humanitatis ad Verbum, supposita illius assumptione irreuocabili, consequuta fuit, posita per Resurrectionem vnione partium humanitatis inter se, & humanitate ex vi istius vnionis iterum resultante: vnde præmiũ meritorum Christi in se ipsa nõ fuit, sed solum in sui radice, nempé, in vnione partium humanitatis, quæ finita est, atque finitè æstimabilis, & ideo nullum Christi meritum sui Resurrectione fuit adæquatè remuneratum.

104. *Hæc solutio omittitur.*

Mitto, inquam, solutionem istam: nã vel in Christi Resurrectione duplex vnio constituitur, alia partiũ humanitatis inter se, & alia totius humanitatis ad Verbum; vel vnica tantum, scilicet, partium humanitatis ad inuicem. Si secundum asseratur, nullo modo meruit Christus revnionem humanitatis ad Verbũ, cuius contrarium in tradita solutione supponitur. Si vero dicatur primũ, nulla est ratio, cur directio meritorum Christi non fuerit primo, & per se ad vnionẽ humanitatis ad Verbum: ergo solutio tradita vires obiectionis non eleuat.

*Dices,* Si forte dicatur, ideo non fuisse primo, & per se directa merita Christi ad vnionem humanitatis ad Verbum, quia supposita vnione partium ad inuicem, & assumptione irreuocabili totius humanitatis à Verbo, ex debito assumptionis consequitur.

*Cõtra 1.* In contrarium obstat primo: nam, quod ita consequatur, nõ obstat quo minus primo, & per se in resurrectione Christi intendatur: ergo nec obstare potest primariæ directioni meritorum Christi in ipsam.

*Secũdo.* Secundo: nã, esto, vnione partium inter se, & cum Verbo posita, vnio totius humanitatis ad Verbum necessario consequatur, non obstat, quin per actionem assumptiuam humanitatis à Verbo primario intenta fuerit vnio totius humanitatis ad Verbum: ergo, quod in Resurrectione ex debito assumptionis vnio humanitatis sequatur ad vnionem partium ad inuicẽ, nequit obstare quominus actiones Christi, quibus meruit suam Resurrectionẽ, primario ad vnionem totius humanitatis ad Verbum, fuerint ordinatæ.

105. *Vincentius opponit cõtra solutionẽ.*

Secundo aduersus traditam solutionem opponit Vincentius: nam meritum Christi, quo meruit sui Resurrectionẽ, solum fuit terminatum ad vnionem partium humanitatis inter se, non vero ad vnionem humanitatis ad Verbum; at vnio partium humanitatis inter se non est præmium infinitum: ergo resurrectio, prout meritis Christi respondet, præmium infinitum non fuit. Minor est certa. Maior autem probatur: quod enim vniatur Verbum humanitati ex revnione partium inter se resultanti, fuit consequens naturali sequela ad ipsam reunionem partium: ergo meritũ Christi in revnione partium fuit terminatum.

106. *Hoc argumẽtũ non vrget. 1.*

Sed nec vrget hoc argumentum; siue namque vnio totius humanitatis ad Verbum sit distincta ab vnionibus partium ipsius humanitatis cum Verbo, siue ab illis sit indistincta, vere in Resurrectione Christi iterata fuit vnio humanitatis ad Verbum: ergo meritum Christi ad illam fuit terminatum.

*Secũdo.* Secundo: nam vnio humanitatis ad Verbum non consistit in vnionibus partium cum Verbo sumptis seorsim, nam in triduo mortis Christi partes Verbo vnitæ manserunt, & tamen humanitas vnita Verbo non mansit, sed in vnionibus partiũ prout vnitis inter se; sed meritum Christi terminatum fuit ad vnionem partialium vnionum inter se: ergo terminatum fuit ad vnionem totius humanitatis ad Verbum. Minor constat: nam vnio vnionum partialium ad inuicem veré in Resurrectione fuit facta: ergo ad illam meritum Christi fuit terminatũ. Consequentia vero probatur: quia nam que humanitas in partibus vnitis consistit, & Christus reunionẽ partiũ humanitatis meruit; meruit etiã Resurrectionem totius humanitatis: ergo si vnio totius humanitatis ad Verbum consistit in vnionibus partium prout vnitis inter se, & Christus nexum istum promeruit, reiterationem meruit vnionis humanitatis cum Verbo. Vnde, his omissis, quidquid sit de efficacia impugnationũ Vincentij, potest solutio tradita reijci

*Solutio reijcitur primo.*

primo,

primo, quia ad meritum infinitum non exigitur præmium infinitum in actu, vt ostendimus inter confirmandam nostram conclusionem: ergo, vt saluetur infinitas meriti Christi, frustra recurritur ad Resurrectionem, quæ in ratione præmij sit infinita.

107 *Secundo* Secundo: quia asserendum non est, aliqua Christi merita in ratione meriti fuisse infinita, & alia finita, sed de omnibus idem est affirmandum; sed solutio tradita, esto infinitatem meriti in aliquibus Christi operibus saluet, non tamen in omnibus: ergo vt insufficiens est reijcienda. Probo minorem: nam licet teneamus Christum reunionem humanitatis ad Verbum meruisse, & hanc esse in ratione præmij infinitam, non est vnde probemus, quod omnibus suis actib⁹ reunionē humanitatis meruerit. Si quis enim asserat aliquibus illam meruisse, vel aliquo, non tamen omnibus non poterit efficaci argumento conuinci: ergo effugium ad reunionem respondentem in præmium, esto in ratione præmij infinita admittatur, non saluat vniuersalē meritorum Christi infinitatem.

108 *Dices.* Si dicas, Theologos vnanimi consēsu fateri, Christum omni suo actu redēptionem nostram meruisse: ac proinde, idem esse affirmandum de reunione humanitatis ad Verbum. *Respōdetur.* Respondeo, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: quia ad primum affirmandū mouentur ex maximo Christi amore erga homines, ob quem quidquid gessit ad commodum, & vtilitatem nostram direxit; quod fundamentum ad meritū resurrectionis per omnem suum actum non militat.

109 *Vltimo reijcitur solutio.* Deniq; tradita solutio refellitur: nā ex illa infertur, merita Christi Domini fuisse simul finita, & infinita in ratione meriti; consequens est falsum, & à nemine admissum: ergo & prædicta solutio. Probatur sequela; etenim Auctores istius solutionis eo confugiunt ad Christi Resurrectionem, quæ sit infinitum præmiū; quia cum meritum correlatiuē dicatur ad præmium, merito infinito debet pro correlatiuo infinitum præmium constitui: ergo vt saluetur adæquata infinitas in ratione meriti in operibus Christi, debet adæquatum correlatiuum esse infinitum, non vero conflari ex finito & infinito præmio; sed adæquatum præmiū operationum Christi non fuit Resurrectio humanitatis, aut illius ad Verbum reunio, sed etiam alia præmia finita: ergo non fuerunt in ratione meriti adæquatē infinitæ, sed finitæ, & infinitæ.

110 *Insurges primo.* Si opponas primo, intellectionem Dei, qua se ipsum intelligit, esse adæquatē infinitam, & tamen adæquatus terminus, vel obiectum illius, infinitum non est; cum etiam ad creaturas, quæ finitæ sunt, terminetur: ergo sufficiet Auctoribus traditæ solutionis præmium infinitum, etsi non adæquatum operibus Christi assignare, vt adæquate sint infinitæ. *Respondetur.* Respondeo, negando consequentiā, nam actio non ex secundario obiecto, sed à primario specificationem, perfectionemq; desumit: ac per consequens, vt infinita sit, sufficit adæquatum obiectum primarium esse infinitum, qualiter in diuina intellectione inuenitur, ad quam creaturæ, quæ finitæ sunt, non cōparantur, vt obiectum primarium, sed vt secundariū; ac per consequens primariū obiectū adæquatū illius infinitum est. Præmiū autē infinitū, & præmium finitum respondentia operibus Christi Domini non comparātur ordine primarij, & secundarij, sed omnia æque primo: ac proinde si ex ordine ad præmiū infinitum in ratione meriti infinitātur, ob rationem, qua mouentur ad infinitum præmium quærendum ex ordine ad præmium finitum, finitudinem in ratione meriti accipient.

111 *Insurges secundo.* Si opponas secundo: meritum, cui præmium infinitum respondet, est in ratione meriti infinitum: ergo meritum se extendens simul ad infinitum, & finitum præmium, à fortiori debet esse infinitum; & consequenter ex eo quod cōtrarij Auctores operationibus Christi præmium infinitum, simul atque finitū assignent, perperam contra ipsos inferimus fore in ratione meriti simul infinita, & finita. Patet prima consequentia: nam plus est ad præmium, infinitum, & finitum simul extendi, quam ad solum infinitum: ergo si meritum infinitum præmium continens est adæquatē infinitum, continens infinitum præmium, &

simul

simul finitum, adæquate in ratione meriti est infinitum

112 *Respõdetur.* Respondeo, distinguendo primum consequens: debet esse infinitum tantũ, nego consequentiam: infinitum, & finitum simul, concedo consequentiam, contra quam distinctionem non obstat consequentiæ probatio; nam meritum, quod simul esset infinitum, & finitum, non foret in ratione meriti minus, quam meritum in ratione meriti adæquatè infinitum, sed aliquomodo maius; quatenus haberet alterius infinitatem ex ordine ad præmium infinitum, & simul ex ordine ad præmium finitum aliquã rationem meriti haberet, tametsi finitam.

113 *Secũda solutio. argumẽti.* Secunda principalis argumenti solutio cum præcedenti conuenit in eo, quod ad meritum infinitum in ratione meriti, actualis præmij infinitas sit necessaria; ab illa tamen in assignando infinitum præmium operationum Christi dissentit; asserit enim, præmium infinitum actu merito Christi, respondens non fuisse Resurrectionem humanitatis, nec illius iteratam vnionem ad Verbum; sed in eo fuisse positum, quod à Deo acceptaretur, vt remedium omnibus hominibus sufficiens, nedum futuris, verum etiam possibilib⁹, & pro omnibus peccatis, nedũ quæ futura sunt, sed etiam quæ potuerunt ab hominibus committi; & quod in virtute illius aperirentur Ecclesiæ fontes, videlicet, Sacramenta quæ omnibus, quantum est de se, patent. Hunc modum dicendi, pluribus alijs relictis, & impugnatis, tanquam probabiliorem amplexatus est Vincentius *quæst. 5. relat. pag. 448.* *Ita Vincentius.*

114 *Cõtra 1.* Sed, vt verum fatear, illius probabilitatem non capio, & contra illum obstat primo; vt enim dicebamus supra, infinitas operationum Christi in ratione meriti nõ est ad hanc, vel illam Christi operationem coarctãda, sed ad omnes extẽdenda, nec Vincentius cum limitatione ad hæc, vel illa merita de infinitate meritorum Christi est loquutus, neque illam ad has, vel illas operationes coarctauit: at generalitatẽ istam redemptionis omnium, & gratiæ omnibus expositæ non concessit omnibus operibus Christi, sed tantum Passioni, & morti, & toti operationum Christi collectioni, vt constat ex ipso pag. 347. vbi quamuis singulis operationibus Christi sufficientiam, & condignitatem tribuat pro vniuersali hominum redemptione; negat tamen de facto ita contigisse, quod quælibet Christi operatio efficaciter meruerit adæquatam redemptionem hominum, eo quod Christus de facto nõ applicuit quamlibet ex suis actionibus ad totam humani generis redemptionem; sed ad hoc totale præmium omnes suas actiones à prima vsque ad vltimam collectiuè applicauit; singulas autem seorsim ad aliqua nostræ redemptionis bona tanquam ad partialia præmia: ergo esse acceptatum vt remediũ pro omnibus hominibus redimendis, iustificandis, & glorificandis, sufficiens, nequit esse præmium, ex quo actiones Christi rationem meriti infiniti recipiant. *Constat ex ipso.*

115 *Secũdo.* Secundo: nam passio, & mors Christi non fuit acceptata à Deo, vt remediũ pro hominibus possibilibus, sed tantum pro his, qui futuri erant, & hoc non in omni statu, sed tantum in statu viæ; sed ratio remedij sufficientis pro hominibus tantum futuris, non est præmium infinitum, sicut nec homines, pro quibus sufficiens est infiniti sunt, sed finiti: ergo ex isto capite non assignatur præmium actu infinitum operationibus Christi. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: nam generalitas redemptionis Christi, & illius applicatio omnibus quoad sufficientiam, non est maior vniuersalitate voluntatis generalis Dei, qua vult omnes saluos fieri; cum applicatio meritorum Christi ex illa voluntate nascatur; sed voluntas generalis, & inefficax Dei non terminatur ad homines tantum possibiles, sed solũ ad illos, qui aliquando sunt futuri, vt omnibus est in confesso: ergo applicatio passionis Christi quoad sufficientiam non terminatur ad homines purè possibiles, nec pro illis fuit acceptata à Deo, etiam vt remedium sufficiens, sed tantũ pro hominibus futuris. *Maior probatur apariate.*

116 *Tertia solutio.* Tertia solutio, concessa etiam maiori, distinguit argumenti minorem, illamque concedit de merito Christi, quatenus nobis meruit: negat autem de Christi

sti operationibus, prout ipsi meritoriæ fuerunt; & sub eadem distinctione, negat, conceditque consequentiam. Ratio autem discriminis est: nã, vt quis sibi mereatur, applicatione meriti, & directione ad præmium ab operante facta non indiget: ac proinde potuit Christus actu sibi infinitum præmium mereri, quin ad tale præmium sua merita dirigeret; vt autem quis alteri mereatur, requiritur applicatio meriti ad præmium, & quod merens ex intentione tale præmium consequendi, & alteri obtinendi operetur; & quia ad infinitum præmiũ, quod supponitur implicans, nemo potest suam intentionem dirigere; consequens fit, quod non potuerit Christus nobis præmium infinitum mereri; ac per consequens meritum, quo sibi meruit, fuit infinitum in ratione meriti; meritum autem, quo Christus meruit hominibus, finitũ in ratione meriti fuit: ita Meratius *loc. vbi supra.*

117 *Cõtra 1.* Displicet hic modus dicendi primo, quia iuxta D. Thomam infra *quæst. 48. art. 1. in corp.* opera Christi, quia caput Ecclesiæ est, eo modo se habent, tam ad se, quam ad membra, sicut se habet opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum: ergo si opera puri hominis non indigẽt applicatione, vel directione ad præmium, vt illud sui subiecto mereantur, nec illa indigebunt operationes Christi, vt hominibus actu mereatur; & consequenter nullum est quoad hoc discrimẽ in merendo sibi, vel alijs.

*Secũdo.* Secundo, quia non omnibus Christi actionibus infinitatem in ratione meriti attribuit, quam omnibus esse adscribẽdam ratione nostra monstrauimus.

*Tertio.* Tertio: quia nulla est ratio, cur, vt alijs mereatur applicatione, aut directione ad præmium determinatum indigeat; secus autem, vt mereatur sibi, maximé quãdo opus ex se ad omnia habet condignitatem intrinsecam.

118 *Quarto.* Quarto nam sequitur ex tradita solutione, Christum de facto meruisse: ac proinde ius actuale habuisse, vt Pater, & Spiritus Sanctus suam terminarent humanitatem; consequens absurdum est: ergo reijcienda solutio; falsitas consequentis nequit in dubium vocari; Deus enim de facto contulit Christo omne, quod promeruit sibi, & ad quod habuit actuale ius meritorium, saltim si possibile fuit: at de facto nec Pater, nec Spiritus Sanctus humanitatem Christi assumpserunt, vt habemus ex fide tradente solum Filium de facto Incarnatum fuisse: ergo non meruit de facto, nec habuit ius ad huiusmodi præmium; sequela vero probatur, vt enim prædictus Auctor fatetur, vt Christus sibi mereatur, ac proinde vt ius meritorium præmij sibi conferendi suis actibus conueniat, applicatione, aut directione ad præmium non indiget. ergo Christus de facto sibi meretur omne præmium, ad quod in eius operibus condignitas reperitur; præmium enim actu non comprehendi sub merito, solum prouenire potest, vel ex condignitatis, vel ex applicationis defectu; sed quodlibet Christi opus habet quantum est de se condignitatem intrinsecam ad Incarnationem; & alias, quod Pater, Christi humanitatem assumeret, rationem præmij Christo possibilis obtinet: ergo de facto meruit, iusque meritorium habuit, vt Pater, Christi humanitatem assumeret.

*Meratius.*

Denique tradita solutio reijcitur: non stat actu mereri, nec sibi, nec alteri id, quod implicat contradictionem; sed infinitum præmium in actu pure creatũ implicat contradictionem: ergo non potuit Christus actu illud sibi mereri. Illatio est in forma: minor supponitur: & maior, in qua sola est posita difficultas, probatur primo. nam actu mereri, est actu habere ius; sed non stat ius actuale ad terminum implicantem: ergo nec actuale meritum illius. Secundo: nam actu mereri, est facere sibi actu debitum præmium; sed quod implicat contradictionem, non potest actu esse debitum: ergo nec potest habitudinem actualis meriti terminare.

119 *Vltimo.* *Maior probatur primo.* *Secũdo.*

(·:·)



## §. Vltimus.

### *Duplici solutione argumento facto occurritur.*

PRÆTERMISSIS igitur, vt insufficientibus, his modis dicendi, ad argumentum factum respondeo primo, permissa maiori, negando minorem: datur enim præmium infinitum actu Christi meritis respondens, nempé, non esse peccati, aut illius remissio; cum enim peccatum in ratione offensæ sit infinitū simpliciter, & consequenter dignum infinito odio Dei, & quantum est de se dignum infinita pœna, tantique sit æstimabile non esse peccati, vt offensæ, quanti detestabile esse offensæ peccati; fit consequens, quod non esse peccati infinitæ æstimabilitatis sit: ac proinde in ratione præmij infinitum.

120 *Respõdetur. 1. argumẽto principali.*

Sed aduersus istam solutionem obij ciet quis primo: non esse peccati cadere potest sub merito condigno puræ creaturæ: ergo non est in ratione præmij infinitum: consequentia est bona: nam meritum finitum, quale est meritum omnis puræ creaturæ, tã creatæ, quam creabilis non potest esse meritum præmij infiniti condignum: ergo, si pura creatura potest condigne mereri remissionẽ, aut non esse peccati, nõ esse peccati, etiã in ratione offensæ, præmium infinitum non est. Antecedens autem probatur; vt enim plurium Theologorum sententia tenet, potest pura creatura constitui caput Ecclesiæ, & alijs de condigno mereri gratiam remissiuam peccati, & hoc nõ solum homini sine peccato, sed etiam in peccato existenti; quam sententiam *Tomo 1. disp. 2 §. 8* vt probabilio rem sumus sequuti; sed meritum condignum gratiæ homini præexistenti in peccato, est meritum condignum remissionis, & non esse peccati; cum non esse peccati essentialiter includatur in gratia, vel inferatur ab illa: ergo non esse peccati cadere potest sub condigno merito puræ creaturæ.

121 *Objcies primo.*

*Pura creatura potest cõstitui caput Ecclesiæ.*

Secundo: non esse peccati in ratione offensæ Dei, non est ita bonum, ac est malum peccatum in ratione offensæ: ergo ex infinitudine peccati in ratione offensæ non colligitur infinitas remissionis, aut non esse peccati in ratione præmij. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem probatur: si non esse peccati, esset ita bonum, ac malum est in ratione offensæ peccatum, non posset negatio existentię peccati in habituali gratia contineri; consequens est falsum: nã gratia habitualis essentialiter excludit peccatum in frequentiori, & veriori sententia; & consequenter continet non esse illius: ergo non est ita bonum, ac est malum peccatum sub ratione offensæ. Probatur sequela: bonum infinitum in forma limitata, & finita contineri non potest; sed si non esse peccati, esset æquè bonum, ac est malum in ratione offensæ peccatum, esset infinitum bonum; cũ peccatum in ratione offensæ malum infinitum sit: ergo non potest in gratia, quæ finita est, contineri.

122 *Secundo*

Et augetur difficultas: non esse Incarnationis Verbi non est æquè malum, ac est bona Verbi Incarnatio: ergo non esse peccati non est æque bonum, ac est malum in ratione offensæ peccatum. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur: si nõ esse Incarnationis, esset ita malum, ac est bona Verbi Incarnatio, non esset in peccato mortali condignitas demeritoria illius; consequẽs est falsum; omnes enim Theologi docent Adamum suo peccato de condigno demeruisse, vt Verbum non assumeret carnem: ergo non esse Incarnationis non est ita malum, ac est bona Verbi Incarnatio. Probatur sequela: peccatum in ratione offensæ non est ita malum, ac est bona Incarnatio Verbi, sicut nec adæquat in ratione grauitatis valorem vnius Christi operationis: ergo si negatio Incarnationis est ita mala, ac est bona Verbi Incarnatio, excedit grauitatem peccati in ratione offensæ: ac proinde cadere nequit sub condignitate demeritoria illius; nam sicut bonum excedens meritum non potest sub illius condignitate contineri, ita malum excedens.

123 *Augetur difficultas.*

*Adam suo peccato demeruit, vt Verbum non assumeret carnem.*

dens demeritum non potest comprehendi sub condignitate demeritoria illius.

124 *Respõdetur ad primam obiectionem.*

Respondeo, non esse peccati, dupliciter posse terminare habitudinem meriti, nempé *secundario* ratione gratiæ primo cadentis sub merito, in qua remissio peccati continetur, vt secundari⁹ effectus; & hoc modo posse cadere sub merito puræ creaturæ *loc. alleg. in argum.* docuimus; & quia hoc modo nõ ratione sui, sed ratione gratiæ primo terminantis, terminat habitudinem meriti; ideo, vt sic, non est in ratione præmij, infinitum; quia isto modo remissionẽ peccati mereri, nihil aliud est, quam mereri de condigno gratiam; quia ob incomposibilitatẽ essentialem, qua gaudet cum peccato mortali, illud à peccatore expellit: vnde cum gratia habitualis præmium infinitum non sit, nec non esse peccati, vt terminat secundario habitudinem meriti, primario terminatam ad gratiam habitualem, est in ratione præmij infinitum. Alio modo potest non esse peccati rationem præmij sortiri, *primario* scilicet, & ratione sui, terminando habitudinem meriti, quod per modũ satisfactionis condignæ, & æqualis, peccati non esse, seu remissionem meretur; & vt sic est in ratione præmij infinitum; sic enim solum potest cadere sub condigno meritato actus infiniti valoris, & isto modo comparatur cum meritis Christi: ac per consequens comparatione illorum est in ratione præmij infinitum. Qua supposita doctrina distinguo antecedens; vt primarius terminus meriti, nego antecedens: vt secundarius ratione gratiæ primo terminantis meritum, concedo antecedens, & distinguo consequens: vt primario terminãs habitudinem meriti, nego consequentiam; prout illam terminat secundario, concedo consequentiam.

*Respõdetur in forma.*

125 *Dices.*

Sed dices; ideo meritum puræ creaturæ condignum secundario terminatur ad non esse peccati; quia non aliter pura creatura mereri potest remissionẽ peccati, nisi merendo gratiam expulsiuam illius; sed Christus non aliter nobis meruit remissionem peccati, nisi merẽdo nobis condigné gratiam habitualem remissiuam peccati: ergo nõ primario, sed secundario terminatur meritum Christi ad non esse peccati: ac per consequens nec etiam respectu Christi est in ratione præmij infinitum. Respondeo, negando minorem; sed meruit Christus condigné, & non esse peccati, & remissionem illius, exhibendo condignam, superabundantemque satisfactionem pro illo, qualiter puræ creaturæ, peccati remissionem mereri, omnino repugnat, vt loco proximé allegato docuim⁹. Sic autem remissionem peccati mereri, est primario, quam cum gratia, cum nõ esse peccati comparari.

*Respõdetur.*

126 *Instabis.*

Instabis: in operationibus Christi alia est ratio meriti, & alia ratio satisfactionis, vt 1. notauimus; at ex doctrina proximé tradita solum habetur sub ratione satisfactionis primario ad peccatum comparari: ergo sub ratione meriti primario comparabitur ad gratiam, & secundario ad non esse peccati, seu remissionem illius; & consequenter non esse peccati mortalis, non erit præmiũ primarium, sed secundarium meritorũ Christi. Respondeo, negando minorem: nam licet ratio meriti, & ratio satisfactionis aliqualiter distinguantur in operatione Christi; ratio tamen meriti remissionis offensæ in satisfactione fundatur, eo quod non aliter meruit remissionem offensæ, nisi satisfaciendo pro illa: vnde sicut in ratione satisfactionis primario ad peccatum refertur, ita in ratione meriti primario ad non esse peccati comparatur.

*Respondetur.*

127 *Vrgebis adhuc.*

Vrgebis: eo modo meruit Christus effectum positiuum gratiæ, & non esse peccati, quo à gratia habituali præstantur; sed à gratia habituali primario prouenit positiuus effectus, & secundario effectus negatiuus, scilicet, non esse peccati: ergo meritum Christi primario tẽdit ad effectum positiuum gratiæ, & secundario ad non esse peccati. Respondeo distinguendo maiorem: eo modo in executione, concedo maiorem: in intentione, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: primario in ordine executionis, concedo consequentiam: in ordine intentionis, nego consequentiam: ex quo non sequitur remissionem peccati non esse primarium præmium meritorum Christi: nam ad

*Respõdetur.*

pri-

primatum in ratione præmij ſufficit præcedentia in intentione.

128 *Ad 2. obiectionẽ reſpond.*

Ad ſecundam obiectionem, nego antecedens. Ad illius probationem, nego ſequelam: ad cuius probationem, diſtinguo maiorẽ: bonum infinitum poſitiuum, cõcedo maiorem: negatiuum, & in nõ eſſe formæ oppoſitæ conſiſtẽs, vel in expulſione illius, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: quia ſolum colligitur nõ eſſe peccati bonum infinitum poſitiuum nõ eſſe; vt autem infinitum in ratione præmij ſit, ſufficit eſſe bonũ infinitum negatiuum. Ratio autem, cur infinitum bonum negatiuum poteſt in forma finitæ perfectionis contineri, eſt, quia ad hoc tantum petitur eſſentialis repugnantia cum forma, cuius eſt negatio; forma autem perfectionis finitæ poteſt cum peccato, etſi infinitum ſit, eſſentialiter pugnare: ac per conſequens poteſt non eſſe peccati, quantumuis ſit infinitum, in gratia habituali finitæ perfectionis contineri.

129 *Ad cõfirmationẽ*

Ad confirmationem, nego antecedens. Ad illius probationem, nego ſequelam: ad cuius probationem dicatur, non eſſe Incarnationis Verbi conſiderari poſſe dupliciter: *primo* veluti in eſſe rei: *ſecundo* in ratione pœnæ: primo modo inſpectum eſt ita malum, ac bona Verbi Incarnatio; ſecundo modo non ita: nam ad rationem pœnæ attenditur, non ſolum ad bonum negatum, ſed etiam ad debitum, quo prædictum bonum debetur; & quia eſſe Incarnationis in ratione debiti infinitum non eſt, non eſſe illius in ratione pœnæ non eſt infinitum, dato, quod in eſſe veluti rei infinitum malum ſit: ac per conſequẽs, poteſt cadere ſub condignitate demeritoria peccati, etiam ſi in ratione offenſæ non ſit æquè malum, ac eſt bona Verbi Incarnatio.

130 *Dices.*

Sed dices: ſi humanitas Chriſti poſt quam aſſumpta eſt peccaret, mereretur de condigno, quod dimitteretur à Verbo: ergo in peccato mortali non ſolum eſt condignitas carentiæ Incarnationis non factæ, ſed etiam Incarnationis poſtquam effecta eſt. Conſequentia tenet. Antecedens autem probatur: ſicut enim peccatum mortale gratiam expellit moraliter: ita tunc caſus, Incarnationem deſtrueret; ſed cõcurſus moralis eſt concurſus demeritorius: ergo peccato ab humanitate aſſumpta commiſſo mereretur de condigno, quod dimitteretur à Verbo. Reſpondeo primo, negando antecedens: ſed ſolum Incarnationem diſſolueret ponendo aliquid eſſentialiter incõpatibile cum vnione hypoſtatica; cũ enim ex vi vnionis hypoſtaticæ ſãctificetur humanitas ſãctitate ſubſtãtiali, & cũ ſanctitate pugnet peccati fœditas eſſentialiter, humanitas in prædicto caſu peccans, hypoſtaticam vnionem diſſolueret, non demeritorié, ſed phyſicé. Ad antecedentis probationem, nego conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt: quia cum non eſſe gratiæ habitualis, etiam vt in ſubiecto præexiſtentis, infinitum in ratione mali non ſit, poteſt in peccato mortali ſufficiens grauitas reperiri, vt cõdigné per non eſſe gratiæ puniatur; cæterum non eſſe vnionis hypoſtaticæ iam exiſtentis, eſt in ratione mali pœnæ infinitum, & maiori infinitate, quam ſit grauitas offenſæ: ac proinde non eſt in peccato grauitas, vt condigne poſsit prædicta pœna puniri.

*Reſpõdetur.*

Secundo reſpondeo, prætermiſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: in peccato mortali ab humanitate Chriſti, in caſu dato, commiſſo, tranſeat conſequens: in peccato mortali commiſſo ab altero homine, nego conſequentiã, & hoc eſt, quod negabam⁹. Sed dices, peccatum in data hypoteſi ab humanitate commiſſum, non eſt in ratione offenſæ Dei maius peccato commiſſo à quolibet homine; eſt enim ſententia valde probabilis, omnia peccata mortalia in ratione offenſæ eſſe æqualia, quam ſententiam ſequuti ſumus *Tomo primo Diſput. prima §. 7. num.* 139. ergo ſi in peccato ab humanitate Chriſti commiſſo, eſt condignitas demeritoria ſufficiẽs ad non eſſe Incarnationis iam factæ, nõ eſt hæc condignitas neganda peccato mortali aliorum.

131 *Reſpõd. ſecũdo.*

*Dices.*

Reſpondeo, admiſſo antecedenti, negando conſequẽtiam: nam ratio differentiæ inter peccatum humanitatis, & peccata aliorum hominum, non ſumitur ex maiori grauitate, ſed ex conditione

132 *Reſpõd.*

ditione diuersa in non esse Incarnationis; vt enim *proximè* dicebamus, ratio pœnæ in negatione formæ, non attenditur præcisé penés formæ perfectionem, sed etiam penés debitum formæ ad subiectū: vnde carentia dignitatis Regiæ minor pœna est in homine plebeio, quam si aliquo bono proprio, vel ad quod habet ius careat; etsi Regia dignitas maius quid sit illo priuato, & particulari bono; quia, nēpé, illi debita non est.

*Exēplū*

133 *Differentia inter peccatū humanitatis in hypotesi, et aliorum hominum.*

Hæc autem differentia inuenitur inter peccatum, quod in data hypotesi impossibili esset in humanitate, & peccata aliorum hominum, quod hæc, supposita vnione humanitatis ad Verbum, supponunt in humanitate debitum cōtinuationis ratione hypostasis Verbi: & ideò ad illius carentiam condignè demerendam, illorum grauitas non extenditur; eo autem ipso, quod humanitas peccaret, debitum conseruationis periret; eo quod debitum continuationis vnionis solum est suppositā carentia dispositionis contrariæ: vnde, peccato in humanitate supposito, hoc debitum iam non est; ac proinde potest esse in peccato humanitatis condignitas ad non esse Incarnationis iam factæ, non quia talis peccatum peccata aliorum hominum superet in grauitate, sed quia negatio Incarnationis non debitæ conseruari, non est ita magna pœna, ac negatio eiusdem Incarnationis suppositæ, & debitæ conseruari.

134 *Instabis*

Instabis, debitum continuationis Incarnationis iam factæ cessat ratione peccati: ergo ad peccatum supponitur talis conseruatio debita; & consequenter sub eius condignitate demeritoria cadit negatio Incarnationis præexistentis, & debitæ conseruari.

*Respōdetur.*

Respondeo, distinguendo antecedens: cessat ratione peccati, vt physicé indisponentis subiectum ad continuationem vnionis, concedo antecedens: vt moraliter demerentis, nego antecedens, & consequentiā. quia ad cōcursum moralē demeritorium peccati supponitur indispositiuus physicus, ratione cuius sit indebita continuatio Incarnationis.

135 *Vrgebis adhuc.*

Sed vrgebis adhuc: sequitur ex hac solutione peccatum, tunc casus, ab humanitate commissum, nullatenus exercere concursum demeritorium in dissolutionem vnionis; consequens est cōtradicta: ergo & solutio. Patet sequela: per nos ad concursum moralem supponitur concursus peccati indispositiuus physicus; sed in vi huius dissolueretur vnio humanitatis ad Verbum: ergo concursus moralis demeritorius peccati, supponeret dissolutam vnionem; ac per consequens non influeret in illam demeritorié. Respondeo, negando sequelam: nam licet in vi concursus indispositiui peccati dissolueretur vnio humanitatis ad Verbum; non tamen est necessarium, quod pro illo priori, quo intelligitur talis concursus, dissolutio vnionis fiat, sed sufficit quod pro alio; ac proinde datur locus, vt cōcursus moralis demeritorius peccati supponens concursum indispositivum physicum attingat vnionis dissolutionem: sicuti, quamuis gratia physicé expellat peccatū, & contritio gratiam in subiecto supponat; cōcurrit tamen contritio ad peccati destructionē quatenus offensa est.

*Respōd.*

85

136 *Inquires. Respōd.*

Quod si inquiras, cur cōcursus indispositivus peccati respectu dissolutionis vnionis demeritoriū præcederet? Respondeo: rationē esse, quia concursus indispositiv⁹ à peccato exerceretur sub ratione malitiæ moralis, secūd⁹ ab illo sub ratione offensæ proueniret; & quia ratio malitiæ est prior ratione offensæ; fit consequens, quod concursus indispositivus, seu per modum dispositionis repugnantis cum vnione, demeritorium præcederet.

137 *Argumētō principali respond. 2.*

Secundo responderi potest argumēto principali, negādo maiorem. Ad cuius primam probationē, concessō antecedenti, nego cōsequentiā; sicut nec valet: *Actio dicitur per correlationem ad terminum: ergo actio infinita per correlationē ad terminū infinitum*: nec ista; *potentia dicitur comparatiuè, aut correlatiuè ad effectū: ergo potentia actu infinita, per correlationē ad effectum actu infinitum.* Et ratio omniū vna est nempé, sumi posse infinitatem actualem meriti, potentiæ, & actionis ex modo respiciendi infinito, quamuis terminus inspectus actu infinitus non sit.

*Ad 1. probationē.*

*Ratio.*

*Ad 2. probationē.*

Ad secundā, concessō antecedenti, nego consequentiam; sed sufficit applicatio ad præmiū

actu finitum inspectum modo infinito.

*Ad tertiam.* Ad tertiam eodem modo respondetur, concesso etiam antecedenti, negando consequentiam: nam ex eo quod meritum, prout merens actu cõstituit, addat supra condignitatem actuale ius ad præmium, ad summum potest inferri, quod meritum actuale infinitum petat, infinito iure constitui; stare autem potest actualis infinitas iuris, absq; infinitate præmij actualis, ex modo tendendi in illud; ac per consequens non petitur ad meritum actuale infinitum, ius ad præmium infinitum in actu.

138 *Ad quartam.* Ad quartam, concessa prima consequentia, & permissa minori subsumpta, distinguatur vltimum consequens; debet esse infinitas actualis in præmio ex modo, quo terminat meritum, concedo consequentiam: infinitas actualis extensiua, nego consequentiam: nam sicut ad infinitatem actionis, sufficit infinitas termini sumpta ex modo terminãdi, & refussa ex modo quo actio tendit in ipsum: ita ad infinitatem iuris in merito, sufficit ex parte præmij infinitas in modo terminandi habitudinem meriti in ipsum. *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem maioris, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguo minorem: non stat infinitè merens actu absq; præmio actu infinito ex modo terminandi habitudinem meriti in ipsum, concedo minorem: absque præmio actu entitatiuè infinito, nego minorem, & consequentiam, quæ distinctio constat ex dictis.

139 *Inquires. Medina & Zumel respondent* Si inquiras, in quo hæc infinitas modi respiciendi, & tendendi in merito Christi consistat? Respondent Medina, & Zumel *locis vbi supra relatis*, consistere in hoc, quod est tẽdere ad præmiũ actu finitum, in infinitum, & sine termino, hoc est, syncathegorematicè infinitum: sicuti potentia Dei actu est infinita, etsi de facto effectum infinitum numquam producat; quia taliter finitũ producit, quod à nullo effectu exhauritur, & infinitũ syncathegorematicè respicit. *Vincẽt. opponit primo.* Contra quã solutionẽ opponit M. Vincentius primo: non enim est de ratione potentiæ, actualis cõiunctio ad effectum, sed solũ quod illum virtute, & potestate contineat; & ideò stare potest infinitudo potẽtiæ absq; effectu actu infinito per continentiã effectus infiniti in potentia; at de ratione meriti est æqualitas actualis cum præmio, & ius actuale ad illud: ergo præmiũ adæquatè respondens merito, debet esse determinatũ: ac per consequens non stat meritũ actuale infinitum per cõparationẽ ad præmium syncathegorematicè infinitũ; cum huius generis infinitũ indeterminatum sit. *Secũdo.* Secundo: nam ex contraria sententia sequitur concedendũ, plus Christũ meruisse, quã Deus possit præmiare; consequens absurdũ videtur: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: nam Auctores traditæ solutionis cõcedunt, Christum, actu infinitũ præmium meruisse; sed Deus nõ potest infinitum præmium conferre: ergo in illorum sententia plus meruit Christus, quam Deus præmiare possit.

140 *Hæc parum vrgent contra Medinam.* Hæc tamen argumenta, etsi vrgẽtia sint contra quosdã Recentiores, qui infinitatẽ præmij respõdentis Christi meritis non ex parte modi, sed ex parte rei cõstituunt: ita vt Christus meruerit, nõ solũ præmium, quod Deus ipsi cõcesserit, sed etiã omnia, quæ in ipsius potẽtia cõtinentur; non tamen vrgent, si solũ ex parte modi tendendi præmij infinitas constituatur, qualiter accipiendam iudico sententiã Medinæ. *Ad 1. respõdetur* Vnde ad primũ, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: debet esse determinatũ præmium adæquatum merito ex parte rei, quã sibi actu debitã facit, concedo consequentiã: præmium adæquatè respondens merito ex modo tendendi in præmiũ, nego consequentiã: itaq; meritũ Christi actuale non fecit actu debitum, nisi illud, quod Deus ipsi cõcesserit; cæterũ hoc præmiũ inspexit, non vt sibi adæquatũ, sed vt infinitè inferius; & ideò taliter dedit ius ad determinatum præmiũ, quod ex modo in illud tẽdendi ad alia, & alia præmia vsq; in infinitũ extendebatur nõ repugnãtia, vt in quodlibet illorum ius daret, & illud sibi debitum faceret, si ad id promerendum sua merita applicuisset; qui modus respiciendi est sufficiens, vt meritũ sit actu infinitũ, quamuis præmium actu merito respondens actu infinitum non sit. *Thomistæ in Logica.* Sicut dicebamus cum cõmuni sententia Thomistarum in Logica; naturam, v.c. Gabrielis

briellis esse Logicé vniuersalem, quia licet actu vnum singulare solum respiciat, non tamen cum illo ex modo respiciendi adæquatur, sed comparatur ad illud cum non repugnantia ad plura, si hæc ex alio capite non repugnarent.

141 *Dices.* Sed dices; licet præmium actu Christi merito respondens, non sit adæquatum illius condignitati, nec iuri, quod de se poterat Christo præstare; est tamē adæquatum iuri, quod præstat de facto: ergo ius actuale cuiusvis meriti Christi adæquatē terminatur per præmium actu finitum; & consequenter in ratione meriti, pro eo quod superadditur ad cō dignitatē ipsius, infinitum esse nequit. Probatur antecedens, retorquendo exēplum in confirmationem adductum; esto vnum indiuiduum Angelicum nō sit adæquatus terminus naturæ, prout ab intellectu concipitur cum non repugnantia ad plura; est tamen adæquatus terminus relationis, qua de facto refertur: ergo pariter, quamuis præmium actu finitum non sit adæquatus condignitati operationis Christi, est tamen adæquatum iuri, quod de facto præstat.

142 *Respōdetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: est adæquatum iuri, quod de facto præstat: quoad rem tali iuri debitam, concedo antecedens: quoad modum illam respiciendi, debitamque faciendi, nego antecedens, & consequentiam; nec obstat antecedentis probatio: imo potius distinctionem cōfirmat: nam licet vnicum indiuiduum Angelicum sit terminus adæquatus relationis, qua de facto refertur quoad rem inspectam de facto; non tamen est terminus adæquatus prædictæ relationis quoad modum respiciendi: taliter enim natura Angelica tendit in hoc indiuiduum, quod ex modo in illud tendendi non repugnat illi alia indiuidua respicere; ac per consequens terminus de facto terminans non adæquatur cum modo. Et ex his ad secundam obiectionem Vincentij constat solutio, ampliusque ex dicendis constabit.

*Ex his constat ad 2. obiectionē Vincentij.*

143 *Secūdo respōdet Medina* Secundo respondet Medina; modum istum infinitum tendendi in præmium actu finitum, ex quo Christi meritum accipit infinitatem in ratione meriti actualis, consistere in eo, quod præmium, etsi finitum ex toto rigore iustitiæ sibi debitum efficiat; hoc enim merito finito repugnat: vnde sicuti creatio est in ratione actionis infinita, quia licet terminum finitum attingat, illam respicit modo infinito, nempé, ex nihilo producendo: ita Christi meritum infinitum in ratione meriti est; quia licet ei respondeat præmium in actu finitum, illud tamen facit debitum ex toto rigore iustitiæ, quod merito puræ creaturæ, & in ratione meriti finito, neutiquam competere potest. In quo autem rigor iustitiæ consistat competens meritis Christi, & puræ creaturæ repugnans, traditur à Theologis *supra quæstione prima articulo secundo*, & ex dicendis sequenti Disputatione constabit.

144 *Vincentius obiicit contra hūc modum.* Quem modum dicendi probabilem censet Vincentius, & contra illum solum obiicit, diminuta quadam ratione, infinitatem Christi meritis tribuere, parumque illorum excellētiam, & valorem extollere: ergo debet insufficiens censeri. Hæc tamen obiectio nō vrget: nam in præsenti nō loquimur de valore meritorum Christi, aut illorum condignitate, quam *§ 1. & sequentibus* simpliciter infinitam monstrauimus, eique præmium syncathegorematicé infinitum pro termino constituimus, sed de infinitate illorum in ratione meriti, & iuris actualis ad præmium: ac proinde ex eo quod illorum infinitatem solum ex parte modi explicemus, nihil dignitati meritorum Christi derogamus; sicuti ex eo quod infinitas creationis non ex parte rei creatæ, sed ex modo producendi sumatur, in nullo illius infinitas diminuitur.

*Obiectio non vrget.*

145 *Infertur ex dictis Christū non plus meruisse, quā Deꝰ præmiare posset.* Ex dictis in discursu Disputationis colligitur, Christum non plus meruisse, quam Deus præmiare posit, quod in merito, Recentiores quidam negarunt, probatur: nam ex parte rei debitæ solū meruit præmium finitum, etsi ex parte modi in infinitum syncathegorematicé operatio meritoria Christi se extenderet, quatenus non repugnabat illi dare ius ad maius, & maius præmium; sed etiam potentia Dei, etsi præmium finitum contulerit, illud tamen inspiciebat

cum non repugnantia ad maius, & maius præmiũ sine termino in infinitũ: ergo non meruit Christus plus, quã Deus præmiare possit, nec in ratione meriti potẽtiã Dei præmiatiuã excessit. Secundo: nam Dei potentia, solũ id nõ potest, quod in ratione præmij implicationem involuit; sed vis meritoria Christi, ad præmium contradictionem in ratione præmij implicans, non potest extendi: ergo nequit vim Dei præmiatiuam excedere. Et hæc de ista Disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. distinct.* 18. §. 1. illis verbis: *Meruit quidem redemptionem à Diabolo.* Et *distinctione* 19. §. *secundo*, ad illa verba: *Factus est igitur mortalis, vt moriendo Diabolum vinceret.* M. Sen.

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEXTA.

## An, vt Christus suis meritis Deum ad remunerandum ex iustitia obligaret, promissione, aut pacto Indiguerit?

### §. I.

*Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.*

Nu. 1. *Suppo-nitur 1.*

QVA in re supponimus primo, de facto ex parte Dei pactum, promissionem ve intercessisse, quod licet non sit in Sacra Scriptura expressum, videtur non obscurè colligi ex illo Isaiæ 53. cap. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Vbi D. Thomas; *hic ponit tertiũ, scilicet, quod per ipsum completa est hominum iustificatio, & primo ponit præmium contra mortis dolorem, si posuerit propria voluntate, videbit semen longæuum*, ideſt (inquit D. Thom.) *vsque ad finem mundi filios sibi regenerari ex virtute mortis eius.* Iuxta quam explicationem, quæ nulli ex Patribus aduersatur, sub conditione mortis, hominum regeneratio vsque in finem mundi in præmium à Deo promittitur.

*Isai. cap. 53.*

Secundo supponimus, Christum non solum ex rigore iustitiæ, ex perfectaque iustitia homines redemisse, ipsorumque salutem, & à peccato libertatem meruisse; sed etiam Deum ad illius satisfactionem acceptandam, præmiũque suorum meritorum tribuendum fuisse ex iustitia obligatum, quod etsi à pluribus Theologis, nec infimæ notæ, 2 *Suppo-nitur 2.*

nege-

negetur, cum alijs tanquã probabilius docuimus *Tomo primo Quæst. 1 Disp. 5. 6. & 7.* vbi fusè ostendimus, Deo non repugnare, Christo obligari ex iustitia. Quibus breuiter adnotatis, quod in præsenti in discrimẽ vertimus est, an vt Deus obligationẽ istã subiret, pacto, aut promissione indiguerit, an verò sine interuentu pacti potuerit in vi meritorum Christi ad illorum remunerationem ex iustitia obligari.

3 Prima sẽtẽtia.

Prima sentẽtia negat, potuisse Christum, Deum ex iustitia obligare, secluſa promissione, vel pacto de illius meritis remunerandis. Ita omnes Auctores docentes, Deum esse obligationis ex iustitia incapacem; cum enim, nec pacto suppoſito, Deum ex iustitia obligari posse fateantur, à fortiori, illo secluſo, posse ex iustitia obligari, tenentur fateri. Hi sunt Molina *1. p. q. 21. art. 1. §. 5. addendum.* Læsius *de diuinis perfectionibus cap. 2. num. 12.* Vazquez *supra disput. 7. & 8.* Pro se referens Ioannem de Medina, Lugo *disput. 3. & 4.* Quos plures Recentiores sequuntur Tenent etiam ex his, qui Deum capacem esse obligationis ex iustitia tuentur, Suarez *supra disp. 8. sectione 5* Monteſinos 1. 2. *disp. 35. n. 32.* & frequentius cæteri Recentiores, qui, etsi capacitatem obligationis ex stricta, & rigoroſa iustitia re cognoſcant in Deo asserunt tamen, nec à pura creatura, nec à Christo Domino potuisse sic obligari sine interuẽtu, vel promissionis, vel pacti de illius satisfactione acceptanda, & remunerandis meritis.

*Molin. Leſio. Vazq̃z. Medin. Lugo. Suar. Mont.*

4 Secũda sẽtẽtia.

Secunda per oppoſitum docet, vt Christus suis meritis Deum ex iustitia obligaret, pactum, vel promissionem neceſſariam non fuisse. Indicant hanc sententiam Ferrara 4. *Contra Gentes cap. 54.* Mag. Soto *in 4. Sentent. dist. 19. q. 1. art. 2.* vbi docet, implicare cõtradictionem id, quod Christus Patri offerret, non esse acceptum; non propter gratiam creatam, sicut in nobis; sed quia actiones eius, non erant naturæ humanæ, sed diuini suppoſiti per naturam humanam exercitæ. Illam expresè tenent Cornejo *supra disp. 5 dub. vltim.* & Illustrissimus Arauio *supra q. 1. art. 2 dub. 5. concluſ 2.* In illamque inclinat Lorca *supra disp. 8. num 25.* vbi docet, etsi nulla Dei promissio intercederet, non potuisse non acceptare Christi merita ad omne præmium, quod Christus postularet; & si neceſsitatem istam neget esse obligationẽ ex rigoroſa iustitia. Et probabilem censet Vincẽtius *re lect. de Gratia Christi q. 5. pag. 382* Etsi in oppoſitam, vt probabiliorem inclinet. Eandem sententiam tenent conditionaliter Vazquez *supra disp. 9. cap. 1. 3. & 4. 1. p. disp. 85. cap. 36. & 1. 2. disp. 223. cap. 3 disp. 214. cap. 9. & 10. disp. 215. cap. 1* vbi docet, si ex operibus iustorum Deus posset ex iustitia obligari, inducendam huiusmodi obligationem nullo pacto intercedente. Meratius *supra disp 8. sect. 1* docẽs, si Christ⁹ potuit Deum ex iustitia obligare ad suæ satisfactionis, & meriti acceptationẽ, id potuisse efficere sine interuentu promiſsionis, aut pacti; pactum enim, vel promiſsio nihil ad obligationem ex iustitia conducit, sed solum ad obligationem ex virtute fidelitatis.

*Vincẽt. Vazq̃z. Merat.*

## §. II.

### *Hæc sententia à Nobis, vt probabilior eligitur.*

5 *Statuitur concluſio. Araujo prob. 1.*

HANC sententiam Nos vt probabiliorem amplectimur, & pro concluſione statuimus. Illam probat Illustrissimus Araujo. Primo: nam ad iustum remuneratorẽ *vt sic*, pertinet remunerare quoduis meritum condignum; sed Deus, secluſo pacto, est iustus remunerator habens virtutem iustitiæ, & in operibus Christi, omni promiſsione secluſa, est perfecta, & rigoroſa condignitas: ergo, secluſa promiſsione, vel pacto teneretur Deus ex iustitia remunerare merita Christi.

*Secũdo.*

Secundo: nam si Deus, nullo interueniente pacto, intuitu meritorũ Christi daret gratiam, & gloriam hominibus, vel daret illam ex liberalitate, vel ex gratitudine, vel ex iustitia; non pri-

mum, quia daret intuitu operis condigni, & æqualis; liberalis autem donatio, cum omnino gratis fiat, non potest opus dignum, & æquale pro motiuo respicere. Nec secundum, quia quod datur in gratiarum actionem, non datur vt merces, & corona iustitiæ; tunc autem gratia, & gloria à Deo hominibus collata intuitu meritorum Christi darentur, vt corona iustitiæ, & vt merces laboris: ergo dicendum est terium: ac proinde, pacto, & promissione seclusis, Deus, vt iustus remunerator, potest ex iustitia à meritis Christi obligari.

6 *Tertio.* Tertio: nam vel nomine promissionis, vel pacti, intelligitur decretum internum Dei, quo apud se decreuit remunerare merita Christi, vel voluntas, qua Deus voluit, quod Christus sua merita pro hominibus applicaret, vel expressa inter Deum, & Christum conuentio, qua Deus se obligauit, ad merita Christi acceptanda, & Christus se adstrinxit ad exhibenda sua merita pro hominum redemptione, nullum horum potest dici: ergo pactum necessarium non fuit, vt Deus obligaretur meritis Christi ex iustitia. *Minor pro prima parte prob.* Minor pro prima parte constat: nam promissio obligat Deum ratione fidelitatis; decretum autem internum solum ratione immutabilitatis, Dei voluntatem necessitat: ergo decretum Dei internum, pactum, vel promissio non est. *Pro secunda parte* Et ex hoc pro secunda parte probatur: nam voluntas illa non obligat Deum ratione fidelitatis: ergo nequit dici promissio.

7 Deinde: non est intranea ipsis meritis; nequit enim Christus sua merita applicare, nisi ex subordinatione ad voluntatem diuinam mouentem voluntatem Christi creatam ad talem applicationē; sed promissio meritis intranea non est: ergo voluntas illa non potest dici promissio. *Pro tertia parte.* Denique pro tertia parte suadetur: nam Deus gratiam Antiquis Patribus dedit, obligatus à meritis Christi; at non ratione pacti, quo se Christus obligauerit; quia tunc tale pactum non erat; quod autem ex parte Christi futurum præuideretur, non est ad Deū obligandum sufficiens; etenim pactum futurum, non potest præsentem inducere obligationem: ergo ad illam inducendam non fuit necessaria promissio.

Hæc tamen argumenta non vrgent tum, quia primum, & secundum, si quid probarent, conuincerent, opera puræ creaturæ posse Deum ex iustitia sine promissione, & pacto obligare, vt illa tantisper meditanti constabit; consequens aduersatur doctrinæ eiusdem Magistri *prima secundæ quæstione 114. articulo primo dubio tertio*, vbi docet, Deū non posse, nec ex iustitia, nec ex gratitudine iustorum meritis, secluso pacto, obligari; & quod magis est Divus Thom. *in secundo distinctione 27. quæstione prima articulo tertio ad quartum*, ibi: *Dicendum, quod Deus non efficitur debitor nobis, nisi forte ex promisso, quia ipse bona operantibus, præmium repromisit*: ergo non sunt efficacia ad nostram conclusionem suadendam. Tūm etiam, quia contrarij Auctores ab illis facili negatio se expedient. *Ad primum* Ad primum dicendo, veram esse maiorem, supposito quod sint merita, falsam, si non supponantur; licet aut sine pacto in operationibus Christi valor infinitus sit; attamen sine illo ius in præmium, & in præmiantem non tribuunt, meritum, autē supra operis valorem ius addit; & ideò, pacto seclusō, merita dici non possunt.

8 *Hæc argumēta non vrgent.* S. Tho. *Ad 1. rēs ponderi potest.*

Ex quibus constat ad secundum solutio, negando maiorem: quia constat ex terminis repugnantibus; non enim potest Deus intuitu meritorum operari, nisi supponantur merita, & ius obligans in illis: nam intuitu meritorum efficere, est ab illis ad operandum moueri, & aliqua ratione obligari: ergo vel fidelitate, vel gratitudine, vel iustitia; cum autem in contrariorum sententia, nulla ex his obligationibus Deo conuenire possit sine pacto, aut promissione; fit, vt pacto, & promissione seclusis, nequeat Deus intuitu meritorum, vel operationum Christi conferre aliquid hominibus.

9 *Ad secūdum.* Ad tertium, negando minorem pro tertia parte, quam non conuincit probatio; sicut enim merita præuisa, vt futura, possunt Deum ex iustitia obligare: ita pactum ex parte Christi futurū, & à Deo, vt sic præuisum, posset eandem *Ad tertium.*

dem inducere obligationem; non enim potest sufficiens ratio discriminis inter meritum, & pactum constitui.

His igitur prætermissis, suadenda est nostra conclusio primo ex Anselmo libro secundo Cur Deus homo cap. 19. post medium capitis, illis verbis: *Quantum autem sit, quod Filius sponte dedit, non est opus exponere, sufficienter patet; eum autem, qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non iudicabis: imo necesse esse video, vt Pater Filio retribuat, alioquin iniustus esse videretur, si nolet, aut impotens si non posset, quæ aliena sunt à Deo.* Hæc Anselmus: ex quibus aperte colligitur, Sanctum Doctorem sensisse, Deum ex vi meritorum Christi ad ipsorum retributionem fuisse ex iustitia obligatum.

10 *Prob. 1. cõclusio ex Anselmo.*

Respõdebis primo ex Meratio vbi supra, inefficacem esse Anselmi argumẽtationem; aliàs eodem posset argumento probare, Deum iustos in illius obsequium operantes non posse sine retributione relinquere; cum etiam sic operantes magnum bonum Deo reddant. Hæc tamen solutio sustinenda non est, vtpote tanto Doctori iniuriosa; non enim Theologum pium, & catholicum decet, Doctores Sanctos sine interpretatione relinquere, & quasi Nobis æquales tractare; si nam que Sanctorum PP. spernatur auctoritas, nihil firmũ in Ecclesia manebit. Nec incõueniens à Meratio illatum sequitur ex doctrina Anselmi, vt ex dicendis constabit, & verba relata indicant; necessitatem namque in Deo, vt merita Christi retribuat, infert Anselmus ex magnitudine illorũ, quæ Christus retribuit Deo, hoc est, ex meritorum Christi infinitate, sumpta ex dignitate personæ, quæ magnitudo, aut infinitas non reperitur in operibus iustorum: ac proinde ex eo quod Christi merita Deũ ex iustitia obligauerint ad sui retributionem, non sequitur idem de iustorum meritis esse affirmandum.

11 *Respondebis 1. ex Meratio.*

*Solutio hæc non est audiẽda.*

Respondebis secundo, Deum quidem necessitatum fuisse ad remunerandam merita Christi, quod docet Anselmus; non tamen docet necessitatẽ istã Deo sine promissione, aut pacto conuenire, aut conuenire potuisse, quod nostra conclusio asserit: ac per consequens auctoritate Anselmi perperã à Nobis probatur.

12 *Respondebis 2.*

Sed contra primo: nam si Anselmus necessitatem illam Deo ratione pacti attribueret, no esset necessarium recurrere ad bonorum magnitudinẽ, quæ Christus retribuit Deo: atqui Anselmus hoc recursu fuit vsus: ergo quia sentit necessitatem in Deo retribuendi merita Christi, non habuisse ortum ex pacto, vel promissione, sed ab illis independentem fuisse. Secundo: nã si hæc necessitas ratione promissionis, vel pacti Deo conueniret; non benè intulisset Anselmus iniustum fore, si nolet, aut impotentem, si non posset, sed futurum esse infidelem; agens namque contra suã promissionem non iniustitiæ, sed infidelitatis vitium incurrrit; at dicendum non est, male Anselmum intulisse: ergo sensit necessitatem in Deo retribuẽdi merita Christi fuisse ex se independẽtem à pacto, vel promissione. Tertio: nam istam necessitatem constituit Anselmus in Deo respectu meritorũ Christi specialiter ob ipsorum magnitudinem; at necessitas orta ex pacto, vel promissione conuenit Deo in ordine ad opera condigna iustorum: ergo manifeste sensit respectu meritorum Christi non habuisse ortum ex pacto, sed ab illo fuisse omnimode independentem.

*Cõtra 1.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

Secundo suadetur conclusio: satisfactio Christi fuit sufficiens ad Deum obligandum ad sui acceptationem independenter à pacto, & promissione Dei: ergo merita ipsius independenter à pacto potuerunt Deum ex iustitia obligare ad sui remunerationem. Consequẽtia tenet. Tùm à paritate rationis. Tum etiam, quia si quod incõueniens sequitur ex obligatione ad remunerandum in Deo sine pacto, & promissione, idẽ etiam infertur ex obligatione satisfactionem Christi acceptandi; & consequenter, si in hoc nullum inconueniens apparet, nec in primo reperietur. Denique: nam satisfactio Christi non fuit per modum formæ nos iustificatis, & dignificantis formaliter, & se ipsa sine voluntate remissiua Dei, debitum offensæ extinguentis, sed per modum meriti condigni remissionis offensæ, & voluntatis Dei gratiam infundentis, per

13 *Cõclusio prob. 2.*

quam excluditur peccatum formaliter: ergo si in ratione satisfactionis non indiguit pacto, aut promissione Dei, vt ipsum ad sui acceptationē obligaret, nec indiguit in ratione meriti pacto, aut promissione diuina, vt Deum obligaret ad sui remunerationem.

14 *Antecedens probatur.* Antecedens autem probatur: satisfactio perfecta ex toto rigore iustitiæ, talis conditionis est, vt sine pacto, aut promissione libera offensi ipsum obliget ad acceptationem sui: ita vt illa posita non possit offensus iuste aliam satisfactionem exigere; sed satisfactio Christi fuit perfecta, non solum perfectione æqualitatis, sed etiam perfectione rigoris iustitiæ, vt modò supponimus, ostēdimusque supra *Tom* 1. *Disp.* 5. 6. & 7. ergo vt Deum ad sui acceptationem ex iustitia obligaret, pacto, aut promissione Dei offensi non indiguit.

15 *Maior probatur primo.* Maior, in qua sola est posita difficultas, probatur primo à priori. nam illa est satisfactio de rigore iustitiæ, quæ totam iniuriæ inæqualitatem ad æqualitatem reducit; sed tota inæqualitate ex iniuria contracta ad æqualitatem reducta non manet in offenso ius ad aliam satisfactionem exigendam, etiam si nec pactum, nec promissio præcedant; cum ius exigendi satisfactionem ex inæqualitate nascatur: ergo satisfactio ex rigore iustitiæ talis conditionis est, vt independenter à pacto, vel promissione ad sui acceptationem personam offensam necessitet. *Secūdo.* Secundo probatur à paritate ex humanis; non enim stat satisfactio pro iniuria apud homines æqualis, & perfecta perfectione rigoris iustitiæ, quę ad sui acceptationem, saltim negatiuā, non necessitet offensum, etiam sine pacto, aut promissione præcedenti; eo enim ipso, quod offendens aliquem in honore, aut pecuniis perfectam ex iustitia offerat satisfactionem, non potest offensus iure aliam satisfactionem exigere, & eo ipso, quod iure possit exigere aliam, satisfactio, quæ illi fit, satisfactio perfecta ex iustitia non erit: ergo pariter, vel satisfactio Deo facta ex rigore iustitiæ non erit, vel si sit perfecta ex iustitia, talis conditionis erit, vt quamuis Deus nihil de illa acceptanda promisserit, obligetur ad eius acceptationem, vel ad aliam non exigendam. Quam rationem fusè prosequitur Vazquez supra *disp. 9. cap. 1. et sequentib.* vt ex opposito ostendat, non fuisse satisfactionē Christi perfectam de rigore iustitiæ, quia, nē pé, potuit Deus, illa oblata, aliam ab hominibus satisfactionem exigere, illos in peccato relinquere, & in æternum punire. *Vazq.*

# §. III.

## *Solutio contrariorum reijcitur, & vlterius nostra conclusio probatur.*

16 *Respōdebis.* RESPONDEBIS, duplex esse genus satisfactionis perfectæ ex rigore iustitiæ, vnum satisfactionis perfectæ *in actu primo*, & hæc talis est conditionis, vt promissione, aut pacto accedente illius, cui fit satisfactio, non possit illa cōtentus nō esse, & alteram postulare. Alterum, satisfactionis perfectæ *in actu secundo*, & hæc se ipsa independenter à libera voluntate offensi debitum extinguit, nec potest abipso non acceptari; & vtriusque exempla in humanis reperiri: debens enim equum, & prætium æquiualens offerens domino equi, perfectē satisfacit perfectione primi generis: nam accedente domini promissione, vel pacto perfectē ex rigore satisfacit, nec alteram satisfactionē potest creditor exigere; & idem dicendum est de illo, qui læsit honorem, & pecuniam offert in satisfactionem; & de illo, qui pro altero, qui alterius læsit honorem, æqualem offert satisfactionem; in quibus casibus saluatur satisfactio ex iustitia perfecta perfectione actus primi, & non nisi promissione, vel libera acceptatione creditoris, aut offensi accedente, potest ex iustitia obligari. Si quis verò, qui alterius læsit honorem, æqualem

*Satisfactio est duplex, in actu primo, et in actu secundo.*

*Exēplificabis in humanis.*

exi-

exhibeat satisfactionem, perfecté ex iustitia satisfacit per modum actus secundi independenter à promissione, vel pacto, vel libera acceptatione; & ideo ista satisfactio esset ex iustitia perfecta perfectione per modum actus secundi. Satisfactio igitur Christi pro peccato humani generis, secluso pacto, aut promissione expectata, gaudet perfectione primi generis, non autem perfectione secundi; & ideo non potuit Deum ex iustitia obligare independenter ab illius libera acceptatione vel pacto.

17 *Sed contra primo.*

Sed contra primo nam exempla ex humanis desumpta ad probandum primum genus satisfactionis potius officiunt, quam prosint; & consequenter ex illis male ab aduersarijs deducitur, posse saluari satisfactionem ex iustitia perfectam, cum dependentia à pacto, vel libera acceptatione illius, qui offensam fuit passus. *Assumptum probo*: dominus equi, dum iste in propria subsistit specie, habet ius, vt sibi in propria specie reddatur; ille etiam, qui iniuriam in honore fuit passus, habet ius, vt ille, qui iniuriâ intulit, per se ipsum satisfaciat, ei restituendo honorem, & non pecuniâ æquivalentem: ergo nisi iuri cedant, non potest in prædictis casibus illis fieri satisfactio perfecta; at satisfactio, quæ ad sui perfectionē indiget cessione iuris ofensi, perfecta esse nequit perfectione rigoris iustitiæ: ergo in exemplis adductis non saluatur satisfactio perfecta perfectione rigoris iustitiæ.

*Assumptum probatur.*

18 *Dices.*

Dices, id, quod requiritur, vt suppleat defectum æqualitatis, aut condignitatis satisfactionis exhibitæ, tollere ab illa, quod sit perfecta ex iustitia perfectione in actu primo; id vero, quod solum desideratur, vt offensus obligetur ad eius acceptationem, etsi auferat a satisfactione, quod sit de rigore iustitiæ actualis; non tamen tollit, quod sit in potentia perfecta; & in exemplis adductis non requiritur volūtas offensi, vel creditoris, vt suppleat defectum æqualitatis, sed solum, vt obligetur offensus, & aliam nequeat exigere. Sed contra: de ratione satisfactionis perfectæ, non sola perfectione æqualitatis, sed etiam perfectione rigoris iustitiæ, est nō sola æqualitas cum offensa, sed etiam efficacia obligandi creditorem; cum quolibet exhis deficiente, desit perfectio iustitiæ; sed voluntas offensi, vel creditoris supplens defectu æqualitatis, arguit imperfectionem in ratione satisfactionis: ergo voluntas libera creditoris, vel offensi exacta ad supplendum defectum efficaciæ, vel iuris ex parte satisfactionis arguit defectum perfectionis ex rigore iustitiæ.

*Sed contra.*

19 *Secundò*

Et ex his secundo traditam solutionem reijcio: nam si Christi satisfactio esset solum perfecta perfectione primi generis, sequeretur, non fuisse perfectam de toto rigore iustitiæ; consequens nō admittunt traditæ solutionis Auctores: ergo fateri tenentur secundo genere perfectionis gaudere; ac per consequens nō indiguisse pacto, vel libera promissione Dei per peccatum offensi, vt ipsum ad sui acceptationem ex iustitia obligaret. Probatur sequela: de ratione satisfactionis perfectæ ex rigore iustitiæ, non est sola æqualitas cum offensa, sed etiam ius, & efficacia obligandi; sed quia primum ad satisfactionem ex iustitia requiritur, satisfactio indigens acceptatione offensi, vt suppleat defectum æqualitatis, perfecta ex iustitia non est: ergo pariter satisfactio indigens pacto, vel promissione offensi, vt supplente defectum efficaciæ obligandi, & vt de facto iure, & efficacia gaudeat, perfecta ex toto rigore iustitiæ non est: ac per consequens si satisfactio Christi huius conditionis extitit, non fuit perfecta de toto rigore iustitiæ.

20 *Ex hac doctrinâ ōsurgit contra Vazq. quædam proba-bilia.*

Ex hac eadem doctrina probo contra Vazquez locis vbi supra relatis, satisfactionem Christi fuisse talis conditionis, vt independenter à pacto, vel promissione Deum ad sui acceptationem obligauerit; & consequenter ipsum obligasse ex iustitia: nam ex oppositō fieret, satisfactionē creaturæ pro offensa mortali Dei, & pro offensa veniali, ac deniq; pro pœna temporali huiusce modi peccatis debitam, esse perfectiorem in linea satisfactionis, satisfactione Christi pro peccato humani generis. consequens absurdum videtur: ergo concedendum est, satisfactionē Christi Deum obligasse ad acceptationem sui independenter à pacto, vel promissione. Probo sequelam; vt enim fatetur Vazquez supra *disp 9. cap. 4.* satisfactio hominis iusti

pro

pro peccato veniali, & pro pœna temporali debita peccato mortali, est conditionis, vt independenter a libera volũtate diuina Deum obliget ad acceptationem sui, hoc est, vt aliam satisfactionẽ non postulet, & idem dicendum est de satisfactione pro peccato mortali: nam licet teneat non esse perfectam satisfactionem, quia debitum ex peccato contractum, ex parte supponit dimissum, nempé, collatum auxilium, cuius carentiæ dignitatem ratione peccati contraximus respectu tamen illius, quod restat in peccato mortali, fatetur esse vim in contritione, vt pro eo satisfaciat, & Deũ ad sui obliget acceptationem absq; Dei promissione, vel pacto.

21 *Arguitur in hunc modum.* Qua doctrina præsupposita, arguitur in hunc modum: efficacia satisfaciendi pro offensa, & offensum obligandi absq; libero eius consensu pertinet ad lineam satisfactionis, & est in tali linea perfectio: at huiusce modi perfectione gaudet satisfactio puræ creaturæ, vt aperte Vazquez fatetur: ergo si illa, satisfactio Christi caruit, satisfactio puræ creaturæ fuit satisfactione Christi perfectior in linea satisfactionis. Et augetur difficultas primo; quia æqualitas dignitatis est perfectio in linea satisfactionis, si illam satisfactio creata obtineret, & nõ satisfactio Christi, satisfactio creaturæ esset satisfactione Christi perfectior in linea satisfactionis; sed etiam efficacia obligandi offensum ad acceptandum pertinet ad lineam satisfactionis: ergo si conuenit satisfactioni puræ creaturæ, & non satisfactioni Christi, hæc erit inferior illa in linea satisfactionis.

*Augetur difficultas primo.*

22 *Augetur secundo.* Vrgetur secundo ad hominem cõtra Vazquez 1 2 *disp.* 24. *cap.* 9. *num.* 65. vbi ex eo, quod Christi opera pacto indigerent, vt essent pro nobis merita, pro absurdo infert, validius esse nostrum peccatum ad merendam nobis pœnam, quam opera Christi Domini ad restituẽdam nobis gratiam; eo quod peccatum sine interueniente pacto nobis demeretur pœnam, vel vt proprius loquamur, est meritum pœnæ nobis infligendæ à Deo; opera autem Christi Domini, vt essent merita gratiæ, pacto, & diuina promissione indigerent; quod damnatum cẽset Vazquez à Cayo Primo in epistola, quæ habetur *Tom.* 1. *Concilior.* à Leone primo *sermon.* 12. *de Passion.* & *epist.* 93. quæ est ad Leonem Augustum *cap.* 2 & *epist.* 81. *ad Monachos Palestinos*: ergo pariter debet fateri, si satisfactio Christi, vt nobis in effectu prodesset, indigeret libera promissione, vel pacto, satisfactio vero nostra independenter à pacto, & promissione diuina necessario acceptatur à Deo; validiorem esse satisfactionem nostram pro auferenda culpa, & pœna, quam fuerit satisfactio Christi, quod non minus debet censeri incõueniens, quã quod peccatũ ad inferendam pœnam fuerit validius, quã opera Christi Domini ad nobis inferendam salutem.

23 *Tertio probatur conclusio.* Tertio suadetur conclusio: meritũ Christi ratione infiniti valoris se extendit ad omne præmiu possibile, ad quod, illud voluntas Christi applicauerit; sed Deum hominibus gloriam, vel gratiã, cæteraq; dona conferre sine pacto præcedente, non implicat: ergo si Christus sua merita sine pacto aut promissione præcedente ex parte Dei applicaret pro obtinendis his donis hominibus, mereretur efficaciter, vt Deus illa conferret; & consequenter Deus sine pacto præcedente obligatus ex iustitia id efficeret; vt enim supponimus in præsenti, remuneratio pro meritis est in Deo actus iustitiæ.

*Dices.* Sed dices, quod licet possibile sit, Deum prædicta dona sine pacto præcedente concedere, possibilitate rei; non tamen id est possibile possibilitate præmij, vel in ratione præmij; quia ad hoc necessarium erat, quod obligatus à meritis ex iustitia id efficeret; implicat autẽ Deum ex iustitia sine pacto præcedenti obligari, eo quod huiusce modi obligatio dicit imperfectionem inferioritatis in Deo.

24 *Cõtra* 1. Sed contra primo: licet Deum obligari obligatione non orta radicaliter ab ipso, maxima imperfectio sit; ac proinde ipsi repugnet; obligari tamen ex iustitia, obligatione ab ipso originaliter orta, nullam dicit imperfectionem; sed obligatio Dei in vi meritorum Christi sine pacto præcedente, originaliter oritur à diuina voluntate: ergo Deum hominibus gloriam conferre obligatum

ex

ex iustitia in vi meritorum Christi sine præcedenti a pacti, nullam dicit imperfectionem; & consequenter illam sic cõferre, est in ratione præmij possibile. Minor constat: nam voluntas Christi applicandi sua merita pro gloria hominibus obtinenda, est effectus voluntatis efficacis diuinæ, cui subordinatur in omni suo actu voluntas humana Christi: ergo obligatio Dei ex meritis Christi sic applicatis procedens, ortum duceret à diuina voluntate. Maiorem autem sic probo: licet Deum ad extra necessitari, necessitate absoluta, sit imperfectio opposita supremæ eius libertati, necessitari ad extra necessitate originaliter orta à diuina voluntate, nullam imperfectionem Deo repugnantem dicit: ergo pariter, licet Deum ex iustitia obligari obligatione ex ipsius voluntate non nata, maxima imperfectio sit; ex iustitia tamen obligari obligatione ab ipso originaliter orta, non est aliqua imperfectio

25 *Contra secundo.*

Secundo, & explicatur magis hoc ipsum; non est minus de ratione libertatis, necessitatis excluſio, quam de ratione dominij sit excluſio obligationis; at contra supremam Dei libertatem non est, necessitari ad aliquod extra se ex suppositione ipsi libera: ergo nec erit contra supremum dominium, ex iustitia obligari ex suppositione libera sibi: at obligatio Dei in vi meritorum Christi, Deo conueniret ex suppositione ipsi libera; cum merita Christi applicata, quæ obligationem inducerent, sint effectus libeæ voluntatis diuinæ: ergo Deum in vi meritorum Christi obligari sine pacto præcedente, nullam imperfectionem Deo repugnantem importat. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur. Minor subsumpta est probata. Maior principalis constat, & minor prima probatur: Deꝰ ex suppositione quod hominẽ efficaciter præmoueat ad operandum, non potest, non præstare suum simultaneum concursum, quem à præuio esse distinctum, suppono ex tractatu de auxilijs, & hoc, non ob aliam causam contra Dei supremam libertatem non est, nisi quia necessitas præstandi simultaneum concursum est necessitas ex suppositione libera Deo, nempé, orta ex auxilio efficaci antecedenter liberé collato à Deo: ergo necessitas orta ex suppositione libera Deo contra perfectionem supremæ libertatis non est.

26 *Contra tertio.*

Tertio: Deum ex iustitia obligari in vi meritorum Christi, pacto, & promissione suppositis, imperfectionem Deo repugnantem non dicit, vt in præsenti supponimus, & plures ex aduersarijs fatentur; at hoc non ob aliam causã, nisi quia hæc obligatio oritur originalitér ex diuina voluntate: ergo obligatio ab ipso originalitér orta, non dicit imperfectionem; & consequenter, nec debet imperfectio censeri, quod Deus ex iustitia in vi meritorum Christi obligetur sine pacto præcedente; cum etiam pacto secluso obligatio in vi meritorum Christi, originalitér ex diuina voluntate nascatur.

27 *Dices.*

Dices, falsam esse minorẽ; sed ideò imperfectio non est obligatio ex rigore iustitiæ, pacto, & promissione suppositis, quia proximé ex Deo nascitur, nempé ex promissione ipsius: in nostro autem casu, nempé, pacto, & promissione secluſis, obligatio Dei in vi meritorum Christi solum remoté, & originalitér ortum duceret ex diuina voluntate; proximé autem adæquaté ex voluntate Christi creata; & ideò imperfectio est, ac proinde releganda. Sed contra, & vrgentér ni fallor: nam esto obligatio fidelitatis proximé ex Dei promissione nascatur; obligatio autem iustitiæ, qua Deus tenetur, merita Christi præmiare, non oritur proximé ex promissione diuina, sed ex condignitate meritorum Christi; & tamen iuxta Aduersarios nullam dicit imperfectionem: ergo obligatio iustitiæ orta proximé ex voluntate creata, imperfectionem Deo repugnantem non dicit.

*Contra.*

28 *Dices.*

Sed dices: obligationem fidelitatis oriri proximé in Deo ex ipsius promissione, vt ex ratione formali: obligationem vero iustitiæ, etsi proximé non oriatur ex diuina promissione, vt ex ratione formali, sed ex operum cõdignitate; oritur tamen ab illa proximé vt à conditione: & ideò imperfectionem Deo repugnantem non dicit; benè autem illã importat obligatio Dei ex iustitia, adæquaté proximé orta ex voluntate creata. Sed contra: nam si quæ imperfectio

*Contra.*

in

in obligatione Dei ex iustitia inuenitur, consistit in eo quod, ab aliquo extra se, vt à ratione formali proxima, illius obligatio proueniat: at interuentio pacti hoc non tollit: ergo nec imperfectionem; vel si pacto interueniente, imperfectio non censetur, ab aliquo extra se, vt à ratione proxima formali obligari; pariter imperfectio non erit, pacto, & promissione seclusis, obligationem istam subire.

## §. IV.

### *Tribus argumentis contrariæ sententiæ occurritur.*

29 *Arguitur primo.*

COntra istam conclusionem arguitur primò. Etsi in operibus Christi fuerit condignitas sufficiens ad merēdum Dæmonibus gratiam; illis tamen de facto non meruit; at non alia de causa, nisi quia ex parte Dei non fuit pactū, vel promissio de impertienda Dæmonibus gratia sub conditione meritorum Christi: ergo ad merendum de facto, & vt Deus obligetur ex meritis Christi Domini, pactum, aut promissio requiritur.

*Respondetur.* Respondeo, negando minorē; sed ideò non meruit Christus gratiam Angelis, aut animab⁹ damnatis, quia pro illis sua merita non applicuit; hæc autem applicatio necessaria est, vt Christus de facto mereatur, & Deus ab illius meritis ex iustitia obligetur. Sicut ob applicationis defectum non meruit de facto Incarnationem Patris, etsi ad illam promerēdam fuerit sufficiens condignitas in operationibus Christi.

30 *Dices.* Sed dices: Christus in cœlo de facto, nec sibi, nec nobis meretur, vt ex dicendis Disputatione sequenti constabit; & tamen nō ob defectum solius applicationis: ergo ob defectum pacti, aut promissionis Dei; ac per consequens ad merendum efficacitér, inducendamque obligationem, pactum, vel promissio requiritur. Minor probatur: si namque ob defectum solius applicationis non mereretur in cœlo, sequeretur, quod si vellet sua merita applicare in cœlo existens, mereretur efficacitér; consequēs videtur falsum; aliàs vnde nosceremus, quod de facto nō mereatur: ergo quod in cœlo hominibus non mereatur, non oritur ex solius applicationis Christi defectu. *Respondetur.* Respondeo, negando minorem; sed ideò nunc in cœlo existens non meretur Christus nobis, quia sua merita nō applicat; quod autem illa non applicet, nascitur ex voluntate diuina, qua Deus statuit, vt nō operetur ex intentione merendi, & quod istam intētionem, ad meritumque applicationem non haberet, nisi in statu vitæ mortalis; cumque voluntas ista nota sit humanitati Christi; fit consequens, vt contra illam agere nequaquam possit.

31 *Arguitur secūdo.* Secundo arguitur: sine pacto, aut promissione non teneretur Deus satisfactionem Christi, adhuc negatiue acceptare, hoc est, aliam, non exigere à nobis, satisfactione Christi supposita: ergo pariter, nisi pactum, aut promissio intercederet, non teneretur Deus remunerari merita Christi. Consequentia ex dictis tenet. Antecedens autem probatur: nam opera Christi non satisfecerūt pro nobis, nos iustificando formaliter, & inæqualitatē ex peccato cōtractam formaliter, auferēdo; aliàs nos iustificassent formaliter, quod nullus Theologorum asseruit, sed nec asserere potest; cū sit contra Tridentinum *Sess. 6. de iustif. cap. 7.* sed tantum per modum meriti æqualis, nobis promerendo à Deo formam remissiuam offensæ, remittendique voluntatē: ergo adhuc, satisfactione Christi supposita, poterat Deus nos in peccato relinquere; & consequēter satisfactionem exigere, nosque in æternum punire, nisi intercessisset pactum de remittenda nobis offensa sub conditione satisfactionis Christi. Paret cōsequētia: tum, quia inter satisfactionem Christi, voluntatemque remissiuam, non est essentialis cōnexio: ergo illa posita, poterit ista non subsequi. Tum etiam, quia non alia ratione, stante creaturæ merito, potest Deus illi gloriam negare, nisi quia meritum nō glorificat formaliter, sed meritoriè effectiuè; at opera Christi

*Tridentinum*

*Cōsequētia probatur. 1.*

*Secundo*

ſi Domini non extinguunt offenſam noſtram formaliter, ſed meritorié effectiué: ergo, illis poſitis, poteſt remiſsio offenſæ non ſubſequi.

32 *Confirmatur, & urgetur difficultas.*

Et augetur difficultas; offenſus enim habet ius exigendi ſatisfactionem ab eodem, qui commiſsit offenſam: ac proinde non tenetur ſatisfactionem acceptare ab altero ſibi oblatam, niſi præceſſerit pactum non exigendi ſatisfactionem ab ipſo, qui offenſam intulit: ergo niſi pactum, aut promiſsio præcederet, non exigendi ſatisfactionē ab homine, ſuppoſita Chriſti ſatisfactione, non eſſet Deus ex iuſtitia obligatus ad eius acceptationem.

33 *Reſpõdetur.*

Reſpondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad cuius primā probationem dicatur: quod licet non ſit eſſentialis connexio inter remiſsionem offenſæ, & Chriſti ſatisfactionem; quia tamen illam efficaciter merebatur independenter à pacto, vel promiſsione, vt oſtendimus; Deuſque non poteſt contra iuſtitiæ rectitudinem operari; fit conſequens, quod in re poſita ſatisfactione Chriſti, & ab ipſo efficaciter ad remiſsionem offenſæ promerendam applicata, non poſsit remiſsio offenſæ non ſubſequi. Ad ſecundum, nego ſuppoſitū, ſi meritum creaturæ completum in ratione meriti ſupponatur, & cum morte cōtinuetur. Eſt autem hæc differentia inter opera creaturæ, & opera Chriſti Domini, quod illa, vt merita gloriæ ſint, pactum, promiſsionem vē prærequirunt; ſecus autem opera Chriſti, ſed tantum efficacē ipſius Chriſti applicationem ob rationem dandam infra.

*Differentia inter opera creaturæ, et opera Chriſti.*

34 *Ad cōfirmationē reſpōdet Cornejo.*

Ad confirmationem Cornejo vbi *ſupra ad 3. argumentum* reſpondet; antecedens eſſe verum, cum ſatisfaciens caput morale illius, qui offendit, non eſt, aut quando creditor ipſe non promiſſerat ſe cōdonaturum offenſam ſub conditione ſatisfactionis exhibitæ ab alio tertio; in Chriſto autem, & illius ſatisfactione reperitur vtrumq; & ideoq; non potuit Deus non acceptare illius ſatisfactionem. Hæc tamen ſolutio parū congruit præfati Auctoris doctrinæ: docuerat namque, vt vidimus, ſatisfactionem Chriſti ſine pacto, aut promiſsione Dei potuiſſe ipſum ex iuſtitia obligare: ergo recurrere ad promiſsionem diuinam, ad obligationem ſaluandam, nō eſt ſoluere argumentum, ſed propriam ſententiam deſerere. Deinde: nā Chriſtus Dominus nō fuit caput hominum morale ab intrinſeco, ſed ex Dei inſtitutione, & libera voluntate, quæ eſt virtualē pactum de acceptanda ſatisfactione Chriſti pro hominum peccatis oblata: ergo ſi ideò ſolum habuit vim obligandi Deum ad ſui acceptationē, quia erat caput hominum morale, non habuit vim obligandi ſine pacto, aut promiſsione diuina, cuius contrarium prædictus Auctor docuerat.

*Cōtra 1.*

*Secundo.*

Quare, hac relicta ſolutione, ad cōfirmationem reſpondeo, antecedens eſſe verum in ſatisfactione finitæ, & limitatæ dignitatis, qualis eſt ſatisfactio cuiuſvis puræ creaturæ; falſam autem in ſatisfactione infinitæ dignitatis, qualis fuit Chriſti Domini ſatisfactio: hæc namque ad omne, quod dignitatis eſt in præmio poſsibili, extenditur; & conſequenter, ſi à ſatisfaciente, ad illud merendum efficaciter applicetur, meretur efficaciter illud; vnius autem ſatisfactionem pro alterius offenſa acceptari, dignitatis eſt ex parte acceptationis; magis enim æſtimatur, quam acceptari pro offenſa eiuſdem, qui ſatisfactionem offert: vnde, quamuis ſatisfactio dignitatis finitæ, nequeat de condigno mereri, pro alterius offenſione, ſine antecedente offenſi voluntate acceptari; id tamen mereri poteſt ſatisfactio infiniti valoris, qualis Chriſti fuit ſatisfactio.

35 *Reſpōd. ergo ad cōfirmationem.*

Tertio arguitur, etſi in iuſtorum operibus, prout gratia iuſtificante informatis reperiatur condignitas ad gloriā promerendā; non tamē poſſunt eſſe merita condigna gloriæ, nec Deum ex iuſtitia ad largiendam gloriam obligare, niſi pactum, aut promiſsio præcedat ex parte Dei, de danda hominibus gloria ſub conditione onerosa: ergo pariter quamuis operibus Chriſti, prout per gratiam vnionis formatis, conueniat condignitas æqualis, imo & ſuperabundans ad merēdam nobis gratiam, ſine pacto, aut promiſsione onerosa, non erunt merita illius, nec Deum ad eius retri-

36 *Tertio arg.*

butio-

butionem, potuerunt ex iustitia obligare. Antecedens nunc supponimus ex frequenti ori sententia 1 2. q. 114 Consequentia vero probatur. Tum à paritate rationis. Tum etiam, quia non est minor proportio inter opera iustorum, & gloriam, vt conferendam ipsis, quam inter opera Christi, & gratiam conferendam hominibus; & tamen illa proportio non obstat, quominus ad rationem meriti condigni gloriæ, & ad obligationem inducendam in Deo ad illius collationem, pactum, promissionemque desiderent: ergo pariter proportio operationum Christi cum gratia hominibus conferenda nō obstat, quin, vt sint merita illius, Deumque obligent ex iustitia, pacto, & promissione indigeant.

*Consequentia probatur. 1.*

*Secūdo.*

37 *Tertio.*

Tum denique: nā merita puræ creaturæ, si pactum, aut promissio intercedat, possunt Deum ex iustitia obligare, quin ex hoc aliqua imperfectio Deo repugnans inferatur; & tamen si, pacto secluso, Deum ex iustitia obligarent, imperfectio esset in ipso: ergo pariter, quā uis obligatio iustitiæ Deo ex operibus Christi conueniens, pacto, aut promissione præcedente, nullam in Deo inferat imperfectionem; independens tamen à pacto, vel promissione, imperfectionem arguet in ipso; & consequenter difficit tertia nostræ conclusionis confirmatio, tertiumque, & præcipuum nostræ sententiæ fundamentum, quo destructo, & consequenter corruit nostræ conclusionis veritas.

38 *Respondetur.*

Huic argumento, prætermissā illorum solutione, qui parificantes opera primi hominis cum operationibus Christi, quantum ad meritum gloriæ sine pacto, & promissione, antecedens argumenti facti negant: hac, inquam, solutione omissa, quia frequentiori, & veriori forsan Theologorum sententiæ aduersatur, antecedenti concesso, nego consequentiam; ad cuius primam probationem, nego paritatem rationis; disparitas autem ex *proximè* dicendis constabit.

*Ad 1 cō. sequētiæ probationem.*

*Ad secūdam.*

Ad secundā, prætermissā maiori, & minori, nego consequentiā: nā quod opera iustorū sine pacto, aut promissione, nō possint Deum ex iustitia ad collationē gloriæ obligare, non nascitur ex improportione per modum condignitatis in actu primo sufficiētis cū gloria secūdā se, sed quia tota illorum dignitas peteſt à Deo ob alios titulos exigi, nempé, dominij supremij, nec non, gratiarum actionis; & cum ob suam limitationem ne queant ad æqualitatem duobus titulis satisfacere, si exigantur à Deo titulo supremi dominij, vel titulo gratitudinis, non possunt condigne ad gloriam promerēdam extendi: & ideo, vt ad gloriam cō digne promerendam se extendant, necessarium est, quod Deus illa non petat ob alios titulos, sed illis, veluti cedat, quod sine pacto formali, vel virtuali, de gloria conferenda sub ipsorum conditione nequit præstari; & idcirco, vt Deū obligent ex iustitia, pactum, aut promissio iam explicata requiritur.

39 *Condignitas operationū Christi adæquat omnes titulos collectiuè.*

Cæterum in operibus Christi, ob infinitum valorem, non solum reperitur condignitas ad gratiam conferendam hominibus diuisiue ab alijs titulis, verū etiam copulatiué cum illis: vnde quamuis exigerentur à Deo, vel titulo supremi Domini; vel titulo gratitudinis, si eli cerentur à Christo ex motiuo satisfaciēdi his titulis, & simul ex motiuo, & intētione hominibus gratiam merendi, prę fatis titulis sufficienter satisfacerent, & simul gratiam hominibus mererentur; quia ad omnia hæc simul sumpta sufficientem habent condignitatem: ac per consequens, vt efficaciter gratiā homini bus cōferendā mereātur, non præexigitur, quod Deo alicui titulo cedat; ac proinde nec quod formaliter, aut virtualiter paciscatur de conferenda homini bus, intuitu illorum, gratia. Iuxta quam doctrinā potest claritatis gratia, maior argumenti distingui: inter opera iustorum, & gloriam diuisiué ab alijs titulis, concedo maiorem: copulatiue cum illis, nego maiorem, vel suppositū maioris, & concessā minori, nego consequētiam: nam opera Christi Domini ob suā infinitatem, non solum proportionantur cum gratia hominibus conferenda diuisiué ab alijs titulis, sed etiam copulatiué cum illis.

40 *Ad tertiam cō. sequētiæ*

Et ex his ad tertiam consequentiæ probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam; ratio autem discriminis ex proximé dictis colligitur: etenim tota imperfectio, quæ in Deo

argui-

probationē respōdetur

arguitur ex obligatione iustitiæ per opera puræ creaturæ, consistit in eo quod tali obligatione posita, sequitur, vel Deū non potuisse eius opera exigere ex alijs titulis, vel quod illos adæquarent, & ad aliquid promerendum se extenderent, quæ imperfectio tollitur per promissionem, aut pactum: nam Deus promittēs gloriam sub conditione onerosa operū puræ creaturæ, voluntarié alijs titulis cedit; & ideo imperfectio foret, quod Deꝰ ex iustitia obligaretur operibus puræ creaturæ, sine pacto, aut promissione; secus autem pacto, vel promissione intercedente: in hoc autem, quod opera Christi exacta à Deo titulo supremi domini, vel titulo gratitudinis his titulis adæquate respondeant, & insuper ad aliquid promerendum se extendant, nulla imperfectio Deo repugnans importatur; eo quod, cum sint valoris simpliciter infiniti, absque vlla Dei imperfectione possunt hæc omnia præstare: vnde, si aliqua imperfectio constitueretur in Deo ex prædicta obligatione iustitiæ propter Christi operationes; non aliunde posset colligi, nisi, quia ab aliquo à se distincto ex rigore iustitiæ obligaretur, vt ex ratione formali proxima inducendi obligationem; cumque hæc ratio æque militet, siue pactū, & promissio intercedāt, siue nō interponantur, vt argumētabamur *supra*; fit cōsequens, quod, si promissione interposita, potest sine imperfectione Deus ex iustitia obligari operibus Christi Domini, rectè intuleri mus supra, nullam sequi imperfectionē in Deo, ex eo quod promissione, & pacto seclusis, possit obligationem istam subire.

41 *Ex his deducitur noua probatio nostræ sententiæ.*

Imo, ex his possumus nouum argumentum pro nostra sententia elicere: nā tota ratio, propter quam, vt Deus ex iustitia obligetur per opera puræ creaturæ facta in gratia, & charitate, pactum, vel diuina promissio requiritur, & non sufficit præceptum quod operetur; non aliunde potest sumi, nisi quia Deus potest ex mille alijs titulis opera creaturæ exigere, quibus nequeunt adæquatè respondere: vnde, vt Deus obligationē subinduat, pactum, aut promissio exigitur. at hæc ratio in operibus Christi non militat, cum possint ob suam infinitatē his titulis adæquatè satisfacere, & insuper ad aliquid promerendum extendi, *vt ex dictis disp. præcedent. §. 3. constat*: ergo, vt Deus ex iustitia obligetur operibus Christi Domini, nō est necessarium pactum.

Sed oppones aduersus istam solutionem primo: nam saltim poterat Deus imponere Christo præceptum vt sua merita non applicaret ad merendam gratiam hominibus; & consequenter, vt Christus illis mereretur gratiam, necessarium fuit, quod Deus hoc præceptum non imponeret: at hoc quod est, Deum hoc præceptum non imponere, est virtualiter, de gratia hominibus conferenda propter merita Christi, paciſci: ergo sine pacto virtuali non potuit ex iustitia meritis Christi obligari. Probatur minor: Deum velle, opera puræ creaturæ alijs titulis non exigere, sed illis veluti cedere, est virtualiter de gloria conferenda paciſci, vt proxime dicebamus: ergo pariter Deum velle, non imponere Christo præceptum de non applicandis suis meritis ad gratiam conferendam hominibus, est etiam virtualiter de illa conferenda paciſci.

42 *Contra istam solutionē oppones primo.*

Secundo: nam opera Christi Domini exacta à Deo titulo gratiarum actionis, hunc titulum non adæquarent: ergo, vt ad gratiam hominibus promerendā se extendant, necessarium est, quod Deꝰ non petat illa ex hoc titulo; ac per consequens, quod huic titulo veluti cedat, ex quo poterat omnes Christi operationes exigere, in quo, vt nuper dicebamus, pactum virtuale consistit. Antecedens, in quo solum est posita difficultas, ostēditur primo ex *Aristotele 8. Æthicorum cap. 13.* asserente, dijs, parentibus, & magistris æquale reddi non posse: ergo Christus non potuit Deo æquales gratias reddere pro beneficijs in humanitate susceptis; & consequenter nec titulo gratitudinis adæquatè respondere.

43 *Secundo*

*Antecedens probatur 1. Ex Aristotele.*

Secundo, quia vt docet D. Thomas 2.2. *q.* 106 *art.* 6 hoc inter compēsationē ex iustitia, & ex gratitudine versatur discrimen, quod ad perfectionē primæ sufficit æquale reddere; secus autem ad perfectionem secundæ, sed requiritur plus reddere, quam sit beneficium acceptum; at esto admittamus, potuis-

*Secūdo ex D.T.*

se

se Christum Deo æquualens reddere pro beneficio Incarnationis, suæ humanitati facto, non tamen potuit aliquid reddere Deo hoc beneficium excedens: ergo nec potuit titulo gratiarum actionis adæquate respondere.

44 *Tertio oppones contra solutionẽ traditã.*

Tertio obijcies: nam esto, ita sit, quod Christus possit pro beneficio Incarnationis, æquiualens Deo reddere, non tamen ipsius operationes hoc beneficium excedunt; cum sit infinitum bonum suæ humanitati concessum, quod in morali æstimatione nequit à merito Christi excedi: ergo si Deus Christi operationes exigeret titulo gratiarum actionis, non possent ad aliquid promerendum extendi, nec ab eius voluntate applicari. Patet consequentia: nam titulo gratiarum actionis pro beneficio susceptо adæquate exhaurirentur: ergo non possent ad aliquid promerendum extendi, nec Deum ex iustitia obligare; & cõsequenter, vt obligationem istam inducant, necessum est, Deum huic titulo cedere, in quo saltim virtuale pactum includitur, de conferenda hominibus gratia propter Christi operationes.

45 *Respõdetur ad primam obiectionem.*

Respondeo ad primam ex his obiectionibus, concessa maiori, & permissa minori, distinguendo consequens: sine pacto virtuali incluso in operibus Christi, vt ad præmium ordinatis, transeat cõsequẽs: operibus Christi addito, nego consequentiam. Itaque, quod in præsenti negamus, est necessitatem pacti non inclusi in meritis Christi applicatis, quod pactum necessarium est, vt homines de condigno aliquid mereantur à Deo; pactum autem virtuale, si quod est in illis, vt applicatis inclusum, non negat nostra conclusio: nam etiam, vt Christus mereatur, necessaria est Dei, voluntas applicans voluntatem Christi humanam ad opera virtuosa elicienda, & illa dirigenda in nostram vtilitatem, quæ voluntas potest virtuale pactum dici; cæterum si pactum est, includitur in meritis Christi applicatis; non enim poterat Christus aliquod opus elicere sine præuia voluntate Dei; idem dicimus de voluntate non imponendi Christo Domino præceptum; cum enim humana Christi voluntas omnino sit impeccabilis, si illi præceptũ imponeretur, quod pro hominibus sua merita non applicaret, repugnaret Christo huiusce mo di applicatio: ac proinde negatio huius præcepti clauditur in meritis Christi applicatis: vnde, dato, quod voluntas ista non imponendi præceptum virtuale pactũ sit, nihil contra nostram conclusionem colligitur.

46 *Ad secundam.*

Ad secundam, nego antecedens. Ad primam probationem dicatur, Aristotelem loqui de puris creaturis, quæ non possunt dijs, & parentibus æquiualens reddere in re, hoc est, dijs, & parentibus vitam, vel aliquid vitæ æquiualens, nec magistris scientiam ab ipsis acceptam; magistri enim munus in ratione magistri non est discere, sed docere, non accipere, sed dare, vnde discipulus, vt talis, magistrum nequit docere; non autem colligitur exinde, quod Christus pro beneficijs suæ humanitati factis, non possit reddere æquiualens in morali æstimatione, quod sufficit, vt adæquatè moraliter ex gratitudine satisfaciat. Ad secundam probationem dicatur; ad compensationem perfectam ex gratitudine non requiri, plus reddere in re, quam sit beneficium acceptum; sed sufficere reddere plus in affectu, vt constat ex D. Thoma *loco in argumento allegato ad primum argumentum*: vnde quamuis demus, Christum non plus in effectu reddere quam sit beneficium acceptum, quia tamen sic erat affectus conditionate, vt, si posset, plus donaret; fit cõsequens, quod perfectè ex gratitudine compensauerit beneficia suæ humanitati facta.

*Ad primã probationẽ antecedentis.*

*Ad secũdam.*

47 *Ad tertiam obiectionẽ respondetur primo.*

Ad tertiam, respondeo primo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius probationem dicatur, exhauriri vnam Christi operationẽ ab hoc titulo intensiue; secus autem extensiuè, quod sufficit, vt possint ad homini bus promerendum extendi, iuxta dicta *disp. præced. §. 3.* Vel secundo ex doctrina ibidem tradita responderi potest, negando antecedens; sicut enim meritum operationum Christi nequit causalitatem meritoriam exercere supra Deitatem, vel personalitatem secũdum prædicata ab illis in recto importata, sed solum supra vnionem personalitatis Patris ad nostram humanitatẽ, quæ vnio finita est; & consequenter inferior in ratione

*Secũdo.*

præ-

præmij ad dignitatem vnius Christi operationis: ita gratiarum actio pro beneficio Incarnationis ab humanitate susceptо, non ad id, quod personalitas Verbi in recto importat, se extendit, nec potest extendi, sed solum ad vnionem personalitatis ad humanitatem Christi, quæ dignitatem operationis Christi nō adæquat in morali æstimatione; sicut enim meritum est causa moralis præmij: ita gratiarum actio suo modo causat moraliter beneficium iam susceptū, quatenus obligationem ab illo exortam extinguit. Quia tamen doctrinam istam, vt parum conformem nostris principijs reiecimus: ideò primæ solutioni est standum.

## §. Vltimus.

### *Cætera argumēta diluuntur.*

48 *Arg. 4. ex D. T.*

QVARTO arguitur ex D. Thoma 2.2 *q.* 106. *art.* 1. *ad* 2. illis verbis: *Dicendum, quod retributio proportionalis pertinet ad iustitiā commutatiuam, quando attenditur secundum debitum legale, puta, si pacto firmetur, vt tantum pro tanto retribuatur, sed ad virtutem gratiæ, siuè gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex debito honestatis*; sed vt docet idem D. Thomas 2. 2. *q.* 80. *art.* 1. *in corp.* debitum strictæ iustitiæ est debitum legale, & strictum: ergo iuxta D. Thomam nequit Deus ex iustitia stricta ad aliquid retribuendum obligari, nisi interuenien te pacto de tanto pro tanto retribuendo; & consequenter non potuit meritis Christi obligari ex stricta iustitia, nisi pacto interueniente.

*Respōdetur.*

Respondeo: pactum onerosum à D. Thom. exigi ad debitum legale, vel strictum, quod petit iustitia stricta, vt necessarium inter puras creaturas inter se, & cū Deo cōparatas; nequit enim vn⁹ homo alteri ex iustitia stricta ad aliquid retribuendum obligari, nisi interueniente pacto formali, hoc est paciscēdo expressé de tanto pro tanto reddendo, aut virtuali, hoc est, alteri aliquid præcipiendo, vt puta, laborare in vinea sua, si titulo seruitutis, vel alio, ei nō poterat laborem præcipere, nec Deus potest homini ex iustitia stricta obligari, nisi pactum de retribuendo præcedat, ratione superius tradita; exigi etiam, vt sufficiens ad obligationem in Deo vniuersaliter, etiam respectu Christi inducendam; non tamen, vt necessarium omnino: ita vt sine illo nequeat obligatio strictæ iustitiæ oriri. Iuxta quam explicationem, concessa, & negata maiori, & concessa minori, nego consequentiam.

49 *Secūdo respondeti potest.*

Vel secundo respondeti potest, explicando D. Thomam, de pacto formali, vel virtuali, non verò de pacto expresso, & formali: ita vt hoc semper necessarium sit; pactum autem virtuale inclusum in meritis Christi applicatis ad merendam gratiam, & gloriam hominibus, non negamus, ad meritum Christi requiri, & de facto interuenisse; Deus enim volens efficaciter, vt Christus per voluntatem humanam suas actiones applicaret ad hæc dona hominibus promerenda, illique ordinationem istam præcipiens, vel mortem sustinere pro hominū redemptione, virtualiter promisit se satisfactionem Christi pro hominum salute accepturum, & dona à Christo promerita hominibus largiturum: aliud autem pactum in præcepto operandi, aut voluntate applicandi voluntatem Christi humanam ad merendum non inclusum, non esse necessariū, vt Deus meritis Christi ex stricta iustitia obligetur, in nostra conclusione defendimus.

50 *Dices.*

Sed dices; licet præceptum, quo vn⁹ homo alteri sibi non seruo, vel alio titulo adstricto, laborem in vinea præcipit, pactum virtuale includat, ratione cuius ex stricta iustitia ad retribuendum aliquid obligetur, vt autem sibi seruo obligetur, pactum superadditum ad præceptū exigitur; sed Christus, vt homo, fuit Deo titulo seruitutis subiect⁹, vt docet D. Tho *q. seq. art.* 1. *ad* 2. ergo Deus Christo, vt homini, præcipiens laborare in vinea sua pro hominum redemptione, volensq; vt suas actiones applicet ad merendam hominū redēptionem; non

ideò virtualiter paciſcitur de illius ſatiſfactione acceptanda, aut largiendis donis hominibus; & cõſequẽter, vt ad hæc ex iuſtitia obligaretur, neceſſarium fuit pactum his omnibus ſuperadditum, nõ minus, quam, vt puris obligetur hominibus

51 *Reſpõdetur.*

Reſpondeo, conceſsis maiori, & minori, negando conſequentiã; ratio autem diſcriminis eſt: quia, vt docet D. T. *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2. ad 2.* ſeruus ſeruitute legali ſui iuris non eſt, nulliuſq; dominium habet, ſed quidquid illi cõpetit, Domini eſt poſitiuẽ, & priuatiuẽ, & ideò per laborẽ à domino ſibi præceptum, illum obligare non poteſt, niſi Dominus per pactum, aut promiſsionẽ iuri dominij renuntiet; ſeruus autẽ ſeruitute naturali, quo genere ſeruitutis Chriſtus, in quãtum homo, Deo ſubijcitur, eſt ſuorum actuum Dominus: vnde huiuſcemodi actus, etſi poſitiuẽ ſint Dei, non tamen Dei ſunt priuatiuẽ, ſed etiam ſunt Chriſti, vt hominis; & aliàs obſuã infinitatẽ (vt per hoc tacitæ obiectioni occurramus) ad omnem titulũ, ex quo à Deo exigantur, ſufficiunt, & ſimul ad retributionẽ quamlibet promerẽdam: ac proinde Deus Chriſto, vt homini præcipiens, vt pro hominibus offerat condignam ſatisfactionem, vel eius voluntatẽ mouens, vt ſua merita efficaciter applicet ad aliquid illis merendum, virtualiter paciſcitur de ſatisfactione Chriſti acceptanda, & de retribuendis donis, ad quæ merenda, operationes Chriſti applicantur; & ideò, vt Deus ad hæc ex iuſtitia obligetur, novum pactum neceſſarium non eſt.

52 *Quinto arg.*

Quinto arguitur: Deũ meritis Chriſti ex iuſtitia obligari ſine pacto, & promiſsione, imperfectionẽ maximã dicit: ergo talis obligatio in ipſo conſtituenda non eſt. Antecedens oſtenditur primo: nemo poteſt à iure ſibi proprio ex iuſtitia obligari: ergo, vt iure in meritis Chriſti fundato Deus ex iuſtitia obligetur, neceſſario requiritur, quod ius meritorium Chriſti à Dei eximatur dominio, quod imperfectio maxima eſt.

*Antecedens probatur 1.*

*Secũdo.*

Secundo probatur: obligari alteri ex iuſtitia ſine pacto, aut promiſsione, dicit inferioritatẽ, ſubordinationemq; ad illũ, cui quis obligatur; ſed inferioritas, ſubordinatio, & ſubiectio, imperfectio maximã eſt: ergo Deum operibus Chriſti Domini, aut iure in illis fundato ex ſtricta iuſtitia obligari ſine pacto, & promiſsione, imperfectionem Deo repugnantem dicit.

53 *Tertio.*

Tertio: Deum non eſſe ſupremum Dominum cuiuſvis doni creati, imperfectio maxima eſt; ſed ſi meritis Chriſti ſine pacto, & promiſsione ex iuſtitia ſtricta obligetur, ſupremus Dominus donorum gratiæ hominibus impertiendæ non erit: ergo illis ex iuſtitia ſine promiſsione, aut pacto obligari, imperfectionẽ Deo repugnantẽ dicit. Conſequutio cũ maiori tenet. Minor autẽ in hunc modum probatur; etenim dominium conſiſtit in facultate vtendi re ſua in quoſcumque vſus ſine alterius iniuria: ergo ſi poſitis Chriſti Domini meritis, & abipſo ad dona gratiæ hominibus promerenda ordinatis, non poteſt illis prædicta dona negare ſine iniuria Chriſto irrogata, ſuprem⁹ dominus donorum gratiæ hominibus impertiẽdæ, non manet; cum licet poſsit ſine iniuria facta Chriſto prædicta dona impertiri, nõ tamen poteſt huiuſcemodi dona negare ſine iniuria Chriſto irrogata; ac per cõſequens, non poteſt vti illis donis in quoſcumq; vſus ſine alterius iniuria.

54 *Vltimo.*

Deniq; primũ antecedens probatur; Deum ex iuſtitia meritis Chriſti obligari ſine pacto, aut promiſsione, non compatitur cum ſupremo Dei dominio ſupra ius in meritis Chriſti fundatum; ſed prædictum ius eximere à ſupremo Dei dominio, imperfectio maxima eſt: ergo Deum ex iuſtitia ſine promiſsione, aut pacto meritis Chriſti obligari, debet imperfectio cenſeri. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: dominiũ eſt facultas vtẽdi re ſua in quoſcũque vs⁹ ſine iniuria alteri⁹: ergo ſi Deus eſt ſupremus Dominus iuris in meritis Chriſti fundati, poteſt tale ius ſine iniuria Chriſti deſtruere; & ex conſequenti irremuneratũ relinquere: nã, quæ maior irremuneratio, quã iuris deſtructio, & ex oppoſito, ſi non poteſt Deus ſine iniuria Chriſti, ius ipſius meritoriũ irremuneratum relinquere, non poteſt illud deſtruere, cum quo non compatitur ſupremum in prædictum ius dominium.

55 *Respõd. Ad 1. antecedentis probationẽ.*

Respondeo, negando antecedens. Ad cuius primam probationem, distinguo antecedens: à iure sibi proprio positiué, & priuatiué, concedo antecedens: à iure sibi proprio tantum positiué, nego antecedens, & consequentiam: vt enim iure in meritis Christi fundato Deus ex iustitia obligetur, sufficit, vt quamuis tale ius sub Dei contineatur dominio; sit etiam sub dominio Christi, & hoc est, esse sub dominio Dei positiué, & non priuatiué: ac per consequens necessarium non est, quod à supremo Dei dominio excludatur, nec sequitur Deum sibi ex iustitia obligari: quia licet obligetur à iure, quod est sui dominatiué; non tamen à iure suo denominatiué, hoc est, Deum merentem denominante; vt autem sibi obligaretur, necessarium erat, hoc secundo modo esse suum; sicuti ex eo quod ius meritorium Christi, Dei sit, & sub Dei supremo, & vniuersali dominio, nõ sequitur Deum merentem constituere; eo quod denominatio ista solum tribuitur à merito, subiecto, cuius est elicitiué, ac denominatiué, non verò illi subiecto, cuius tantum est effectiué, & vt causæ primæ vniuersalis.

56 *Ad secũdam.*

Ad secundam, distinguo maiorẽ; si obligatio oriatur ex iure independente à subiecto obligato, concedo maiorem: ex iure dependente ab illo, nego maiorem: & concessa minori, nego cõsequentiam: quia ius meritoriũ Christi, ex quo Deus ex iustitia obligatur, nõ est indepẽdẽs à Deo, sed depẽdet ab illo in fieri, & conseruari; & ideò nõ arguit inferioritatem, subiectionem, aut subordinationem in Deo; sicut necessitas non orta ab aliquo Deo libero, ab ipsoque independente, imperfectionem Deo repugnantem argueret; non autem necessitas orta ab aliquo dependente à Deo in fieri, & conseruari, vt constat in auxilio efficaci, quod semel collatum, Deum ad concursum simultaneũ, sine vlla imperfectione necessitat, quia à Deo in fieri, & conseruari dependet.

57 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem: ad cuius probationem explico antecedens: in facultate absoluta, & antecedenti vtendi re sua absque iniuria alterius, concedo antecedens: in facultate consequenti, & à qua cumque necessitate ex suppositione expedita, nego antecedens, & distinguo consequens distinctione antecedentis. Maner enim Deus, suppositis meritis cum facultate antecedenti non dandi hominibus gratiam sine iniuria Christo facta non autem cum facultate consequenti, & ab omni necessitate ex suppositione expedita. Primum habet, quatenus potest, ius Christi meritorium extinguere, illoque extincto gratiam sine illius iniuria homini non impertiri; supposita vero voluntaria iuris Christi efficientia, illiusque conseruatione, necessitatus manet Deus ad illud remunerandum; hæc tamen necessitas, sicut supremæ Dei libertati in ratione necessitatis non obstat: ita in ratione obligationis, nõ pugnat cum supremo dominio.

58 *Ad vltimam.*

Ad vltimam antecedentis probationẽ, nego maiorem: ad cuius probationẽ, concesso antecedenti, & prima consequentia; vel nego secundam: ius enim irremuneratum relinquere, in rigore dicit, quod iure manente, retributio nõ fiat; in casu autem, quo Deus ius meritorium Christi destrueret, vel extingueret, hoc non contingeret: & ideò verũ in rigore non est, ius meritorium Christi irremuneratum relinqui; cum ius illud non relinquatur, sed destruatur, vel extinguatur à Deo ratione supremi dominij. Vel claritatis gratia, distinguo cõsequens subillatum: ius Christi irremuneratum relinquere supposita iuris voluntaria Dei conseruatione, aut non extinctione, vel non destructione, nego consequentiam: si ius supponatur liberé destructum, vel extinctũ à Deo, cõcedo cõsequentiã; & hoc sufficit, vt Deus in vi meritorum Christi maneat ex iustitia obligatus, quod, scilicet, supposita iuris conseruatione, nõ possit absque iniuria Christi præmium negari; & sicut huic obligationi ex stricta iustitia non obstat dependentia iuris à Deo, quam habet in fieri: ita nec obstare potest, quod ab ipso dependeat in conseruari.

59 *Totum hoc argumentũ æ*

Et quidem totum argumentum æquali efficacia militat contra obligationem ex iustitia, pacto, & promissione suppositis: nam etiam supposita pro-

quæ militat contrariorū sententiam.

missione de remunerādis meritis Christi, ius istorum meritorum Dei est dominatiué; & tamen obligatur ab illo, Deumque ex iustitia obligat; & tamen ipsum Christo non subordinat, nec subijcit; Deus etiam manet supremus Dominus gratiæ hominibus largiendæ, & tamen non potest illam homini negare absque iniuria facta Christo, & etiā perseuerat Deus supremus Dominus iuris meritorum Christi: ac per consequens illud extinguere potest, quin ex hoc inferatur, ab illo non obligari obligatione ex iustitia: ergo contra nostrā sententiam argumentum factum peculiater non vrget; sed est difficultas illi, & alteri sententiæ pactum exigenti, cōmunis.

60 Instabis primo.

Sed instabis aduersus istam solutionem primo, non solum extincto iure meritorum Christi, sed etiam illo perseuerante, si promissio secludatur, potest Deus gratiam, & cætera dona hominibus denegare; sed si ius meritorum Christi, secluso pacto, esset strictæ iustitiæ, non posset illo perseuerante Deus prædicta dona negare: ergo sine pacto, aut promissione diuina nō datur in meritis Christi ius rigorosæ iustitiæ; & cōsequenter Deum ex iustitia non obligant. Consequutio legitima est. Minor certa; Deus enim iniustus esse non potest; esset autem si frangeret ius alterius, quod esset strictæ iustitiæ. Maior autem in hunc modum probatur; perseuerante iure homini præstito à gratia ad gloriam per modum hæreditatis, potest de potentia absoluta gloriam homini non dare, & quod magis est, perseuerante in humanitate Christi iure ipsi præstito à gratia infinita vnionis, potuit Deus illi gloriam non conferre: ergo pariter perseuerante iure meritorum Christi, quibus meruit hominibus dona gratiæ, potuit Deus huiuscemodi dona hominibus non conferre.

61 Secūdo.

Secundo: si perseuerante hoc iure, non posset Deus prædicta dona non dare, sequeretur, posse Christum illa exigere, extorquereque à Deo, quamuis inuito; consequens absurdum est: ergo falsum, quod Deus hoc iure perseuerante, non possit dona enumerata non dare. Patet sequela: quia homo nequit rem promeritam ex iustitia negare, iure meritorum alterius hominis stante, potest, quamuis inuitus, ad retributionem cogi: ergo si Deus non potest dona hominibus promerita, stante iure Christi negare, potest, quāuis invitus ad illorū largitionem adstringi. Tertio: si Deus non posset agere contra ius Christi, nisi extinctum, aut destructum, dependeret ab hoc iure; at hoc concedi non potest; Deum namque ab aliquo extra se dependere, etiam voluntariè cōseruato, esset ingens impefectio: ergo potest iure meritorum Christi non extincto, vel destructo sine iniuria Christi agere contra hoc ius. Quarto: nam sequitur ex solutione data ad vltimam antecedentis probationem: Christum non meruisse hominibus dona gratiæ, vt infallibiliter cōferenda. Consequēs videtur falsum; aliàs Deus illa impertiēs nō operaretur obligatus ex iustitia: ergo, & prædicta solutio. Probatur sequela: illa dona nō erant infallibiliter danda hominibus à Deo, nisi iure non extincto; sed hanc iuris non destructionem, nō meruerūt operationes Christi; aliàs sui conseruationem meruissent: ergo Christus suis meritis non meruit dona hominibus, vt infallibiliter conferenda.

Tertio.

Quarto.

62 Respōd ad 1. obiectionē

Ad primam ex his obiectionibus respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; ratio autem discriminis est: nā ius fundatum in gratia, siué habitualis sit, siué vnionis substantialis, est ius, vel connaturale, vel moralis condecentiæ, contra quod agere non est imperfectio moralis; potest enim Deus producta essentia suspendere passionum effluxū, etiam si debeantur debito connaturalitatis, & posito merito congruo, si promissio secludatur, potest Deus præmium negare, quia ius meriti de congruo est ius condecentiæ; quin in aliquo ex his casibus moralis aliqua imperfectio priuatiua constituatur in Deo; & ideò perseuerante iure in gratia habituali, siué vnionis fundato, potest Deus hæreditatem non dare; ius autē meriti de cōdigno est ius strictæ iustitiæ, quod violare, moralis est imperfectio; & ideò non potest Deus,

hoc

hoc iure perseuerante, retributionem negare.

63 *Ad secundam.* Ad secundam, nego sequelam. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: & ratio differentiæ est: nam ius, quo vnus homo alium obligat ex iustitia, nō dependet à libera voluntate obligati; & ideò, quāuis sit in solutione invitus, potest ab ipso extorquere solutionem; cæterum ius meritorium, in fieri, & conseruari à diuina voluntate dependet: ac per consequens Deo voluntaria est obligatio ex prædicto iure resultans; cum quo non compatitur violenta istius iuris obseruatio, aut violenta solutio. *Ad tertiam.* Ad tertiam, nego sequelam; tunc enim solum obligatus à iure obligante dependet, quando ius obligans, illi voluntarium non est; secus autem quando est voluntariū, & quia ius meritorium, Deo voluntarium est, nequit Deus ab hoc iure, vel à merente dependere. *Si dicas* Si dicas, ius meritoriū est causa obligationis Dei: ergo Deus vt obligatus, à iure meritorio dependet, quod est inconueniens. *Respōd.* Respō deo, negando antecedens: nam licet obligatio inter homines à iure vnius in alterum, tanquam a causa sumatur, in Deo non ita contingit, sed prouenit à summa suæ voluntatis rectitudine; & ideò, nec etiam vt obligatus, ab extrinseco iure dependet.

64 *Instabis adhuc.* Si instes, rectitudo voluntatis diuinæ, qua obligatur ad ius non violandum, est rectitudo iustitiæ commutatiuæ, vt in præsenti supponimus; sed iustitia ex proprio conceptu specificatur ab alieno iure: ergo saltim specificatiué dependet rectitudo voluntatis diuinæ, & obligatio iustitiæ à iure in meritis Christi fundato. *Respōdetur.* Respondeo: sicut amor amicitiæ, quo Deus diligit rationales creaturas, non mouetur formaliter à bonitate illarum in se, sed prout in diuina bonitate eminenter contenta, vt dicemus *Tract. de Charitate 2. 2. quæst. 23. art. 1.* etsi amor amicitiæ, quo vnus homo alterum diligit, ab illius bonitate, prout in se ipsa moueatur, specificeturque: ita quamuis iustitia, qua vnus homo alteri tenetur, ab illius iure in se ipso specificetur; iustitia tamen Dei non à iure creato in se ipso, sed prout in Dei bonitate contento; de quo plura *loco allegato, & 1. p. quæst. 19. art. 1.*

65 *Ad quartam.* Ad quartam, distinguo consequēs: vt infallibiliter conferenda absolutè, concedo sequelam: vt infallibiliter conferenda infallibilitate ex suppositione conseruationis, seu non extinctionis iuris, nego sequelam; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nec sequitur Deū conferentem dona, nō operari obligatum ex iustitia: nā licet taliter conferret, quod posset illa non dare potentia antecedenti, & per iuris extinctionem sine iniuria facta Christo; non tamen poterat talia dona non conferre suppositā iuris conseruatione potentia consequenti: & hoc sufficit, vt hæc dona hominibus conferens, actum iustitiæ erga Christum exerceret. Et quidem etiam militat obiectio facta in obligatione Dei, ipsius promissione supposita: nam etiam, tunc casus, Deus, vtpote, supremus Dominus iuris, posset extinguere illud per potentiam antecedentem, qua potentia non obstante, saluatur obligatio ex iustitia. *Hæc obiectio etiā militat in obligatione Dei suppositā promissione, vel pacto.*

66 *Dices.* Dices: pacto Dei interueniente de non extinguendo iure in meritis fundato, esse infallibile omnino, non extinguendum à Deo: ergo etiam erit omnino infallibilis donorum gratiæ collatio intuitu meritorum Christi; at si excludatur promissio non est omnino infallibile, ius Christi non extinguendū; ac per consequens, nec illius retributio: ergo non est eadem ratio promissione interueniente, ac promissione secluſa. *Respondetur.* Respondeo; promissionem diuinam dupliciter posse intercedere. Primo, si Deus promittat, se merita præmiaturum nulla conditione explicata, nec etiam subintellecta. Secundo, sub aliqua conditione explicita, vel implicita, nempé, si merens iuri nō cedat, nec Deus, vt potest, extinguat illud: si hoc secundo modo fiat, non redditur infallibilis retributio meritorum; cum Deus maneat expeditus, vel ad extinguendū ius, vel ad obligandum merentem, vt prædicto iuri cedat, qua cessione interueniente, Deus expeditus maneret ad non retribuenda merita. Si verò priori modo contingat, etsi Deus maneat po-

tens per potentiam antecedentem ad ius meriti extinguendum; non tamē potentia consequenti, est autem illius potentia impedita per promissionem de non extinguendo iure. Vnde infallibilis erit iuris non extinctio, aut destructio; cæterum hæc infallibilitas non nascitur ex iure supra meritum fundato; cum nequeat ius meritorium ad sui conseruationem, siué non extinctionē terminari; sicut nec meritum sui conseruationem mereri, sed ex promissione diuina, quæ solum induit obligationem fidelitatis: vnde quantum ad obligationem iustitiæ nulla differentia est, siué intercedat, siué non intercedat promissio. Et hæc de ista Disputatione applicanda litteræ Magistri, vbi Disputatio præcedens, *& in 3 dist. 20. §. 2* ad illa verba: *Sed qua iustitia? Iesu Christi.* M. Sēt.

# DISPVTATIO QVADRAGESIMASEPTIMA.

## Quo tempore Christus meruerit?

## §. I.

*Referuntur sententiæ, & prima conclusio statuitur.*

Nu. 1. QVATVOR sunt tempora, de quibus in dubium vertimꝰ, an Christus in illis meruerit, nempé, primum instans conceptionis, reliquum vitæ tempus vsque ad mortem, ipsum instans mortis, & tempus, quod post Christi mortem successit. Prima sententia negat, Christum in primo instanti conceptionis meruisse, quam, vt probabiliorem sequuntur Albertus Magnus *in tertio distinctione 18. articulo sexto.* Divus Bonauentura *articulo primo, quæstione secunda.* Alensis *tertia parte quæstione 17. membro secundo, articulo primo*, & Durandus *in tertio distinctione 18. quæstione secunda, numero septimo.*

Prima sētētia. *Albert. Magn. D. Bon. Alensis. Durād.*

Secunda per extremum affirmat, meruisse Christum, non solum in hac vita mortali, sed etiam post mortem: ita quidam, quos sine nomine refert Vincentius *loco vbi infra*: pro qua etiam refertur Raguſa *tomo secundo disputatione quinta.* Tertia, Christi meritum à primo instanti conceptionis, vsque ad instans mortis inclusiué protendit, & asserit in instanti terminatiuo suæ vitæ, & mortis inceptiuo meruisse: illam tenet Caietanus *infra quæstione 50. articulo sexto, §. ad primum, & secunda secundæ quæstione 124. articulo quarto vers. ad secundum Martini argumentū.* Tenet etiam Puente-Hurtado *disputatione 62. sectione decima.* Quartam, ve-

Secūda. Raguſa. Tertia. Caiet. Puente-Hurt. Quarta.

ram-

ramque sententiam tribus assertionibus explico.

2 *Prima cõclusio M. Sẽt. Sco:, Richar. Palud. Cartus. Gabr. Almai. Caiet. Medin. Nazar. Lorca. Cabrera Aluar. Araujo. Zippul. Vincẽt. Vazq̃ & Suar. Merat. Lugo. Censura oppositæ sententiæ*

PRIMA SIT. *Christus meruit in primo suæ conceptionis instanti.* Ita communiter Scholastici cum Magistro *in 3. dist.* 18. vbi Scotus *q. vnic. §. Est igitur.* Richardus *art.* 1. Paludanus *q.* 1. *art.* 1. Cartusianus *q.*2 Gabriel *q. vnic. art.* 2 & Almainus *q.*1. Tenent etiam omnes Theologi Recentiores cum D. Thom. *infra q.* 34. *art.* 3. Vbi Caietanus, Medina, & Nazarius, *& in præsenti art.* 3. *ad* 1. vbi Lorca *disp.* 74. Cabrera *disp.* 3. Aluarez *disp.* 44. Araujo *dub.*2 Zippullus *dub.* 4. 5. & 6. Vincentius *de Gratia Christi q.* 5. *pag.* 468. Alijque Recentiores. Tenent etiam ex Patribus Societatis Vazquez *disp.* 75. & 76. Suarez *disp.* 39. *sect.* 3. Meratius *de Incarnatione disp.* 45. *sect.* 1. & 2. Cardinalis Lugo *disp.* 27. *sect.* 4. Cæterique Recentiores. Ex quibus Medina contrariam sententiam periculosam censet, Vincentius parum securam; alij autem nostræ sententiæ, vt probabiliori adhærentes ab omni abstinent censura; sed certè sententia oppositа his temporibus vix potest defendi ob vnanimem Theologorum, præter relatos, consensum.

3 *Prob. cõclusio ex Paul. ad Hebr. c.* 10.

Quidquid tamen de hoc sit, probatur nostra cõclusio primo ex illo Pauli ad Hebræos 10. illis verbis: *Ingrediens in mundum dixit; Hostiam, & oblationem noluisti; tunc dixi, ecce venio:* quẽ locum ad rem præsentem erudité expendunt Medina, & Vincentius *supra*; etenim iuxta Paulum, Christus ingrediens in mundum se obtulit morti, & passioni, quæ oblatio, cum libera fuerit, non est, cur meritoria non fuerit; sed Christum ingredi in mundum, si pressé verba accipiantur, qualiter accipi debent, solum verificatur in primo conceptionis instanti: ergo in illo Christus meruit. Minor probatur; non enim verificatur de Christo ante primũ suæ conceptionis instans: tunc enim verum cum proprietate non est, quod ingrediatur in mundum, sed quod ingressurus sit, nec de tempore sequenti; tunc enim iam est ingressus: ergo Christum ingredi in mundum, si pressé accipiantur verba, solum verificatur in primo conceptionis instanti.

4 *Respondebis* 1.

Respondebis primo ex Vazquio, & Lorca vbi supra: ly *ingrediens in mundum*; & ly *tunc*, non referri ad primum instans conceptionis Christi, sed indifinité ad tempus, quo Christus fuit in hoc mũdo; nec in priori sensu aliquẽ ex PP. præter Divum Thomam, prædicta verba accepisse: ac proinde ex hoc Pauli testimonio non colligitur efficaciter nostræ conclusionis veritas. Vel secundo respondebis: quod licet de Christo, pro tempore ad primum instans sequente, non verificetur in rigore metaphysico ingredi, sed esse ingressum, verificatur in rigore morali: nam, quod parum distat, nihil distare videtur, parumque pro nihilo reputatur. *Secũdo.*

5 *Cõtra* 1.

Sed contra primo: nam allegata Pauli verba ad primum instans Incarnationis referunt Divus Thom. & Theophilatus; alij autem Patres huic intelligentiæ non obsistunt, nec vnquam cõtrarium decuerunt, imo forsan supposuerunt, & omnes Scholastici huic acquiescunt interpretationi: ergo sic sunt accipienda. Secundo: quia negari non potest pressius accipi ad primum instãs conceptionis Christi relata, & in rigore metaphysico sumpta, quam pro tempore, quo vixit in mundo, etiam proximo ad primum instans; & aliàs ex eo quod sic accipiantur, nullum sequitur absurdum: ergo sic accipi debent. *Secũdo.*

Tertio: nam Christus in primo instanti habuit perfectum vsum rationis, vt docet D. Thomas *infra quæst.* 34. *art.* 2. constatque ex illo Hieremiæ 31. *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circũdabit virum*; ideſt Christum, iuxta omnes Ecclesiæ Patres, qui, vir quando primo in vtero Matris circundatus dicitur à Hieremia, non corporali fortitudine, sed virilitate rationis: vnde Zachariæ 6. *Vir oriens*, dicitur Christus, quia à primo in hunc mundum ortu, qui est natiuitas in vtero, virili ratione pollebat, ob quam etiam causam Angelus non conceptum, sed natum annuntiauit in vtero, vt recté ad rem præsentẽ expendit Vincentius *supra*; sed perfectio vsus rationis non habetur sine actu per rationem regulato, & à voluntate liberé elicito: ergo Christus in primo suæ conceptionis instanti se in actu *Tertio.* *Hier.* 31 *Zac.* 6.

liberovoluntatis exercuit, cumq; huic actui nihil ad meritum requisitum defuerit, asserendum est, meruisse in primo conceptionis instanti.

6 *Respõdebis ex Durãdo*

Respondebis ex Durando vbi *supra num.* 10. Christum à primo instanti conceptionis fuisse perfectum virum, quoad habitus scientiæ, gratiæ, atque virtutum, in quibus consistit meritum virtualiter, & in radice; non tamen fuisse perfectum virũ quoad vsum, in quo consistit formaliter meritum, excepto actu visionis beatæ, qui magis est præmium, quam meritum. Sed contra primo: nam habitus supernaturales ad suos actus non expediti, non constituunt virum in ordine supernaturali; aliàs pueri recipientes Baptismum, & in illo habitus gratiæ, fidei, spei, & charitatis, dicerentur viri in ordine gratiæ, quod nullus hucusq; admisit: ergo habitus isti, etiam quantumcumque perfecti, dum modo ad operandum expediti nõ sint, nequeunt perfectum virum in habitu constituere; sed iuxta Durandum habitus infusi Christo in primo conceptionis instanti nõ fuerunt expediti ad actiones meritorias: ergo ipsum non constituebant virum perfectum in habitu: vel si fuit ratione illorum vir in habitu perfectus, fuerunt illi habitus expediti ad operandum; quo admisso, nequit negare Durandus, de facto operatum fuisse Christum actus volũtatis liberos in primo conceptionis instanti: ac proinde meruisse.

*Cõtra* 1.

*Secũdo.*

Secundo: nam iuxta Durandum *in* 3 *dist.* 14. *q.* 1. *num.* . ideo anima Christi fuit à primo instanti conceptionis beata; quia decuit, vt natura assumpta ad supremum esse, quando primo assumpta fuit, eleuaretur ad supremum operari tali naturæ possibile, qualis est visio beata; sed natura humana Christi, non solum vt potens operari necessario, sed etiam vt radicaliter liberé operatiua, fuit ad supremum esse assumpta: ergo decuit pro illo tunc eleuari ad supremum liberum operari, qualis est actus liber charitatis.

7 *Prob. cõclusio 2.*

Secundo probatur conclusio: omnis dignitas, vel perfectio possibilis cum maiori non incompossibilis, nec cum munere Redemptoris, concedenda est humanitati Christi, nisi oppositum sit reuelatum; sed mereri in primo Incarnationis instanti est perfectio, vtpote transferens de actu primo ad secundum potẽtiam merendi, quam habet humanitas Christi, estque perfectio possibilis, vt ex argumentorum solutione constabit, nec alteri maiori dignitati, aut perfectioni repugnat, nec muneri Redemptoris opponitur: imo maximé Christi erga homines charitatem ostentat, & quod non meruit in primo instanti conceptionis reuelatum non est: ergo meruit in primo conceptionis instanti. Quo argumento vsus est D. Thomas *in* 3. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *in corp* & *q.* 29. *de Veritate art. vltim. in corp. art & ratione* 6. *sed contra*, ex Anselmo *in Monologio cap.* 4 *& cap.* 14. *à medio.* S. Tho.

Denique suadetur conclusio ratione D. Thom. *inf. q.* 39. *art.* 3 Christus enim in primo instanti suæ conceptionis habuit actum voluntatis supernaturalem, & liberum; sed isti actui nihil necessarium ad meritum defuit: ergo in primo instanti conceptionis meruit. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: Christus in primo instanti fuit iustificatus per gratiam modo perfectiori iustificationis possibili; sed iustificatio per proprium voluntatis actum, quæ est iustificatio adultorũ, perfectior est iustificatione sine proprio actu, quæ est paruulorum iustificatio: ergo fuit iustificatus per proprium actum voluntatis more adultorum; & consequenter in primo conceptionis instanti actum liberum supernaturalem exercuit; solus enim actus liber supernaturalis est dispositio antecedens, vel concomitans nostram iustificationem.

8 *Vltimo prob. ex D. Tho.*

## §. II.

### *Argumentis contra istam conclusionem occurritur.*

OBICIVNT Auctores oppositi primo: meritũ in actu, vel actua-

9 *Argues primo.*

li operatione consistit; sed in primo instanti, in quo res incipit, actualiter operari non potest: ergo nec actu mereri; & consequenter Christus in primo instanti conceptionis non meruit. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: operari sequitur ad esse, estque illo posterius: ergo in primo instanti nequit dari actualis operatio. Respondeo, negando minorem; ad cuius probationem dicatur: operationem successiuā, seu quę motum successiuū importat, supponere prioritate temporis esse; illam vero, quæ non successiua, sed indiuisibilis est, solum supponere esse prioritate naturæ: ac proinde potest esse simul tempore cum illo: vnde in eodem instanti, in quo Sol incœpit esse, incœpit illuminare, & in primo esse conceptionis Christi vidit diuinam essentiam, vt fatentur contrariæ sententiæ Auctores; actus autem voluntatis liber ad meritum requisitus, nō successiu⁹, sed indiuisibilis est; ac per cō sequens potest rei in primo instanti intrinseco sui esse competere; ita D. Thomas *in 3. dist. 18. quæst. 1. a. 3 ad 1. quæst. 29. de veritate art. vlt. ad 3. & infra q. 34. art. 2 ad 1.*

*Respondetur.*

**10** *Arguitur secūdo.*

Sed contra istam solutionem istant contrarij Auctores, & arguunt secundo, esto operatio naturalis non supponat tempore rem existentem, vt constat in exemplis adductis; libera vero præexistentiam rei in tempore exigit; sed actus meritorius est liber: ergo non potest rei competere in primo suæ formationis instanti. Maior, in qua sola est posita difficultas, probatur primo: nam cū in voluntate prior sit conceptus naturæ, quam conceptus libertatis, prior est in illa actus naturalis, aut necessarius, quam liber, sed non possunt in eodem instanti existere actus necessarius, & liber: ergo actus liber non potest ei in primo suæ formationis instanti competere. Secundo: nam actus liber requirit consultationem; sed consultatio, cum in discursus collatione consistat, non potest in instanti exerceri: ergo actus liber non potest in primo instanti formationis rei existere. Tertio: nam actus liber petit à principio indifferenti procedere; sed si in primo instanti voluntati conueniret, non procederet à principio indifferenti: ergo non potest in primo instanti exerceri. Probatur minor: si voluntas in primo instanti suæ formationis, libere operaretur, esset in tali instanti ad actum determinata; sed non fuit pro aliquo anteriori instanti indifferens, cū supponamus in anteriori instanti nō extitisse: ergo nunquam fuit indifferens; & consequenter, si in primo instanti operaretur, talis operatio à principio indifferenti, in quantum tali non esset.

*Maior probatur 1.*

*Secūdo.*

*Tertio.*

Respondeo, negando maiorem: ad primam probationem, nego maiorem: non enim semper exigitur actus necessarius præcedens actum liberum; etsi forte ita in nobis regulariter contingat; in Christo autem necessarium non est, sicut nec in Angelis, qui per primū actū meruerunt; & consequenter primus actus voluntatis Angeli fuit liber; non autē stat in eodem instanti actus necessarius cum libero circa idem obiectum, nec verum est rationem naturæ necessario quoad exercitium operatiuæ, esse in voluntate priorem ratione libertatis; nulla enim subordinatio est in voluntate, vt operatiua libere quoad exercitium, ad se ipsam, vt necessario quoad exercitiū operatiuam: imo circa obiecta creata solum per accidens est operatiua necessario voluntas, nempé, ex defectu perfectæ propositionis obiecti. Et si verum sit in natura rationali priorem esse conceptum naturæ necessario operatiuæ, quam conceptus libertatis radicalis; cū primum ei competat, quatenus est intellectiua intellectione præueniente volūtatis influxum; secūdum vero prout est radicaliter volitiua, & esse radicaliter intellectiuum, illo modo ratione nostra præcedat radicaliter volitiuū, & etiam in voluntate ratio operatiuæ naturaliter, ideſt circa finem, & cum necessitate quoad specificationem, prior sit ratione libertatis quoad specificationem, & vis deliberatiuæ, quæ exercetur erga media.

**11** *Respōdetur. Ad primā probationē.*

Ad secundam dicatur, actum liberum præexigere consultationem, cum non supponit cognitionis plenitudinē; tunc enim requiritur inquisitio incerti, quod fit per deliberationē cōsilij. Christus autem, sicut à primo instāti fuit plenus gratia, ita habuit scientiæ plenitudi-

**12** *Ad secūdam.*

nem;

nem; & idcirco ad actum liberum, imo & ad liberam electionem, deliberatione consilij non indiguit. Ita D. Thom. locis proxime allegatis, & præcipué infra q. 34. art. 2. ad 2. Ad tertiam maioris probationem, concessa maiori, nego minorem; ad cuius probationem, distinguo maiorem: esset in primo instanti ad actum determinata, determinatione opposita suspensioni, concedo maiorem: determinatione opposita libertati, nego maiorem: & concessa minori distinguo consequens: numquam fuit indifferens indifferentia suspensionis, concedo consequentiam: indifferentia actus primi requisiti ad libertatem, nego consequentiam: qua distinctione cõcedenda est, & neganda secunda consequentia; ad libertatem namque non petitur, quod à principio indifferenti suspensiue procedat, hoc est, à principio, quod præextiterit sub negatione actus liberi; nam quæ conducentia esse potest in suspensione antecedentis instantis, ad libertatem pro instanti sequenti exercendam; cum tunc existere debeant principia libertatis actus, quando liber act⁹ existit, non vero antecedenter ad illius elicientiam? Solum ergo petitur ad rationem actus liberi, quod procedat à principio indifferenti indifferentia libertatis, hoc est, taliter agente, quod in instãti in quo operatur, possit potentia antecedenti non agere, vel in contrarium actum prorumpere; hoc autem in instanti existentiæ actus liberi saluatur: nam impotentia ad non agere, est ex suppositione tantum, quæ cum potentia antecedenti ad non agere subsistit, & hæc est, quæ ad libertatem actus requiritur.

*Ad tertiam.*

*Respõdetur.*

13 *Arguitur tertio.*

Tertio obijciunt, & instant contra hanc solutionem; sicut enim se habet liberum arbitrium ad meritum, ita ad demeritum comparatur; sed voluntas Angeli non potuit in primo instanti peccare: ac per consequens nec demereri: ergo voluntas Christi non potuit in primo instanti mereri. Quod amplius confirmari potest: licet namque demeritum in operatione instantanea, & non successiua consistat; ac per consequens possit in alijs instantibus extra primum exerci, in primo exerceri nõ potest: ergo pariter actio bona, & meritoria, etsi possit in alijs instantibus extra primum exerceri, quia indiuisibilis est, in primo exerceri non poterit. Respondeo, negando maiorem: *Nam liberum arbitrium ad bonum se habet per se, & naturaliter; ad malum autem se habet per modum defectus, & præter naturam: id autem, quod est præter naturam, posterius est eo, quod est secundum naturam, quia est quædam excisio ab eo, quod est secundum naturam; & ideo liberum arbitriũ creaturæ potest in primo instanti moueri ad bonum merendo, non tamen ad malũ peccando, si natura integra sit.* Ita ad verbum D. Thom. *infra quæst. 34. art. 3. ad primum*; quod etiam docuerat *q. 29. de veritate art. vltimo ad 2. & 3. ad Annibaldum dist. 18. quæst. vnic. art. 3. ad 2.* plura quæ contra istam Angelici Præceptoris doctrinam solent opponi, prætermittenda in præsenti sunt; habent enim propriam sedem *1. p. quæst. 63. a. 5.* vbi latissime à nostris discutitur; an Angelus in primo instanti peccare potuerit?

*Cõfirmatur.*

*Respõdetur.*

14 *Arguitur Vltimo.*

Denique argumentari possumus contra rationem, qua ex D. Thoma, vltimo conclusionem nostram monstrauimus; ex eo quod Christus in primo suæ conceptionis instanti fuerit sanctificat⁹ sanctificatione adultorum, quæ est secũdum proprium actum, non sequitur in primo instanti meruisse: ergo ratio D. Thomæ inefficax est ad nostram conclusionem probandam. Antecedens sua detur: homo cum iustitificatur, actum elicit supernaturalem, quo se ad gratiam suscipiendam disponit; & tamen actus ille meritorius esse non potest: nõ enim primæ gratiæ, quæ principium meriti est, nec gloriæ augmenti: aliàs etiam augmentum habitualis gratiæ mereretur, nec primæ gloriæ; quæ primæ gratiæ respondet; quia prædictus actus non procedit physicé à gratia, & consequenter non dignificatur ab illa, iuxta dicta à Nobis *disp. 1. § 4.* ergo pariter quamuis Christus in primo conceptionis instanti actum supernaturalem charitatis elicuerit, non sequitur in primo suæ cõceptionis instanti meruisse.

15 *Respõdetur primo.*

Respondeo primo, negando antecedens: ad cuius probationem, concessa maiori, & prætermissa minori, nego cõ-

sequen-

sequentiam; ratio autem discriminis est: nam actus vltimo disponentes ad gratiam non procedunt ab eadem gratia in probabili Thomistarum sententia: cumque gratia solum possit dignificare actus, quos physicé causat in genere causę efficientis; fit consequens, quod actus disponentes vltimo ad gratiam in puro homine pro primo instanti iustificationis, meritorij esse nō possint: actus autē Christo in primo instanti suæ conceptionis conuenientes non disposuerunt ad habitualem gratiam dispositione antecedenti, vt docet maior pars Thomistarum; ac per consequens physice processerunt, ab ipsa habituali gratia, & etiam à gratia vnionis: vnde etiam ab his gratijs formati, nihil illis ad rationē meriti defuit

16 *Respōdetur secūdo, & melius.*

Vel secundo, & melius respondetur, negando minorem: *Præparatio* enim *hominis ad gratiam, quæ simul est cum ipsa infusione gratiæ, meritoria est, nō gratiæ, quæ iā habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur*: verba sunt D. Thomæ 2.2.q.112.art.2.ad 1. Quod etiam docet 1.p.q.62.art.4.*in corp.* & q.63.art.5.ad 3. & 4. Nec obstat probatio in contra: tum, quia probabilius est vltimam dispositionem ad gratiam, efficienter procedere ab ipsa. Tum etiam, quia licet ab auxilio procedat, procedit ab illo, vt vicem gratiæ gerente: vnde si aliquando diximus vltimam dispositionem ad gratiam, meritoriam non esse, est delendum, vtpote, Angelico Doctori contrarium.

# §. III.

## *Meruisse continuatè vsque ad mortem, probatur.*

17 *Secūda cōclusio*

SECVNDA CONCLVSIO. *Meruit Christus in infantia, & toto tēpore vitæ mortalis cōtinuatè vsq; ad mortē.* Ita omnes Doctores, nullo excepto quem viderim. Et quoad primam partē adeo certa censetur à Theologis, vt opposita merito temeraria censeatur, pro qua refertur Durandus: illam tamen expressè non docuit, etsi ex eius doctrina satis efficacitér colligatur. Prima pars suadetur primo: si namque in primo instanti conceptionis meruit, non est cur in infantiæ tempore non meruerit; sed, vt prima conclusione monstrauimus, meruit Christus in primo suæ conceptionis instanti: ergo etiam infantiæ tempore. *Prima pars probatur 1.*

Secundo suadetur ex PP. Ambrosio *lib.2.in Lucam cap.de Natiuitate Saluatoris*, sicait: *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta labant.* Augustinus sermone 11.de tempore: *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Bernardus de Circunciſione loquens sermone.1. *Christus verò patienter, quæ non rapuit, exoluit, scilicet, Circuncisione.* Ac denique D. Thomas *infra q.37.art.1.* inter alias Circuncisionis Christi causas, hanc statuit, scilicet: *vt legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret.* Et licet hæc, & alia PP. testimonia de causalitate efficiente possent explicari, sicut D. Thomas *infra q. 50. art.6* docet, Christi mortē in facto esse, nostram fuisse salutem operatam, non meritorie, sed efficienter, non est cur sic accipiantur; cum communis Scholasticorum consensus illa de concursu, & causalitate meritoria acceptauerit: ergo ex mente PP. Christus in infantia meruit. 18 *Secundo ex PP. Ambros. Augusti. Bernardus. S. Tho.*

Denique probatur ex communi, & sæpé repetito principio, nempé, attribuendam esse Christo omnē perfectionem possibilem, si cum maiori perfectione non pugnet, nec cum Redemptoris munere: at in infantia nobis meruisse, est dignitas, aut perfectio possibilis, vt ex argumentorum solutione constabit; alias cum maiori perfectione non pugnat, nec cum munere Redemptoris: ergo asserendum est, Christum tempore infantiæ meruisse. Et ex his secunda pars conclusionis suadetur: non enim repugnat, Christum à primo instanti suæ conceptionis, vsque ad instans mortis exclusiue meritum continuasse, cum à sensibus in merendo dependentiam nō habuerit, vt ex dicendis constabit; & alias 19 *Tertio.* *Secūda pars suadetur.*

sic meruisse, maximè charitatem eius erga homines commendat: ergo asserẽdum est meritum à primo instanti, vsq; ad vltimum continuasse.

## §. IV.

### *Duplici argumento occurritur.*

20 *Contra primam partem cõclusionis arguitur 1.*

CONTRA primam partem conclusionis arguitur primò; meritum enim; cum in actu voluntatis consistat, actum intellectus, vt regulantem requirit; sed non fuit in tempore infantiæ in Christo actus aliquis intellectus, qui regulare posit actum meritorium, aut liberum voluntatis: ergo Christus in infantia nõ meruit. Minor probatur: nam in Christo triplex tantum scientia fuit, beata, nempè, infusa, & experimentalis; sed nulla ex his potuit actum meritoriũ regulare: ergo non fuit in Christo tempore infantiæ actus intellectus, quì meritum regulare posit. Minor probatur: in primis namque scientia beata non potuit: nam meritum Christo conuenit, in quantum viatori, scientia autem beata, ipsum comprehensorem constituit: ac per consequens Christo, vt viatori, non conuenit; nec scientia experimentalis: hæc namque, cum à sensibus depẽdeat, quorum actus Christo in infantiæ tempore non conueniebant, non potuit pro illo tempore Christo competere; nec denique scientia infusa: nam hæc etiam in suis operationibus à sensibus dependebat; vtpote, eiusdem rationis cum sciẽtia per se acquisita, quæ à sensibus est dependens: ergo nulla fuit scientia, infantiæ tempore in Christo, quæ posit actum voluntatis meritorium regulare.

21 *Confirmatur.*

Et augetur difficultas: nam Christus solum potuit mereri, in quantum viator; sed fuit viator, quatenus illius anima erat corpori passibili vnita, & communicabat cum corpore: ergo solum potuit mereri per actus progredientes ab anima, quatenus vnita corpori, & cum illo communicante; & consequenter solum potuit mereri per actus animæ communicantes cum corpore, vt cum organo, & obiecto; at isti actus sic comunicãtes cum corpore à phantasmatibus sunt dependentes; & consequenter Christo, in infantiæ tempore conuenire non potuerunt, vtpotè incapaci, tunc, actuum dependentium à sensibus, quos exercere non poterat: ergo infantiæ tẽpore Christus mereri non potuit. Hoc argumento fuit conuictus Durandus, vt Christo in primo instanti suæ conceptionis meritum denegaret; quod cum pari efficacia militet pro tempore infantiæ, meritò refertur Durandus pro sententia negante in tempore infantiæ meruisse.

22 *Respõdetur.*

Ad illud respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorẽ: ad cuius probationem, permissa prima antecedentis parte, de qua Disputatione sequenti; & concessa secunda, nego antecedens pro tertia parte. Fuit enim in Christo, præter scientiam beatam, & per se acquisitam, & experimentalem, duplex scientia infusa per se, supernaturalis nempè, & naturalis, vt fusè monstrauimus *supra q. 9. Art. 3 1.* & per vtramque poterat intelligere cum conuersione ad phantasmata, & sine conuersione ad illa, vt ibidem satis ostendimus, docetque D. Thomas *supra q. 11. art. 2.* eo quod scientia per se infusa conuenit animæ Christi, vt non obligatæ corpori, tametsi illi sit vnita: vnde potuit scientia per se infusa Christo, actus meritorios, liberosque voluntatis in infantia regulare, etsi in illo statu actiones sensitiuas exteriores, nec interiores exercere potuerit. Nec verum est scientiam infusam esse eiusdem rationis, cum scientia experimentali, seu per se acquisita, vt loco allegato ostendimus. Ad confirmationem dicatur; statum viæ, coniunctionemque animæ ad corpus, solum tanquam conditionem desiderari ad meritum, qua conditione supposita, omnis actus liber, & ad præmium ordinatus, habensque cæteras conditiones desideratas ad meritum, meritorius esse potest, inter quas requirere communicationem ipsius actus meritorij cum corpore, vt organo,

*Ad cõfirmationẽ*

vel

vel obiecto, omnino voluntarium est.

23 *Dices primo.* Si dicas primo: corpus communicaturum esse cum anima in præmio ergo debet etiam cum illa communicare in merito; & consequenter omnis actus meritorius debet competere animæ, vt communicanti cum corpore. *Respõdetur.* Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; cum enim beatitudo corporis sit ex redundantia beatitudinis animæ, & complementum illius, vt corpus cum anima communicet in præmio, sufficit, quod anima vnita corpori actus meritorios eliciat, etsi non, vt dependēs à corpore.

24 *Dices secundo.* Si opponas secundo: anima Christi erat independens à corpore, quia erat beata, & consequenter ratione status cõprehensoris, quo fruebatur ab instanti conceptionis: ergo actus progredientes ab illa, vt independente à corpore, non procedebant à Christo, vt erat viator, sed vt erat comprehensor; & consequenter meritorij non erant: nam actus meritorius petit à viatore procedere, quatenus viator est. *Respõdetur.* Respondeo, actus tempore infantiæ procedentes libere ab anima Christi Domini, duo habuisse, & indepẽdentiam à corpore, & quod essent meritorij: primum ratione status comprehensoris per modum conditionis. Secũdum ratione status viatoris, etiam tanquam conditionis; non autem requiri, quod prædicti status ad illas conditiones reduplicatiuè ingrediantur, sed tantum specificatiuè.

25 *Dices tertio.* Si opponas tertio: nam licet verum sit, fuisse in anima Christi domini scientiam per se infusam distinctam specificè à scientia per se acquisita; non tamen ita certum est, vt opposita sententia aliquam mereatur censuram, vt frequentius docent Theologi *supra q. 9. art. 2 & 3.* at sine scientia per se infusa non potest meritum Christo in infantia concedi: nam sciẽtia beata nequit regulare meritum; scientia autem per se acquisita tunc temporis exerceri in Christo non poterat, vtpote dependens à sensibus: ergo esto verum sit, Christum tempore infantiæ meruisse; non tamen est ita certum, vt opposita sententia Durandi aliquam mereatur censuram. *Respõdetur.* Respondeo, permissa maiori, negando minorem: nam, dato scientiam per se infusam in suis actibus à sensibus independentem in humanitate Christi non fuisse, asserendum est, scientiam beatam regulasse Christi meritum, & licet huius oppositum etiã probabile sit; vtrumque tamen simul, scilicet, negatio scientiæ per se infusæ, & impotentia regulandi meritum in scientia Christi beata, probabilitatem non habet; plura enim seorsim sunt probabilia, quæ simul sumpta probabilitate carent, nisi aliter dicatur, nempe Christũ in infantiæ tempore, imo, & in primo suæ conceptionis instanti scientias per se acquisibiles, vel acquisitas à se, vel per accidens infusas habuisse; ac per consequẽs potuisse per cognitionem à sensibus dependentem Christi meritum regulari, quod plures non improbabiliter docent *supra q. 12. art. 1. & sequentibus.*

26 *Arguitur secũdo.* Secundo arguitur: Christus in primo instanti meruit omnia dona gratiæ hominibus conferenda, & adæquatam redemptionem illorum: ergo ab illo tunc nihil meruit; & consequenter non meruit tempore infantiæ, primo conceptionis instanti secluso. Patet consequentia: si namque in primo instanti omnia dona gratiæ meruit, & postea eadem mereretur, bis meruisset eadem dona, imo pluries eadem dona meruisset; at hoc esse non potest: ergo non meruit tempore infantiæ. *Minor ostenditur primo:* nam meritum facit debitum præmium; sed quod iam est debitum, iterũ deberi nõ potest: ergo idem præmium postquam iam debitum est, non potest sub distincto merito cadere. *Secũdo:* quod iam emptum est, non potest iterũ emi, vt si quis emisset palium viginti, aut triginta argenteis, alia postea viginti, aut triginta offerens, non emere; sed donare dicitur: ergo pariter præmium vno actu pro meritũ nequit cadere sub merito alterius actus. *Vltimo:* denique: nam idẽ effectus non potest à duplici causa physica adæquata dependere, vt ex physicis suppono iuxta frequentiorem, ac veriorem Thomistarum sententiam: ergo pariter nec à duplici causa adæquata morali: at meritum est causa efficiens moralis præmij: ergo non stat idem præmium ab vno actu promeritum, per alterum promereri.

Hoc

Hoc argumentum non militat specialiter contra meritum Christi in infantia, vel in primo conceptionis instanti; cum probet, vt facile meditanti constabit, Christum solum per passionem, & mortem hominibus promeruisse; si nãque meruit per actum à voluntate moriendi, & ipsa morte distinctum, idem argumentum fiet; quomodo, scilicet, cum quoduis ex istis meritis, dignitatis fuerit infinitæ, & ad omne præmium sufficiẽs, possit illis idem præmium respondere.

27 *Hoc argumẽtũ solũ Passioni, & morti cõcedit rationẽ meriti.*

## §. V.

### *Examinatur solutio Vicentij.*

VINCENTIVS de gratia Christi *q. 5. pag. 347.* respondet, negando antecedens: nam, licet in quo vis opere Christi fuerit sufficiens condignitas ad omne præmiũ possibile, atamen quoad efficaciam, non cuilibet Christi actioni adæquata hominum redemptio respondet, ita vt illarum qualibet omnia dona gratiæ hominibus Christus meruerit; quia Christus non quamlibet suam actionem applicuit ad omnia hæc dona merenda, sed totam suarum actionum collectionem ad totam donorum gratiæ collectionem direxit, & singulas ad singula dona gratiæ, etsi ignotum nobis sit, quæ dona in particulari per istas, aut illas actiones de facto nobis meruerit; nam vt Isaias cap. 40. ait: *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Hoc tamen inter passionem, & actiones cæteras interueniente discrimine, quod omnia, quæ per actiones singulas Christus meruerat, collectiue meruit per mortem; ideoque in Scriptura sacra specialiter nostra redemptio Passioni Christi attribuitur. Pro qua sententia refert Durandum *in 3. dist. 18. q. 3.* & Magistrũ Soto *in 4 dist. 1. q. 3 art. 5 & dist. 21. q. 1. art. 3.* falso tamen, nam Durandus aperte oppositum docet *quæst. vlt. num. 8.* Sotus autem vbi secundo refertur, huius difficultatis non meminit; illa autem *quæst. 1.* etsi in sententiam Vincentij inclinare videatur, reuera nõ suffragatur, vt inferius explicabimus.

28 *Solutio Vicẽtij*

*Isai. c. 40.*

*Durãdꝰ Soto.*

Motiua Vincentij sunt: nam si Christus per primum actum meriti omnia dona gratiæ hominibus impertienda meruisset, sequeretur, illo actu fuisse cõsũmatum opus nostræ redemptionis; cõsequens est falsum; alias superflua sunt omnia, quæ post primum meritũ Christus, vt nos redimeret, gessit quod fateri absurdum est: ergo Christus primo actu non meruit omnia dona gratiæ hominibus conferenda. Patet sequela: nã Deus acceptauit Christi meritum ad omnia illa, quæ promeruit: ergo si per primũ actum meruit omnia dona gratiæ, ad omnia hæc gratię dona illũ acceptauit Deus; & consequenter illa Deus conferret hominibus, etsi nullum deinceps meritum Christus habuisset, quod est, illo primo actu consũmatum esse opus nostræ redemptionis.

29 *Motiua Vincẽtij primum*

Secundo sic arguit: nam iuxta communem Scholasticorum sententiam *in 4. dist. 1.* ianua cœlestis non fuit hominibus ante mortem Christi aperta, & Sacramenta ante mortem Christi instituta, non tam perfectum conferebant spiritualem effectum, atque nunc conferunt post Passionem Christi, & mortẽ; at hæc duo communi Theologorum assensu statuta, vera esse non possunt, si Christus per primũ actum meruit omnia dona gratiæ: nã apertio ianuæ cœlestis, & excelsus ille spiritualis effectus; cum veré sint gratiæ dona, essent effectus illius; & consequenter Passionem Christi anteuertent: ergo primus ille actus non habebat efficaciam ad omnia dona gratiæ hominibus promerenda.

30 *Secũdũ.*

Tertio: nã ex opposito fieret multo proprius, quam per Passionem, & mortem, per primum illum actũ Christum homines redemisse; consequens admitti nequit; cum hominum redẽptio à peccatis, passim in Scriptura Sacra Passioni Christi cum specialitate attribuatur: ergo Christus primo actu non meruit omnia dona gratiæ hominibus conferenda. Patet sequela: primus ille

31 *Tertiũ.*

actus

actus fecisset sibi Redemptionem nostram debitam absolutè, ex non debita, Passio autem, & mors Christi non ita, sed de non debita vno titulo debitam ex isto titulo; sed præmium cũ maiori proprietate attribuitur operi facienti illud de non debito debitum absolutè, quam operi hoc non præstanti, sed solum de non debito vno titulo, hoc speciali titulo debitum: ergo hominum Redemptio maiori cum proprietate primo Christi merito attribueretur, quam eius Passioni, & morti.

32 Quartũ

Et amplius vrgeri potest: nam sequitur Christum per Passionem, & mortẽ nos non redemisse proprié; consequens absurdum est: ergo, & quod Christus illo primo actu meruerit hominibus omnia dona gratiæ. Probatur sequela: non meruisset proprié redemptionem nostram per Passionem suam, & mortem: ergo nos proprié non redemisset per illam. Probatur antecedens: mereri proprie, est proprie facere debitum merenti præmium; sed per Passionem, & mortem non fecisset proprié sibi debitam hominũ redemptionem: nam aliquid debitum facere, si cum proprietate accipiatur, est illud de non debito efficere debitum; non autem aliàs debitũ, nouo titulo debitum reddere, & solum hoc secundum per Passionem effecisset: ergo per illam non meruisset proprié redẽptionem hominum à peccato.

33 Quintũ.

Denique arguit ex Angelico Doctore *infra q. 48. art. 1. ad 2.* ibi: *Dicendum, quod Passio Christi à principio suæ conceptionis meruit nobis salutem æternam; sed ex parte nostra erant quædam impedimenta: vnde ad remouendum illa oportuit Christum pati, vt supra dictum est.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur: remotio impedimentorum impedientium consequutionem salutis esset aliquod gratiæ donum; sed Christ⁹ remotionem istam per primum actum non meruit, sed solum per Passionem, & mortem: ergo primus ille actus meritum omnis gratiæ hominibus impertiẽdæ non fuit. Et ibidem *solut. ad 3.* docet, *quod Passio Christi habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita, non propter maiorem charitatem, sed propter genus operis, quod erat tali effectui conueniens*; sed effectus Passionis Christi, sunt ab illa meritorie: ergo aliquid meruit Christus Dominus per Passionem, & mortem, quod per primum actum non meruit: ac per consequens per illum non meruit efficaciter omnia dona gratiæ hominibus impertienda, etsi ad omnia illa condignitatẽ sufficientem habuerit.

S. Tho.

His tamen non obstantibus, standũ est frequentiori sententiæ asserenti per primum actum, Christum omnia dona gratiæ hominibus promeruisse: ac per consequens per merita subsequentia, etiam per Passionem, & mortem non meruisse noua præmia, sed idem titulo speciali debitum. Primo, quia id docuit D Thomas *q. 29. de veritate art. 7. ad 6. in 3. sententiar. dist. 18. q. 1. art. 5. in corpore, & solut. ad 1. & 2. arg.* Ad Annibaldum in eadem *dist. q. vnic. art 4. ad 2.* quod ita procedebat: *Meritum est facere de indebito debitum, vel de minus debito magis debitum; sed nihil Christo per Passionem fuit de nouo debitum, aut magis debitum: ergo non meruit patiendo.* Cui argumento his verbis respondet: *Dicendum, quod est insufficiens diuisio, sed dicitur triplici modo quis mereri, quando facit ex debito vno modo, vel vna ratione debitum alio modo, sicut puer Baptizatus facit sibi debitum regnum cœlorum, cum peruenit ad perfectam ætatem per actum proprium, quod prius erat ei debitum; alio modo, scilicet, ratione habitus, & sic Christus per passionem sibi meruit.*

34 Defenditur sententia Vincẽtij

Primo ex D.T.

Quod etiam repetit simili argumẽto, respondens *infra q. 34. art. 3. ad 3.* quod erat huiusmodi: *Id quod semel aliquis meruit, iam fecit quodammodo suum; & ita non videtur, quod iterum possit illud mereri, quia nullus meretur, quod suum est: si ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit, sequitur, quod postea nihil meruerit, quod patet, esse falsum.* Cui argumento ita respondet: *Ad tertium dicẽdum, quod nihil prohibet idem esse alicuius ex diuersis causis, & secundum hoc gloriam immortalitatis, quam meruit in primo instanti, potuit etiam posterioribus actibus, & Passionibus mereri, non quidem, vt esset sibi magis debita, sed*

35 Hoc idẽ alibi docet D. Thom.

vt

*vt sibi ex pluribus causis deberetur.* Hæc D. Thomas: ex quibus luce clariùs colligitur, Angelicum Doctorem sensisse, id omne, quod per passionem, & cæteros actus meruit, per primũ actum meruisse: tùm, quia aliàs per passionẽ redderet hominum redemptionem, ex minus debita magis debitam, ideſt, quoad plures effectus, quod aperte negat D. Thomas. Tùm etiam, quia si præmium primo actu non promeritum respõderet Christi passioni, ad quid erat necessarium recurrere ad modum istum merendi, nempé faciendo ex debito, ex vna causa, ex pluribus causis debitũ? Certé omninò innanis foret prædictus recursus; at hoc dicendum non est: ergo fatendum Angelicum Doctorem sensisse, omne id, quod Christus per passionem nobis meruit, per primum actum meruisse. Angelicũ Doctorem sequuntur omnes Discipuli, & alij extra Scholam D. Thomæ frequenter. Tenuit etiã eandem sententiam Durandus *in 3. dist. 18. q. 3. n. 8.* falsò pro contraria relatus.

*Durãd.*

36 *Secũdo.* Secundo: quia potuit Christus Dominus primum illum actum ad omnia dona gratiæ hominibus impertiẽda pro meredum ordinare, & simul hæc eadẽ dona per passionem promereri, vt ex argumentorum solutione constabit; & aliàs quod primum, & omnem alium actum ad hæc promerenda direxerit, magis illius charitatẽ erga humanum genus commendat, volendo, quod omnis actus ab ipso liberé elicitus totam hominum redemptionem, & nõ hanc, aut illam partem attingat: ergo ita fecisse est dicendum.

## §. VI.

### *Motiuis Vincẽtij occurritur, & vera solutio traditur, & alia argumenta soluuntur.*

37 *Animad* NEc motiua Vincentij in oppositũ vrgent, ante quorum solutionẽ tria animadvertenda sunt. Primum est, causam partialem, sicuti, & causam ad æquatam, bifariam accipi posse: primo pro causa adæquata adæquatione causæ, & effectus; secundo pro causa adæquata adæquatione effectus; non tamen adæquatione causæ: prima, alterius causæ eiusdem ordinis omnem concursum excludit, eo quod petit ex suo proprio cõceptu, taliter in effectũ influere, quod ab alio eiusdem ordinis nullam dependentiam habeat, vt fusé ostendunt Nostri Thomistæ *2. Physicor.* vbi communiter docent, nec per potentiam absolutam posse vnum numero effectum à duplici causa eiusdem ordinis dependere. Causa secundo modo adæquata, quæ nẽpé, adæquata est adæquatione effectus, & partialis partialitate causæ, non petit alterius concursum in eundem effectũ excludere, sed solum, quod nihil sit in effectu, quod ab ipsa non causetur.

*uertitur 1. pro solutione argumẽtorũ Vincentij.*

Secundum est, quando duo partialiter in eundem influunt effectum, etsi nulla sit formalitas in effectu, quæ ab illorum quolibet non causetur; vnicuiq; tamen illorum correspondere sub speciali ratione, v. c. intellectus, & species impressa obiecti, partialiter partialitate causæ ad intellectionẽ, & Verbum producendum concurrunt, quod semper probabilius censui; & licet ratio intellectionis vt sic, & ratio specifica talis intellectionis, & ratio repræsentationis, tam ab intellectu, quam ab specie causentur: ita tamen, quod specificus conceptus, vel ratio repræsentationis specialis titulo speciei correspondeat, nec intellectus, nisi specie sibi vnita, potest illam efficere; ratio vero communis intellectionis speciali titulo attribuitur intellectui, & sine concursu illius nequit prouenire ab specie. Et id ipsum, quod contingit quoad hoc in genere physico, potest in genere causæ moralis contingere.

38 *Secũdo.*

Tertium est; causam aliquam dici partialem, contingere posse dupliciter; vel in actu primo, & quoad sufficientiã, quia omninò insufficiens est sine alterius causæ concursu talẽ effectum causare: vel quoad efficientiam, & in actu secundo: quia nempé, etsi in actu primo habeat sufficientem virtutem causa

39 *Tertio.*

tiuam

satiuam effectus, vel ex Deo, vel ab ipsa, si causa libera sit attēperat suum concursum, vt non ab illa sola, sed etiam ab altera illi associata effectus in re dependeat; vt constat exēplo in physicis, quādo duo æquè calida eidē passo applicarentur in eadem prorsus distantia; tunc enim, licet quodlibet illorum haberet sufficientem virtutē ad producendum se solo totam intensionem caloris existentis tunc de facto; se tamē ab inuicē impedientibus nullū adæquatè influit, sed ambo inadæquatè, & partialiter.

40 *Respondetur ergo motiuis Vincentij.*

His breuiter adnotatis, quod in præsenti dicimus est, quālibet actionem liberam Christi fuisse de se sufficientem, attenta illarum condignitate pro adæquata hominum redemptione, & ad omnia dona gratiæ hominibus promerenda sine dependentia ab altera; de facto tamen, sic prius Dei libera voluntate ab æterno decernente, humana Christi voluntas quasi tēperauit infinitatem istam sufficientiæ, & applicuit singulas ex his actionibus, vt causas adæquatas, quidē adæquatione effectus, hoc est taliter, vt nulla sit entitas, nullaue formalitas in donis gratiæ concessis de facto à Deo, quæ singulis non respondeat; non tamē, vt adæquatas adæquatione causæ in effectu, & efficacia, sed cum dependētia vnius actionis ab alia; totā verò collectionem cōflatam ex omnibus Christi actibus à primo conceptionis instanti vsque ad instans mortis exclusiué direxit, vt causam redemptionis nostræ ad æquatam: tùm adæquatione effectus. Tùm etiam, adæquatione causæ. Sicut autem in causis partialibus physicis aliquid vni respondet, quod sine illa non poneretur in re: ita Christus suas actiones taliter, vt causas partiales applicuit, vt ad aliquod vnam direxerit, quod sine illa non existeret; & sic de quauis illarū, vt explicantes testimonia Angelici Præceptoris videbimus; & hæc est, ni fallit animus, ipsissima M. Soto doctrina *in 4. dist. 1. q. 1. art. 3 §. Ad hæc argumenta tantisper fusiùs explicata*: ex qua meridiana luce clariùs euanescunt motiua Vincentij.

*Exēplū*

*M. Sot.*

41 *Et in forma respōdetur ad primū.*

Et in forma respōdetur ad primum, negando sequelam; vt enim per primū illum actum cōsummatum fuisset op⁹ nostræ redemptionis, necessum erat, quod esset adæquata causa illius; licet autem sit causa totius nostræ redemptionis, non tamen est causa adæquata, sed partialis partialitate causæ. Ad secundum, concessa maiori, nego minorem: nam licet apertio ianuæ cœlestis, necnō & illi spirituales effectus gratiæ dona sint; & consequenter primi illius actus præmia; non tamen conferenda ante Christi passionē, & mortem, sed post illam, & cum dependentia ab illa.

*Ad secūdum.*

Ad tertium, nego sequelam: ad illius probationem, distinguo maiorem: si opus primum faciat præmium de nō debito debitum independenter ab alio, omitto maiorem: si cum dependentia ab illo, nego maiorē: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam primum Christi meritum non fecit de non debita debitam hominum redemptionem independenter à passione Christi Dñi, sed dependenter ab illa, & vt per illam cōsummandum.

*Ad tertium.*

Et ex his ad confirmationem respō deo, negando sequelam. Ad illius probationem, nego antecedens: ad cuius probationem, cōcessa maiori, nego minorem, quam non conuincit probatio: nam esto admittamus, præmium non fieri proprié debitum, quando fit debitum nouo titulo, si adæquatè debitum supponatur, & independenter ab opere subsequenti; in præsenti tamen non ita supponitur debitum, quia non supponitur adæquata causa debiti, sed tantum inadæquata, & partialis; actus enim ille primus, nec cæteri subsequentes non fuerunt adæquata nostræ redemptionis causa, sed causa partialis partialitate causæ, & vt consummandi per mortem, & passionem Christi; & ideò passio, & mors Christi cum omni proprietate fecit debitam hominum redemptionem; quia non adæquatè, sed inadæquatè supponebatur debita.

42 *Ad confirmationem.*

Vltimæ difficultatis oneri succumbens Vazquez *disp. 75. cap. 4. num. 15.* post impugnatam Caietani interpretationem fatetur, se non satis percipere, quid in solutione illa D. Tho denotare voluerit. Mirùm sanè, virum, aliàs magni ingenij maluisse suam ignorantiam fateri, quā in indaganda mente D. Tho.

43 *Ad vltimā difficultatē ex D. T.*

tantisper insudare, nisi forsitan voluerit hunc nobis laborem relinquere, vt Deo gratias agere mus, qui hæc abscondit à sapientibus, & parvulis reuelauit. Ad argumentum respondeo animaduertendo prius: hæc nos impedientia à consequutione salutis, Christi meritis antecedenter promeritæ, consistere in carētia exercitij, dilectionis, obedientiæ, humilitatis, iustitiæ, cæterarumq; virtutū, quibus ad salutem consequendam dispo nimur, quæ carentia tollitur formaliter per prædictorum actuum exercitium, & effectiué per gratiam nobis largitam à Deo, Ita satis claré colligitur ex doctrina D. Tho. *infra q. 46. art. 3.* verbis referendis *proximè*, vbi se refert Angelicus Præceptor in illa *solut. ad 2.* quando ergo docet in illa, quod licet per primum actum nostram salutem meruerit; ex parte tamen nostra erant aliqua nos impedientia à consequutione salutis, & ad horum ablationē oportuisse Christum pati; nō negauit gratiam largitam à Deo, ad hæc impedimenta tollenda, fuisse per primū meritum Christi promeritam: ita vt ad illam promerendam fuerit primo, & per se conueniens, passio, & mors Christi: quia meritum primi actus, cæterorumque præcedentium, non se extēderit ad illam; sed quia ad hæc impedimēta exemplariter, & excitatiué tollenda maximū, specialemq; concursum præ omnibus Christi actionib⁹ exercuit passio, & mors Christi; quam interpretationem esse ipsissimam Angelici Doctoris mentem, constat claré ex eius verbis *q. 46. art. 3. in corp.* quo se refert in illa solut. *ad 2* vbi sic ait: *Per hoc quod homo per Christi passionem esset liberatus multa concurrerunt ad salutē hominis pertinetia, præter liberationem à peccato; primo enim, per hoc homo cognoscit quantum Deus hominem diligat, & per hoc ad ipsum diligendum prouocatur: secundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, constantiæ, iustitiæ, & cæterarū virtutū in passione Christi ostensarum, quæ sunt necessariæ ad humanā salutem, &c.*

45 Ex quibus aperté colligitur, quæ sint impedimenta, de quibus *solut. illa ad 2.* & qualē cocursū dederit passioni Christi in illorū remotionē, & negauerit præcedētibus meritis, nēpé, non meritoriū absoluté, sed excitatiuū, & exēplarē, in quo passio, & mors Christi cæteris ipsius actionib⁹ specialiter antecesserit. Iuxta quā interpretationē *in solut. ad 3.* docuit, Christi Dñi passionē habuisse aliquē effectū, quē præcedētia merita nō habuerunt, non ratione charitatis augmenti, sed propter genus operis, quod erat tali effectui conueniens. Non negat, quod merita præcedentia in effectū illū influxū meritoriū præstiterint, sed tantū hunc influxū exēplarē, quē specialiter attribuit passioni Christi *q. 46. art. 3.* propter rationē ibi à D. T. traditā.

Sed oppones primo, D. Th. loco in cōtrariū adducto, nō agebat de causalitate exēplari, sed de meritoria passionis Christi respectu nostræ salutis, vt cōstat ex titulo articuli, in quo inquirit: an passio Christi fuerit per modum meriti nostrā operata salutē? quā secādū argumētū excludere cōnabatur ratione superfluitatis; quia nēpé, ab initio cōceptionis nostrā salutē meruerat; superfluum autē videtur, iterū quēpiā mereri, quod antecedēter meruerat: ergo in solutione argumenti, nō loquitur de ablatione impedimētorū facta per passionē Christi & nō per cæteros act⁹ in genere causæ exēplaris, sed in ratione causæ meritoriæ. Tū, quia æquiuocé loqui in argumento, & in eius solutione vitiū est D. Tho, nō attribuēdū. Tū etiā: nā per causalitatē passionis Christi exemplarem nō vitatur superfluitas meriti passionis Christi. Secundo nā *in 3. arg.* cōtendebat D. T. probare, nō magis meruisse salutē nostrā patiēdo, quā per cæteras actiones, ex eo quod charitas, quæ est radix merendi nō fuerit maior in morte, quā in cæteris actionib⁹, quod, vt soluat D. Th. recurrit ad effectū, quem habuit passio Christi, & nō merita præcedētia, nō ob maiorē charitatē, sed propter genus operis, quod erat tali effectui cōuenientius; at per effectū à sola passione Christi exēplariter causatum, nō autem ab illa sola proueniens in genere causæ meritoriæ, non rectē saluatur magis per passionem suam meruisse, quam per cæteras actiones: ergo interpretatio data menti D. Thomæ non congruit.

*Animaduerte prius.*

S. Tho.

*Ad tollēda exemplariter, et excitatiuè impedimēta nostræ salutis, specialiter se gessit passio, & mors Christi.*

46 *Oppones 1.*

*Secūdo.*

Resp-

47 *Respõd. ad 1. probationẽ 1. obiectionis.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiã ad cuius primã probationem dicatur: quando ex variatione terminorum solutio argumento traditur, nullum inconueniens esse, tali variatione vti; sic autẽ in præsenti contingit, vt statim videbimus. Ad secundam, nego antecedens: nã esto admittatur gratis, vt videtur D. Tho. admisisse superfluum esse iterũ quẽpiam mereri, quod antecedenter meruerat, quando per nouum actum merentẽ nihil aliud, quã replicatio meriti additur; cum verò in actu de nouo merẽte specialis aliquis reperitur influxus, non est superfluum iterum quẽpiam mereri, quod antecedenter meruerat: nã ratione illius specialis influxus superfluitas vitatur: vt ergo admissa antecedẽtis doctrina D. Th. meriti passionis Christi superfluitatẽ vitaret, profundissimé recurrit ad specialem influxum passionis, & mortis Christi in genere causæ exemplaris.

*Ad secũdam.*

48 *Ad 2. obiectionẽ respond. primo.*

Et ex his ad secundam respondetur: ly *magis*, nec *in 3. arg.* nec in eius solutione accipi ab Angelico Doctore de maioritate intensiua; cum enim hæc in meritis Christi sumatur a dignitate personæ, & dignitas personalis æqualis sit in omnibus operibus Christi, si in hoc sensu acciperetur, nulla controuersia erat; sed accipi de maioritate congruentiæ, conuenientiæq; operationis consideratæ ex sua ratione specifica, & de isto excessu loquendo, cõcessa obiectionis maiori, nego minorẽ: aptius enim, cõuenientius, & veluti accõmodatius, vt rationem meriti obtineat respectu alicuius effectus, est illud, quod ex sua ratione præeminet in ratione causæ exẽplaris, excitantisq; respectu eiusdẽ effectus, quã opus tali præeminentia non gaudens: ergo si passio, & mors Christi in ordine ad impedimenta auferẽda habet illud specialẽ influxum in genere causæ exemplaris, rectè intullit Diꝰ Thomas conuenientius illorum remotionem Christum per passionẽ suam, quã per cæteras operationes meruisse.

49 *Resp. 2.*

Vel secundo responderi potest ad secundam obiectionem, quãdo duæ causæ partialiter ad eundem effectum concurrunt per partialitatẽ causæ aliquid speciale vni attribui, quod alteri ea specialitate non respondet, etsi totus ab illarum qualibet proueniat: cum ergo tota collectio operationum Christi à primo conceptionis instanti vsque ad instans mortis excluiué fuerit adæquata nostræ redemptionis causa, & singulæ Christi actiones partialiter concurrerunt ad nostram salutem operãdam, aliquid est attribuẽdum specialiter cuiuis illarum, quod ea specialitate non attribuatur cæteris operationibus; quod etsi respectu aliarum nobis exploratũ in particulari non sit, respectu passionis Christi ob ipsius magnitudinem attenta natura operis facilius cognitu appareret, nẽpe, illi specialiter fore attribuendam redemptionem à peccato, propter rationes, quas profundé meditatus est D. Thom. *infra q. 46. art. 1.* Cum ergo docet illa *solut. ad 3.* habuisse passionẽ Christi aliquem effectum, quem præcedentia merita nõ habuerunt, non ita accipiendum est, vt in effectum illum cæteræ actiones nullum influxum meritorium habuerint, sed solum per negationem illius specialis influxus, quem habuit passio, & mors Christi, propter conuenientiam maiorem sumptam ex genere operis. Ex qua maiori conuenientia ortum habet, vt passim in Scriptura Sacra, nostra redẽptio passioni Christi specialiter attribatur.

50 *Ad principale argumẽtũ respõd. Ad 1. probationẽ minoris*

Et ex his ad principale argumẽtum respondeo, concesso antecedenti, negãdo consequentiã. Ad illius probationẽ, cõcessa maiori, nego minorem; ad cuius primam probationẽ, distinguo maiorem: vel debitum ex non debito, vel magis debitum, vel nouo titulo, aut pluribus causis debitũ, concedo maiorẽ: debitũ ex non debito sẽper, nego maiorẽ: & sub eadẽ distinctione minoris, nego cõsequẽtiã. Ita D. Th. *in 3. dist. 18. q. 1. a. 5. ad 2.* ad Annib. ibi *q. vnic. art. 4. ad 2.*

S. Tho.

*Ad secũdam.*

Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam; rationem autem discriminis dedit D. Thomas *in 3. dist. 18. q. 1. art. 5. ad 1.* quia emptio est principaliter propter habendam rem, quæ emitur; & ideò, postquam semel empta est, vlterius non emitur; actio autem, qua quis meretur, non est principaliter propter præmium cõsequendum, sed propter bonum charitatis: vnde ho-

mo charitatem habens, etiam operaretur, si nulla retributio sequeretur: vndé etiã, postquã meruit aliquid, operatur; & id, quod sibi, primo vno modo debebatur, postea alio modo sibi debetur.

51 *Ad tertiã respõdet quidã Recẽtiores.*

Ad tertiam Recentiores quidam, concesso antecedenti, negant consequẽtiam, & discrimen reddunt: nam ex vi causæ efficientis physicæ, effectus extra causas cõstituitur in esse; non autẽ stat per duas causas adæquatas extra causas constitui; & ideò nequit à duplici causa physica adæquata idem effectus pendere; meritũ autẽ est via ad præmiũ, & ad eundem terminum potest per duplicem viam iri; ac per consequens idem præmium potest duplici merito respondere. Sed non placet ratio discriminis: nam meritum veré est causa efficiens præmij in genere moris, & ab illo præmium in hoc genere veré dependet, & per eius causalitatem fit: ergo, siué via sit, siué non, restat discrimen statuere inter causam physicam, & moralẽ, cur, scilicet, idem effectus à duabus causis physicis adæquatis effici nequeat, & possit à duplici causa adæquata morali?

*Cõtra 1.*

*Secũdo.*

Deinde: nã actio est via ad terminũ, vel effectum, & motus etiam est via; & tamen idem effectus nequit duas actiones adæquatas sui effectiuas terminare, nec duobus motibus physicis adæquatis effici: ergo, quamuis meritum sit via ad præmium, non rectè colligitur, posse idẽ præmium respondere duplici adæquato merito.

52 *Respõd. ad 3. minoris probationẽ.*

Vnde aliter respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens: à duplici causa morali adæquata adæquatione causæ, & effectus, transeat cõsequẽs: adæquata adæquatione effectꝰ, & partiali partialitate causæ, nego consequentiam. Non autẽ primo, sed secũdo modo fuisse causam adæquatã, quãuis Christi operationẽ respectu nostræ salutis, cõstat ex dictis. Sed obijcies aduersus istam solutionẽ primò; censuimus enim pro inconuenienti, quod singulæ Christi actiones partialitér partialitate effectus ad nostram redemptionẽ concurrerẽt, & quod tota nostra redẽptio illarum cuilibet non responderet; at non minus inconueniens est, quod concurrant partialiter partialitate causæ: ergo debẽt vtraq; adæquatione gaudere.

*Obijcies 1. aduersus istã solutionem.*

Secundo: nã sequitur, quod deficiente quacũq; actione meritoria Christi, deficeret nostra redẽptio; cõsequẽs inconueniens videtur: ergo illo nõ caret tradita solutio. Patet sequela: nam effectus à duplici causa dependens partialiter partialitate causæ, deficit ad cuiusvis illarũ defectum: ergo si adæquata hominum redemptio respondet singulis actionibus Christi, vt causis partialibus partialitate causæ, tota nostra redemptio deficeret qualibet illarũ in singulari deficiente. Tertio: nã sequitur redemptionẽ hominum à peccato non esse specialiter passioni, & morti Christi attribuendã; consequens est falsũ, & contra omniũ Theologorum sentẽtiã cum D. Th. *infra q. 48. art. 1. ad 3.* pro quo stant plura testimonia Scripturæ: ergo prædicta solutio admittenda non est. Probatur sequela: sicut deficiente passione Christi, deficeret nostra redẽptio: ita etiã deficeret ex cuiusvis alteriꝰ operationis Christi defectu, vt manet probatum: ergo passio Christi non habuit specialẽ præ alijs Christi operationibus in nostrã redẽptionẽ influxum; & consequenter non est, cur passioni Christi specialiter attribuatur.

53 *Secũdo.*

*Tertiõ.*

54 *Respõd. ad 1. obiectionẽ.*

Respondeo ad primã replicam, cõcessa maiorí, negãdo minorẽ; ratio autem differentiæ est: nã partialitas causæ non tollit, quominus quævis operatio Christi omnes nostræ redemptionis effectus attingat sua causalitate, in quo maximè Christi erga nos amor ostendi tur, & quod tollit cõcursus partialis partialitate effectꝰ; & ideò partialitatẽ istã cõcursus in operationibus Christi cẽsemus pro inconuenienti; secus autem partialitatem causæ.

*Adsecundam.*

Ad secundam, distinguo consequẽs: in vi præsentis decreti, quo Deus statuit, vt Christus sua meritorum collectione nostrã operaretur salutem, & intuitu illius nobis peccatum remittere, cõcedo sequelam: in vi alterius decreti, nego sequelã: & sub eadẽ distinctione minoris, nego consequentiã; itaq; supposito decreto mittendi Christum in hominum redemptionem, etiam si aliquæ actiones Christi deficerent, nostra salus, & redemptio à peccato nõ deficeret; hoc

tamen

tamen esset ex vi alterius decreti, quod Deus, tunc casu s, haberet, vt Christus alia merita in hominum redemptionem offerret; nō autem in vi illius, quod habuit de facto, vt hanc collectionem meritorum in hominum redemptionem dirigeret.

55 *Ad tertiam.* Ad tertiam, nego sequelā: nam licet dependentia illa redemptionis nostræ à singulis operib⁹ Christi vera sit; cum illa tamen cōponitur specialis passionis, & m[illegible]is Christi in nostram redēptionem influxus, ob quem illi attribuitur specialiter; quia, nēpé, nec Deus voluit, vt aliæ operationes Christi nostrā à peccato libertatē causarent, nisi vt cōsumandæ, & cōplendæ per passionem, nec Christus illas obtulit, nisi vt per passionem, & mortem cōplendas, & consummandas.

56 *Dices.* Sed dices; etiā ipsa Christi passio nō fuit a Deo volita, aut directa ad hominū à peccato libertatē, nisi cum dependentia ab alijs actionibus passionē antecedentibus, siquidē, vt iam docuimus, qualibet illarum deficiente, deficeret libertas hominum à peccato in vi præsentis decreti: ergo quod cæteræ actiones non fuerint ad nostrā redemptionem directæ, nisi dependēter à passione Christi, non probat specialem passionis Christi concursum. *Respōdetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam passio fuit requisita, tanquam omnium cōplementum, & consūmatio, & vsq; ad ipsam, exequutio vniuersalis redemptionis fuit suspensa, etsi per actiones cæteras fuerit antea promerita; non tamen vt exequenda, nisi post passionē Christi: vnde habuit vices, veluti vltimæ vnitatis, quæ numerum, velut forma constituit; ac proinde sicuti non benè sequitur: *Prima deficiente vnitate numerus ternarius deficeret, & similiter vltima deficiente: ergo vltima, in quantum vltima, non habet specialem concursum ad ternariū numerum constituēdū*: ita nec valet consequentia modo facta; ratio autem istius specialis influxus passionis Christi præ alijs eiusdē Christi operationibus in hominum redemptionē sumitur ex genere operis, quod erat isti effectui accommodatius: tùm propter superius dicta ex Angelico Doctore *q. 46. art. 3.* Tùm etiam, quia homo mortem corporalē per peccatum meruerat, & mortem spiritualē incurrerat; & ideò oportuit, vt per mortē Dei hominis à peccati morte liberemur, nec aliæ Christi actiones, nisi vt morte consūmatæ exequutionē libertatis hominis à peccati morte causarent.

57 *Arg. contra 2. partē cōclusionis.* Deinde contra secundā partē huius conclusionis arguitur: vt enim Christus à primo instāti cōceptionis vsq; ad mortē cōtinuatē mereretur, necessariū erat, quod nunquā ab actu sciētiæ infusæ meritū regulante cessaret; at hoc verum in Christo nō habuit: ergo nec meriti toto vitę tēpore cōtinuatio. Maior est certa, supposito, quod scientia beata meritum nō regulauerit; non enim stat meritū in voluntate absq; actu intellectus regulante: ergo nec meriti cōtinuatio absq; continuatione actus regulantis intellectus. Minor autē probatur ex D. Tho. *sup. a q. 11. art. 5.* vbi docet, scientiā per se infusā Christi fuisse habitualē, potuisseq; illa vti ad arbitrium voluntatis, eo quod fuit illi infusa ad modum animæ humanæ; est autē hic modus animæ cō naturalis, vt quandoq; sit in potentia, & quandoq; sit in actu: ergo iuxta D. Th. scientia infusa animæ Christi nō fuit cōtinuo actui secundo cōiuncta, sed quandoq; ab omni actu separata, & solū in actu primo suspēsa. Patet cōsequētia: nā modus cōnaturalis animæ corpori mortali coniunctæ est quandoq; ab omni actu intellectus cessare, vt cōstat tēpore somnij: ergo si huiusmodi scientia fuit infusa animæ Christi iuxta modum animæ connaturalem, quandoq; ab omni actu cessauit.

58 *Respōdetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem: nam licet Christus ab omni actu huius scientiæ cessare posset, si vellet; numquam tamen omnem illius actum suspendit. Ad illius probationē, concessa maiori, distinguo minorem: quoad posse, concedo minorem: de facto, subdistinguendum est, & concedēdum de anima coniuncta corpori, & ab illo dependente in operatione intellectus; negandum verò de anima à corpore independente, tamersi illi sit vnita, qualis fuit anima Christi, & neganda consequentia. Itaque anima humana

*Anima humana potest cõsiderari in triplici statu.*

in tripiici statu potest considerari, vel coniunctionis cum corpore corruptibili, vel separationis abillo, & coniunctionis cum corpore iam glorioso. In primo habet necessitatem quandoque cessandi ab omni intellectuali operatione, eo quod in intelligendo depẽdet ab actuali conuersione ad phantasmata, quæ actualis conuersio ligata est tempore somnij; & consequenter actualis intellectio impedita: in secundo, & tertio statu, etsi possit pro sua libertate omnẽ actum intellectus præter beatificam visionem suspendere, non est necessitata ad hoc, sed potest semper esse in actuali intellectus exercitio erga aliquod obiectum, quia cum in illis statibus non dependeat in intelligendo à corpore, nulla ineſt illi necessitas, aliquando omnẽ actum suspendẽdi; & esse in actuali exercitio, maioris est perfectionis: quia ergo anima Christi, licet esset corpori mortali coniuncta; nõ tamen ab illo in intelligendo dependebat, vt constat ex dictis *supra q. 9. disp.* 30 fit consequens, quod licet potuerit omnem actum sciẽtiæ infusæ pro sua libertate suspendere; non tamen necessitatem huius suspensionis habuerit, sed potuerit semper, & pro semper esse reducta ad actum secũdum, & quia hoc maioris est perfectionis, semper Christus fuit in actu secunsto intellectus regulante meritum voluntatis: nam modus, ad quem fuit huiusmodi scientia, illius animæ infusa, non est animæ rationalis, vt dependentis à corpore, sed vt ab illo in intelligendo independente.

## §. VII.

### *Christum non meruisse post mortem, nec in instanti mortis communis sententia est.*

59 *Tertia cõclusio*

TERTIA CONCLVSIO. *Non meruit Christus post mortem, nec in ipso mortis instanti.* Prima pars conclusionis cõcors est Theologorũ sentẽtia, teste Vazquio *disp. 76. cap. 1.* Illam pluribus relatis, & reiectis rationibus probat *ibi num. 6* eo quod peracto nostræ redẽptionis iam negotio, amplius iam pro nobis non orat: nec quidquam pro nobis offert; sed ad meritum pro alio requiritur oratio pro illo; atq; meriti applicatio: ergo Christus post mortẽ nihil nobis meretur. Probat maiorẽ: nam Christus videt, post completam suam passionem, nullo modo necessariam esse orationẽ, nec meriti applicationẽ pro hominibus redimendis: ergo nec orat pro illis, nec sua merita offert, vel applicat pro hominibus redimendis, vel ad aliquid illis merendum.

*Vazq. probat hanc cõclusionẽ*

Displicet hoc fundamentum primo: quia sententiã cõmunẽ alligat principio incerto, & Theologis minus grato, neganti Christũ pro nobis orare, cuius contrariũ, nẽpé, Christum in cœlo orare, probabilius est, & cõmunius, vt docet Lorca *disp. 80. num. 5* ex D. Thom. *in 4. dist. 15. q. 5. art. 6. quæstiunc. 2. ad 1. Ad Romanos 8. lect. 3. & ad Hebræos 7. lect. 4.* Secũdo: nã etiã videbat Christus in præsenti vita mortali non esse necessarias tot actiones meritorias pro hominibus redimendis, sed vnicam ex illis sufficere: imo & superabũdare; & tamẽ non vnicam, sed plures actiones obtulit in hominũ redẽptionem: ergo etiam si in cœlo existens videat, necessariam non esse noui meriti applicationem, poterit nihilominus noua merita applicare, vt suam erga homines maximã charitatẽ ostendat, iterum, atq; interum merendo, quod in hac vita promeruit, nisi aliunde hoc repugnet. Tertio: quia vt in eodẽ capite fatetur Vazquez, non repugnat præmium iam promeritum, nouis actibus mereri, & idem nouo titulo debitum facere: ergo quãuis Christus videat totã hominum redẽptionẽ esse ipsi debitã propter eius vitæ opera, poterit, nisi aliundé repugnet, noua merita applicare, vt eandẽ redẽptionẽ nouo titulo debitam faciat, sicut, testé Vazquio, cõtigit in meritis Christi viatoris.

60 *Cõtra 1.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

Secundo alij probant ex illo Pauli ad Hebræos 10. *Vna enim oblatione consũmauit in æternum sanctificatos.* Et ad Hebræos 9. *Christus autem existens Põtifex introiuit semel in sancta, æterna redemp-*

61 *Prob. ab alijs ex Paul. ad Hebr.*

*redemptione inuenta.* Sed si Christus, adhuc post mortem, nostram mereretur salutem, non diceretur vna sui corporis oblatione consummasse sanctificatos, nec æternam redemptionem sua morte inuenisse, siquidem adhuc per meritum quæreret redemptionem, & iustificationem sanctificatorum: ergo nihil post mortem meretur.

62 Hoc argumentum efficaciter concludit, si id, quod semel efficientiam meritoriam adæquatam, & perfectam terminauit, iterum non potest sub nouo merito cadere; secus autem si merito perfecto alicuius præmij supposito, potest quispiam idem præmium nouis actibus mereri, illud nouo titulo debitũ efficiendo. Primum patet, vt enim ex allegatis testimonijs manifestè colligitur, Christus per actiones huius vitæ sua morte consũmatas, homines perfectè redemit, & omnia dona gratiæ pro meruit: ergo si supposito merito adæquato, & perfecto non potest supra idem præmium causalitas meritoria iterari; Christus peracto iam nostræ redemptionis negotio, suaque morte consũmato, nihil meretur hominibus. Secundum ex opposito fundamento probatur, etenim ex verbis Pauli allegatis tantum habetur, Christum per huius vitæ labores sua morte consũmatos perfectè nos redemisse, nobisque omnia dona gratiæ adæquatè, & consũmate meruisse; at ex hoc nõ sequitur, quod Christus per noua opera ab ipso post mortẽ facta, iterum non meruerit eadem dona hominibus merito non necessario, sed voluntario, siid, quod perfectè est promeritum potest iterum, atque iterum sub nouis meritis cadere: ergo hac sententia admissa, quam plures probabiliter docent, non conuincitur testimonijs adductis, Christum non mereri post mortem.

63 *Suadetur prima pars conclusionis 1. ex D. T.* His igitur prætermissis, suadenda est prima pars nostræ conclusionis primo: quia illam docet D. Thomas *in præsenti art. 2. ad 1.* illis verbis: *Et ideò, quia nũc non est viator, non est in statu merendi.* Et *inf. a q. 50. art. 6. in corp. & solut. ad 2.* vbi negat mortem Christi in facto esse meritorié nostram salutem causasse: & *q. 56. art. 1. ad 3.* vbi id etiam negat de Christi resurrectione: & *q. 57. art. 6. ad 1.* vbi idem negat de ascẽsione; quorum ratio nulla est alia, nisi quia hæc omnia extra statum viæ eueniunt: ergo iuxta D. Thom. Christus post mortem non meruit.

Deinde suadetur ratione ex prælle gatis locis desumpta; vna enim ex conditionibus ad meritum necessarijs in alijs hominis est status viatoris; sed nulla est ratio, excipiendi ab hac conditione, & generali regula, Christum: ergo post mortem non meruit; status enim viæ per mortem finitur. Minor cõstat: tùm, quia ad istam exceptionem nullũ adest fundamentum; tum etiam: nam infinitas meritoria operationum Christi oppositum potius suadet, nimirùm, quodetiam si meritum aliorum hominum non terminaretur in via, meritum Christi in illa terminaretur, vtpote, ob suam infinitatem ad omnia promerenda sufficiens; ac per consequens longiori sui protractione non indigens. Maior autem est communis Theologorũ sententia 1. 2. *q. 114. art. 1.* & constat ex illo Pauli ad Galatas 6. *Dum tẽpus habemus, operemur bonum:* vbi Hieronymus *in cõmentarijs maioribus: Tẽpus*, inquit, *sementis, vt diximus, tempus est præsens, & vita, quam currimus, in hac, licet nobis, quod volumus seminare, cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur: vnde & Saluator ait; operamini, dum dies est, veniet nox, quando iam nullus poterit operari.* Cui interpretationi assentiunt Chrisostomus, Ambrosius, & Anselmus super eundem locum, & D Thom. *lect. 2 ad finem*, his verbis: *Ergo dum tempus habemus, id est, in hac vita, quæ est tẽpus seminandi.* Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, etc.* Ecclesiastes 9. *Quodcumque oportet operari manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quibus verbis interpretationem ex Hieronymo adductam amplectitur D. Thom. eamque alijs testimonijs confirmat.

64 *Secũdo ratione.* *Minor ostenditur primo.* *Secũdo.* *Paul. ad Galat. 6 Hier.* S. Tho. *Ioan. 9.* *Eccl. 9.*

Hæc ratio, quæ communis est apud Theologos, displicet Vazquio *in præsenti disp. 76. ca 1. num. 3.* eo quod, licet conditio viatoris sumpta ex parte

65 *Vazq. respond. huic rationi.*

carnis, & corporis mortalis necessaria sit, vt aliquis sibi mereatur dotes gloriæ corporis; non tamen est vllo modo necessaria ad rationem meriti, quo pro alio aliquid est obtinendum, nec ad merendum sibi nominis exaltationem: vnde ex eo quod Christus Dominus per mortem, statum viatoris finierit, non recte à nobis colligitur, non posse hominibus dona gratiæ mereri. Ita vbi *proximè, & disp. 74. cap 1 num. 2. & 1. 2. dis. 216 cap. 4.*

66 *Doctrina hæc Vazq̃x displicet frequentiꝰ Theologis.*

Hæc tamen doctrina istius Auctoris displicet frequentius Theologis, & omissa illa quæstione, an, scilicet, status viæ ex natura rei, vel ex sola volũtate diuina, vel ex lege Dei, in rerũ naturis præhabita congruentia fundata, requiratur ad meritum, de qua 1. 2. *q.* 114 *art.* 1. quod absoluté, siué ex hoc, siue ex illo capite necessarius sit ad quemcumque modum meriti; ostenditur primo: nam ex oppositio fieret beatos de facto plura dona gratiæ viatoribꝰ promereri; consequens est falsum: ergo status viæ absoluté est necessarius ad meritum. Patet sequela: possunt namque, vt fatetur Auctor cõtrarius; & aliàs maximo charitatis affectu nos prosequuntur: ergo de facto applicant sua merita pro donis gratiæ viatoribus obtinendis. Falsitas autem consequentis, quod aperté concedit Vazquez 1 2. *disp.* 216. *cap.* 4. *num.* 31. probatur: si namq; beati nobis merentur dona gratiæ de congruo, sequeretur Christum in cœlo existentem, illa nobis de condigno mereri; consequens est contra Vazquez: ergo beati de facto nobis non merentur dona gratiæ. Probatur sequela: nam si Christus non mereretur illa dona de condigno, quæ de congruo merentur beati, maximé, quia in statu viæ illa perfectissimé meruit: at hæc ratio nulla est; cum possit præmium perfectè promeritũ, iterum sub merito cadere, vt fatetur Vazquez *in præsenti disp. 76. cap.* 1. ergo si beati nobis merentur dona gratiæ de congruo, illa Christus nobis de condigno meretur.

67 *Secũdo.*

Secundo: nam si ad merendũ pro alijs non exigitur status viatoris, nec ad merendum sibi dona aliqua accidentalia, status iste exigetur; consequens est falsũ: ergo & prædicti Auctoris doctrina. Sequelam concedit Vazquez, vt vidimus. Falsitas autem consequentis probatur primo: nam exinde sequeretur beatos sibi de facto mereri gaudia aliqua accidentalia; nulla enim potest assignari ratio discriminis inter meritum donorum accidentalium, & accidentalium gaudiorum; at hoc negat Vazquez 1. *p. disp.* 230. ergo tenetur negare illud. Secundo probatur: si namque beati sibi merentur dona aliqua accidentalia, v. c. nominis exaltationem, sequeretur, Christum sibi metipsi mereri nominis exaltationem; consequẽs ab hoc Auctore negatur: ergo negari debet, beatos sibi mereri accidentalia dona. Tertio: nam exinde fieret, quod beati sibi mereantur gloriam corporũ suorum; consequens est falsum, & à nullo admissum, quem viderim: ergo & tradita doctrina. Patet sequela: nam iuxta Auctorem contrarium solum ad meritum essentialis beatitudinis exigitur status viæ, hoc est coniunctionis ad corpus passibile, & carentiæ claræ visionis: ergo sicut meritum beatorum extendit ad exaltationem nominis, & dona alia accidentalia, illud etiam debet extendere ad beatitudinem corporis, qua vsque in iudicij diem carent animæ beatorum.

*Falsitas consequẽtis prob. primo.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

68 *Quarto.*

Quarto denique probatur ex alio inconuenienti, quod ex solutione tradita sequitur, nimirum, animas in Purgatorio mereri de condigno essentialẽ beatitudinem; consequens est falsum, vtpote communi Theologorum sententiæ repugnãs, quod & ipse Vazquez negat *vbi. 2. disp. 216. cap. 4. num. 31.* ergo & tradita solutio. Probo sequelam, ex eo in sententia istius Auctoris status beatitudinis non pugnat cum merito doni accidentalis proprij; benè verò cũ merito essentialis beatitudinis, quia istam potiuntur beati; dona verò accidentalia non sunt plenè consequuti: ac proinde possunt in illa per noua merita tendere; sed animæ Purgatorij non possident beatitudinem animæ: ergo quãuis iam sint constitutæ extra huius vitæ cursum, possunt in Purgatorio existentes illam sibi promereri, illamque merentur de facto.

Res-

69 *Respondet Vazquez.*

Respondet Vazquez *eo proximè allegato*, animas Purgatorij, ideò non mereri essentialem beatitudinem: quia licet nō fuerint consequutæ præmium, & fruitionis statum, quem meruerunt in hac vita; tamen iam sunt extra statū viæ sua natura destinatæ in tale præmiū, tametsi quousque tollantur quædam minora peccata detineantur in Purgatorio, quod non sufficit, vt dicantur in via, statuque merendi permanere. Hæc tamen solutio est omninò voluntaria; non enim potest ratio, vel apparens reddi, cur status viæ sumptus pro coniunctione animæ ad corpus mortale, & passibile sit suapté natura exactus ad meritum vitæ æternæ, & cur non sufficiat carētia possessionis beatitudinis cōpetēs animabus Purgatorij, etsi à corpore separatis: ergo vt Vazquez solidé, & cum fundamento loquatur, tenetur recurrere ad ordinationem diuinam taxantem pro termino meriti, terminū vitæ mortalis, quo dato, idem erit dicendum pro merito donorum accidentalium ipsi subiecto merenti, & ad promerendum alijs.

*Cōtra* 1.

70 *Secūdo.*

Quod item alio exemplo monstratur, nempé, in Enoc, & Ælia, quos existere in Paradiso terrestri tradit cōmunis consensus, & nō mereri augmētum essentialis beatitudinis tenet vbi *proximè* Vazquez cum frequentiori sētentia: at huius alia ratio nequit reddi, nisi ordinatio diuina; cum viuant in corpore mortali, & passibili, nec conditionem aliquam habeant ex natura rei pugnantem cum merito beatitudinis: ergo tenetur Vazquez, vellit, nolit, recurrere ad diuinam ordinationē, quod enim in eo statu, & loco, peculiari Dei ordinatione extra communem modum referuentur, quod Vazquez pro causa assignat, cur Prophetæ nō mereantur; quam repugnantiam habet ex natura rei cum merito beatitudinis? Certé nullam: asserendum ergo est, ideò in illo statu nō mereri, quia Deus ita ordinauit, quod, scilicet, nullus mereatur, nisi in corpore mortali, iuxta communem modum viuendi, quo dato, idem etiam dicendū est de merito præmij accidentalis, & de merito ordinato ad præmium consequendum alijs.

Et ex his secunda pars conclusionis suadetur primo ex D. Thoma *infra q.* 50. *ar.* 6. *in corpore.* & *solut. ad* 2. illis verbis: *Dicendum, quod mors Christi secundum quod consideratur in facto esse, etsi non est ad nostram salutem operata per modum meriti, est tamen operata per modum efficientiæ, vt dictum est*; at in instanti extrinseco vitæ Christi, & intrinseco morti, est mors Christi in facto esse; cum sit verum dicere in illo, Christus mortuus est: ergo Christus in instanti physico mortis non meruit. Secundo probatur; vt enim ex dictis constat, status viæ sumptus pro coniunctione animæ ad corpus mortale, & passibile, est conditio exacta ex diuina ordinatione ad merendum sibi, vel alijs; sed in instanti physico mortis non fuit anima Christi corpori mortali vnita: ergo in illo instanti non meruit. Minor, in qua est difficultas, probatur, ex communi Philosophorum sententia, quam non negat Caietanus, docente, viuentia desinere esse, non per vltimum sui esse, sed per primum sui non esse: ergo in instanti physico mortis Christi fuit verum dicere, nunc primo, non est Christus, vt homo, vel vt viuens vita mortali; & immediatè ante hoc fuit: ergo verum fuit dicere, nunc primo, anima Christi non est eius corpori vnita; & consequēter in illo instanti anima Christi Domini non erat corpori mortali coniuncta.

71 *Secūda pars conclusionis probatur* 1.

*Secūdo.*

## §. VIII.

### *Argumenta contra primam partem conclusionis diluuntur.*

72. *Arg.* 1. *cōtra* 1. *partē cōclusionis Ioan.* 14. *Ioan.* 2.

CONTRA primā conclusionis partē arguitur primo; Christus nūc in cœlo existens orat pro nobis ad Patrem, vt cōstat ex illo Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis.* Et Ioannis 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesu Christum.* Ad

Ro-

Rom. 8. Cypria. August. Ambros. Bern. S. Tho.

Romanos 8. *Christus Iesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Constat etiam ex Cypriano *lib. 4. epistolarum epist. 4.* Augustino *præfatione in Psalmum 85* Ambrosio *super cap. 8. ad Romanos* Bernardo *serm. de Natiuitate Mariæ.* Et ex D. Thom. *in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 6 quæstiuncula 2 ad primum. 2. 2. quæst. 83. art. 11. in corpore.* Et præterea à paritate sanctorum in patria existentium, quos orare pro viatoribus docet communis sententia, probatque Angelicus Doctor loco proxime citato, quia oratio vnius pro alio prouenit ex charitate; sancti autem existentes in cœlo, perfectioris sunt charitatis: quæ ratio à fortiori conuincit de Christo in cœlo existente; sed oratio meritoria est: tum, quia est impetratoria, vt docet D. Thom. *vbi proximè art. 15.* impetratio autem meritum est; vt constat ex Augustino *epist. 105.* vbi ait: *Nec remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Tum etiam, quia vt docet D. Thom. vbi proxime: oratio ex charitate habet efficaciam merendi; oratio autem Christi etiam in cœlo existentis ex maximo dilectionis affectu procedit: ergo in cælo existens meretur, & cõsequenter meruit post mortem.

Minor probatur. 1. S. Aug. Secũdo.

73 Duplex solutio omittitur. Vazq̃z Medina

Prima huius argumenti solutio negat maiorem: ita Vazquez *Disp. 82. à cap. 2.* plura PP. referens testimonia; & ex nostris Medina *infra quæst. 21 art. 1* Secunda distinguit maiorem, illamque concedit de oratione, merita præcedentia pure applicante; negat autem de oratione ratione propriæ bonitatis aliqua ratione impetrante; & sub eadem distinctione minoris, negat consequentiam; oratio etenim tantum applicatiue, & vt mera conditio concurrens meritoria nõ est. Ita Puente Hurtado *disp. 79. sect. 3. subsect. 1. §. 15.* Missa tamen huius rei discussione *ad quæst 21. infra*, vbi propriã sedem habet: ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorẽ.

Hurt. Vera solutio.

Ad primã probationẽ minoris respondetur.

Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; meritũ enim, etiam congruum, ab impetratione distinguĩ, constat clare ex D. Thoma 1. 2. *quæst. 114. art. 9. ad 1.* vbi concedit, donum perseuerantiæ cadere sub impetratione; non autem sub merito, & 2. 2. *quæst. 83. art. 16.* vbi docet, peccatore petendo aliquid à Deo impetrare; & tamen solut. ad 2 negat, quod mereantur à Deo, his verbis. *Et quamuis eius oratio* (scilicet peccatoris) *nõ sit meritoria; potest tamen esse impetratiua, quia meritum innititur iustitiæ, sed impetratio innititur gratiæ.* Et in eadem *quæst art. 11. ad 1.* docet, Sanctos orare pro beatitudine corporis, illamque impetrare, & nobis beatitudinem animæ; cum tamen omne meritum à beatis excludat: quod etiam docuerat *in 4. d. 45. quæst. 3. art. 3. ad 4.* vbi affirmat, beatos, etsi non sint in statu merendi, esse tamen in statu impetrandi: & 2. 2 *quæst. 83. art. 15. ad 3.* vbi docet, efficaciam meriti orationis in niti charitati; efficaciam vero impetrandi inniti principaliter fidei: sentit ergo Angelicus Doctor rationem impetrationis distingui à ratione meriti, ab illaque separabilem esse; ac per consequẽs, ex eo quod Christus in cœlo pro nobis oret, & dona, quæ postulat impetret, male colligitur in cœlo nobis mereri. Et quidem Sanctos in cœlis Deum pro nobis orare, catholicè negari non potest: vel ergo merentur, vel non: si secundum dicatur, ex oratione, ac impetratione, non colligitur meritum, si primum nec inconueniens erit, quod Christus in cœlo existens mereatur; ratio enim negandi meritum Christo nulla alia est, vt supra vidimus, nisi quia extra statum viæ existit, quæ ratio manifestè euanescit, si sanctis in cœlo existentibus conceditur meritum.

S. Tho. 74

Nec oppositum conuincit testimonium Augustini: nam interpretandus est, vel de merito largè pro quomodolibet conducente ad salutem, vel de impetratione, non quæ orationis propria est, & à merito distinguitur; sed communi alijs virtutum operibus, qualiter cum merito congruo coincidit, & de hac impetratione loquendo, vera est conditionalis Augustini, quod nempè peccatorum remissio non est sine aliquo merito si fides hanc impetrat. Ad secundã minoris probationem dicatur, orationẽ habere ex charitate efficaciam merendi, quando meritoria est, non autem omnis oratio ex charitate procedens est meritoria, vt ex D. Thoma vidimus: vnde

75 Augustinus interpretatur.

Ad secundam minoris probationẽ.

ex eo quod Christi oratio in cœlo ex maxima Charitate procedat, non sequitur, quod meritoria sit.

76 *Dices.* Sed dices, oratio Christi, vtpote infiniti valoris, non potest non esse condigna doni postulati à Deo: ergo eo ipso, quod pro nobis oret, meretur de condigno donum postulatum ab ipso. *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti de condignitate, quoad sufficientiam, negando consequentiam; quia ad meritum actuale non sufficit condignitas operis, sed insuper est necessaria applicatio à merente facta ad præmium; licet autem omnis Christi postulatio ob suum infinitum valorem condigna sit omnis præmij, quia tamen Christus illam ad præmium promerendum non dirigit, ideo meritoria non est.

77 *Instabis* Instabis, non stat Christum aliquid postulare, & suam orationem non dirigere ad rem postulatam, & intendere illam consequi: ergo oratio ex defectu applicationis à ratione meriti nequit deficere. *Respondetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: tamquam meritum ad præmium, nego antecedens: tanquam impetrationem ad impetrationis terminũ, vel obiectum, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia vt oratio meritoria sit, non sufficit dirigi à petente ad rem postulatam per modum impetrationis; sed est necessarium dirigi ad rem postulatam, tamquam ad præmium: hoc autem modo non dirigit Christus existens in cœlo orationem suam ad dona, quæ nobis postulat; non enim intendit oratione sua hæc dona nobis mereri, nec Deum in vi illius ad hæc dona nobis impertienda obligare; sed merita, quæ in mortali vita exercuit Deo repræsentare, & desiderium quod habet, vt dona illa nobis concedantur à Deo; & idcirco tametsi pro nobis oret, & dona petita impetret, non tamen illa meretur per orationis actum, quo Deum in cœlis orat.

78 *Dices.* Sed dices, sequi ex ista solutione orationem Christi in cœlo, nec impetratorié ad dona nobis à Deo concedenda concurrere; consequens non admittemus: ergo nec traditam solutionem admittere debemus. Probatur sequela; vt enim oratio impetret, debet sua bonitate largientem aliqua ratione mouere, & non vt pura conditio ad donum postulatum concurrere: alias nulla ratio esset, cur oratio omnimode naturalis non esset impetratoria gratiæ, cuius contrarium *tract. de prædestin.* cum communi sententia docuimus: at iuxta solutionem datam oratio Christi Domini in cœlo non mouet Deum ratione bonitatis propriæ, sed tantum vt applicatio meritorum, quæ in præsenti vita exercuit: ergo nec impetratorie ad dona nobis à Deo impertienda concurrit.

79 *Respondetur.* Respondeo, negando sequelam: ad illius probationem distinguo maiorem: debet aliqua ratione per propriam bonitatem mouere, per modum meriti, nego maiorem: per modum impetrationis, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiã. *Triplex meditatur orationis cursus.* Pro cuius intelligentia animaduertendum est, triplicem posse in oratione meditari, repeririique concursum. *Primus* Primus est per modum proponentis, in quo tãtum, vt pura conditio concurrit, quandoque mouendo Deum ad misericordiam; quando scilicet proprij subiecti, vel alterius miseriam repræsentat, & quandoque ad iustitiam; cum scilicet proprij, vel alieni subiecti merita repræsentat. *Secũdus* Secundus est meriti condigni, cum supra obsequium æquale præmio fundatur, vel congrui, cum fundatur supra rationem obsequij inæqualis cũ præmio. *Tertius.* Tertius est impetrationis. Animaduertendo secundò, multiplex inter rationem meriti, & rationem impetrationis in oratione repertas intercedere discrimen. 80 *Ratio meriti, & impetrationis, in oratione multiplex discrimen importunt.* Primum est, quod oratio quoad efficaciam merendi principaliter innititur Charitati, sicuti & alia opera rationem meriti ex charitate sortiuntur. *Primum* Quoad efficaciam vero impetrãdi principaliter innititur fidei, quia scilicet per fidem obtinet homo notitiam omnipotentiæ diuinæ, & misericordiæ, ex quib⁹ impetrat oratio, quod petit. Ita D. Tho. *2. 2. quæst. 83. art. 15. ad 2. argum.* Discrimen secundum est, quod meritum statum gratiæ in subiecto requirit; secus autem ratio impetrationis. Sic D. Thomas, *vbi proximè art. 16. in corp. & solut. ad 2.* Tertium est, quod meritum innititur iustitiæ; efficacia autem impetra- *Tertium*

tionis

tionis innititur gratiæ, & liberalitati largientis. Sic D. Thomas: *vbi supra art. 16. solut. ad 2. in 4. dist. 5. q. 4. art. 7. quæstiunc 3. in corp. & dist. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. in corp.* ibi: *Dicendum, quod meritum Deum obligat ad sui remunerationem ex iustitia stricta, si sit meritū condignum, vel potentiali, sicut meritum congruum, quod Deus obligatus ex gratuitaine præmiat; impetratio autem non obligat Deum ex iustitia, sed petitum obtinet ex sola liberalitate largientis*: ex quo infert D. Thomas *loco vbi vltimo*, quod cum impetratio orationis sit secūdum liberalitatem diuinam ad omnia se potest extendere, quę potestati diuinæ sunt subordinata; secus autem ratio meriti in oratione reperta: vnde potest vn⁹ alteri impetrare primam gratiam; secus autem illam valet de condigno mereri.

81 Et *in 4. dist. 15. q. 4. art. 7. quæstiunc. 3. in corp. & in solut. ad 4.* ex eodē principio colligit, non perseuerantem in oratione quandoque mereri, sed non impetrare, quia impetratio importat consequutionem ex proposito, & liberalitate largientis; meritum vero ordinem iustitiæ ad consequutionem; impedimentum autem interueniens per instabilitatem, etsi tollat consequutionem, non tollit ordinem ad illam; & ideo non tollit meritum; bene autem impetrationē.

*Quartū* Quarto differunt impetratio, & meritū, quod ratio meriti communis est omnibus virtutum actibus, vt à charitate imperatis: ratio vero impetrationis oratio ni propria est. Ita D. Thomas *q. proxime all gata art. 13. in corp.* illis verbis: *Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare.*

82 *Quintū.* Ex quibus quintum colligitur inter meritum, & impetrationem discrimen, nempe, meritum in ratione obsequij Deo facti fundari; cum enim Deū, vt remunerātem ex iustitia respiciat, debet in illius aliqualem vtilitatem fieri, impetratio verò non ita, sed in propria honestate, quæ in postulando, Deumq; precando inuenitur, non attenta ratione obsequij. Ac denique *sextum*, ad meritum applicationem merentis, ad præmium, & intētionem, saltim implicitā, Deum obligandi, Deique promissionē, vel omnia simul requiri. Deus enim nequit ex iustitia obligari, nisi vel promiserit sub conditione onerosa præmium, à puris creaturis; nec à Christo potest obligari, nisi ex hac intentione Deum obligandi, præmiumque merendi operetur: impetratio autem nec Dei promissionē requirit, nec quod orans Deū sua oratione intendat obligare, vt ab ipso aliquid impetret; sed solum quod ex fide, aut firmo iudicio Dei omnipotentis procedat, & humiliter dirigatur ad Deum ipsum deposcendo, ac de præcando.

83 *Solutio vltimæ instātiæ* Ex quibus constat vltimæ instantiæ solutio; non enim negamus Christum orantem in cœlo honestare suæ orationis Deum ad postulata concedenda mouere, vt largiatur liberaliter quantum est ex vi talis honestatis; sed tantum quod ex vi illius Deum obligare intendat, vt talis honestatis pro tunc remuneratorem. Constat vlterius, cur in cœlo impetratio sit, & nō meritum: cuius ratio vnica est diuina voluntas ordinans, vt solum in via, tam Christus, quam cæteri sancti, vel sibi, vel alijs mereantur, & istum terminum non præfigens impetrationi Christi; & aliorum sanctorum.

84 *Arguitur secūdo. Cyril⁹. Chrysost. Theofil. Ambros. August. Leo* Secundo arguitur; Christus enim vulnere lateris meruit: ergo meruit post mortem. Antecedens probatur Auctoritate PP. asserentium ex vulnere lateris Sacramenta, aut illorum virtutem emanasse. Ita Cyrillus, Chrysostomus, & Theofilatus *in cap. 19. Ioannis.* Ambrosius *homilia 10. in Lucam* August. *tract. 15. in Ioannem, & tract. 120.* Et Leo Papa, *epist. 4. cap. 6.* his verbis: *Tunc generationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis.* Sed non efluxerunt physice: ergo meritorie, & consequenter Christus meruit lateris apertione, atque vulnere. *Respōdetur.* Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem, missa quorundam sententia, quos sine nomine refert Vincentius de gratia Christi *q. 5. pag. 412.* asserentium, Christum prædictum vulnus ante mortem accepisse; quam Vincentius vt hæreticam reijcit, pugnat enim aperte cū contextu Ioannis *cap. 19.* Missō igitur istorum Theologorum errore.

*Vincēt.*

Respon-

Respondeo primo cum Vincentio *vbi proximè*, distinguendo, aut explicando PP. testimonia de effluxu Sacramentorum ex vulnere Christi vt meritorio obiectiué, vt obiecto, scilicet actº, quo Christus dum viueret, tum mortẽ; tum etiam lateris vulnus voluntariè acceptauerit; non autem, vt meritorio formaliter; ex quo, vt clare constat, non sequitur Christum post mortem meruisse. Vel secundo cum eodem Vincentio possumus PP. testimonia explicare de effluxu Sacramentorum à vulnere lateris Christi in genere causæ exemplaris, ad modum quo resurrectio Christi causa fuit resurrectionis nostræ à peccato; iuxta illud Pauli: *Resurrexit propter iustificationem nostram*: vbi ly *propter* non causam meritoriam, sed exemplarem nostræ iustificationis designat. Tertio alij explicant de causa figuratiua Sacramentorum, præcipuè Eucharistiæ, & Baptismi.

85 *Ad probationẽ antecedẽtis respõdetur. 1. cũ Vincẽtio.*

*Secundo cũ eodẽ Vincentio.*

*Tertio alij respõdẽt.*

Vel denique respondere possumus, vulnus illud fuisse causam virtutis Sacramentorum, non meritoriam, sed efficiẽtem, qualiter mortem Christi in facto esse nostrã salutẽ causasse, docet D. Tho. *infra q. 50. art. 6.* Et de sepultura Christi idem docet *q. 51. art. 1. ad 2.* Et de Christi resurrectione *q. 56. art. 1. & 2.* nempè nostram, tum corporum physicam resurrectionem, tum resurrectionem animæ à culpa, non meritorie, sed efficienter causare. Quomodo autem actiones, aut passiones, quæ modo physicè non existunt, possint physicè efficienter influere, ingentem habet difficultatẽ, huius tamen loci non est, & ideo nec libet, nec vacat illam in præsenti examinare. Videantur Caietanus, Medina, & Nazarius *infra q. 50 art. 6.* & Vincentius de gratia Christi *q. 6. pag. 817.* Nobis enim sufficit pro præsenti difficultate, quod vulnus lateris Christi post mortẽ eum influxum habuerit in Ecclesiæ Sacramenta, aut in illorum virtutem, quẽ passio, sepultura, atque illius resurrectio habuerunt in hominum iustificationem.

86 *Vltimo responderi potest.*

***

## §. Vltimus.

### *Argumentis contra secundam partem conclusionis occurritur.*

DEINDE contra secundam partem cõclusionis arguitur primo: Christus moriendo nos meritorie redemit, iuxta illud: *Qui mortem nostram moriẽdo destruxit, & vitam resurgendo reparauit*; sed in instãti physico mortis verũ erat dicere *Christus moritur*: ergo in illo instanti nos meritorie redemit: ac per consequens in prædicto instanti meruit. Respondeo, distinguendo, vel explicando maiorem: moriendo morte accepta in fieri, nõ coniuncto in eodem instanti cum facto esse mortis, concedo maiorem: sumpta morte in facto esse, aut in fieri simul cum facto esse existente, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; quia in instanti physico mortis non verificatur, Christum mori in fieri non existente simul cum facto esse; & ideo nõ verificatur nos redimere meritoriè; & ratio est iam data, nimirum, in illo instanti, animam Christi non esse coniunctam corpori: ac proinde nec in statu viæ, qui ex diuina ordinatione est ad meritum designatus: nec testimonium contra distinctionẽ traditam facit: nam iuxta illam explicandum est, nimirum, moriendo, mortem nostram destruxisse, meritoriè, morte accepta in fieri, non autẽ in facto esse, etsi de illa sic accepta verificari possit mortem nostram destruxisse, non meritorie, sed efficienter; sicut de Christi resurrectione dicitur, vitam nostram reparasse efficienter non meritoriè; de quo videndus est D. Thomas *infra q. 50. art. 6. & q. 56. art. 1 & 2.*

87 *Cõtra secũdã partẽ cõclusionis arguitur 1.*

*Respõdetur.*

Sed dices, Christũ moriendo mortem nostram destruxisse, ac nos redemisse verificandum est in rigore, & verborum proprietate; cum id passim in Scriptura inueniatur; & aliàs ex rigorosa, &

88 *Dices.*

pro-

propria acceptione nullum inconueniens sequatur; sed id accipi de morte in fieri, non autem in facto esse, proprietatem verborum non saluat: ergo intelligendum est de morte, vt in facto esse. Minor probatur, quia namque homicidium consistit in facto, ex proposito occidendi, non dicitur aliquis homicida simpliciter, sed secundum quid, & mentalis; & similiter gladio aliquem percutiens percussione in mortem tendente, non dicitur perfecte homicida, sed secundum quid, & inchoatiué, vsque dum mors subsequatur; sed mori in facto consistit: ergo ex moriendi proposito non dicitur aliquis moriens simplicitér, sed secundum quid, & mentaliter, & ex causa mortis accepta, & ad mortem inclinãte, in quo consistit mors, prout in fieri, non dicitur simplicitér moriens, sed secundumquid, & inchoatiue: ergo redimere nos per mortem meritorié, non verificatur simpliciter, & in rigore, ac proprietate verborum, per mortem in fieri concurrentem meritorié ad nos redimendum, sed tantum per meritum redemptionis nostræ à morte, prout in facto esse: ac per consequens, vt verificetur in verborum proprietate, Christum moriendo nos meritorié redemisse, necessário est asserendum, Christum nostram redemptionẽ meruisse per mortẽ in facto esse.

89 *Respõdetur.* Respondeo, mortem posse dupliciter accipi; vel in fieri antecedenti ad factum esse, etsi cum illo connexo, & in facto esse; vel in fieri simultaneo cum illo; & quamuis prima acceptio non sit omnimode stricta, & rigorosa in sensu Phylosophico; est tamen in sensu Theologico stricta; cum enim quod parum distat pro nihilo reputetur, fit vt mortẽ in fieri infallibiliter connexam cũ morte in facto esse, absolutè mortem appellauerit; & licet mors sumpta in facto esse, strictiùs sumatur: quia tamen incapax merendi, est ob rationem supra factam, sit consequens, quod de illa sic sũpta verificari nequeat, fuisse hominibus meritoriam, ne principium Theologis commune destruatur, nempé, statum viæ necessarium esse ad meritum; etsi possit verè affirmari de illa efficientér nostram salutem causasse, Christumque per mortem in facto esse, efficiẽtér nos redemisse, vt D. Thomas docet *infra q. 50. art. 6.*

Deniq; arguitur: volũtariũ, aut liberũ in causa ineuitabili, est sufficiẽs ad meritũ; sed mors Christi in instanti physico fuit Christo libera, & volũtaria in causa ineuitabili, ipsi volũtaria, & libera: ergo meritoria fuit; & consequenter Christus in instanti mortis meruit. Minor cõstat: nam mors in instanti extrinseco vitæ, & morti intrinseco sequuta fuit ad mortẽ, prout in fieri, pro tempore antecedenti, & immediato ad instans intrinsecum mortis; sed mors prout in illo fieri antecedenti fuit Christo libera, & voluntaria: ergo mors Christi in instanti intrinseco sui, & extrinseco vitæ fuit voluntaria, & libera Christo in causa ineuitabili sui. Maior probatur: voluntarium, & liberum in causa ineuitabili, est ad peccãdum sufficiens, vt constat; tum in pollutione nocturna, quam esse peccatum formaliter, & non solum effectum peccati, cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus *1.2. q. 74. art. 5.* constat etiam in morte ex veneno voluntariè propinato sequuta, & in illa, quæ sequitur ex emissione sagittæ; mors enim in his casibus non est in se ipsa libera, & voluntaria formaliter, sed tãtum in causa, ad quam ineuitabilitér sequitur, & tamẽ est peccatum, & non solum effectus peccati: ergo paritér voluntarium, & liberum in causa ineuitabili erit ad merendũ sufficiens.

90 *Arguitur vltimo.*

Dices: plus ad merendum, quam ad demerendum requiri: vnde voluntariũ purè omissiuum, quod est ad peccandũ sufficiens, non sufficit ad merendum. Voluntarium etiam in capite, est sufficiens ad peccandum, vt constat in Adamo, cuius voluntate peccauimus, & tamen hoc genus voluntarij ad meritum sufficiens non est: ac per consequens, ex eo quod voluntariũ in causa sit ad peccandum sufficiens, non rectè infertur, quod etiam ad merendum sufficiat. Sed contra: nam esto verum sit plus ad merendum, quam ad demerendum requiri; ac per consequens, quod vt quis demeretur, & peccet, non requiratur causam esse volitam in quantum causam formaliter, bene tamen ad merendum; non tamen

91 *Si fortè respondeas.*

*Contra.*

men sequitur quod siquis causam alicuius effectus formaliter velit, vt illius causa est, non mereatur per effectum ex tali causa sequutum; at Christus se voluntarié subiecit causis suæ mortis, pro instanti physico illius, prout illius causæ erant, & quatenus ex eis mors in facto esse infallibiliter, erat futura: ergo mors in facto esse, fuit illi sufficienter voluntaria, vt per eam mereretur. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: nam per solum illud discrimẽ saltem differentia sufficiens inter meritũ, & demeritum: ergo non est cur aliquid amplius petatur.

92 *Respõdetur.* Quare aliter ad argumentum respõdeo, distinguendo maiorem: si adsint cætera ad meritum requisita, concedo maiorem: si non adsint, nego maiorem: & concessa minor, nego consequentiã: deest enim status viæ, qui ad meritum est necessarius: vnde sicut beati per actũ formaliter liberos nihil merentur, non ex defectu libertatis, sed conditionis viatoris, & damnati nihil, in sententia probabili, demerentur, non defectu libertatis, sed eiusdem conditionis: ita mors Christi in instanti sui intrinseco, nõ fuit nobis meritoria ab actu libero voluntatis Christi, quo se causis mortis subiecit, nõ quia ex hac subordinatione non fuerit libera sufficienter, sed quia illud instans erat extra viam Christi, vtpote in quo illius anima non erat corpori mortali coiuncta, in quo viatoris status consistit. Quod siquis Caietani sententiam defensare voluerit, libertatem in morte Christi pro illo instanti, modo explicato saluando, & insuper asserẽdo, statum viæ ad meritum prærequisitum, instans viæ extrinsecum, immediatumque comprehendere, id poterit probabiliter sustinere; sed melius est communi adhærere sententiæ. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 18. §. 2.* ibi: *Non solum meruit Christus, quando Patri obediens, crucem subijt, sed etiam ab ipsa conceptione, ex quo homo factus est.* *M. Sẽt.*

# DISPVTATIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

## An Christus per actũ charitatis meruerit?

### §. I.

*Ratio dubitandi proponitur, & referuntur sententiæ.*

Nu. 1. *Ratio dubitandi.* RATIO dubitandi, eaque satis efficax, & difficilis est; libertas namque ad meritũ necessario requiritur, vt tenet communis Theologorũ sententia 1.2. q. 114. art. 1. vbi inter alias conditiones ad meritum requisitas, omnes Theologi, nullo excepto, quem viderim, libertatem actus assignant; atqui actus charitatis in Christo, liber non fuit: ergo Christus per illũ non meruit. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: Christus, vtpote clare, & intuitiuè diuinam essentiam videns, necessario Deum diligebat; Deus enim clare visus ad sui dilectionem necessitat, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 4. art. 4. & cum illo communiter Theologi:

gi: ergo non diligit liberé Deum; & cõ sequenter actus charitatis in Christo liber non fuit.

2 Prima sẽtentia

Hæc ratio dubitandi ob sui difficultatem adeò torsit Theologorum ingenia, vt illos in varios modos dicendi, pluresque sententias diuiserit. Quidam, illa conuicti, negarunt, Christum per actum aliquem chariratis erga Deum meruisse; cumque actus dilectionis proximi, non à charitate Theologica, sed à beneuolentia, aut beneficientia erga proximum in illorum sentẽtia elicia tur, consequenter inferunt, per nullum actum Theologicæ charitatis meruisse. Hanc sententiam, pluribus alijs relatis, tenet Vazquez *d sp. 74. cap* 2 in illamque Angelicum Præceptorem conatur adducere.

*Vazq.*

Secũda.

Secunda distinguit duplicem actum dilectionis in Christo, vtrumque ad Dei bonitatem in se, & ratione sui terminatum, vnum regulatum scientia beata, alterum regulatum sciẽtia supernaturali infusa; & asserit, primum fuisse necessarium omninò, ac proinde non meritorium. Secundum autem liberum, meritoriumque extitisse. Refertur pro hac sententia Caietan⁹ *supra q.* 11 *art.* 1 sed falsò; in illam ramẽ inclinat *1. p. q. 82. art. 2 circa finem.* Illã tenet Ferrara 3. *Contra Gentes cap.* 62. *§. Ad id, quod vltimo.* Medina *in præsenti art.* 3 *q* 2. & probabilem censet Vincentius *de Gratia Christi q* 5 *pag.* 414. Pro qua etiam referuntur Capreolus *in primo dist.* 1. *q* 2. *in vltimis verbis*, Et Mag. Soto *lib.* 3 *de natura, & gratia cap.* 7. Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *disput.* 29. *sect.* 2. Granadus *de Incarnatione tract.* 14. *disp.* 1 *sect* 1 Eidemque vt probabiliori adhæret Valentia *in præsenti q* 19. *punct.* 2. quos aliqui Recentiores ex eadem familia sequuntur.

*Caiet.*

*Ferrar. Medin.*

*Vincẽt. Capreol.*

*M. Sot.*

*Suar. Gran. Valent.*

3 Tertia.

Tertia sententia, duos alios actus charitatis distinguit, vtrumque regulatum scientia beata; vnum, quo Deo bona intrinseca dilexit, & in illis, vt Deo bonis complacuit; alterum, quo ipsi Deo bona extrinseca voluit, nimirum, gloriam honorem, & omnia bona creata, quatenus sunt bona Dei; & asserit non meruisse per primum, quia necessarius erat; per secundum verò meruisse, quia non fuit necessarius, sed liber. Ita Lorca *disp.* 72. *concl* 2 Quartam, veramque sententiam tribus assertionibus explico.

*Lorca. Quarta.*

## §. II.

### *Christum per aliquem actum charitatis meruisse, probatur.*

4 *Prima cõclusio*

PRIMA CONCLVSIO. *Meruit Christus per aliquem actum Charitatis erga Deum regulatum scientia beata.* Ita quoad primam partem Auctores 2. & 3 *sententia*, & frequentius cæteri Theologi. Ante cuius probationem aduerto, de dilectione proximi, ferè omnes fateri, Christum per illam meruisse; cũ enim dilectio proximi in Christo non fuerit necessaria, non est cur, sicut per actus cæterarum virtutum meruit, non meruerit etiam per proximi dilectionem. An autẽ à charitate virtute Theologica eliciatur secundario; an verò ab alia virtute, nõ est præsentis negotij, sed pertinet *ad* 2 2. *q.* 24. vbi cum veriori sententia partem affirmatiuæ adhæsimus.

5 *Prima pars cõclusionis ostenditur* 1.

Hoc ita supposito, prima pars conclusionis ostenditur primo: nam iuxta D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 4 *in corp. & solut. ad* 5. *& in* 3. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 5. & pluribus alijs in locis; actus cæterarum virtutum non sunt meritorij supernaturalis præmij, nisi prout sunt à charitate imperati; sed actus aliarum virtutum fuerunt meritorij in Christo supernaturalis præmij: ergo fuerunt à charitate imperati; & consequenter dilectio charitatis imperans prædictos actus, etiam meritoria fuit. Tùm, quia vt docet D. Th. radix merendi est charitatis imperium, ablata verò radice, & radicatum auferre, est necesse; & consequenter semota ratione meriti à dilectione imperante, remoueri etiam debet ab actibus imperatis. Tùm etiam: nam

dilectio

dilectio non necessario, sed liberé imperat actus aliarũ virtutum: ergo si actus isti, quia liberé imperati, elicitique merentur, dilectio liberé imperans esse debet meritoria. Tunc vltra, sed dilectio, ex cuius directione, & imperio actus aliarum virtutum meritorij redduntur, non proximi, sed Dei est: ergo fuit de facto in Christo aliqua Dei dilectio meritoria. Minor constat: nam iuxta D. Th. ad hoc petitur imperium charitatis, vt actus alij sint merita, vt nempé, ad finem, qui est obiectum charitatis, ordinentur, sed ordinatio ad finem, qui est obiectum charitatis, solum à dilectione talis finis potest præstari, vel saltim sine illa à nullo præstari potest: ergo dilectio cuius imperium ad meritum est necessarium, non est dilectio proximi, sed Dei; quod autem in hac ratione supponimus, & solum ex Angelico Doctore probauimus; nempé, imperium charitatis esse necessarium ad metitum, nõ est præsentis loci probare, sed 1.2. *qu. 114. art. 4* vbi fusé à Nostris Thomistis ostenditur huius imperij necessitas.

6 *Dices.* Dices, quod licet imperium charitatis, necessarium sit ad meritum puræ creaturæ, non tamen ad conditionem meriti in anima Christi Domini; eo quod quivis actus ab anima Christi elicitus accipit à persona Verbi infinitam dignitatem. *Cõtra 1.* Sed contra primo: nam etiam actus supernaturales iustorum à gratia habituali dignitatem recipiunt; & tamen nisi à charitate imperẽtur, meritorij non sunt, vt supponitur in tradita solutione: ergo pariter actus eliciti à Christo, tametsi à persona Verbi infinitam dignitatem accipiant, non tamen erunt infinité meritorij, nisi supponantur à charitate imperati. *Secũdo.* Secundo; nam ideò actus isti in puro homine meritorij nõ sunt, absque imperio charitatis: quia gratia non constituit meritum, sed merito dat dignitatem; sed personalis Christi dignitas non constituit formaliter meritũ, sed cõstitutũ supponit, & illi infinitã dignitatẽ meritoriam cõmunicat: ergo actibus nõ imperatis à charitate, meritoriã dignitatẽ non tribuit. 7 *Tertio.* Tertio: nã personalis dignitas Christi, vt constituat Christi actus infinité meritorios, alias cõditiones ad meritum requisitas supponit, nempé, viatoris statum in Christo, libertatem, bonitatem, & supernaturalitatem in actibus; vnde actibus istas non habentibus conditiones, etsi tribuat dignitatem, nõ tamen præbet illis dignitatem meritoriam: ergo si ordinatio actus ad Deum super omnia dilectum, ad meritum est necessaria, actus non sic ordinati meritorij in Christo non erunt. *Explicatur hoc.* Quod amplius explicari potest; quia namque, vt actus meritorius sit in nobis exigitur supernaturalis bonitas, actus nullo modo supernaturalis, non fuit meritorius in Christo, vt pluribus ostendimus *supra q. 7. art. 1. Disp. 23.* ergo si ad meritum nostrorum actuum exigitur charitatis ordinatio, actus Christi Domini nõ subditus charitatis imperio, meritorius nõ erit. *Vrgetur* Et augetur difficultas; quia namq; ad meritum in nobis requiritur bonitas actus, dato, quod Christus actum aliquẽ indifferẽtẽ eliceret, meritorius nõ esset ex infinita dignitate personæ: ergo pariter si ad meritũ in nobis relatio charitatis exigitur, nõ obstãte infinita dignitate personæ, requiritur etiã in Christo.

8 *Si respõdeas.* Nec refert, si cum quoddam Recentiori respondeas, negando antecedens; actus enim indifferens in individuo, si eliceretur à Christo meritorius esset præmij supernaturalis; eo quod à persona infinité sancta procederet; ac per cõsequens dignificaretur ab illa, & infinité meritorius euaderet. *Cõtra 1.* Non, inquam, refert: tum, quia contra hanc solutionem obstat nouitas doctrinæ; nullus enim quẽ hucusq; viderim, fauet, præter istum Recentiorẽ, qui concedens rationẽ meriti actibus naturalib⁹ Christi fortẽ argumento cõuictus, & ignorans solutionẽ, rationẽ meriti vsq; ad actus indifferentes Christi Dñi protraxit. *Secũdo.* Tum; nã esto detur in nobis actus supernaturalis indifferens, quẽ esse possibilẽ, Recentiores quidã tuentur, talis actus meritorius non erit; & tamen poterit à gratia habituali procedere; & cõsequenter ab illa informari: ergo, quãuis actus indifferens à persona infinité dignitatis procedat; atq; ab illa moraliter informetur, meritorius esse nõ poterit. *Tertio.* Tũ denique: nam ex ista solutione sequitur, quod si per impossibile act⁹ inhonest⁹, & malus

eliceretur à Christo, esset meritori⁹ præmij supernaturalis; cõsequens absurdũ est: ergo & tradita solutio. Probo sequelã; actus iste procederet, nedũ ab humanitate Christi, sed etiam à supposito Verbi; cũ omnes operationes egredientes ab humanitate coniuncta supposito Verbi, ab illo vt QVOD egrediantur: ergo euaderet infinitæ dignitatis, & meriti infiniti; cũ hac sola ratione actus indifferens à supposito Verbi procedens foret meriti infiniti quia procederet à persona infinitæ dignitatis, & idcirco valoraretur ab illa.

9 *Dices.* Dices, disparẽ esse rationẽ: nam in actu indifferẽti non supponitur aliquid repugnans merito, sed solũ bonitatis carentia, quæ per bonitatẽ, aut valorẽ receptũ à persona, dignitate cõpletur; cæterũ in actu inhonesto, aut turpi, supponitur malitia moralis, quæ cũ merito repugnat. *Cõtra 1.* Sed contra primo: nã merito puri hominis nõ solũ repugnat turpitudo, aut moralis inhonestas, sed etiã defectus honestatis moralis; & tamen iuxta doctrinã traditã, defect⁹ honestatis moralis, non repugnat merito in Christo propter dignitatẽ personæ: ergo pariter quãuis turpitudo moralis pugnet cum ratione meriti in nobis, nõ tamẽ pugnabit cũ ratione meriti in Christo. *Secũdo.* Secundo: nã est probabilis pluriũ Theologorũ sententia, etiã Thomistarũ 1.2. q. 118. posse vnũ numero actũ esse bonũ ex obiecto, & malũ ex circunstãtijs: ergo poterit in actu elicito, in data hypotesi à Christo, simulcũ malitia ex obiecto, dignitas moralis ex persona sũpta coincidere; ac per cõsequens, si actus in indiui duo indifferens à Christo Dño elicitus, propter istã dignitatẽ est præmij supernaturalis meritorius, etiam actus malus moraliter, daro, quod à Christo procederet, meritorius præmij supernaturalis euaderet.

10 *Prob. 2. cõclusio* Secundo suadetur principaliter conclusio: nã Christo cõcedendũ est meritũ maioris perfectionis possibilis; sed meritũ actus charitatis, est specificé perfectius merito aliarũ virtutũ; & aliàs ex defectu libertatis non repugnat charitatis actũ esse meritoriũ in Christo, vt ex argumẽtorũ solutione cõstabit: ergo asserẽdũ est per actũ charitatis meruisse. *Suadetur amplius* Deniq; id ipsũ suadetur argumẽto Lorcæ *vbi sup.* nã act⁹, quo Christ⁹ Deo amabat bona extrinseca ex cõplacẽtia in bonitate diuina, non erat necessarius, sed liber: ergo nihil tali actui ad meritũ deficiebat. Cõsequẽtia ipsis aduersarijs est nota. Antecedẽs autẽ probatur primo: nã sola bonitas increata claré, & vt est in se proposita, volũtatẽ nostrã necessitat necessitate exercitij, quæ cũ libertate repugnat; at per illũ actũ nõ attingebatur vt QVOD bonitas increata, & diuina; sed bonitas Deo extrinseca, quæ est limitata, & finita: ergo actus ille nõ erat necessarius, sed liber. *Antecedens probatur 1.* Secũdo: nã actus iste est participatio formalis actus dilectionis Dei, quo sibi amat bona extrinseca; sed Deus nõ necessario, sed liberé appetit prædicta bona: ergo act⁹ Christi creat⁹, quo Deo bona extrinseca diligebat, nõ erat necessarius, sed liber. *Secũdo.* Deniq; nam obiectũ nõ valẽs necessitare ad sui amorẽ voluntatẽ increatã, nec creatã necessitare potest, nisi ratione imperfectæ propositionis obiecti; sed bonũ Deo extrinsecũ nõ necessitat voluntatẽ diuinã; & aliàs nõ proponebatur Christo cum aliqua imperfectione ignorãtiæ, aut inaduertẽtiæ: ergo nõ necessitabat ad sui amorem voluntatem Christi creatam. *Tertio.* Tertio: nã actus ille non elicitur à fide, nec ab aliqua ex virtutibus moralibus: ergo est act⁹ charitatis. Deniq; nã esto actus iste nõ procedat ab habitu charitatis primario ob rationem assignatã, po-

11 *Si respõdeas cũ Vazq.* Si forte respõdeat Vazquez, actũ istũ nõ esse charitatis Theologicæ, cuius obiectũ est sola diuina bonitas; ac proinde ex hoc, quod fuerit meritorius, nõ conuincitur aliquid cõtra ipsũ, nec nostræ cõclusionis intẽtũ. *Cõtra 1.* In contrariũ obstat primo, Vazquez expresé affirmare, solã dilectionẽ proximi fuisse in Christo meritoriã; at prædictus actus nõ est proximi dilectio, sed Dei: ergo si fuit meritorius, cõuincitur cõtra ipsũ. *Secũdo.* Secundo: nã omnis actus, quo amico volumus bona ex cõplacẽtia in illi⁹ bonitate, est actus amicitiæ erga ipsũ, & procedit ab habitu amicitiæ erga ipsũ, si talis habitus datur: ergo pariter omnis actus, quo Deo volum⁹ bona, ex cõplacentia in diuina bonitate, est actus charitatis Theologicæ, qua Deũ amicabiliter diligim⁹. *Tertio.* Tertio: nã actus ille non elicitur à fide, nec ab aliqua ex virtutibus moralibus: ergo est act⁹ charitatis. Deniq; nã esto actus iste nõ procedat ab habitu charitatis primario ob rationem assignatã, po-

*Quarto.*

test

test tamē ab illo secundario procedere, vel omnis actus secundarius negandus est charitati, & omnibus alijs habitibus: ergo est actus charitatis.

12 *Secūda pars cōclusionis suadetur 1.*

Deinde secunda pars conclusionis, quod, nempé, actus iste dilectionis Dei non sit necessarius, sed liber, esto non à scientia infusa, sed à beata reguletur, probatur primo ex iam dictis: nā sola bonitas increata claré cognita prout in se, necessitare potest voluntatem creatam: ergo bonitas extrinseca Deo, quæ creata est, & finita, etiam si per beatificam visionem proponatur, non potest ad sui amorem voluntatem necessitare. *Secūdo.* Secūdo: nam amor, quo Deus sibi vult gloriam, & honorem extrinsecum, regulatur per diuinam cognitionē, primario terminatam ad Deum, & secundario ad creaturas, & ad gloriam sui extrinsecā; & tamen iste actus non est necessarius in Deo: ergo pariter quamuis reguletur in Christo per beatificam visionem, primario terminatam ad Deum, & secundario ad creaturas, non erit necessarius, sed liber. *Tertio.* Tertio: nam gloriæ extrinsecæ Deo nihil bonitatis acrescit, ex eo quod per claram Dei visionem proponatur amanda; sed ex se, & ex propriis meritis nequit voluntatem creatam necessitare: ergo quamuis amor terminatus ad illam reguletur sciētia beata, nō erit necessarius, sed liber.

## §. III.

## *Argumentis in contrarium occurritur.*

13 *Oppones 1.*

OPPONES primo: habitus charitatis, vt regulatus per visionē claram Dei, necessario operatur omni virtute, qua potest: ergo in eliciendo dilectionem, qua gloriam Deo extrinsecam volumus, non est liber prout per clarā visionem regulatus. *Respōdetur.* Respondeo, verū esse antecedens in ordine ad obiectum primarium, nēpé, Deum claré visum, & illius bonitatem; secus autem erga bonitatem creatam, quæ obiectum secundarium est, & ratione sui nō potest, quacumque regula proponatur, voluntatem necessitare; sicut in simili dicendum est de voluntate diuina; nimirum cognitione clara Dei regulatam necessario amare Deū, & ipsi omnia bona intrinseca, quæ ratione sui ab intrinseco vim habent necessitandi; non autem necessario amare creaturas, vel Deo gloriam, seu honorem extrinsecum.

14 *Dices.*

Dices: lumen gloriæ necessario operatur totum, quod potest, tam circa primarium, quam circa secundarium obiectum: ergo pariter charitas regulata lumine gloriæ, circa vtrumque obiectū primarium, & secundariū, totum, quod potest, operabitur. Conceso antecedēti, nego consequentiam. *Respōd.* Ratio autem discriminis est: nam lumen gloriæ non est virtus libera, nec potentiæ liberæ, sed necessariæ secundum se, & vt antecedit voluntatis imperium; & ideò applicatum ab obiecto, siué primario, siué secundario operatur necessario, secundū omnem suam virtutem; charitas autē est libera circa bonum non infinitum per essentiam; & ideò non necessario operatur, nisi tantum circa Deum; non autem circa proximum, vel erga bonitatem creatam, etiam vt amanda Deo.

15 *Instabis.*

Instabis: bonitas creata consistens in gloria extrinseca Deo, amatur ipsi ratione bonitatis diuinæ, & ex complacentia in ipsa; sed complacentia in bonitate diuina, est videnti Deum necessaria prout regulatur visione intuitiua Dei: ergo amare bonitatem istam Deo amore regulato per beatificam visionem, est videnti Deum necessariū. Respondeo, distinguendo minorē: cōplacentia in bonitate diuina, vt est ratio diligēdi Deum, & Deo perfectiones intrinsecas, concedo minorem: vt est ratio diligendi Deo bonitatem creatam extrinsecā, nego minorem, & consequentiam.

16 *Oppones 2.*

Secūdo principaliter obijcies: amor, quo Christus Deo optabat gloriā, & honorem extrinsecum, non erat idē actus cum illo, quo Deo amabat intrinsecas perfectiones; sed eo ipso, quod esset ab hoc amore distinctus, non poterat esse simul cum prædicto amore: ergo talis actus in voluntate Christi nō fuit; & cō sequenter per talem actum nō meruit. Probatur minor: duo actus solo numero distincti, nō possunt esse simul in eodē subiecto; sed actus illi solo numero

distinguerentur; cum haberēt idem obiectum formale, & ab eadem charitatis virtute procederēt: ergo eo ipso, quod esset ab amore necessario, distinctus, nō poterat esse in humana Christi volūtate

17 *Respōdetur.* Respondeo, prætermissa maiori, negando minorem: ad cuius probationē; concessa maiori, nego minorem: actus enim prædicti, etsi non distinguerētur specificé formaliter, distinguerentur tamen specificé materialiter, ad quod sufficit distinctio rationis formalis QVÆ, cum conuenientia in ratione *sub qua*; cum enim specifica cōstitutio actus respicientis obiectum, sumatur ex ordine ad rationē obiectiuam conflatam ex ratione *qua*, & *sub qua*; vt vnus ab altero specificé distinguatur, sufficit distinctio rationis formalis QVÆ, vt constat in visione albi, & visioni nigri, quæ specie physica, & materiali distinguuntur; quamuis lux, quæ est ratio formalis *sub qua* obiecti potentiæ visiuæ, respectu vtriusque sit eadē, quia color, qui est ratio formalis QVÆ, specificé distinguitur per albedinē, & nigredinem: pariter ergo in præsenti: amor necessarius Dei, & amor liber eiusdē, specie materiali distinguuntur: quia licet vterque in Deū feratur sub eadē ratione formali *sub qua*, nēpé, ex cōplacētia in bonitate diuina: quia tamen ex hac cōplacentia, necessarius terminatur ad perfectiones intrinsecas Dei, & liber ad gloriam, & honorē extrinsecum, vt ad rationes QVÆ essentialiter distinctas; fit consequens, quod specie inter se distinguantur; ac proinde, quod possint simul existere.

18 *Insurges cōtra istā solutionem primo.* Sed oppones aduersus istam solutionē primo: nā licet potētia ob suam plitudinē possit ad plures actus specificé distinctos extendi, habitus, qui est determinatio potentiæ, non potest plures actus specificé distinctos elicere: ergo vel prædicti actus solo numero distinguuntur, vel non procedūt à charitate Theologica, quæ est habitus vnus specificé. *Secūdo.* Secundo: nam sola distinctio numerica potest esse materialis: specifica namq; cum non à materia sumatur, sed à forma, necessario est non materialis, sed formalis distinctio: ergo vel prædicti actus distinguūtur solo numero, vel distinguuntur specificé formaliter. *Tertio.* Tertio, quia non stat actum procedere ab habitu, & non attingere rationem formalem *sub qua*, & *qua* specificativam illius; sed ratio formalis QVÆ specifica habitus charitatis Theologicæ, non est bonitas communis bonitati creatæ, & increatæ, sed tantum bonitas increata: ergo vel prædictus actus non est charitatis Theologicæ, vel attingit, vt rationē QVÆ, formalem, bonitatem increatam; ac proinde non distinguitur specificé materialiter ab amore necessario.

19 *Respōd. ad 1. instātiam.* Respondeo ad primam instantiam, negando antecedens: dilectio enim Dei in se, & dilectio proximi ratione sāctitatis creatæ, vt est participatio Dei, specie materiali distinguuntur: amor Dei efficax, & inefficax, distinguuntur etiam specificé; gaudium de bonitate diuina, vt Deo cōuenienti, & amor specialiter sumptus, ac desiderium eiusdē bonitatis, specie inter se distinguuntur; & tamen omnes isti actus ab eodem habitu charitatis procedunt; vt cum verio ri sententia docuimus tractantes de charitate 2.2. *q.* 23. *art.* 5. assensus etiam, quo intellectus demonstratiué assentitur proprietatibus demonstratis de vno Angelo, v.c. Raphaele, specificé distinguitur à cognitione scientifica proprietatum Gabrielis; & tamen ab vno habitu metaphysicæ vterque assensus procedit: non ergo repugnat habitui plures actus specificé distinctos elicere.

20 *Tacita obiectiō resp.* Nec obstat limitatio habitus respectu potentiæ: hæc namque solum conuincit, potentiam, vtpote vniuersaliorem, rationem formalem magis vniuersalē respicere; & consequenter ad plures actus specificé distinctos extendi, quod verum est: nam in vnica potentia plures habitus constituuntur; non autem quod habitus sub ratione sua formali minus vniuersali, nequeat ad plura obiecta specie distincta extendi; & consequenter plures actus specie materiali distinctos elicere: imo oppositum conuincitur; cum enim habitus perfectio potentiæ sit se tenens ex parte illius, illamque ad actum coadiuvās, debet proportionari cum illa in modo attingendi obiectum; ac proinde sicut potentia vna manens se extendit ad omnia, quæ cadunt sub ratione sua obiectiua forma-

li: ita habitus idem specie, imo & numero perseuerans, potest extendi ad omnia, quæ continentur sub ratione sua formali; & sicut habitus, quia sunt limitatiores potentia, specificé distinguuntur, quin ex hoc similis distinctio in potentia colligatur: ita quia actus sunt magis limitati, quam habitus, possunt specificé distingui, quin colligatur ex hoc specifica distinctio in habitibus. Quam rationē fusè prosequuti sumus in proœmialibus Logicæ, illius simplicitatem tractantes, & 1. p. q 14. agentes de scientia Dei; & q. 19. de diuina voluntate vsque ad diuinas perfectiones protraximus, vt cum vnitate intellectus, & voluntatis diuinæ, saluaremus distinctionem virtualem inter virtutes Dei morales, & intellectuales.

21 *Ad secundam instantiã.*

Ad secundam obiectionem dicatur, distinctionem duorum posse dici dupliciter materialem, primo comparatione illorū inter se, & distinctio isto modo materialis, esse nequit specifica ob rationem in argumēto insinuatam. Secundo: non comparatione inter se, sed comparatione potentiæ, vel habitus; quia nimirum tametsi inter se essentialiter distinguantur; respectu tamen potentiæ non respicientis formaliter, & primario illa, vt inter se distincta, sed vt cōueniunt in aliqua ratione communi, illorum distinctio materialiter se habet; vel quia respiciuntur ordine primarij, & secūdarij; & distinctio isto modo materialis, esse potest specifica, vt constat in exemplis adductis; & hoc secūdo materialitatis modo asserimus in nostra solutione prædictos actus specifice distingui. Quæ doctrina pervia est, cuilibet in metaphysica tātisper versato.

22 *Ad tertiam.*

Ad tertiam dicatur: actum aliquem ab habitu, vel potentia procedere, contingere posse dupliciter, scilicet, primario, & secundario: actus primario procedens petit attingere rationem QVÆ habitus, vel potētiæ, aut aliquid per modum inferioris contentū sub illa attingētia vt QVOD, & in recto. Vt constat in visione albi, & visione nigri; quæ, quia primario pertinent ad potentiam visiuam, vna attingit albedinem, & alia nigredinem in recto, quæ sub colore specificante visum continentur, vt species sub genere; actus verò potētiæ, vel habitus secundarius, non est necessarium tendere, vt in rationē formalem attactam directé, in rationem QVÆ formalē habitus, vel potentiæ, vel in aliquod sub illa, vt species sub genere, vel inferius sub ratione sibi superiori contentū; sed sufficit rationem formalē specificantē potentiam, in obliquo, & connotatiué attingere; vt constat in notitia entis rationis, quæ secundario elicitur ab intellectu; & tamen non attingit, vt rationem QVÆ obiectiuam ens reale, quod est obiectum specificativum intellectus, sed ens rationis per ordinem ad ens reale; actus autem dilectionis, quo Christus Deo amabat gloriam, & honorem extrinsecum, non est actus primarius charitatis Theologicæ, sed secundarius; & ideò, vt ab illa procedat, sufficit in obliquo attingere bonitatem diuinam, nēpé, volendo Deo illa bona ex cōplacētia in bonitate diuina, quæ est primariū, & formale charitatis obiectum. Quæ doctrina constat in dilectione proximi procedente à charitate; & tamen non attingente bonitatē diuinā motiué proximé in recto, sed bonitatē creatam in ordine ad bonitatem diuinam. Non tamen ita secundario cōparatur actus, de quo loquimur ad charitatem; atq; proximi dilectio mota ex bonitate intrinseca illius: nam iste est secundarius ex ratione *quæ*, & *sub qua*; ille verò solū ex ratione QVÆ: nam ratio sub QVA illius, bonitas diuina est.

23 *Tertio arg.*

Tertio arguitur: Christus necessitatus erat ad maius beneplacitum Dei; sed ex vi visionis beatificæ cognoscebat esse maius beneplacitum Dei, ipsi amare gloriam, & honorem extrinsecum, quam hæc bona non amare: ergo amore per visionem regulato, necessario amabat Christus gloriam, & honorem Deo; & consequenter amor iste meritorius non erat. Probatur minor: visio beatifica dictat esse hæc bona amanda Deo; sed visio est notitia infusa à Deo: ergo ex vi visionis beatificæ certo cognoscebat Christus, esse maius beneplacitum Dei, ipsi amare gloriam, & honorem extrinsecum, quam hæc dona non diligere. Secundo probatur minor: id, in quod adæquatè inclinat

visio, est maius beneplacitum Dei; cum inclinatio visionis sit impressa ab ipso Deo; sed visio beatifica inclinat in amorem gloriæ, & honoris extrinseci Deo; cum taliter dicat hoc, quod oppositum non dicat: ergo certo cognoscebat Christus per beatificam visionem, esse maius beneplacitum Dei, ipsi hæc bona diligere, quam non diligere illa.

24 *Augetur difficultas.*

Et augetur difficultas; vt enim voluntas possit non amare Deo gloriam, & honorem extrinsecum, requiritur, quod habeat iudicium dictans negationem amoris: cum voluntas, vtpote, cæca, in nil positivum, aut negativum possit ferri non propositum ab intellectu; sed visio beatifica Christi taliter dictabat amorem, quod non dictabat negationem amoris; implicat enim vnum, eundemque actum dictare amorem, & illius negationem: ergo, supposita visione beatifica, illum amorem dictante, non manet in voluntate potestas ad nō amorem; & consequenter amor illa regulatus, siué ad Dei intrinsecas perfectiones, siué ad extrinsecas terminetur, non est liber, sed necessarius.

25 *Respōdetur.*

Respondeo, distinguendo maiorē: erat necessitatus ad maius beneplacitū Dei, vt exequendum liberé, admitto maiorem: vt exequendum naturaliter, aut per modum naturæ ad vnum determinaté, nego maiorem; & permissa minori, nego consequentiam. Necessitas nāq; exequēdi maius beneplacitū Dei, si dabatur in Christo, & ponitur in beatis, est iuxta conditionē, & qualitatē beneplaciti diuini, quia, vt docet D. Th. 1. p. q. 19. art. 8. ad 4. & alibi sæpé, posteriora necessitatem habent iuxta modum priorum: vnde, quod Deus vult vt fiat liberé, necessarium est, quod fiat, & quod liberé fiat: cum ergo beneplacitum Dei operationis Christi erga obiectum, quod summum bonum nō est, sit operationis quoad substantiam, & modum libertatis; fit consequens, quod licet Christus necessitatus sit, hæc necessitas inferat, & non tollat exequutionis libertatem.

26 *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem respondeo: vt voluntas de facto velit negationē amoris, requiri iudicium dictans negationē illam hic, & nunc esse appetendam; vt autem detur potentia ad non amandū, quod ad libertatem sufficit, non est necessaria illius iudicij existentia, sed sufficit taliter obiectum amandum proponi, quod non proponatur cum omnimoda ratione boni. Quæ doctrina est expressa D. Th. 1. 2. q. 10. *art. 2. in corpore*, illis verbis: *Si autem voluntati proponatur aliquod obiectum, quod non secundum quamlibet consideration em sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud: & quia defectus cuiuscumque boni, habet rationē non boni: ideo illud solum bonū, quod est perfectū, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle.* Hæc D. Tho. Ex quibus euidens solutio argumenti colligitur: nam licet visio Christi beatifica perfectiones Deo intrinsecas taliter amandas Deo, Christi voluntati proponeret, quod in illis plenitudinem boni repræsentaret: ac proinde illas Deo necessario diligeret; cōsequens fit, quod ad illas Deo amandas, necessario inclinaretur; gloriam tamen, & honorem extrinsecum non sic proponebat, sed vt limitata bona; ac proinde cum defectu alicuius bonitatis, defectus autem bonitatis habet rationem non boni; ac proinde circa gloriam, & honorem extrinsecum, etiam vt volēda Deo, non necessario, sed liberé ferebatur. Instoque argumentum euidenter in Deo, cuius amor visione sui, & creaturarum in se ipso regulatur; & tamen non necessario sibi amat gloriam, & honorem extrinsecum, quia in illis plenitudo bonitatis non repræsentatur, nec per verā cognitionē potest. Pariter ergo in præsenti, etsi visione Dei in se, & creaturarū in Deo, Christo proponatur, vt Deo amanda gloria ipsi extrinseca, non necessitabitur ad illam amandam Deo. S. Tho.

27 *Insurges*

Sed dices: ad libertatem amoris requiritur possibilitas negationis amoris, vt diximus, & est per se certum; sed supposita visione beata dictante prædictū amorem, non manet possibilis negatio talis amoris: ergo nec manet in amore libertas. Probatur minor: licet ad possibilitatem negationis amoris, non requiratur actualis existentia iudicij dictantis talem negationem, requiritur tamen possibilitas talis iudicij; sed supposita visione

sione beatifica dictante amandam esse Deo gloriam, & honorē extrinsecum, non est possibile iudicium dictans negationem amoris: ergo nec est possibilis istius amoris negatio. Probatur minor: iudicium dictans amorem, nō potest esse simul cum iudicio dictante hic, & nunc amoris negationem; cum sint de eodem obiecto, & contraria, seu contradictoria obiectiuē; sed supposita visione beatifica dictante dictum amorē, hoc iudicium reuocari, aut suspendi nō potest; cum visio immutabilis sit, nō solum erga primarium, sed etiam circa secundarium obiectum, vt suppono ex 1. p. q 12. art. 7. & 8. ergo visione suppo sita, redditur impossibilis existentia iudicij dictantis negationem amoris. Patet consequentia: nam illa duo iudicia non possunt simul componi; sed suppo sita visione dictante amorem; si esset cō trarium iudicium posibile, posset com poni cum visione, vt amorem dictante; cum istius negatio impossibilis sit: ergo visione suppositā redditur impossi bile iudicium dictans negationem amoris.

28 *Respōdetur.*

Respondeo, concessa maiori, negādo minorem: ad illius probationem, distinguo maiorem: requiritur possibilitas iudicij dictantis negationem amoris, attentis obiecti meritis, cōcedo maiorem: possibilitas ex omni capite, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam quod supposita visione beatifica dictante amorem, sit impossibile iudicium dictans negationem amoris, non nascitur ex obiecto, in quo; cum non reperiatur plenitudo bonitatis, nō est vis ad impossibilitatem illius iudicij inducendam: imo petit eius possibilitatem; sed oritur ex conditione visionis, quæ quia immutabilis est, non potest de iudicio semel habito in oppositum transire; hanc autem impossibilitatem iudicij non obsta re conditioni libertatis, constat euidenter in Deo, in quo, vt vellit negationem amoris proximi, vel honoris sui extrinseci, etiam necessarium est iudicium dictans huiuscemodi negationem, quod iudicium impossibile redditur, supposito iudicio oppositum amorem dictante, ratione immutabilitatis diuinæ; quin ex hoc possit inferri, Deum necessario sibi extrinsecum honorem diligere, vel amorem creaturarum esse in ipso necessarium: ergo impossibilitas iudicij dictantis negationem amoris orta non ex meritis obiecti, sed ratione immutabilitatis subiecti, vel cognitionis, libertati amoris non obstat; & cōsequenter possibilitatem negationis amoris non tollit sufficientem ad amoris libertatem.

29 *Instabis.*

Instabis: eo ipso, quod ex aliquo capite sit impossibile iudicium dictans negationem amoris, est ex eodem capite impossibilis amoris negatio: ergo si ex conditione immutabilitatis visionis beatificæ in iudicando, est impossibile iudicium dictans negationem amoris, ex eadem conditione visionis constituitur impossibilis negatio amoris; at cum impossibilitate negationis amoris ex hoc capite proueniente, non stat in amore libertas: ergo supposita visione beatifica dictante amandam esse Deo gloriam, & honorem extrinsecum, non stat in amore istorum Deo per visionē regulato libertas. Minor subsumpta, in qua sola est posita difficultas, probatur: eo ipso, quod ex conditione immutabilitatis visionis, sit impossibilis negatio amoris, est necessarius amor ex eadem conditione; sed cum necessitate amoris orta ex conditione immutabilitatis visionis, non stat in amore libertas: ergo cum impossibilitate negationis amoris nata ex conditione immutabilitatis visionis, non potest subsistere in amore libertas. Probatur minor: necessitas orta ex aliquo se tenente ex parte actus primi nobis non libero, nec subsecuto ad nostram libertatem, inducit in actū necessitatem simpliciter cum libertate non compatibilem.: quo circa visio beata necessitat ad amorem Dei, & imperium regulans in nostra voluntate vsum, ab illo libertatem auferret, si in nostra potestate non esset: quia nimirùm tam visio ad amorem beatificum, quam imperium ad vsum, ex parte actus primi se tenent; sed visio beata dictans amandā esse Deo gloriam, & honorem extrinsecum, in nostra potestate non est, nec ad libertatem nostram subsequitur, & ex parte actus primi ad prædictum amorem concurrit: nam

apprehensio, vel propositio intellectus ex parte actus primi ad actum voluntatis concurrit in omnium sententia: ergo necessitas orta ex conditione visionis inducit in actum, quem regulat, necessitatem simpliciter, cum eius libertate incompatibilem.

30 *Respõd.* Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, negando minorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: ad cuius probationem, distinguo maiorem: si oriatur ex aliquo se tenente ex parte actus primi secundum id, quod exigitur in illo ab actu secundo, concedo maiorem: si oriatur necessitas ex aliquo non exacto ab actu secundo, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam amor gloriæ, & honoris extrinseci Deo per se petit visionẽ Dei, vt hæc bona Deo amanda proponentem; non autem petit per se immutabilitatem visionis: vnde cum impossibilitas negationis amoris, & ipsius amoris necessitas non oriatur ex visione, vt obiectum amãdum proponente, sed ratione immutabilitatis visionis, & hæc ab amore regulato per se in illa non petatur; fit consequens, quod non oriatur ab aliquo illius, quod se tenet ex parte actus primi, exacto ab actu secundo: ac per consequens, quod non inferat necessitatem simpliciter repugnantẽ conditioni libertatis. Cuius rei exemplum manifestum habemus in scientia infusa Christi proponente obiectum ab ipso amandum, & simul amorem, vt futurũ, cognoscente, ex qua, vt cognoscente futuritionem amoris, necessario sequitur amor; & tamen hæc necessitas libertati amoris non obest, tametsi oriatur ex cognitione se tenente ex parte actus primi: quia actus regulatus non petit per se in prædicta cognitione, quod ad illũ, vt futurum, terminetur, sed tantũ, quod obiectum proponat, & necessitas amorisnõ nascitur ex prædicta cognitione, vt proponẽte obiectum amandum, sed vt actum futurum intuente. Idem in præsenti dicimus, & instamus, etiam in Deo, vt proximé instabamus.

31 *Vrgebis adhuc.* Sed vrgebis adhuc: amor, quo Deus sibi diligit gloriam, & honorem extrinsecum, per se petit cognitionem proponentem obiectum ab intrinseco immutabilem: ergo cognitio Dei regulans prædictum amorem, secundum conditionem ab illo per se exactam reddit impossibilem negationem amoris, & infert amoris necessitatem: ac per consequens liber non est: ex quo vlterius sequitur, nec amorem creatum ad illud bonum terminatũ regulatum visione beatifica, liberum esse. Antecedens probatur: amor Dei terminatus ad illud obiectum est immutabilis ab intrinseco: ergo petit oriri, regularique à cognitione ab intrinseco immutabili, & consequenter per se, & ab intrinseco petit conditionem immutabilitatis in cognitione regulante.

32 *Respõdetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: per se ex ratione immutabilitatis, quam habet diuinus amor ex conditione subiecti, quod omninò est immutabile, concedo antecedens: ex ordine ad obiectum, aut ex meritis illius, nego antecedens, & distinguo consequens: secundum conditionem ab amore exactam in cognitione regulante ratione conditionis subiecti, cõcedo consequẽtiam: per se ab illo exactam ex ordine ad obiectum, nego consequentiam: cognitio autem regulans solum se tenet ex parte actus primi perfeitate exacta ab amore secundum conditionem, quam amor regulatus per se postulat ex ordine, & tendentia ad obiectum; non autem secundum id, quod ab amore petitur ratione subiecti.

## §. IV.

### *Secunda sententia reijcitur.*

33 *Secũda cõclusio* SECVNA CONCLVSIO. *Nõ datur in Christo duplex amor erga Deum, alter regulatus scientia infusa, & alter scientia beata.* Hanc statuo contra secundam sententiam. Illam probat Vazquez primo: nam Christus per scientiam infusam non cognouit Deum, vt

*Vazq. probat primo.*

est

est Auctor supernaturalis: ergo scientia infusa Christi non potest regulare supernaturalem amorem. Secundo: nam dato, quod Deum per infusam scientiã cognouerit, in præsentia tamen visionis beatificæ, non potest scientia infusa ad amorem Dei mouere: ergo non est constituendus amor Dei regulatus per scientiam infusam distinctus ab amore per beatam regulato. Antecedens probat: nam medium imperfectum, in præsentia perfectioris nequit voluntatem mouere; vt si quis aliquando vidit Romam, non potest in illius cognitionem, auctoritate extrinseca dicentis Romam esse, moueri; eo quod obiectum experimentaliter notum, perfectius mouet, quam extrinsecum testimonium; sed visio beata, & infusa comparantur in ordine ad voluntatem, vt medium perfectum, & imperfectum: ergo hæc in illius præsentia non potest ad Dei amorem mouere.

*Secũdo*

Hæc tamen fundamenta non vrgẽt; primum namque falsò nititur principio, nempé, Deum, vt Auctorem supernaturalem, non fuisse à Christo cognitum per scientiam supernaturalem infusam, cuius contrarium frequenter docetur à Theologis *supra q. 11. art. 1.* eo quod scientia infusa cognouit Christus comprehensiuè omnia supernaturalia; at in illis, vt effectibus non potest non cognosci Deus, vt Auctor supernaturalis, & vnus; sicut in effectibus naturalibus perfectè, & comprehensiuè cognitis, Deus, vt Auctor naturalis cognoscitur, & in aliquibus illorum Deus, etiã vt Trinus, necessario debet cognosci; quia cum illo, vt obiecto, vel termino connectuntur, vt constat in dilectione Dei Auctoris supernaturalis, in fide, & visione beatifica, quæ cum Deo, vt Trinus est, obiectiuè connectuntur: ergo per scientiam infusam hæc omnia comprehẽdentẽ, cognouit Christus, Deum Auctorem supernaturalem, quatenus Vnum, & Trinum. Mitto aliorũ fundamentum, qui ex eo primum argumentum Vazquiȷ reiȷciunt, quia licet Christus, Deum per scientiam supernaturalem infusam non cognouisset; illum tamen per scientiam naturalem cognouit, & hæc cognitio regulare poterat supernaturalem amorem. Quæ impugnatio omninò ineffi cax est; amor enim supernaturalis, supernaturalem cognitionem petit pro regula; aliàs nulla esset fidei nostræ ad iustificationem necessitas; cùm posset supernaturalis contritio, & dilectio, cognitione Dei naturali regulari: ergo Dei naturalis cognitio, non potuit regulare amorem supernaturalem eiusdem.

34 *Primũ fundamentum impugnatur.*

*Aliorũ impugnatio nõ vrget.*

Deinde, secundum fundamentum reiȷcitur primo; vt enim prædictus Auctor in secundo fundamento supponit, Deus, vt Auctor supernaturalis potuit per visionem beatam, & per scientiam infusam cognosci; & tamen motiuum visionis, fortius, & perfectius est motiuo cognitionis Dei per scientiam infusam: ergo potest medium imperfectius in præsentia perfectioris intellectu mouere in ordine ad idem obiectum; & cõsequenter idem erit respectu voluntatis dicendum. Secundo: nam omnia, quæ Christus per scientiam infusam cognouit, cognoscit etiam per visionem beatam; & tamen medium scientiæ beatæ, quatenus terminatæ ad creaturas, perfectius est medio scientiæ infusæ earundem: ergo medium imperfectius potest in præsentia perfectioris mouere. Denique: nam Deus cognitus per visionẽ beatificam, fuit etiam à Christo cognitus per creaturas, & ex creaturis, vt cognitis naturaliter, vt est Auctor naturalis; & tamen perfectius mouet Deus, vt visus, ad sui cognitionẽ, etiam vt Auctoris naturæ, quam moueant creaturæ cognitæ: ergo idem quod prius. Quare, his rationibus omissis, vt omninò efficacibus.

35 *Secũdũ fundamentum Vazq̃z reiȷcitur primo.*

*Secũdo.*

*Tertio.*

Aliter suadetur conclusio: duo enim accidentia solo numero distincta, non possunt esse simul in eodem subiecto, vt cum Aristotele, & Angelico Doctore docet melior philosophia; sed amor Dei regulatus per scientiam beatam, solo numero differret ab amore eiusdem regulato per scientiam infusam; cum haberent idem obiectum, nempe, eandem bonitatem diuinam; ex obiecto autem sumitur specifica inter actus distinctio: ergo nõ fuerunt in Christo duo amores Dei, alter regulatus per scientiam beatam, & alter per sciẽtiã infusã.

36 *Prob. cõclusio.*

Huic argumento quadruplex adhibetur solutio: prima distinguit maiorẽ, illamque concedit de accidentibus absolutis, negat autem de respectiuis, & cõcessa minori, negat consequentiã: quia amor est accidens respectiuum: ac proinde potest numero multiplicari in eodem subiecto. Ita Medina vbi supra. Secunda aliter distinguit maiorem, & concedit illam de accidentibus omnino similibus; negat autem, quando accidentia sunt aliqua conditione materiali dissimilia: & concessa minori negat consequentiam, quia amor necessarius, & liber, etsi solum numero differant, gaudent conditione materiali distincta. Ita Granadus. Tertia aliter distinguit maiorem, illamque concedit de accidentib⁹ solo numero distinctis in linea naturæ, & moris: negat autem de accidentibus, quæ licet in genere moris solo numero distinguantur; differunt tamen in genere naturæ specificé; & sub eadem distinctione minoris negat consequentiam, quia amor liber, & necessarius, licet in genere moris sint eiusdem speciei, & solo numero distinguantur, differunt tamẽ in linea naturæ specificé. Hanc tradit Medina 2. *loco vbi supra*. Quarta, concessa maiori, negat minorem; amor enim non à bonitate obiecti, sed ab illi⁹ apprehensione specificatur, vt a ratione formali: vnde cum scientia infusa, & sciẽtia beata essentialiter inter se distinguantur, fit vt quamuis eandem Dei bonitatem proponant, amores his cognitionibus regulati, specificé distinguantur: hæc colligitur ex doctrina Caietani vbi supra.

37 *Prima solutio.* *Secũda.* *Tertia.* *Quarta.*

Sednulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit, & prima reiicitur primo: nam ratio quare duo accidẽtia solo numero distincta, nequeunt esse simul in eodem subiecto, est; quia vnitas, & distinctio numerica, cum non formalis, sed materialis sit, non à forma, sed à materia sumuntur, & subiectum respectu accidentium obtinet vices materiæ: at hæc ratio pari efficacia militat in respectiuis, atque in accidentibus absolutis: terminus namque inspectus ab accidenti, vt forma comparatur ad illud; & consequenter distinctionem numericam nequit præstare: ergo duo accidentia respectiua solo numero distincta ne queunt simul in eodem subiecto existere. Secundo: nam dato, quod accidentia respectiua solo numero distincta, possint simul eidem subiecto inesse, hoc tãtum teneret verum, quando cum vnitate subiecti essent termini, vel obiecta diuersa, à quibus numericam distinctionem reciperent: at in casu nostri dubij, non dantur diuersa obiecta, sed vnum, & idem est, quod per actum liberum, & necessarium attingitur, nempé, eadẽ diuina bonitas per vtramque scientiam proposita: ergo dato, duo accidentia, numero solo distincta, posse esse simul in eodem subiecto, quando respectiua sũt, non sequitur posse Deum simul per actũ liberum, & necessarium numero distinctos diligi.

38 *Prima solutio reiicitur primo.* *Secundo*

Denique: nam iuxta D. Thomam *infra qu. 35. art. 5.* & communẽ Thomistarum sententiam: pater non pluribus, sed vna tantum relatione ad plures filios refertur, eo quod, si plures essent, solo numero differrent, & non possunt duo accidentia solo numero distincta, simul eidem inhærere subiecto: & tamen relatio accidens respectiuum est: ergo iuxta D. Thomam, axioma à nobis assumptum, non solum verificatur de accidentibus absolutis, sed etiam de respectiuis.

39 *Vltimo.*

Et ex his secunda solutio reiicitur: nam dissimilitudo illa, vel est specifica, vel tantum indiuidualis: si primum, solo numero non differunt, & ad 3. & 4. solutionem confugitur. Si secundum, non potest cum vnitate subiecti saluari ob rationes proximé factas: ergo prædicta accidentia, esto dissimilia sint, simul existere nequeunt. Deinde, quia omnia accidentia solo numero distincta habẽt dissimiles conditiones: nam indiuiduũ est, cuius collectio proprietatum talitér conuenit vni, quod non potest alij⁹ cõpetere: ergo si amor necessari⁹, & liber, quia sunt inter se dissimiles, possunt existere simul in eodem subiecto, quælibet alia accidentia solo numero distincta, poterunt simul in eodem subiecto esse.

40 *Secũda reiicitur primo.* *Secundo*

Deinde tertia solutio reiicitur primo, quia falsum est amorem necessariũ, & liberum differre in genere naturæ specificé, vt contra vltimam solutionem

41 *Tertia reiicitur primo.*

mon-

monstrabimus. Secundo: nam etiam est falsum, solo numero in genere moris distingui; vt enim aliqua distinguantur solo numero in aliquo genere, vtrumque debet in eodem genere existere: at amor necessarius beatificus in genere moris non est; cum moralitas libertatē supponat: ergo falsum est quod illi duo amores solo numero distinguantur in hoc genere.

*Secundo*

42 *Quarta reijcitur*

Tandem vltima solutio ex eo reijcienda venit; amor namque regulatus per fidem, non differt specificé ab amore regulato per intuitiuam visionem: ergo pariter scientia infusa, & visio clara non inducunt specificam differentiā in amores regulatos. Consequentia est euidens: magis enim distant fides, & visio beata, quam scientia beata, & infusa; cum istæ in claritate conueniant; secus autem fides, & visio: ergo si ex visione, & fide non variantur specificé actus, nec ex scientia infusa, & visione accipient diuersitatem specificam. Antecedens autem suadetur primo ex D. Thoma 1.2. *q.67. art.6. ad 1.* quo argumento cō tendebat probare, charitatem viæ, & patriæ non esse eiusdem speciei propter fidei, & visionis regulantium diuersitatē; & respondet: *Dicendum, quod charitas nō habet pro obiecto ipsam cognitionem; sic enim non esset eadem in via, & in patria, sed habet pro obiecto ipsam rem cognitam, quæ est eadem, scilicet ipsum Deus*: ergo iuxta D. Thomam, amor fide regulatus, non differt specificé ab amore regulato per beatificam visionem.

*Antecedens probatur 1.*

43 *Secundo*

Secundo probatur ex eodem Diuo Thoma *q.25. de veritate art. 1. ad 6.* vbi docet, apprehensionum diuersitatem per accidens se habere ad variandos appetitus, nisi ipsam consequatur diuersitas apprehensorum, hoc est, bonorum appetibilium; sed visionem claram Dei, & fidei cognitionem obscuram, non sequitur apprehensorum diuersitas, sed eadem bonitas diuina per vtramq; cognitionem proponitur: ergo amores regulati per illas, non differunt specificé.

*Tertio.*

Tertio probatur: nam apprehensio non est formale obiectum, nec *quod*, nec *quo* voluntatis, vt in Physica docuimus, constatque ex Diuo Thoma in vtroq; testimonio allegato; sed bonitas est ratio formalis specificans voluntatem: ergō, stante eadem bonitate specifica, esto regulæ, aut apprehensiones varientur, non multiplicantur actus voluntatis specificé; sed per fidem, scientiam infusam, & visionem claram Dei, eadē bonitas diuina proponitur: ergo, licet cognitiones istæ inter se distinguantur specificé, actus regulati per illas, specificé non distinguuntur.

44 *Vltimo.*

Denique: nam si bonitas diuina, vt proposita per fidem, aut scientiam per se infusam, & beatificam visionem, esset obiectiuē diuersa ad variandos specificé actus voluntatis, maximé, quia vt sic est sufficiēter diuersa ad specificé distinguēdos actus intellectus, qua ratione plures ex contrarijs vtuntur; at hoc fundamentum est insufficiens omnino: ergo, & tradita solutio. Minor ostēditur primo: nam Deus respectu intellectus, ideo prædictos actus specificè distinguit, quia attingitur ab illis, vt stat sub diuersis rationibus obiectiuis formalibus, à fide sub reuelatione obscura, à scientia infusa sub effectibus creatis, à beatifica visione in se, & ratione sui; at respectu voluntatis nō obijcitur sub diuersis rationibus, sed sub eadem ratione bonitatis increatæ: ergo ex eo quod actus intellectus distinguat, non sequitur idem de actibus volūtatis dicendum. Secundo: nam Deus in ordine ad intellectum, non solum obiectiué actus distinguit, sed etiam distinguit habitus; & tamen vt bonus per has regulas propositus, non distinguit habitus voluntatis: idē enim est habitus charitatis Patriæ, & viæ, vt tenet communis Theologorum sententia: ergo ex eo quod in Deo sit diuersitas sufficiens ad distinguendum specificé visionem claram, fidem, & scientiam infusam, non sequitur, etiam in ratione boni, habere sufficiētem distinctionem obiectiuam ad distinguendos specifice amores regulatos per illas.

*Minor ostenditur 1.*

*Secundo*



## §. V.

### *Argumenta contraria sententiæ diluuntur.*

45 *Arguitur primo.*

OPPONES aduersus istam conclusionem primo D. Thom. *in præsenti art. 3. ad primum*, illis verbis: *Nec tamen per charitatem meruit, in quantũ erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris, nam ipse fuit simul viator, & comprehensor; & ideo quia nunc non est viator, non est in statu merendi*: ergo iuxta D. Thom. fuit in Christo duplex actus dilectionis Dei, alter regulatus per scientiam beatam, ipsi competẽs vt comprehensori, & per istum non meruit; alter regulatus scientia infusa, ei cõueniens vt viatori, & per istum actum meruit. *Respõdetur.* Respondeo, tota authoritate admissa, negando consequentiam, vt enim verificetur Christum meruisse per charitatem, non vt erat comprehensoris, sed quatenus viatoris, non est necessarium distinguere illos duos actus, sed in vno rationem liberi, & rationem necessarij, etsi sub vtraque ratione reguletur scientia beata: nam iste actus quatenus necessarius, dicitur Christo, non vt viatori, sed vt comprehensori competere; quia per illum, etsi esset simul viator ad præmium promerendum, non tendebat; prout liber, dicitur Christo, vt viatori conuenire; quia cum prout sic esset capax merendi, & aliàs Christus supponatur viator, dicitur illi conuenire vt viatori, quia per talem actum vt liberum, ad præmium sibi, & nobis promerendũ tendebat.

46 *Dices.* Sed dices, amor Christo competẽs vt viatori, petit regulari cognitione ipsi vt viatori conueniente; sed visio beata nulla ratione Christo vt viatori conueniebat: ergo amor regulatus per illam, non erat Christi vt viatoris. *Respõdetur.* Respondeo, quod licet visio beatifica entitatiue sumpta, non esset Christi vt viatoris, sũpta autem regulatiue, induebat conditiones Christi, vt viatoris, quatenus actus liberos regulabat, quibus, supposito statu viæ, meritorié in præmium sibi, & nobis promerendum Christus tendebat. *Instatur in opposita sententia.* Et instatur clare argumentum in opposita sententia: nam scientia per se infusa, quæ iuxta illam, regulabat dilectionem Christi meritoriam, sumpta entitatiué, non conueniebat Christo quatenus viatori. Tum, quia id docet D. Thomas *supra q. 11. art. 1. ad 2. & art. 2. in corp. & ad 2.* S. Thomas. Tum etiam, quia consequitur ad beatificam visionem, & est scientia propria beatorum; & tamen regulabat dilectionem meritoriam conuenientem Christo vt viatori: ergo quamuis visio beata Christo, vt comprehensori conueniat entitatiué, poterit regulatiué induere conditiones Christi, vt viatoris, regulando scilicet, actus liberos, quibus Christus merebatur, cõditione viatoris supposita.

47 *Arguitur secũdo.* Secundo arguitur: amor Dei regulatus scientia beata, essentialiter distinguitur ab amore regulato per scientiam infusam: ergo possunt simul existere in voluntate Christi. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem probatur: actus quorum vni conuenit prædicatũ aliquod essentiale, quod essentialiter alteri repugnat, essentialiter distinguuntur; sed dilectioni scientia infusa regulatæ, conuenit prædicatum aliquod essentiale, essentialitér repugnans dilectioni visione beatifica regulatæ: ergo dilectiones istæ essentialiter distinguuntur. Probatur minor: habitudo ad scientiam infusam, vt proponentem obiectum, cõuenit essentialiter dilectioni scientia infusa regulatæ, & repugnat essentialiter dilectioni regulatæ scientia beata: ergo conuenit essentialiter prædicatum aliquod vni dilectioni, quod alteri essentialiter repugnat. *Antecedens pro secunda parte ostenditur primo.* Antecedens pro prima parte, ex probationibus primæ constabit; pro prima autem ostenditur primo: nam est dabilis aliquis actus dilectionis Dei essentialitér exposcens scientiam infusam pro regula; cum istius actꝰ repugnantia nequeat monstrari; sed, illiꝰ possibilitate admissa, non est cur negetur dilectionem regulatã de facto huius conditionis esse: ergo habitudo ad scientiam infusam, vt regulam, est isti dilectioni essentialis.

48 *Secundo*

Secundo probatur: nam si ob aliquã rationem non esset isti actui essentialis prædicta habitudo, maximé, quia apprehensio obiecti, vel illius propositio tantum vt conditio ad actum voluntatis se habet; sed hoc, vel falsum est; cum multi probabiliter sentiant, apprehensionem esse rationem formalẽ *sub qua* respectu voluntatis; vel dato, quod conditio tantum sit, non obstat quominus essentialiter exigatur ab actu, & ab illo essentialiter inspiciatur; cum obscuritas non sit ratio *quæ*, vel sub *qua* obiecti fidei, sed præcisé conditio; & tamen essentialiter inspiciatur à fide: ergo scientia infusa vt proponens, essentialiter respicitur à dilectione regulata per illam quatenus à visione beatifica essentialiter distincta. Denique probatur: esto apprehensio boni sit solum conditio ad actũ voluntatis in communi, est tamen ab illo essentialiter exacta, & inspecta: ergo pariter, quamuis apprehensio talis, v. de licet scientiæ infusæ, conditio sit, & non ratio formalis *quæ*, vel *sub qua* obiectiua voluntatis, erit essentialiter exacta, & inspecta, ab amore regulato per illam.

*Vltimo.*

49 *Respõdetur.*

Respondeo, negãdo antecedens: ad illius probationem, concessa maiori nego minorem: ad cuius probationem nego antecedens: ad primam antecedentis probationem, nego maiorem. Ratio autem repugnantiæ est: nam essentia amoris sumitur à bonitate obiecti: vnde quoties obiecti bonitas eadem est, per accidens ad illum se habet apprehensio num diuersitas, vt ex D. Thoma vidimus: nam, cum apprehensio propter bonitatem obiecti quæratur, si per duas apprehensiones eadem bonitas proponitur; ab vtraque indifferenter potest amor talis bonitatis regulari. Ad secundam probationem dicatur non esse contra rationem conditionis, essentialiter exigi, cæterum hoc contingere, quando obiectũ secundum suam essentiam talem conditionẽ petit, qualiter contingit in obiecto fidei, quod per se petit obscuritatẽ ex parte subiecti; in nostro autẽ casu nõ ita: nam bonitas Dei per vtramque potest cognitionem proponi, & sic apprehensa amari, cumque ex diuersa propositione non varietur bonitas obiectiua; fit cõsequens, quod diuersitas apprehensionũ per se ab amore talis bonitatis nõ exigatur.

*Ad primã probationẽ antecedentis.*

*Ad secũdam.*

50 *Ad tertiam.*

Et ex his ad tertiam probationem constat solutio: fatemur enim apprehẽsionem boni essentialiter exposci, ab actu voluntatis vt sic, & talem apprehensionem essentialiter exposci quandoque à tali actu voluntatis; hoc tamen contingere, quãdo talis apprehẽsio diuersã bonitatẽ proponit; sec⁹ autẽ quãdo apprehensiones diuersæ eandem bonitatem in obiecto proponunt; tunc enim illarũ diuersitas per accidens comparatur ad illius bonitatis amorem: & insto in habitu charitatis, de quo potest idem argumentum fieri, nempe, quod essentialiter respiciat, saltim tamquam conditionem diuersitatem istam apprehensionum; & consequenter, quod essentialiter distinguatur habitus respiciens essentialiter claram visionem vt regulam, ab habitu respiciente essentialiter vt regulã, abstractiuam cognitionem: sicut ergo aduersarij tenentur fateri, repugnare habitui charitatis essentialis hæc respicientia; id ipsum nos docemus de actu, & eadem ratione, illa nempé, quam explicamus.

51 *Vltimo arguitur*

Denique arguitur argumento Recentiorum, & instatur contra hanc solutionem; etsi obiectum per vtramq; cognitionem propositum, sit materialiter idem, est tamen in ratione obiecti amoris diuersum formaliter: ergo actus his cognitionibus regulati, essentialiter distinguuntur; consequentia est bona; ad diuersitatem nãque essentialem, & specificam actuum, siue intellectus, siue voluntatis sufficit in obiecto, obiectiua formalis diuersitas, etsi respectu illorum obiectum idem sit materialiter. Antecedens autem probãt: motiuum diligendi Deum amore beatifico, est diuersum à motiuo ipsum diligendi amore regulato per notitiam abstractiuam: ergo est diuersum obiectum vtriusque amoris in ratione obiecti formaliter. Antecedens probatur: motiuum formale amoris beatifici, est bonitas diuina cognita immediatè in se ipsa; motiuum autẽ formale amoris non beatifici, est bonitas in creata cognita in aliquo suo effectu: ergo est diuersum vtriusque amoris motiuum.

Et

52 *Augetur difficultas primo.*

Et augetur difficultas primo: in Deo, vt cognoscibili immediate in se ipso, & mediate in suis effectibus, est diuersitas in ratione obiecti essentialis respectu actuum intellectus: ergo in Deo, vt diligibili immediate in se ipso, & vt diligibili mediate in aliquo sui effectu, est obiectiua diuersitas essentialis respectu actuũ voluntatis; atqui ad amorem beatificũ comparatur Deus vt immediate in se diligibilis, & ad non beatificum, vt diligibilis mediate, vt in suis elucet effectib⁹: ergo Deus in ratione obiecti differt formaliter in ordine ad istos actus. Confirmatur, & vrgetur secundo: bonitas namque sequitur ad veritatem, sicut Passio secunda ad primam Passionem, ad modum quo voluntas sequitur ad intellectum; sed ob hanc consequutionem, diuersitas essentialis intellectuum arguit à priori diuersitatem voluntatum essentialem: ergo diuersitas veritatum arguit etiam diuersam bonitatem essentialiter; at Deus, vt obijcitur scientiæ infusæ, diuersus est in ratione veri formaliter à se ipso, vt obiecto intuitiuæ notitiæ: ergo etiam est in ratione boni formaliter obiectiué diuersus; & consequenter act⁹ Deum attingens, vt propositum intuitiua notitia, diuersus est essentialiter ab actu attingente Deum, vt propositum per scientiam infusam, vel notitiam abstractiuam.

*Secundo*

53 *Tertio.*

Denique confirmatur: proximus vt diligibilis amore beatifico, differt in ratione obiecti à se ipso, vt diligibili per amorem non beatificum: ergo pariter in Deo vt ad istos actus comparato, diuersa est essentialiter ratio diligibilitatis. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur: ratio diligendi proximum per amorem beatificum, est bonitas increata, sicut ratio obiectiua cognoscẽdi creaturas in Deo, est veritas increata Dei; ratio autem diligendi proximum per amorem nõ beatificum, est bonitas ipsi⁹ proximi, sicut ratio obiectiua cognoscendi creaturas extra Verbum, est ipsorum veritas, vel entitas: ergo diuersa est ratio diligendi proximum amore beatifico, à ratione diligendi ipsum per amorem non beatificum; & consequenter amor beatificus proximi, & amor non beatificus eiusdẽ, essentialiter distinguuntur, non minus quam cognitio creaturarum intra Verbum, & cognitio earundem in se ipsis extra Verbum.

Respondeo ad argumentum, negando antecedens: ad probationem nego antecedens: ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiã; cum enim eadem bonitas diuina per vtramque illam cognitionem proponatur, esto cognitiones differant, non est distinctum vtriusque amoris motiuũ. Ad primam confirmationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: si mediatè diligatur, sicut mediate cognoscitur, concedo consequentiam: si nõ mediate, sed immediatè in se, & ratione sui diligatur, quamuis mediate, & ratione alterius cognoscatur, nego consequẽtiam; & ita in præsenti contingit: ratio namque cognoscendi Deum per scientiam infusam, sunt effectus immediatè cogniti per illam, & ratio cognoscendi Deum per scientiam beatam est diuina essentia in se: vnde cum varientur cognitionum motiua; & cognitiones ipsæ variantur: cæterum ratio diligendi Deũ propositum per scientiam infusam, non sunt creaturæ, sed diuina bonitas, vt in se, etsi antecedenter cognita ex creaturis, aut in illis; aliàs amor scientia infusa regulatus, non esset amor Theologicus, sicut nec scientia ipsa infusa cognitio Theologica est; eo quod habet pro motiuo non increatam, sed creatam veritatem; cumque respectu amoris beatifici, eadem increata bonitas sit ratio obiectiue mouens; fit consequens, quod vtri⁹que amoris motiuum idem formaliter sit: si autem Deus per amorem non beatificum amaretur ratione creaturarum, prius in se, & ratione sui hunc amorem terminantium, intentum conuincere-tur: si tamen hic amor datur, non erit charitatis Theologicæ, nec de illo Nos disputamus.

54 *Respõdetur.*

*Ad primam cõfirmationem.*

Ad secundam, distinguo maiorem: sequitur ad veritatem secundum rationem communem intelligibilitatis obiecti, concedo maiorem: secundum peculiares modos intelligibilitatis ex hoc aut illo motiuo, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: ná voluntas ex communi conceptu sequi-

55 *Ad secũdam.*

tur

tur intellectum in communi, & specificam rationem intellectus, specifica ratio talis voluntatis sequitur; & ideo ad diuersum intellectum sequitur diuersa voluntas: cæterum bonitas alicuius obiecti consequitur ad rationem veri, quæ in ipso inuenitur sub conceptu veri, non sub hoc, aut illo conceptu veritatis süptæ ex hoc, vel illo motiuo; & ideo quãuis ratio veritatis penes motiua varietur, bonitas inuariata subsistit, sicut charitas, quia consequitur ad fidem, & lumen gloriæ, non secundum illa, in quib⁹ essentialiter differunt, sed secundum rationem intellectiui certo, & supernaturaliter bonitatem diuinam proponentis non, variatur charitas essentialiter ex radicatione in fide, & in lumine gloriæ; sed istorũ luminũ diferẽtia, tametsi inter illa sit formalis, materialis est omnino; cõparatione facta ad habitũ charitatis; & sicut actus charitatis idẽ specificé manens, ab habitu, & auxilio procedit; quia non petit illa per se, quatenus specificé differunt, sed secundum quod in ratione tendentiæ ad idem obiectũ conueniunt: ita dicimus de obiecti amabilitate, non consequi ad veritatem illius, vt intelligibilem per diuersa lumina, intuitiuum, nempé, & abstractiuum secundum specificas differentias huius, & illius intelligibilitatis, sed secundum rationẽ vtrique veritati, aut intelligibilitati communem; & ideo differentia in ratione veri, vt intelligibilis, materialiter se habet ad variandam rationem diligibilitatis.

56 *Dices.* Sed dices, quia intellectus Angeli differt essentialiter ab intellectu hominis, inter voluntates hominis, & Angeli essentialis est differentia, quam uis bonitas obiecti per vtrãque amata sit eadem: ergo pariter differentia inter lumen beatificum, & lumen per se infusum, infert essentialem diuersitatem inter actus voluntatis, licet erga eandem diuinam bonitatem versentur. *Respõdetur.* Respondeo, negando consequentiam, quam insto euidenter: nam differentia intellectuum Angeli, & hominis, non solum infert distinctionem inter actus voluntatis vtriusque, sed etiam differentiam potentiarum; & tamen differentia specifica habituum luminis beatifici, & per se infusi, non infert distinctos habitus affectiuos in volũtate: ergo ex vno ad aliud inefficax argumentum conficitur. Ratio autem differentiæ est: nam voluntas Angeli, etiam si erga idem obiectum versetur, ac volũtas hominis, illud tamen diuersimode attingit, nempé immobiliter, & inflexibiliter, sicut intellectus Angeli inflexibiliter adhæret veritati; voluntas autẽ hominis flexibiliter fertur in illud: eadẽ autem bonitas tam diuersimodẽ attacta, potest specificam differentiam porẽ tijs tribuere; amor autem à charitate elicit⁹, eodem modo essentialiter fertur in bonitatem diuinam, siue notitia intuitiua, siué abstractiua, proposità, & ideo ex distinctione inter istas cognitiones, non oritur essentialis in amore, illis regulato distinctio. Nec obstat amorẽ regulatum visione beata, necessario ferri in bonitatem diuinam, & regulatum per notitiam abstractiuam, libere. Nam differẽtia penes liberum, & necessarium essentialis non est in frequentiori Theologorum sententia 1 2. q. 18. art. 1.

*Tacitæ obiectioni occurritur.*

Sed dices, non solum inter voluntates hominis, & Angeli, essentialis reperitur distinctio, sed etiam inter voluntatem vnius Angeli, & alterius, v. c. Gabrielis, & Raphaelis: & tamẽ hæc diuersitas non sumitur ex diuerso modo tendendi flexibiliter, & inflexibiliter; cum omnes Angelicæ voluntates sint inflexibiles, nec ex diuersa bonitate obiectiua: ergo sumitur ex diuersitate regulæ, nempé, intellectus proponentis obiectum.

57 *Instabis.*

*Respõdetur.* Respondeo, quod sicut intellectus vnius Angeli differt essentialiter ab intellectu alterius, etsi omnes sine discursu ferantur in verum; vel quia vnus immaterialiori modo fertur in illud, quam alius; vel ex ordine ad obiectum principale diuersum, nempé, ad propriam substantiam, penes cuius modum alia à se intelligunt Angeli: ita illorum voluntates differunt essentialiter inter se, vel penes immaterialiorem modum tendẽdi, vel penes ordinem ad obiectum principale diuersum, nempé, ad propriam substantiam, quæ respectu cuiuscumq; Angeli est obiectum magis connaturale, & principale, & penes cuius modum alia à se diligunt; quæ rationes distinguẽdi in amore charitati; regulato per scien-

tiam

tiam infusam, & beatam, non reperiuntur; & ideò, quamuis apprehensiones proponentes, distinguantur essentialiter, amores regulati per illas, essentialiter non differunt.

58 *Ad vltimam cõfirmationẽ resp.*

Ad vltimam confirmationem, distinguo antecedens: per amorem non beatificum secundario elicitum à charitate, vel primario à virtute speciali beneuolentiæ erga proximum, concedo antecedens: per amorem non beatificum primario à charitate elicitũ, nego antecedens, & consequentiam; nec contra distinctionem traditam, quidquam conuincit antecedentis probatio. Pro cuius intelligentia animadvertendum est ex his, quæ fusè docuimus *Tract. de Charitate 2. 2. q. 23. art. 5.* proximum dupliciter posse diligi, vel taliter, quod adæquata ratio proxima, & motiua ipsum diligendi sit Deus, & iste actus non secundario, sed primario pertinet ad charitatem: nam bonitas proximi respectu illius omninò materialiter se habet: vel ita, quod ratio, ob quam diligitur sit bonitas supernaturalis creata conueniens proximo ex participatione formali bonitatis diuinæ, quem actum secundario à charitate procedere, *loco allegato* docuimus; quia, nempé, attingit in obliquo bonitatem Dei increatam, quæ est charitatis obiectum, quod sufficit, vt secundario à charitate procedat. Alij tamen actum istum, non à charitate Theologica, sed à beneuolentia supernaturali erga proximum docent primario procedere. Dicimus ergo amorem beatificum per visionẽ regulatum, essẽtialiter ab hoc actu distingui, eo quod amor beatificus non potest proximum ratione propriæ bonitatis, vt proximé mouentis, diligere, sed tantum ratione increatæ bonitatis; & consequenter essentialiter distinguitur ab actu isto secundario charitatis habente pro ratione proxima motiua bonitatem supernaturalem creatam, non autẽ ab actu charitatis primario; cum etiam habeat pro obiecto, & ratione formali motiua, vt versatur erga proximum, ipsam bonitatem diuinam, quæ est ratio mouens ad beatificum amorem per visionem regulatum: & ex his ad probationem antecedentis constat solutio.

59 *Secũdo respondetur.*

Vel secundo responderi potest, prætermisso antecedenti, negando consequentiam: quia in proximo, vt diligibili per amorẽ non beatificum, est diuersa ratio obiectiua ab illa, qua est diligibilis per beatificum amorem; & ideo essentialiter distinguuntur amor proximi beatificus ab amore non beatifico. Cæterum in Deo non est diuersa ratio obiectiua, vt ad vnum, & alterum amorem comparato, sed ab vtroque actu attingitur ratione suæ increatæ bonitatis; & ideò amor beatificus Dei ab amore nõ beatifico essentialiter est indistinctus. Quæ solutio iuxta principia argumenti est accipienda, non iuxta nostra principia, qui actum charitatis, esto non beatificus sit, non à bonitate supernaturali creata, sed ab increata specificari tenemus.

## §. VI.

### *Reijcitur tertia sententia.*

60 *Tertia cõclusio*

TERTIA CONCLVSIO. *Meruit Christus per ipsum actum charitatis beatificum, vt regulatum scientia beata, non solum prout Deo volebat gloriã, & honorem extrinsecum, nec solum prout terminabatur ad proximum, sed etiã quatenus ad Deum terminabatur.* Conclusionem istam, vt probabilem defendit Capreolus *in 3. d. 31. 18. q. vnic. art. 3. ad argumenta Aureoli*, vt alijs probabiliorem, & magis menti D. Thomæ cõformem. Vincentius *de Gratia Christi q. 5. pag. 419.* vt D. Thom. expressã, Aluarez *disp. 45.* Tenent eandem conclusionem Nazarius *q. præcedenti art. 4. controuers. vnic. 4. p. concl. 4. & in præsenti art. 3. controu. vnic. in 2. p. cõtrouersiæ concl. 2.* & Illustrissimus Arauio *art. 4. dub. 3. conclus. 2.* eandem ex parte sequitur Mag. Lorca *disput. 72. conclus. 2.* vbi docet, eodem actu charitatis regulato scientia beata, Christum Deo dilexisse necessario bona intrinseca,

*Capr.*

*Vincẽt.*

*Aluer. Nazar.*

*Araujo.*

*Lorca.*

ca, extrinseca verò liberé, & sub hac secunda ratione per illum actum meruisse. Tenent etiam ex Patribus Societatis, Meratius *de Incarnatione disput. 43. sect. 4.* & Lugo *disp. 27. sect. 1.* & vt probabilem defendit Valentia *in præsenti q. 19. punct. 2.*

*Merat. Lugo. Valent.*

61 *Prob. quoad 1. partē.*

D. Th.

Et quod primam partem probatur expresso testimonio D. Tho. *in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 2.* illis verbis: *Ipse motus charitatis hominis Christi, in quo consistit præmium eius quantum ad beatitudinem animæ, potest esse meritum respectu beatitudinis corporis, quod in alijs beatis non contingit, quia non sunt in statu acquirendi, secundum aliquid sui, & ideo nec sibi, nec alijs merentur.* Ergo iuxta D. Thom. idem numero actus charitatis Christi, per quem Deo frueba. tur, & in quo illius essentialis beatitudo consistit, vt complemento, est liber, & meritori⁹ respectu beatitudinis corporis. Mitto aliud testimonium *ex q. 29. de Veritate art. 6. ad. 6.* quod expressius reputat Aluarez; habet enim facilem solutionem, si explicetur de charitate sumpta pro habitu, quod satis indicat D. Thom.

62 *Respondebis 1.*

Respondebis primo ex Capreolo vbi supra, D. Thom. sententiam, quam in Sententijs docuit, retractasse *in præsenti art. 3. ad 1.* vbi docet, quod licet meruerit per charitatem, non meruit per illam, vt erat cōprehensoris, sed quatenus erat viatoris. Quibus verbis duplicem actum distinguit ab habitu charitatis elicitum; alterū Christi, vt comprehensoris, alterum Christi, vt viatoris; & per hunc secundū, docet, meruisse; secus autē per primū; ac proinde retractauit id, quod docuit loco à nobis allegato. Vel secundo respondebis D. Th. nō loqui de eodē numero actu, sed de eodē habitu charitatis secundum diuersos actus, quorum vnus meritorius fuit, & liber, alter verò nec liber, nec meritorius.

*Respōdebis 2.*

63 *Prima reijcitur primo.*

Sed neutra solutio satisfacit, & cōtra primā facit primo: tūc solū esse ad illam solutionē fugiendū; cū vel D. T. expressé retractauit sententiā, vel cū adeò claré oppositū eius docuit, vt nullā interpretationē admittat; sed in præsēti nihil horū invenitur; non enim eius, quod *in 3.* docuerat, in præsenti fecit mentionem, nec quod docuit in hoc art. adeò expressé dicto Sententiarū opponitur, vt facilimā solutionē nō habeat: ergo absq; fūdamento vrgentia ad retractationē sentētiæ recurritur. Secundo: nā Christum meruisse per charitatē, quatenꝰ erat viatoris, non verò, vt erat cōprehensoris, rectē, & absq; vlla violentia saluatur in vno actu charitatis, qui sub vna cōsideratione Christo, vt cōprehensori conueniat, & sub alia Christo, vt viatori, non minus, quā in vno habitu; sed D. Th. *in præsenti* hoc solū docuit: ergo illā sentētiā in hoc art. 3. nō retractat, sed benè cōponitur id, quod in Sententijs docuerat; cum eo quod in præsenti asserit.

*Secundo*

64 *Secūda reijcitur primo.*

Deinde secūda solutio reijcitur primo: nā D. T. *in arg.* quod soluit, non loquebatur de habitu, sed de actu charitatis: ergo solutio argumēti nō de habitu, sed de actu charitatis procedit. Secūdo: nam loquitur de eo, in quo ratio meriti cōsistit; at non in habitu, sed in actu charitatis ratio meriti constituitur; charitatis enim habitus nō est meritū, sed merendi principiū: ergo nō rectē explicatur de eodē habitu charitatis. Deniq; nā illis verbis: *Ipse motus charitatis, in quo consistit eius præmiū, &c. potest esse meritū respectu beatitudinis corporis*; idē numero charitatis actus exprimitur, nec nisi violenter explicari possunt de eodē actu genericé, vel specificé, vt si dicerem⁹: *Petrus currit, et ipse disputat*: inepté intelligerem⁹ aliū hominē à Petro ob cōuenientiā specificā: ergo secūda solutio menti D. Tho. non cōgruit.

*Secundo.*

*Vltimo.*

65 *Secūdo suadetur conclusio quoad omnes partes.*

Secundo, quoad omnes partes suadetur cōclusio: vnꝰ actꝰ charitatis Christi terminatur ad proximū, ad perfectiones intrinsecas, gloriāq; & honorē extrinsecū, & ad Dei bonitatē, vt est ratio diligendi Deū, & prout est ratio diligēdi creaturas; sed actus iste, etsi necessārius fuerit, prout Deo perfectiones necessarias volebat, sub alijs tribus rationibus non erat necessarius, sed liber: ergo meritorius fuit sub his cōsiderationib⁹. Cōsequutio ipsis aduersarijs est euidēs; cū actū beatificū charitatis solū ex defectu libertatis à ratione meriti excludāt. Minor constat ex iam dictis; id enim, quod nō necessitat voluntatē diuinā, si absq; errore, aut inadvertentia propona

tur voluntati creatæ, illã necessitare nõ potest, vt *superius* arguebamus; sed nec proximus, nec bona extrinseca Dei, nec Deus ipse, vt est ratio diligendi creaturas, vt existẽtes, necessitãt voluntatẽ diuinã, sed liberé amantur à Deo: ergo actꝰ charitatis Christi in nihil horũ necessario ferebatur, sed liberé. Maior autẽ ostẽditur primo: Deus eodẽ actu ad hæc omnia terminatur, nẽpé, ad suas perfectiones intrinsecas, & extrinsecas, ad creaturas rationales, & ad se prout est finis illarum in exercitio, & vt est ratio diligendi eas dẽ vt existentes; sed actus charitatis creatus, est formalis participatio dilectionis increatæ, & diuinæ; & aliàs nulla est ratio implicationis, vt vnus, & idẽ actus omnes illas terminationes participet, vt ex argumetorũ solutione cõstabit: ergo vnus, & idem actus charitatis in Christo ad illa omnia obiecta terminabatur.

*Minor ostenditur 1.*

66 *Secũdo.*

Secundo probatur: beatus ex vi visionis beatificæ, non solũ attingit Deũ, & illius perfectiones intrinsecas, sed etiã creaturas possibiles, & creaturas existentes, Deumque vt est ratio, & mediũ cognitionis illarum, vt suppono ex frequentiori Theologorum sententia 1. *p. q.* 12. *art.* 7. & 8. ergo poterit ex vi dilectionis beatificæ, non solum Dei intrinsecas perfectiones attingere, sed etiã gloriã, & honorẽ extrinsecum, & creaturas vt existentes, Deumque prout est ratio in exercitio illas, vt sic, diligendi. Tertio: si creaturæ in statu possibilitatis, possẽt terminare amorem, & à Deo amarentur necessario ratione suæ bonitatis, beatus per dilectionẽ beatificam aliquas illarũ amaret; sicut aliquas creaturas possibiles, ex vi visionis diuinæ essẽtiæ, cognoscit, quod nullus Theologorũ negabit; sed creaturę vt existentes possunt terminare amorem: ergo possunt in Deo, & ratione illius diligi ex vi eiusdẽ amoris, prius terminati ad Deum, & ad illius intrinsecas perfectiones; & consequenter ex vi eiusdem dilectionis diligetur Deus, prout est ratio amandi creaturas.

*Tertio.*

*Vltimo.*

Deniq; nã illa, quæ possunt vt obiectum primariũ, & obiectum secundarium cõparari, possunt per eundem actum attingi; cum obiectum, eo ipso, quod sit secũdariũ, non possit actum distinguere, illũ vẽ specificare; sed gloria, & honor extrinsecꝰ, & creaturæ actu existentes possũt ad intrinsecas perfectiones diuinas, vt obiectũ, secundariũ, & primariũ cõparari: ergo possũt ex vi eiusdẽ dilectionis attingi; & cõsequenter, etiam diligetur Deus prout est ratio, illas amandi.

67 *Tertio principaliter probatur cõclusio.*

Tertio principaliter suadetur conclusio: si nãq; vnus actus non posset ad hæc omnia terminari, & rationẽ meriti obtinere, maximé, quia libertas, & necessitas non possunt eidẽ actui conuenire; at hoc falsum est: ergo vnus, & idẽ actus amoris potest terminari ad Deũ secũdũ perfectiones intrinsecas, & extrinsecas, ad creaturas existentes, & ad Deũ, prout est ratio illas vt sic diligẽdi; ac per cõsequẽs meritorius existere. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur primo: nã licet eidẽ actui respectu eiusdẽ obiecti secundũ eandẽ rationẽ non possint necessitas, & libertas cõpetere; respectu tamẽ diuersorũ obiectorũ, vel eiusdẽ secundũ diuersas rationes, nulla est ratio repugnantiæ; at sic est, quod necessitas, & libertas à nobis eidẽ actui cõcessæ, constituuntur respectu diuersorũ obiectorum, & respectu vnius obiecti secundum diuersas rationes, nẽpé, necessitas cõparatiué ad Deũ secundum perfectiones intrinsecas necessarias; libertas autẽ respectu Dei secundũ terminationes intrinsecas liberas: ergo nulla est repugnãtia, in eo quod sic cõstituãtur.

*Minor probatur primo.*

68 *Secundo*

Secundo: nõ minus distinguuntur ratio *intuitiuæ*, & *abstractiuæ* in notitia, quã in amore, necessitas, & libertas: imo magis distinguũtur; cũ in probabili pluriũ Metaphysicorũ sententia distinguãtur essẽtialiter; secus autẽ rario liberi, & necessarij, sed solũ accidentaliter; & tamen potest vna, & eadẽ notitia esse intuitiua, & abstractiua respectu diuersorum obiectorũ, vt cõstat in visione beatifica, quæ est intuitiua Dei, & abstractiua notitia creaturarũ possibiliũ: ergo pariter ratio liberi, & necessarij poterit, eidẽ actui voluntatis cõpetere, vel respectu diuersorũ obiectorum, vel respectu eiusdem secundum diuersas rationes.

*Tertio.*

Denique: ratio *practici*, & *speculatiui* non minus, imo magis distinguuntur in habitibus intellectus, quam libertas, & necessitas in actibus voluntatis;

& tamen possunt in eodem habitu ordinis superioris illæ duæ differentiæ adunari: ergo etiam libertas, & necessitas poterunt in eodem actu voluntatis adunatæ reperiri.

69 *Prob. vltimo cõclusio.*

Denique suadetur principaliter cõclusio; vt enim in prima conclusione mõstrauimus, oportuit, quod actus charitatis in Christo rationem meriti obtineret. Tùm, quia in actu charitatis principalius, quam in alijs actibus ratio meriti inuenitur: tùm etiam, quia act⁹ aliarum virtutum, non nisi imperati à charitate, possunt esse meritorij; at principalis ratio meriti, & aliorũ actuum imperium, dilectioni Dei, qui est finis vltimus, conuenit: ergo oportuit, quod dilectio Dei in Christo esset meritoria apud Deum; at non dilectio distincta ab amore beatifico, vt *in 2. conclus.* monstrauimus: ergo ipsa dilectio beatifica meritoria fuit in Christo; cumque hoc illi conuenire non possit, vt terminatur ad perfectiones necessarias intrinsecas, asserendum est, liberam, atque meritoriam fuisse, prout terminatur ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas, & illarũ finis in exercitio.

# §. VII.

## *Prima solutio rationis dubitãdi refertur, & reijcitur.*

70 *Prima solutio rationis dubitandi.*

AD RATIONEM dubitandi initio disputationis propositã, variè occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Prima solutio duplicẽ libertatis modũ in actibus voluntatis distinguit, nempé, libertatem essentialẽ, quæ in nullo alio, quã in ratione voluntarij, & spontanei consistit, soletq; libertas à coactione appellari, & libertatẽ contingentiæ, ad opposita contrariè, aut cõtradictoriè, cõsistentẽ in egressu à principio indifferẽti, ad agere, vel non agere, ad agere hoc, vel illud. Qua præmissa distinctione, ad obiectionẽ factã Auctores huius solutionis occurrunt, asserentes, quod licet amor beatificus non sit liber libertate cõtingentiæ, aut indifferẽtiæ; fuit tamẽ liber libertate essentiali, volũtarius, atq; spontaneus, & hunc modum libertatis ad meritum esse sufficientẽ. Pro qua re feruntur Altisiodorensis *lib. 3. tract. 5. cap. 3.* Gabriel *in 3. dist. 18. q. vnic. art. 2. conclus. 2. & art. 3. dub. 1.* Almainus *q. 1. not. 5.* & Maior *q. 2.*

*Altisi. Gabr. Almain. Maior.*

Hæc tamen solutio displicet cõmuniter Theologis, & reijcitur primo ex diffinitione Pij V. & Gregorij XIII. in Bullis contra Michaelẽ Baium æditis, & nouissimé cõfirmatis ab Vrbano VIII. inter cuius damnatas propositiones 38. est: *Liberè fit, quod voluntariè fit, etiã si necessario fiat*: ergo asserere liberum à sola coactione, etsi necessario factum, esse liberum absolute, & sufficienter ad meritũ, est à prædictis Pontificibus dãnatum. Cõfirmatur ex Hieronimo *lib. 2. contra Iouinianum non longè à principio*, illis verbis: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin vbi necessitas est, nec damnatio, nec corona est*: ergo ex mente Hieronimi libertas necessaria, dato, quod libertas sit, ad meritũ est insufficiens. Deinde, quia iuxta D. Thom. *1. p. q. 41. art. 2. ad 3.* Deus non liberè, sed naturaliter amat se ipsum & idcirco Spiritus Sanctus non liberè, sed naturaliter à Patre, & Filio procedit: ergo pariter beatus non liberè, sed naturaliter Deum claré visum diligit; & consequenter amor, vt ad Deum claré visum terminatus, ne liber, nec meritor⁹ est.

71 *Cõtra 1. ex Põtificũ diffinitionibus.*

*Cõfirmatur ex Hieron.*

*EXD. T.*

Secundo reijcitur: nam data illa duplici acceptione libertatis, essentialis, scilicet, & contingentiæ, & quod prima conuertatur cum voluntario, & spõtaneo, & amori beatifico, vt ad Deũ terminato conueniat; ad meritum tamen non sufficit, sed necessario libertas contingentiæ, seu indifferentiæ contradictionis exigitur; sed amor beatificus, vt terminatus ad Deum secundum illius intrinsecas perfectiones, non est liber libertate contingentiæ, aut indifferentiæ: ergo sic acceptus meritorius esse nõ potest. Maior, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo: quia est communis Theologorum consensus *1. 2. quæst. 114. art. 1.* Secundo: nam motus inde-

72 *Contra 2. à ratione.*

*Maior ostenditur primo.*

*Secundo*

liberati, aut primo primi sunt voluntarij; & consequenter spontanei, atque liberi, in illa libertatis acceptione; & tamē nec laude, nec vituperio sunt digni; & consequenter nec meritorij, nec demeritorij, quod nullus Theologorum negauit: ergo libertas illa ad meritum est insufficiens.

73 *Tertio.* Tertio: nam ea libertas ad meritum est necessaria, quæ exigitur, vt actus aliquis præcipiatur, aut prohibeatur per legem; sed ad hoc non sufficit essentialis libertas, sed contingentiæ, & indifferentiæ requiritur, vt omnibus est in confesso; aliàs amor beatificus posset præcipi per legem: ergo etiam ad meritum debet insufficiens cēseri. *Quarto.* Quarto: nam ea libertas ad meritum est necessaria, quæ requiritur ex parte benefacientis, vt illi actio gratiarum debeatur; sed libertas essentialis non sufficit, vt alicui gratiæ debeantur: ergo nec ad meritum sufficit. Probatur minor: nam admissa illa libertatis acceptione, Spiritus Sanctus liberé à Patre, & Filio procedit, cum per actū voluntarium procedat; & consequenter liberum libertate essentiali; & tamen, quia ab illis Spiritus Sanctus procedit, & accipit esse ab illis, non ob id Spiritus Sanctus gratias eis debet referre: ergo libertas essentialis non sufficit ad fundādum debitum gratiarum actionis.

74 *Vltimo.* Denique probatur maior aperto D. Tho. testimonio *q. 6. De Malo*, quæ est de electione humana *art. vnic. in corp.* vbi relata quorundam opinione asserentium voluntatem hominis omnia ex necessitate, quamuis sine coactione, & sine violentia, eligere; iudicium de illorum sententia profert, his verbis: *Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur. In illorū Auctorum sententia, electio humana libera est à coactione, & libera libertate essentiali, siquidem est voluntaria; & tamen à D. Thoma vt hæretica reijcitur, quia tollit rationem meriti, & demeriti ab hominum electione, eo quod meritorium esse non potest, quod aliquis ita ex necessitate agit, quod vitare non potest: ergo iuxta D. Thomam libertas essentialis, vel libertas à coactione, insufficiens est ad meritum, sed libertas contingentiæ, aut contradictionis, consistens in indifferentia ad agendum, & non agendum requiritur.

75 *Si dicas* Si dicas: D. Th. ibi loqui de huius vitæ libertate, quæ in indifferentia principij ad contraria, vel contradictoria cō sistit, & ad huius vitæ meritum est necessaria; cum quo recté stat, vt in beatis libertas ad meritum necessaria, sine cōtingentia saluetur, etsi ratione status meriti incapaces sint: in contrarium obstant aperté verba illa D. Th. *Non enim videtur aliquid esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non potest.* Quæ ratio vniversalis est, & omnes hominis status comprehendit: ergo nec in via, nec in Patria, meritorius esse potest actus non liber libertate contingentiæ, & contradictionis. *Cōtra 1.* Deinde obstat, cōditiones ad meritum ex parte actus requisitas, non pendere ex voluntate Dei, sed ab ipsa rei natura: ergo, quæ in via necessaria sunt, etiā in Patria, & in omni statu sunt necessariæ; at libertas est cōditio ex parte actus requisita: ergo si in via libertas contingētiæ requiritur, etiam petitur in Patria.

*Secundo* Quod item, necessaria sit vniuersaliter ad meritum libertas contradictionis, nec essentialis, & necessaria sufficiat, alio argumento efficaci satis ostendo; aliàs enim inanis esset totus Theologorū labor, in indagando, an gratia efficax, hominum libertatem ad meritum necessariam euertat; hoc asserendum non est: ergo nec est dicendum, libertatem essentialem cum necessitate actus, ad meritum esse sufficientem. 76 Probo sequelam: gratia, esto ab intrinseco efficax, non tollit ab actu, ad quem datur, libertatem essentialem; cum non inducat violentiam, nec tollat rationē voluntarij, vt est in confesso apud omnes, nullo quē viderim, refragrante: ergo, si hæc libertas est ad meritum sufficiens, frustra Theologi laborant, & inaniter tempus insummunt, in concilianda libertate ad meritum necessaria; cum efficacia, & infallibilitate gratiæ Dei, qua nostras præuenit, & præmouet voluntates.

Et

77 *Nō obstat doctrina D. Thom.*

Et iuxta hæc interpretandus est D. Thom. *p. 10. de Potentia art. 2. ad 5.* vbi docet, Spiritum Sanctum liberé à Patre, & Filio procedere, Deumque se liberé amare, tametsi necessario se amet & voluntatem libere fœlicitatem appetere, licet illam appetat necessario. Et *3. Contra Gentes cap. 38.* vbi duplicem necessitatem distinguens, vnam coactionis, & alteram ex interiori voluntatis inclinatione, docet, hāc necessitatem, laudē virtuosi actus non minuere, sed augere; eo quod facit, voluntatem magis intense tendere in actum virtutis, & addit, virtutis habitum, quando ad finem perfectionis deuenit, quandam necessitatem ad benè agendum inferre; sicut est in beatis, qui peccare non possunt, nec tamen propter hoc, aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati

78 *Facile iuxta dicta intelligitur.*

Quæ doctrina ex dictis facilem accipit interpretationem: nam primum testimonium intelligēdū est de libertate à coactione, quæ cū voluntario coincidit, nō de libertate simpliciter excludēte determinationē ad vnum per modū naturæ, qua distinctione vsus est D. Th. *Q. 22. de Veritate art. 5.* nam Spiritum Sanctum non procedere à Patre liberé hoc secundo genere libertatis, docuit D. Th. *loco de Potentia citato ad 4. argumentum, & 1. p. q. 41. art. 2. ad 3.* In secundo autem testimonio loquitur D. Thom. non de necessitate determinante ad vnum, excludenteque indifferentiam principij ad opposita, saltim cōtradictorié, sed de necessitate morali prouenięte ex interiori volūtatis inclinatione præstita ab habitib⁹ inclinantibus illā ad bonum; & hanc certum est non opponi libertati actus, nec illius laudabilitati: imo potius illam auget, ex eo quod voluntas medijs habitibus, intensius, & feruentius operatur. Nec obstat, quod D. Thom docet de habitibus, cum ad statum perfectum perueniunt, quod nē pé, inducunt quādam necessitatē: nam intelligendus est D. Thom de necessitate ad non peccandum, non de necessitate simpliciter ad operādum; stare autem in beatis, & in Christo cum necessitate ad non peccandum, libertatem contradictionis sufficientem ad laudabilitatem, & meritum, nisi obstaret status cō prehēsoris in beatis, ex dicendis *Disput. sequenti* constabit.

79 *Insurges contra hucusq; dictagraui testimonio D. Tho.*

Sed obstat grauiter contra hucusq; dicta testimonium D. Thom. *in. 3. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 5.* quod ita procedebat: *Naturalibus non meremur, nec demeremur, quia sunt determinata ad vnum; sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad bonum: ergo, &c.* Cui argumento duplici solutione occurrit: prima, asserendo, liberum arbitrium in Christo esse determinatum ad vnum secundum genus, non ad vnum secundū numerum, & hoc ad libertatem, & ad meritum sufficere. Secūdo, his verbis: *Vel dicendum, quod si etiam esset determinatus ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen ex hoc non amittit libertatē, aut rationem laudis, siue meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tenāit, & ita est actus sui Dominus.* Ergo apertē sentit D. Thom. libertatem à coactione, coincidentē cum spontaneo absque libertate contingentiæ, siuē indifferentiæ contradictionis, esse ad meritū sufficientem, Christumque per actum dilectionis beatificæ, etiam, prout necessario in Deum ferebatur, meruisse.

80 *Respōdetur.*

Respondeo, negando consequentiam; non enim asserit absolutē D. Th. cum determinatione ad vnum actum numero, saluari libertatem ad rationem laudis, & meriti necessariam, sed cum addito, nēpé, cum determinatione ad vnum numero, sicut Christus erat determinatus ad diligēdum Deum, ad cuius dilectionem taliter erat determinatus, quod licet ipsum quoad perfectiones necessarias non posset, non diligere; Deum tamen, vt est ratio diligendi creaturas, & illarum finis in exercitio poterat non diligere: vnde cum determinatione ad entitatem indiuidualem dilectionis Dei, erat indifferens ad illam indifferentia contradictionis secundū terminationem ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas, vt ex infra dicendis cōstabit; & cum hac determinatione rectē docet D. Tho. in actu stare rationē laudabilitatis, & meriti; si verò taliter ad illum actum esset determinata voluntas creata Christi, quod sub nulla ratione esset ad illum indifferens indifferētia

contradictionis, non daretur locus laudabilitati, nec merito, nec oppoſitum huius contendit Angelicus Doctor.

81 *Dices.* Dices: ratio, qua D. T. probat dilectionem Dei ex determinatione voluntatis Chriſti ad illam, nō amittere libertatē, nec rationē laudis, nec meriti, eſt, quia Chriſtus ad illam non coactē, ſed ſpōtē fertur, & ita eſt actus ſui Domin⁹; at hæc ratio militat in dilectione Dei ſecundū perfectiones neceſſarias: ergo ſentit D. Th. fuiſſe meritoriā in Chriſto dilectionē Dei ſecundum perfectiones neceſſarias. Probatur minor; Chriſt⁹ diligebat Deum ſecundum perfectiones neceſſarias non coactē, ſed ſpontaneē; ſed ratio libertatis, prædictæ dilectionis ſufficientis ad rationē laudis, & meriti ſumitur à D. Th. ex negatione coactionis: ergo ratio probans libertatē ad meritum ſufficientē in dilectione Chriſti beatifica, militat de eadem ſecundum terminationem ad perfectiones neceſſarias Dei.

82 *Reſpōdetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorē: ita vt negatio coactionis ſit ratio formalis fundans in dilectione rationē laudis, & meriti, nego maiorē: ita vt ſit radix permittendi indifferentiam contradictionis in eadem dilectione ſub alia terminatione fundantem rationem laudis, & meriti, concedo maiorē, & diſtinguo minorē: militat, vt probet terminationem illam permittere aliam in eadem dilectione fundātem rationem meriti, concedo minorem: vt probet dilectionem ſecundū terminationē neceſſariā eſſe laudabilem, & meritoriā formaliter, nego minorem, & conſequentiam. Itaque dilectio beatifica Chriſti, ſi eſſet violenta, aut coacta, ſub nulla ſui conſideratione foret Chriſto libera libertate contradictionis; & conſequenter nec meritoria: vt ergo eſſet ſub aliqua ſui conſideratione libera libertate contradictionis, & formaliter meritoria, neceſſarium erat, quod ſumpta entitatiué, & ſecundum terminationem neceſſariam non eſſet coacta, ſed ſpontanea: vnde rationem ſpontaneæ, & negationem coactionis in dilectione beatifica Chriſti ſecundum ſuam entitatem, & terminationem neceſſariam, non aſsumpſit D. Thomas, vt fundātem rationem laudis, & meriti, ſed vt cauſam permittendi in eadem dilectione aliam terminationem liberam, & contingentem, quam inferius explicabimus, fundantem in dilectione beatifica rationem laudis, & meriti.

## §. VIII.

### *Refertur, & refellitur duplex ſolutio.*

83 *Secūda ſolutio rationis dubitandi.* Secvnda ſolutio eſt, dilectionem beatificam Chriſti eſſe neceſſariam vagē, non autem indiuidualiter determinatē, ideſt, quod licet Chriſtus ratione claræ viſionis eſſet neceſsitatus ad diligendum Deum, hac, vel illa numero dilectione: ita, vt nunquā poſſet ab illius dilectione ceſsare; non tamen erat neceſsitatus ad hanc numero dilectionē; poterat enim per vnam dilectionem diligere Deum ſolum, nullam in illo, & ex illo diligendo creaturam, & poterat ipſum cum vna, vel duabus, vel pluribus creaturis diligere, quæ dilectiones, numero forent diſtinctæ, & in perfectione inæquales: vnde cum neceſsitate ad nunquam à Dei claré viſi dilectione ceſsandum, ſtat indifferentia ad dilectioniones beatificas numero diſtinctas, inæqualiſq; perfectionis, quæ ſufficit ad rationem laudis, & meriti. Ita Meratius, & Cardinalis Lugo vbi ſupra.

84 *Contra.* Hæc tamen ſolutio non placet: nā Deus claré viſus, non ſolum neceſsitat ad ſui dilectionem vagē, ſed etiam determinatē: ergo, vt ad Deum ſecundū perfectiones neceſſarias terminata, nullatenus libera eſt; & conſequenter nec meritoria prout ſic. Antecedens probatur: ideò neceſsitat ad ſui dilectionē vagē, quia Deus, vt ſummum bonum claré viſum proponitur, in quo nulla eſt ratio mali nec in ceſſando ab illius dilectione, ratio aliqua bonitatis apparet; ſed nec etiam, in ceſſando ab hac numero dilectione, poteſt boni aliqua ratio apparere: ergo Deus claré viſus, non ſolum neceſsitat ad ſui dilectionē vagē,

ſed

sed etiã ad istam numero dilectionem determinatam.

85 *Respondebis.* Respondebis, negando minorem: nam, in cessando ab hac numero dilectione, per quam, v. c. diligitur Deus solus, apparere potest, & proponi ratio maioris boni, quæ in Deum simul cum alia creatura diligendo invenitur, & in cessando à dilectione Dei cum vna creatura, apparere potest ratio alia maioris boni, quæ reperitur in diligẽdo Deum, & in ipso duas creaturas, & sic de alijs; & ob hanc maiorem rationem boni potest à quavis illarum in particulari cessare; secº autẽ à dilectione Dei vagé sũpta, eo quod in cessatione ab illa, nulla potest bonitatis ratio apparere. *Cõtra 1.* Sed cõtra primo: nam sequitur ex hac solutione, posse beatũ, pro suæ voluntatis arbitrio, ab vna numero visione cessare, aliam distinctam indiuidualiter, & hac numero visione perfectiorem, vice illius substituendo; consequens est falsum, & à nemine admissum, quẽ viderim: ergo & tradita solutio. Patet sequela: ideò potest hanc numero dilectionẽ omittere, quia in eius carentia repræsẽtari potest maior alterius dilectionis perfectio; sed hoc admisso, etiam potest, in carentia huius numero visionis, maior alterius visionis perfectio repræsentari, & voluntati proponi: ergo eadem ratione poterit ab hac numero visione cessare.

86 *Secundo* Secundo, dilectio solius Dei nõ est numero distincta ab illa, quæ terminatur ad Deum, & in ipso ad vnam creaturam, nec ista numero distincta est ab illa, quæ terminatur ad duas, & sic deinceps: ergo in carentia vnius numero dilectionis, non potest repræsentari bonitas dilectionis ab ea numero distinctæ, & maioris perfectionis; & consequenter sicut videns Deum necessitatur ad illius dilectionem vagé: quia in carentia dilectionis *vt sic*, non potest repræsentari aliqua ratio bonitatis, nec poterit ab hac numero dilectione cessare; & ex eadem radice. *Antecedens probatur 1.* Consequentia est euidens in principijs traditæ solutionis. Antecedens autem ostenditur primo: nam dilectionis indiuiduatio nõ ab obiecto, sed à subiecto desumitur, & penes illud pensatur, vt constat ex dictis inter probandam secundam cõclusionem: ergo ex terminatione ad plures, paucioresvé creaturas, in Deo primario dilecto non variatur dilectio numericé.

87 *Secundo* Secundo probatur: visio non variatur numericé ex terminatione ad plures, vel pauciores creaturas existentes: ergo pariter dilectio ex terminatione ad plures, vel pauciores creaturas in Deo primario dilecto, numericé non variatur. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem probatur: nam si visio beatifica numericé variaretur ex terminatione secundaria ad creaturas existentes, mediante diuina reuelatione, sequeretur dari aliquã visionẽ beatificam, cui ex cõditione indiuiduali, & numerica repugnaret essentialiter annihilari; cõsequens absurdum est: ergo nõ variatur numericé ex diuersa terminatione ad creaturas existentes. Probatur sequela; si numero multiplicaretur visio ex diuersa terminatione ad creaturas, si Deus alicui beato reuelaret, se nunquã annihilaturũ suã visionẽ beatificã, visio qua beatus huic reuelationi assentiretur, & sui non annihilationẽ, mediante reuelatione decreti de tali negatione, cognosceret, esset numero distincta à visione in Deo primario cognito veritatem istam non attingente, quod in principijs traditæ solutionis nequit negari; at hoc cõcesso sequitur manifeste, visioni ad prædictam veritatem terminatæ repugnare essentialiter annihilationem ex sua conditione numerica: ergo sequitur ex tradita solutione dari aliquam visionem, cui ex cõditione numerica essentialiter annihilatio repugnet.

88 *Minor patet.* Patet minor: visio beatifica, vtpote essentialiter vera, & cui essentialiter repugnat esse falsam, essentialiter petit veritatem sui obiecti, secundum illam rationem, secundum quam terminatur ad illud; sed si visio habens pro obiecto sui non annihilationẽ, esset numero distincta à visione negationem istam non habente pro obiecto, prout numero ab illa distincta esset cognitio suæ nõ annihilationis; imo ex terminatione ad istam negationem, numero distingueretur: ergo ex cõditione numerica, per quam ab alia numero distingueretur, essentialiter exigeret sui obiecti veritatem; sed

veritas sui obiecti essentialiter exposcit negationē annihilationis, vel in hac negatione essentialiter consistit: ergo peteret essentialiter negationem suæ annihilationis; & consequenter illi sumptæ indiuidualiter, & prout numero ab alia distinctæ, annihilatio repugnaret essētialiter; eo namq; quod essentialiter petit negationem annihilationis, essentialiter annihilatio repugnat.

89 *Tertia solutio.*

Tertio alij respondent: dilectionē Christi beatificam, dupliciter posse cōsiderari, nempé, vt regulatam per visionem beatam, Deum claré, & vt est in se, repræsentātem, & prout regulatam per scientiam infusam, diuinam bonitatem abstractiué tantum attingentem: qua distinctione suppositā, docent huius solutionis Auctores, prout subest primæ regulæ, non liberam, sed necessariam esse; & cōsequenter non meritoriam; prout verò subest secundæ, esse liberam; ac per consequens meritoriam. Ita quidā Thomistæ, quos sine nomine refert Vincentius *vbi supra*, quam solutionē vt probabilem ipse defendit, illique subscribit Nazari⁹ *in præsenti art. 3. cōtrou. vnic. 2. part. controuersiæ concl. 3.* vbi tuetur, dilectionem Christi, non solum fuisse liberam, vt terminatam ad creaturas in Deo, & ad Deum secundum terminationes liberas, sed etiam prout terminatam ad ipsum secundum perfectiones necessarias.

90 *Opponunt Recentiores primo.*

Contra istam solutionem opponunt Recentiores primo: non posse eūdē actum esse liberum, & necessarium: ergo si dilectio beatifica in Christo, fuit sub aliqua cōsideratione necessaria, sub nulla esse potuit libera. Secundo: nam aliud est, quod ex scientia infusa regulante nō habeat necessitatem, & aliud, quod ex illa positiuam participet libertatem; primum est verum, sed insufficiens ad meritum dilectionis; secundū autem est impossibile; aliàs idem actus existeret, & nō existeret necessario, quæ est manifesta contradictio. Hæc tamen argumenta non vrgent; primum namq; falsum antecedens assumit, vt ex dicendis constabit. Et similiter secundum: nam licet actum aliquem secūdum eādem terminationem existere necessario, & non necessario existere, sit manifesta contradictio; quod autem sub vna terminatione necessario existat, & non necessario sub alia, nulla contradictio est; Auctores autem traditæ solutionis, sicut multiplicant regulas respectu actus charitatis, ita in illo terminationes multiplicant, vnam ad Deum, vt cognitum intuitiuē, aliam ad ipsum Deum, vt cognitum abstractiué; primam necessario existentem; secundam verò, nō necessario, sed liberé.

*Argumēta ista nō urgēt*

Licet tamen hæc argumenta non vrgeant contra tertiam solutionem, mihi redditur difficilis. Primo: quia actus voluntatis dependet in sua entitate à cognitione intellectus regulante, & proponente obiectum; sed nō potest dilectio Christi beatifica ab vtraque cognitione dependere entitatiué: ergo non potest per vtramque regulari. Minor probatur: nam vel dependeret ab illis, vt regulis adæquatis, vel vt regulis partialibus; non primum; non enim minus repugnat eundem numero effectum à duab⁹ regulis totalibus adæquatè dependere, quam à duabus causis efficientibus adæquatis, quod impossibile esse, imo & contradictionem involvere, communiter defendunt Thomistæ. Nec secundum: nam effectus à duabus causis dependens partialiter, qualibet ablata, destruitur; dilectio autē beatifica Christi maneret entitatiué invariata sine scientia infusa regulante; aliàs quoad suam entitatem necessaria non esset: ergo nō potest scientia beata, & infusa regulari.

91 *Solutio tamen reijcitur primo.*

92 *Secūdo.*

Secundo: nam duplex illa terminatio, quā multiplicare in dilectione beatifica, necessarium est ad saluandum fuisse necessariam, & liberam; vel distingue rentur numericé, vel specificé; nō primum ob ea, quæ diximus inter confirmandam secundam cōclusionem; quia nempé, duo accidentia solo numero distincta, non possunt simul in eodē subiecto existere. Nec secundum: nam obiectum vtriusque terminationis est idē; diuersitas autem regulæ non sufficit diuersitatem specificam in actibus voluntatis inducere, vt ibidem satis ostendimus: ergo duplex illa terminatio non potest in dilectione saluari; & cōsequēter nec libertas, & necessitas ex diuersitate regulæ.

Denique:

93 *Tertio.*

Denique: nam esto possit inveniri in aliquo actu, respectu obiecti secundarij, aut materialis, nouitas terminationis, aut intrinsecæ denominationis, absque nouitate entitatis; hoc tamen est impossibile respectu obiecti primarij, vt ex dicendis in resolutione nostra constabit; at terminatio ad Deū in dilectione beatifica, vt his cognitionibus regulata, est in ordine ad obiectum primarium: ergo non stat distinctio terminationis, & nouitas denominationis, absque distinctione, & nouitate entitatis; & consequenter non stat duplex ista terminatio, vna libera, & altera necessaria absque distinctione, & nouitate entitatiua.

# §. IX.

## *Vera solutio rationis dubitandi traditur.*

94 *Vera solutio rationis dubitandi.*

QVARE his modis dicendi omissis, ad rationem dubitādi aliter est occurrendum, notando, Deum, aut illius bonitatem meditari posse dupliciter, nempe, vt est ratio diligendi ipsum Deum; & prout est finis creaturarum in exercitio, & ratio illas diligendi; & sub vtraq; ratione Deus diligebatur, & diligitur ab anima Christi Domini per dilectionē beatificam, vt *in 3. concluſ.* monstrauimus. Dicimus ergo, dilectionem Christi beatificam, vt terminatam ad bonitatem diuinam, vt est ratio diligēdi Deum, & Deo perfectiones intrinsecas necessarias, nō liberam, sed necessariam fuisse; ac per consequens sub ista consideratione nō fuisse meritoriam; vt autem terminabatur ad bonitatem diuinam, vt est ratio diligendi Deo bona extrinseca, scilicet, honorem, & gloriam, & prout est ratio diligendi creaturas, & terminationes intrinsecas liberas, non fuisse necessariā, sed liberam; ac per consequens fuisse prout sic meritoriam. Ita Vincentius, Nazarius, & Illustrissimus Araujo locis vbi supra citatis.

Sed contra istam solutionem dupliciter insurgunt contrariæ sententiæ Auctores. Primo: nam id, quod competit actui voluntatis diuinæ, quia diuinus, & infinitus est, nō debet, nec potest actui voluntatis creatæ, quamuis illius formalis participatio sit, adaptari, sed quod absq; distinctione entitatis gaudeat duplici terminatione, vna libera, & altera necessaria, conuenit actui voluntatis diuinæ, quia diuinus, infinitus, & increatus est: ergo hæc duplex terminatio cum vnitate entitatis non est attribuenda dilectioni Christi beatificæ, quantumvis sit formalis participatio dilectionis increatæ, & diuinæ. Quod amplius confirmant: nam, quod actus voluntatis diuinæ entitatiuē inuariatus, potuerit libera denominatione carere, est vnū ex mysterijs nostræ fidei, quod plures impertransibile iudicant, & vix potest mente percipi; ac denique, vt aliqua ratione explicetur ad illius infinitatem confugimus: ergo non est extendendum ad dilectionē creatam, esto illius sit formalis participatio.

95 *Insurgūt 1. aduersarij.*

*Confirmatur.*

Secundo: nam implicat vnum, & eundem actum numero, esse necessariū, & liberum; sed dilectio Christi beatifica, necessaria est prout terminatur ad Deum secundum perfectiones necessarias intrinsecas: ergo sub nulla ratione potest libertatem induere. Maior, in qua sola est posita difficultas, probatur: nam actus necessarius, taliter est, quod non potest non esse; actus autem liber, taliter est, quod potest non esse; sed sic esse, quod non possit non esse, & sic esse, quod possit non esse, contradictorie opponuntur, sicut esse, & non esse: ergo eundem actum esse necessarium, & liberum involuit contradictionem; & consequenter est omninò implicans, & impossibile.

96 *Secundo insurgit*

Hæc tamen veritatem nostræ resolutionis non infringunt. Ad primum, concessa maiori, nego minorem: nam quod actus diuinæ volūtatis ad duo obiecta terminetur, nempe, ad Deum, & creaturas, attingatq; bonitatem increatam, vt est ratio diligendi Deum, & illius perfectiones necessarias, & insuper

97 *Respōd. ad primum.*

bona

bona creata, & extrinseca, non conuenit Deo ex capite infinitatis; cum totum hoc reperiatur in ordine intelligibili in visione nostra beatifica, vt constat ex dictis; quod autem ad Deum necessario feratur sub prima consideratione; ad creaturas verò, & ad Deum, vt est ratio diligendi illas, & finis illarum in exercitio liberé, non prouenit ex ratione infinitatis; sed quia perfectiones intrinsecæ necessariam habent connexionem cum Deo; bona autem creata non necessariam, sed contingentem, & liberam: nihil ergo in terminatione libera inuenitur, ob quod petat ab intrinseco infinitatem in actu, cui simul conuenit cum terminatione necessaria, nec potest id exigere ex ratione nouitatis denominatiuæ absque nouitate entitatis; cum extra Scholam D. Tho nouitas denominationis absque nouitate entitatis adstruatur in fundamento relationis, quod, posito termino, nouiter refertur ad illum absq; additione entitatis, & in Schola D. Th. id ipsum plures doceant in vnione materiæ cum forma, quod nempe, adest de nouo denominatio realis vniti absque nouitate entitatis, etiã modalis, in corpore Christi, vt terminante panis conuersionem in ipsum, id frequentius etiã admittitur, & omnes Thomistæ eadem doctrina vtuntur in relatione Patris, vt ad secundum filium referente, quòd, nẽpe, filio genito de nouo, incipit pater respicere illum absque noua relatione, & absque entitate relationi primæ superaddita: ergo ex hoc capite non petitur infinitas in actu, vt simul sit necessarius, & liber.

98 *Ad cõfirmationẽ*

Ex quibus ad confirmationem constat solutio. Fatemur enim libertatem actus voluntatis diuinæ plures inintelligibilem iudicare, nec valere mẽte percipere; & alios ad infinitatem confugere, quod effugium approbamus ad faciliorem eius difficultatis euasionem, non tamen est omnimode necessarium; nec quia mysterium difficile est, ideo damnandi sunt Theologi id ad dilectionem creatam extendentes, imo potius laudãdi, cum ex hac paretur via ad facilius difficultatem illam superandam.

99 *Ad secũdum.*

Ad secundum, nego maiorem: ad cuius probationem distinguo maiorem pro secunda parte: actus liber taliter est, quod potest non esse, vel quoad entitatem, vel quoad denominationem, & terminationem, cõcedo maiorem: quoad entitatem semper, nego maiorem, & distinguo minorem: si posse non esse, & non posse non esse, cadant supra entitatẽ actus, concedo minorem: potentia ad non esse cadente supra denominationẽ, vel terminationem, & negatione potentiæ supra entitatem, nego minorem, & consequentiam: nam dilectio beatifica Christi considerari potest tripliciter, nẽpe, secundum entitatem, & secundum terminationem necessariam ad Deum, & illius perfectiones necessarias, & secundum denominationem, seu terminationem liberam ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas; quoad entitatem, & terminationem necessariam, necessario existit, nec est in potentia ad non existendum entitatiue; potest tamen non esse denominatiue, & terminatiue secundũ conceptum liberæ terminationis; non autem opponuntur contradictorié, aut cõtrariè necessitas essendi entitatiua, & terminatiua terminatione necessaria, & potentia ad non essendũ denominatiue, & terminatiue secundum terminationem liberam, vt constat in actu libero voluntatis diuinæ, qui cum necessitate sub conceptu entitatis est in potentia ad non esse sub conceptu denominationis, & liberæ terminationis.

Contra istam solutionem plura obstant, difficiliaque argumenta, quæ tamen generaliter militant contra libertatem actus voluntatis diuinæ. Aliqua hic attingemus: primo contra illa arguitur: nam realis separabilitas arguit a fortiori realem distinctionem inter illa, quæ separabilia sunt; sed terminatio libera realiter est separabilis a terminatione necessaria: ergo realiter inter se distinguũtur; & consequenter non possunt in eodem actu entitatiuè inueniri. Secundo: realis communicabilitas, & realis incommunicabilitas nequeunt in eadem entitate creata inueniri, etsi in eadem entitate increata, & infinita hæc duo prædicata inueniantur: ergo paritèr realis separabilitas terminatiua, & realis inseparabilitas in eodem actu voluntatis diuinæ inueniuntur ob suam infinita-

100 *Contra hanc solutionẽ oppones primo.*

*Secundo*

tem,

te m, non tamen possunt vni actui creatę voluntatis competere. Tertio, nam hæc est differentia inter libertatem voluntatis diuinæ, libertatemq; voluntatis creatæ, quod illa consistit in indifferentia, nō ad entitatem actus eliciendam, alias actus purus non esset, sed in indifferentia, ad terminationem, & non terminationem; libertas autem creata consistit in indifferentia ad eliciendum, & non eliciēdum actum sumptum entitatiué, eo quod potentia creata non identificatur cum suo actu, sed ab illo realiter distinguitur: ergo de ratione actus liberi creati est taliter esse, quod possit non esse ex indifferentia principij, non solū terminatiué, sed etiam entitatiué.

*Tertio.*

Denique, quia nō stat nouitas denominationis realis absque nouitate entitatis: ergo nec stat separabilitas realis denominationis absque separabilitate entitatis; & consequenter si terminatio dilectionis Christi fuit realiter defectibilis, & potuit non esse, entitas illius actus taliter fuit, quod potuit non esse entitatiuè. Antecedens probatur: ex inde nāque suadent nostri Thomistæ relationē realiter à fundamento distingui, quia fundamentum in re existens absque termino, non referebatur realiter, & existēte termino realiter refertur; at si posset dari nouitas denominationis realis absque nouitate entitatis, hæc ratio nullius roboris esset; cū posset facillimè occurri, fundamentum de nouo referri per nouitatem denominationis realis absq; nouitate entitatis; & consequenter absque distinctione reali relationis à fundamento: ergo non stat nouitas realis denominationis absque nouitate entitatis.

**101** *Vltimo.*

Respondeo ad primam ex his obiectionibus, distinguendo maiorem: realis separabilitas duorum sub conceptu entitatis, & realitatis, concedo maiorē: sub conceptu terminationis non explicantis, sed includentis realitatem, & entitatem, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam separabilitas terminationis liberæ à terminatione necessaria non est sub conceptu entitatis, terminatione nāque libera sublata, aut non existente, entitas dilectionis beatificæ entitatiué invariata subsisteret, & solum ei deficeret terminatio libera sub ratione terminationis, seu terminatiué, non entitatiué; & ideo inter vtramque terminationem non est realis entitatiua, nec formalis distinctio.

**102** *Respōdetur ad primam*

Sed dices: terminatio illa est entitas: ergo deficiente sub ratione terminationis deficeret sub ratione entitatis. Respondeo, distinguendo antecedens: est entitas explicitè, & sine distinctione à conceptu entitatis, quam claudit, nego antecedens: est entitas implicite, & cum distinctione à ratione entitatis, quam claudit, concedo antecedens, & nego consequentiam; sicut nec sequitur: *Deformitas constituens peccatum cōmissionis est entitas; sed deformitas non causatur à Deo: ergo nec entitas deformitatis causatur à Deo.* Vel aliter: *omnis entitas causatur à Deo; deformitas peccati est entitas: ergo causatur à Deo*; & hoc nō alia ratione, nisi quia differētia constitutiua peccati, etsi entitas sit, non explicat, sed implicat entitatem, & ab illa aliqua ratione distinguitur: ita in præsenti.

**103** *Dices.*

*Respōdetur.*

Instabis, esto filiatio diuina non explicet entitatem, quia tamen illam implicat, ex eo quod filiatio non conuenit Patri, colligitur entitatem filiationis ipsi non conuenire: ergo quamuis terminatio illa libera competens dilectioni, non explicet entitatem, quia tamen implicat illam, ex eo quod terminatio sub conceptu terminationis deesse potuerit, per bonam consequentiam infertur, entitatem in terminatione libera inclusam potuisse sub conceptu entitatis deficere. Respondeo, distinguendo antecedens: quia implicat, & multiplicat entitatem transcendentem diuinam concedo antecedens: præcisè quia implicat, nego antecedens, & consequentiā: nam terminatio libera taliter implicat entitatem dilectionis, quod non multiplicat illam, sed vna, & eadem entitas est in conceptu terminationis necessariæ, & terminationis liberæ, & ideo ex defectibilitate terminationis liberæ sub conceptu terminationis, non colligitur defectibilitas eiusdem sub conceptu entitatis; bene tamen ex eo quod filiatio diuina non conueniat Patri, sequitur non conuenire ipsi entitatem transcendentem inclusam in filiatione, non

**104** *Instabis.*

*Respōdetur.*

præcisé, quia illam implicat, sed quia implicat, & multiplicat: vnde, quamuis implicet essentiam, & naturam diuinã, quia tamen nõ multiplicat illam, ex eo quod filiatio negetur de Patre, non sequitur essentiam, & naturam diuinam posse negari de illo.

105 *Vrgebis adhuc.* Sed vrgebis adhuc: non stat differentiam includentem rationem aliquam communem, maximé si finita, & limitata sit ratio communis inclusa, realiter, aut per rationem multiplicari, & nõ multiplicari per rationem, aut realiter rationem communem imbibitã, & cõtractã: ergo, si terminatio libera includit per transcendentiam, entitatem dilectionis, & aliàs à terminatione necessaria virtualiter, & ratione distinguitur, ratione, & virtualiter multiplicat entitatem Et confirmatur primo: terminatio libera addit ad terminationem necessariam, aliquam realem essentiam: ergo addit entitatem; & consequenter, deficiente terminatione libera, aliqua essẽtia, & entitas sub conceptu entitatis necessario deficeret.

*Confirmatur 1.*

106 *Secũdo.* Secundo: nam, deficiente terminatione libera, vel deficeret aliquid, vel nihil; non hoc secundum; alias terminatio libera nihil esset: ergo deficeret aliquid, & consequenter deficeret entitas sub cõceptu entitatis; nam *ens*, & *aliquid* cõuertuntur. Tertio: nam terminatio libera distinguitur à terminatione necessaria virtualiter, & per rationem: ergo habet essentiam ab essentia terminationis necessariæ distinctam; at, deficiente terminatione libera, deficeret id, per quod à terminatione necessaria distinguitur: ergo aliqua essentia deficeret; ac proinde aliqua entitas.

*Tertio.*

107 *Respõdetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam terminatio libera non includit entitatem dilectionis necessariæ tanquam differentia contractiua illius, aliàs nouam, & distinctam dilectionem constitueret à dilectione necessaria, sed tanquam exercitiũ secundarium illius; quando autem vna forma duplex habet exercitium, etsi in vtroque forma includatur, non tamen multiplicatur: vnde effectus secundariæ formalis non multiplicat, aut distinguit formam, sed ab eadem, à qua primarius, præstatur. Aliter huic obiectioni occurrimus *tractatu de voluntate*, tractantes constitutiuum actus liberi Dei, nimirũ, asserendo, antecedens esse verum, quando ratio communis finita, & limitata est: secus autem si infinita sit; per hoc tamen non excluſimus doctrinam, quam modo tradimus, etsi illa tunc necessaria non esset pro solutione argumenti. Ad primam confirmationem, nego antecedens; sicut enim terminatio libera est entitas, non tamen ab entitate inclusa in terminatione necessaria, distincta, ita etsi essentia sit, non est distincta ab essentia terminationis necessariæ.

*Ad primam cõfirmationem.*

Ad secundam, distinguo maiorem pro prima parte: deficeret *aliquid* sub conceptu *alicuius*, nego maiorem: sub conceptu implicante conceptum *alicuius*, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris: nam cum *aliquid* sit passio consequuta ad ens, eo modo deficeret *aliquid*, quo deficeret ens; non autem deficeret ens sub conceptu entitatis, sed conceptus imbibens entitatem, & idem est de ratione *alicuius* dicendum; vt autem libera terminatio nõ sit nihil, sufficit, quod implicet aliquid: nam nihilo non solum opponitur expressio entitatis, sed etiam implicatio illius. Ad tertiam confirmationem distinguo antecedens: tanquam essentia diuersa, nego antecedens: tanquam diuersum exercitium eiusdem essentiæ, concedo antecedens, & nego consequentiam: nã sicut exercitium formæ secundarium distinguitur ab eius exercitio primario, non vt essentia ab essentia, sed sicut exercitium diuersum formæ eiusdem secundum essentiam: & ideo non multiplicat formam: ita in præsenti, terminatio libera distinguitur à terminatione necessaria, non vt essentia ab essentia, sed sicut diuersum exercitium eiusdem essentiæ, & ideo non addit ad terminationem necessariam diuersam essentiam.

108 *Ad secũdam.*

*Ad tertiam.*

Ad secundam obiectionem principalem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia communicabilitas, & incommunicabilitas dicuntur entitatiué: & ideo sola entitas infinita potest illas adunare. Defectibilitas autem terminationis est defectibilitas alicuius

109 *Respõdetur ad secundam obiectionẽ principalẽ.*

exer-

exercitij, & bené potest forma creata ab vno exercitio cessare, & sub altero manere: nec est cur ad hoc infinitas in forma exposcatur. Ad tertiam obiectionem, nego antecedens vniuersaliter intellectū: nā licet aliquando libertas volūtatis creatæ sit per ordinē ad eliciētiā, & nō elicientiā actus; nō tamē hoc semper habet, semper tamen à libertate voluntatis diuinæ sufficienter distinguitur per hoc, quod voluntas diuina actum liberū sibi entitatiue identificat; voluntas autem creata numquam cum illo identificatur; quando enim elicit actum ex primo conceptu liberum, realiter ab illo distinguitur; & quando se exercet liberé per actum per se primo necessarium, & liberum secundario, entitatiué etiam discriminatur ab illo; cum distinguatur realiter ab entitate actus necessarij, cum qua terminatio libera identificata inuenitur.

*Ad tertiam.*

110 *Ad vltimam.*

Ad vltimam, nego antecedens, quod enim aliquando stare possit nouitas denominationis absque nouitate entitatis constat ex dictis ad primam contrariorum obiectionem, vbi id pluribus instātijs monstrauimus, nec id possunt nostri Thomistæ negare; cum teneantur necessario doctrinam istam admittere in relatione Patris ad nouum filium relata. Ad antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem; nouitas enim denominationis, aut exercitij dupliciter potest contingere, nempe, respectu termini primarij, & formalis, aut respectu termini secundarij, vel materialis; quando adest noua denominatio, aut nouum exercitium respectu termini primarij, & formalis, tunc arguitur nouitas entitatiua; secus autem cum nouitas denominationis exercitij, aut terminationis, est respectu termini secundarij, aut materialis: quia ergo posito de nouo termino, ponitur in fundamento denominatio relati, quæ formalis est, & cum termino formali, & primario cōparatur, rectè inferunt Thomistæ nouitatem entitatis à fundamento distinctæ: in Patre autem prius relato ad vnum filium, & postea ad secundum denuo genitum, opposita de causa contingit; nouum enim exercitium, & noua denominatio tunc addita, non arguunt entitatem superadditam, quia non est respectu termini formalis primarij, sed respectu termini secundarij, vel materialis, & in nostro casu idem euenit: Deus nāque secundum perfectiones necessarias est primarium charitatis obiectum: creaturæ autem secundarium, & terminationes liberæ Dei, vel secundario comparātur cum dilectione beatifica, vel saltim vt obiectum materiale, & id circo nouitas terminationis, aut denominationis in dilectione beatifica respectu suorum obiectorum nouam entitatem non addit, nec defectus istius terminationis, aut denominationis infert entitatis defectum.

## §. Vltimus.

### *Testimonium D. Thom. explicatur, & ex dictis aliqua inferuntur.*

111 *Arguitur vltimo test. D. Tho.*

DEINDE argumentari possumus cōtra nostram sententiā ex D. T. *in præsenti art. 3 ad 1.* ibi: *Nec tamen per charitatem meruit in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris, nam ipse fuit simul viator, & comprehensor.* Hæc D. Thom. ex quibus tale argumentum conficitur. Dilectio qua meruit Christus, conueniebat ipsi vt viatori; sed dilectio regulata scientia beata non erat Christi vt viatoris: ergo per illam non meruit. Minor probatur; procedebat à Christo media visione beata: ergo ab illo vt clare vidente: ergo non vt à viatore, sed vt à comprehensore. Respondeo negando minorem; ad probationem distinguo antecedens: media visione beatifica vt proponente Deum tanquam diligendum necessario, & secundum perfectiones intrinsecas necessarias, nego antecedēs; vt proponente Deum vt libere diligendū, vt est ratio in exercitio diligendi creaturas, concedo antecedens; & sub eadem distinctione primi consequentis, nego

*Respōdetur.*

con-

consequentiam; nam licet actus primo modo per visionem regulatus, sit Christi non vt viatoris, sed vt comprehensoris; ille autem, qui secundo modo regulatur per visionem beatam Christo conuenit vt viatori.

112 *Dices.* Sed dices, Christus vt videns diuinã essentiam prout in exercitio mouet ad diligendas creaturas, est clare videns: ergo vt sic est comprehensor; nam eadem ratio est visionis, & comprehensionis, & consequenter actus voluntatis ab illo vt sic videnti procedens, est Christi vt comprehensoris. *Cõfirmatur.* Et confirmabis: visio beatifica prout terminatur ad Deum, vt in exercitio mouet ad diligendas creaturas, supponit se ipsam vt terminatam ad Deum secundum se, & secundum necessarias perfectiones: ergo vt sic non competit Christo, vt viatori. Patet consequentia: nam via non est posterior, sed prior termino viæ: ergo, quod Christo conuenit, supponendo rationem comprehensoris, non conuenit ipsi, vt viatori.

113 *Respõdetur.* Respondeo, distinguendo consequens: est comprehensor in ordine ad beatitudinem animæ, concedo consequentiam: in ordine ad beatitudinem corporis, nego consequentiam; ex quo tantum sequitur, actum regulatum visione prout sic esse actum comprehensoris in ordine ad beatitudinem animæ, cum quo rectè componitur, esse actum Christi, vt viatoris respectu beatitudinis corporis. Pro quo est aduertendum, rationẽ viatoris dupliciter accipi: primo, pro subiecto ad præmium tendente per meritum. Secundo, pro coniunctione animæ ad corpus passibile, & hæc secunda acceptio tantum vt conditio ex diuina voluntate ad meritum est necessaria, vt constat ex dictis *disp. præcedenti conc.* 3. Hac ergo conditione suppositâ, omnis actus libere à Christo procedens dicitur ipsi tanquam viatori competere: quia ipsi conuenit vt tendenti ad præmium meritorié: vnde dilectio beatifica, prout terminatur ad Deum, vt in exercitio mouet ad diligendas creaturas, cum prout sic libera sit, dicitur conuenire Christo, vt viatori, & visio ipsa beatifica, prout proponit Deum, quatenus sic diligendum, Christum per modum regulæ viatorem constituit. Et ex his ad confirmationem, concesso antecedẽti, distinguo consequens: non conuenit Christo vt viatori respectu beatitudinis animæ, cõcedo consequentiam: vt viatori respectu beatitudinis corporis, nego consequentiam; & insto in scientia infusa, per quam Christum viatorem constitui, docent contrariæ sententiæ Authores, & tamen Christo conuenit ratione visionis beatificæ, & illam supponit, vt docet D. Thom. *supra q.* 11. *art.* 1. *ad* 2. *& art.* 2. *in corp. & ad* 2. *Ad cõfirmationẽ.*

114 *Infertur ex dictis primo.* Ex dictis colligitur primo, quod licet respectu Dei tantum fuerit vnicus dilectionis actus in Christo, duplex tamẽ dilectio proximi est in ipso constituenda, quarũ vtraque fuit meritoria. Quod probo: nam dilectio Dei non multiplicatur in Christo ex duplici cognitione regulante, beatifica, nempé, & infusa, quia, cum circa eandem bonitatem diuinam versarentur, essent numericé solum distinctæ: duo autem accidentia solo numero distincta, esto respectiua sint, non possunt in eodem esse subiecto: at dilectio duplex proximi, vna regulata visione beatifica, & altera scientia infusa, specificé distinguuntur: ergo possunt simul existere; & consequenter in Christo sunt constituendæ, cum sola repugnantia simultaneæ existentiæ eas à Christo possit excludere. Probatur minor: actus quorum proxima motiua sunt specificé distincta, specificé distinguũtur; sed motiua proxima prædictarum dilectionũ specificé distinguuntur: nam motiuum proximum dilectionis regulatæ visione beata, est increata Dei bonitas; motiuum autem proximũ dilectionis proximi regulatæ scientia infusa, est bonitas supernaturalis proximi, etsi ad Dei bonitatem relata, & per hoc secundario à charitate elicitur: ergo actus isti specificé distinguuntur. Quod autem dilectiones istæ fuerint meritoriæ, patet: nam fuerunt liberæ; ex solo autem defectu libertatis possunt à ratione meriti excludi.

115 *Infertur secundo.* Ex quibus secundo colligitur, extitisse etiam in Christo duos actus dilectionis erga Deum, prout illi Christus volebat gloriam, & honorem extrinsecum, vnum regulatum scientia beata, alterum

per

per scientiam infusam, quod eadem ratione probatur: nam istæ duæ dilectiones specificé distinguuntur: ergo potuerunt existere, & de facto exiterunt in voluntate Christi creata. Probatur antecedens: ad specificam distinctionem in actib⁹ sufficit distincta ratio formalis *quæ*, etsi conueniant in ratione formali *sub qua*; sed rationes *quæ* horum actuum specificé distinguuntur: ergo & actus specificati ab illis. Maior constat in visionibus albi, & nigri, quæ inter se distinguuntur, etsi lux, quæ est ratio formalis *sub qua*, respectu vtriusque sit eadem, quia albedo, & nigredo, quæ sunt rationes *quæ* attactæ, distinguuntur specificé. Minor autem probatur: dilectio regulata visione, etsi ad bona Deo extrinseca terminetur, non tamen illa attingit, vt rationem *quæ* primariam, sed tantum vt secundariam, bonitate necessaria Dei illam terminante primario; dilectio autem regulata per scientiam infusam, vt rationem *quæ* primo volitam, ad bona Deo extrinseca poterat terminari, etsi semper ex complacentia in bonitate necessaria Dei, vt ex ratione *sub qua*: ergo rationes formales *quæ* per illas dilectiones attactæ, specificé distinguuntur. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Mag. *in 3. dist. 18. §. 2* ad illa verba: *ex quo homo factus est, per charitatem, iustitiam, & alias virtutes, &c.* (?) M. Ser.

# DISPVTATIO QVADRAGESIMANONA.

## An meruerit Christus per actus, ad quos tenebatur ex præcepto positiuo?

## §. I.

### *Ratio dubitandi proponitur; & vera sententia eligitur.*

Nu. 1. *Ratio dubitandi pro parte negatiua.*

RAtio dubitandi pro parte negatiua, & quidē difficillima, est; nam Christ⁹ ab intrinseco fuit impeccabilis, vt communiter docetur à Theologis *supra q. 15.* Tum ratione sanctitatis personalis inseparabiliter humanæ naturæ vnitæ. Tum etiam ratione visionis beatificæ, qua à primo suæ conceptionis instanti fruebatur: ergo non fuit liber ad obediē dum præcepto, & consequenter in illius obseruantia non meruit. Probatur consequentia: libertas in obedientia ad præceptum, petit potentiam expeditam ad non obediendum, sicut libertas amoris petit principium indifferens, & potens ad non amandum; sed Christus non habebat potentiam ad non obediendum: ergo nec libertatem in obediendo. Probatur minor: potentia ad non obediendum est idem, quod potentia ad peccandum; sed in Christo non erat potentia ad peccandum: ergo nec erat in illo potentia

tia ad non obediendum. Maior probatur: actu non obedire præcepto sibi imposito, est actu peccare: ergo posse non obedire, est posse peccare; sicut quia actu esse hominem, est actu esse animal rationale, posse esse hominem, est posse esse animal rationale: ergo si actu non obedire, est actu peccare, & actu præceptum transgredi, posse non obedire, est posse peccare, & posse præceptum transgredi.

2 *Sententia affirmatiua est cõmunis, & probatur pluribus Scripturæ locis.*

Hac tamen ratione dubitandi non obstante, affirmatiua sententia, quod, nempé, Christus meruerit per actus, ad quos tenebatur ex præcepto positiuo, communis est apud Theologos, tam antiquos, quam modernos, abstrahendo, an præcepta hæc strictam rationẽ præcepti respectu Christi obtinuerint; an verò non strictam rationem legis, sed latam, & minus propriam habuerint, de quo in disputationis discursu aliqua breuiter attingemus. Quæ communis sententia suadetur; Christus enim meruit per actum obedientiæ, quo mortẽ sibi à Patre præscriptam acceptauit, vt constat ex illo Pauli Rom. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius, scilicet, Christi, obedientiam iusti constituuntur multi.* Et illo: *Factus obediens vsque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, &c.* Sed Christo fuit à Patre impositum præceptum moriendi, vt probat D. Thomas *infra q. 47. art. 2.* constatque ex illo Ioannis 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Psalmo 39. *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quem locum Paulus ad Hebræos 10. explicat de voluntate Christi, qua se voluntati Patris de morte subeunda subiecit. Et Ioannis 15. *Et Ego Patris mei præcepta seruaui*; præcepta scilicet, redemptionis, quam quia multis fuit operibus exequutus, plura in ordine ad illam se dicit præcepta accepisse. Constat etiam: nam ex obedientia fuit mortuus, vt constat ex testimonijs adductis; virtus autem obedientiæ habet superioris præceptum pro obiecto, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 2. ergo Christus meruit per opera, ad quæ tenebatur ex positiuo præcepto.

Rom. 5. S. Tho. Ioã. 10. Ioã. 14. Psal. 39. Ioã. 15.

3 *Deinde prob. ratione.* S. Tho.

Deinde probatur: nam, esto Christus liber fuerit à præceptis veteris legis, vt probat D. Thom. *infra q. 37. art. 3. & 4.* verè tamen in quantum homo obligatus fuit lege naturali, & æterna, vt ostendit D. Thom. 1. 2. q. 93. art. 4. ad 2. v c. ad Deum amandum, si in illo amore fuit liber, vt fuisse, *Disp. præcedenti* monstrauimus, ad se humiliandum, atque subijciẽdum Deo, & illi debitum cultum reddendum, & alia, ad quæ cæteri homines naturali lege tenentur; & tamen in istorum obseruantia meruisse, nequit negari: ergo etiam meruit in illorum obseruantia, ad quæ positiuo tenebatur præcepto.

4 *Vlteriꝰ prob. ratione.*

Denique probatur: nam si non meruisset, maximé, quia supposito præcepto positiuo, non fuit liber in eius adimpletione; at hoc falsũ est: ergo meruit per ea opera, ad quæ positiuo adstringebatur præcepto. Consequutio est legitima. Maior certa; non enim alia ex causa, nisi ex defectu libertatis in obseruantia præcepti positiui potest negari meritum in operibus præcepto positiuo præceptis. Minor autem ostenditur primo: præcepta naturalia non adimebãt Christo libertatem ad meritum necessariam in illorum obseruantia, vt *proximè* dicebamus; at in præceptis positiuis non est maior cum opere præcepto cõnexio in subiecto ex se impeccabili, quam in præceptis naturalibꝰ: ergo adhuc, præcepto positiuo supposito, manet in Christo in illius obseruantia libertas, quæ sufficit ad merendum.

*Minor ostenditur 1.*

5 *Secũdo in principijs Thomistarũ prob.*

Secundo probatur in sententia Thomistarum; non enim minus infallibiliter infert gratia ab intrinseco efficax in voluntate nostra consensum, ad quem ordinatur, quam in voluntate Christi impeccabili, præceptum positiuum infert operationem præceptam; sed non obstante infallibili connexione gratiæ ex se efficacis cum operatione nostra, saluatur in tali operatione, illæsa nostra libertas, vt tenent omnes Discipuli D. Thom. ergo pariter connexio infallibilis præcepti positiui cum operatione præcepta in voluntate Christi ab intrinseco impeccabili, stabit cum illius libertate in adimpletione præcepti.

Tertio

6 *Tertio in principijs Scoti.*

Tertio eadem minor in principijs Scoti probatur: quia esto neget qualitatem intrinsecé in nobis receptam ab intrinseco efficacem in ordine ad operationes liberas, admittit decreta prædiffinitiua ab intrinseco efficacia independentia omninò a scientia conditionata nostrarum operationum, vt frequētius Discipuli Scoti fatentur: ex quo sic argumentor, & probatur, præceptum positiuum non obesse libertati Christi in illius obseruantia, non minus infallibiliter connectitur decretum efficax Dei cum operatione prædiffinita, quā præceptum positivum in voluntate impeccabili cum operatione præcepta; sed connexio decreti cum operatione nostra, illius libertatem non tollit: ergo connexio præcepti cum operatione præcepta in voluntate Christi impeccabili, cum illius libertate componitur.

7 *Explicatur amplius.*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: ex eo in principijs Thomistarum gratia intrinsecé recepta, & ab intrinseco efficax libertatē nostrorum actuum non tollit, nec prædiffinitio efficax in opinione Scoti illorum libertati præiudicat, quia pro obiecto, termino, & effectu habent, non solam substantiam actus, sed etiam libertatis modum; vtrumque enim Deus decernit sua voluntate efficaci, & ad vtrūque exequendum datur gratia ab intrinseco efficax in nobis recepta intrinsecé iuxta Scholam D. Thomæ; at etiā præceptum positiuum pro obiecto, materia, & effectu respicit, non solam substātiam operationis præceptæ, sed etiam libertatem illius; totus enim actus liber esse potest materia præcepti: ergo sicut qualitas ab intrinseco efficax in principijs Thomistarum, & prædiffinitio efficax ab intrinseco in sententia Doctoris subtilis Scoti, libertatem nostrorum actuum non lædunt: ita in eorundem principijs, præceptum positiuum nō opponitur libertati operationis præceptæ in voluntate impeccabili.

8 *Vlteriꝰ etiā confirmatur, & explicatur.*

Cōfirmatur, & vrgetur secundo; ex eo in Scotistarum sententia, decretum Dei ab intrinseco efficax, esto infallibiliter cum operatione prædiffinita cōnexum, illius libertatem illæsam, & indēnem conseruat; quia cum extrinsecé ad voluntatem se habeat, non immutat modum operandi intrinsecum voluntatis; ac per consequens non immutat actum de libero in necessarium; sed etiā præceptum positivum extrinecé ad voluntatem Christi se habet; & consequēter modum operandi voluntatis Christi intrinsecé non immutat: ergo esto, ob Christi impeccabilitatem, infallibiliter connectatur cum operatione præcepta, illius libertatē omninò illæsam, & indemnem relinquit.

9 *Quarto prob eadem minor in principijs Auctorum Scientiæ Mediæ.*

Quarto suadetur in principijs professorum scientiæ mediæ; qui tametsi omnes conueniant, & vnanimi consensu conspirent in eo, quod qualitas ab intrinseco efficax libertatē nostram euertat; plures tamē, & sanè inter illos magni ponderis, & auctoritatis fatentur esse in Deo constituendas prædiffinitiones, decretaq; efficacia infallibiliter connexa cum nostris operationibus, vt absolutè futuris, quin ex hoc detrimentū aliquod libertatis inferatur. Qua doctrina præsuppositā, tale argumentū conficio. Ex eo prædiffinitio nostræ operationis efficax, & cum illa cōnexa, illius non lædit libertatem, nec minuit; quia cū nostra operatione non coniungitur immediatè, sed executioni mandatur medijs auxilijs congruis ab intrinseco non efficacibus, sed solum ab extrinseco, nempè, ex præscientia nostrarum operationum in statu conditionato; sed præceptum Christo impositum de aliqua operatione non coniungitur, nec debet cōiungi immediatè cum eius executione in istorum Auctorum sentētia, sed medijs auxilijs congruis solum ab extrinseco efficacibus, scilicet, ex scientia operationis præceptæ in statu conditionato: ergo, quamuis in voluntate Christi impeccabili inferat infallibiliter operationem præceptam, omninò tamen illæsam illius libertatem relinquit.

10 *Vltimo proh. à priori.*

Denique probatur minor ratione à priori; præceptum enim non potest sui materiam destruere; aliàs se ipsum destrueret, quod est impossibile; sed materia præcepti positiui est actus honestus, & liber. Tùm, quia materia præcepti est obiectum obedientiæ; obedientia autem solum potest in actus liberos in-

clinare, nemo enim in necessarijs dicitur obedire. Tùm etiam: nam actus necessarius præcipi nequit; quo circa motus cordis, naturalis digestio, & alij actus naturales necessarij, non sunt materia præcepti, nec visio beatifica, aut amor necessarius Dei sub præcepto cadere possunt: quia in nostra potestate libera, aut sub dominio nostro nō sunt: ergo præceptum non potest libertatem actionis præceptæ destruere.

11 *Dices.* Dices: materiam præcepti esse actionem de se liberam antecedenter ad præceptum, non vero liberam consequenter ad præceptum: ex quo solum sequitur, non posse Christo, aut cuiuis alteri præceptum de actione ex se non libera imponi; non autem quod in vi præcepti nequeat actionis per ipsum præscriptæ libertas diminui, aut tolli ratione impeccabilitatis subiecti. Sed contra primo: nam materia præcepti est actus virtutis obedientiæ ex illius motiuo exercendus; sed actus ex motiuo obediētiæ exercendus, necessarius esse non potest; cum enim obediētia virtus electiua sit, illius actus est electio, de cuius ratione est libertas; cum sequatur ad cōsilium, & de necessarijs consilium esse nō possit: ergo materia præcepti præscribentis actum, est actus liber, non solum ante præceptum, sed etiam consequenter ad illud. *Cōtra 1.*

12 *Secūdo.* Secundo: nam si materia præcepti affirmatiui non est actus liber libertate conseruata cū præcepto, nulla posset ratio assignari, cur actus de se nō liberi, v. c. visio, aut dilectio beatifica nō possint cadere sub præcepto; at hoc admittendum non est: ergo necessario est dicendum, materiam præcepti affirmatiui esse actum liberum, non solum libertate antevertente præceptum, sed etiam conseruata cum illo. Probo maiorem: incapacitas actus ad cadendum sub præcepto, ex illius fine est sumenda, qui est executio rei præceptæ; at si semel admittatur, posse præceptum impleri, & mandari executioni per actum non liberum, libertate per præceptum ablata, nulla est ratio, cur actus de se non liber, non possit per præceptum præscribi; cum ita necessario mandetur executioni præceptum per actum necessarium necessitate ex præcepto contracta, atque per actum necessarium de se, & ante impositionem præcepti: ergo admisso, actum necessarium ex vi præcepti posse adimplere præceptum, & sub lege comprehendi, actus de se necessarius poterit cadere sub præcepto.

13 *Tertio.* Tertio, & explicatur magis hoc ipsum: vel finis præcepti est sui libera adimpletio, vel adimpletio abstrahens à libera, & necessaria? Si primum, debet cum præcepto libertas actus præcepti conseruari; cum medium conducens ad finem nequeat esse finis destructivus. Si secundum, poterit actus de se necessarius cadere sub præcepto; cum ad obseruationem sumptam in illa abstractione, possit actus de se necessarius conducere: ergo vel dicendum est, materiam præcepti negatiui esse actum liberum libertate ad præceptum consequuta, vel cum ipso conseruata; vel posse actum de se necessarium esse materiam præcepti, quod nullus Theologorum admisit.

## §. II.

### *Refertur, & refellitur primus modus dicendi.*

14 *Primus modus dicendi proponitur.* ET si omnes Theologi, vt diximus, in sententia nostra conueniant, ratio tamē dubitādi in limine proposita, ob sui ingentē difficultatē, illos diuisit in tot sentētias, quot capita, vt illi⁹ efficaciā euaderēt: ex quibus omissis pluribus, quæ ab Scholis exulauerunt, illas tantum referemus, quæ frequentius his temporibus circunferuntur, vt illis reiectis, nostram tandem proferamus. Est igitur primus modus dicendi, præceptū Christo impositum non fuisse strictum præceptum, Christum obligans ad culpam, sed solum voluntatē Dei insinua-

tam

tam; non verò per modum præcepti intimatam, vt Christus mortem subiret, quæ voluntas rationem præcepti ad culpam obligantis non habet: ac per consequens licet Christus ab intrinseco sit impeccabilis, potuit mortem non subire, & illā non acceptare; cum in hoc peccatum non sit; & idcirco liber fuit in eius acceptatione, & in morte subeūda. Hūc modum dicendi tenuere quidam, quos sine nomine refert Vincentius *de Gratia Christi q. 5. art. 3. pag. 404.* Tenuit etiam doctissimus Mag. Victoria relatus à Maz. Medina *infra q. 47. art. 2.* & nouissimé illū secutus est Lorca *in præsenti disp. 73* pro se referens Paludanum *in 3. dist. 12. q. 2. art 3.* Dionisium Cister cienſem *in tertio quæstione tertia artic. sexto, conclusione octaua*, & aliqualiter anceps Albertum Magnum *cap. 3. de virtutibus.*

*Vincēt. Victor.*

*Medin. Lorca. Palud. Dionis. Cisterc. Albert. Mag.*

15 *Habuit Christus strictum præceptum moriendi.* S. Tho.

Oppoſita tamen ſententia docens, Chriſto fuiſſe à Deo impoſitum verum, ſtrictumque ſubeundæ mortis in hominum redemptionem præceptum, communis eſt iam in Scholis, eamque tenent cum Angelico Doctore *infra q. 20. art. 1. quæſt. 47. art. 2.* & *in præſenti art. 3* nō ſolum noſtri Thomiſtæ, ſed etiam omnes Diſcipuli Schoti, & Societatis Doctores, vno, vel altero excepto. Suaderique ſolet primo ex Ioanne cap. 10. 12. & 14. *Vbi voluntas Dei, vt Christus mortem subiret, nomine mandati explicatur.* & Ioannis 15. illis verbis: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Quibus verbis nomine *præcepti* explicatur, quæ accipiēda eſſe in rigore cōſtat, quia nullum abſurdum ſequitur; verba autē Scripturæ accipienda ſunt in rigore, quādo exinde nullum infertur abſurdum; at qui mandatum, atq; præceptum, quæ idem omnino ſignificant, preſé, & rigoroſe accepta, non important ſimplicē voluntatem ſuperioris, ſed voluntatem inducentem rigoroſam obligationem, quæ eſt ſtrictum, rigoroſum q; præceptum, vt omnibus eſt in confeſſo. ergo Chriſtus fuit obligatus ſtricto, rigoroſoque de morte ſubeunda præcepto.

*Ioann. cap. 10. Ioan. 15.*

16 Reſpondet Lorca, verba Scripturæ tunc eſſe in toto rigore accipiēda; cum in ſenſu minus proprio non accipiuntur à PP. & ex illorum rigoroſa intelligentia nullum inconueniens ſequitur; verba autem ſignificātia præceptum Chriſto impoſitum de morte ſuſtinenda in hominum redemptionem, plures Eccleſiæ PP. tùm Græci, tùm Latini in ſenſu improprio acceperunt pro ſimplici voluntate diuina, cui ſe Chriſtus conformauit; & aliàs ex illorum rigoroſa, & propria acceptione, inconueniens magnum ſequitur, nimirum, non liberé, ſed neceſſariò mortem ſubiiſſe; ac per conſequens ſua morte homines non redimiſſe, nec illis dona gratiæ meruiſſe, cuius oppoſitum expreſſum eſt in Scriptura; & ideò verba pro nobis adducta, non ſunt in rigore accipenda pro ſtricto ſubeundæ mortis præcepto, ſed largé pro voluntate diuina, cui ſe Chriſtus conformauit.

*Respondet Lorca.*

17 *Sed contra primo.*

Sed omiſsis pro nunc PP. quorum mentem inferius examinabimus, cōtra iſtam ſolutionem obſtat primo præceptum affirmativum non poſſe libertatē actus, quā reſpicit pro materia, deſtruere, vt oſtendimus *§ præcedenti*: ergo ob inconueniens libertatis per præceptum auferendæ, non debent verba Scripturæ à ſtricta, & rigoroſa acceptione detorqueri.

*Secūdo.*

Secundo: vt enim propter hoc inconueniens in improprio ſenſu acciperentur, neceſſarium erat, quod ex rigoroſo præcepto impoſito volūtati impeccabili, euidenter inferretur; at non ſic colligitur, ſed argumentū probabiliſſimé ſoluitur, & libertas cum præcepto ſtricto componitur: ergo ob inconueniens illatum non ſunt verba Scripturæ ad improprium ſenſum detorquenda.

*Tertio.*

Tertio: nam iuxta Lorcam *Tract. de Peccatis Diſp. 38. Tract. de Gratia Diſp. 21. Tract. de Locis Theologicis Diſp. 1.* gratia ab intrinſeco efficax, etſi à nobis ſit independens, & cum conſenſu eſſentialiter connexa, illius libertatem nō deſtruit: ergo pariter quamuis præceptum ſtrictum, & rigoroſum in voluntate impeccabili infallibiliter inferat actū præceptum, eius tamen libertatem non deſtruet, ſed cum illa comparietur.

18 *Quarto.*

Quarto: nam prædictus Mag reputat pro inconuenienti, verba Scripturæ attribuentia Christo obedientiam, in rigoroso sensu non accipi: ergo etiam tenetur habere pro inconuenienti, quod illa, quibus ex primitur præceptum impositum Christo, in sensu min⁹ proprio, vel absolutè impropriò accipiantur.

*Quinto.*

Quinto, quia, vt fatetur Lorca, Christus fuit capax præcepti stricti, & rigorosi de subeunda morte in hominum redemptionē, sicut de facto fuit legi naturali subiectus, quam tamē non necessario, sed libere Christus impleuit: ergo cum stricto præcepto stare potest libertas in eius adimpletione; & consequenter ob inconueniens libertatis per præceptum auferendæ, non est negandum strictum de subeunda morte præceptū.

19 *Respondet Lorca.*

Respondet Lorca, Christum non fuisse liberum in adimpletione præceptorum naturalium secundum actuum substantiam; non enim, instante præcepto de proximi dilectione, erat potens diligere, & non diligere, sed tantū quoad circunstantias intēsionis, v.c aut huius, vel illius motiuī: ex quo solum sequitur, potuisse cum rigoroso præcepto de morte pro hominibus subeunda, conseruari in Christo libertatem quoad circunstantias mortis, nempé, intensionis, loci, temporis, & huius, aut alterius motiui; non tamen libertatem in moriendo quoad substantiam: vnde, admisso rigoroso præcepto, non posset in proprio sensu saluari Christum acceptando mortem, quoad substātiam promeruisse, nec nos redemisse, quia mortuus, vel quia mortem acceptauit; sed quia mortuus hac, vel illa intensione, ex hoc, vel illo motiuo, in hac, aut illa loci, aut temporis circunstantia Et primum verificari debere, probat ex illo Esaiæ 53. *Quia posuit animam suam, videbit semen longæuum.* Et ex illo ad Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*; & alia testimonia Scripturæ: ex quibus aperté colligitur meruisse, & nos redimisse, non solum, quia sub his, aut illis circunstantijs fuit mortuus, sed quia mortuus absolutè.

*Esai. 53.*

*Ad Philip. 2.*

20 *Sed contra I.*

Sed contra hanc solutionē in hunc modum obijcio: admisso, & nō concesso, cum præcepto stricto moriendi non cōponi libertatem quoad substantiam, sed tantum quoad moriendi circunstantias potius hoc est asserēdum, quā rigorosū præceptū negandū: ergo solutio tradita est nulla. Probo antecedēs: illa sētētia est alteri præferēda, quæ cū minori improprietate accipit testimonia Scripturæ; sed sentētia cū præcepto stricto moriendi cōponens libertatē solū quoad circunstantias mortis; cū minori improprietate accipit testimonia Scripturæ attribuentia meritū morti Christi quoad substantiam, quā sententia negās præceptum rigorosum moriēdi accipit testimonia Scripturæ attribuentia Christo præceptum: ergo illa est huic præferenda. Probatur minor: sententia, quæ saluat Scripturæ testimonia in aliquo proprio sēsu, etsi nō omnino rigoroso, cum minori improprietate accipit testimonia Scripturæ, quā sententia in nullo proprio sensu illa accipiens; sed quæ negat rigorosum præceptum moriēdi in nullo proprio sensu accipit testimonia exprimētia præceptū; sententia verò cōponens cum præcepto stricto libertatē quoad circunstantias mortis, in aliquo sensu proprio, quāuis non vndequaque rigoroso, accipit testimonia attribuētia meritū morti Christi quoad substantiā: ergo hæc sentētia cū minori improprietate accipit testimonia Scripturæ. Minor quoad primā partē est certa: nā simplex superioris volūtas nullatenus præceptiua in nullo proprio sensu est præceptū; sed sētētia negās strictū præceptū moriendi, solū admittit simplicē, non præceptiuā voluntatē superioris: ergo in nullo proprio sensu saluat testimonia Scripturæ attribuētia Christo præceptū. Quoad secundā partē probatur: nā præfata sentētia saluat meritū mortis Christi quoad substantiā, si nō *reduplicatiuè*, saltim *specificatiuè*; sed esse meritoriā quoad substantiā *specificatiuè*, est esse meritoriā quoad substantiam in aliquo proprio sensu, etsi nō omnimodē rigoroso: ergo prædicta sententia saluat testimonia Scripturæ attribuentia meritum morti Christi quoad substantiam in aliquo proprio sensu.

*Minor quoad 1. partem prob.*

*Quoad 2. partē.*

21 *Cōfirmatur, & explicatur.*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; sententia concedens Christo libertatem solum quoad

circun-

circunstantia in adimpletione legis naturalis; cum minori improprietate saluat meritum inistius legis adimpletione, quam saluaret legem, sententia, quæ illam acciperet pro sola voluntatis insinuatione: ergo pariter sententia cum præcepto stricto moriendi componens in voluntate Christi libertatem quoad solas circunstantias; cum minori improprietate saluat meritum in morte Christi, quam sententia negans strictum præceptum, & solum concedens voluntatem Dei insinuatam saluet moriendi præceptum.

22 *Deniq; principalis solutio impugnatur.*

Denique principalem solutionem impugno; vt enim fatetur Lorca, voluntas efficax Dei Christo manifestata, illius libertatem in morte sustinenda non abstulit; & tamen non minus cum voluntate Christi de morte sustinenda connectitur, quam præceptum strictum moriendi: ergo cum tali præcepto libertas Christi in sustinenda morte componitur. Nec sufficit respondere, voluntatem Dei efficacem, consensum in statu conditionato supponere, & idcirco non inducere necessitatem antecedentem, sed consequentem. Hoc enim ad mentem Lorcæ non est, qui pluribus in locis fatetur, gratiam ab intrinseco efficacem libertatem non auferre: ergo nec voluntas efficax ab intrinseco Dei, & à scientia media independens, potest libertatē Christi destruere.

23 *Respōdebis.*

Respondebis aliud constituendo discrimen; nam voluntas Dei efficax non se tenet ex parte actus primi, sed vt applicatio ad actum secundum, supponēs potentiam in actu primo completam; & ideò connexio infallibilis, quam habet cum actu secundo, non inducit antecedentem, sed consequentem necessitatem; præceptum autem, vt cognitū ex parte actus primi cum voluntate concurrit; hæc enim non intelligitur potēs in actu primo cōpleto in ordine ad obediendum, nisi proposito obiecto, vt præcepto; ac per consequens necessitas obediendi in voluntate impeccabili, quæ nascitur ex præcepto, non est consequens, sed antecedens; cum qua non compatitur libertas, vt communiter docetur à Theologis.

24 *Contra.*

Sed contra; nam voluntas Dei de morte sustinenda à Christo, etiam ex parte actus primi iuxta principia Lorcæ se tenet: ergo discrimen assignatum est nullum. Probo antecedens; iuxta Lorcam, actus quo Christus mortem à Patre volitam acceptauit, fuit actus perfectus, & rigorosæ obedientiæ; eo quod ad strictam obediētiam sufficit superioris voluntas pro regula, etsi non per modum præcepti intimetur, sed tantum intimetur; sed voluntas superioris ex conformitate, ad quam saluatur stricta obedientia, debet vt cognita ex parte actus primi concurrere: ergo voluntas efficax Dei de morte à Christo sustinenda ex parte actus primi cum illius voluntate concurrit. Probo minorem: ideò præceptum vt cognitum, concurrit ex parte actus primi, quia est regula, ex cuius conformitate constituitur actus obediētiæ; sed etiam voluntas superioris, non præceptiua, sed simplex, est regula ex cuius conformitate constituitur actus in specie obedientiæ, vt Lorca fatetur: ergo vt cognita concurrit in actu primo.

25 *Explicatur amplius*

Explicatur amplius: ideò præceptum vt cognitum se tenet ex parte actus primi, quia vt forma obiectum obedientiæ constituit; non enim ad obediendū sufficit velle aliquam operationem, sed requiritur, illam velle, vt à superiore præceptā; sed etiam voluntas insinuata superioris, per modum formæ obiectū obedientiæ cōstituit; nisi enim quis velit obiectum, quia à superiori volitum, & ex animo se illius voluntati subijcendi, actum obedientiæ non efficit: ergo ex parte actus primi concurrit non minus quā strictum, rigorosūq; præceptū.

26 *Respondebis 3.*

Respondebis tertio; aliud discrimen statuēdo, nimirum per præceptum, oppositum actioni præceptæ fieri peccaminosum: ac per consequens constitui extra sphæram, vel obiectum voluntatis Christi impeccabilis; cumque nulla virtus possit extra sphæram sui obiecti; fit consequens, quod præcepto supposito, nec etiam in actu primo, & potentia antecedenti, possit voluntas Christi impeccabilis oppositum actioni præceptæ amplecti; ac proinde, quod tollatur ab illa libertas; cæterum voluntas efficax Dei, v. c. de dilectione proximi, vel de morte sustinenda, non constituit ne-

gationes illis oppositas extra sphæram voluntatis impeccabilis; ac per consequēs efficaci Dei voluntate de illis actibus suppositā, manet in illa potentia, saltim antecedens, ad actus prædiffinitos omittendos, quæ pro libertate saluāda, est sufficiens. Ita colligitur ex doctrina Illustrissimi Arauio, quam tradit loco vbi infra, non vt neget strictum præceptum moriendi, sed Christi libertatem in eius adimpletione quoad substantiā.

27 *Contra.* Hæc tamen solutio omninò insufficiens est, & reijcitur; sicut enim, suppositō præcepto moriēdi, negatio mortis redditur peccaminosa, esletq; peccatū, si de facto exerceretur: ita efficaci Dei voluntate de morte sustinenda suppositā, redditur negatio mortis frustratiua voluntatis Dei efficacis, & de facto illā frustraret, si de facto poneretur; at non minus est extra sphæram creatæ voluntatis frustratio voluntatis Dei efficacis, quam sit peccatum extra sphæram voluntatis impeccabilis: ergo non minus constituitur extra sphæram voluntatis creatæ omissio actionis prædiffinitæ per voluntatem efficacem Dei, quam omissio actionis præceptæ, per præceptum constituitur extra sphæram voluntatis impeccabilis; ac per consequens, non minus in vno casu, quam in alio tollitur, aut conseruatur libertas.

28 *Dices.* Dices, omissionem actionis prædiffinitæ solum in sensu cōpositō esse prædiffinitionis frustrationem; secus in sensu diuiso: vnde perseuerat possibilis in sensu diuiso, & potentia antecedenti, quod ad libertatem sufficit. Cæterum omissio actionis præceptæ, illius præcepto suppositō, in omni sensu redditur peccaminosa; & idcirco, illo existente, nec etiam in sensu diuiso, nec potentia antecedenti, manet possibilis voluntati Christi impeccabili; quod tamen necessarium erat, vt libertas saluaretur in substantia actionis præceptæ.

29 *Cōtra 1.* Sed contra primo: nam omissio actionis præceptæ solū redditur per præceptum impossibilis in eo sensu, in quo per sui prohibitionem redditur peccaminosa; at solum in sensu compositō cū sui prohibitione, & præcepto actionis, cui opponitur, redditur peccaminosa: nam accepta diuisiué à præcepto, peccaminosa non est: ergo per præceptum solum in sensu compositō cōstituitur impossibilis; non autem in sensu diuiso. Secundo: nā ideò voluntate Dei efficaci præsuppositā, manet potentia antecedens ad negationem actionis prædiffinitæ diuisiue à ratione frustrationis, quæ de facto sequeretur, si in re poneretur negatio, quia huic negationi non essentialiter, sed accidentaliter cōuenit, quod sit prædiffinitionis frustratio, & potentia antecedēs præscindit ab accidentibus; sed etiam suppositō præcepto moriendi, negationi mortis non est essentialis fœditas, vel ratio peccati, sed ex accidenti illi adiuncta: ergo adhuc illo suppositō, manet in voluntate impeccabili potentia antecedens ad prædictam negationem diuisiue à ratione peccati ex accidenti illi annexa. *Secūdo.*

30 *Secūdo principaliter arguitur contra Lorcā. Rom. 5. Ad Philip. 2.* Secundo principaliter arguitur contra Lorcam, & illius sententia impugnatur: nam Christus fuit obediens Patri, vt constat ex illo Romanor. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiā iustī constituuntur multi.* Et ad Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*; quod intelligendum de propria, rigorosaque obedientia, fatetur Lorca; at iuxta D. Tho. 2.2. q. 104. art. 2. formale obediētiæ obiectum est præceptum superioris; sicut obiectum Religionis est superioris excellentia, quod etiam docet *Rom. 5. lectione 5. circa finem*: ergo Christus verum, proprium, rigorosumque præceptum moriendi habuit.

31 *Respondet Lorca.* Respondet Lorca, obiectum formale obedientiæ esse, vel præceptum strictum, vel præceptū latè acceptum pro voluntate insinuata superioris nullatenus obligante: vnde vt in Christo cum proprietate obedientia constituatur, nō est necessarium, habuisse strictum præceptum moriendi, sed sufficit Patris voluntas ipsi manifestata, vt mortem pro hominibus sustineret

*Sed contra primo.* Sed contra primo: quia vt docet D. Thomas *loco proximè alleg.* ex cuius doctrina suam solutionem contendit Lorca firmare, vt voluntas superioris sit obiectum obedientiæ, debet esse præ

ceptum

ceptum superioris explicitum, vel implicitum: verba D. Thomæ sunt: *Vnde obedientia est specialis virtus, & eius speciale obiectum est præceptum tacitum, vel expressum; voluntas enim superioris quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum*: ergo, & volũtas Dei, qua voluit, vt Christus pro hominibus pateretur, obiectum obedientiæ Christi non fuit, nisi saltim fuerit tacitum præceptum, vt Christus mortem subiret; at Christus nec expressum, nec tacitum Dei præceptum transgredi potuit, & oppositum asserere, dissonum satis videtur: ergo cum impotentia ad transgrediendum præceptum tacitum Dei, compatitur Christi libertas in morte pro hominibus sustinenda: ac per cõsequens non est cur recusset Lorca concedere Christo fuisse impositũ expressum, strictumque præceptum moriendi.

S. Tho.

32 Secũdo. Secundo: nã obedientia, & inobedientia in ordine ad idem dicuntur conuersiué, & auersiué, sicut odium, & amor per comparationem ad idem sumuntur cum differentia conuersionis, & auersionis; sed inobedientia strictè non dicitur, nisi per auersionem, seu nõ subiectionem ad præceptum strictum, propriumque superioris: ergo rigorosa obedientia non sumitur, nisi ex ordine ad præceptũ superioris, quod proprié præceptum sit. Tertio: nam in primo testimonio cõparatur obedientia Christi cum Adami inobedientia; sed hæc sumpta fuit ex ordine auersiuo ad præceptum strictum superioris: ergo obedientia Christi fuit posita in subiectione ad præceptum strictũ, & proprium.

Tertio.

Quarto. Quarto: nam obiectum propriæ, strictæque obedientiæ est voluntas superioris, quatenus superior est, & à non superiori distinguitur; sed in voluntate simplici, & in consilio, non differt superior à non superiori, sed solum in voluntate obligãte, & præceptiué intimata: æqualis enim, & velle, & consulere potest, & illius voluntati, & consilio potest ipsi æqualis conformari: ergo sola voluntas obligans, & per modum præcepti intimata, est obiectum obediẽtiæ, quæ proprié obedientia est.

33 Quinto. Quinto: nam obedientia prout est specialis virtus, habet pro obiecto formali subiectionem superiori præcipienti: ergo obedientia proprié talis, respicit proprium præceptum; obedientia verò, quæ improprium præceptum respicit, proprié obedientia non est, Et augetur difficultas primò: etenim Religio, quia habet pro obiecto formali cultum personæ excellentis, non saluatur cum proprietate, nisi proprium cultum personæ proprié excellentis respiciat; at obedientiæ obiectum est subiectio ad superiorem, vt præcipientem: ergo vt proprié obedientia sit, necessum est, quod respiciat subiectionem proprié talem, & præceptum, quod proprié præceptum sit. Confirmatur, & vrgetur secundo: non minus est de ratione obedientiæ ordo ad præceptũ, quam ordo ad personam superiorem; sed non saluatur cum proprietate obedientia sine ordine ad superiorem, qui proprié superior sit: ergo nec saluari potest sine ordine ad præceptum, in quo vera, & propria ratio præcepti subsistat.

*Cõfirmatur 1.*

*Secundo*

34 *Sexto cõtra eã dẽ solutionẽ arguitur.* Sexto contra eandem solutionem arguitur ex doctrina Diui Thomæ 2. 2. *quæstione 104. art. 2. ad primum*, ibi: *Sic igitur ratio præcepti, quam attendit obedientia, concurrit cum actibus omnium virtutum, non tamen cum omnibus virtutum actibus, quia non omnes actus virtutum sunt in præcepto, vt supra habitum est*, scilicet, 1. 2. *quæstione 96. art. 3.* Sed si præceptum inspectum à virtute obedientiæ, nõ esset strictum, sed latum, pro voluntate scilicet superioris acceptum; cum omnibus omnium virtutum actibus concurreret ratio præcepti, quod inspicitur à virtute obedientiæ; cum omnes actus omnium virtutum sint conformes voluntati diuinæ; aliàs bonitate morali carerent: ergo iuxta Diuum Thomam, præceptum ex ordine ad quod sumitur specialitas obedientiæ, vt distinctæ ab alijs virtutibus, non latè, sed strictè sumitur; & consequenter sine præcepto obligante non subsistit proprietas obedientiæ.

Quod amplius confirmari potest: licet namq; superior in dignitate suam voluntatem explicans homini sibi non subdito, plus ipsum ad exequendũ suam

35 *Cõfirmatur hoc primo.*

voluntatem moueat, quam volũtas explicata alteri⁹, qui tali dignitate nõ gaudet: quia tamen volutas sic explicata, non est a superiori ratione potestatis iurisdictionis, executio illius, actus obedientiæ non est, loquendo cum proprietate: ergo vt voluntas superioris sit obiectum obedientiæ proprié sumptæ, debet esse superioris, quatenꝰ superior est, & vt exercens potestatem iurisdictionis in subditum; at voluntas non præceptiua, sed simplex, aut consiliatiua tantum, esto superioris sit, non est ab illo ratione potestatis iurisdictionis, qua gaudet: ergo obiectum obedientiæ proprie dictæ non est. *Secundo explicatur.* Explicari potest secundo, subiectio subditi ad superiorem secundum se, & vt nihil volenti, vel præcipienti, obiectum obedientiæ non est, sed vel religionis, vel humilitatis: ergo vt obiectum obedientiæ sit, non sufficit superioritas, sed insuper est necessarius actus aliquis superioris, illi vt superiori competens, & non superiori repugnãs; sed voluntas, nisi præceptiua sit, non est superioris taliter, quod non superiori repugnet: ergo sufficiens obiectum propriæ obedientiæ non est.

35 *Dꝛniq; còtra solutionẽ arg.* Denique contra solutionem arguitur: nam si aliquod inconueniens sequitur ex propriſsima obedientia, idem sequitur ex propria, sed ex hac, teste Lorca, nullum sequitur inconueniens: ergo nec ex propriſsima obedientia aliquod inconueniens infertur; & cõsequenter obedientia Christi Domini in hoc sẽsu est accipienda: nam verba Scripturæ, nedum in sensu proprio, sed etiam in propriſsimo accipi debent, si nullum inferatur absurdum. Maior, in qua sola est posita difficultas, probatur, inconueniens, quod Lorca inferri contendit ex obedientia propriſsima in Christo, est, quod liberẽ non obediret; at hoc, vel infertur ex obedientia propria, vel non colligitur ex propriſsima: ergo si quod inconueniens sequitur ex hac obedientia, idem sequitur ex prima. Probatur minor, inde probat Lorca, Christum nõ obediturum liberé, quia non haberet potentiam ad coniungendam cum præcepto negationem actionis præceptæ; sed Christus non habet potentiam ad coniungendam negationem actionis volitæ à Deo cum voluntate efficaci Christo manifestata, quæ est regula obedientiæ non propriſsimæ. ergo si ex prima impotentia tollitur libertas à Christo in obedientia propriſsima, ex secunda etiam auferetur libertas ab illo inobedientia non propriſsima, sed propria.

37 *Dices.* Dices: impotentiam ad negationẽ actionis cõiungendam cum præcepto, esse antecedentem, & ideò libertatem destruere; impotentiam autem ad negationem actionis coniungẽdam cum voluntate Dei regulante propriam obedientiam, esse tantum cõsequentem, quæ cum libertate compatitur; & hoc ideò, quia negatio actionis præceptæ, est peccatum, ad quod est Christus impotens impotentia antecedenti; negatio autem actionis volitæ à Deo, etiam vt coniuncta cum prædicta voluntate, peccaminosa non est. Sed contra primo: nam esto discordare à voluntate efficaci Dei manifestata Christo, non sit malitia moralis, de quo infra, est tamen indecentia moralis; sed Christus est impotens impotentia antecedẽti, nedum ad moralem malitiam, verum etiam ad moralem indecentiam: ergo est impotens antecedenter ad coniungẽdam negationẽ actionis volitæ à Deo; cum illius voluntate efficaci, non minus quá ad coniungendam negationem actionis præceptæ cum præcepto stricté accepto. *Cõtra 1*

38 *Maior ostenditur primo.* Maior ostenditur primo; vt enim docet D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. voluntas superioris, quomodocumq; innotescat, est tacitum, & interpretativum præceptum; sed transgressio præcepti taciti, & interpretativi, esto liberetur à malitia morali, à morali tamen indecentia liberari non potest: ergo discordare à voluntate Dei manifestata, est saltim indecentia moralis. *Secundò* Secundo: nam voluntas superioris est sufficiens obedientiæ motivum; voluntas autem nõ superioris, non ita: ergo voluntas superioris, quia superioris est, aliquam obligationem inducit in subdito se conformandi cum illa, quam voluntas non superioris nequit inducere; aliàs nulla esset ratio, cur hæc, obiectum obedientiæ esse nequeat; cumque non sit obligatio

gatio ad malitiam, erit saltim ad moralem indecentiam. Tertio: subditum nō obedire prælato præcipienti ex iurisdictione œconomica, esto non sit culpa moralis, est tamen moralis indecentia, dignumque reprehensione: ergo pariter non obsequi voluntati superioris efficaci, non caret indecentia morali. Denique: Religiosum non seruare regulā suæ professionis, quantum ad simplicia statuta non obligantia sub culpa, est aliqua indecentia moralis, dignumque reprehensione: vnde, si Christus hanc regulam fuisset professus, esset impotēs impotentia antecedenti ad illius transgressionem: ergo in non se conformando voluntati superioris, & maximē voluntati efficaci diuinæ, est aliqua indecentia moralis, & reprehensionis dignitas.

*Tertio.*

*Vltimo.*

39 *Arg contra prædictum modum ex PP. auctoritate. Ex Aug.*

Denique principaliter arguitur cōtra istum modum dicendi ex PP. auctoritate admittētium præceptum in Christo sine distinctione aliqua diminuente, sicque verba Scripturæ accipientium. Ita P. Augustinus *tom. 9. tractat. 79. in Ioannem*, ad illa verba: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et expressius *tom. 6. l. b. contra sermonem Arrianorum cap. 7. & 11.* vbi respondens Arrianorum argumento, quo ex præcepto Christo imposito, & ex obedientia ad Patrē, illius minoritatē, & cum Patre inæqualitatem deducere conabantur, nec esse eiusdem cum Patre naturæ, sic habet: *Iam quod superius respondimus, etiam aduersus ista similiter valent; quod enim voluntati, & præcepto Patri obediens est Filius, nec in hominibus demonstrat aiuersam, imparemque naturam; huc accedit, quod Christus non tantum Deus est, qua natura æqualis est Patri, sed etiā homo, qua natura maior est Pater, cuius etiam non solum Pater, sed Dominus est.* Quibus verbis absolutē præceptum admittens, de stricto præcepto loquitur, & non solum illud adstruit, sed rationē efficacissimam reddit, cur Christus, vt homo, capax sit præcepti stricti: quia nempē, Deus, illius, vt homo, est Dominus; & cōsequenter Christus, vt homo, eius seruus; seruus autem Domino, vt gubernanti, præcipientique subijcitur.

Ad eundem sensum præcepti in stricta acceptione referuntur Dionisius Areopagita *de cœlesti hierarchia cap. 4.* Athanasius *serm. in illud: Anima mea turbata est*, relato *in 6. synodo actione 6. ad finem.* Et Anselmus *lib. 1. Cur Deus homo cap. 9.* illis verbis: *Potest etiā dici, quia præcepit illi mori Pater; cum hoc præcepit, vnde incurreret mortem*; ideſt, præcepit Pater ea, ex quibus mors Christi occasionem desumpsit, nō mortem in se ipsa formaliter D. Tho. etiam in eadem est sententia *infra q. 20. art. 1. in corp. q. 47. art. 2. ad 1. Ioannis 10. lectione 4. Ioannis 15. lect. 2. ad Rom. 5. lect. 2. circa finem, & ad finem lectionis 5.* explicans illa verba: *Sicut per vnius inobedientiam, &c.* Ac tandem ad Philippenses *2. lectione 2. in fine*, ad illa verba: *Factus obediens vsque ad mortem.*

40 *Dionis. Areop. Athan. Anselm.*

S. Tho.

*Ad Philip. 2.*

Respondet Lorca, dicta PP. interpretando sicut Scripturæ verba, de præcepto, & mandato largē accepto pro diuina voluntate insinuata; non autem stricto inducente obligationem. Contra quam solutionem faciunt primo, quæ contra interpretationē verborum Sacræ Scripturæ superius obijciebamus. Faciunt secundo verba D. Thom. *Ioannis 15. lect. 2.* vbi explicans illud Ioannis: *Sicut ego Patris mei præcepta seruaui*, sic habet: *Christus enim per hoc ostendit, quod mānsit in dilectione Patris, quia per omnia mandata eius seruauit: nam & mortem sustinuit, iuxta illud ad Philippenses 2. Factus obediens vsq; ad mortem, & ab omni peccato abstinuit, quæ intelligenda sunt de Christo, secundum quod homo, &c.* Quibus verbis eodem modo loquitur D. Thom. de alijs mandatis, quæ stricte mandata sunt, vt præcepta legis naturæ, ac de mandato, cui moriendo obtemperauit; at sic est, quod mandata legis naturæ stricte præcepta sunt, & non solum voluntas simplex superioris insinuata: ergo iuxta D. Thomam præceptum de morte Christi, strictum præceptum fuit.

41 *Respondet Lorca.*

*Cōtra 1.*

*Secūdo.* S. Tho.

Faciunt tertio verba D. Thom. *ad Philippenses 2.* vbi de obedientia Christi loquens, sic ait: *Sed quod magna, & commendabilis sit hæc obedientia, patet, quia tunc est obedientia magna, quando sequitur imperium alterius contra motū*

42 *Tertio.*

pro-

*proprium*; sed nomine imperij, prout à consilio distinguitur, strictum præceptum exprimitur: ergo iuxta D. Thom. Christus ex præcepto stricto mortem sustinuit. Denique: nam sicut verba Scripturæ, & Conciliorū sunt accipienda iuxta communem PP. expositionē, ita verba PP. iuxta communem Scholasticorum intelligentiam; sed, vt fatetur Lorca, communis sententia Scholasticorum est, fuisse Christo impositum strictum moriendi præceptum, quod non aliunde colligunt, nisi ex Scriptura, & PP. id asserentibus: ergo intelligendi sūt de præcepto rigoroso, cum docent, fuisse Christo impositum sustinendi mortē præceptum

*Vltimo.*

## §. III.

### *Tria argumenta contrariorū diluuntur.*

43 *Opponēs primo.*

OPPONVNT primo sententiæ contrariæ Authores plura PP. testimonia, qui explicantes Scripturæ verba, in quibus continetur præceptum, docēt nomine præcepti, nihil aliud intelligi, nisi Patris voluntas Christo manifestata, vt pro hominibus pateretur: ita Cyrillus Alexandrinus *lib.* 10. *in Ioannem cap.* 20. ibi: *Habes in obedientia voluntaria Paterni consūmationem consilij, quod mandati loco tradi sibi significat*; quibus verbis manifestè videtur, innuere, nō fuisse strictū mādatū, sed simplicē voluntatem, vel consilium nomine mādati à Christo significatum. Theophilatus super illud Ioannis 14. *Hoc mandatum dedit mihi Pater*, sic exponit: *mandatum hoc, hoc est, quod placitum illi, & decretum est ab eo, suscipio, & perficio.*

*Cyrillus*

*Theop.*

44 *Chrysostomus.*

Chrysostomus *homilia* 59. *in Ioannē*, explicans illa verba: *Hoc mandatum accepi*, sic habet: *Nihil aliud præceptum hoc loco significat, quam cum Patre concordiam*: & homilia 75. explicans illa verba: *Sicut ego Patris mei præcepta seruaui*, sic habet: *Humano more loquitur; non enim legislatorem, legi subditum esse oportet*: & *tom.* 4. *homilia* 28. *in epistolam ad Hebræos*, in illud: *qui proposito sibi gaudio*, sic ait: *Licebat illi nihil pati, si voluisset*; cum præcepto autem stricto hæc facultas stare non potest. Anselmus etiam opusc. de mediatione Redēptoris id ipsum affirmat his verbis: *Nec natura humana in isto homine passa est aliquid vlla necessitate, sed sola libera voluntate, nec vlla cogente obedientia, sed potente disponente sapientia.* Quod etiā expressiū docuit *lib.* 1. *cur Deus homo cap.* 8. & 9. Ac denique D. Thom. *super Ioannis* 19. *lect.* 8. explicans qualiter Pater mandauit Christo vt moreretur: *In quantum*, inquit, *anima eius inspirauit necessarium esse humanæ saluti, vt in natura humana moreretur*; ergo nomine præcepti iuxta D. Thom nihil aliud intelligitur, quam voluntas Dei Christo vt homini manifestata, vt pro hominibus mortem subiret.

*Anselm.*

S. Theo.

45 *Respōdetur.*

Respondeo, allegatos PP. Nobis minimè aduersari, nec nostræ refragari sententiæ; in illorum tamen interpretatione variant Doctores, quidam illos explicant de Christo quatenus Deo; sic enim capax præcepti non fuit, sed tantum cōcordiæ voluntatis cum Patre, & paternæ voluntatis notitiæ, sibi communicatæ per æternam generationem; quæ interpretatio, maximè menti Chrysostomi consentanea videtur, cum causalem negandi præceptum reddit: quia nempè legislatorem legis subditum esse non oportet, quæ causalis vera esse non potest, nisi de Christo, vt Deo: Christus enim, vt homo, subditus fuit legi naturali, & æternæ, quod Chrysostomus nequit negare. Et vltimo testimonio Chrysostomi maximè congruit, cum docet, *licuisse Christo nihil pati, si voluisset*; quæ verba sunt accipienda de Christo quatenus Deo; sic enim cum nulli esset legi subiectus, licebat nihil pati, si voluisset, nempè voluntate diuina. Et eodem modo explicari possunt Cyrillus, & Theophylatus. & ratio hanc interpretationē suadens, est: nam prædicti PP. contra Arrianos disputabant, qui, vt ex Augustino vidimus, ex præcepto Christo impositio

*Hæc solutio maximè cōgruit vltimo testimonio Chrysostomi.*

infe-

inferebant, non fuisse eiusdem naturæ cum Patre, quod vt Doctores Sancti vitarent, negabant præceptum, nempé, impositum Christo vt Deo; sic enim euidenter saluabant æqualitatẽ cum Patre, & in natura diuina identitatẽ. Anselmo tamen hæc interpretatio non congruit, vt ex dicendis constabit; vnde aliter Anselmum interpretantur, nimirum, loquutum fuisse de morte, ad quam vt in se formaliter non terminabatur præceptum, sed solum in antecedentibus, ex quibus mors fuit sequuta.

*Alit vin terpretatur Anselmus.*

46 *Secundo respõderi potest.*

Possunt etiam aliter explicari, videlicet, negasse præceptũ imponens Christo necessitatem moriendi oppositam libertati, non autem præceptum cum libertate adimplendum; & vt hanc libertatem saluarent, & oppositam necessitatem excluderent, abstinuisse à nomine præcepti, & illud, voluntatis insinuatæ nomine explicuerunt; quia hoc nomine facilius percipiebatur libertas Christi in moriendo, qualiter Angelicus Doctor 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. *explicuit Damascenu lib. 2. de fide cap. 30, asserentem, D ũ omnia præ cognoscere, non tamen omnia præ determinare*, nẽpé, Damascenũ negare prædeterminationẽ imponentẽ necessitatem, vt in rebus naturalibus, quæ sunt per modum naturæ ad vnum determinatæ, non autem prædeterminationem cum libertate compositam.

47 *Nec obstat primo.*

Nec obstat huic interpretationi causalis illa Chrysostomi, nempe, quod non oportebat legislatorem subditum esse legi: nam cum Textus vniuersaliter de præceptis loqueretur, quæ omnia Christus impleuit, iuxta illud Matthæi 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*, & inter præcepta sint aliqua, quibus subdi Christum non oportebat, quia erat legislator supremus, vt præcepta iuris humani, imò & præceptum obediendi parentibus; causalis illa Chrysostomi, non est ad omnia præcepta extendenda, sed ad aliqua ex illis coarctãda; aliàs vt supra dicebamus negasset Chrysostomus Christum fuisse legi naturali subiectum, quod asserendum non est. Nec obstant secundo verba illa vltimo ex Chrysostomo adducta, nimirum, *licebat illi nihil pati si voluisset*: nam *licebat* pro eodem est accipiẽdum, quod poterat, potuisse autem Christum nihil pati, si voluisset, verum est de potentia antecedenti, non autem de potentia consequenti, nec est cur verbum *licebat* cũ maiori rigore exponamus, cum ad hoc sit necessarium, rigorem scripturæ deferre, quod maximum est inconueniens.

*Nec obstat secũdo.*

48 *Tertio responderi potest.*

Vel tertio responderi potest, notando, præceptum duplicem habere vim, directiuam nempé, & coactiuam, per intimationem pœnæ, Christus autem nõ fuit capax præcepti quoad vim coactiuam, sed tãtum quoad directiuam, & solum hoc secundo modo negabant collegati PP. Christo fuisse præceptũ moriendi impositum, non autem negant fuisse illi impositum præceptum quantum ad vim directiuam, & quia hæc directio legis absque vi eiusdem coactiua, melius nomine voluntatis insinuatæ, quã nomine præcepti explicatur, ideo PP in contrariũ adducti à nomine præcepti abstinuerunt, & per voluntatum concordiam, Patrisque voluntatem, illã nobis explicarunt, quæ interpretatio maxime congruit causali adductæ à Chrysostomo, nempe, *quia non oportebat legislatorem legibus esse subiectum*. Licet enim legislator legi quoad vim coactiuam non subijciatur, tuis tamen legibus quoad vim directiuam subijci, communiter docetur à Theologis.

49

Nec contra illam obstant verba ex Chrysostomo adducta in vltimo testimonio, scilicet, *licuisse Christo nihil pati, si voluisset*. Nam vel hoc intelligẽdum est de Christo, quatenus Deo, vt superius asserebam; vel verbum *licere* nõ est cum omni rigore accipiendum, qualiter idem est, quod posse aliquid sine culpa, sed prout idem est, quod posse antecedenti potentia non mori, qualitẽ ad non moriendum Christum, habuisse potentiam ex infra dicendis constabit. Testimonium autem adductum ex D. Tho. nulla ex his interpretationibus indiget; nam Deum Christo aliquid inspirare, idẽ est, quod illi manifestare, quod abstrahit à manifestatione solius simplicis voluntatis, & voluntatis legislatiuæ, inducentisque obligationem: & hoc secundo modo fuisse acceptum ab Angelico Doctore, constat ex alijs testimonijs eiusdẽ pro nostra sentẽtia adductis.

Solum

Solum vrget, & graviter quidem cõtra hanc interpretationem doctrina Anselmi *lib. 1. cur Deus homo cap. 9.* obiecerat ex discipulo contra præceptũ Christo impositum moriendi cap. 8. *Nam si alii er peccatores non potuit saluare, quã iustum damnando, vbi est omnipotentia? Si vero potuit, sed noluit, quomodo defendemus sapientiam eius, atque iustitiam?* Cui difficultati ita respondebat Anselmus. *Deus Pater non quæmadmodum videris intelligere, hominem illum tradidit; non enim illum inuitum ad mortem ille coegit, sed idem ipse sponte suam mortem sustinuit, vt homines saluaret.* Hucusque Anselmus nostræ interpretationi non obest, imò potius illi fauet negans præceptum inducens necessitatem, vel cogens, non autem præceptum dirigens, & libertatem conseruans.

50 *Vrgebis contra hanc interpretationẽ ex doctrina Anselmi*

Sed pergit discipulus, & contra hanc solutionem opponit cap. 8. ad finem: *Etiam si non inuitum, quoniam voluntati Patris consensit, quodammodo tamen illum coegisse videtur, præcipiendo; dicitur enim, quia Christus humiliauit semet ipsum factus obediens vsque ad mortem, &c.* Cui difficultati cap. 9. distinguens Anselmus inter hoc, quod est seruare iustitiam, & sustinere mortem propter seruandam iustitiã, his verbis post multa respondet. *Non ergo coegit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum, sed ipse sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam, sed propter obedientiam seruandi iustitiam, in qua tã fortiter perseuerauit, vt inde mortem incurreret.*

51

Hæc Anselmus, ex quibus contra vtramque interpretationem tale argumentum conficio; concedit enim præceptum Christo impositum seruandi iustitiam, negat autem præceptum sustinendi mortem: at præceptum seruandi iustitiam, non fuit coactiuum, neque necessitatem seruandi iustitiam induxit, sed tãtum fuit directiuum, & cum libertate compositum: ergo respectu huius, quod est sustinere mortem, non solum negauit præceptũ quoad vim coerciuã, & necessitatem inducens, sed etiam præceptum quoad vim directiuam, & cum libertate in morte sustinenda compositum; aliàs nullum esset inter seruare iustitiam, & mortem sustinere, quoad hoc quod est præceptum fuisse, discrimen; cum de vtroque extitisset præceptum tãtum dirigens, & cum libertate compositum, & de neutro præceptum coercens, & necessitatem inducens.

52 *Formatur argumentum*

Respondeo mortem dupliciter sumi, nimirum in facto esse, vel in fieri cũ facto esse coexistente, & in fieri antecedẽte instans intrinsecum mortis, prout scilicet mors est in causis suis illam naturaliter inducentibus, de quo D. Thomas *infra q 50. art. 6.* vnde sustinere mortẽ, dupliciter etiam sumitur, nempé sustinere mortem in fieri, idest subijci causis naturalitér inducentibus mortem, & sustinere mortem in facto esse, aut in fieri cũ facto esse mortis coexistẽte, quod nihil aliud est, quam mori: cum ergo negat Anselmus præceptum Christo impositum de sustinenda morte, loquitur de morte vt in facto esse, non autem de morte vt in fieri, hoc est de sustinendis causis inducentibus mortem, & illis se subijciendi. Moueor ad istam interpretationem primo: nam sustinere mortem, quod negat fuisse præceptum, explicat per *deserere vitam*, vt patet ex verbis adductis; deserere autem vitam proprié acceptum, non est subijci causis inducentibus mortem, sed ipsi morti in se ipsa: Cartusianus enim abstinens à carnibus abstinentia mortem inferente ob vota professionis seruanda, non dicetur proprié vitam deserere, sed causis inducentibus mortem se subdere: ergo solum negat præceptum de morte, vt in se formaliter, non autem vt in causis inducentibus illam.

53 *Respõdetur.*

*Motiuũ primum*

Secundo: ex verbis, quæ post adducta in argumento, statim subiunxit: *Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit Pater, vnde incurreret mortem*: ergo sentit Anselmus, ea, ex quibus mors Christi fuit subsequuta sub præcepto fuisse Christo vt homini præscripta. Tertio: nam respectu illius, quod negat fuisse præceptũ, negat obedientiam in Christo, vt constat ex illis verbis: *Non per obedientiam deserendi vitam*; sed respectu mortis in fieri, & causarum illam inducentium, nequit

54 *Secũdũ.*

*Tertium*

obe-

obedientia in Christo negari, cum illam omnes Theologi fateatur quibus Lorca non auſus eſt diſentire: ergo ſolum negat præceptum de morte, vt in facto eſſe, & in ſe ipſa formaliter; non autem de morte vt in fieri, & vt in cauſis inducentibus mortem. Vbi obiter nota contra Lorcam apud Anſelmum obedientiam, præceptum ſtrictum ſupponere, & cum præcepto non ſtricto obedientiam propriè ſumptam non ſtare.

55 *Vltimũ.* Denique moueor ex alia doctrina Anſelmi *cap. 9. citat.* vbi explicans illud Pauli: *Factus obediens vſq; ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* hæc habet: *Poteſt hoc & eodem modo intelligi, quo idem Dominus legitur profeciſſe ſapientia, & gratia apud Deum, non quia ita erat, ſed quia ille ſic ſe habebat, ac ſi ita eſſet: nam ſi poſt mortem exaltatus eſſet, quaſi propter illam, fierent hæc.* Ex quibus verbis talem cõſiderationem elicio; de illo negat Anſelmus Chriſtum præceptum habuiſſe, per quod negat Chriſtum ſui exaltationem meruiſſe; ſed hoc negari tutò nõ poteſt de morte Chriſti, vt in fieri, & prout fuit in ſuis cauſis. Tum, quia omnes Eccleſiæ PP. et Scholaſtici Doctores explicãtes verba Pauli vnanimi conſenſu fatentur, Chriſtum ſui exaltationem per Paſſionem, & mortem, vt in fieri ſaltim meruiſſe. Tum etiam, quia libere ſe ſubiecit cauſis inducentibus mortem, nempe, cruciatibus, & tormentis, ac per conſequens nihil ad meritum neceſſarium Chriſti Paſſioni defuit: ergo cum negat Anſelmus Chriſtum, præceptum ſuſtinendi mortem habuiſſe, loquitur de morte in ſe ipſa, non vero vt in ſuis cauſis.

56 *Adhuc obſtat primo.* Duo tamen adhuc obſtare videntur; primum, nam contraponit Anſelmus ſeruare iuſtitiam, morti, & aſſerit, illud fuiſſe præceptum, mortem autem præceptam Chriſto non fuiſſe: ergo ſentit præceptum adæquate extitiſſe in dicendo veritatem, & ſeruando iuſtitiam; ac per conſequens ad mortem etiam prout in fieri terminatum non fuiſſe. *Secundo* Secundum: nam ideo negat Anſelmus præceptum ſuſtinendi mortem in Chriſto, vt euadat difficultatem obiectam inſipientiæ, & iniuſtitiæ in Deo, in cogendo per præceptum, hominem innocentem ad mortem; ſed ſi quæ iniuſtitia, vel inſipientia poteſt argui ex parte Dei, ex præcepto Chriſto impoſito moriendi, non minus induci poteſt ex præcepto ſubiectionis ad cauſas inferentes mortem, quam ex præcepto mortis in ſe ipſa formaliter, vt per ſe manifeſtum videtur: ergo vel eſt aſſerendum, Anſelmum difficultatem obiectam in ſuo robore reliquiſſe, vel de vtroq; ſtrictũ præceptum Chriſto impoſitum negaſſe.

57 *Reſpõdetur ad primum* Reſpondeo ad primam ex his obiectionibus, negando conſequentiã; ſeruare namque iuſtitiam, eſt adimplere præcepta; cum autem præceptum Chriſto impoſitum, ſubiectionem ad cauſas inducentes mortem, comprehenderit, fit, vt ſeruare iuſtitiam, quod fatetur Anſelmus, fuiſſe Chriſto vt homini præceptum, non morti vt in ſuis cauſis, ſed in ſe ipſa formaliter ab ipſo contrapoſitum fuerit. Ad ſecundam obiectionem dicatur, loquendo abſolute de Deo, & vt eſt ſupremus Dominus mortis, & vitæ, nullam poſſe in ipſo inſipientiam, vel iniuſtitiam inferri, eſto, nedum ſubiectionem ad cauſas inducentes mortẽ, ſed etiam mortem in ſe ipſa præciperet, vel formaliter vitam deſſere nec in hoc potuit hæſitare Anſelmus; cum vtrumque præcipiendo, vteretur iure ſupremi domini), in quo nulla poteſt eſſe inſipiẽtia, aut iniuſtitia. Loquendo autem de Deo vt agente, & gubernante iuxta regulas ordinarias in præcepto non vitandi cauſas inducentes mortem, ſed illis ſe ſubijciendi, nulla apparet iniuſtitia; in præcepto tamen deſſerendi vitam formaliter, aliqua iniuſtitia, & ſpecies crudelitatis apparere videtur, & vt hoc vitaret Anſelmus, præceptum mortis negauit. *Ad ſecũdum.*

Habemus ad hoc explicandum potiſſimum exemplum: eſt enim plurium Theologorum ſententia, Cartuſianum ex vi voti obligari ad abſtinentiam à carnibus, etiam cum periculo mortis; cum ſcilicet ex tali abſtinentia mors præuideatur futura, & hoc, quia ob commune bonum virtutis, poteſt aliquis obligari ad opus, ex quo mors eſt ſequutura; cum tamen nullus Theologorum affirmet poſſe hominem ex vi voti, aut ex com- 58 *Exẽplũ*

muni

munilege obligari, vel ad deſſerendam vitam formaliter, vel ad mortem in ſe procurandam: non ergo ita terribilis eſt obligatio ad cauſas inferentes mortem, atque obligatio ad deſſerendam vitam, & ad mortem in ſe ipſa. Hæc dixerim in gratiam tanti Doctoris, ne cum quibuſdam Recentioribus aſſerere compellamur, in oppoſita fuiſſe ſententia, vnico tamen Anſelmo, cæteros Eccleſiæ PP eſſe præponendos; nollem enim, vllum ex Eccleſiæ PP. qui doctrinam ſanctitate firmarunt, noſtris opinionibus aduerſari.

59 *Obiicis ſecundo.* Secundo obiiciunt, nomen præcepti multoties in Scriptura, non ſtricté, ſed large accipitur, vel pro conſilio, vel voluntate intimata: ergo non eſt cur in hoc ſenſu non vſurpetur, cum dicitur impoſitū Chriſto de morte ſubeunda pro hominibus. Conſequentia videtur bona. Et antecedens conſtat ex Marci 10. vbi legitur, Chriſtum præcepiſſe hominibus, vt tacerent miraculum, quos tamen non intendebat obligare. Et Ioannis 6. præcepit diſcipulis, vt turbas diſcūbere facerent, quos nec obligare intendebat. Et ad Galatas 4. dicitur, Chriſtus factus ſub veteri lege, per quam nō obligabatur: ergo in Scriptura nomen legis, & præcepti, non ſemper ſumitur pro rigoroſo, & ſtricto præcepto.

60 *Confirmatur 1 Ioan. 10.* Confirmant primo ex Ioann. 10. cap. illis verbis: *Poteſtatem habeo ponēdi animā meam; & iterum ſumēdi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vbi clare inſinuatur, mandatum illud nō ſolum fuiſſe, vt poneret animam, ideſt, vt moreretur, ſed etiam vt iterum aſſumeret reſurgendo; ſed nullus dixit, Chriſtū ad reſurgendum fuiſſe præcepto ſtricto obligatum: ergo nec ad moriendum, ſtrictum habuit præceptum. *Secundo* Confirmant ſecundo: teſtimonia namq; Scripturæ aſſerentia in Deo eſſe iuſtitiam, vrgentiora ſunt, & clariora, quam illa, quibus aſſeritur, Chriſtum habuiſſe ſuſtinēdi mortem præceptum; & tamen ſentētia negans in Deo propriam, & rigoroſam iuſtitiam, communior, & plauſibilior eſt; argumenta autem, quibus hæc ſententia mouetur, ad negandum ſtrictā iuſtitiam minus efficacia ſunt, quā illa, quibus probatur non fuiſſe Chriſto impoſitum ſtrictum moriēdi præceptum: ergo ſententia negans rigoroſum præceptum moriendi, probabilior eſt affirmante.

61 *Tertio. Pſal. 21.* Tertio idē cōfirmant: clariora ſunt Scripturæ teſtimonia attribuentia Chriſto votum, quam ſtatuentia in Chriſto præceptum, Pſalm. 21. *Vota mea reddā in conſpectu timentium eum*: quæ verba de Chriſto intelligi, eſt communis PP. conſenſus, ſicut & alia quæ habentur Pſalm. 65 & Pſalm. 115. & tamen non obſtantibus his teſtimonijs, D. Thomas & frequentius cæteri Theologi negant, Chriſtum proprié vouiſſe: ergo non obſtantibus teſtimonijs Scripturæ ſtatuentibus in Chriſto præceptum, negari poteſt habuiſſe ſtrictum præceptum moriendi. Patet conſequentia: nam ratio mouens ad interpretandum Scripturā de præcepto non ſtricto, ſed laté ſumpto, non minus efficax eſt, ratione mouēte ad negandum ſtrictum votum: ergo ſi ob iſtam negatur ſtricté vouiſſe, ob eandem negandum eſt ſtrictum præceptum moriendi habuiſſe.

62 *Reſpōdetur.* Reſpondeo, Marci. 1. & Ioann. 6. Scripturam ſacrā nomine præcepti non vti; non enim dicit *præcepit* Ieſus, ſed *dixit* Ieſus; dicere autem non idem eſt, quod præcipere: dicitur enim conſiliū, & dicitur etiam præceptum, atque volūtas ſimplex dicitur, cum explicatur. Sed dato antecedenti, nempé, in Scriptura nomen præcepti non ſtricté, ſed largé accipi, vel pro voluntate inſinuata, vel pro conſilio, vel pro præcepto non obligante in conſcientia, quia non eſt à Deo ratione iuriſdictionis ſpiritualis, ſed ratione iuriſdictionis canonicæ, aut politicæ, nego conſequentiam: nam quando illis modis accipitur, eſt quia qualitas materiæ id expoſcit, quia non ita neceſſaria ad aliquem magnum finem, nego ſic in præſenti accipiendum, quia materia honeſtiſſima eſt, & ad finem altiſſimum neceſſaria, noſtram, ſcilicet, reparationem. Et quidem præceptum in Scriptura multoties ſumitur pro voluntate nō approbatiua, ſed permiſſiua Dei, ex 2. *Reg.* 16. c. illis verbis: *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid*, & illis: *dimittite, vt maledicat iuxta præceptū Domini*; & alibi, vbi cum materia pec-

2. Reg. c. 16.

cami-

caminosa sit, præceptum, non positiuã, sed permissiuam Dei voluntatem significat: & tamen non licet Lorcæ colligere, præceptum Christo impositum moriendi accipi pro voluntate permissiua, & non positiua, vt Christus pro hominibus moreretur: ergo pariter ex eo quod nomen præcepti in Scriptura aliquando solum consilium, vel simplicem voluntatem significet, non licet ipsi colligere, sic in præsenti accipiendum.

63 *Ad 1. cõfirmationem.* Ad primam confirmationem, nego, mandatum ad vtrumque referri, nempé, ad passionẽ, & resurrectionem, sed tantum ad primum; sic enim communis expositio, illa verba interpretatur, & cum maximo fundamento; nusquam enim legitur in Sacra Scriptura Christũ ex obedientia resurrexisse; cum tamen nihil in illa sit pervius, quam ex obediẽtia mortuum; cumque obedientia, & præceptum eandẽ materiam respiciant; fit consequens, quod nomen præcepti, non ad animæ resurrectionem, sed tantum ad illius depositionem per tollerãtiam mortis referatur. *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, vel nego primam partem minoris; sententia namque in Deo statuẽs veram, propriamque iustitiam, vel commutatiuam, vel saltim distributiuam, plausibilior est, & communior illa, quæ vtramque iustitiam negat; imo sententia, quæ in Deo strictam iustitiam commutatiuam concedit, est apud Recentiores frequentior; vel nego secundam partem minoris, quod nempé, ratio ab inconuenienti sumpta ad negandum rigorosum præceptum, vrgentior sit, illa, qua negatur stricta iustitia; hæc namque sumitur, ex eo quod ad rationẽ iustitiæ strictæ debitum legale requiritur, cuius debiti Deum esse incapacem, illius sententiæ defensores affirmant, quæ ratio multis euidens apparet. Ratio tamen probans negationem stricti præcepti ab incõueniẽti auferẽdæ libertatis, etsi difficilis sit ab omnibus debet solui in præceptis legis naturalis, quibus Christum fuisse obligatum, nullus Theologorum negat, & omnes iuxta propria principia, sic, vel sic componendi libertatem, illam probabilissimé diluunt, & solum à Lorca insolubilis censetur. Vel dato, quod rationes in vtraque parte æquali efficacia gauderẽt, põdus tamen auctoritatis: ex quo opinionum probabilitas, etiam desumitur, nõ est in vtraque parte idem; cum, fatente Lorca, sententia statuens in Christo strictum moriẽdi præceptum, communis sit apud Theologos, & sententia negãs strictam iustitiam in Deo, eodem Lorca fatente, sit communior, & plausibilior.

64 *Ad tertiam.* Ad tertiam confirmationem, nego esse testimonia clariora, sed dato æquẽ clara esse, quæ Christo votũ attribuunt, cum his, quæ præceptum statuunt; & concessa minori, nego consequentiam, & disparitatem sumo ex argumenti minori; vt enim negetur Christo votum in rigorosa acceptione, ad est D. Thomæ interpretatio, quam Lorca fatetur esse Theologis communem: ac per consequens ita est accipiẽdum votum; ad accipiendum autem præceptum non propriẽ, sed laxé, tale fundamentum non adest; imo potius ad oppositum, cum PP. communiter de præcepto stricto id accipiant, iuxta communem Scholasticorum intelligentiam; quod autem ratio suadens Christum strictẽ non vouisse, nõ militet respectu præcepti ex mox dicendis constabit.

65 *Tertio principaliter obijcies.* Tertio principaliter arguunt: subiectum incapax culpæ, est etiã incapax præcepti positiui; sed Christus impeccabilis erat: ergo & incapax præcepti strictẽ ipsum obligantis. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primo ex Paulo ad Galatas 3. illis verbis: *Quid igitur lex?* ideſt, ad quid vtilis? *propter transgressiones posita est, ideſt, ad vitandas transgressiones*, vt ibi explicat D. Tho. & ad Thimotheum 1. illis verbis: *Lex iusto non est posita.* *Maior ostenditur 1. Ad Gal. 3.* Secundo ex Hieronymo *lib. 2. contra Iouinianum in principio*, vbi contra istius hæretici duplicem propositionẽ, qua aiebat, eos, qui fuerunt baptizati, à Diabolo non posse tentari, ex illis verbis, 1. Ioannis cap. 3. *Filioli, custodite vos à simulacris*; sic arguit Hieronymus: *Si omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, & à Diabolo tentari non potest, quomodo præcipit, vt caueant ne tententur?* Ergo sentit Hieronymus, eum qui est incapax culpæ, incapacem esse præcepti. *Secundo* *1. Ioann. cap. 3. S. Hier.*

Tertio:

*Tertio.* Tertio: nam de essentia legis est obligare sub reatu culpæ, & cõminatione pœnæ; sed subiectũ incapax culpæ, est etiã incapax obligationis sub reatu culpæ, & comminatione pœnæ: ergo est incapax præcepti, aut legis in stricta acceptione.

66 *Respondeo.* Respondeo, negando maiorẽ; non enim magis est de ratione legis positiuæ, referri ad subiectum capax culpæ, quam de ratione legis naturalis, nec video vnde hoc discrimen possit suaderi; Christus autem capax fuit obligationis per naturalem legem, esto ratione suppositi sit impeccabilis, & de facto fuit per illam obligatus, vt fatentur omnes Theologi: non ergo est de ratione subiecti obligabilis per legem positiuã, capacitas ad peccandum. *Ad primã maioris probationẽ.* Ad primam maioris probationem dicatur, Paulũ in priori testimonio, loquutum de lege veteri, quantum ad vim coerciuam, & cõminatiuam pœnæ, vt explicat D. Tho. & de lege sic accepta, verum est, quod inquit Paulus in vtroque testimonio, nempé, esse positam ad vitandas transgressiones, & iustis non esse positam, quod affirmat in 2. vt enim docet Angelicus Doctor *ibidem lect. 7. ex Philosopho 4. Ethicor. Homines benè dispositi ex sè ipsis mouentur ad benè agendum, & sufficiunt eis paterna monita: vnde non indigent lege, sed sicut dicitur Romanorum 2. Ipsi sibi sunt lex, sed homines, malè dispositi indigent retrahi à peccatis per pœnas; & ideò quantum ad istos fuit necessaria legis positio, quæ habet coercitiuam virtutem.* S. Tho. Hæc D. Th. ex quibus aperte colligitur, Paulum in vtroq; testimonio loqui de lege pœnali, & quantum ad vim coerciuam, non autem quoad vim directiuam; sic enim nec ponitur ex fine vitandi transgressiones, nec iusto imponi non potest, nec capacitatem peccandi supponit in subiecto, cui imponitur, sed tantum quod sit capax operandi ex illius directione, & ex motiuo obediendi superiori præcipienti.

67 *Ad secũdam.* Et ex his ad secundam probationem dicatur, Hieronymum, ex præcepto vitandi tentationes imposito baptizatis, contra Iouinianum inferentẽ post baptismum posse peccare, loquutum fuisse de præcepto, prout regulariter imponitur purishominibus secundum vtramque vim, directiuam, scilicet, & coerciuam, & ex præcepto sic posito, rectè intulisse Hieronymum, baptizatos posse peccare. *Ad tertiam quidam respondent.* Ad tertiam quidam, quos sine nomine referunt Recentiores, asserebant, de ratione præcepti non esse obligare, nec ad culpam, nec ad pœnam; ac proinde ex capacitate præcepti, non licet colligere capacitatem peccandi. *Reiicitur hæc solutio.* Cæterum hæc solutio sustineri minimé potest, secluſa namque obligatione ad culpam, & pœnam, non est per quod præceptum à consilio distinguatur, nec à simplici superioris voluntate.

68 *Alij respondent secundo* Alij etsi concedant, obligationẽ ad culpam esse de essentia legis; non tamen de essentia illius esse, obligare sub reatu culpæ, nisi tantum subiectum peccabile; impeccabile verò, etsi dirigat, & ad bonum obliget, in quo essentia legis saluatur, non tamen obligat sub reatu culpæ, quia impeccabile est. Ita Beccanus *in præsenti cap. 16. q. 1. ad 2.* *Beccan.* Sed non capio differentiam inter obligare ad culpam, & obligare sub reatu culpæ: vnde, si de essentia legis est, subiectum, cui imponitur ad culpam obligare, etiam est de essentia illius obligare sub reatu culpæ.

69 *Alij tertio.* Aliorum solutio est, de ratione legis esse obligare sub comminatione culpæ, & pœnæ absoluta, vel conditionali, formali, vel virtuali, sub comminatione absoluta, & expressa, subiectũ, quod potest peccare, & agere cõtra legẽ; sub virtuali, & cõditionata cõminatione subiectũ, quod peccare nõ potest, & hoc modo Christũ obligasse. *Contra.* Sed falsũ est subiectũ aliquod per legẽ obligari sub cõminatione absoluta; nulla enim lex obligat ad pœnã, vel culpã, nisi sub conditione transgressionis sui: comminatio enim culpæ sic explicatur; *si hoc feceris, vel non feceris*, eris mihi inuisus, & reus culpæ; cõminatio verò pœnæ, hac conditionali explicatur, si hoc feceris pœnam incurres: ergo nulla lex obligat sub comminatione absoluta culpæ, aut pœnæ, sed tantum conditionali.

70 *Resp. ergo ad 3. probationem.* Quare his omissis, vel ad nostram solutionem reductis, ad tertiam illam probationem respondeo: si nomine

obli-

obligationis sub reatu culpæ intelligatur obligatio ad culpam, huiusce modi obligationem essentialem esse legi, & Christum istius obligationis capacē, taliter enim obligatus erat præcepto moriendi, quod si in sensu cōpositio præcepti fugeret mortem, peccaret, in quo obligatio legis ad culpam consistit; si vero nomine obligationis sub reatu culpæ intelligatur obligatio sub comminatione culpæ, distinguo maiorem pro prima, & secunda parte: sub reatu, vel cōminatione expressa, nego maiorē: sub reatu, vel cōminatione implicita, & virtuali, concedo maiorem, & nego minorem; licet enim subiectum ab intrinseco impeccabile, non sit capax cōminationis expressæ; hæc namq; ad terrendum à culpa ordinatur, cuius terroris est incapax subiectum impeccabile, capax tamen est virtualis cōminationis culpæ, & pœnæ, quæ in nullo alio consistit, quam in obligatione ad culpam, & pœnam sub conditione, quod legem transgrederetur.

71 *Dices.* Sed dices, sequi ex ista solutione: Christum esse capacē præcepti quoad vim coerciuam, & nō solum quoad vim directiuam; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Probatur sequela primo: nam ideò est capax præcepti quantum ad vim directiuā, quia illo obligari potest ad culpam sub conditione transgressionis legis, sed etiam obligatur ad pœnam sub eadē conditione: ergo subdi potest præcepto quantū ad vim coerciuam. *Sequela prob. 1.* Secundo: nam vis coerciua præcepti supra rationem comminatiui fundatur; sed fuit per nos capax comminationis: ergo etiam fuit capax subiectionis ad præceptū, prout habet vim coerciuam. *Secūdo.* Tertio: nā quia homo purus subditur præcepto vt comminatiuo pœnæ sub cōditione transgressionis illius, subijcitur præcepto quantum ad vtram que vim: ergo, si Christus subijciebatur præcepto, vt comminatiuo pœnæ, sub conditione, quod illud transgrederetur, subijciebatur illi, non solum vt directiuo, sed etiam vt coerciuo. *Tertio.*

72 *Respōd. Ad 1. probationē.* Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem dicatur: causalē adæquatam nō esse, sed insuper, quia vis directiua præcepti, non petit in subiecto potentiā ad transgressionē illius; vis autem coerciua hanc potētiam præsupponit ob rationem mox tradēdam. *Ad secūdam.* Ad secundam, distinguo maiorem: supra rationem comminatiui culpæ, & pœnæ absolutē possibilium, concedo maiorē: culpæ, & pœnæ impossibilium, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. *Ad tertiam.* Ad tertiā, distinguo antecedēs: quia subditur præcepto vt comminatiuo pœnæ absolutē, & ex omni capite possibilis, & sub conditione culpæ absolutē possibili, cōcedo antecedens: præcisē ratione subiectionis ad legem, quatenus comminatiuam, nego antecedens, & consequentiam: nā virtualis comminatio inclusa in præcepto comparatiuē ad Christum, est sub conditione culpæ impossibilis ratione suppositi, esto sit possibilis ratione naturæ secundum se acceptæ, & est pœnæ ex eodem principio impossibilis, & idcirco præceptum impositum Christo, non respicit ipsum secundum vim coerciuam, sed tantum secundum vim directiuam. Ratio autē distinctionis traditæ est: nam vis coerciua præcepti tendit ad coercendos subditos à culpa ob terrorē incussum ex cōminatione pœnæ; pœna autem impossibilis, etsi timeri possit timore securo, vt diximus *Q. 7. de Gratia Christi art. 7.* timore tamē anxio, & terrorē inferente, timeri minimē potest, & idcirco supra cōminationē pœnæ sub cōditione subiecto impossibili, fundari nequit vis coerciua præcepti.

## §. IV.

### *Cæteris argumētis occurritur.*

73 *Quarto objiciūt Antecedens ostēditur 1.* QVARTO obijciunt: propria obedientia saluatur sine stricto, & rigoroso præcepto: ergo ex obedientia Christi in moriendo, male intulimus habuisse strictum præceptum moriendi. Antecedens ostenditur primo ex Anselmo *lib. 1. Cur Deus homo cap. 10.* ibi: *Nam tunc est vera, & sim-* *S. Ansel.*

*simplex obedientia, cum rationalis natura non necessitate, sed sponte seruat voluntatē à Deo acceptam*: ergo iuxta Anselmum, propria obedientia saluatur sine rigoroso præcepto per conformitatem ad volūtatē simplicem superioris.

*Secundo* Secundo: nam iuxta D. Tho. infra q. 37. art. 1. in corpore: *Christus circumcissus est, vt obediendi virtutem nobis suo cōmendaret exēplo: vnde & octauo die circumcissus est, sicut in lege erat præceptū*: ergo iuxta D. Th. fuit ex obedientia circumcissus. Patet consequentia: nam virtus obedientiæ nō potest exemplariter cōmendari, nisi actus obedientiæ exerceatur; & tamen Christus non tenebatur lege circumcisionis: ergo absque lege obligante subsistit vera, & propria obedientia.

*S. Tho.* 3. Tho.

*74 Tertio.* Tertio, ex D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 2. in corp. illis verbis: *Vnde obedientia est specialis virtus, & eius speciale obiectū est præceptum tacitum, vel expressum; voluntas enim superioris, quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen superioris intellecta.* Quod etiam repetit solut. ad 2. illis verbis: *Dicendū, quod obedientia non est virtus Theologica; nō enim per se obiectum eius, est Deus, sed præceptum superioris cuiuscumq; vel expressum, vel interpretatiuum, vel simplex verbum Prælati, eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediēs, secundum illud ad Titum 3. dicto obedire*: ergo iuxta D. Tho. obiectum formale obedientiæ, prout est specialis virtus, non est rigorosum præceptum, sed vel hoc, vel voluntas cuiuscūq; superioris simplici verbo innotescēs; & consequēter, vera, propriaq; obedientia sine præcepto stricto saluatur. Prima consequētia ex littera D. Th. colligitur. Secunda verò manifesta videtur: nā omnis actus obedientiæ prout est specialis virtus, est actus proprius obedientiæ; sed obedire volūtati prælati manifestæ simplici verbo, est actus virtutis obedientiæ, vt ab alijs virtutibus distinctæ, cum versetur erga obiectum eius formale: ergo est vera, & propria obedientia.

*75 Quarto.* Quarto probatur: nam subditus parens prælato sic dicenti *vellem*, aut *volo*, vt *hoc facias*, etiam si sub præcepto id non intimet, verum, & proprium actum obedientiæ potest exercere. Item constitutiones suæ regulæ obseruans, exercet proprium actum virtutis obedientiæ, & tamen nec prælatus modo dicto intimans subdito volūtatem, illum obligat in conscientia, nec regulæ, & constitutiones, semper in conscientia obligant: ergo absque præcepto obligāte; & consequenter absque stricto præcepto, propria obediētiæ ratio saluatur.

*Quinto.* Quinto: nā actus miserī cordiæ, actus charitatis, cæterarumq; virtutum exerceri possunt, absque præcepto obligante: ergo & actus obedientiæ, qui verē, & proprié sit talis. Denique: nam operari aliquid ex animo exequēdi voluntatē superioris, & illius consilij sacquiescendi, & se conformandi cum illis, est actus alicuius virtutis, non alterius, nisi obedientiæ: ergo est actus propriæ obedientiæ; & consequenter hæc absque præcepto stricte obligante potest exerceri.

*Vltimo.*

*76 Respōd.* Respondeo, negādo antecedens: ad primam probationem dicatur, Anselmum excludere à vera, & simplici obedientia, necessitatem ortam ex timore pœnæ; non autem necessitatem ortam ex directione præcepti: ac si diceret, veram, & simplicē, hoc est, perfectam obedientiam tunc esse, quando quis, nō coactus ex timore pœnæ, sed sponte per exclusionem huius coactionis, seruat voluntatem Dei ex animo se conformandi cum illius voluntate. Ad secundam, concessa prima consequentia, distinguo minorem; non tenebatur lege Mosayca circumcisionis, concedo minorem: lege Patris obligante, nego minorem, & consequentiam.

*Ad primā probationē.*

*Ad secūdam.*

Ad tertiam dicatur: nomine voluntatis superioris non sumere D. Thomam voluntatem ordinantem, & nullatenus obligantem, sed voluntatem obligandi subditum. Quod patet ex supra dictis; hæc autem voluntas dupliciter innotescere potest, vel per expressā intimationem, vel per aliquam intimationē, per quam subditus voluntatem præcipientem prælati coniectet; priori modo est, præceptum expressum, posteriori mo-

*Ad tertiam.*

do,

do, tacitum; sempertamen obligans ad culpam grauem, aut leuem, vel saltim ad pœnam. Et cum subditus, per insinuationem, voluntatem istam superioris cognoscens, illi obsequitur, non expectata expressa eiusdem voluntatis intimatione, tunc dicit D. Thomas, esse illius obedientiam promptiorem.

77 Vnde nomine simplicis verbi Prælati, quo vtitur *solut. ad 2.* cū dicit: *Simplici verbo Prælati promptum obedientem obedire*: non concludit voluntatē obligādi tali verbo significatam, sed tantum expressam volūtatis obligantis manifestationem: quod patet: nam id confirmat ex Paulo *ad Titum* 3. illis verbis: *Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Quæ verba *lect.* 1. explicans D. Th confirmat ex alijs Pauli 2. ad Thessalonicenses 3. ibi: *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam hanc, notate, & non communicate illi, vt confundatur.* Vbi nomine *verbi*, veram, & strictam obligationem legis intelligi, constat clarè ex D. Thoma *super hoc cap. lect.* 2 vbi explicans testimonium Pauli, sic ait: *In ordine primo ponit culpam, secundo eius manifestationem, tertio eius punitionem, culpa est inobedientia; & ideò dicit, quod si quis non obedierit.* Sentit ergo D. T, verbum, de quo Paulus loquitur, tale esse, vt culpa sit, tali verbo non obedire; sed non obedire verbo indicanti voluntatem, nullatenus obligantē, culpa non est, vt fatentur contrariæ sententiæ Auctores: ergo verbum Prælati; *cui obedit promptus obediens*, vt ait D. Thomas, debet voluntatē obligantem indicare.

*Ad Titū 3.*

*2. Ad Thessalon. 3.*

S. Tho.

78 Oppones, D Thomam *q. citat. art. 5. ad 3* illis verbis: *Sic ergo potest triplex obedientia distingui, vna sufficiens ad salutem, quæ scilicet, obedit in his ad quæ obligatur, alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis, alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit*: ergo iuxta D. Thomam datur vera, & propria obedientia sine obligatione præcepti. Patet consequentia: nam obedientia perfecta, est vera, & propria obedientia; at perfecta obedientia se extendit ad omnia licita, etiam sine obligatione: ergo vera, & propria obedientia sine obligatione saluatur.

*Oppones.*

S. Tho.

Respondeo: nomine obedientiæ, vt in illa tria membra diuisæ ab Angelico Doctore, non significari actum obediētiæ specialis virtutis, qui propriè obedientia est; aliàs obedientia indiscreta, quæ est tertiū prædictæ partitionis mēbrum, esset actus obedientiæ specialis, quod admitti non potest, cum non sit actus honestus; sed loqui de obedientia abstrahendo à propria, & impropria. Nec obstat, vocasse obedientiam perfectam, quæ in licitis non præceptis obedit. nam intelligendus est D. Thom. de obedientia perfecta, non perfectione intra lineam propriæ obedientiæ, sed perfectionis virtutis, promptitudinisque ad operandum honestè, in his, quæ licita sunt, & superioris voluntati conformia. Vt si dicatur, perfectam iustitiam remuneratiuam, qualis est diuina, vltra debitum, & condignum remunerare, intelligendum est, non quia in excessu dignitatis meriti saluetur stricta iustitia, sed quia in illo excessu, licet proprietas iustitiæ non sit, est tamen perfectio virtutis. Vel dicatur, voluntatem obediendi superiori in licitis sine obligatione, appellari à D. Tho. obedientiam perfectam, non formaliter, sed arguitiuè: quia nempè ex tali operatione colligitur, subditum sic operantem, cum præcepta seruat, non coactè, aut ex timore pœnæ operari, sed ex amore virtutis.

*Respōdetur.*

79 Ad quartam probationem dicatur; exequentem simplicem voluntatē prælati, non exercere actum obedientiæ proprium, sed largè obedire; constitutiones autem aliquando ad culpam obligant mortalem, aut venialem, aliquādo, ad nihil obligāt, nec ad culpam, nec ad pœnam, & aliquando obligant non ad culpam, sed ad pœnam, vt in nostra Religione contingere, docet D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9. constatque ex prologo nostrarum constitutionum, exequētem constitutiones obligantes ad culpam, certum est, actum obedientiæ exercere, si leges obligātes habeat promotiuo sui actus, ille verò, qui constitutiones, vel statuta simplicia, nullatenus obligantia obseruat, etsi rem statutam, quia statutam exequatur, non exercet actum obedientiæ strictum, sicut

*Ad 4. probationē.*

ſtatutum, quod ſeruat, propriam rationem legis non habet, ſed ſolum largé acceptam obedientiam exercet. Conſtitutiones autem non ad culpam, ſed ad pœnam obligantes, an ſint veré, & proprié, leges, eſt ſub lite Theologorum, quibuſdam negantibus, aliis é contra affirmantibus, & aliis aſſerentibus eſſe proprié leges, quatenus ad pœnam obligant, quia ad illam ſuſtinendam ante, vel poſt latam ſententiam, ligant ſub ditum in conſcientia, prout verò actum immediatum reſpiciunt, non eſſe cum proprietate leges, ſed quaſdam ſimplices ordinationes. Aliis denique docentibus eſſe veré, & proprié leges, quamuis nec ad actum, quem immediatè reſpiciunt, nec ad pœnam ſuſtinendam inducant in conſcientia obligationem, quam litem determinare præſentis loci non eſt: videantur Theologi 1.2.q. 91. & 92. ſi teneamus, leges cum proprietate non eſſe, necillarum obſeruantia erit cum proprietate obedientia: ſi aſſeramus, eſſe leges veré, & proprié obligantes in conſcientia in ordine ad pœnam taxatam, in hac pœna ſuſtinenda vera ratio obedientiæ reperitur.

80 Si denique ſuſtineamus eſſe veré, & proprié leges ſine obligatione ad culpam, ob ſolam obligationem ad pœnam, poſſumus reſpondere dupliciter: primo, negando ſtrictam obedientiam in illarum obſeruantia intercedere; ſed ſolum obedientiã largé acceptam, nec ſufficere pro motiuo propriæ obedientiæ legem, quæ proprié ſit talis, ſed requiri legem obligantem ad culpam, ſicuti ad inobedientiam in rigoroſa acceptione, nõ ſufficit receſſus à lege propria, ſed requiritur receſſus à lege obligante in conſcientia. Et quidem non deſunt, qui doceant, conſilium eſſe actum legis proprié; cum tamen nec in eius obſeruantia, ſtricta obedientia intercedat, nec in recedendo ab illo ſtricta inobedientia inueniatur. Vel ſecundo reſpondere poſſumus: ſicuti de eſſentia legis non eſt, iuxta hanc ſententiam, quod obliget ad culpam determinaté, ſed ad culpam, vel ad pœnam: ita de ratione obedientiæ proprié talis, nõ eſſe legem ad culpam determinaté obligantem reſpicere; ſed legem obligantẽ, vel ad culpam, vel ad pœnam; ac per conſequens obſeruantiam conſtitutionum noſtrarum ſolum obligantium ad pœnam, eſſe cum proprietate obedientiam, & illorum tranſgreſsionem eſſe inobedientiam proprié: quia licet non obtineat rationem culpæ apud Deum, eſt tamen culpa apud homines: ſicut obſequi prælato, ſubdito aliquid præcipienti, non ratione iuriſdictionis ſpiritualis obligantis in conſcientia, ſed ratione iuriſdictionis œconomicæ, & ciuilis, poteſt dici proprié obedire, & prælato ſic præcipienti non obſequi, poteſt dici proprié inobdientia

81 *Si dicas.* Si dicas: ergo ex verbis Scripturæ exprimentibus præceptum Chriſto impoſitum moriendi, non colligitur præceptum cũ obligatione ad culpam, ſed ad culpam, vel ad pœnam, quod eſt contra hucuſque dicta. Patet ſequela; lex obligans ſolum ad pœnam, eſt cum proprietate lex, & motivum propriæ obedientiæ, vt *proximè* dicebamus; ſed verba Scripturæ ſignificantia præceptum, & obedientiam in Chriſto, ſolum petũt in ſenſu proprio explicari: ergo ex illis tantum colligitur, præceptum obligãs, vel ad culpam, vel ad pœnã; non autem præceptum cum obligatione ad culpã. *Reſpõdetur.* Reſpondeo, negando ſequelam: nam cũ lex puré pœnalis obliget ex vi coerciua, & ad ſubditos coercendos, & terrendos ordinetur; Chriſtus autẽ capax legis ſecundum vim coerciuam nõ ſit, eo ipſo quod præceptum Chriſtũ obligans, admittatur, accipiendum eſt cum obligatione ad culpam, non autem ad ſolam pœnam.

82 *Ad 5. antecedentis probationẽ.* Ad quintam antecedentis probationẽ, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; ratio autem diſcrimînis ſumitur ex virtutum obiectis: nam obiectum charitatis eſt Deus, & obiectum miſericordiæ eſt aliena miſeria, in quib⁹ ratio debiti, vel obligationis non importatur; obiectum autẽ, ſeu motivum formale obedientiæ eſt præceptum ſuperioris ad aliquid obligantis; & ideò charitatis, & miſericordiæ actus poſſunt abſque debito exerceri; actus autẽ obedientiæ debitum neceſſario requirit, ſicuti & actus iuſtitiæ, quia reſpicit ius alterius, abſq; debito exerceri nõ poteſt,

vt diximus *Tractatu de Incarnatione.*

*Ad vltimam.* Ad vltimam, nego minorem; actus enim assumptus in argumẽto pertinet ad charitatem, si ex moriuo placendi superiori, & exequendi, quæ illi sunt grata, procedat, vel ad humilitatem, si fiat ex animo se subijciendi superiori, vel ad obseruantiam, quæ superiori debetur, si ex illius excellentia moueatur, non autem ad obedientiam, nisi voluntas superioris præceptiua, & obligatiua sit.

83 *Aliter argumẽto facto occurritur.* Quia tamen sententia docens, saluari cum proprietate obedientiam sine ordine ad proprium præceptum probabilis est, quam nouissimé tenet Illustrissimus Araujo vbi *infra*, ne nostram de præcepto Christo imposito, quæ communis est apud Theologos, ad principia minus communia coarctemus, aliter possumus argumento facto ocurrere, prætermisso antecedenti, negando consequentiam: nam obedientia Christo Domino concessa, debet esse, non solum proprié, sed propriſsime obedientia; licet autem sine præcepto stricto saluari possit cum proprietate obedientia, non autem saluari potest sine rigoroso præcepto propriſsima, & strictiſsima obedientia, quæ vocatur obedientia necessaria, vt est in confesso apud omnes; & ideò ex obedientia Christo in Scriptura cõcessa, rectè intulimus proprium præceptum rigorosum moriendi.

84 *Obedientiã Christi fuisse strictam prob. 1.* Quod autem verba Scripturæ attribuentia Christo obedientiam, accipienda sint de obedientia nedum propria, quæ est obedientia voluntaria, & sine præcepto rigoroso saluatur, sed de obedientia strictiſsima, quæ est obedientia necessaria, & rigorosum præceptum supponit, constat primo: nam contraponit Scriptura obedientiam Christi ad inobedientiam Adami, vt constat ex verbis Pauli, quæ *superiùs* allegauimus; Adami autem inobediẽtia nedum proprié, verum etiam propriſsimé inobedientia fuit contra rigorosum superioris præceptum; & consequenter obedientia Christo attributa est obedientia propriſsima.

*Secũdo.* Secundo: nam si aliquod inconueniens sequitur ex obediẽtia stricta supponente rigorosum præceptum, vt *superiùs* ostendimus, idem etiam ex obedientia minus propria colligitur; at ex obedientia in hac secunda acceptione in sententia Lorcæ, nullum sequitur inconueniens: ergo nec ex obedientia propriſsima; & consequenter in hoc sensũ est accipienda: nam Scripturæ verba non solum in proprio sensu, verum etiam in propriſsimo accipienda sunt, nisi absurdum aliquod inferatur. Maior, in qua sola posita est difficultas, probatur; inconueniens namque, quod sequi, cõtendit Lorca ex obedientia propriſsima in Christo, est, quod liberé non obedijsset; at hoc vel sequitur ex obedientia propria, vel non sequitur ex propriſsima: ergo idem inconueniens colligitur ex vtraq; obediẽtia. Probo minorem: inde probat Lorca ablationem libertatis ex obedientia propriſsima, quia Christus vtpote impeccabilis, est antecedenter impotens ad peccandum; & consequenter etiam habet impotentiam antecedentem ad inobedientiam, obedientiæ strictæ oppositam, cui est annexa malitia, supposito stricto præcepto; sed etiam Christus ratione summæ sanctitatis, est antecedenter impotens ad indecentiam moralem, quamuis non peccaminosam, & hæc est annexa inobedientiæ oppositæ obedientiæ proprié sumptæ: ergo etiam habet impotentiam antecedentem ad inobedientiam oppositam obedientiæ propriæ non supponenti præceptum, si Lorcæ consequentia quid valet; & consequenter vel libertas tollitur ex hac secunda obedientia, vel non tollitur ex prima.

85 *Dices.* Dices, non exequi voluntatem superioris simplicem non obligantem, esse quidem imperfectionem moralem negatiuam, ad quam in Christo non datur impotẽtia antecedens, licet semper perfectiſsimé sit operatus, non tamen esse peccatum, nec aliquam indecentiã inducere, quæ voluntati Christi repugnet: vnde ad extremũ oppositum obedientiæ non supponenti præceptum rigorosum, & proprium, non est in Christo impotentia antecedens, quæ sola cũ libertate incomponitur; bene vero ad extremum oppositum obedientiæ præsupponenti obligationem præcepti, eo quod foret peccatum, ad quod Chri-

ſtus impotens eſt impotentia antecedenti.

86 *Contra.* Sed contra: nam eſto diſcordare à voluntate efficaci Dei claré cognita, moralis malitia non ſit, de quo infra, eſt tamen indecentia moralis, & non ſolũ negatiua imperfectio; at in Chriſto eſt impotentia antecedens, non ſolum ad malitiam moralem, ſed etiam ad moralem indecentiam: ergo eſt impotens impotentia antecedenti ad diſcordandum à voluntate efficaci Dei, ſibi manifeſtata in ſenſu compoſito. Minorem ſuppono ex communi Theologorum ſententia.

*Maior oſtenditur* 1. Maior autem oſtenditur primo: nã voluntas ſuperioris eſt ſufficiens motiuum obedientiæ propriæ; non autẽ voluntas non ſuperioris, vt Lorca fatetur: ergo voluntas ſuperioris, quia ſuperioris, aliquam obligationem inducit in ſubdito ſe conformandi cum illa, quam non inducit voluntas non ſuperioris; aliàs nulla erit ratio, cur hæc, obiectum obedientiæ eſſe nequeat, cumque non ſit obligatio malitiam moralem inducens, erit ſaltim obligatio moralis indecentiæ. *Secũdo.* Secundo: ſubditum non obedire prælato præcipienti ex iuriſdictione, non ſpirituali, ſed œconomica, & quaſi ciuili, non eſt culpa moralis, & tamen eſt moralis indecentia, dignaque reprehenſione. ergo pariter voluntati Dei efficaci manifeſtatæ non conformari, erit moralis indecentia, & reprehenſione dignum.

87 *Tertio.* Tertio: Religioſum non ſeruare regulam ſuarum conſtitutionum, & ſtatuta regulæ, quamuis ad culpam non obligent, imo nec etiam ad pœnam, eſt aliqua indecentia moralis, dignumque reprehenſione, quo circa ſi Chriſtus Dominus hanc regulam fuiſſet profeſſus, eſſet impotens impotentia antecedenti ad regulæ tranſgreſsionem: ergo pariter, in non ſe conformando voluntati ſuperioris, & maximé voluntati efficaci diuinæ claré manifeſtatæ, ſeu in diſcordando ab illa, eſt aliqua indecentia moralis, & reprehẽſionis dignitas. *Vltimo.* Deniq; vt enim docet D. Th. 2. 2. *q.* 104 *art.* 2. voluntas ſuperioris quomodocumque innoteſcat, eſt tacitum, & interpretatiuum præceptũ; at tranſgreſsio præcepti taciti, & interpretatiui, eſto liberetur a malitia morali; à morali tamen indecentia liberari non poteſt; cum præceptum ex ſua ratione obligationem aliquam inducat; & conſequenter præceptum tacitum, & interpretatiuum inducere debet obligationem, ſaltim indecentiæ moralis: ergo diſcordare à voluntate efficaci Dei claré manifeſtata, eſto peccatum non ſit, eſt ad minus moraliter indecens, dignumque reprehenſione; & conſequenter eſt in voluntate Chriſti impotentia antecedens ad non ſe conformandum cum voluntate efficaci Dei ſibi manifeſtata in ſenſu compoſito, & tamen liberé ſe conformauit cum diuina volũtate: ergo pariter, cum impotentia antecedenti ad nõ ſe cõformandum cum præcepto ſtrictè ſũpto in ſenſu compoſito præcepti, ſtare poterit libertas in obedientia ad ſtrictũ, rigoroſumque præceptum, quæ eſt obedientia ſtrictiſsima; ac proinde de hac obedientia explicanda ſunt Scripturæ teſtimonia, in quibus obedientia Chriſti exprimitur.

88 *Vltimo arg. Lorca.* Denique arguit Lorca; Chriſtus nõ fuit capax voti: ergo nec fuit capax præcepti poſitiui ſtricti ipſum obligantis ad culpam; & conſequenter præceptum de morte ſubeunda ſtrictum præceptum non fuit. Antecedens traditur à D. Thom. 2. 2, *quæſt.* 88. *art.* 4. *ad* 3. conſequentia verò probatur: nam iuxta D. Thom. Chriſto non competebat vouere, ſeu incapax voti fuit. Tũ, quia Deus erat. Tùm etiam, quia in quantum homo habebat firmatam voluntatem in bono; ſed quod Chriſtus ſimul eſſet Deus, & homo, & quod in quantum homo haberet voluntatem firmatam in bono, nulla eſt ratio cur inducant incapacitatem, vel inconuenientiam voti, & non inducant incapacitatem, ſeu incongruentiam præcepti: ergo ſi ob iſtas rationes fuit Chriſtus incapax voti, vel nõ fuit congruũ vouere, ob eaſdem fuit incapax præcepti poſitiui ſtricti, vel ſaltim incongruum fuit, vt præceptum ſtrictum poſitivum haberet.

89 *Prima ſolutio.* Huic argumento dupliciter ſolet occurri, primo negando antecedens; Chriſtus enim non ſolum fuit capax voti, ſed etiam de facto vouit, vt conſtat

ex

ex Psalm. 65. vbi secundum Glossam, ex persona Christi dicitur: *Vota mea domino reddam in conspectu timentium eum*; quod videtur admisisse D. Thom. ad illud Psalm. 21 *Vota mea Domino reddã*, vbi sic habet: *Votum Christi fuit vt se daret pro salute fidelium; ipse enim illud vouit, in quantum homo. Psalm. 39. vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, hæc vota soluit Christus dando se ad passionem, & iterum quando dedit corpus suum in cibum fidelium, vnde dicit vota, ideſt, sacrificia reddam.* Hæc D. Th. quibus non solum capacitatem vouendi innuere videtur in Christo, sed etiam de facto vouisse. Ita Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3.* Et Silvius *2.2. dicta q. 88. in Commentar. art. 4.* vbi D. T. negantẽ Christum, votum aliquod emisisse, explicat, non quia absoluté votũ relegetab illo, sed votum factum ex ea causa, qua homines vota emittũt, nẽpé, ex necessitate firmandi voluntatẽ in bono, quæ necessitas Christo non competit.

Glossa super Psal. 65. S. Tho. super Psal. 21. Suar. Silvius.

Secũda solutio. Secũda, & verior solutio, antecedẽs concedit, & negat consequentiam; eo quod votum per se primo ordinatur ad firmandã voluntatẽ in bono; ac proinde hoc fine cessante, qualiter cessauit in Christo, non adest voti necessitas, nec congruitas vouendi; finis autẽ præcepti, non est voluntatem suoditi magis in bono firmare, sed quod superiori obediat, & illius obedi ẽtiam recognoscat; & ideò Christus, vt homo, fuit capax stricti præcepti, non autẽ fuit capax voti: ita Mag. Soto *lib. 7. de iustitia q. 2. art. 2.* Raphael de la Torre *2.2. q. 88. art. 4. disp. vlt.* S. Thomã *ibi disp. 29 art. 3.* & Illustrissimus Arauio *in præsenti dub. 3. ad 2. Lorcæ argum.* Nec D. Th. oppositum docuit *super Psalm. 21.* nam ibi nomine voti intelligit propositum operã di iuxta voluntatem, & præceptum diuinum.

M. Sot. Raph. de la Tor S. Thõ. Arauio.

90 Oppones 1.

Sed oppones primo: Christus fuit capax iurandi, imo & de facto iurasse, cum Latroni Paradysum promisit, sentiunt aliqui, inferuntque ex illis verbis: *Amen, amen dico tibi*, vbi repetitum *Amen* iuramẽtum videtur innuere: ergo etiã fuit capax voti. Secundo: præceptum respectu nostri ordinatur ad firmandam nostram volũtatem in bono, & vt superiori obediẽtiam exhibeam; & tamen in Christo est capacitas subiectionis ad præceptum, non ex primo, sed ex secũdo fine: ergo pariter tametsi votum in nobis pro fine habeat firmare voluntatem in bono, poterit admitti in Christo, non ex isto fine, sed ex alio, nẽpé, vt Deo cultum tribuat, qui reperitur in voto. Tertio, quia præcepto cõuenit, non solum vis coerciua, sed etiã vis directiua, & est in Christo capacitas directionis, potest subijci præcepto, quamuis subijci non possit vi coerciuæ præcepti; sed etiam reperitur in voto vis firmandi voluntatem, & insuper vis dirigendi; sicut enim lex rem præceptam constituit intra obiectum obedientiæ: ita votum rem promissam cõstituit intra obiectum religionis: ergo cum in capacitate recipiendi firmitatem ex voto, erit in Christo capacitas ad vouendum ratione capacitatis, vt per votum dirigatur.

Secundo. Tertio.

Quarto: nam votum, non solum ordinatur ad firmandã voluntatem in bono, sed etiam ad cultũ Dei; sed in Christo fuit capacitas ad cultum Deo, vt excellẽti exhibendum: ergo est capacitas voti. Denique: nam voluntas semel in bono firmata; potest ex alio capite in eodem bono firmari; sicuti, & impeccabilitas Christo competens ex vnione, eidem ex alio capite competit, nempé, ex visione beatifica: ergo licet Christus firmatam habeat suam voluntatem in bono antecedẽter ad votum, poterit de nouo ex vi voti in eodem bono firmari.

91 Quarto. Vltimo

Hæc aposui nõ tam in fauorem Lorcæ, & contra nostram sentẽtiam, quam vt obiter explicemus, cur Christus capax vouendi non fuit; potest tamen aliter argumentum proponi, vt militet cõtra dicta: nam licet voto conueniat vis directiua ad actum religionis exercendum, cultumq; exhibendum Deo, non fuit in Christo capacitas ad vouẽdum; quia habebat firmatã voluntatem in bono: ergo licet præceptum habeat vim dirigendi ad actum obedientiæ eliciendum, quia tamen Christus voluntatem habebat firmiter bono adhærentem, & ab illo indefectibilem, non fuit in illo capacitas directionis per præceptum.

92 *Respõdetur ad 1. instãtiã.*

Respondeo ad primam instantiam, prætermisso antecedenti, de capacitate iurandi, negãdo consequentiã. Ratio autem discriminis est: nam primarius finis iuramenti, est, apud alios dicti proprij veritatem confirmare; & quia licet Christus, nec fallere, nec falli in se posset, & hoc capite iuramento non indigeret; alij tamen non ita firmiter dictis à Christo adhærebant, vt apud ipsos sua dicta confirmaret, vti poterat iuramento; finis autem primarius voti est, volũtatem vouentis in bono firmare; Christus autem ratione sui habebat voluntatem in bono firmatam, & idcirco capax vouendi non fuit; an autem aliquando iurauerit, quæstionis est inter Theologos, negat Soto *lib. 8. de iustitia q. 1. art. 2.* affirmat Suarez *tom. 2. de Religione lib. 1. de iuramento cap. 14. num. 7.* deducitque ex D. Thom. *Ioannis 8. lect. 4.* verum ibi D. Thom non concedit iuramentum, sed quasi iuramentũ in Christo. Deducit secundo ex Hieronymo in vltimis verbis epistolæ Pauli ad Galatas, vbi ait: *Quomodo in veteri testamento quadam iurandi consuetudine Deus sua verba confirmat, dicens, viuo ego: ita & Saluator noster in Euangelio per verbum, Amen, vera esse, quæ loquitur ostendit.* Sed nec ex his verbis Christũ propriè iurasse deducitur. Tùm, quia iuramentum Dei in veteri testamento, cui Christi attestationem æquiparat, propriè iuramentum non erat; cum Deus iuramenti sit incapax, vt pote actus religionis superiorem respicientis, cuius est incapax Deus; cum superiorem non habeat. Tùm etiam, quia similitudinem Christi cum Deo non constituit in iurando, sed in ostendendo veritatem loquutionis, quam Deus in veteri testamento ostendebat per hæc verba: *Viuo Ego*, & Christus hoc nomine, *Amen*: ac proinde, etsi Deus propriè iurasset, nõ liceret ex verbis Hieronymi inferre, Christum etiam cum proprietate iurasse. Ac tandem alijs vtitur coniecturis, quibus tamen nihil meo iudicio cõcludit. Nihilominus admisso, Christũ fuisse iuramenti proprij capacem, dicendũ censeo, quod aliquando iurauerit; eo enim ipso, quod hæc capacitas semel cõcedatur Christo, nulla est in iuramento cum ipso comparato inhonestas, vel indecentia; & aliàs, est honestas religionis ab alijs specificè distincta: ergo de facto est in Christo constituenda, ne aliqua honestate morali, ad quam erat anima Christi in potentia, caruerit

*Soto. Suar.*

S. Tho.

*S. Hier. Ad Galat. 3.*

Ad secundam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: & ratio discriminis est: nam exhibere obedientiam superiori, non supponit necessario firmitatem voluntatis proueniẽtem ex præcepto; & ideò potest præceptum ad hoc secundum respectu Christi ordinari; cum incapacitate ad recipiendam firmitatem ex præcepto; cæterum cultus Deo per votum exhibendus, necessario præsupponit firmitatem voluntatis in bono, prouenientem ex voto vouenti; ac per consequens subiectum incapax recipiendi hanc firmitatem, est etiam incapax cultus Dei conuententis voto. Et ex his ad tertiam, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: & ratio discriminis est: nã directio per præceptum non supponit necessario respectu subiecti directi exercitium vis coerciuæ; superior namque propriis legibus tenetur quoad vim directiuam, quin vi coerciuæ suarum legum subijciatur; & ideo stat capacitas directionis per præceptum, cum repugnantia subiectionis ad vim coerciuam eiusdem; directio tamen per votum, firmitatem voluntatis ex voto prouenientem, necessario præsupponit, ob rationem mox tradendã; & ideò subiectum incapax recipiendi firmitatem ex voto, est etiam incapax directionis ex illo.

93 *Ad secũdam.*

*Ad tertiam.*

Et ex his constat ad quartam obiectionem solutio: nam cultus Deo per votum exhibendus, effectum firmitatis in bono à voto prouenientem supponit; ac proinde hoc sublato, non adest locus cultui prouenienti ex voto. Ad quintam, nego antecedens: nam sicut voluntatem ad actum facilitari, difficultatem supponit; quo circa intellectui, & voluntati Dei, habitus denegamus, quia nulla difficultas per habitum vincenda in illis potest supponi; & sicut potentiã determinari, necessario supponit indifferentiam in ipsa: vnde, quæ de se determinata ab intrinseco supponitur, nõ potest dici de nouo determinari: ita volun

94 *Ad quartam.*

*Ad quintam.*

tatem

tatem firmari, negationem firmitatis, vel voluntatem non firmatam præsupponit: ac per consequens voluntas ab intrinseco in bono firmata, non potest de nouo per aliquid in bono firmari; nec est eadem ratio de impeccabilitate Christi; quia non est de ratione dantis impotentiam ad peccandum, potentiam ad peccandum expeditam præsupponere, sed tantum de ratione primo dantis hac impotentiam; vnde adhuc præsuppositа hac impotentia peccandi prouenientе ex vnione humanitatis ad Verbum, potest illi aliud caput impotentiæ ad peccandum adiungi ratione visionis beatificæ.

95 *Ad argumentum ergo respõdetur.*

Ad argumentum autem quatenus in fauorem Lorcæ, & contra resolutionem nostram dirigitur, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autē discriminis constat ex dictis; nam præceptum non ordinatur ad firmandam voluntatem, sed ad illam dirigendam, vt ex obedientia operetur: vnde quamuis voluntas Christi firma in bono supponatur, quia ex hoc, directio vt operetur ex obedientia non tollitur, non est incapax præcepti; votum autē esto dirigat, vt voluntas ex religione operetur, & cultum exhibeat Deo, primo, & per se ordinatur ad firmitatem in bono præstandam: vnde voluntas, quæ firma supponitur, capax vouendi non est; rationem autem, cur votum ad hoc ordinetur, dedit D. Thom. 2.2.q.88.art.4. *in corpore* nam votum est promissio Deo facta; de ratione autem promissionis est inutilitatem, vel illius, quæ fit, vel promittentis, ordinari: promissio facta homini, est in eius vtilitatem, cui vtilis est res promissa, & prius certificari debet in vi promissionis de illius exhibitione; promissio autem facta Deo, in illius vtilitatem nō cedit, nec ratione rei promissæ, quatenus exhibendæ ipsi, cui ex illa nihil accrescit, nec ratione certificationis, quia à nobis certificari non indiget, sed solum ordinatur ad promittentis vtilitatem, inquantum vouendo, propriam voluntatem firmat in id, quod expedit facere: vnde sicut, cessante fine promissionis homini, inutilis foret promissio, ita cessante fine promissionis Deo, ratione firmitatis in bono iam præsuppositæ, qualiter cessauit in Christo, omnino inutile erit aliquid promittere Deo.

96 *Insurges primo.*

Duo tamen difficultatem ingerunt cōtra discursum Angelici Præceptoris Primum: nam estò res promissa non sit vtilis Deo stricta vtilitate; est tamen vtilis largè, quatenus cedit in illius gloriā, & honorem: cur ergo non erit sufficiēs vtilitas sic accepta ad vtiliter Deo promittendum, sicuti etiam est sufficiens, vt Deo bona extrinseca per amorem beneuolentiæ velimus? Secundum est: nā promissio Deo facta, est cultus formalis Dei, cum sit actus religionis, vt docet D. Thomas 2.2.q.88.art.5. sed Deum colere, illique reuerentiam, & honorem exhibere, valdè vtile nobis est. ergo ex fine huius vtilitatis prouenientis homini ex cultu, etiam cessante fine firmandi propriam voluntatem in bono, poterit exerceri promissio.

*Secundo*

97 *Respõdetur ad primum*

Respondeo ad primum: vtilitatem non strictam, si quam Deus ex nostris obsequijs accipit, sufficiēter haberi per propositum efficax obsequendi, vel aliquid in Dei obsequium efficiendi; promissio autem est à proposito voluntatis distincta, & prout ab illo distinguitur, non potest in talem vtilitatem, qualiscumque sit conducere, nisi voluntatem creatam in proposito firmando: vnde, hoc ablato, ad nihil promissio, vt à proposito differt, requiritur. Ad secundum dicatur, rationem cultus in promissione fundatam, naturam promissionis supponere: ac proinde necessario supponit, quod voluntatem circa bonum immobilitet, et si hoc non præstet promissio, Deum per illam non colli, sicut quia iuramentum ex natura sua ordinatur ad veritatē dicentis, in animo audientium firmandam, vbi hoc fine careret, Deus iuramēto non colleretur: vnde sicut iuramentū non potest, ex eo solo fine fieri, quod Deus illo collatur, nisi confirmata veritas supponatur per illud: ita votum emitti non potest solū ex fine collendi Deū, nisi supponatur præstare voluntati firmitatem, ad quam ordinatur ex natura promissionis.

*Ad secūdum.*

***

## §. V.

### *Refertur, & refutatur secundus modus dicendi.*

98 *Secunda solutio rationis dubitãdi.*

SECVNDA solutio rationis dubitãdi, & secundus modus conciliandi libertatem, & meritum Christi cum illius impeccabilitate in operibus præceptis, est, præceptum Christo impositum, solum fuisse de moriendo quoad substantiam, non autem quoad circunstantias; ac per cõsequens quoad istas mansisse liberum, & per mortis acceptationem quoad circunstantias meruisse, quin ex hoc colligatur, quod potuerit peccare, quia substantiam mortis præceptæ non potuit non acceptare, sed solum quoad circunstantias, quæ sub præcepto non erant. Hunc modum dicendi sequuntur Fonseca *lib. 6. Metaphysicæ cap. 2. q. 5. sect. 12.* Valentia *in hac quæst. punct. 2.* Vazquez *disp. 74. cap. 5.* Monceus *disp. 9. cap. 10.* Alijque Recentiores, ex quibus aliqui circunstantiam finis, alij actꝰ intensionem, alij circunstantiam temporis, alij omnes istas circunstantias excludunt à præcepto impositio Christo. His proximè accessit ex Nostris Illustrissimus Araujo *in præsenti art. 3. dubio. 3.* qui ea solum ratione saluat libertatem Christi in acceptãda morte sibi præcepta, quia liberum fuit ei, isto, aut illo affectu in singulari acceptare, vel non acceptare mortem, vtpotè, quia affectus in singulari, determinatus non fuit per præceptum.

*Fonseca Valẽtia Vazq̃z Monceꝰ*

*Aranjo.*

99 *Cõtra 1.*

Hic tamen dicẽdi modus displicet cõmuniter nostris Thomistis: & reijcitur primo ex illo Ioannis c. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quibꝰ verbis denotatur non solam substãtiam operis, sed etiam modum ex circunstantijs desumptũ, sub præcepto Patris fuisse. Secundo: nam Christus mortuus fuit ex perfectissima obedientia; sed perfectior est obedientia, quæ opꝰ quoad substantiam, & circunstantias præceptum supponit, quam illa, quæ præsupponit præceptam substantiam operis: ergo mors fuit Christo præcepta, nedũ quoad substantiã, verũ etiam quoad omnes circunstantias. Minor est certa: nam obedientia innititur præcepto tanquam rationi formali obiectiuæ; sed præceptum non solum substantiam operis, sed etiã omnes circunstantias præscribens, perfectius est in ratione præcepti: ergo obedientia ad præceptum substantiæ, & circunstantiarum, perfectior est actu obediendi præcepto solius substantiæ operis. Maior autem constat: nam ea, quæ Christo concedimus, sunt constituenda in ipso cum omni perfectione possibili: ergo obedientia Christi in moriendo, fuit perfectissima obedientia.

*Secũdo.*

100 *Si dicas*

Si dicas, esse concedendam Christo perfectissimam obedientiam, conseruata libertate in moriendo; hæc autem seruari nequit, si mors supponatur præcepta quoad substantiam, & omnes circunstãtias; & ideo gradum istum perfectionis extensiuæ, obedientia Christi non attingit. In contrarium obstant ea, quibus §. 1. monstrauimus, præceptum habens pro materia actum liberum, non posse illius libertatem destruere: ergo etiam, si præscribat omnes mortis circũstantias, libertatẽ Christi in acceptanda morte nõ aufert; & cõsequẽter ob incõueniens libertatis auferendæ, non est Christo deneganda illa maior obediẽtiæ perfectio.

*Contra.*

101 *Tertio.*

Tertio: nam sequitur, Christum nõ meruisse nostram redemptionem, nec sui nominis exaltationem, per actum obedientiæ formaliter; cõsequẽs est falsum, & contra illud Pauli ad Philippenses 2. *Factus obediens vsque ad mortẽ, propter quod Deus exaltauit illum, &c.* ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur sequela, libertas namque est fundamentum ad meritum: ergo ea ratione actus est meritorius, qua liber; sed non fuit liber Christus in obediendo formaliter, sed tantum in obediendo, vel in mortẽ acceptando, ex hoc vel illo motiuo, cũ hac, aut illa intensione, vel cum alijs circunstantijs: ergo non meruit per obedientiam formaliter, sed solum per obedientiam ex hoc, vel illo motiuo, hac, vel illa circunstantia. Probatur minor,

liber-

libertas enim consistit in indifferentia ad extrema contrarie, vel contradictorie opposita: ergo libertas in obediendo formaliter, consistit in indifferentia ad obediendum, & non obediendum; sed Christus non fuit indifferens ad obediendum, & non obediendum præcepto, ad acceptandam, & non acceptandā mortē, sed ad obediendū, & acceptandam mortem ex hoc motiuo, & ad non obediendum, & acceptandam mortem ex illo, vel alijs circunstantijs: ergo non fuit liber in obediendo, & acceptanda morte formaliter, sed solum in obedientia, & mortis acceptatione, ex hoc, vel illo motiuo, hac, vel illa circunstantia.

102 *Respōdebis ex Vazq̃*

Respondebis ex doctrina Vazquez *vbi proximè num. 29.* eo ipso quod motiuum actus varietur, substantialiter actum variari; ac per consequens libertas in acceptāda morte ex hoc, vel illo motiuo, totam substantiam actus acceptandi mortem liberam reddit, atque adeò meritoriam. Sed contra: nam licet tota actus substantia libera reddatur ex libertate motiui quasi cathegorematicé, & materialiter, non tamen redditur libera tota, & totaliter, hoc est, ex omni capite libera, nec reduplicatiué secundum prædicatum commune acceptationis mortis vt sic: ergo licet tota actus substantia materialiter meritoria reddatur, & cathegorematicé, non tamen reduplicatiué, & totaliter; at ad saluanda verba Pauli cum proprietate, quam petunt, talem debemus in ipsius obedientia, & mortis acceptatione adstruere libertatē, vt verum sit affimare, per obedientiam ex conceptu obedientię meruisse formaliter, & non solum materialiter: ergo asserendum est, fuisse obedientiam Christi, non solum materialiter liberam, sed etiam sub conceptu obedientiæ reduplicatiué, & formaliter. Minor patet: nā propositio causalis reduplicat formaliter prædicatum, supra quod cadit causalitas, vt in hac: *quia aliquid est rationale, est risibile*, fit reduplicatio rationalitatis formaliter; sed iuxta Paulum, quia Christus obediens fuit vsque ad mortē meruit nominis exaltationem: ergo meruit per obedientiam ex ratione obedientiæ formaliter; & consequenter nō solum specificatiué, & materialiter, sed reduplicatiué, & formaliter fuit libera obedientia Christi Domini.

*Contra.*

103 *Augetur difficultas.*

Et augetur difficultas: voluntas nāque physicé necessitata ad amandum v. c. Deum, & solum libera ad illum ex hoc vel illo affectu diligendum, non diceretur propriè merens, quia diligens Deum, sed quia hoc affectu diligens; & similiter, quia Petrus est necessitatus physicé ad existendum in loco, & solum est indifferens ad existendum in hoc, vel in illo loco, nō poterit propriè dici, quod libere sit in loco, vel quod mereatur, quia in aliquo loco existēs, sed quia existēs in hoc, vel in illo loco: ergo si volūtas Christi fuit necessitata physice ad obediēdū prę cepto, & ad mortē acceptādā, & solum libera fuit ad obediendum præcepto, & mortem acceptandam ex hoc, vel illo motiuo, non poterit propriè dici meruisse, quia fuit obediens, vel quia mortem acceptauit, sed quia obediuit, vel quia mortem acceptauit ex hoc, aut illo motiuo, cum hac, vel illa intensione, in hoc, aut in illo loco, vel in alijs circunstantijs.

104 *Quarto reijcitur iste modus dicē di.*

Quarto reijcitur: nam sequitur ex hoc modo dicendi, actum exteriorem sustinendi mortem in Christo, non fuisse liberum, nisi tantum obiectiué; consequens est falsum: ergo & modus iste dicendi. Falsitas consequentis ex se manifesta videtur: nam quod est tantum liberum obiectiué, non est meritorium formaliter, etiam denominatiué ab actu voluntatis interiori, vt constat in Deo, vt est nostræ charitatis obiectum, qui non potest dici per modum actus formaliter meritorius quia solum obiectiue ad actum charitatis comparatur; constat etiam in motu cordis terminante volūtatis affectum, qui formaliter meritorius non est, eo quod nō est liber subiectiué, sed tantum obiectiué; at mors Christi prout in fieri, fuit formaliter meritoria, vt fatentur omnes Theologi, alias non aliter meritoria extitisset, quam mors vt in facto esse, & pectoris appertio post mortem, quod est contra omnes Theologos: ergo consequens est falsum. Sequela autem probatur: quod est necessarium omnino, non potest esse liberum, nisi tantum obiectiué, vt constat in motu cordis, & alijs actionibus naturalibus,

quæ,

quæ, quia sunt actiones necessariæ, non possūt esse liberæ formaliter per extrinsecam denominationem ab actu interiori voluntatis, sed solum obiectiué, quatenus voluntas potest prædictas actiones velle; sed iuxta hanc sententiam, supposito præcepto Christo imposito moriendi, sustinentia exterior mortis fuit omnino necessaria ratione impeccabilitatis ergo non fuit, nec potuit esse libera, nisi tantum obiectiué.

105 *Respõdebis primo.* Respondebis primo, libertatem, & meritum non conuenire actioni exteriori intrinsecè, sed tantum extrinsecè ab actu interiori voluntatis intrinsecè libero, & meritorio; vnde cum acceptatio mortis libera fuerit propter indifferentiam, ratione circunstantiarum; fit, vt etiam actus exterior moriendi fuerit meritorius, & liber formaliter denominatione sumpta à libera acceptatione.

106 *Contra.* Sed contra, vt enim actus exterior ab actu interiori subeat denominationē meritorij, & liberi formaliter, & non tãtum obiectiue, debet subijci imperio actus interioris, quoad esse, & non tantum quoad extrinsecam denominationem voliti ex hoc, aut illo motiuo, tanta, vel tanta intensione; aliàs nullus actus necessarius exterior esset incapax denominationis liberi, & meritorij formaliter; sed exterior mortis passio, supposito præcepto, non manet subdita imperio actus interioris quoad esse, sed tantum quoad denominationē volitæ ex hoc, aut illo motiuo; cum iuxta modum istũ dicendi, Christus, præcepto supposito, ita fuerit ad moriendum necessitatus, vt non potuerit non mori: ergo ab actu interiori voluntatis non potest accipere denominationem liberæ, & meritoriæ formaliter, sed tantum modo obiectiue.

107 *Respõdebis. 2.* Respondebis secundo, non solum actum interiorem acceptandi mortem, fuisse Christo liberum quoad substantiam, sed etiam exteriorem mortis tollerantiam, eo quod Christo non fuit impositum præceptum sustinendi mortē tempore determinato, sed in hoc, vel illo tempore; ex variatione autem temporis, ipsa exterior passio substantialiter variatur: ac proinde, cum exterior passio mortis fuerit libera quoad temporis circunstantiam, fuit etiam libera quoad substantiam, & ex consequenti meritoria formaliter. Sed contra primo: nam Auctores huius modi dicendi, inde probant, non fuisse præceptum Christo impositũ de hoc, aut illo motiuo, de hac, vel illa intensione, nec de indiuiduatione affectus, quia præcepta, vt communiter imponuntur alijs hominibus, nihil istorum determinate præscribunt, sed arbitrio libero voluntatis relinquunt: at præcepta, prout regulariter imponũtur determinant temporis circunstantiam: nam si negatiua sunt, obligant semper, & pro semper; si vero sunt positiua, pro determinato tempore obligant, vt constat discurrendo per omnia præcepta legis naturalis, diuinæ, vel positiuæ: ergo vt consequenter loquantur, fateri tenentur, fuisse Christo præceptam circunstantiam temporis moriendi. Secundo: nã Christum fuisse libere mortuum, est de fide; & tamen incertum est, an pati mortem distulerit vsque ad tempus vltimũ, in quo instabat præceptum moriendi: ergo cum obligatione præcepti quoad tempus determinatum moriendi, componi debet libertas.

*Cõtra 1.*

*Secundo*

108 *Tertio* Tertio: contra hanc solutionem instat tertium argumentum, quod superiùs obijciebamus; hæc enim propositio: *Quia Christus sustinuit mortem, meruit redemptionem hominum*, debet in sensu proprio saluari; at per libertatem Passionis, & mortis Christi quoad temporis circunstantias, non saluatur cum proprietate: ergo exterior passio Christi nedum quoad temporis circunstantiam; sed etiam absolutè fuit libera, & Christi voluntati subiecta. Maior constat ex illo Isaiæ 52. cap. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, ideſt: *Si mortem pro hominibus sustinuerit, illos à peccato redimet*, quæ propositio; cum conditionalis sit, sub conditione meritoriè inferente consequens in illa contentum, transit in causalem absolutam, purificata conditione: at cõditio illa purificata fuit; siquidem Christus mortē pro peccato sustinuit: ergo hæc propositio vera est, & in sensu proprio admittenda: *Quia posuit pro peccato animam suam*, ideſt: *quia sustinuit mortē, homines à peccato redemit, & illorum*

redemp-

*redemptionem meruit*. Minor autē ostenditur primo: ea ratione Christus sustinēdo mortem meruit, quia libere illā sustinuit; sed cum libertate solum quoad tēporis circunstantiam, non est verum cū proprietate dicere, quod sustinuit mortem libere: ergo nec est verum, cum proprietate dicere, Christum per mortem, vel quia mortuus est, meruisse. Secundo: homo condemnatus ad mortem necessario sustinendam, cuius electioni, & arbitrio, modus mortis est relictus, nempé, gladio, præcipitio, aut patibulo, esto posset dici cum proprietate de illo, libere, & meritorié sustinere mortē quoad modum determinatum moriendi, non tamen posset cum proprietate dici absolutè mori libere, & meritorié: ergo si Christus fuit necessitatus physicé ad moriendum absolute, & solum fuit liber in moriendo hoc tempore, aut illo, etsi possit proprie dici, mortuū fuisse in hoc determinato tēpore liberé, & meritorié, & per tēporis circūstantiā meruisse; non tamē potest cū proprietate enūtiari, quia sustinuit mortem libere, aut quia sustinuit mortē, absolute meruisse.

*Minor ostenditur 1.*

109 *Secundo*

Tertio: si supposita electione ad gloriam aliquorum hominum vage, Christus Dominꝰ mereretur, vt isti præalijs eligerentur, non posset cum proprietate dici, Christum meruisse hominum electionem ad gloriam, sed tantū quod meruisset electionem horum præalijs: ergo si ex vi præcepti diuini supponitur mors Christi, vt necessario futura, & solum illius arbitrio relinquitur, mori hoc tempore, aut illo, poterit quidē cum proprietate saluari, quod meruit, moriendo in hoc tempore, præalio, nō autem quod moriendo, vel mortem sustinendo, vel per mortem absolutè meruerit. Denique, & explicatur magis hoc ipsum: nam in sententia probabili Theologorum asserente Antiquos PP. meruisse Incarnationem Christi solum quoad circunstantiam temporis, vel illius accelerationem, non potest cū proprietate dici, meruisse substātiam Incarnationis: quia hæc supponebatur futura independenter à meritis; sed substantia mortis Christi supponitur futura ex vi præcepti moriendi: ergo, quamuis Christus fuerit liber quoad circunstantiā temporis, & illius anticipationem, & per talem circunstantiam meruerit, non tamē potest cum proprietate dici, quod libere mortuus fuerit, & quod sustinendo mortem quoad substantiam meruerit.

110 *Tertio.*

*Vltimo.*

Respondebis, negando consequentiam, eo quod in communi modo loquendi, illud dicimur quoad substantiā mereri, quod meremur quantum ad primum decretum, non quod iam prædefinitum meremur, quod hoc, vel illo tēpore executioni mandetur: cōtra verò, tunc in communi modo loquendi, dicimur per substantiam mortis mereri, quando per anticipacionem temporis mortem libere subimus, & huius diuersi modi loquendi fundamentum est: nam cum mors absolute necessario sit futura, solum potest nostræ libertati subesse quoad anticipationē temporis; ac proinde tunc absolutè dicitur libera, cum hæc anticipatio libera est; ea vero, quæ Deus decernit, possumus causare moraliter meritorié, non solum quoad temporis circunstantiam, sed etiam quoad primum decretum; & ideò cum hoc supponitur, & solum temporis circunstantiam, vel accelerationem meremur, dicitur absolutè, quod rei substantiam meremur.

111 *Respondebis.*

Sed contra primo: nam sequitur ex hac solutione, id quod est necessarium omnino, posse absolute liberū dici, per hoc quod obiectiué tātùm sit liberum; consequens est falsum: ergo & solutio. Patet sequela: mors liberé anticipata, ideo iuxta hanc solutionem absolutè dicitur libera, quia solum quoad anticipationem potest libertatem habere; sed id quod est necessarium omnibus modis, solum potest esse liberum obiectiué: ergo per hoc, quod sit liberū obiectiué, dicetur liberum absolute. Secundo: nā esto mors naturalis ineuitabilis sit; mors tamen ab extrinseco inferēda, non est nobis necessaria, nec fuit necessaria Christo, nisi solū ratione decreti Dei, quo statuit, vt Christus sic moreretur: ergo ex libertate quoad circunstantiam temporis in patiendo, non potest in communi modo, & proprio loquendo dici, Christum voluntarié mortem violentam sustinuisse. Tertio: nam sequitur, posse cū proprietate dici, mihi esse liberum, esse

112 *Cōtra 1.*

*Secūdo.*

*Tertio.*

in

in loco absolutè, & quia sum in loco mereri; consequens est falsum; cum nemo hucusque hoc dixerit, nec fuerit isto modo loquutus: ergo & doctrina solutionis traditæ. Patet sequela: ideò iuxta hanc solutionem libertas in anticipāda morte sufficit, vt quis dicatur liberè absolutè mori, quia solū isto modo potest esse liberum mori, sed etiam esse in loco solum potest esse liberum quoad hunc, vel quoad illum locum, nō autem quoad locum vagè: ergo per libertatem essendi in hoc, aut illo loco determinatè, dicetur absolutè liberum esse in loco.

113 *Sētētia Illustrissimi Arauio impugnatur.*

Deinde impugno sententiam Illustrissimi Arauio quoad id, in quo recedit ab Auctoribus huius modi dicendi; non stat necessitas ex præcepto acceptationis mortis, quātum ad omnes suas circunstantias, sine necessitate ad indiuiduationem actus acceptandi mortem: ergo admissa prima necessitate, parum consequenter negat fuisse Christū necessitatum ad indiuiduationem actº, quo acceptauit mortem. Probo antecedens: indiuiduatio actus sumitur à collectione omnium circūstantiarum: ergo non stat necessitas omnium circūstatiarum sine necessitate ad indiuiduationem, & entitatem actus.

114 *Respōd. Arauio.*

Respondet Illustrissimus Arauio, quod licet indiuiduatio actus connaturaliter extra causas nequat constitui sine illis circunstantijs, præceptum tamen potest circunstantias determinare, quin determinet indiuiduationem intrinsecam actus, vtpote, quæ ab illis distinguitur: ac per consequens potest saluari libertas indiuiduationis actus, cum necessitate ex præcepto ad collectionem omnium circunstantiarum.

*Cōtra 1.*

Sed cōtra primo: nam indiuiduatio actus taliter sequitur ad collectionē omnium circunstantiarum, vt implicet alius numero distinctus sub prædicta collectione: ergo, quamuis indiuiduatio actus sit à collectione circunstantiarum distincta, non stat necessitas ex præcepto ad collectionem omnium circunstantiarum absque necessitate ad indiuiduationē actus.

*Secūdo.*

Secundo: etiam si perfectio specifica actus distinguatur ab obiecto, & motiuo, non stat necessitas ex præcepto ad obiectum, & motivum cum libertate ad actum sumptum specificè, quo circa vt prædictus Mag. fatetur, acceptatio mortis quoad suam rationem specificam, libera Christo non fuit, quia fuit illi ex vi præcepti præscriptum obiectum, & motivum moriendi, ex quibus specifica perfectio actus interioris sumitur; sed etiam indiuiduatio actus interioris voluntatis sumitur ex collectione suarum circunstantiarum: ergo, licet distinguatur ab illis, non stabit necessitas ex præcepto ad collectionem omnium circunstantiarum cum libertate ad indiuiduationem actus.

115 *Tertio, et principaliter.*

Tertio principaliter reijcitur: libertas sola quoad indiuiduationem actus interioris, quo Christus acceptauit mortem, non est sufficiens fundare laudabilitatem, & meritum; sed libertas Christi in moriendo fuit meritoria, & laudabilis: ergo inepté constituitur in sola indifferentia quoad indiuiduationem affectus interioris voluntatis. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: sola libertas ad actus inæquales in perfectione morali, sufficit fundare laudabilitatem, & meritum; sed libertas tātum ad indiuiduationem non est libertas ad actus inæquales in morali bonitate: ergo hæc libertas non sufficit fundare laudabilitatem, & meritum. Minor constat: nam duo actus solo numero distincti, nō possunt esse inæquales ex obiecto, nec etiam ex intēsione; cum hæc inter circunstantias, quæ supponuntur necessariæ, contineatur. Maior autem probatur in hunc modum: si quis enim debeat centum, nihil laudis, aut præmij mereri potest per hoc, quod hæc centū reddat præ alijs, inter quæ nullus reperitur excessus: ergo necessitatus ad amandum, v.c. Deum, ex sola libertate ad affectus omninò æquales in morali perfectione, nec præmium mereri potest, nec laudem.

116 *Vltimo.*

Denique reijcitur: exinde namque mouetur, vt neget præceptum Christo impositum quoad indiuiduationem voluntatis moriendi, quia præcepta nobis imposita, numquam determinant affectum in singulari; at hæc ratio nulla est: ergo nō est prædictæ doctrinæ acquiescendum. Probo minorem ad hominē:

nam

nam præcepta nobis imposita non determinant omnes circunstantias actus, v.c. quod adimpleatur præceptum cum tanta, aut maiori intensione, ex hoc, vel illo motiuo; & tamen iuxta hunc Magistrum, præceptum Christo impositũ moriendi omnes circunstãtias præscripsit: ergo ex eo quod præcepta nobis imposita non determinent affectum in singulari, inconsequenter ad propriam doctrinam infert, idem concedendum esse de præcepto imposito Christo

117 *Arg. 1. pro isto modo dicendi.* Et ex his facile occurritur fundamẽtis contrariorum. Arguunt primo, ex D. Tho. *q. 29. de Veritate art. 6. ad 1.* illis verbis: *Dicendum, quod licet anima Christi esset determinata ad vnum secundum genus moris, scilicet, ad bonum, non tamen erat determinata ad vnum simpliciter; poterat enim hoc, vel illud facere, & nõ; & ideò libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad meretidum.* Idem docet *in 3. dist. 18. q. 1. art. 1. ad 5.* & *q. præcedenti art. 4. ad 3.* ergo sentit ideo Christum liberum arbitrium habuisse, & meritorié fuisse operatum: quia licet esset determinatus ratione impeccabilitatis ad bonum morale in genere, non tamen determinatus erat ad speciem moralem actus, nec ad eius indiuiduationem; at si præceptum Christo impositum moriendi, determinasset omnes circunstantias mortis, & indiuiduationem affectus, voluntas Christi ex vi præcepti determinata mãsisset ad speciem, & indiuiduationem actus: ergo libera non fuisset, iuxta Angelici Præceptoris doctrinam.

*Secũdo.* Secundo arguunt à priori: nam præcepta affirmatiua, vt communiter imponuntur hominibus, nõ præscribunt omnes circunstantias actus, sed solam eius substantiam, vt cõstat in præcepto audiendi sacrum die festo, quod quidem solum obligat ad auditionem sacri, non autem ad hoc, quod audiatur ex hoc, vel illo motiuo, cum tanta, aut tanta intensione, in hac, vel in illa Ecclesia, & idem in alijs præceptis cernitur diuinis, & naturalibus: ergo absque vllo fundamento adstruitur præceptum in Christo omnes circunstantias actus vsque ad indiuiduationem determinans. Tùm, quia Christus per omnia debuit fratribus assimilari. Tùm etiam: nam si nobis vilissimis mancipijs, & ad summum filijs adoptiuis, Deus non præcipit ita strictè, cur illo modo præcipiet filio suo naturali?

118 *Tertio.* Tertio: nam sic comparatur præceptum moriendi, siué diligẽdi Deum, siué aliud quodcumque positivum decalogi respectu Christi, sicut præceptũ amandi Deum respectu Angeli in primo instanti creationis; eo quod vterq; fuit impeccabilis, Christus quidem absoluté, Angelus verò solum pro illo primo instanti; sed Angelus ideò liber fuit in adimplendo præceptum; quia licet esset determinatus ad non peccandum; erat tamen indifferens in differentia exercitij ad eliciendum istum actũ amoris in singulari, & non eliciendũ illum, eo quod in vi præcepti nullus actus in singulari fuit illi determinatus, & iste est modus congruentissimus saluandi libertatem Angeli in adimpletione præcepti cum eius impeccabilitate pro primo instanti: ergo pariter hic modꝰ congruentissimus debet censeri ad saluandam libertatem Christi in adimplẽdis præceptis cũ eius impeccabilitate.

119 *Vltimo.* Denique: nam per libertatem quoad temporis circunstantiam, cum necessitate moriendi absoluté, saluatur libertas in moriendo quoad substantiã; & aliàs, si hoc modo constituatur præceptum, componitur eius libertas cum illius impeccabilitate: ergo asserendum est, sic fuisse Christo impositum præceptum. Maior probatur: si quis certo sciret, se post annũ moriturũ, & oblata ante occasione, anticiparet tẽpus mortis per martyrium, iste esset veré martyr; & consequenter moriens liberé libertate quoad substantiam; cum hæc libertas requiratur ad martyrium; & tamen non esset liber ad moriendum absoluté; cum non posset post annum nõ mori, sed quoad tẽporis anticipationẽ: ergo libertas quoad temporis circunstantiam reddit liberam substantiam actus moriendi.

120 *Respõd. ad primum.* Hæc tamen leuia sunt. Ad primum respondeo, mentem D. Thomæ esse, Christum ratione vnionis humanitatis ad Verbum esse determinatum determinatione antecedenti ad bonum morale in genere, eo quod fuit impeccabi-

lis

lis impotentia antecedenti; ad hoc autem, aut illud bonum in specie non esse determinatum determinatione antecedenti, quæ pugnat cum libertate, & hæc indeterminatio excludens necessitatem, & impotentiam antecedentem, etiam cum præcepto determinante omnes circunstantias actus componitur, vt ex infra dicendis constabit: ac proinde ex doctrina D. Tho. nihil contra resolutionem nostram colligitur. *Ad secundum.* Ad secundum, concesso antecedenti, nego consequentiam: nec in hoc debuit Christus nobis assimilari, vt illius obedientia esset strictior, atque perfectior, quam nostra; sicut nec oportuit, quod esset similis nobis in negatione præcepti moriēdi. Nec ex eo quod nos simus filij tantum adoptiui, Christus autē Filius Dei naturalis, colligitur circunstantias, quæ nobis non præcipiuntur, Christo non fuisse præscriptas, sicut nec ex hoc infertur, mortem nobis non præceptam, nō fuisse præceptam Christo.

121 *Ad tertium.* Ad tertium, permissa maiori, nego minorem. Licet namque Angelo non fuerit præceptus actus amoris in singulari, non tamen ideò solum liberé adimpleuit præceptum amandi Deum in primo instanti, quia potuit non diligere hoc amore singulari; aliàs, vt superius arguebam, non meruisset Angelus in adimpletione præcepti, sed quia potuit non diligere absolutè negatiuè, etiam si potentiam non habuerit ad omissionem amoris sumptam priuatiuè, vt inferius explicabimus. *Ad vltimum.* Ad vltimum, nego maiorem: ad cuius probationem dicatur: martyrem non dici à moriendo, sed à sustinendo mortem violenter ab extrinseco illatam causa fidei; hæc autē mortis tollerantia libera est quoad substantiam, quamuis mors naturalis necessaria sit absolutè: vnde, concessa maiori, nego minorem.

***

(?)

(§)

(✠)

## §. VI.

### *Tertius, & quartus modus dicendi referuntur, & reijciuntur.*

TERTIVS modus componendi libertatem Christi in adimplendo præcepto positiuo moriēdi cum illius impeccabilitate, est, quia licet, præsupposito præcepto, nō potuerit Christus non mori; hæc tamen moriendi necessitas non fuit antecedens, sed consequēs libertatem Christi Domini, eo quod liberé postulauit à Patre, hoc præceptū sibi imponi; necessitas autem, quæ libertatem nostram consequitur, nō impedit libertatem, sed sola illa, quæ omni nò libertatem nostrā præcedit. Ita quidam, quos sine nomine refert Vincentius *loco vbi infra*, feré idem sensit Cabrera *q. præcedēti art. 4. disp. 4 §. 3. num. 115. & sequentibus* vbi docet, ideò Christum liberé pro nobis mortuum, quia præceptum moriendi fuit ei impositū depēdēter ab ipsi⁹ libera acceptatione: vnde solum obligatur præcepto, quatenus libera voluntate acceptato: ac proinde necessitas moriendi ex vi præcepti orta in Christo, nō fuit antecedens, quæ solum cum libertate incomponitur; sed consequens libertatem, quæ necessitas in communi Theologorum sententia, libertatem nostram non destruit. 122 *Tertius modus dicendi.* *Vincēt. Cabrer.*

Sed modus iste dicendi displicet cōmuniter Discipulis D Thomæ, illumque reijciunt primò: nam negotium nostræ redemptionis obtentæ per mortem Christi præceptam, principaliùs reducit ad humanam Christi voluntatē, quam ad voluntatem diuinam, cū Christus volūtate humana postulauerit præceptum, ex quo ortum habuit, vt pro nobis moreretur. Secundo: nam obedientia Christi debuit esse perfectissima, & eo perfectior est obedientia, quo præceptum minus ab inferioris voluntate 123 *Reijciuntur* 1. *Secūdo.*

depen-

dependet, & minus illi subijcitur: ergo præceptum moriendi non habuit ortũ ad humana Christi voluntate, nec in sui obligatione fuit eius acceptationi subiectum.

124 *Tertio. Rom. 8.* Tertio, ex illis verbis Pauli *Rom. 8.* vbi Dei charitatem erga homines commendat: *Quia proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit*; at si præceptum moriẽdi fuisset liberé postulatum à Christo, aut illius liberæ voluntati quoad sui acceptationem subiectum, non esset tanta cum proprietate, quanta petunt verba, dictũ, Deum Christo, vt homini, non pepercisse; cum potius dicendum foret, ipsum non pepercisse sibi, qui voluntariè petijt sibi præceptum imponi: ergo præceptum moriendi, nec præcessit libera postulatio, nec dependentiam habuit ab illius libera acceptatione. *Quarto.* Quarto: nam præceptum Christo impositum omninò independenter ab humana voluntate, illius libertatem in præcepti adimpletione, et in morte sustinenda non destruit, vt §. 1. ostendimus; at effugium ad postulationem liberã, ad nihil aliud fuit ab his Auctoribus excogitatum, quam ad saluandam libertatem in præcepti adimpletione: ergo ad nihil est necessarium; & consequenter est superfluum, & vt tale reijciendum.

125 *Vltimo.* Denique reijcitur: necessitas namque, quæ ideò solũ libertatẽ nõ aufert, quia nostrã libertatẽ consequitur, non sufficit, quod sequatur ad libertatẽ vniꝰ actus, vt saluet libertatẽ alterius, sed consequi debet ad eiusdem actus libertatẽ; at necessitas orta ex præcepto Christo imposito moriendi, etsi consequatur libertatem actus, quo Christus, vel postulauit à Patre, vel liberé acceptauit præceptum, non tamen sequitur libertatẽ voluntatis moriẽdi imperantis mortis passionem: ergo non saluat libertatem huius actus, quo Christus se obtulit morti, & mortis tollerantiam imperauit; & consequenter iuxta hunc modũ dicendi Christus voluntate moriendi nõ meruit. Maior in principijs Auctorũ Sciẽciæ Mediæ est certissima; & hac ratione probatur: nã necessitas cosequens libertatẽ vnius actus omninò antecedẽs est, cum alio actu cõparata: ergo si solum quia cõsequens, cũ libertate cõponitur, & quia antecedens, impedit libertatem, impediet libertatẽ actus, ad quem nullatenus sequitur.

126 *Cõfirmatur, & vrgetur primo.* Quod amplius vrgetur primo; si nõq; asseratur, auxiliũ ab intrinseco efficax, & prædeterminans inducere necessitatẽ antecedentem evertentẽ libertatem, esto cõsequatur liberam postulationẽ, non patietur secum libertatem actus, ad quem ex se prædeterminat: quia ad illiꝰ libertatem nõ sequitur, etsi illius necessitas alterius actus libertatẽ sequeretur, nẽpé, liberæ postulationis: ergo si præceptũ in voluntate impeccabili, inducit antecedentẽ necessitatẽ cum libertate repugnantẽ, quamuis consequatur liberã postulationẽ, repugnabit libertati actus adimplentis ipsum, cuius libertatẽ non sequitur. Confirmatur, & vrgetur secundo: quia visio beatifica ex se inducit necessitatẽ antecedentẽ in ordine ad dilectionẽ Dei, esto liberé postuletur à nobis, & libertatẽ postulationis sequatur; non ideò non tollit libertatem à dilectione beatifica, eo quod ad illiꝰ libertatẽ nõ sequitur: ergo si præceptũ Christo impositũ, inducit necessitatẽ antecedentem respectu actionis præceptæ, quã uis liberé fuerit postulatum à Christo, aut liberé acceptatum à Christo, libertatem actionis præceptæ, ad quam non sequitur, auferet. *Secũdo.*

127 *Quartꝰ modus dicendi.* Quartus modus conciliandi libertatẽ Christi Domini in operibus præceptis, duos præcedentes supponit, nimirũ, non fuisse per præceptũ omnes circunstantias præscriptas, Christumq; liberé à Patre petijsse impositionem præcepti, atq; liberè acceptasse; & insuper addit præceptũ fuisse impositũ Christo dependẽter ab illius libertate, nõ solũ quo ad primã impositionẽ, & obligationem præcepti, sed etiã quoad sui conseruationẽ, quatenus poterat petere dispensationẽ præcepti, et si illã postularet, infallibiliter Deus dispensaret in præcepto. Per primũ saluatur libertas quoad circũstãtias actuũ existẽtiũ sub præcepto, per secundũ, illorũ libertas in causa, & per tertiũ, scilicet, per potestatẽ petẽdi dispensationẽ, libertas illorũ in se ipsis, & formalis. Ita Hurtado *disp. 62. sect. 6. & disp. 77. sect. 5.* & Cardinalis Lugo *disp. 26.* *Hurt. Lugo.*

*sectione* 8. quos alij Recentiores sequuntur.

128 *Sed contra* 1. Sed contra istum modum dicendi obstant, quæ contra præcedentem opposuimus, quæ magis explico, & confirmo primo: nã hi Auctores inde probant, non fuisse impositum Christo præceptum quoad motiua, & circunstantias, quia communis modus imponendi hominibus præcepta, circunstantias non præscribit; sed etiam communis modus imponendi præcepta, est sine subiectione, & subordinatione ad subditi voluntatem, sed per illius subiectionem voluntati superioris: ergo non est asserendum fuisse impositum Christo præceptum cum dependentia ab ipsius voluntate in sui conseruatione. *Secũdo.* Secundo: nam præceptum Christo liberum tantum quoad primam impositionem, ideò non saluat libertatem actus præcepti in se ipso, sed solum denominatiuè à libera acceptatione, & postulatione libera, quia præceptum vt impositũ, & obligans, infallibiliter infert actum præceptum in voluntate impeccabili; sed etiam præceptum vt libere conseruatum, infallibiliter infert actum præceptum in voluntate impeccabili: ergo per liberam præcepti cõseruationem non saluatur libertas actus præcepti in se ipso, sed solum denominatiuè ab actu voluntatis non petendi præcepti dispensationem. Probatur minor; ideò præceptum semel impositum, etsi dependenter à libera subditi voluntate, infallibiliter infert actum præceptum in voluntate impeccabili, quia oppositum actus præcepti, est peccatum tali voluntati repugnans; sed etiam oppositum actus præcepti, vt coniunctum cum præcepto conseruato, est peccatum eidem voluntati repugnans: ergo præceptum vt liberè conseruatum infallibiliter infert actum præceptum in volũtate impeccabili.

129 *Dices.* Dices: præceptum dependens à voluntate Christi solum quoad primam impositionẽ, ideo infallibiliter inferre actum præceptum, quia obligat obligatione infallibili, etiã inauferibili à Christo; præceptũ autẽ dependens à voluntate Christi, non solũ quoad primam impositionẽ, sed etiã quoad sui conseruationẽ, non obligat Christum obligatione infallibili, & ab ipso inauferibili; nam pro instanti. A. V. C. supponitur, quod non obligat; ac proinde pro hoc instanti potest coniungi cum illo, negatio actionis præceptæ, cum pro illo instanti peccaminosa non sit, pro instanti verò sequenti potest auferri obligatio, Christo petente dispẽsationẽ præcepti, quo in casu non obligaret; ac per consequẽs Christus in hoc instãti libere acceptauit mortẽ, libertate actus quoad substantiã, quia taliter acceptauit, quod potuit nũquam mortem acceptare absque vllo prorsus peccato.

130 *Contra.* Sed contra: nã sequitur ex hac solutione, quod si Christus acceptationem mortis differret, vsq; ad instans, pro quo præceptũ moriendi vrgebat, non liberé moreretur, nec mereretur per acceptationem mortis; consequens est falsum; aliàs nobis non constaret Christum de facto per acceptationẽ mortis, & illius passionẽ meruisse; cum nobis certo non constet, anticipasse tempus instãtis præcepti: ergo solutio tradita ruit. Probatur sequela; tunc casus, obligaret præceptũ obligatione, etiam inauferibili à Christo: ergo præceptum vt liberé conseruatum, inferret infallibiliter adimplectionẽ præcepti, cum quo, in istorũ Auctorũ principijs, nõ cõponitur libertas: ergo in tali casu, nec liberé mereretur, nec mereretur per mortem.

131 *Respondet Lugo.* Respondet Cardinalis Lugo vbi *supra num.* 108. tunc casus, fore obedientiam Christi liberã, in primis quoad circunstantiã intẽsionis, & motiui, & deinde quoad substantiã extrinseca denominatione sumpta à voluntate Christi præcedente, qua noluit petere præcepti cessationẽ, cum potuit; de facto tamen nõ expectasse id tẽpus ad obediẽdum, quia voluit eo modo obedire, quo illius obedientia esset libera, & meritoria formaliter, non solum quoad circunstantias, verum etiam quoad substantiam.

132 *Recẽtiores respõdẽt.* Secundo alij Recentiores respõdẽt, etiam in quocumque instanti, quamuis vltimo obligationis Christi, fuisse Christo liberam volitionẽ mortis in se; & cõsequẽter in se meritoriã, in quovis enim instãti tria proponuntur Christo, nẽpé, mors præcepta, & ablatio illius per dispensa-

pensationē, vel cōmutationē, quorum trium data fuit optio libera Christo, & illorum quodlibet liberé eligere poterat, ipse tamen obediendi desiderio, petiuit impositionem præcepti, & ex fine moriendi ex obedientia ad præceptum elegit, vt necessarium medium nolitionē petendæ dispensationis, vel cōmutationis: vnde hæc nolitio non præcessit tēpore, vel natura voluntatem moriēdi, sed potius succesit; & consequenter voluntas moriendi non fuit libera denominatiué à nolitione petendi dispensationē, vel commutationem præcepti sed formaliter in se; taliter enim mortē sibi præceptam acceptauit, quod potuit non acceptare, nimirum, petendo dispēsationem, vel commutationem præcepti.

133 *Reijcitur 1. solutio 1.*

Sed neutra solutio satisfacit, & prima reijcitur primo. nam certum est, vt cōstat ex verbis superius adductis Pauli, Christum per obedientiam in moriendo meruisse, quæ verba, vt *supra* arguebamus, explicari in rigore non possunt, nisi voluntas moriēdi fuerit libera quoad substātiam formaliter; sed incertum est, an Christus mortē distulerit vsq; ad vltimum instans obligationis præcepti: ergo libertas obedientiæ Christi in moriendo, non est prædictæ anticipationi alliganda. *Secundo*: nā voluntas moriendi fuit Christo libera quoad substantiam formaliter in se ipsa, & non solum quoad circunstantiā temporis anticipati moriendi, vt prædictus Auctor fatetur: ergo taliter Christus voluit tūc mori, quod non solum potuit velle nō mori pro tunc, sed & absoluté non mori, hoc est, nullo tempore mori; at supposita nolitione præcedenti petendi dispensationem, aut cōmutationem præcepti, non poterat in illo instanti, velle nō mori absoluté; cum hac nolitione supposita, voluntas existens in illo instanti absoluté non moriendi, foret peccaminosa, vtpote contra præceptum obligans: ergo ex suppositione nolitionis petendi dispensationem, voluntas moriendi necessario inferebatur; & consequenter non erat libera in se, sed tantum in nolitione dispensationis petendæ; cumque idem argumentum militet in quouis instanti, in nullo instanti saluatur libertas voluntatis moriendi quoad substantiam formaliter in se ipsa, sed tantum per extrinsecam denominationem a volitione petendi dispensationem, etsi saluetur libertas prædictæ voluntatis moriendi in se ipsa quoad temporis circunstantiam.

*Secundo*

Deinde secunda solutio reijcitur; vt enim voluntas moriendi, actus obedientiæ sit, debet pro priori naturæ, supponere præceptum moriendi, & acceptandi mortem præceptam cum obligatione stricta; aliàs obedientia propria nō erit; cum hæc, præceptum strictum supponat, vt præfati Recentiores contra Lorcam fatentur; sed supposita obligatione præcepti, non poterit non existere voluntas tali præcepto præscripta; cum carentia talis voluntatis, & voluntas illi opposita, peccaminosæ sint: ergo voluntas moriendi non manet libera in se, sed solum in nolitione auferendi obligationem, quod est esse liberam solum denominatione extrinseca.

134 *Secūda reijcitur*

Dices, obligationem pro priori naturæ ad voluntatem moriendi supponi-tam, non esse determinaté de voluntate moriendi, nisi supposito, quod dispensationem præcepti Christus liberé nō petat, & cum ad dispensationem petendam Christus supponatur potens; fit cōsequens, quod pro primo, & pro quouis alio instanti, taliter mori voluerit, quod potuerit non velle, nimirum, petendo dispensationem. Sed contra primo: nā pro priori ad voluntatem moriendi, præsupponitur præceptum, & præsupponitur negatio petendi dispensationem: ergo supponitur obligans ad voluntatem moriendi, taliter, quod negatio istius voluntatis peccaminosa reddatur.

135 *Dices.*

*Cōtra 1.*

Secundo: nam vel obligatio illa est disiunctiua, nempé, moriendi, vel petendi dispensationem præcepti, vel est determinata moriendi sub conditione nolitionis dispensationis; non primum; aliàs non minus obediret Christus petendo dispensationem, quam per voluntatem moriendi: ergo fuit obligatio moriendi sub prædicta conditione, quod, scilicet, Christus non petat dispensationem. Tum sic, sed obligatio conditionata non transit in absolutam,

*Secūdo.*

lutam, nisi prius purificetur conditio: ergo vt præceptum illud Christum absolutè obligaret, debuit præcedere semper nolitio petendi dispensationem, qua nolitione suppositа, necessaria est voluntas moriendi in Christo; sed vt voluntas moriendi actus obedientiæ sit, necessario debet supponere absolutam obligationem; cum debeat præceptum vrgens supponere, præceptum autem obligans sub conditione non vrgeat, nisi ponatur conditio: ergo, vt voluntas moriendi sit actus obedientiæ propriæ, debet semper præsupponere non peritam præcepti dispensationem.

136 *Tertio principaliter reijcitur prædictus modus dicẽdi.*

Tertio principaliter reijcitur modus præfatus dicendi: Christus enim nõ poterat efficacitér, velle præcepti dispensationem, sed solum voluntate inefficaci, quæ solet dici velleitas, ad modum, quo volebat non mori, cum dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste*; sed solum voluntati efficaci annexa est dispensatio, vel commutatio præcepti: ergo, hoc præcepto supposito, non potuit Christus se eximere ab illius obligatione; & consequenter conseruatio, aut continuatio præcepti, Christo libera non fuit. Consequutio euidens est, & non minus euidens minor; nam de facto Christus habuit inefficacem voluntatem non moriendi; & consequenter executiendi obligationem ad mortem; & tamen non fuit ablata obligatio: ergo ablatio obligationis præcepti dispensatione, aut commutatione illius, non fuit annexa à Deo, voluntati Christi ineffi caci petendi dispensationem. Maior autem probatur: velle efficaciter oppositum voluntatis efficacis diuinæ alicui euidenter notæ, est actus omninò otiosus, imprudens, & temerarius, vt præfati Recentiores fatentur, & docent communiter Theologi 1. 2. *quæstione* 19. *art.* 9. & 10. quo circa consequẽter fatentur, id repugnare beatis; sed Christus euidenter in Verbo videbat voluntatem efficacem Dei, vt non peteret dispensationem præcepti: ergo non poterat velle efficaciter; & cõsequenter nec petere præcepti dispensationem. Patet consequentia: nam repugnabat Christo actus omninò otiosus, imprudens, & temerarius; cum actus his affectus conditionibus non posit, nõ esse peccatum, quod Christo ab intrinseco repugnat.

137 *Dices.*

Dices, impotentiã istã voluntatis efficacis petendi dispensationem, esse tantum cõsequentem, quæ non tollit libertatem in non petẽdo efficaciter dispẽsationẽ præcepti; ac proinde Christus in non petẽdo efficaciter, fuit liber: ex quo vlterius fit, fuisse liberam præcepti continuationem. Sed contra: impotentia orta ex præcepto ad oppositũ actionis præceptæ, ideo in sententia horum Auctorum est impotentia antecedẽs, quia per præceptũ impositũ, & manifestatũ Christo, redditur peccaminosũ, oppositum actionis præceptæ, & in Christo est impotentia antecedẽs ad peccatum; sed etiam ex voluntate efficaci Dei negationis petendi dispensationem vt Christo in Verbo manifestatæ, redditur peccaminosa voluntas efficax petendi dispensationem: ergo impotentia ad efficaciter dispensationem tollendam orta ex volũtate efficaci diuina Christo in Verbo manifestata, est impotentia antecedens, vel impotentia orta à præcepto, ad oppositum actionis præceptæ, non est antecedens, sed consequens.

*Contra.*

138 *Respõdebis.*

Respondebis: minorem argumenti esse veram de voluntate efficaci petendi dispensationem præcepti, vt coniuncta cum voluntate efficaci Dei de non petenda à Christo dispensatione; sic enim sumpta, certum est, quod foret actus imprudens, Christoque ab intrinseco repugnat, si verò non compositiuè cum prædicta voluntate sumatur, sed in sensu diuiso, peccaminosa non est; ac proinde sic accepta, non repugnat voluntati Christi, quod sufficit, vt saluetur libertas in non petendo efficaciter præcepti dispensationem.

*Contra.*

Sed contra: nam oppositum actionis præceptæ peccaminosum non est, nisi vt coniunctum, & compositum cum præcepto concipiatur; diuisiuè namque à præcepto peccatum esse nõ potest; cum supponamus esse malum, quia prohibitum, non é contra, quia malum ideò prohibitum, vt contingit in præceptis naturalibus, & tamẽ vt præfati Auctores fatentur, ex præcepto

Christo

Christo manifestato, redditur oppositum rei præceptæ impossibile impotentia antecedenti: ergo pariter, quamuis voluntas efficax petendi dispensationem, solum sit peccaminosa, & imprudens, vt composita cum voluntate efficaci diuina de dispensatione efficaciter non postulanda, impotentia orta ex volũtate efficaci diuina Christo in Verbo manifestata ad petendam efficaciter præcepti dispensationem, erit impotentia antecedens, vel impotentia orta ex præcepto ad oppositũ actionis præceptæ, non est antecedens, sed consequens.

139 *Respõdebis.* Respondebis huic replicæ dupliciter, primo: impotentiam ortam ex præcepto non ideo esse antecedentem, quia tollat potentiam ad oppositum actionis præceptæ in sensu composito cum præcepto, sed quia tollit potentiam ad illud, etiam in sensu diuiso; impotentia autem ad efficacem voluntatem petendi dispensationem, orta ex oppositа voluntate efficaci diuina manifestata Christo, solum est ad prædictam petitionem sumptam in sensu composito, non verò in sensu diuiso; & ideò non est impotentia antecedens auferens libertatem petendi efficaciter dispensationem

*Ratio discrimi nis.* Et rationem discriminis reddes: nam ad potentiam ad actum, vel negationem actus in sensu diuiso, requiritur, quod necessitans ad actum, vel ad eius negationem sit à nobis euitabile; est autem hæc differentia inter voluntatem efficacem diuinam, atque præceptum, quod illa est à nobis euitabilis; supponit enim præscientiam conditionatam actionis, vel negationis, quam efficaciter vult; ac proinde, si Deus non præuidisset Christum, v. c. in statu conditionato non petentem præcepti dispensationem, non posset efficaciter velle, quod dispensationem non peteret, & quia Christus in statu conditionato poterat petere, poterat etiam efficacem voluntatem diuinam de non petenda præcepti dispensatione vitare; cæterum præceptum nõ supponit sui obedientiam in statu conditionato, nec ab illius præuisione conditionata dependet: vnde si constituatur independens à voluntate absoluta, est omninò ineuitabile; & consequenter redditur impotens subiectum impotentia antecedenti ad oppositum actionis præceptæ, nedum in sensu composito, sed etiam in sensu diuiso.

Sed contra primo: nam si voluntas efficax petendi dispensationem peccaminosa esset in sensu, non solum composito, sed diuiso, ad illam in vtroque sensu esset Christus impotens antecedenter: ergo si est potens potentia antecedenti ad prædictam voluntatem sumptam in sensu diuiso, ideò est, quia talis voluntas in sensu diuiso peccaminosa non est; at etiam negatio actionis præceptæ diuisiué sumpta à præcepto, peccaminosa non est: ergo ad illam prout sic sumptam, non est impotentia antecedens in Christo, vel si non obstante, quod sic sumpta peccaminosa non sit est Christus impotens antecedenter ad illam; pariter, non obstante, quod voluntas efficax petendi dispensationem diuisiué ab oppositа efficaci voluntate diuina peccaminosa non sit, erit Christus impotens antecedenter ad illam, etiam in sensu diuiso. 140 *Cõtra 1.*

Secundo: nam quidquid sit, an voluntas efficax Dei nostras prædiffiniens actiones, illarum præuisionem supponat in statu conditionato, quod alibi fusé reijcimus, & modo disputandum non est, supposita tamen efficaci voluntate Dei, vt Christus, non peteret præcepti dispensationem, & manifestatione istius voluntatis in Verbo, non poterat Christus ab istius voluntatis cognitione diuerti, vel ab illa cessare; at cum prædicta cognitione non poterat, stare in Christo iudicium ipsi proponens, vt conuenientem dispensationem præcepti, vt obiectum voluntatis efficacis, quod iudicium necessarium erat, vt posset potentia antecedenti petere efficaciter illam: ergo ex vi voluntatis efficacis diuinæ de non petenda præcepti dispensatione, vt Christo manifestatæ, tollitur ab illo aliquod requisitum ad posse petere efficaciter dispensationem præcepti; & consequenter redditur impotens impotentia antecedenti, iuxta aduer- 141 *Secũdo.*

sariorum principia, ad petendam efficaciter prædictam dispensationem.

*Tertio.* Tertio reijcitur: nam prædiffinitio efficax redditur euitabilis a nobis in aduersariorum sententia, per hoc, quod Deus non prædiffiniat actiones nostras, nisi præsupponendo illarum prævisionem in statu cõditionato: ergo pariter, præceptum moriendi, si non imponatur à Deo, nisi præsuppositа prævisione voluntatis moriendi in statu conditionato, erit euitabile à Christo; & consequenter impotentia ex illo orta, non erit antecedens, sed consequens.

142 *Dices.* Dices, id, quod exigitur ab intrinseco ab actu, necessario ab illo importari, siué in statu absoluto, siué in statu conditionato; & cõsequenter si in statu absoluto libertatem actus destruit, etiam illam destruit in statu conditionato; ex quo fit, quod nequeat cum illo libertas actus in statu absoluto cõponi per eiusdem actus libertatem in statu conditionato suppositam; est autem hæc differentia inter prædiffinitionẽ efficacẽ, & præceptũ, quod illa non exigitur ab actu nostro libero ab intrinseco, sed tantũ est necessaria ex parte prouidentiæ diuinæ: vnde potest non importari ab actu in statu conditionato; ac per consequẽs per præsuppositionẽ actus liberi in statu conditionato, potest libertas actus in statu absoluto, cum prædiffinitione efficaci componi. Cæterum præceptum essentialiter petitur à voluntate moriẽdi, prout est actus obedientiæ; non enim valet obedientia intelligi, nisi in ordine ad præceptum: vnde obedientia, vt absolutè futura, præsupponit necessario præceptum, vt futurum absolutè, & obedientia conditionatim futura, præcepti futuritionem conditionatam supponit; ex quo fit, vel quod in statu conditionato, actus libertatem euertat, vel quod illam in statu absoluto non tollat: ac per consequens, quod per obedientiæ prævisionem suppositam in statu conditionato, non possit libertas obedientiæ in statu absoluto conciliari cum præcepto.

143 *Cõtra 1.* Sed contra primo: in statu conditionato, non solum ingredi debent, quæ ab actu postulantur ab intrinseco, sed etiam, quæ ex parte prouidentiæ diuinæ petũtur, vel à Deo, vt prouidẽte: ergo si prædiffinitio efficax est necessaria ex parte prouidentiæ diuinæ ad actiones nostras liberas, debet ingredi statum, non solum absolutum, sed etiam conditionatum; & tamen, hoc non obstante, per suppositionem præscientiæ conditionatæ nostri liberi consensus componitur libertas illius cum prædiffinitione in statu absoluto: ergo pariter, quamuis præceptum necessario ingredi debeat propter exigentiam actus, in illius statu conditionato, poterit nihilominus libertas obedientiæ in statu absoluto cum præcepto conciliari per suppositionem præscientiæ actus obediendi in statu conditionato.

144 *Secũdo.* Secundo: nam si semel suppositio præscientiæ conditionatæ, sufficit tollere necessitatem antecedentem, sufficiet, quod præceptum moriendi suppo nat præscientiam voluntatis moriendi, etsi non ex motiuo obedientiæ, vt ad volendum mori ex prædicto motiuo necessitatem antecedentem non inferat; at qui voluntas absoluta moriendi non dependet à præcepto in statu conditionato: ergo poterit cum præcepto voluntatem illam supponente, in statu conditionato libertas obedientiæ in statu absoluto componi. Minor cum cõsequentia tenet. Maior autem probatur: voluntas non petendi efficaciter dispensationem præcepti, suppositа efficaci voluntate Dei de tali dispensatione non petenda, est obedientia in statu absoluto, sicuti & voluntas oppositа foret inobedientia, vtpote peccaminosa, & consequenter alicui præcepto cõtraria; & tamen voluntas efficax Dei, non supponit voluntatem non petendi dispensationem, quæ obedientia sit in statu conditionato; aliàs in eodẽ statu deberet includi prædefinitio, ex conformitate ad quam constituitur in ratione obediẽtiæ, sed solũ in eo statu præsupponit volũtatẽ nõ petẽdi dispensationẽ absolutè; & tamẽ ex hoc redditur prædefinitio euitabilis, & tollitur impotentia antecedens in ordine ad voluntatem non petendi dispensationem, quatenus est obedientia: ergo pariter, quod præceptum moriendi supponat in voluntate Christi voluntatem absolutè morien

di in statu conditionato, sufficit, vt non inducat necessitatem antecedentem in ordine ad voluntatem moriendi, quatenus in statu absoluto rationem obedientiæ sortitur.

145 *Tertio arg. contra istum modum dicendi.*

Denique arguitur contra istum modum dicendi; licet namque non haberet Christus præceptum de non petenda efficaciter dispensatione præcepti, habebat tamen de illa non petenda consiliũ; sed Christus non solum erat impotens ad transgredienda præcepta, sed etiam illi repugnabat, non obsequi consilijs diuinis: ergo non poterat petere dispensationem præcepti; & cõsequenter præceptum in sui conseruatione non dependebat ab illo.

146 *Prima solutio.*

Huic argumento variè occurritur ab Auctoribus contrariæ sententiæ. Prima solutio, concessa maiori, negat minorem; Christus enim, nec physicè, nec moraliter erat impotens ad nõ acquiescendum consilijs, nec ad recedendum à maiori beneplacito Dei; cum nulla in illo sit forma huiusce modi impotentiam inducens, nõ enim hypostasis Verbi, quæ quia est sanctitas moralis, ideò cum omni peccato pugnat, non tamen est moralis animæ Christo perfectio: ac per consequens non pugnat cum morali imperfectione, quæ sola reperitur in recessu à consilijs, & à maiori beneplacito Dei, nec visio, aut amor beatificus, hæc namque, etsi cum peccato repugnent, non est vnde repugnẽt cum morali imperfectione, quæ peccaminosa non est. Pro qua referuntur Valentia *q. 19. punct. 2.* vbi docet, potuisse Christum acceptare mortem per actum minus intensum. Vazquez *disput. 74. num. 36.* vbi ait, posse Christum, & alios beatos omisso actu intenso, remissum elicere; & Salas *1. 2. tom. 2. tract. 3. disp. 7. sect. 8.* vbi docet, liberos esse beatos in operibus super erogationis, idem dicturus de Christo. Potest etiã referri pro eadem sententia Lorca vbi *supra*, quatenus negat præceptũ, vt libertas Christi subsistat in acceptatione mortis; cũque negare nequeat, saltem de morte subeunda consilium, videtur consequenter dicturus, non fuisse impotentem Christum ad transgrediendum consilia.

*Valent.* *Vazq.* *Salas.* *Lorca.*

Secunda solutio, cõcessa etiam maiori, distinguit minorem; illamque cõcedit, loquendo de impotentia morali, negat autem physicam impotẽtiam ad recessum à consilijs, & à maiori beneplacito Dei, & impotentia moralis cum libertate componitur. Ita Cardinalis Lugo *disp. 26. sect. 10. num. 134.* Tertia concedit etiam maiorem, & distinguit minorem; illamque concedit in sensu composito consilij; negat autẽ in sensu diuiso, sic enim potuit Christus in oppositum actionis à Deo præconsiliatæ, quatenus potuit petere consilij dispensationem, sicut fuit liber in adimplendis præceptis, quia illa liberé acceptauit, potuitque petere a Deo illorum dispensationem. Hanc sequitur Puente-Hurtado *disp. 62. sect. 6. subsect. 1. §. 121.* Quarto alij respondent, consilium, seu maius beneplacitum Dei, nõ fuisse de non petenda efficaciter dispensatione præcepti absolutè, sed de non petenda liberé, cum quo modo beneplaciti, & consilij non stat necessitas ad non petendam dispensationem, nec impotentia ad petendam; cum ablata libertate in non petenda dispensatione, iam non exerceret Christus consilium, aut maius beneplacitum Dei. Ita colligitur ex doctrina Amici *in præsenti disp. 25. sect. 4. n. 122. & seqq.* vbi vt saluet in beatis, & in Christo libertatem in operibus non præceptis, cũ impotentia recedendi à maiori beneplacito Dei, docet, hæc inde componi, quia maius Dei beneplacitum in beatis, & in Christo non est de opere perfectiori absolutè, sed de opere magis libero; eo quod ex maiori libertate sumitur incrementum obsequij.

147 *Secunda solutio.* *Lugo.* *Tertia solutio.* *Puente-Hurt.* *Quarta solutio.* *Amic.*

Vltima solutio negat argumenti maiorem, & vniuersaliter cõsilium datum Christo de aliquo in particulari, sed tantum fuisse illi pro consilio datu, vt quod cumque malet eligeret, & ideo in quacumque electione, & liberrime operabatur, & aliunde perfectissimè, quia cõformiter ad maius beneplacitum Dei, & ad consilium diuinum. Ita Recentiores quidam, ducti potissimè, quia non aliter potest saluari libertas operationum Christi, & cum summa perfectione morali componi. Ac deinde

148 *Vltima solutio.*

Matth. 26. ex illis verbis Matth. 26. *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: ac si dicat, omnium actionum, & consiliorũ meorum determinatio fuit meæ libertati cõcessa His addunt nonnulla alia testimonia ad sensum intentum voluntarié interpretata.

149 *Prima solutio reijcitur primo.* Sed nulla ex his solutionibus argumento facto, satisfacit: non prima: tùm, quia recessus à cõsilijs, esto peccatũ nõ sit, est tamẽ imperfectio moralis, & culmen moralis perfectionis in sequela cõsiliorum, & conformitate cum maiori Dei beneplacito est positum; sed Christus incapax est moralis imperfectionis, eique repugnat, non attingere culmen perfectionis moralis, & oppositum asserere satis absurdum apparet: ergo fuit impotens ad recessum à consilijs, atque à conformitate cum maiori beneplacito Dei. *Secũdo.* Secundo: nam si non repugnaret Christum à consilijs recedere, maximé, quia peccatum non est; at hæc ratio est nulla: ergo & prædicta solutio. Probatur minor; tùm, quia licet nõ sit peccatum, est tamen aliqua indecentia moralis; sed Christo repugnabat indecenter operari: ergo repugnat illi, quod à cõsilijs recederet, esto peccatum non sit. Tùm etiam: nam si Christo imponeretur lex aliqua puré pœnalis, repugnaret illi à tali lege recedere; aliàs posset aliquid reprehensione dignum operari, quod pias aures offendit; & tamen ab ista lege recedere, moralis culpa non est: ergo quamuis recessus à consilijs, & à maiori beneplacito Dei, culpa moralis non sit, nihilominus Christo repugnat. Tertio: vt enim argumentabamur *supra*, si Christus alicuius Religionis regulam fuisset professus, repugnaret illi transgredi, non solum præcepta regulæ obligantia ad culpam mortalem, aut venialem, sed etiam simplicia statuta ad culpam non obligantia; & tamen transgressio istorum, moralis culpa non est, sed tantum imperfectio, & indecentia moralis. ergo, esto in recessu à consilijs peccatum non intercedat, nihilominus Christo repugnat.

150 *Tertio.* Tertio principaliter arguitur; Christo namque debet cõcedi maxima gratitudo moralis proueniens ex gratia vnionis; sed maior est gratitudo, non solum excludens culpam mortalem, aut venialem, sed etiam aliquale offendiculum, aliqualemque ingratitudinẽ, quæ elucent in recessu à consilijs, & conformitate cum maiori beneplacito Dei, quam quæ solum culpam venialem, & mortalem excludit: ergo est concedenda Christo; & consequenter dicendum, fuisse incapacem à consilijs recedendi. Confirmatur primo: quia gratitudo repugnans cũ peccato veniali, est maior, quam, quæ repugnat soli mortali peccato, illa conceditur Christo; sed gratitudo repugnans cum morali imperfectione, maior est, quam, quæ solum repugnaret cum fœditate peccati mortalis, & venialis: ergo illa est Christo attribuenda. *Confirmatur 2.* Confirmatur secundo: esto dignitas reprehensionis, moralis culpa non sit, repugnat cum sanctitate, & gratitudine Christi: ergo pariter, licet à consilijs recedere, non sit culpa mortalis, aut venialis, repugnabit nihilominus suprema sanctitas Christi cum recessu à consilijs. *Secũdo.*

151 *Quarto reijcitur tradita solutio.* Denique tradita solutio reijcitur; est enim possibilis amor Dei super omnia, nõ solum grauiter, vel leuiter offendentia, sed etiam imperfecta moraliter. Tùm, quia istius amoris repugnantia non dabitur. Tùm etiam; quia non repugnat efficax formale propositum, quæ sunt Deo gratiora, exequendi, nec votum sic operandi: imo de aliquibus eximiæ sanctitatis legitur, ita vouisse; & consequenter nec repugnare potest amor Dei virtualiter includens tale propositum: ac proinde super omnia moraliter imperfecta ergo Christo est cõcedendus, cui attribuenda est omnis perfectio possibilis in determinato gradu consistens; sed cum tali amore non cõpatitur recessus à consilijs diuinis, & à maiori beneplacito Dei, sicut nec compatitur cũ amore Dei super omnia peccata læthalia, aliquod peccatum mortale, nec peccatum veniale cum amore Dei super omnia peccata venialia, & leuiter offendentia: ergo repugnat Christo recedere à consilijs diuinis, & à maiori beneplacito Dei.

152 Et ex his impugnata secunda solutio relinquitur; hæc enim, vel non pro-

bant

*Secũda solutio reiicitur*

bant impotentiam moralem in humanitate Christi ad recessum à consilijs, & à maiori beneplacito Dei, vel potentiã physicam excludunt; sed Auctore Lugo, conuincuntaliqua ex illis impotentiam moralem: ergo & physicam impotentiam. Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; etenim impotentia moralis recedendi à culmine perfectionis posito in sequela consilio rum, & conformitate cum maiori beneplacito Dei, vel præstatur à sanctitate vnionis formaliter, vel ab amore Dei super omnia imperfecta; quodcumq; horum asseratur, vtraque potentia excluditur: ergo inconsequenter adstruitur moralis, & negatur physica impotentia ad recessum à consilijs. Probo minorem: quia vel gratia vnionis formaliter, vel amor Dei super omnia, etiam leuiter offendentia, excludit ab anima Christi potentiam venialiter peccandi, inducit impotentiam, non solum moralem, sed etiam physicam ad peccãdum venialiter: ergo, si aliquod ex his tollit potentiam à Christo ad imperfectionẽ moralem, quæ invenitur in recedendo à consilijs, vtramque potentiã excludit. Confirmatur secundo: quia amor Dei super omnia ipsum leuiter offendẽtia, non solum moraliter, sed etiam physicé incompatitur cum peccato veniali excludit potentiam physicam venialiter peccandi; sed amor Dei super omnia moraliter imperfecta physicé est incompatibilis cum morali imperfectione: ergo tollit, nedum moralem, verũ etiam physicam potentiam ad imperfectionem moralem.

*Cõfirmatur 1.*

*Secundo*

153 *Tertia solutio reiicitur vltimo.*

Deinde tertia solutio reijcitur; sciebat enim Christus, quid horũ magis diuinæ volũtari placeret, nimirũ petere, aut nõ petere dispẽsationẽ cõsilij; sed ad illud, quod magis placebat Deo, erat physicé necessitatus: ergo vel non poterat petere dispensationem, si non petere magis diuinæ voluntati placebat, vel necessitatus erat ad petendam dispensationem, si dispensationis petitio erat diuinæ voluntati gratiosior. Si dicas, nihil horum determinaté fuisse magis placitum Deó, sed vtrumque æqué gratum diuinæ voluntati extitisse, & sic fuisse Christo manifestatum: vnde omninò liber erat ad petendam, & non petendã consilij dispensationem. In contrariũ obstat: nam iuxta D. Thom. 1. p. q. 19. art. 12. consilium est voluntas signi in Deo, quia indicat voluntatem, vt accipiens consilium, rem consiliatam efficiat: ergo non stat Deum aliquid consiliari, & nõ magis inclinari, & complacere in executione actionis à se consiliatæ, quam in omissione illius. Secundo: quia namque præceptum necessaria inductione ordinat alium ad aliquid efficiendum, non stat Deum præcipere aliquid absque maiori complacentia in illius executione, quam in eius omissione; sed consilium ordinat accipientem consilium, non necessaria, sed persuasoria inductione ad aliquid efficiendum: ergo implicat consilium cum æquali complacentia in actione consiliata, & illius omissione.

*Si dicas*

*Cõtra 1.*

*Secũdo.*

Nec magis quarta solutio satisfacit, & reijcitur primo: nã ex illa sequitur, omnes Christi actiones fuisse æqué gratas Deo; consequens est falsum: ergo & prædicta solutio. Falsitas consequentis ex eo manifesta videtur; actus enim charitatis, etsi ex parte dignitatis personalis non sit gratior voluntati diuinæ, quam actus misericordiæ elicitus à voluntate Christi, facta tamen comparatione inter vtriusque actus bonitatem specificam ex obiecto deriuatam, magis placet Deo actus charitatis, quam actus misericordiæ, cum maior sit charitatis, quam misericordiæ specifica bonitas: ergo falsum est, omnes Christi operationes æqué gratas fuisse Deo. Sequela autem non minus manifestè probatur; etenim iuxta Auctores quartæ solutionis consilium datum Christo, penés cuius conformitatem metiuntur adæquaté gratitudinem voluntaris diuinæ, non fuit de substantia operum, sed solum de libertate in illorum elicitia; at omnes Christi operationes fuerunt æqualiter liberæ, vtpote, cũ omnes regulatæ fuerint perfectissima obiecti propositione, & cognitione, & summo connatu, atque intensione de lege ordinaria possibili, ex quibus ratio liberi, & voluntarij desumitur: ergo omnes Christi operationes fuerũt æqué gratæ Deo, iuxta quartæ solutionis principia.

154 *Quarta solutio reiicitur primo.*

Secundo:

155 *Secundo*

Secundo: nam consilium, & maius beneplacitum Dei regulans perfectionem moralem operationum Christi, antecedit illius operationes, illasque infallibiliter infert; & tamen quia est de libertate earundem operationum, & non de substantia operum, illarum libertatē non lædit: ergo stat principium antecedens actum, & infallibiliter connexum cum illo, non destruens, sed inferens potius libertatem in actu, & consequenter, nec præmotio efficax, nec prædefinitio diuina quantumuis infallibiliter inferat actum, illius libertatem impediunt; nec similiter præceptum de substantia operationis, & de omnibus circunstantijs, illius libertati obstare poterit; cum hæc omnia non solum subsitantiam operationis, verum etiam libertatis modum pro termino, & obiecto respiciant. Tertio: nam si consilium datum Christo, solum fuit de libere se determinando, ac de libere pro suo nutu eligendo, & ideo libertatem operationum Christi non læsit: ergo pariter, quamuis de sic operando, non solum accepisset consilium, sed etiam præceptum, illius libertas in eligendo illæsa subsisteret; hoc non admittunt istius solutionis Auctores: ergo nec possunt traditæ solutionis doctrinā admittere. Probo sequelam, consilium datum Christo de opere determinato, illius libertatem euerteret; & tamen datum de libertate electionis cum libertate componitur: ergo pariter, licet præceptum de opere determinato destrueret libertatem in voluntate impeccabili, præceptum tamen de operum libertate, illorum libertatem non læderet.

*Tertio.*

156 *Vltima solutio reijcitur primo.*

Tandem vltima solutio reijcitur primo Quia namque præceptum inducit necessaria inductione subditum ad aliquid efficiendum, implicat ex terminis, præceptum subdito impositum de faciendo, eligendo ve, quod maluerit; sed vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 12. & ex terminis est manifestum, consilium inducit, non necessaria, sed persuasoria inductione, accipientem consilium ad aliquid efficiendum: ergo implicat in terminis consilium cum hac generalitate, nempé, vt accipiens consilium, eligat quod ipse maluerit. Secundo, quia nō stat consilium alteri datum, nisi de aliquo particulari agibili, aut eligibili: ergo vel dicendū est, Christum incapacē fuisse consilij, vel adstruendum est consilium, nō de eligendo quod maluerit, sed de aliquo particulari agibili, aut eligibili. Antecedens ostenditur primo: consilium enim propriam electionem præcedens, semper est de aliquo particulari eligibili, nō de omni eligibili vagé; cum sit sententia, & iudicium subsequēs inquisitionem; sententia autem de aliquo determinato sit: ergo pariter, consilium alteri datum, determinatum aliquid eligibile respicere debet, & non dari de quocumque maluerit, accipiens cō silium eligere. Secundo, præceptum necessario debet esse de aliquo determinato: ergo pariter consilium. Tertio, si quis namque alteri petenti consilium, pro consilio daret, vt faceret quidquid vellet, non nisi ineptissimé diceretur cō silium dedisse: ergo vel consilium non est, vel determinatum aliquid, præ alio eligibile, respicit.

*Secundo*

157 *Tertio.*

Tertio reijcitur: sicut enim implicat præceptū à quo ex terminis, & modo præcipiendi repugnet recedere, ita implicat consilium, quod est regula actionis liberæ cui ex terminis, & modo consiliandi repugnet, non conformari; sed consilio sic exposito repugnaret ex terminis, & ex modo consiliandi diformari: ergo implicat tale consilium. Denique: non enim negari potest, sub consilio cadere, quæ sunt Deo gratiora operari; sed Christus bene sciebat esse Deo gratius, cum maiori intensione actum charitatis elicere, v. c. quam in minori intēsione; Deo enim gratiora sunt, quæ meliora: ergo Christum actum intensiorem elicere, sub consilio continebatur; & consequenter non fuit ei pro consilio datum, vt quidquid malet, eligeret, sed consilium habuit de aliquo particulari agibili, aut eligibili.

*Vltimo.*

158 *Dices.*

Dices, perfectiora, esse Deo gratiora, si de opposito non supponatur consilium, si namque Deus matrimonium alicui consuleret, gratius esset ipsi, quod accipiens consilium, matrimonium contraheret, quam quod cælibatum iniret, & status perfectionis id peteret; quia ergo Christo pro consilio datum est, vt quod malet, eligeret, hoc ipso quod vel-

let cum minore intensione operari, hoc ipsum Deo gratiosissimum foret; ac per consequens non adstringitur consilio ad intensius operandum. Sed abstinendo pro nunc ab ea quæstione, an Deus possit minus perfecta & minus bona cõsulere? Contra istam solutionem obijcio primo: est enim in confesso omnib⁹ Theologis, sẽper Christũ esse cũ sũma intensione operatũ: at si doctrina traditæ solutionis esset vera, hoc certissimũ non foret, nec posset aliqua ratione probari: ergo solutio tradita est falsa. Probo minorem; non enim alia ratio potest Theologos inducere, vt sentiant Christum semper fuisse operatum cum suprema suorum habituum intensione, nisi quia status perfectionis id petit; sed, admissa traditæ solutionis doctrina, status perfectionis id non postularet in Christo, vt fatentur eius Auctores, & in quo illorum solutio nititur: ergo nulla ratione posset probari, semper Christũ operatum fuisse iuxta adæquatam intensionem habituum.

*Reijcitur primo hæc solutio.*

159 *Secũdo.* Secundo: nam sequitur ex eadem solutione, superflue fuisse animæ Christi infusos habitus in tanta intensione; cõsequens nequit admitti: ergo nec tradita solutio. Probatur sequela. Suprema intensio habituum non alio fine potuit animæ Christi infundi, nisi vt perfectissimé, intensissimé q; operaretur; at Christum intensissimé operari, v.c. diligendo Deum, foret superfluum, cum operãdo remisse culmen moralis perfectionis attingeret, & gratissimæ essent Deo illi⁹ operationes: ergo superflua fuisset tanta habituum supernaturalium intensio. *Tertio.* Tertio: nam sequitur ex eadem solutione, potuisse Christum sine vlla imperfectione morali matrimonium contrahere & cælibatum deserere, nec virginitatem amplecti; consequens absurdu apparet, & pias aures videtur offendere: ergo differenda talis solutio. Probatur sequela, casu, in quo Christus matrimonium eligeret cœlibato relicto, Deo gratius foret, Christum matrimonium contrahere, quam cœlibatum amplecti in principijs traditæ solutionis: ergo absq; casu à culmine perfectionis, & absque detrimento status perfectionis moralis, potuisset Christus matrimonium contrahere, & virginitatem deserere.

Denique reijcitur ista solutio, occurrendo quibusdam leuibus fundamẽtis, quibus illius Auctores nituntur: arguunt primo ex Matthæo cap. 11. illis verbis: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, id est, vt inquiunt, & interpretãtur ipsi, omium actionum, consiliorumque determinatio fuit meæ voluntati cõcessa. Etc. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra* Ioann 13. *Sciẽs, quia omnia dedit ei pater in manus*, qua loquutione innuitur manifeste, facultas concessa Christo omnia pro arbitratu faciendi. Ex quibus verbis tale argumentum conficiunt: in his omnibus testimonijs importatur vniuersalis distributio per ly *omnia*, vel ly *omnis*, à qua iuxta regulam interpretandi Scripturam nihil est excludendum, nisi in cuius inclusione aliqua contineatur absurditas; at in eo quod omnium consiliorum ratio, ac determinatio fuerit humanitati Christi concessa, non solum non est absurditas, sed potius summa decentia, cõuenientiaque, imo & necessitas: ergo accipiendi sunt illi termini cum ea amplitudine, vt amplectantur omnia, quorũ consilia Deus dare potuisset: ac proinde istorum ratio, atque determinatio, taliter fuit voluntati Christi concessa, vt de nullo in particulari consilium acceperit, sed solum pro consilio habuerit, vt quidquid malet, eligeret.

160 *Argues primo pro hac solutione.* *Matth. c. 11. & 28. Ioannis cap. 13.*

Secundo, ex Anselmo *lib. 1. cur Deus homo cap. 19. in medio*, vbi hæc profert de Christo, *nempè, quoniam id ipse est Deus, & homo, secundum humanam, ex qua fuit homo, sic accepit a diuina natura, quæ alia est ab humana, esse suum, quod habebat, vt nihil deberet dare, nisi, quod volebat.* Sed si consilia de actibus in particulari accepisset, hoc verũ esse non posset; cum deberet actionem in particulari consiliatam præstare, ne à cõsilijs diuinis recederet, & à culmine perfectionis deficeret: ergo de nullo in particulari consilium accepit. *Tertio.* Tertio: nã gratiam vnionis, quæ est suprema omnium gratiarum, connaturalissime sequitur dominium vniuersorum, Deo quam maximé simile; sed Deus ratione supremi dominij habet, vt quidquid liberé eligat, perfectissimé eligat, hoc est

161 *Secũdo.* *Anselm.* *Tertio.*

absq;

absque omni imperfectione morali: ergo Christi humanitas ratione dominij supra totum orbem, eandem sibi vendicat dignitatem. Denique arguunt: nam nisi hoc concedatur, tollitur libertas à Christo, vel saltem valde minuitur in omnibus electionibus: at hoc inconueniens est: ergo necessario asserendum, nulli consilio de actibus in particulari fuisse subiectam, sed illi pro consilio datum, vt eligeret, quod malet, sub Dei cõtestatione id sibi gratius futurum.

*Vltimo.*

162 Hæc tamen leuia sunt pro stabilienda tam singulari doctrina, & potius concionatorem agentis, quam Theologũ fundatum, & solidum. Ad primum omissis interpretationibus, é proprio cerebro inventis: Respondeo ex nullo ex testimonijs adductis, aliquid illis fauens deduci. Non ex primo: nam verba illa accipiunt de Christo ratione diuinitatis, Chrysostomus, Hyeronymus, Hylarius, & Augustinus, in Cathena D. Tho. & ipse Angelicus Doctor in Matthæum cap. 11. vnde Verbum illud *tradita* explicat per originem, & generationem à Patre. Et in eodem sensu secundum testimonium interpretatus est D. Thom. super Matth. cap. 28. ex Hieronymo, illis verbis: *Potentia Dei nihil aliud est, quã omnipotentia, & hæc data non est Christo, quia non conuenit Christo secundum humanitatem. Vel si Christo data dicitur, non est, vt consequens gratiam vnionis, sed per ipsam gratiam vnionis; licet autem duplicentur, quæ gratiam vnionis sequuntur; non autem duplicantur, quæ insunt Christo gratia vnionis*: vnde *dico*, subiungit Angelicus Doctor; *quod potentia est data, non quia alia potentia sit data, sed data est, secundum quod est vnita Verbo, vt filio Dei per naturam, sed Christo per gratiam vnionis.*

*Respõdetur ad primum*

S. Tho.

163 Quod intelligendum est, quatenus ea, quæ ab æterno prædicabantur de Verbo Dei, vt subsistente in diuina natura, temporaliter prædicari cœperunt de ipso, quatenus per gratiam vnionis factã humanitati, in eadem subsistente, temporaliter prædicari cœperunt. Vel denique si de Christo ratione humanitatis accipiatur, vt etiam D. Thomas loco relato interpretatur, intelligẽdum est de potestate, vt significat quendam præsidentiæ honorem Christo vt homini super creaturas concessum. Tertium etiã testimonium interpretatus est D. Tho. super Ioannem *cap. 13. lect. 2.* de Christo ratione diuinitatis. Dato tamen, quod testimonia allegata de Christo, vt homine, intelligantur ratione potestatis iudiciariæ, & quia Christo vt homini omnis creatura est subiecta, neganda est minor argumenti facti; ex eo namque, quod Christus de nulla re in singulari à Deo accepisset consilium, sed tantum de eligendo, quod maluisset, magnum sequitur absurdum, nempé voluntatem Christi fuisse sibi supremam suæ perfectionis regulam, Deoque vt consulenti, nomine tantum, non re ipsa subiectam, quod asserendum non est.

S. Tho.

164 Ad secundum ex Anselmo respondeo, solum excludere à Christo debitũ operandi ex coactione, aut timore pœnæ ortum; non autem debitum obligationis ex præcepto, aut ex consilio, eo quod debitum non coacté, sed spontaneé Christus impleret. Ad tertium, concessa maiori, & minori, nego consequẽtiam: quia, vt recté concluderetur, deberet Christo vt homini competere dominium propriarum actionum, non solũ diuino dominio simile, sed cum illo idẽtificatum, & dominio Dei non subiectũ: nam Deum eligere quidquid velit, absque imperfectione morali competit ipsi, quia regulam superiorẽ, à qua possit discordare, non habet, quod Christo, vt homini, communicari nõ potest; ac per consequens, nec potest illi cõcedi, quod superioritatem illam consequitur.

*Ad secũdum ex Anselmo respondetur.*

Ad vltimum, nego maiorem: plena enim libertas, quæ potest inferiori competere, optimé in Christo saluatur absque efugio subordinationis ad Deum, vt consulentem, imo & præcipientem omnia. Et quidem testimonia Scripturæ vniuersalissima sunt; & tamen ab ea vniuersalitate, licuit Recẽtioribus excipere Passionem, & mortem Christi, quæ quia fuit Christo præcepta, non fuit omnino illius arbitrio commissa: cur ergo cætera vsque ad omnis consilij determinationem includunt, nisi quia etiam in Christi libertate statuenda, se arbitros volunt efficere: maneat ergo, Christum subiectum fuisse Dei præceptis, & con-

*Ad vltimum.*

silijs, & oppositum absque fundamento affirmari.

## §. VII.

### *Fundamenta contrariorum diluuntur.*

165 *Primũ argumẽtum.*

AVCTORES, quos retulimus pro tertio, & quarto modo dicendi, vt probent Christum libere postulasse præceptum, & ab eius libera voluntate in sui conseruatione dependentiam habuisse: arguunt in hunc modum primo: nam Christus libere elegit vitam passibilem, & mortalem: ergo & libere elegit præceptum sibi impositum moriendi. Consequentia videtur bona: si namque vita mortalis præ vita gloriosa, & impassibili, fuit Christi liberæ electioni relicta; à fortiori idem asserendum videtur de præcepto moriendi. Antecedens autem ostenditur primo ex Paulo ad Hebræos 12. vbi post recensitos *cap. præcedent.* PP. veteris testamenti, & in exemplum propositos, qui spe diuinarũ promissionum confirmati, grauissimos pertulerunt labores, vt Hebræos excitaret ad currendum propositum sibi certamen, subdit cap. 12. *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.* Quorum verborum sensum non esse, quod Christus sustinuerit mortem, sibi gaudio, & præmio proposito, sed optione sibi data eligendi gaudium, hoc est, vitam immortalem, aut mortalem, & passibilem libere hanc elegisse:

*Antecedens ostẽditur primo.*

*Ad Hebræos c. 12.*

166 *Probatur primo optionẽ fuisse datam Christo eligendi gaudij.*

Probant primo: nam relatis PP. veteris testamenti, qui repromissionum spe, tot sustinuerunt labores, ad Christũ aspicere, non autem ad PP. monet: ergo aliquid altius in Christo imitandũ proponit; at hoc nihil aliud esse potest, quã quod PP. spe gaudij repromissi, fuerint labores perpessi; Christus autem nõ ob gaudium sibi propositum in præmium, sed perfectissima charitate gaudium, mortali, & passibili vitæ posthabuisse: ergo sensus verborum Pauli non est, gaudio sibi in præmium proposito, pro nobis pertulisse labores, sed optione sibi data, vitæ gloriosæ, & mortalis, libere hãc elegisse. Secundo id probant ex fonte Græco, qui vbi nos legimus, *proposito sibi gaudio*, sic habet: *Pro proposito sibi gaudio*; sed illa particula *pro* permutationem vnius pro alio significat, ita vt pro vno ablato, alterum subrogetur loco illius, vt cõstat ex illis verbis Genes. 2. *Et repleuit carnem pro ea.* Et Psalm. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Et Matthæi 2. *Archelaus regnauit pro Herode Patre suo*: & alibi passim: ergo sensus verborum Pauli est, Christum loco gaudij, quod libere eligere poterat, accepisse vitam mortalem, & labores elegisse; ac proinde libere vitam mortalem, & passibilem elegit.

*Secundo probatur idẽ.*

*Genes. c. 2.*

*Psalmo 44.*

*Mathæi cap. 2.*

Secundo idem antecedens probant ex PP. Nazianzenus apud Æcumenium in Panoplia cap. 17. sic habet de Christo: *Cui, cum liberum fuisset, manere in propria gloria, & diuinitate, non solum exinaniuit semetipsum vsque ad formam serui, sed & crucẽ sustinuit, ignominia cõtẽpta.* Chrysostomus ad verba relata Pauli, de Christo loquens, sic habet: *Licebat illi nihil pati, si voluisset: non enim peccatum fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius.* Actãdẽ Anselmus lib. 1. cur Deus homo c. 19. prope initium, de Christo hæc habet verba: *Ille vero sponte obtulit, quod nulla necessitate vnquam amissurus erat*: & rursus ad medium capitis, *quoniam suum erat, & pati, & non pati, &c.* Ergo ex mente horum Patrum, Christus spõte vitam passibilem, & mortalem elegit. Tertio ratione: Christus enim, etiam vt homo, erat Filius Dei naturalis, & proprius, ex quo illi vita immortalis naturalissimé conueniebat, & alias ad homines redimendos quiuis actus sufficiebat: ergo fuit conuenientissimum, vt non, nisi petente, & enixé efflagitante, tantus labor illi imponeretur.

167 *Antecedens probatur secũdo ex PP.*

*Anselm.*

*Tertio ratione.*

Respondeo, sensum verborum Pauli non sumendum ex cerebro Recentiorum, sed ex PP. venandum; illud autem *proposito sibi gaudio*, Glosa interlinealis de gaudio æternæ fælicitatis, ad quod per passionem itur, intelligit, & in eodẽ

168 *Respõdetur.*

sensu

sensu Glossa Ordinaria ex Athanasio illud accipit, necnon D. Thom. loco ex D. Paulo citato lect. 1. his verbis: *Proposito sib gaudio æternæ vitæ pro præsenti sustinuit mortem.* Nec obstant, quæ contra hanc communem interpretationem opponunt: non primum: nam licet Christus aspiciendus, imitandusque specialiter proponatur à Paulo, necessarium non est vt in mortis, laborumque tolerantia præmium propositum non aspexerit, imo cum Paulus Hebræos hortari conetur ad tolerantiam passionum propter gaudium, quod operatur, optimè exemplum posuit in Christo, qui licet confortatione, ex præmij promissione, ad patiendum non indiguerit, vt nostræ fragilitati consuleret, & nobis daret exemplum, præmiū in tolerantia mortis propositum habuit; vt autem specialiter imitandus proponatur, sufficit specialitas laborum ipsius Christi præ omnibus.

*Nec citra hoc vrget 1.*

169 *Nec magis secūdum.*

Nec magis vrget secundum: tum, quia vulgata lectio omnibus est præferenda, in qua præpositio *pro* non habetur. Tum etiam, quia illa præpositio absque vlla improprietate conuertitur in ly *propter*, qualiter accepta nō per mutationē, vel vnius subrogationē pro alio, sed laborū præmiū designat. Secūdo explicari potest de gaudio tēporalis regni à turbis oblati Christo, cum post celebre miraculum saturationis tot hominum, ipsum Regem facere voluerunt, sic explicat Glossa Ordinaria ex Athanasio, illis verbis: *Vel propositio sibi gaudio temporalis regni, quia voluerūt eum turbæ rapere, vt facerent Regem, quod noluit, quia erat via humilitatis*: Cui interpretationi etiam Angelicus Doctor acquiescit loco vbi nuper his verbis: *Istud autem gaudium fuit istud gaudium terrenum quo à turba quærebatur, vt facerent eum Regem, quod ipse contempsit, fugiendo in montem*: de quo gaudio verum est, fuisse humilitati, dolori, & passioni mortis posthabitum, & à Christo in passionem commutatum, & de illo, verum habet præpositio *pro* ex fonte Greco in sensu subrogatiuo; cæterum ex illis verbis sic sumptis, nullatenus potest colligi, fuisse optionem Christo datam inter vitam mortalem, & immortalem.

Ad secundam probationem ex PP. respondetur, Nazianzenum, de Christo non vt homine, sed vt Deo fuisse loquutum quod patet: nam Christo, vt homini, esto voluntaria esse potuit mortalitas, aut passibilitas, ipsa tamen Incarnatio exinanitionis nomine significata, voluntaria esse non poterit, vt omnibus est manifestum; Nazianzenus autem Christo voluntariā asserit subsistantiam Incarnationis: non ergo loquitur de Christo in quantum homine, sed ratione diuinitatis. Chrisostomus autem Verbo *licebat* non facultatem non moriendi ex omni capite expeditam significat, sed solum quoad causas moriendi, ac si appertius diceret Chrysostomus, etsi Christus à Patre fuerit deputatus ad mortem, & in carne mortali decretus, hoc tamen non fuit occasionatū ex ipso, quia peccatum facere non poterat, ex quo mors traxit originem, sed ex nostris demeritis occasionem desumpsit. Et ex his interpretationem accipiunt priora verba Anselmi, cum docet, *Ipsum potuisse obtulisse, quod nulla necessitate vnquam amissurus erat*; excludit enim non necessitatem ratione præcepti Patris, quæ cum libertate compatitur, sed tantum necessitatem, quæ ex ipso originem traheret; hanc enim Christus nō habuit, imo nec habere poterat, vtpote cum peccare nō posset. Posteriora autem verba solum indicant libertatem in patiendo, quam cum præcepto, nec libere postulato, nec conseruato componi, constat ex dictis, & ex dicendis amplius constabit.

170 *Ad secūdam probationē ex PP. Respōdetur.*

Ad vltimam probationem ex ratione petitam, concesso antecedenti, quantum ad vtramque partem, nego consequentiam; sicut enim quamuis Christus quolibet actu libero poterat nedum sufficienter, verum etiam superabundanter humanum genus redimere, nihilominus in sententia Recentiorum conuenientissimum fuit, vt mortalem, & laboriosam vitam eligeret: ita, ratione illa non obstante, conuenientissimū fuit, vt Deus non expectato eius consensu, ipsum in mortali, & laboriosa vita producendum ad homines redimendos decerneret. Et quidem, cum primum Incarnationis decretum ex motiuo redimendi hominem à peccatis processerit,

171 *Ad vltimā probationē ratione respondetur.*

fuerit-

fueritque de Christo in carne passibili, vt ex D. Thoma, & frequentiori sententia docuimus *Tomo 1. de Incarnatione disp. 8.* non potuit mortalitas, aut corporis passibilitas oriri ex libera Christi electione.

172 *Secundū argumētum.* Secundo, vt probent libere à Patre postulasse præceptum moriendi, sic arguunt, ex *Paulo ad Hæbreos*, illis verbis: *Ideo ingrediēs mūdū dixit, hostiā, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatē tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: quibus verbis denotari liberam præcepti postulationem, sibi persuadent primo, quia nō dicit Christus holocaustum non postulasti ab eis, & postulasti à me; nec itē dicit, hostias illas in lege præceptas nō adamasti; præceptum autem imposuisti mihi, *sed corpus aptasti mihi*, scilicet, idoneum, vt eius oblatione tuas offensas compensarem; & statim subiunxit: *Tunc dixi, ecce venio*: ergo in illo tunc formationis corporis apti ad patiendū, nō expectato præcepto, Christus se obtulit morti, & præceptum petijt à Patre

173 *Respōdetur.* Hæc tamen, & alia, quæ suo arbitratu interpretantur, vt inferant liberam præcepti postulationem, nullius roboris sunt, & absque fundamento explicantur; Christus enim statim post verba relata subiunxit: *In capite libri scriptum est de me, vt facerent voluntatem tuam, Deus meus volui*: vnde illud, *ecce venio*, coniungendum est cum illo, *vt facerem voluntatem tuam*: ergo iam voluntas Patris de morte subeūda supponebatur, non simplex, sed præceptiua, atq; adeo ex illis verbis, neutiquam colligi potest libera Christi postulatio præcepti sibi imponendi. Nec id sequitur ex eo, quod in *tunc* Incarnationis hæc dixerit, nisi velimus, ex coexistentia pro instanti, inferre prioritatem naturæ: fuerunt ergo in eodem Incarnationis instanti, & in Patre voluntas præcipiendi, & obedien di voluntas in Christo; non tamen hæc, illam præcesserit, sed é conuerso.

174 *Nec præmūt verba isaiæ.* Nec amplius præmunt verba illa Isaiæ 6. *Quem mittam? Et quis ibit nobis?* Ad quas interrogationes respondens nomine Christi Propheta, *ecce ego*, ideſt, ecce ego libenter id negotij suscipiam, *mitte me*, quasi dicat, iube me id præstare, præceptum de præstando impone. Quæ interpretatio, qua facilitate ab ipsis præstatur, eadem a nobis reijcitur, & quidem cum illis verbis Incarnatio Verbi adumbretur, si quid ex illis colligitur, est carnis susceptionem fuisse Christo vt homini voluntariam, & à Patre libere postulatam, quod nullus potest asserere: veritas ergo in illis verbis contenta est, secundā Trinitatis personam voluntarié carnem susce pisse pro humani generis redemptione.

*Reijcitur aduersariorū interpretatio*

175 *Tertiū argumētum. Matth. cap. 26.* Tertio arguunt ex Matth. *cap. 26.* illis verbis: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo, plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ex quibus manifeste colligitur, Christum habuisse potentiam vitandi mortem, si vellet; at non poterat illam vitare, nisi petendo præcepti dispensationem: ergo hanc facultatem habebat, & consequenter præcepti conseruatio ab illius libera volūtate pēdebat. Quod amplius confirmant ex Ioannis *cap. 10.* illis verbis: *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, à me ipso potestatē habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo*: vbi ponderandum est, mandatum à Patre impositum, coniungi à Christo cum libera facultate ponendi, aut non ponendi animam: ergo adhuc, illo supposito, poterat Christus non mori; at non poterat, non mori, negatione mortis componenda cum suppositione præcepti; aliàs esset potēs peccare: ergo potuit non mori, petendo dispensationem præcepti, & ablata illius obligatione.

*Confirmant primo. Ioan. c. 10.*

176 *Confirmari potest secūdo.* Et confirmari potest secundo: si nāque præcepto imposito, non potuisset Christus se eximere ab eius obligatione, petendo dispensationem præcepti, falso dixisset, neminem ab ipso tollere animam, sed libere illam ponere; cum Pater præceptū irreuocabile imponens, animam à Christo auferret; hoc asserendum nō est: ergo nec quod præceptum irreuocabile fuerit, mediante dispensatione, quam Christus petere poterat. *Tertio Chrys.* Tertio cōfirmari potest ex illis verbis Chrysostomi, *licebat ipsi, nihil pati, si voluis-*

*set:*

set: quæ verificari nequeunt, negatione mortis cuiuncta cum suppositione præcepti: ergo præcepto sublato; ac per cõsequens liberum fuit Christo, à se excutere illius obligationem; petendo dispẽsationem, aut commutationem præcepti.

177 *Respondeo.* Respõdeo, ex verbis Matth. tantum colligi, potentiam consequentem vitãdi mortem pro tunc, vel potentiam antecedentem vitandi mortem absoluté; non autem quod Christus habuerit potentiam consequentem, supposito Patris præcepto vitandi absolutè mortem; nec amplius ad intentum Christi requiritur, quod erat monendi Petrum, se hominum auxilio non indigere, cum posset rogare Patrem, & in illius auxilium tot Angelorum millia exhiberet; vt autem hoc intentum consequatur, sufficit facultas consequens vitandi mortem pro tunc, mediante auxilio Angelorum, & facultas antecedens illam absoluté vitandi: nam eo ipso, quod hanc secundam facultatem haberet, Petri auxilio non indigebat. *Ad primam cõfirmationem.* Ad primam confirmationem dicatur, verbis Ioannis, solum innui, Christum nõ violenter mori, quod indicant illa verba: *Nemo tollit eam à me*, per violentiam, scilicet, vt explicat D. Tho. ad quod sufficit potentia antecedens ad nõ sustinẽdã mortem, nec obstat impotentia consequens ex præcepto Patris orta: præceptum namque moriendi, etsi infallibiliter inferat mortem sustinendam à Christo, violentiam tamen nõ causat, sed potius libertatem in moriendo, vt superius arguebamus.

178 *Ad secũdam.* Ad secundam, nego maiorem; nec verba illa: *Nemo tollit eam à me*, excludunt præceptum mortis, quod violẽtiã in moriendo nõ causat, nec excludit homines, vt mortem causantes, sed tantum violentiam Christi in moriendo, vt ex D. Thoma diximus. *Ad tertiã resp. triplicit.* Ad tertiam, respondeo primo, verbum *Licet* sumi à Chrysostomo pro eodem, ac verbum *Potest*; Christus autem poterat vitare mortem, potentia non consequente, sed tantum antecedente. Vel secundo respondetur; licuisse Christo nihil pati, si voluisset, quantum est ad causam mortis, hoc est, in se causam mortis, quod peccatum est, non habuisse, non autem licuisse Christo absoluté, attento Patris præcepto, orto ex hominum peccatis. Vel tertio, loqui Chrysostomum de Christo, quatenus Deo; sic autem certissimum est, licuisse nihil pati, si voluisset, quia vt Deus nulli legi erat subiectus.

## §. VIII.

### *Traditur verior modus dicendi, & obiectionibus in contrarium occurritur.*

RElictis igitur, & reiectis his modis conciliandi libertatẽ Christi cum illius impeccabilitate in operibus præceptis; ad rationem dubitandi initio dubij propositam, respondeo, cõcesso antecedenti, negando consequentiam: ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: ad cuius probationem, nego maiorem: ad illius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: posse non obedire priuatiué, & in sensu composito, est posse peccare, concedo consequentiam: posse non obedire negatiué tantum, & in sensu diuiso, est posse peccare, nego consequentiam. Nec valet ab actu ad potẽtiam, quia negatio obedientiæ, vt existens, non est pura negatio, sed priuatio, & ponitur, & componitur cum præcepto, eo quod, vt existens, non potest ab vllo accidenti præscindere, quorum vnum est actualis cum præcepto coniunctio, & ratio priuationis; potentia autẽ tendit in illam in sensu diuiso, & prout negatio est: vnde in ista consequentia: *Non obedire de facto, est de facto peccare; potuit non obedire: ergo potuit peccare*; arguitur ab vna de sensu composito, & alia de sensu diuiso ad aliam in sensu composito, & arguitur à non restricto ad restrictum, variaturque appellatio: infertur namque, ex eo quod posset

179 *Vera solutio rationis dubitandi.*

*In ista cõsequẽtia arg. à nõ restricto ad restrictum.*

ponere

ponere negationem sub ratione negationis, posse illam ponere sub conceptu priuationis, in qua prout sic peccatū omissionis cōsistit. Sicuti in hac: *Supposita Dei scientia de dilectione futura, negatio dilectionis existēs, est falsificatio scientiæ diuinæ; potest homo ponere negationem amoris: ergo potest falsificare scientiam Dei*; similis defectus cōmittitur; & consequens nō infertur: nam maior, & minor sunt veræ; consequens autem est falsum: quia ex eo quod homo possit in negationem amoris secundum se, & in sensu diuiso, infertur, posse in illā, vt cum diuina scientia coniunctam; & similiter in hac: *In instanti, in quo est amor, si ponatur odium, coniunguntur odium, & amor; sed homo in instanti amoris potest in odium: ergo potest odium, & amorem coniungere*; variatur enim appellatio, quia in minori fit sēsus diuisus, scilicet, posse ad odium secundū se, quod est verū; in cōsequenti autē sensus cōpositus, idest, posse odiū cum amore coniungere; id ipsum in nostro casu cōtingit; & ideò cōsequentia non tenet.

180 *Instatur primo.*

*Secūdo.*

181 *Tertio.*

Et eodem defectu laborat hæc consequentia: *Actualis negatio obedientiæ, præsupposito præcepto, est actualis transgressio præcepti: ergo possibilis negatio obedientiæ, præsupposito præcepto, est possibilis trangressio præcepti.* Quod enim præstat actu negatio, vt de facto existens, præstat possibiliter negatio, vt possibilis, quæ consequentia eadem est cum præcedenti, & solum distinguuntur penés actiuam, & passiuam, & tamē solet aliquos halucinare, & respondendum est, concesso antecedēti, negando consequentiam: quia in antecedenti fit sensus compositus, & sumitur negatio obedientiæ in sensu diuiso, & vt pura negatio, qualiter est terminus potentiæ antecedentis: vnde, etsi vt actu existens sit transgressio præcepti, vt existens possibiliter, non est possibilis transgressio præcepti, quia non sumitur eodem modo, vt possibilis, ac sumitur vt existens de facto; & ideò, vt possibilis non præstat possibiliter, quod vt existens actu præstat; vt enim hoc verum esset deberet eodem modo accipi vt possibilis, atque accipitur vt existēs. Vel potest, antecedenti concesso, consequens claritatis gratia distingui: negatio obedientiæ, vt possibilis in sensu composito, & per modum priuationis, est possibilis transgressio præcepti, concedo consequentiam: vt possibilis in sensu diuiso, & per modum puræ negationis, est possibilis transgressio præcepti, nego consequentiam.

182 *Aliter potest cōsequens distingui*

Vel aliter potest consequens distingui: ergo negatio obedientiæ, vt possibilis, præsupposito præcepto, possibilitate terminante potentiam antecedentem, est possibilis transgressio præcepti, nego consequentiam: vt possibilis possibilitate terminante potentiam cōsequentem, concedo consequentiam, & ratio distinctionis est: nam potentia consequens dicitur, quæ aliquando est ad actum reducenda, & cui ex nullo capite repugnat cum actu coniungi: vnde cum perfectè, & completè practica sit, à nullo prædicato, etiam accidentali in suis extremis præscindit; potentia autē antecedens est, quæ ad actum reducenda non est, & cui ex aliqua suppositione repugnat cum actu coniungi, tenditque ad actum, vel negationem actus secuedum se, præscindendo ab aliquibus de facto illis coniungendis, quatenus in re ponendis, quia completè, & perfectè practica potentia non est: cum ergo præsupposito præcepto, negationi, v. c. moriendi sit annexa ex accidenti ratio priuationis moralis, coniunctionisque cum præcepto; fit, quod potentia consequens ad illam, sit potētia ad illius cum præcepto coniunctionē, & sit potentia ad peccādum, & quod negatio mortis, vt possibilis possibilitate passiua terminante habitudinē potentiæ consequentis, sit possibilis transgressio præcepti; potentia autem antecedens cum præcisiua sit ab illis, quæ ex accidenti cōiuncta inveniūtur cū actu, vel cum eius negatione, tendit in negationē moriendi acceptā secundū se, nō vt coniungendā cū præcepto, qua ratione non priuatio, sed pura negatio est, ideoq; potentia antecedens ad negationē mortis, etiā præcepto supposito nō est potentia ad peccādū, nec negatio mortis possibilis possibilitate passiua terminante habitudinem potentiæ antecedentis, est possibilis transgressio præcepti.

183 *Hic modus dicēdi est omnibus anteponendus. Medin. Bañez. Zumel. Vincēt. Aluar.*

Hunc modum dicendi his, aut illis terminis explicatu, conciliandiq; libertatē Christi Dñi cum illius impeccabilitate in operibus præceptis cōmuniter amplectuntur Thomistæ. Ita Medina *in præsenti art. 4. dub. 1. ad 1. & infra q. 47. art 2. ad 3. arg.* Bañez 1. p. q. 19. art. 10. *dub. 1. corollar. vlt.* Zumel q. 22. art. 4. *disp. vnic. dub. 2.* Vincentius *relect. de Gratia Christi q. 5. pag. 430.* Aluarez *in præsenti disp. 46. n. 18.* Quos alij Recētiores sequuntur. Esseq; alijs præferendū, præterquāquod constat ex disputationis decursu, probo primo: quia iuxta hunc modum dicendi, omnia testimonia Scripturæ, tam exprimentia præceptum, quā meritum obedientiæ, & mortis significantia, plenaq; & perfecta subiectio ad Patrem saluantur, quæ in alijs modis dicendi non cōponi ex dictis cōstat: ergo modus iste dicendi alijs est anteferendus. *Prob. 1.*

Secundo. Secundo: quia ad cōponendam libertatem Christi Dñi cum necessaria conformitate ad maius beneplacitum Dei, & consilia diuina, necessario est recurrendum ad sensum cōpositum, & diuisum, ad potentiam antecedētem, & consequentem, cum ex vna parte nequeat consilium negari, vt negauit prima sententia præceptum, nec ad circunstantias non cadentes sub consilio recurri; cum eo ipso, quod sint bonitatē actꝰ augentes, sub cōsilio sit, iuxta illas operari, nec ad liberam acceptationem, aut conseruationē consilij, vt §. 5. ostendimus: ergo etiā libertas Christi cōponenda est cum præcepto, iuxta istū modum dicendi.

Tertio. Deniq; nam modus iste consonat cum alio conciliandi libertatē cum efficacia gratiæ, & prædestinationis diuinæ, quē omnibus præferēdū esse *Tractat. de Prædestinatione 1. p. q. 23. art. 6. dub 1.* fusè ostendimus.

184 *Primo arg. contra hūc modum dicendi.*

Sed contra hanc resolutionē plura extant argumenta. Primo arguitur: potentia ad non moriendum sub conditione, quod auferatur præceptum, non sufficit ad saluandā libertatē in moriendo; sed potentia Christi ad non moriēdum, solum est sub conditione, quod auferatur præceptum: ergo non saluat libertatem Christi in moriendo. Minor constat: nam potentia ista non moriendi est ad negationē mortis diuisiuè à præcepto: ergo est ad negationē mortis sub cōditione, quod præceptū auferatur. Maior aute nota est: nā beati habent potentiā ad Deum non diligendū sub conditione ablationis visionis; & tamen non sunt liberi in prædicta dilectione: ergo potentia ad non moriendum sub conditione ablationis præcepti moriendi, nō sufficit ad saluandam libertatem in moriendo.

185 *Respōdetur.*

Respondeo, distinguendo maiorē: si ablatio præcepti est conditio desiderata ad posse non mori, concedo maiorē: si non requiratur vt cōditio ad posse nō mori, sed solū ad de facto non mori ēdū, nego maiorē, & distinguo minorē: ablatione præcepti requisita ad posse nō mori, nego minorē: ad de facto non mori, cōcedo minorē, & nego consequentiā. Nec oppositū conuincit probatio: nā in beatis ablatio visionis est cōditio requisita, non solū ad actu non diligendū, sed etiā ad posse non diligere Deum: vnde de facto nō habēt potentiā proximā ad negationē dilectionis, sed haberēt, si ab illis visio Dei separaretur: non sic in nostro casu; cōiungimus enim cum actuali existētia præcepti moriēdi in Christo potentiā per modū actus primi expeditā ad volendā negationē mortis, etsi ipsā negationē cū præcepto non coniungamus: vnde ablatio præcepti nō est cōditio desiderata ad posse Christum non mori. Quod quidā, nō penetrātes sensū cōpositū, & diuisū Thomistarū, falsò intellexerunt, sed tantū est conditio desiderata ad actualē mortis negationē.

186 *Dices.*

Sed dices: ideò ablatio visionis beatificæ est conditio requisita, non solum ad actu non diligendū, sed etiā ad posse non diligere Deum, quia impedit potētiam non diligendi; sed etiam præceptum impedit potentiam ad non moriendum: ergo illius ablatio est conditio desiderata, non solū ad de facto non moriendum, sed etiam ad posse non mori.

*Respondeo.*

Respondeo, distinguendo maiorem: quia impedit impedimento actus primi, concedo maiorem: impedimento solum ad actum secundum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiā: nā præceptum, etsi impediat, impedimento ad de facto nō moriendum, infallibiliter inferendo vo-

lun-

luntatem moriendi, non tamen impedimento actus primi, & auferente expeditionem potentiæ, cuius discriminis ratio ex dicendis *infra* constabit.

187 *Secūdo arg.* Secundo arguitur; supposito præcepto moriendi, non manet Christo possibilis negatio mortis, etiam in sensu diuiso: ergo non manet libertas moriendi in Christo. Probatur antecedens; ideò est impossibilis Christo negatio mortis in sensu cōpositō, quia non potest illā cōponere cum præcepto, sed nec potest illā à præcepto diuidere: ergo non est ipsi in sensu diuiso possibilis. Patet minor: posse vnum diuidere ab alio, est posse vnum ponere, & aliud auferre; sed Christus non potest à se præceptum auferre: ergo nō potest negationem mortis à præcepto diuidere. Et augetur difficultas: supposito præcepto moriendi, non est possibilis omissio mortis, nisi vel vt coniungenda cum præcepto, vel vt coniungenda cum negatione præcepti; sed nullo ex his modis remanet in Christo potentia ad prædictam negationē: ergo nec manet in moriendo libertas. Minor pro prima parte supponitur; aliàs posset Christus peccare. Pro secūda probatur: posse coniungere negationē mortis cum negatione præcepti, est posse vtrumque componere, & posse vtrumque componere, est posse ponere vtrumque; sed in Christo non est potentia ad ponendam negationē præcepti: ergo nec est potentia ad cōiungēdā negationē mortis cū negatione præcepti.

*Augetur difficultas.*

188 *Respōdetur.* Respondeo, negando antecedens: ad illius probationem, concessa maiori, & minori, distinguo consequens: non est possibilis negatio mortis in sensu diuiso diuisione accepta positiuè, concedo consequentiam: accepta non positiuè, sed præcisiuè, nego consequentiā. Itaq; diuisio positiua negationis moriendi à præcepto, petit ablationē præcepti; & potentia ad illam sic sumptam, petit potentiam ablatiuā præcepti; non autem est hic sensus diuisus, in quo nos constituimus potentiam in Christo ad negationē mortis, præsupposito præcepto, sed diuisio sumitur præcisiuè, ideſt, potentia ad negationē mortis præcisiuè à præcepto existente, & ad illam secundum se, ad quē modum diuisionis, seu potētiæ ad negationē in sēsu diuiso, nō exigitur potētia ad ablationē præcepti, ad illud, scilicet, à se abijciendū. Et ex his ad confirmationē, nego maiorē: nā coniunctio cum præcepto, vel cum negatione præcepti, est quoddā accidens omissionis moriendi: vnde vltra illas cō siderationes possibilitatis omissionis, est alia, nempé, illius secundum se præcisiuè ab his accidentibus, & ad illam, vt sic sumptā, manet in Christo potentia, etiam præcepto supposito, & hæc potē tia est sufficiens ad saluandam libertatem in voluntate moriendi.

*Ad cōfirmationē.*

189 *Dices.* Sed dices, ad id, quod implicat contradictionem, non est dabilis potentia; sed supposito præcepto moriēdi, implicat negatio mortis, nisi vel vt coniungē da cum præcepto, vel cum negatione præcepti: ergo præcepto supposito nō est dabilis in Christo potētia ad illam, ni si aliquo ex modis prædictis. Et confirmabis; implicat potentia ad actum, vel ad negationē actus, absque facultate ad omne essentialiter exactū ad illorū existentiā; sed supposito præcepto moriendi, ad existentiam negationis mortis in Christo, essentialiter requiritur negatio existentiæ præcepti: ergo præcepto supposito non est dabilis potentia ad prædictam negationem, absque potentia actiua ad negationem præcepti.

*Cōfirmatur.*

*Respōdetur.* Respondeo, distinguendo maiorē: ad id, quod implicat contradictionem ex terminis, concedo maiorem: ad id, quod implicat ex suppositione aliqua, subdistinguo maiorem: non est dabilis potentia consequens, concedo maiorē: potentia antecedens, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, distinguo consequens: potentia antecedens, nego consequentiam: potentia consequens, concedo consequentiam: nam implicatio existentiæ omissionis mortis, nisi coniunctiué ad præceptum, vel ad eius remotionem, non est ex intraneis omissionis moriendi, sed ex aliquo accidenti, nempé, ex suppositione præcepti; & ideò terminare potest habitudinem potentiæ antecedentis, quæ præcisiua est ab his, quæ ex accidenti conueniunt; non autem habitudinem potē tiæ consequentis, quæ nec ab accidentibus potest præscindere.

190 *Ad cõfirmatiõem.* Et ex his ad confirmationem, distinguo maiorem: absque facultate ad omne exactum ad illorum exïstentiam ab intrinseco, & per se, transeat maior: si exactum sit, nõ per se, sed ex aliqua suppositione, subdistinguo maiorẽ: potentia consequens, cõcedo maiorẽ: potẽtia antecedens, nego maiorẽ: & sub eadẽ distinctione minoris, distinguo cõsequẽs: potẽtia antecedens, nego consequentiam: potentia consequens, concedo consequentiam: nam quod omissio moriendi nequeat exïstere in Christo, nisi remoto præcepto, non nascitur ex intraneis, essentialibusque ipsi omissioni, sed tantum ex suppositione præcepti, & Christi impeccabilitatis; licet autẽ demus, quod potentia consequens, quæ est vndequaque completa, & ad actum reducenda, petat facultatem ad omne requisitum ad terminum suæ efficaciæ; potentia verò antecedens, quæ est potentia non vndequaque completa, nec ex omni parte expedita, non petit facultatem ad omne requisitum ad actum, vel ad negationem actus, sed ad summũ ad requisita essentialia, & ab intrinseco illorum; & ideò etsi requiratur ad exïstentiam omissionis moriẽdi, quod præceptum remoueatur, potest nihilominus dari potentia, non consequens, sed antecedens in Christo, etiam præcepto suppositio, ad prædictam omissionem, absque potentia ad remotionem præcepti.

191 *Arg. tertio.* Tertio arguitur, & impugnatur solutio; Christus suppositio præcepto moridẽi, est impotens, nõ mori impotẽtia antecedenti: ergo non poterit non mori, etiam in sensu diuiso, nec potentia antecedenti; & consequenter non liberé, sed necessario mortem sustinuit. Consequentia est euidens; non enim stant simul respectu eiusdem, potentia antecedens, & impotentia antecedens: ergo si suppositio præcepto moriendi, fuit impotens nõ mori impotẽtia antecedẽti, non fuit potens potẽtia antecedenti nõ mori, nec ad negationem mortis sumptam negatiué, & in sensu diuiso. Antecedens autem probatur; Christus enim erat impotẽs impotentia antecedẽti ad peccandum: ergo suppositio præcepto moriendi, mansit impotens ad non moriendum impotentia antecedenti. Probatur consequentia primo: nam suppositio præcepto moriendi, non mori redditũ fuit obiectiué peccaminosu: ergo si erat impotens ad peccatũ impotentia antecedẽti, suppositio præcepto moriẽdi, fuit redditus impotẽs impotẽtia antecedenti ad non mori. Secundo: nam impotens impotentia antecedẽti ad effectum per accidens, est etiam per accidens impotens impotentia antecedenti ad effectum per se coniunctum cum effectu per accidens; sed, suppositio præcepto moriendi, est coniuncta negatio ni mortis ratio peccati, ad quã Christus erat impotens impotentia antecedenti: ergo suppositio præcepto moriendi fuit Christus redditus, saltim per accidens impotens impotentia antecedẽti ad effectũ per se, nẽpé, ad negationem mortis.

*Cõsequẽtia probatur 1.*

*Secũde.*

192 *Tertio.* Tertio: nam impotens ad peccandum impotentia antecedenti, est necessitatus necessitate antecedenti adimplẽdum præceptum; sed præceptũ morien di adimpletur sustinendo mortẽ: ergo Christus impotens impotentia antecedenti ad peccãdum, fuit necessitatus necessitate antecedenti ad moriendum; & consequenter impotens ad non morien dum impotentia antecedenti. Deniq; eadem consequentia probatur: nam impotentia antecedens ad peccandum, & transgrediendum præceptum affirmatiuum, est necessitas antecedens ad non transgrediendum illud; sed præceptum affirmativum violatur per omissionẽ: ergo impotentia antecedẽs ad transgrediendum præceptum affirmativum, est necessitas antecedens ad non omittendum; & consequẽter si Christus fuit impotens impotentia antecedenti ad peccandum, fuit necessitatus necessitate antecedenti, suppositio præcepto moriendi, ad non omittendam mortem: ex quo vlterius sequitur, fuisse impotentẽ impotentia antecedenti ad non moriendum.

*Vltimo.*

193 *Respondetur. Ad 1. cõsequẽtiæ probationem.* Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad primam consequentiæ probationem, distinguo antecedens: fuit redditum nõ mori peccaminosum, per se, & essentialiter, ne-

go

go antecedens: accidentaliter, concedo antecedens, & distinguo consequēs: fuit redditus impotens impotentia antecedenti ad non mori, vt coniunctum cum accidenti peccati, concedo consequentiam: ad non mori secundum suam essentiam qualiter negatio est, nego consequentiam. Cum enim negatio mortis ratione præcepti non sit reddita priuatio, nec peccaminosa essentialiter, sed remanserit cum essentia negationis, & priuatio accidentaliter, manet in Christo potentia, quam antea habebat ad prædictam negationem sub conceptu negationis, quæ est potentia antecedens præcisiuè ab accidenti culpæ, & priuationis moralis per accidens illi ratione præcepti annexæ, etsi impotēs semper sit ad prædictam negationem, vt coniunctam cum ratione priuationis, & cum ratione peccati.

194 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, distinguo maiorem: est impotens ad effectum per se, vt coniunctum cum effectu per accidens, concedo maiorem: ad effectum per se præcisiuè à coniunctione cum effectu per accidens, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: fuit redditus Christus impotens impotentia antecedenti ad effectum per se, nempè, ad negationē mortis, vt coniunctam cum ratione peccati, quæ est effectus per accidens, concedo consequentiam: ad negationē mortis præcisiuè ab ista coniunctione, nego consequentiam. *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem, nego maiorem; impletioni enim præcepti duplex extremum opponitur nempè, non adimpletio sumpta priuatiuè, & non adimpletio sumpta negatiuè: vnde vt impotens antecedenter ad peccandum, esset etiam antecedenter necessitatus ad præceptum adimplēdum, oportebat, vt ad vtrumque extremum, nēpè, priuativum, & negativum, impotens esset impotentia antecedenti; ex impotentia autem antecedenti ad peccandum solum infertur impotentia antecedens ad extremum priuativum, quod prout sic peccatum est: non autem ad negativum, in quo negatiuè sūpto, ratio peccati non est; ac per consequens ex impotentia antecedēti ad peccandum, non colligitur necessitas antecedens ad præceptum positiuum adimplendum, nec in re nostra ex impotentia Christi antecedenti ad peccandum, colligitur, supposito præcepto moriendi, necessitas antecedens ad hoc adimplendum præceptum, nec ad mortem sustinendam.

195 *Ad vltimam.* Et ex his ad vltimam probationem consequentiæ, concessa maiori, distinguo minorem: violatur per omissionē sub conceptu priuationis, & consideratam, vt cōpositam cum præcepto, cōcedo minorē: per omissionē sub cōceptu negationis, & cōsideratā, vt diuisam, aut præcisā à præcepto, nego minorem, & distinguo cōsequens: est necessitatus ad non omittendum priuatiuè, & cōpositiuè ad præceptum, cōcedo consequētiam: negatiuè, & præcisiuè à præcepto, nego consequentiam: ex quo solum sequitur, Christum necessitatum fuisse necessitate antecedenti ad non omittendam mortem, omissione sumpta priuatiuè, & vt compositam cum præcepto; non autē, quod fuerit necessitatus necessitate antecedenti ad non omittendam mortem omissione sumpta negatiuè, & præcisiuè à præcepto: ac per consequens, etsi fuerit impotens impotentia antecedenti ad non moriendum, sumpto non mori priuatiuè, & compositiuè cum præcepto, erat tamen potens potentia antecedenti non mori, sumpto non mori negatiuè, & præcisiuè à præcepto.

196 *Si opponas.* Si opponas, supposito præcepto moriendi, non datur medium inter negationē mortis sumptam priuatiuè, & præcepti adimpletionem: ergo si hoc præcepto supposito, manst Christus necessitatus necessitate antecedenti ad nō omittendā mortem, non mori sumpto priuatiuè, manst necessitatus necessitate antecedenti ad præcepti adimpletionem; ac per consequens ad moriendum; consequentia est bona; & antecedens probatur: supposito præcepto moriendi, negatio mortis nequit esse pura negatio, sed necessario est carentia alicuius debiti, nempe, mortis debitæ ratione præcepti: ergo supposito præcepto moriendi, non datur medium inter non mori sumptum priuatiuè, & præcepti adimpletionem.

*Respõdetur.*

Respondeo, distinguendo antecedens: non datur medium vt de facto existens, & possibiliter potentia consequenti, concedo antecedens: non datur medium possibiliter potentia antecedenti, nego antecedens, & consequentiam: nam licet supposito præcepto moriendi, eo ipso, quod negatio mortis poneretur in re, esset priuatio, vtpote carentia formæ debitæ ex præcepto, & cõsequenter in ordine ad existendum de facto, non detur medium inter negationem mortis sumptam priuatiué, & præcepti adimpletionem; nec similiter sit dabile hoc medium per respectum ad potentiam consequentem, quæ à nullo rei accidenti valet præscindere; quia tamen semper negatio mortis manet cum essentia negationis, & accidentaliter solum sit priuatio; & aliàs potentia, quæ solum est antecedens, præcisiua est ab his, quæ ex accidenti sui termino conueniunt; fit consequens, quod respectu potentiæ antecedentis medium detur, nempé, negatio mortis sumpta secundum essentiam negationis, & vt possibilis possibilitate antecedenti; ac proinde quod manserit in Christo potentia antecedens ad negationem mortis sic sumptam, cum quo, etsi cõpatiatur necessitas consequens ad moriendum, & ad adimplendum præceptum; non tamen componitur necessitas antecedens ad hæc, quia necessitas antecedẽs ad præcepti adimpletionem petit impotentiam antecedentem, non solum ad extremum priuatiuum, sed etiam ad negatiuum, vt superius dicebamus, & est per se manifestum.

197 *Quarto arg.*

Quarto arguitur, & impugnantur prædicta: necessitas moriendi ex præcepto, est in Christo necessitas antecedens: ergo præcepto supposito, nõ manet in illo potentia antecedens ad mortem non sustinendam. Consequentia ex dictis constat. Antecedens autẽ ostẽditur primo ex Anselmo lib. de cõcordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ, cum libero arbitrio cap. 1. illis verbis: *Cum dico, si præscitur aliquid, necessè est illud esse futurum, idem est, ac si dicam, si erit, ex necessitate erit; sed hæc necessitas non cogit, aut prohibet aliquid esse, aut non esse; ideo enim, quia ponuntur res, esse dicuntur, ex necessitate esse, aut quia ponuntur non esse, affirmantur, non esse ex necessitate, non quia necessitet, aut prohibeat, vem esse, aut non esse: nam cum dico, si erit ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei positionẽ non præcedit, idem valet, si sic pronuntietur, quod erit ex necessitate erit, nõ enim aliud significat, sic necessitas, nisi quod erit non poterit simul non esse.* Hæc Anselmus: ex quibus aperte constat, solam necessitatem, quæ rei positionem consequitur, antecedentem non esse; at necessitas orta ex præcepto non consequitur actum acceptandi præceptum: ergo hunc actum præcedit; & consequenter est non consequens, sed antecedens necessitas.

*Antecedens ostẽditur primo.*

*S. Ansel.*

198 *Secũdo.*

Secundo probatur: nam ex vi præcepti necessario sequitur actus adimplens præceptum in voluntate impeccabili; sed necessitas hæc non consequitur ad actum, sed illius positionem antecedit: ergo est necessitas antecedens.

*Tertio.*

Tertio, & vrgentius probatur: necessitas namque orta ex aliquo se tenente ex parte actus primi non est consequens, sed antecedens; at præceptum se tenet ex parte actus primi in ordine ad actum obedientiæ: ergo necessitas orta ex præcepto non est consequens, sed antecedens. Minor constat; obiectum enim vt cognitũ ad actum voluntatis ex parte actus primi concurrit; sed obiectum obedientiæ est præceptum superioris, sine quo obedientia non saluatur, vt cõtra Lorcam docuimus: ergo præceptũ vt cognitum se tenet ex parte actus primi respectu actus obedientiæ. Maior autem sic ostenditur; etenim necessitas ex visione beatifica non alia de causa antecedens est, & libertatem non patitur in actu dilectionis beatificæ, nisi quia ex parte actus primi ad prædictum actum concurrit; & é contra: ideò in sententia Thomistarum auxilium physicé prædeterminans, non inducit necessitatem antecedentem, sed consequentem, quia non ex parte actus primi se tenet, sed vt applicatio efficax ad actus nostros concurrit: ergo necessitas orta ex aliquo se tenente ex parte actus primi, est necessitas antecedens; & consequenter non patitur libertatem in actu, quem

in.

infallibiliter infert.

199 *Respõdetur 1.* Respondeo, negando antecedens: ad primam probationem, distinguo maiorem: sola necessitas, quæ rei positionem, aut nostram libertatem consequitur formaliter, aut æquiualenter, est necessitas consequens, concedo maiorẽ: formaliter tantum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: consequi nostram libertatem formaliter, est illam in se ipsa supponere; consequi autem nostram libertatem æquiualenter est consequi, & illam supponere in aliquo eminenter illam continente, & quia præceptum impositum voluntati impeccabili, suppo nit efficacem voluntatem Dei de operatione præcepta, in qua eminenter illius continetur libertas; vt enim pluries repetit Augustinus, magis habet Deus in potestate sua voluntates hominũ, quã ipsa suas habent voluntates; fit consequens, quod necessitas orta ex præcepto posito subiecto impeccabili, consequatur libertatem actus præcepti, etsi non formaliter, æquiualenter tamen; ac proinde quod non sit antecedens, sed cõsequens quoad effectum conseruandi, inferendique libertatem.

200 *Respondetur 2.* Vel secundo, distinguo maiorem: sola necessitas, quæ rei positionem, aut nostram libertatem sumptam in recto subsequitur, non est antecedens, nego maiorem: sumptam in recto, vel in obliquo, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam cum præceptum sit de actu, connotando libertatem in illo, & efficacem voluntatẽ Dei de actu liberé exercendo supponat in subiecto impeccabili, licet necessitas, quæ sequitur ex præcepto, non supponat libertatem actus præcepti sumptam in recto, illam sumptam in obliquo supponit; cum præsupponat præceptum, & voluntatem efficacem Dei importãtia in obliquo libertatem actionis præceptæ; & ideò non est antecedens, sed consequens, sufficiẽti modo, vt libertatem non destruat, sed potius inferat.

*Ad 2. antecedentis probationẽ.* Et ex his ad secundam antecedentis probationem constat solutio. Ad tertiam antecedentis probationem, nego maiorem vniuersaliter intellectam: intentio enim efficax finis ex parte actus primi se tenet respectu electionis, illamque infallibiliter infert, quando non est nisi vnicum tantum medium, & tamen illius libertatem nõ tollit in sententia Thomistarum; imperiũ etiam ex parte actus primi se tenet respectu actus voluntatis, qui dicitur vsus; cum ad illum regulatiué concurrat, illumque efficaciter infert, quin eius libertatem impediat. Auxiliũ etiam efficax in sententia pluriũ Thomistarum, non solum applicatiué, sed etiam per modum complementi actus primi ad operationes nostras concurrit, illasque infallibiliter infert, atque operationis negatio nequit cum illo coniungi; & tamen libertatem nostrarum operationum non tollit, sed infert, & firmat: nõ ergo omnis necessitas orta ex se tenente per modum actus primi, est antecedens, sed solũ illa, quæ sequitur ad principium non supponens libertatem nostram, nec in se ipsa formaliter, nec in aliquo eminenter continente, vel quæ sequitur ad principium nõ cõnotans pro termino, & materia libertatẽ; hoc enim ipso, quod necessitas ad libertatem nostram aliquo ex his modis sequatur, etsi proueniat ab eo, quod ex parte actus primi se tenet, non est antecedens, sed consequens; ac proinde libertatem nõ impediens: quia ergo præceptum impositum voluntati impeccabili, sequitur ad voluntatem efficacem Dei de operatione præcepta, in qua illi⁹ libertas eminentius, quam in se continetur; & aliàs libertatem connotat in actu præcepto; fit, quod necessitas ex præcepto non sit antecedens, sed consequens. Et quidem auxilium efficax, esto applicatiué tantũ concurrat; si tamen non supponeret efficacem voluntatem Dei operationis vt liberæ, & libertatem nostram non connotaret, illam absque dubio impediret: ergo quod non impediat, non est, quia applicatiué tantum concurrat, sed quia ad nostram libertatem æquiualenter consequitur, illamque pro effectu connotat; ac proinde si quod se tenet ex parte actus primi, his cõditionibus gaudeat, esto infallibiliter inferat operationem, illius libertatem non impediet, sed firmabit.

*Ad tertiam.*

202 *Respõdetur ad paritatẽ visionis beatificæ.*

Nec visio, ideò solum antecedenter ad Dei dilectionem necessitat, quia ex parte actus primi concurrit; sed quia in dilectione, prout ad Deum terminata secundum perfectiones necessarias, libertatem non connotat, sed potius necessitatem, vt pote obiectum infinitum, vt in se visum proponens, ad quod voluntas non sub conceptu liberæ, sed naturæ comparatur: vnde eiusdem actus, vt ad proximum, & formalitates liberas Dei terminatur libertatem non aufert, tametsi ad illam, etiam prout ex parte actus primi se habeat, nec similiter ex eo ad non peccandum; tum ipsa visio: tum etiam Verbi personalitas antecedentem necessitatem inducunt, quia ex parte actus primi se tenent, sed quia non cõnotant in actibus libertatem contrarietatis, nec potestatem peccandi, nec consequuntur ad decretum Dei efficax de libertate contrarietatis, & potestate ad peccandum, cuius oppositum in præcepto contingere constat ex dictis: & ideò esto ex parte actus primi comparetur ad actum obedientiæ, illumque infallibiliter inferat, nec inducit necessitatem antecedentem ad obediendum, nec tollit potentiam antecedentem ad non obediendum.

203 *Si dicas*

Nec obstat si dicas: necessitatẽ ad vnũ extremum esse impedimentũ ad extremũ oppositũ, aut contradictorié, aut cõtrarie: ergo necessitas per modũ actus primi ad vnum, est impedimentum per modum actus primi ad oppositum; & consequenter necessitas ex præcepto concurrente in actu primo ad actum obedientiæ, erit impedimẽtum per modum actus primi ad extremum oppositum obedientiæ; sed ad libertatem in obediendo requiritur potentia per modum actus primi expedita ad non obediendum: ergo cum necessitate ex præcepto se tenente ex parte actus primi, non competitur libertas in obediendo.

*Respõd.*

Nam respondetur, quod licet necessitas proueniens ab aliquo concurrente in actu primo non supponente libertatem actus secundi, nec formaliter, nec æquiuelenter, nec libertatem actus connotante, sit potentiæ impedimentum, nedum vt actu coniungatur cum opposito extremo, sed etiam vt possit coniungi, quando tamen inferens necessitem in ordine ad vnum extremum, illius libertatem æquiualenter supponit, & in ipso formaliter connotat, etsi impediat actu cum opposito extremo coniungi, non tamẽ impedit posse coniungi cum illo, vt constat in exemplis adductis, & quia necessitas ex præcepto proueniẽs huius conditionis est; fit consequens, quod licet actum oppositum vel oppositam negationem impediat, non tamẽ impediat potentiam, vt possit in oppositam negationem: vnde in Christo reliquit potẽtiam antecedentem ad nõ mori, & non obediendum negatiuẽ

204 *Dices.*

Sed dices: ad rationem libertatis requiritur, quod principium, positis omnis requisitis ad posse operari, possit operari, & non operari; sed præceptum requiritur ad posse obedire, & illo posito, & inferente necessario obediẽtiam, non est potens Christus obedire, & non obedire: ergo, illo sic constituto, non liberé, sed necessario Christus obediit.

*Respõdetur.*

Respondeo, veram esse maiorem de potentia antecedenti ad operandum, & non operandum; falsam autem de potentia consequenti; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia etiam, præcepto supposito, est in Christo potentia antecedens ad non obedire per modum puræ negationis, etsi non sit in illo potentia consequens ad non obediendum, & hoc ideò, quia cũ præceptum supponat libertatem obedientiæ ex ipso illatæ in volitione efficaci diuina eminenter illam continente, & eandem libertatem connotet in seipsa formaliter, & libertas in obediẽdo, potentiam antecedentem ad non obediendum per modum negationis requirat; fit, vt sub ipso præcepto hæc potentia conseruetur: ac proinde, quod non impediatur.

205 *Instabis*

Instabis; ad liberé obediendum præcepto, requiritur potentia expedita ad coniungendam negationem obedientiæ cum omni, quod ex parte actus primi se tenet; sed vnum ex his, quæ ex parte actus primi concurrunt, est aduertentia ad præceptum: ergo, vt Christus liberé obediat præcepto, requiritur expedita potentia ad negationem obediẽtiæ coniungendam cum præcepto; at

hoc implicat; cum non obedire, vt coniunctum cum præcepto peccatum sit, quod ab intrinseco Christo repugnat: ergo, & implicat libera obedientia in Christo.

*Respõdetur.* Respondeo, negando maiorem, cuius falsitas constat in homine grato, & iusto, qui instante præcepto diligendi Deum super omnia, liberé adimplet præceptum, Deum super omnia diligẽdo, & tamen omissionem dilectionis non potest cum gratia, & charitate cõiungere, quæ ex parte actus primi, ad Deum diligendum, & præceptum adimplendum concurrunt, gratia per modum radicis, & charitas per modum virtutis proximæ: nõ ergo petitur ad libertatem facultas ad coniungendum vtrũque extremum; cum omni ex parte actus primi ingrediente; constat etiam in exemplis supra adductis.

206 *Si dicas.* Si dicas; ideo homo iustus liberé adimplet præceptum, quia à se potest abijcere gratiam, & illa abiecta, cum potentia peccatum coniungere, quod si gratia inamissibilis esset, & non posset illam abijcere, non esset liber in præcepti adimpletione; eo quod non posset cum gratia, & charitate ingredientibus ex parte actus primi, omissionem dilectionis coniungere; at præceptum ex parte actus primi ad actum obedientiæ concurrit, & cum illo nequit Christus non obedientiam coniungere, nec præceptum à se per non obedientiam abijcere: ergo liber non est in præcepti adimpletione.

*Respõdetur primo.* Respondeo, negando causalem maioris: nam supposito, quod in instanti antecedenti non amisserit gratiam, in instanti B. V. C. præsenti, non potest gratiam abijcere; & tamen in hoc instanti liberé adimplet præceptum libertate formali, & intrinseca, & non solum denominatiua à libertate temporis antecedentis: ergo sine facultate abijciendi gratiam, & sine potentia coniungendi cum illa omissionem præceptam, saluatur libertas in adimplendo præceptũ; & consequenter, ratio prædictæ libertatis non est facultas abijciendi à se gratiam per præcepti transgressionem, nec verum est, quod si gratia inamissibilis esset, non maneret libertas in adimpletione præcepti: nam licet non maneret libertas contrarietatis, eo quod, hanc non connotat gratia ab intrinseco inamissibilis, nec sequitur ad volitionem efficacem Dei de actu libero hac libertate; libertas autem cõtradictionis cum illa perseueraret, sicut manet in beatis, quorum gratia inamissibilis est ab intrinseco, eo quod hanc libertatem semper connotat in actionibus præceptis, illamque supponit in voluntate efficaci diuina eminenter contenta.

207 *Secũdo* Vel secundo respondetur, distinguẽdo maiorem; cum omni ex parte actus primi se tenente, supponente libertatẽ actus formaliter, aut æquialenter, nego maiorem: non supponente libertatẽ actus aliquo ex prædictis modis, concedo maiorẽ: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nã præceptum sequitur ad libertatem operationis præceptæ eminenter, & æquialenter, vt sæpé iam diximus: vnde sicut in sententia asserente, Christum liberé adimpleuisse præceptũ, quia liberé postulauit à Patre illius impositionem, saluatur libertas in obediendo, absque facultate ad coniungendam negationem obedientiæ cum præcepto, etsi ex parte actus primi se teneat, quia subsequutum fuit ad libertatem Christi formaliter: ita in nostra, quia ad libertatẽ Christi æquialenter fuit subsequutum, saluatur libertas in eius adimpletione, absque facultate coniungendi negationẽ obedientiæ cum præcepto ex parte actº primi ingrediente. Pluries alibi huic obiectioni aliam dedimus solutionem, sed libuit in præsenti viam non tritam apperire, vt libertatem Christi in operibus præceptis multis ex capitibus cõpositam defendamus.

208 *Quinto arg.* Quinto arguitur, & instatur contra hanc solutionem: lex, aut præceptum non connotat essentialitér libertatem in actione præcepta; & consequenter nec supponit libertatem illius eminenter, aut æquialenter in efficaci voluntate diuina: ergo malé ex isto principio inferimus, necessitatẽ ex illo inductam in voluntate impeccabili, esse tantum consequentem; & idcirco non auferre potentiam antecedentẽ in oppositum illius, nec libertatem adimere. Con-

se-

sequentia ex dictis tenet. Antecedens autem probatur; Christus enim obligatus fuit lege naturali prohibente odium v.c. Dei, & idem est dicendum de alijs legibus negatiuis; & tamen, hac lege supposita, non mansit Christus liber in eius adimpletione: ergo de essentia præcepti non est libertas operationis præceptę, cum præcepto conseruatæ, sed tantum ad præceptum suppositæ. Probatur minor, ad libertatem in negatione odij, requiritur potentia expedita per modum actus primi ad odium; sed in Christo nō est potentia expedita in ordine ad odiū diuinum: ergo nec est in illo libertas in negatione odij. Minor probatur, odio Dei essentialiter est annexa malitia; sed potentia quamuis sit antecedens, nō potest inter prædicata essentialiter connexa diuidere, vel ad vnum præcisiué ab alio terminari: ergo potentia etiam antecedens ad odium, est potentia ad peccandum; & consequenter in Christo talis potentia non datur; cum vt supponimus, & fatentur omnes Theologi, impotens sit ad peccandum potentia antecedenti.

209 *Confirmatur.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: ideo supposito præcepto moriendi, manet in Christo potentia antecedens ad negationē mortis, quia negationi mortis non est essentialiter annexa ratio culpæ, aut omissionis moralis, nec essentialiter cum præcepto illam prohibente cōnectitur; potētia autem antecedens potest inter prædicata essentialiter non connexa præscindere; sed odio Dei vt libero, qualiter per legem negatiuam prohibetur, essentialiter est annexa malitia cōmissionis, est que essentialiter cum præcepto prohibente connexum; aliàs posset non prohiberi de potentia Dei absoluta, dariq; odium Dei liberum, quod peccatū non esset: ergo non est dabilis potentia antecedens ad odium Dei ab illius malitia præscindens; sed Christo repugnat potētia antecedens in ordine ad malitiam moralem: ergo repugnat illi potentia antecedens in ordine ad odium Dei; & consequenter non est liber in negatione odij, nec in adimpletione legis prohibentis odium, & illius negationem præcipientis.

Respondent quidam Recentiores nostri, concessa maiori, negando minorem; ad probationem distinguūt minorem; requiritur potentia expedita ad odium quoad substantiam potentiæ, nego maiorem: quantum est ex vi modi potentiæ, quo tendit omissiué in obiectum iudicio indifferenti propositum, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, negāt consequentiam; quia vt saluetur libertas, non exigitur, posse in oppositum quoad substantiam potentiæ, sed solum posse ex vi modi, quo in obiectum tendit, vel per actum, vel per omissionem actus, & vt isto modo voluntas tendat in oppositum, sufficit, quod licet sit determinata ad vnum determinatione infallibilitatis, non tamen sit determinata ad vnum per modum naturæ; hæc autem indeterminatio ad vnum per modum naturæ, saluatur quoties voluntas agit, vel omittit agere regulata iudicio indifferenti, hoc est, non proponente infinitam bonitatem clare, & intuitiué cognitam; quia ergo iudicium regulans omissionem odij in voluntate Christi non proponebat bonitatem diuinam secundum perfectiones necessarias; sic enim cum necessario ametur ne cessitate exercitij, nō potest terminare odium, sed vt est ratio in exercitio diligendi creaturas, fit, vt ex vi modi, quo omittebat odium, posset Deum odio habere, & etiam posset peccare.

210 *Receptio rū Thomistarū solutio.*

Hæc tamen solutio non placet: nam ex illa sequitur, Christum fuisse liberū non solum libertate cōtradictionis, sed etiam contrarietatis; consequens est cōtra omnes Theologos: ergo & tradita solutio. Probo sequelam: sicut libertas contradictionis consistit in indifferentia ad extrema contradictorié opposita, ita libertas contrarietatis in indifferētia ad extrema opposita contrariè, vel priuatiué; sed iuxta hanc solutionem, Christus erat indifferens, non solum ad extrema contradictorié opposita, sed etiam ad extrema opposita priuatiué; odium enim, & omissio libera odij priuatiué, aut contrariè opponuntur; cum comparentur vt malum, & bonum morale, inter quæ maior est, quàm contradictoria oppositio: ergo nedum erat liber

211 *Contra.*

ber libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis.

212 *Respõdetur primo.* Vnde, prætermissa hac solutione, respondeo, si hoc argumentum probat aliquid, non solum conuincere, non esse de ratione præcepti libertatem actionis præceptæ cum præcepto conseruatam, verum etiam nec ad præceptum suppositam, quod patet; nam in Christo non solum est impotentia ad odium Dei ratione malitiæ moralis, illi prouenientis ex lege naturali, & æterna, sed etiam ratione malitiæ radicalis conuenientis odio præcedenter ad legem ex diformitate, & disonantia ad naturam rationalem: ergo si ratione impotentiæ Christi ad odium, non est liber in negatione illius, talis negatio Christo libera non est, non solum libertate cum præcepto, scilicet lege conseruata, sed nec etiam libertate ad præceptum præsupposita; & consequenter siquid probat, conuincit, nec libertatem actionis præceptæ ante legem præsuppositam esse de ratione præcepti.

213 Ad illud ergo respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, & prætermissa minori, distinguo consequens: de ratione legis, aut præcepti negatiui transeat consequens: legis, aut præcepti positiui præcipientis actum, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est, nam lex negatiua v.c. non habendi odio Deum, potest per puram negationem nullo modo liberã adimpleri; cum enim semper, & pro semper obliget, semper, & pro semper frangitur, vel impletur; non autem semper, & pro semper homo suam libertatẽ exercet; ac per consequens per puram negationem odij, quæ nullatenus sit libera, lex negatiua odium prohibens adimpletur. Vnde non mirum, quod libertatem in sui adimpletione essentialiter nõ connotet; cæterum lex positiua præcipit actum positiuum humanum, & per illum petit impleri; actus autem, vel liber est, vel humanus non est: ac proinde libertatem in actione præcepta connotat essentialitér, & repugnat per actum necessarium adimpleri.

214 *Secundo respondetur.* Vel secundo responderi potest ad probationem antecedentis, cõcessa maiori, & permissa minori, distinguendo consequens: de ratione legis essentialiter connexæ cum re præcepta, aut prohibita, transeat consequens: de ratione legis non terminantis hanc connexionẽ, nego consequentiam: & quia lex præcipiens mortem, cum mortis acceptatione essentialiter connexa non est, nec ab illa exacta essentialitér, fit, vt nõ solum petat libertatem ante legem suppositã, verum etiam libertatem cum eadem lege conseruatam. Ratio autem distinctionis traditæ est: nam lex taliter petit sui liberam adimpletionem, quod non exposcit in illa libertatem contrarietatis, sed solum libertatem contradictionis; alias repugnaret respectu subiecti ab intrinseco impeccabilis. Est autem hæc differentia inter legem essentialiter exactam ab actione, aut negatione prohibita, vel præcepta, & illam, quæ non exigitur essentialiter, quod respectu huius est dabilis libertas contradictionis absque libertate contrarietatis, ratione potentiæ antecedentis ad oppositum actionis præceptæ, sumptum secundum essentiã præcisiuè à malitia ex accidenti illi adiuncta; respectu vero legis essentialitér connexæ cum actione, aut negatione prohibita, vel præcepta, non est separabilis libertas contradictionis à libertate contrarietatis, eo quod cum extremo essentialiter prohibito sit essentialis malitia, non est dabilis potentia antecedens ad illud ab illius malitia præscindens: & ideo lex huius generis, etsi libertatem petat ad præceptum præsuppositam, nõ tamen connotat libertatem cum se ipsa conseruatam: lex autem, quæ essentialis non est rei præceptæ, vtrumque modũ libertatis exposcit. Et quidem non esse eandem rationem de lege præcipiente actum, ac de lege prohibente, fateri tenentur contrarij Auctores, cũ doceant, Christum, eo quod necessario Deum diligebat per dilectionem beatificam, nõ teneri lege naturali diligendi Deum super omnia, nisi illi possibilis sit alius actus dilectionis Dei liberæ; & tamen quãuis ad Deum non odio habendum sit, non minus necessitatus, quam ad eius dilectionem, non negant teneri lege prohibente odium: dispar ergo ratio inter vtrumque inuenitur: ac per consequẽs ex eo quod ad legem prohibentẽ odiũ

non

non requiratur libertas in emissione odij cum hac lege conseruata, non sequitur ad legem præcipientem actum libertatem actus conseruatam non requiri.

215 *Tertio respondetur.*

Vel tertio responderi potest, concessa maiori, negando minorē: ad cuius probationem distinguo maiorem: requiritur potentia antecedens ad odium sumptum entitatiué, & physicé, concedo maiorem: ad odium, vt est malum morale, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet in Christo non esset potētia, etiam antecedens, ad odium, vt est malum morale; erat tamen potentia antecedens ad odium sumptū entitatiué, & sub conceptu actualitatis, qualiter terminat concursum præuium, & simultaneum Dei, & sicut cōcursus diuinus terminatus ad odium secundum conceptū entitatis, & actualitatis, præscindit à ratione malitiæ: ita potentia antecedens, quæ in ordine ad odium reperitur in Christo, ad entitatem, & actualitatem odij terminatur, & à malitia præscindit. Ad probationem minoris, quæ distinctioni traditæ obstat, distinguo maiorem: non potest præscindere inter prædicata essentialiter connexa, quorū vnum est de primaria alterius constitutione, concedo maiorem: quorum vnū de alterius primaria constitutione non est, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam ratio malitiæ, esto essentialiter sequatur ad entitatem physicam odij, nō tamen est de primaria illius constitutione; sed extra illius conceptum primariū, vtpoté expectās ad diuersam lineam, nē pé ad moralem; licet autem potentia antecedens non sit præcisiua inter prædicata essentialiter connexa, quorum vnum est de primaria alterius constitutione; bene tamen, cum licet essentialiter connectantur, vnum tamen est extra alterius primarium constitutiuum; & ideo potentia antecedens in Christo, terminatur ad odium sumptum physicé, & entitatiué, non autem sumptum moraliter, qua ratione peccatum est, & offensa.

216 *Obiectio I.*

Sed oppones aduersus istam solutionem primo: nam ex illa sequitur, esse cōcedēdam absolutē istam propositionē: *Christus potuit odio habere Deum*; & istam: *Christus potuit mentiri*; consequens est falsum, & piarum aurium offensiuum: ergo tradita solutio sustinenda non est. Secundo: nam sequitur ex eadem solutione, amorem Christi beatificum non solum fuisse liberum libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis; consequens est contra communem Theologorum sententiam: ergo & assertum in tali solutione. Patet sequela: sicut libertas contradictionis cōsistit in agendo cum indifferentia ad negationem actus: ita libertas contrarietatis in agendo cum indifferentia ad contrarium; sed Christus iuxta hanc solutionem, nō solum dilexit cum facultate ad non diligendum, sed etiam cum facultate ad odium, quod contrariē opponitur amori: ergo nedum fuit liber libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis.

*Secūdo*

Tertio, nam sequitur Christum potuisse Deū de facto odio habere absque eo, quod peccaret; consequens absurdum est: ergo & solutio. Probatur sequela: Deus non solum potest antecedenter concurrere ad odium entitatiué, præscindendo à malitia, sed etiam cum hac præcisione ad odium de facto concurrit: ergo si exparitate cōcursus diuini in odium mouemur ad constituendam potentiam antecedentem in Christo, ex eadem paritate est dicendum, potuisse de facto Christū in Dei odium influere sub cōceptu physicæ actualitatis, præscindēdo à malitia morali. Denique, quia vt superius dicebamus, nō est dabilis potentia antecedens ad id, quod implicat cōtradictionem ab intrinseco, & ex terminis; sed ab intrinseco, & ex terminis Implicat odium Dei liberum sine malitia morali: ergo non est dabilis potentia antecedens ad odium Dei liberum sine morali malitia.

217 *Tertio.*

*Vltimo.*

Respondeo ad primam replicam, negando sequelam: nam propositiones illæ, sumptæ absolute, non solum importāt entitates, & actualitates actionum odij, & mendatij, sed etiam illarum deformitates, ad quas in Christo potentia antecedens non erat. Ad secundum dicatur, libertatem contrarietatis duplicitér

218 *Respōdetur ad primum*

*Ad secūdum.*

citer sumi posse, primo pro indifferentia ad extrema positiue opposita, secundo pro indifferentia ad opposita oppositione moralibonitatis, & malitiæ: primo modo sumptam, concedimus, illam Christo, nec illam vllus Theologorum negat, imo etiam conuenit Deo, cū non solum sit indifferens ad volendum, & non volendum, sed etiam ad volendum hoc, & ipsi contrarie oppositum: sumptam secundo modo, illam cum communi sententia Christo negamus, nec obiectione probatur: nam facultas Christi non est ad odium secundum malitiam moralem, sed secundum physicam entitatem, in qua prout sic non elucet ratio moralis malitiæ.

219 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego sequelā. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequētiam: nam Deus ideo de facto influit in entitatem odij præcisiue à malitia morali, quia iura primæ causæ non solum petunt, quod possit, sed etiā quod de facto aliquando influat in entitatem odij, quod si iura primæ causæ id non peterent non posset influere in entitatem physicam odij, quin ipsi adscriberetur malitia moralis odij; iura vero libertatis, ob quæ Christo facultatem antecedētem respectu entitatis odij concedim⁹, nō petūt, quod de facto influat in odiū, sed tantum quod possit facultate antecedenti influere, & ideo ducti paritate sūpta ex concursu Dei in odium, concedimus Christo facultatem antecedentem in entitatem physicam odij cum præcisione à malitia, quin ex hoc colligatur, posse de facto influxum illum præstare, & à malitia præscindere.

220 *Ad vltimam.*

Ad vltimam distinguo maiorem: ad id quod implicat contradictionem ex terminis secundum conceptus constituentes, & primarios, concedo maiorē: secundum consequutiua ad primario constituentia, subdistinguo maiorem: compositiué, concedo maiorem: præcisiué, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, distinguo consequēs sub distinctione maioris. Itaque ad id, quod implicat contradictionem ex terminis secundum conceptus primarios, & constituētes, non est dabilis potentia antecedens; quia de essentia actus voluntatis est, quod voluntarius sit constitutiué, & primario, implicat autem potentia antecedens ad actum voluntatis absque potentia antecedenti ad rationem voluntarij; quando autem repugnantia, etsi ab intrinseco sit, non tamen prouenit formaliter ex conceptibus primarijs, sed formaliter habetur ratione principalis, etsi connexi cum altero, non tamen de essentia illius vt primario constituentis, esto non sit dabilis potentia antecedens ad vnum sine alio negatiué, & compositiué, est tamen dabilis potentia antecedens ad vnum sine alio præcisiué, id est ad vnum, quin eadē potentia transeat sua habitudine ad aliud; odium autem Dei secundum suam physicam entitatem, non opponitur formaliter cum negatione malitiæ moralis ex aliquo prædicato sibi, vt sic cōueniēte constitutiué, sed ratione alicuius prædicati, quod est extra illius primariam constitutionem, nempé ratione malitiæ moralis, quæ extra illius primariam constitutionem existit: & ideo quamuis nō sit dabilis potentia antecedens ad entitatem physicam odij sine malitia morali, ly *sine* sumpto compositiué, hoc est ad de facto ponendam entitatem istā physicam cum negatione malitiæ, est dabilis potentia antecedens ad entitatem physicam odij sine malitia morali, ly *sine* sumpto præcisiué, hoc est sua habitudine terminata ad physicam odij entitatem, quin terminetur ad moralē deformitatem.

221 *Dices.*

Sed dices, esto malitia moralis formalis non sit de primario conceptu entitatis odij physicé sumpti, malitia tamē moralis radicalis primario essentialiter conuenit entitati physicæ odij, nisi velimus dare processum in infinitum inquirendo, nimirum, illius radicis, & alterius vsque in infinitum radicem: ergo non est dabilis potentia antecedens in Christo ad entitatem physicam odij præcisiué à malitia radicali; & consequenter nec à formali; attingens enim radicem, vt radix est, à radicato nequit præscindere. Respondeo, distinguendo antecedens: est essentialis entitati physicæ odij, vt comparatæ ad voluntatem, quatenus potentem deficere, concedo maiorem: est illi essentiale, vt comparatæ ad voluntatem sub conceptu efficientis,

*Respōdetur.*

nego

nego antecedens,& conſequentiam; ſicut enim concurſus diuinus in concurrendo de facto attingit entitatem phyſicam odij præſcindendo, non ſolum à formali malitia, ſed etiam à radicali, quia non conuenit eſſentialiter primario malitia radicalis entitati phyſicæ odij comparatione ad voluntatem creatam, quatenus efficientem, ſed quatenus deficientem,& ſolum priori modo ſubijcitur voluntas creata cõcurſui præuio, & ſimultaneo Dei; ita voluntas Chriſti poteſt facultate antecedenti preſcindere à malitia, non ſolum formali, ſed etiã radicali, per tendentiam in entitatem phyſicam odij ſub comparatione ad voluntatem, vt efficientem, qualiter ad illam prout ſic non ſubſequitur formalis malitia.

222 *Inſtabis* Inſtabis, eatenus voluntas creata eſt defectibilis radicaliter, quatenus ſubditur regulæ ſuperioris,& ex nihilo facta eſt; ſed voluntas Chriſti, ſi dicit ordinẽ facultatis antecedẽtis ad entitatem phyſicam odij, illam reſpicit vt ſubdita regulæ,& quatenus facta eſt ex nihilo: ergo comparatur ad entitatem odij, vt radicaliter defectibilis, & conſequenter non poteſt ab illius malitia radicali præſcindere. *Reſpõdetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: preciſé ex illo capite, nego maiorem: ex illo,& connotando negationẽ impedientium coniunctionem defect' cum regula, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nã voluntas Chriſti eſt cõiũcta naturæ factæ ex nihilo ſuppoſitatæ à ſuppoſito diuino; & vidētis clare Deum, ipſumque neceſſario amantis, quæ impediunt coniunctionem etiam poſsibilem defectus cum lege Dei,& ideo nec radicaliter eſt defectibilis: ac per conſequens, etſi dicat habitudinem ad entitatem phyſicam odij per modũ potentiæ antecedentis, vt ſubordinatam voluntati ſub conceptu efficientis, non terminatur ad eandem entitatem, vt ſub ordinatam voluntati creatæ ſub conceptu radicaliter defectibilis.

223 *Sextũ argumẽtum.* Sexto arguitur,& inſtatur contra dicta: vt Chriſtus libere ex obedientia moriatur, requiritur potentia antecedens ad negationem mortis, vt coniungibilẽ cum potentia expedita per modũ actus primi ad moriendum; ſed talis potentia non datur: ergo Chriſtus non fuit liber in ſubeunda morte. Maior conſtat primo: ſi namque auxilium efficax non relinqueret potentiam ad negationem cõſenſus, vt coniungibilem, cum potentia, vt potente liberé conſentire, non ſaluaret libertatem. Item ſi voluntas ſub gratia ſufficiente non haberet potentiam ad negationem conſenſus, vt cum illa coniungendam, libera non remaneret: ergo ad ſaluandam libertatem Chriſti in moriendo, requiritur potentia ad negationem mortis, vt coniungibilem cũ actu primo expedito ad moriendum liberé ex obedientia. Minor autem probatur: voluntas Chriſti non intelligitur expedita per modum act' primi ad moriendum ex obedientia, niſi vt regulata cognitione præcepti; ſed non poteſt ad negationem mortis vt coniungibilem cum cognitione præcepti; aliàs poſſet ad illam ſub conceptu priuationis: ergo non eſt in Chriſto potentia ad negationem mortis vt coniungibilẽ cum actu primo expedito ad moriendum ex obedientia. Maior probatur: voluntas non eſt potens in actu primo completo,& expedito ad amandum obiectum, niſi vt ſtat ſub cognitione obiecti propoſiti; ſed mors vt ſtat ſub præcepto eſt obiectum voluntatis Chriſti, vt potentis mori ex obedientia: ergo non eſt expeditè potens ad moriendum ex obedientia, niſi regulata cognitione mortis præceptæ.

224 *Reſpõdetur.* Reſpondeo, vt Chriſtus libere ex obedientia moriatur, ſufficere potentiã ad negationem mortis ſumptam negatiuè, vt coniungibilem cum actu primo expedito, expeditione eſſentialiter exacta ad negationẽ mortis ſic ſumptam; licet autem cognitio de facto regulans, mortem, vt præceptam proponat, negatio mortis ſumpta negatiuè, non petit eſſentialiter cognitionem illam, vt proponentem præceptum, ſed vt proponentem mortem quoad ſubſtantiam; ac proinde ſufficit potentia ad negationẽ, vt coniungibilem cum cognitione, vt proponente mortẽ præciſiuè à tali cognitione, vt proponente præceptum, & hæc potentia in Chriſto ſaluatur, etiam præcepti cognitione ſuppoſita.

Sed

Sed dices; libertas est ad moriendū ex obedientia: ergo potentia ad negationem mortis debet esse ad illam, vt cōiungibilem omni expedienti ad moriendum libere ex obedientia. Respondeo, negando consequentiam: quia morti ex obedientia sustinendæ duo opponuntur extrema, scilicet, priuatiuum, & negatiuum: vnde potentia ad solum negatiuum, sufficit ad libertatem in moriendo ex obedientia, & quia tale negatiuū non petit essentialiter pro regula cognitionem præcepti, fit, vt non requiratur potentia ad coniungendum illud cum cognitione præcepti, sed tantum cum cognitione, vt proponente mortē quo ad substantiam præcisiue ab accidenti coniunctionis cum præcepto.

225 *Dices.* *Respōdetur.*

Sed dices iterum, potentia ad negationem mortis debet esse prout hic, & nunc, potentem egredi ab hac potentia expedita, & prout hic, & nunc coniungibilem cum illa; sed hic, & nunc expeditur per cognitionem præcepti: ergo debet esse potentia ad illam coniungendā cum cognitione præcepti. Respōdeo, distinguendo maiorem; sumpto *hic*, & *nunc*, vt mensurat substantiam negationis mortis, & potentiā voluntatis, & cognitionem mortis quoad substantiam, concedo maiorē: sumpto *hic*, & *nunc*, vt mensurante accidentia, scilicet rationem priuationis, præceptum, & illius cognitionem, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

226 *Instabis* *Respōdetur.*

Vltimo arguitur, sequitur ex dictis, non esse Christum liberum ad actum obedientiæ formalem; consequens non admittemus: ergo hucusque dicta deficiunt. Probatur sequela primo: negatio actus obedientiæ essentialiter est priuatio; sed potentia antecedens non potest præscindere à prædicatis essentialibus: ergo Christus impotens antecedenter ad prædictam negationem sub conceptu priuationis, fuit etiam impotens ad eandem sub conceptu negationis; & consequenter non fuit liber in actu formali obedientiæ. Maior probatur: actus obedientiæ essentialiter supponit præceptū: ergo est essentialiter debitus: ergo negatio actus obedientiæ est essentialitér carentia formæ debitæ; & consequenter essentialiter est priuatio. Secundo: negatio actus obedientiæ, vt libera, petit essentialiter ex parte actus primi cognitionē præcepti: ergo potentia ad illam, vt liberam, quæ requiritur ad libere de facto obediendum, est potentia ad illam vt cōiungibilem cum cognitione præcepti. Antecedens probatur: sicut negatio amoris supernaturalis, vt libera, petit potentiam expeditam per modum actus primi ad amorem: ita negatio actus obedientiæ, vt libera, petit potentiam per modum actus primi expeditam ad actū obedientiæ; sed potentia expedita ad actum obedientiæ, essentialiter petit cognitionem præcepti: ergo negatio actus obedientiæ, vt libera, petit essentialiter ex parte actus primi cognitionem præcepti. Probatur minor: voluntas non intelligitur expedité potens ad actum nisi media cognitione obiecti; sed obiectū actus obedientiæ est præceptum superioris: ergo non intelligitur voluntas expedita per modum actus primi ad actū obedientiæ, nisi media cognitione præcepti.

227 *Vltimū argumētum.* *Sequela probatur 1.* *Secūdo.*

Respondeo, negando sequelam: ad primam probationem, nego maiorem: ad illius probationem distinguo antecedens: essentialiter supponit præceptū vt obligans ad ipsum actum obedientiæ, nego antecedens: vt obligans ad materiam præceptam, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia vt ipse esset essentialiter debitus, oportebat, vt essentialiter peteret præceptum vt obligans ad actum obedientiæ exercēdum; hoc autem ita non est, nam præceptum à superiori impositum, v. c. ieiunandi, impletur solo ieiunio, quod si inferior ex motiuo obedientiæ ieiunet, exercet actum obedientiæ absque obligatione ad illum: licet ergo actus obedientiæ essentialiter supponat cognitionem præcepti, non inde sequitur ipsum esse essentialiter debitum; ac proinde non sequitur eius negationi esse essentialiter conceptum priuationis annexum. Et ex his ad secundam probationem sequelæ cōstat solutio; licet enim actus obedientiæ essentialiter petat cognitionem præcepti obligantis ad materiam præceptam, non tamen supponit cognitionem præcepti obligantis ad ipsum; ex quo solū

228 *Respōdetur. Ad primam probationē sequelæ.* *Ad secundam.*

sequi-

sequitur, negationem actus obedientiæ petere essentialiter ex parte principij cognitionē præcepti obligantis ad materiam præceptam, non verò obligantis ad actum, cuius est negatio, & cum cognitione præcepti obligantis ad materiā præceptam, non autem ad actum obedientiæ, benè potest coniungi in Christo negatio actus obedientiæ, vt si supponamus Christo actum obedientiæ non fuisse præceptum, sed solam substātiam mortis, posset negatio actus obedientiæ coniungi cum cognitione mortis præceptæ.

229 *Dices.* Sed dices: ergo, casu, in quo Christo actus ipse obedientiæ præciperetur, non maneret liber in obediendo. Probatur sequela primo; tali actui essentialis est obligatio: ergo negatio illius essentialiter est priuatio; & consequenter non posset in Christo dari potentia ad negationem negatiué, & non priuatiué. Secundo probatur sequela: actus ille essentialiter peteret pro regula voluntatis, vt elicitiuæ illius, cognitionem præcepti vt obligantis ad illum: ergo potentia ad negationem liberam talis actus est potentia ad negationem illius, vt coniungibilem cum cognitione præcepti, vt ad ipsum obligantis; & consequenter est potentia ad negationē sub conceptu priuationis. Antecedens probatur: actus ille essentialiter petit pro regula cognitionem præcepti; sed non vt obligantis ad aliud, siquidem supponitur nō præcipi aliud, sed ipsum: ergo essentialiter petit pro regula cognitionem præcepti, vt obligantis ad ipsum.

*Respō.* Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem, nego antecedens: nam licet Deus posit actum obediētiæ præcipere, & ad ipsum obligare; non tamen potest rerum essentias variare: ac proinde non potest facere, quod actui obedientiæ essentialis sit obligatio. Ad secundam, nego antecedens. Ad probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam actui obedientiæ essentiale est præceptum, quod autem præceptum supra ipsum, vel supra aliam materiam versetur, est illi accidentale: vnde negatio istius actus præcepti sumpta secundum essentiam, peteret posse coniungi cum cognitione præcepti, non tamen cum cognitione præcepti, vt ad talem actum obligantis, quod actui accidentale est; & consequenter, etiam negationi actus.

## §. Vltimus.

### *Corollaria præcedentis doctrinæ.*

EX dictis in discursu huius, & præcedentis disputationis colligo primo: Christum fuisse liberum in adimpletione præceptorum legis naturalis Dei, v.c. Deum diligendi, & colendi. Quod patet primo: nā negationi amoris, v.c. non est essentialis malitia; aliàs numquam posset absque peccato exerceri: ergo est essentialiter negatio, & ex accidenti priuatio: ac per consequens, est dabilis in Christo potentia antecedens ad illam sub conceptu negationis præcisiué à ratione peccati, quod ad liberam adimpletionem præcepti dediligendo Deum, sufficere, constat ex dictis. Secundo: nam Angelus in primo instanti liberé dilexit Deum, liberequé præceptum, quo adstringebatur ad Deum diligendum, impleuit; & tamen pro primo instanti impeccabilis erat, vt tenet vera, & communis Thomistarum sententia 1. p. q. 63. art. 5. ergo pariter, etsi Christus esset absolutè impeccabilis, liberé tamen præceptum naturale Deum diligendi, ipsumque colendi impleuit, & idem est dicēdum de alijs præceptis legis naturalis, ad quæ Christus tenebatur. Tertio: nam esto, esset essētialis negationi amoris, malitia moralis, non per se primo, sed consequutiuè compararetur ad illam physicé considerata: ergo esset dabilis in Christo potentia antecedēs ad illius entitatē cum præcisione à malitia, quod ad saluādam libertatē in amando Deum, sufficeret.

230 *Infertur primo.* *Prob. 1.* *Secūdo.* *Tertio.*

Secundo colligitur: meruisse Christum per actus omnium virtutum, siué infusarum, siué acquisitarum: quod pa-

231 *Secūdo infertur*

tet:

tet: nam in actibus omniũ istarum virtutum fuit liber; & aliàs actus virtutum acquisitarum ex imperio supernaturalium processerunt, omnesque ex motiuo charitatis, nec aliqua ex conditionibus ad meritum requisitis, istis actibus defecit: ergo omnes omnium virtutum actus fuerunt meritorij in Christo.

232 *Tertio infertur*

Tertio infertur: si actus naturalium virtutum elicerentur à Christo sine motiuo supernaturali, vel actus virtutum infusarum, non procederent ex motiuo charitatis, non fore meritorios præmij supernaturalis. Primum patet, vt enim fusè ostendimus *supra q. 7. art. 1. disp.* 23. dignitas personalis Christi non dat illius operibus qualitatem, sed hac supposita, illis quantitatem præbet, dignitatem, nempe, infinitã; sed actus adæquatè naturalis nõ est de se meritorius præmij supernaturalis: ergo esto à persona Christi infinitè digna procedat, meritorius præmij supernaturalis non est; ac per conseques, si actus virtutum naturalium non imperentur ex motiuo supernaturali, non erunt meritorij supernaturalis præmij.

233

Secundum probatur: nam dignitas personalis Christi supponit, vt illius actus meritorios infinitè præmij supernaturalis constituat, omnes conditiones, quæ ad meritum talis præmij ex parte actus requiruntur; sed vna ex conditionibus ex parte actus requisitis ad rationem meriti præmij supernaturalis, est, quod à charitate imperetur: ita vt actus non procedens ex motiuo charitatis, quamuis supernaturalis sit, non mereatur apud Deum supernaturalem Auctorem, vt *Disp. præcedenti concluſ.* 1. ex D. Thom. suppositum: ergo actus virtutum infusarum in Christo, meritorij præmij supernaturalis non essent, si in Christo non procederent ex imperio charitatis.

234 *Quarto infertur*

Quarto colligitur, aliquod meritũ Christi fuisse à primo instanti conceptionis vsque ad mortem, non solum moraliter, sed etiam physicè continuatum: quod patet: nam dilectio Christi beatifica, vtpote mensurata per æternitatem participatam, postquam semel extitit, nunquam cessauit, sed in æternum est duratura, quod non solum verum est secũdum terminationem ad obiectum formale, & primarium, sed etiam ad secundarium, & materiale obiectum; sicut visio, ad quam consequitur, secundum vtramque rationem, mensuratur æternitate: ergo vt libera, & consequenter vt meritoria, continuata fuit vsque ad mortem, absque interruptione physica; licet tamen morte interrupta nõ fuerit quatenus libera erat; fuit tamẽ interrupta sub ratione meritoriæ: quia status viæ ad meritum requisitus, terminatus fuit per mortem. Nec obstat huic continuationi libertas, sicut nec libertas decreti voluntatis diuinæ tollit, quin post liberam sui existentiam necessario illam in æternum continuet.

235 *Quinto infertur*

Quinto colligitur. Primum meritum in Christo fuisse actum charitatis. Ita Nazarius *in præsenti articulo tertio cõtrouersia vnica, quarta parte controu.* quod probat ex doctrina Diui Thomæ *prima secundæ quæstione 89. articulo sexto*, vbi tenet, omnem hominem primo ad vsum rationis venientem obligari naturali præcepto se conuertendi in Deum, ipsumque super omnia diligendi: ergo Christus eodem fuit adstrictus præcepto; & consequenter illud impleuit: at dilectio, qua hoc præceptum obseruauit, fuit in Christo meritoria: ergo primus actus meritorius Christi, fuit Dei dilectio.

S. Thom.

*Nazar. non vrget.*

Hæc ratio meo videri non vrget; Christus enim in primo suæ conceptionis instanti, non solum Deum, sed etiam proximum dilexit, & actus aliarum virtutum, obedientiæ, nempé, & humilitatis, &c. exercuit: ergo prioritas meriti actus charitatis ad actus aliarum virtutum non fuit temporis, sed naturæ; at hæc non colligitur, ex eo quod Christus obligaretur naturali præcepto dilectionis Dei, illudque in primo instanti conceptionis impleuerit: ergo ratione facta non probatur, primũ actum meritorium Christi, fuisse dilectionem Dei.

236 *Prob. ergo primo.*

Erit tamen efficax, si aliquid illi addatur, nempé, tendentiam voluntatis ad finem, esse naturaliter priorem tẽdentia ad media, vel ad fines intermedios; dilectio autem Dei conuenit voluntati per

habitudinem ad finem; actus autem cæterarum virtutum in habitudine ad media, vel ad fines intermedios: ergo meritum dilectionis in Christo, fuit natura prius merito aliarum virtutum. Deinde: nam actus imperatus, imperantem supponit tanquam naturâ priorē; sed actus omnium virtutum fuerunt imperati in Christo ab actu dilectionis Dei; aliàs meritorij non fuissent, vt constat ex dictis: ergo dilectio Dei alios actus præcessit prioritate naturæ, & cōsequenter primum meritum fuit actus charitatis in Christo.

237 *Si opponas.* Si opponas, sequi ex hac doctrina, redemptionem hominum à peccatis principalius dilectioni, quam obedientiæ, qua sustinuit mortem, esse attribuendam. Tùm, quia dilectio fuit prima in ratione merentis. Tùm etiam, quia gratia principalius per charitatem, quam per alias virtutes est principium merendi. Tùm deniq; nam præmium principalius actui imperanti, quam imperato respondet, actus autem charitatis est imperans, & obedientiæ imperatus; consequens autem est falsum; cum in Scriptura præcipuè passioni Christi nostra redemptio attribuatur, quod etiam passim in Patribus reperitur: ergo falsum etiam est, primum actum meritorium Christi, fuisse actum charitatis; eo quod alios actus, vt imperans antecedit.

*Respõdetur.* Respondeo, cum in Scriptura, & Patrib⁹ inuenitur passioni Christi principaliter nostra redemptio attributa, fieri comparationem inter actus Christi externos, & in hac comparatione verissimum est, principalius esse passioni Christi attribuendam, non ob maiorem charitatem, sed propter genus operis, vt explicat Divus Thomas *infra quæstione 50. articulo sexto*, à quo tamen actu interno principaliter ratio meriti, quæ in passione Christi reperitur, procedat, an à charitate mediatè imperante mortem, an ab actu obedientiæ, an ab actu fortitudinis, non determinari in Scriptura, sed Theologis, iuxta communes leges meriti disputandum relinqui: ex quibus constat ad obiectionem solutio.

238 Denique infertur ex dictis: non meruisse Christum per actus pertinentes ad partem vegetatiuam, v. c. motum cordis, ciborum digestionem, illorumque in substantiam aliti conuersionem. Quod patet: nam solum meruit per actus imperio rationis subiectos, vtpote, quia in illis tantum reperitur libertas, quæ ad meritum est necessaria; sed huiuscemodi actiones, non erant rationis imperio subiectæ: ergo meritoriæ non fuerunt. Minor traditur à Diuo Thoma *supra quæstione 13. articulo tertio*, & probatur in argumento *Sed contra*, eo quod vt docet Paulus *cap. 2. ad Hebræos*, Christus per omnia debuit fratribus assimilari, & præcipuè in his, quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ; sed ad conditionem naturæ humanæ pertinet, quod valetudo corporis, eius nutritio, & augmentum, aliæque operationes ad partem vegetatiuam spectantes, imperio rationis, seu voluntatis, non subdantur, quia naturalia soli Deo, qui est Auctor naturæ subduntur: ergo nec in Christo subdebantur imperio rationis.

*Vltimo infertur*

Contrarium huius docuere Medina *q. præcedenti art. 3. concluſ. 3.* Aluarez *disp. 47.* & Nazarius *q. præcedenti art. 3. in expositione textus ad finem, & in præsenti art. 3. controuers. vnica in 4. parte contro.* Ducti primo: nam Christus per scientiam beatam, & infusam omnes operationes istas præuidebat: ergo etiam præuolebat illas; & consequēter fuerunt ei liberæ, & voluntariæ: ex quo vlterius sequitur, etiam fuisse meritorias; cum solum ex defectu libertatis possent à ratione meriti excludi. Secundo: nam iuxta D. Th. *supra q. 13. art. 3. in corp.* si consideretur anima Christi, secundum quod est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona, sic illius potestati subdebatur omnis proprij corporis dispositio: ergo motus cordis, & omnes operationes, & motus partis vegetatiuæ, illius animæ subdebantur, vt instrumento diuinitati coniuncto; & cōsequenter poterat illas operationes impedire, ac suspendere: ex quo vlterius sequitur, fuisse à Christo nedum volitas, verum ipsi voluntarias, vtpote cum essent illius liberæ dispositioni subiectæ.

239 *Obijcitur 1. cōtra istū corollarium.*

*Secūdo.*

Tertio:

240 *Tertio.*

Tertio: nam ex oppoſito ſequeretur, eſſe concedendos in Chriſto motus indeliberatos, ſiué primo primos, ſiue ſecundo primos; conſequens admittendum non eſt; aliàs concedendum eſſet, habuiſſe motus aliquos appetitus erga malum; cum iſti ſæpé contingant, niſi appetitus à ratione in omnibus præueniatur: ergo falſum eſt, quod docuim⁹, in hoc vltimo corollario. Patet ſequela; nos enim in Chriſto admittimus motus naturales illius voluntati nulla ratione ſubiectos, vt per omnia fratribus aſſimiletur; ſed in nobis, non ſolum actiones partis vegetatiuæ, non ſunt imperio rationis ſubiectæ, ſed etiam motus appetitus ſenſitiui multoties præueniunt imperium rationis in nobis: ergo in Chriſto non plené ſubijciuntur voluntatis imperio. Quod denique poſſumus confirmare ex D. Tho. *in hac q. art. 2. in corpore.* vbi docet, operationes naturales, & corporales in Chriſto aliqualiter ad illius voluntatem pertinuiſſe, in quantum voluntatis eius erat agere, vt caro illius ageret vel pateretur, quæ ſunt ſibi propria: ergo iuxta D. T. operationes naturales in Chriſto, imperio voluntatis ſubijciebantur; & conſequenter ſufficienti libertate gaudebant, vt rationem meriti ſortirentur.

241 *Reſpondetur ad 1.*

Hæc tamen non conuincunt. Ad primum reſpondeo, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando ſecundam; non enim ſunt idem, volitum, & voluntarium, aut liberum; ad primum namque ſufficit eſſe obiectum voluntatis, quod illis actionibus reſpectu voluntatis creatæ Chriſti concedimus. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum autem requiritur, eſſe voluntatis effectum imperatum, vel elicitum, quod eiſdem comparatis cum voluntate humana, negamus. Ad ſecundum explico Divum Thomam, & concedo de ſubiectione indirecta, quatenus, ſi Chriſtus vellet, poſſet per virtutem ſuæ humanitatis, vt eſt inſtrumentum Dei, impedire miraculosé omnes ſuas actiones naturales, & neceſſarias, v.c. motum cordis, ciborum digeſtionem, &c. Nego tamen de ſubiectione directa, hoc eſt, tanquam imperanti elicientiam motus cordis, digeſtionis ciborum, & aliarum ſimilium, quæ naturales ſunt, & neceſſariæ; non enim poterat, etiam vt diuinitatis inſtrumentum, motum cordis, exempli gratia, imperare; cum enim motus cordis à generante procedat, ſoli generanti, & Deo directé ſubordinatur; vt autem motus ille diceretur voluntarius, & liber hoc ſecundo modo, oportebat ſubijci voluntati humanæ Chriſti, cuius ratio ea eſt: nam vt ſit actus voluntarius, & liber, requiritur, quod à voluntate procedat, & non ſufficit eſſe obiectum volitum ab illa; vt autem potenti cohibere aliquid, & non cohibenti illud, aliquid vt effectus tribuatur, non ſufficit potentia ad vitandum, ſed inſuper eſt neceſſaria obligatio vitandi, vt tradunt frequentius Theologi ſequuti Divum Thomam *prima ſecundæ quæſtione ſexta articulo tertio*, vnde, Deo potenti vitare, & non vitanti peccatum, non tribuitur peccatum, tanquam effectus illius, quia non tenetur vitare; Gubernatori autem nauis, naufragium ex illius ignauia ſequutum tribuitur vt effectus, quia illud non vitauit, cum poſſet, & teneretur: Chriſtus autem, etſi poſſet per virtutem miraculorum, vt inſtrumentum Dei proprium motum cordis cohibere, non tamen ad id tenebatur: & ideò non comparatur motus cordis cum voluntate humana Chriſti in habitudine effectus, ſed tantum in habitudine obiecti: ac per conſequens non eſt ipſi voluntarius, aut liber. Et ex his conſtat vltimæ obiectionis ſolutio.

242 *Ad tertium.*

Ad tertium, nego ſequelam: quia motus primo primi, & indeliberati appetitus conſurgunt in nobis ob defectū plenæ aduertentiæ, & ſunt expoſiti periculo attingentiæ obiecti ex ſe mali moraliter, quorum neutrum concedē dum eſt in Chriſto, quia primum repugnat plenitudini cognitionis ſpeculatiuæ, & practicæ, & ſecundum plenitudini gratiæ, & perfectionis moralis; quod autem motus cordis non ſubijciatur voluntati, vt imperanti, nullam iſtarum imperfectionum requirit, nec eſt defectus priuativus, ſed conditio propria facultatis cordis motiuæ: vnde hæc non ſubiectio non repugnat, ſed maxi-

mé congruit Christo, qui nostros defectus, conditionesque naturales assumpsit, præter illas, quæ denotant moralem imperfectionem. Et quidem, si hæc argumenta efficaciter intentum concluderent, etiam probarent, Christum meruisse per beatificam visionem, vel saltim per continuationem illius, quod nullus Theologorum asseruit. Quod autem sequatur, patet: nam etiam posset anima Christi, si vellet per virtutem miraculorum, beatificam visionem suspendere; cum in hoc nulla implicatio inueniatur: ergo si ex ista virtute in ordine ad motum cordis, colligitur, fuisse Christo, vt homini, voluntarium, & liberum; ac proinde meritorium; id ipsum asserendum est de visione beatifica, vel saltim de continuatione illius. Et hæc de ista Disputatione applicãda litteræ Mag. *in 3. dist. 18. §. 5.* ad illa verba: *Vt ipsius Passio, & mors sibi esset forma, & causa, forma virtutis, & humilitatis, causa gloriæ, & libertatis, &c.* M. Sēt.

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA.

## An Christus mereri sibi potuerit de condigno vnionem suæ humanitatis ad Verbum?

### §. I.

*Quibusdam præsuppositis aperitur difficultas.*

Nu. I. *Supponitur* 1.

QVA in re tria vt indubitata, & extra controuersiã supponimus. Primũ est per opera antecedentia vniõnem humanitatis ad Verbum, non potuisse de potentia absoluta condigné Incarnationem mereri, quod communiter docetur à Theologis, & manifesta ratione probatur; etenim opera antecedentia vnionem humanitatis ad Verbum non essent infiniti valoris; cum nõ procederent à supposito diuino, ex quo solum potest in opera valor infinitus deriuari, sed ab humanitate, vel vt existente extra omne suppositum, vel in supposito creato; sed solum opus infiniti valoris potest esse meritum condignum Incarnationis, vt constat ex dictis *Tomo Primo Disp.* 13. & à Theologis communiter traditur: ergo implicatorium est, humanitatem Christi per opera antecedentia sui vnionem ad Verbũ, de cõdigno Incarnationem mereri.

2 *Secũdo.* Secundum est, potuisse humanitatem Christi per opera antecedentia, de congruo Incarnationem mereri. Quod patet: nam potuit humanitas prius tempore produci, quam vniretur ad Verbum, vel sine omni supposito, vel in supposito sibi proprio, & connaturali, & sic existens opus supernaturale elicere ordinatum ad Incarnationem merendam; sed in tali opere, esto non esset condignitas, reperiretur tamen congruitas in ordine ad vnionem humanitatis ad Verbum; cum ad congruitatem non requiratur æqualitas inter meritum, & præmium: ergo de potentia absoluta potuit diuini Verbi Incarnatio cadere sub merito cõgruo operum antecedentium vnionem humanitatis ad Verbum. An autem potuerit humanitas in eodem temporis instanti de congruo Incarnationem mereri per opera solum antecedentia ordine naturæ vnionem; quæstionis est inter Theologos, non tamen in præsenti decidenda, sed *supra quæstione* 2. *art.* 11.

3 *Tertio.* Ex quibus licet obiter, tanquam mihi certum colligo, potuisse Incarnationem, non prout dicit vnionem humanitatis ad aliquam ex diuinis personis in

communi, & vagè sumptis, sed prout importat vnionem humanitatis ad secundam Trinitatis Personam sumptam in particulari, sub condigno merito cadere; quod patet euidenti ratione: nam potuit de potentia absoluta humanitas prius tempore produci, & Personæ Patris vniri, sicque producta, & vnita operari ex intentione merendi vnionē eiusdem humanitatis ad secundam Trinitatis Personam; at in opere sic ab humanitate elicito, & ad præmium ordinato, sufficiens reperiretur condignitas respectu vnionis sui ad diuinum Verbum; cū esset infiniti valoris ex infinita dignitate Personæ Patris, vt QVOD operātis: ergo sumpta Incarnatio pro vnione humanitatis ad secundam Trinitatis Personam, potuit de potentia absoluta cadere sub merito condigno operum antecedentium.

4 *Difficultas apperitur.*

Non ergo de his operibus disputatio nostra procedit, sed de illis, quæ tempore, vel natura vnionem humanitatis ad Verbum factam supponunt, & ab eodem Verbo, vt vnito humanitati proceduntur, in quo sensu certum etiam, & indubitatum est apud Theologos, de facto non fuisse præmium horum operum condignum, nec illis Christum de facto suam Incarnationem meruisse. Quod patet: nam principium meriti non cadere de facto, & de lege ordinaria sub merito operum procedentium ex ipso, omnes Theologi fatentur; sed opera ab humanitate elicita, vt diuino Verbo vnita à supposito diuino, vt à principio, tum efficiente, tum dignificante procedunt: ergo vnionem Verbi ad humanitatem, in qua Incarnatio consistit, de facto non promeruerunt. Vnde disputatio nostra ad casum de potentia absoluta reducitur, an nimirum sit de potentia absoluta possibile, vt Incarnatio cadat sub merito condigno operum procedentium ab humanitate Verbo hypostaticè vnita?

## §. II.

### *Eligitur vera sententia, & aliqua motiua expenduntur.*

5 Prima sētētia. *Suar. Ægid. Coninc. Gran.*

CIRCA quod duas reperio Theologorum sententias. Prima affirmans est, quam tuentur Suarez *prima parte libro secundo de Prædestinatione cap.* 20. Et in hac *tertia parte disputatione decima sectione quarta.* Ægidius Coninch *secundæ secundæ libro primo de virtutibus disputatione octaua dubio septimo.* Granadus *prima parte tractatu septimo disputatione sexta. Primæ secundæ tractatu* 12. *controuersia octaua disputatione quarta, & in hac tertia parte tractatu* 14. *disputatione secunda sectione prima numero septimo.* Quibus alij Recentiores adhærent, docentes, primā gratiam, esto sit merendi principium, posse cadere sub merito condigno operum procedētium ab ipsa, idem ex cōsequenti de Incarnatione dicturi.

Secūda. *Caiet. Conrad. Mart. Cabrer. Araujo. S. Thō. Medin. Nazar. Aluar. Lorca. Vazq. Ragusa. Beccan. Lugo. Arrub.*

Secunda negans est, quam tuentur communiter Discipuli Diui Thomæ cum Angelico Doctore *in secundo distinctione 27. quæstione prima articulo quarto ad secundum, & prima secundæ quæstione* 114. *articulo quinto*, vbi Caietanus, Conradus, Martinez, Cabrera, Araujo, & Sancto Thoma, *& in hac 3. p. supra q. 1. art.* 11. vbi Medina *dub. 1.* Nazarius *controu. 1. q. 3* Aluarez *disp.* 16. Lorca *disp* 20. Tenent etiam ex PP. Societatis Vazquez *dis. 21. cap* 3. Ragusa *disp. 41.* Beccanus *cap. 29. q. 6. concl. 4.* Lugo *disp. 8. sect. 1. num. 9.* Arrubal *1. p. disp. 76. cap. 2.* Et frequentius alij Recētiores eiusdem familiæ. Quam sententiam pro conclusione statuimus.

6 *Prima probatio. S. Aug.*

Suaderi solet primo: nam apud PP. hæc est bona consequentia: *Gratia datur, vt operemur: ergo non quia operamur*; vt constat ex Augustino *lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. epistola* 107. *in principio*, vbi probat, gratiam nō dari ex meritis, quia dat me-

rita;

rita; & ex Arausicano 2. cap. 25. illis verbis Pauli: *Misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem*, sic inferente: *ergo non quia eram fidelis*. Ac denique ex illis verbis Pauli: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*, communiter Ecclesiæ PP. inferunt: *Ergo non quia eramus sancti, ideo nos elegit*. At si Incarnatio, quæ est principium meritorum Christi, posset sub illius meritis cadere etiam prima gratia posset cadere sub merito operum procedentium ab ipsa; ac per consequens Patres, Conciliorumque consequentia esset nulla: ergo Incarnatio sub merito Christi condigno cadere nequit.

*Arausic.*

7 *Hæc ratio non vrget.*

Hoc tamen argumentum non vrget. Tùm, quia PP. contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos arguebant, asserentes, gratiam dari propter merita antecedentia orta ex viribus naturæ, contra quos bene arguitur: *Gratia datur, vt per illam mereamur: ergo non illam merito antecedenti meremur*. Non autem intendebant probare non dari primam gratiam propter merita ex illa profecta, quatenus præuisa, vt futura; in hoc enim hæreticorum error non consistebat. Vltimum autē testimoniū ex Paulo sumptum rectè concludit; procedit enim de primo, & intentiuo decreto, quo Deus nos ad gloriam elegit; loquēdo autem de primo, & intentiuo decreto rectè concluditur, non præsupponere merita, si radix est meritorum. Tum etiam, quia vt consequentia PP. sit bona, non petitur, quod gratia, quæ est merendi principium, non possit de potentia absoluta cadere sub merito operum procedentium ab ipsa, sed sufficit, quod de lege ordinaria, & ex natura rei nequeat contingere: nam cum de his, quæ in ordine gratiæ contingunt, loqui, & sentire debeamus iuxta ordinarium, & connaturalem modum, nisi oppositum sit reuelatum; eo ipso, quod gratia sit merendi principium, & principium meriri non possit cadere sub merito de lege ordinaria, & attenta rei natura, rectè colligitur, & ab Ecclesiæ PP. infertur, non dari ex meritis nostris, etiam consequentibus ipsam.

*Necessitas hæc ratio vrget.*

8 *Suaderi solet 2.*

Secundo suaderi solet ex Augustino *lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 25.* illis verbis: *Nec præmium potest præcedere merita, & prius homini dari, quam dignus est; quid enim hoc iniustius, & quid iustius Deo: non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.* Ex quibus apertè constat, sensisse Augustinum in anticipata præmij exhibitione ante meritum supposito, esse iniustitiam; ac per cōsequens, non posse sub condigno merito cadere; sed vt principium meriti, & Incarnatio Verbi posset comprehendi sub merito operum procedentium ab ipsa, deberet præmiū anticipatē ad meritum dari: ergo Incarnatio non potest cadere sub merito operum procedentiū ab illa. Sed nec præmit hoc argumētum: loquitur namque Augustinus de præmio vitæ æternæ, postquam, ex lege statuta non extat tempus merendi, & id circo nequit dari propter merita solum futura; cum futura post ipsam non sint; ac per consequens, si datur sine meritis præcedentibus sine vllo merito dabitur, in quo iniustitiam inuenit Augustinus.

9 *Si opponas.*

Si opponas: nam licet Augustinus in verbis præcedentibus, de præmio æternæ vitæ loquatur, & intendat probare, tale præmium non debere ante meritum exhiberi, ad hoc tamen probandum assumit generale principiū, quod scilicet, præmium ante merita dari non debet, & hoc esse iniustum: ergo de omni præmio est illius doctrina accipienda. Respondeo, sententiam vniuersālem Augustini sic esse intelligendam, præmium non debet antecedere merita, saltim præuisa, vt futura, ex qua sub sumpta minori; *sed respectu gloriæ, vt præmij, non possunt præcedere merita præuisa, vt futura post ipsam*; cum ex lege Dei post statum gloriæ tempus merendi non sit: rectè Augustinus concluserit, ante gloriam debere illius merita præcedere. Et quidem nisi accipiatur sic Augustinus, tenebimur dicere, Christum non meruisse Antiquis Patribus gratiam, quod admittendum non est, cum oppositum à Thomistis doceatur, qui semper cum D. Thom. Augustini vestigijs adhærent.

*Respōdetur.*

10 *Tertio Recētiores probant cōclusionē*

Tertio Recentiores quidam sic arguunt. Si opera subsequentia incarna-

*Tertio Recentiores probant cõclusionẽ*

tionem, possent de potentia absoluta esse condigna merita illius, sequeretur, Christum illam promeruisse de facto; consequens est falsum: ergo & dicta doctrina. Patet sequela; Christo concedendum est omne, quod est dignitatis, si in eo nulla repugnãtia inueniatur; sed habere Incarnationem per merita, maxima dignitas est; cum dignius sit aliquid habere à se, quam ab extrinseco accipere: ergo si in merito condigno Incarnationis per opera subsequentia, nulla implicatio invenitur, asserendum est de facto illam condigné meruisse.

*Sed nec placet hæc ratio.*

Sed nec placet hoc argumentũ; non enim est implicatio in hoc, quod Christus gratiam habitualem, & dona ipsam consequentia, ac beatificam visionem meruerit de condigno, & tamen illa de condigno non meruisse, est communis Theologorum sentẽtia, vt sequenti disputatione constabit: non ergo infertur benè ex non implicantia meriti cõdigni Incarnationis per opera subsequẽtia, de facto sub illorum merito comprehẽdi. Et ratio est, quia nisi expressa sit reuelatio, vel aliqua vrgentissima congruentia, semper standum est pro communi modo operãdi in ordine gratiæ; anticipare autem præmium non est cõ naturale in ordine gratiæ, sed præternaturale; & aliàs nulla extat reuelatio, quod in hoc modo præmiandi circa Incarnationem fuerit dispensatum, nec aliqua vrgens congruitas, quæ dispensationem suadeat: ergo, esto fuerit possibile de potentia absoluta, non inde cogimur dicere, ita euenisse de facto.

II *Si dicas*

Si dicas: in præmij anticipatione dispẽsatum est respectu gratiæ Antiquorũ PP. ergo etiam dispensatum est in anticipatione Incarnationis, vt præmij operum procedentium ab ipsa, si ab intrinseco non repugnaret. *Respõdetur.* Respondeo, negando consequentiam: quia primum erat expediens vniuersalitati redemptionis Christi; aliàs non fuisset vniuersalis Redemptor, quod est inconueniens; secundum autem ad hoc munus necessarium non erat.

*Si instes*

Si instes, etsi ista conuenientia non esset, erat tamen alia, nempé, quod Christo modo perfectiori competeret, qualis est habere à se, & non omninò ab extrinseco Incarnationem: ergo ex isto capite concedendum est, ita fuisse, nisi obstet implicatio. *Respõdetur.* Respondeo, habere à se perfectionem, perfectius esse, quam habere omninò ab extrinseco, quando inconnaturalitas non intercedit in ordine naturæ, nec gratiæ; anticipare autem Incarnationem vt præmium, inconnaturale est in ordine gratiæ; & ideò habere à se Incarnationem per merita subsequentia, dignitas Christo concedenda nõ est. Et quidem Recentiores argumento facto vtentes, fatentur, Christum non meruisse, nec à se habuisse habitualem gratiam per meritum, quia ad hoc necessarium erat, quod actus supernaturales fuissent incõ naturaliter eliciti ab eius humanitate: sicut ergo ob hanc rationem non fuit expediens, vt Christus mereretur gratiam habitualem, ob eandem asserẽdum est, non fuisse conueniens, vt per opera subsequentia mereretur de condigno Incarnationem, esto æstimetur possibile.

Sed potest hoc argumentum ex alio principio vrgeri; nõ enim tantum fuit expediens, quod Christus esset vniuersalis Redemptor, sed etiam conueniens fuit, quod illius meritum vim demeritoriam extensiuam peccati Adami adæquaret; sed Adamus per peccatum demeruit, vt Verbum non sumeret carnem: ergo oportuit, vt hoc Christus mereretur, si in merito Incarnationis implicatio non inuenitur; & consequẽter cum ita factum non sit, vt fatentur omnes Theologi, signum est à posteriori, quod contradictionem importet, Christum per opera subsequentia, suam mereri Incarnationem. Adhuc tamen ista congruentia non vrget; si namque Adamus demeruit, vt Verbum non assumeret carnem, demeruit etiam condigné, vt nec Pater carnem assumeret; & tamen Incarnationem Patris Christus de facto non meruit, etsi in hoc implicatio non inueniatur: ergo meritum Christi non adæquauit quoad efficaciam, extensionem demeriti Adami: ac per consequens ex hoc principio non concluditur, propriam Incarnationẽ meruisse, si implicatorium non sit.

*Respõdetur.*

12 *Hoc argumẽtũ potest ex alio principio vrgeri.*

*Sed contra.*

13 *Quarto alij probant cõclusionẽ*

Quarto alij sic arguunt: implicat enim mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ: at si Christus per opera subsequentia suam Incarnationẽ de condigno mereretur, inter Incarnationem, & merita, mutua causalitas intercederet in eodem genere causæ: ergo implicat Incarnationem cadere sub merito operum procedentium ab ipsa. Maior est communis sententia Philosophorum, qui, tametsi admittant mutuã inter duo causalitatem in diuerso genere causæ, in eodem tamen causę genere non posse duo se inuicem causare, fatentur. Minor autem probatur: nam meritum est causa præmij in genere causæ efficientis, Incarnatio etiam ad operationes Christi efficienter comparatur: tum, quia Verbum humanitati vnitum, efficienter influit in eius operationes. Tum etiam, nam humanitas non efficit proprias operationes, nisi vt vnita Verbo, in qua vnione sita est Incarnationis essentia: ergo, si Incarnatio est præmiũ operum procedentium ab ipsa, daretur inter Incarnationem, & merita, mutua causalitas in eodem genere causæ efficiẽtis. *Cõfirmatur.* Quod amplius confirmant: nam si opera subsequentia Incarnationem, illã possent promereri, sequeretur, posse se ipsa efficienter causare; consequens implicat: ergo implicat etiam antecedens. Minor constat: causa namque est, ad quam aliud consequitur: ergo implicat, idem esse causam sui ipsius. Sequela vero probatur; quod enim est causa causæ, etiam est causa causati; sed causarent Incarnationem, quæ est principium, & causa meritorum: ergo causarent se ipsa.

14 *Hoc argumẽtũ etiã non vrget, & instatur primo.*

Sed nec argumentum hoc, quo vtũtur communiter Auctores nostræ sententiæ, illam efficaciter suadet. Tum, quia instatur manifestẽ in gratia Antiquorum PP. quam Christum meritorie causasse, est communis Theologorum sententia; & tamen PP. Antiqui per ipsam gratiam obtentam in vi meritorũ Christi, Incarnationem meruerunt, vt docuim⁹ *Tractatu de Incarnatione*, cũ frequentiori Thomistarum sententia: ergo non repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ efficientis moralis: ac proinde ex hoc principio non concluditur efficaciter, nõ potuisse Christum per opera subsequentia Incarnationem mereri. Tum etiam: nã illud Philosophorum axioma, vt verũ vniuersaliter sit, debet sumi de eodem genere infimo causæ; non autem de eodẽ genere subalterno diuisibili in diuersos modos causandi: sic enim posse inter duo mutuam interuenire causalitatem: constat primo in gratia habituali causata à contritione dispositiuẽ, & illam receptiuẽ causante, cum tamen receptiu⁹, & dispositivus influxus ad genus causæ materialis pertineant.

15 *Secundo*

Secundo in actu vitali specificante potentiam, & ab illa specificato; licet autem Incarnatio efficienter comparetur ad actus humanitatis, & isti in illam influxum meritorium exercerent, qui influxus est effectivus; non tamen est idem modus efficiendi Incarnationis in actus, & actus in Incarnationem; cum Incarnatio, vt efficiat, physicam existentiã exposcat; secus vero actus vt Incarnationem mereantur: ergo ex illo Philosophorum axiomate non suadetur efficaciter, opera supponẽtia Incarnationem, non posse illam de condigno mereri.

*Tertio.*

Tum denique: nam solum tunc repugnat mutua inter duo causalitas in eodẽ genere causæ, quando vtrumque vt causet præexistentiam physicam petit; non autem quando vnum, vt existens solum in apprehensione, aut prævisione sui propriam exercet causalitatem; quo circa effectus causæ efficientis potest illam causare finaliter, quia vt influxum finalem exerceat, non petit physicè ante suam causam præexistere; sed vt opera meritoria causent Incarnationem non petunt physicam præexistentiam, sed illam exercere possunt existentia tantũ in prævisione diuina, vt constat in Christi meritis, quibus respondet in præmiũ Antiquorum PP. gratia, quam tamen tempore successerunt, solum per existẽtiam in diuina præuisione: ergo ex inconuenienti mutuæ causalitatis in eodem genere causæ, non probatur efficaciter, non potuisse Christum Dominũ de condigno Incarnationem mereri per opera subsequentia.

16 *Nec cõfirmatio vrget.*

Nec confirmatio est vrgẽtior: tum, quia instantiam habet in gratia Antiquorum PP. causata efficienter moraliter

ter in vi meritorum Christi, & causante et am moraliter ipsius Incarnationem, & merita, quin ex hoc inferatur, Incarnationem, aut merita Christi Domini se ipsa efficienter causare. Tum etiam, quia maior assumpta in probatione sequelæ, solum est vera de causa causæ necessario aliud causantis, non autem de causa causæ, non causantis necessario; Incarnatio autem non causat necessario merita, ac per consequens, ex eo quod efficienter causarent Incarnationem, nō sequitur efficienter se causatura. Tum tertio, nam tunc solum quod est causa causæ, est causa causati, quando inter causam causæ, & causatum ab ipsa, est distinctio; sicut causans vltimam dispositionem ad formam, tunc solum formā causat quando principium, quo causat dispositiones, à forma, ad quam disponunt, distinguitur; quo circa homo media gratia habituali causans in sententia probabili contritionem vltimo disponētem ad gratiam, non causat efficienter gratiam, ad quā contritio disponit, quia ipsa gratia est homini principium quo dispositiones causat: ergo quamuis opera supponētia Incarnationem, illam mererentur de condigno, & causarent efficienter moraliter, non sequitur causatura efficienter se ipsa.

17 *Vltimo ab alijs probatur nostra conclusio.*

Denique vt alia omittamus, inde ab alijs nostra, & communis sententia suadetur; nam meritum non potest essentialiter cōnecti cum præmio, nec illud ab intrinseco inferre; at opera supponētia Incarnationem secundum quod valorata valore cū Incarnatione exequēdo, vt illam de condigno mererentur, essentialiter cum Incarnatione cōnectuntur, illamque infallibiliter inferūt illatione à posteriori: ergo non possunt Incarnationem de condigno mereri. Minor cū consequentia tenet; maiorem autem Probant. Tum, nam actio voluntatis nō potest meritorie in impulsum ipsam terminantem influere, quia essentialiter cum impulsu cōnectitur, illumque infallibiliter infert: ergo repugnat merito, essentialis connexio cum prēmio. Tum etiam, nam cum præmiare sit actus iustitiæ, de cuius ratione est libertas, præmiū petit, libere à præmiante cōcedi, adhuc præsuppositio merito; sed si meritum essentialiter cōnectatur cum præmio, non erit in libera potestate præmiantis præmium impendere, merito præsuppositio: ergo inter meritum, & præmiū nequit esse essentialis connexio. Hoc tamen fundamentum in principijs Thomistarum nequit vrgere; cum doceant, peccatum actuale essentialiter inferre carentiam habitualis gratiæ, & illam de meritorie causare; non enim magis de ratione præmij est libere à præmiante procedere, quam de ratione pœnæ, quod libere à puniente infligatur: at hoc non obstante potest carentia gratiæ, quæ est pœna peccati, essentialiter cum peccato connecti, & ex illo ab intrinseco inferri: ergo pariter, præmium poterit essentialiter connecti cum merito, & ab illo inferri essentialiter, non obstante quod libere à præmiante procedat. Quod siquis voluerit argumento facto vti pro communi sententia, explicare poterit D. T. cum tribuit peccato causalitatem moralem in expulsionem gratiæ de causalitate morali tantum quoad sufficientiam.

## §. III.

### *Fundamentum nostræ sententiæ proponitur, & duplex solutio reijcitur.*

VNDE prætermissis his argumentis, suadetur communis sententia: nam principium meriti non potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso; at Incarnatio est principium omnis meriti ab humanitate Christi procedentis: ergo non potest sub alicuius operis ab humanitate eliciti merito cadere. Minor cum consequentia tenet. Maiorē docuit D. Thomas. *in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 4 ad 2. q. 29. de Veritate art. 6. ad 4. in corpore.* 3 Contra Gentes *cap 149. & cap. 159. & in hac 3. p. supra quæst. 2. art. 11.* Huic argumento, cui vnicē cōmunis sententia fidit, multiplex adhibe-

18 *Suadetur nostra sententia.*

S. Tho.

*Prima solutio.*

tur

tur solutio. Prima distinguit maiorem, illamque concedit de lege ordinaria Dei, & attentis rerum naturis, negat autem de potentia absoluta; ex quo solum sequitur, non potuisse Incarnationem esse præmium meriti condigni operum procedentium ab ipsa de lege ordinaria, & attenta rerum natura; non vero quod de potētia absoluta id impossibile sit.

19 *Secūda.* Secunda aliter distinguit maiorem, & concedit de merito exigente præuia existentiam, vt causet; negat autem de merito, quod potest condigne extendi ad præmium anticipate merendū, quod proinde non petit ante præmium existere realiter, sed solum ante præmium præuideri: hæc autem est differentia inter meritum puræ creaturæ, & meritum Christi infinitum, quod illud non potest condigne mereri anticipatam præmij exhibitionem, eo quod finitum est; ac per consequens nequit mereri condigne, vt ordo gratiæ in modo præmiandi invertatur, quod est necessarium, vt præmium anticipate detur; meritum autē Christi totum hoc potest condigne mereri, & ideo meritum finitum petit ante præmium realiter existere, vt influat, & ideo nec de potentia absoluta potest sui principium condigne mereri; meritum autem Christi solum vt præuisum causat, & ideo potest in sui principium influere meritorié.

20 *Tertia.* Tertia solutio aliter distinguit maiorem, illamque concedit de principio meriti sub ea conditione, & statu, quo est merendi principium; negat autem sub alia, sub qua merendi principiū non est; Incarnatio autem considerari potest dupliciter, primo, prout subest decreto intentiuo Dei; secundo, prout subest decreto executiuo; sub prima consideratione, est principiū meriti, & prout sic non cadit, nec cadere potest sub merito; sub secunda autem meriti principium non est: ac proinde prout sic esse potest merces, præmium, & terminus meriti. *Quarta.* Quarto Recentiores quidam respondent, principium meriti non posse cadere sub merito operis subsequentis solum natura, & coexistentis tempore cum principio, potest tamen esse præmium operis tempore subsequentis. Ex quo solum sequitur, Incarnationē, quoad primam existentiam, nō potuisse esse præmium meriti procedentis ab ipsa, & cum illa pro primo instanti sui esse coexistentis, non vero quod non potuerit esse præmium meriti procedentis ab illa, ipsaque tempore posterioris.

Denique alij respondent, principiū meriti non posse esse præmium actus procedentis ab ipso quoad existentiam absolutam principij; posse tamen esse præmium, & cadere sub merito operis procedentis ab ipso quoad existentiam comparatiuam huius principij præ alio, v.c. potest à Deo decerni actus charitatis, non decernendo determinate, quod à gratia habituali procedat, vel à gratia actuali intrinseca auxiliāte, vel per auxilium extrinsecum; sed disiunctiué ab aliquo ex his principijs, & ex præuisione actus charitatis in vi huius decreti futuri, moueri ad infusionem habitus determinatē. Ex quo solum sequitur, non potuisse Incarnationem esse præmiū operum procedentium ab ipsa quoad absolutam Incarnationis existentiam; non autem quod non potuerit de potentia absoluta, esse præmium operum procedentium ab ipsa quoad existentiam cōparatiuam vnius Incarnationis, vel vnionis humanitatis ad Verbum præ alia; opus enim meritorium Christi non dependet essentialiter ab hac numero Incarnatione, sed disiunctiué ab hac, vel ab illa: potuit ergo à Deo decerni opus aliud meritorium Christi, non vt determinate ab hac vnione causandum; sed disiunctiué ab hac, vel alia minoris perfectionis, quo supposito decreto, in illo præuideretur opus Christi meritorium, & ex illo, vt sic præuiso, posset Deus moueri ad illud remunerandum hac numero Incarnatione præ alia, quæ minoris esset perfectionis substantialis.

21 *Vltima.* ed nulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit; & prima reijcitur primo: nam ad minus principium formale meriti, idest, quod vt forma ipsum valorat, & meritorium constituit, non potest etiam de potentia absoluta sub merito, cuius est formale principium, cadere; at Verbum vt humanitati vnitū, est principium formale meriti ab humanitate procedentis; cum à Deitate vnita, vt à

22 *Prima solutio reijcitur primo.*

forma

forma valorem meritorium infinitum recipiat, per quam solum esse posset cõdignum Incarnationis: ergo Incarnatio nec de potentia absoluta potuit cadere sub merito condigno operum procedẽtium ab ipsa. Probatur maior, in qua sola esse potest difficultas, si principiũ formaliter dignificans meritum, posset esse eiusdem meriti præmium, sequeretur, tale meritum se ipsum, vt meritum est, mereri; consequens est falsum: idem namque à se ipso dependere non potest; ac per consequens nec meritorié potest à se ipso causari, nec se ipso remunerari: ergo falsum est antecedens. Probatur sequela: meritum formæ, est etiam meritum effectus formalis formæ: ergo si opus meritorium potest formam ipsum valorantem, & in ratione meriti constituentem mereri, potest mereri se ipsum, quatenus meritum est, & se ipso vt meritorio remunerari.

23 *Dices.* Dices, Verbum considerari posse duplicitér primo, vt vnitum immediate humanitati: secundo, vt vnitum mediante operibus meritorijs ab humanitate elicitis, & sub prima consideratione posse cadere sub merito operum procedentium ab ipso; prout sic tamen nõ est forma valorans, sed efficiens causa meriti; sub secunda autem, sub qua est forma valorans merita, non potest sub merito à se valorato cadere: ac per consequens nõ sequitur, meritum causare se ipsum, nec se ipso remunerari. Sed contra primo: nam Verbum non est causa efficiẽs actionum humanitatis, nisi prout illis vnitum, sed iuxta Auctores oppositos Christus potuit Incarnationem mereri, prout est principium merendi: ergo potuit mereri vnionem Verbi nedum ad humanitatem, sed etiam ad illius operationes; & consequenter potuit mereri principium formale actiones meritorias valorans, & meritorias infinite constituens. *Contra primo.* Secundo: nam vnio Verbi ad actiones humanitatis essentialiter includit vnionem Verbi ad ipsam humanitatem; sed non potest meritum remunerari aliquo in se ipso essentialiter incluso, nisi etiam remuneretur se ipso: ergo si merita Christi non potuerunt se ipsis remunerari, nec potuerunt remunerari vnione Verbi ad humanitatem. *Secundo*

Tertio: nam valor operationum humanitatis est effectus secundarius diuinitatis humanitati vnitæ, quæ primario humanitatem sanctificat, & secundario operationes valorat; sed non minus intelligibile est, quod effectus secundarius formæ mereatur effectum formæ primarium, quam quod mereatur se ipsum: ergo si non potuerunt operationes Christi se ipsas, quatenus valoratas, & meritorias mereri, nec etiam potuerunt mereri vnionem Verbi ad humanitatẽ. 24 *Tertio.*

Deinde principalis solutio reijcitur: vt enim illius Auctores fatentur, attentis rerum naturis, non potuit Christus supra sui vnionem ad humanitatem meritorié reflecti, nec sui Incarnationem de condigno mereri: ergo reflexio hæc meritoria iuxta inclinationem intrinsecam gratiæ vnionis non est, sed supra illam: ergo non potuit de potentia absoluta de condigno Incarnationem mereri. Patet hæc consequentia: nam meritum condignum non est nisi respectu termini inclinationis intrinsecæ gratiæ: ergo si gratia vnionis intrinsecé non inclinat ad se ipsam promerendam, non potest de condigno se ipsam mereri. *Secundo principalis solutio reijcitur.*

Denique contra illam arguitur; si namque principium essentiale meriti potest de potentia absoluta esse præmiũ operis procedẽtis ab ipso, sequitur, quod etiam primum decretum intentiuum talis principij possit cadere sub merito eiusdem operis; consequens non admittunt illius solutionis Auctores: ergo nec Nos illius doctrinam debemus admittere. Probo sequelam: non obstat dependentia essentialis operis à principio suo intrinseco, vt sit meritum illius: ergo nec obstare potest essentialis dependentia à principio extrinseco, vt illud possit mereri; & consequenter si Christus per opera subsequentia potuit suam Incarnationem mereri, potuit etiam per eadem opera mereri de condigno primũ decretum intentiuum Incarnationis. 25 *Tertio reijcitur*

Et ex his secunda solutio reijcitur primo; vel enim reflexio meritoria Christi supra vnionem humanitatis ad Verbum est iuxta inclinationem intrinsecã gratiæ vnionis infinitam, vel non est iuxta inclinationem illius; si primum, talis reflexio miraculosa nõ erit, sed Christo 26 *Secũda solutio reijcitur primo.*

con-

connaturalis: si secundū, implicat quod illam merito condigno mereatur; meritum enim condignum non est nisi respectu termini inclinationis intrinsecæ gratiæ: ergo vel est asserendum, connaturaliter Christum potuisse Incarnationem de condigno mereri, vel id non potuisse efficere de potentia absoluta. Secundo: *Secundo* nam esto anticipata præmij solutio miraculosa sit; non tamen est præmium in ratione præmij infinitum: ergo si nihil aliud obstet, poterunt actus finiti adeò crescere in valore, vt adæquent anticipationem præmij: ita vt actui intensionis vt centum, respondeat intensio præmij anticipativt vnum; & consequenter prima gratia quoad aliquam sui intensionem principiantem meritum, poterit cadere sub merito condigno operum procedentium ab ipsa.

27 *Tertio.* Tertio nam ad minus sequitur, posse primam gratiam auxiliantem cadere sub merito congruo operum procedentium ab ipsa; consequens non admittut secundæ solutionis Authores: ergo nec eorum solutio admitti debet. Probatur sequela primo: nam ad meritum congruum non requiritur, quod cum præmio adæquetur: ergo esto anticipatio præmij excedat valorem operum puræ creaturæ, poterit cadere sub merito congruo illorum; & consequenter primam gratiam auxiliantem, vt anticipate dandam, poterunt de congruo mereri. Secūdo, quia non minus excedit Incarnatio actus supernaturales, quam excedat illos anticipata præmij solutio, imo magis: tum, quia est præmiū in ratione præmij infinitum, anticipatio autē præmij non ita. Tum etiam, quia est maximum miraculorum, & supra totum ordinem gratiæ adoptionis; & tamen potest cadere sub merito congruo actuum supernaturalium ordinis gratiæ adoptiuæ: ergo etiam anticipatio præmij poterit cadere sub merito congruo operum puræ creaturæ.

28 *Quarto.* Quarto impugnatur solutio argumento supra facto: nam ex illa sequitur potuisse Christum per opera subsequentia Incarnationem, mereri de condigno formam valorantem opera, & merita constituentem, & consequenter se ipsa vt merita sunt; consequens est falsum: ergo & solutio. Denique reijci poterat, quia si Incarnatio daretur in præmium post exequuta merita Christi, non minus adæquaretur cum operibus Christi meritorijs, quam augmentum gratiæ vt octo datum post meritum executum, cum merito vt octo adæquatur: ergo sicut huius præmij anticipatio est supra condignitatem meriti finiti, ita anticipatio Incarnationis ex se adæquantis merita infinita Christi, est supra illorum condignitatem intrinsecam. Sed ab hac impugnatione abstinemus, habet enim facilem solutionem ex dictis. *Quinto reijci poterat.*

## §. IV.

### *Triplex alia solutio impugnatur.*

29 *Tertia solutio reijcitur primo.* DEINDE tertia solutio, quæ frequētior est inter Auctores oppositos, reijcitur primo ad hominem contra Suarez, cuius est tertia solutio; vel enim ad rationem meriti, & præmij requiritur, quod decretum executiuum meriti præcedat decretum executiuum præmij, vel sufficit, quod præuisio meriti vt existentis post præmium, & post decretum executiuum eiusdem, præcedat decretū executiuum præmij: si primum, implicat opera ad Incarnationem sequuta, Incarnationem ipsam mereri: si secūdum, sequitur Incarnationem, vt subest decreto intentiuo, & primo, cadere potuisse sub condigno merito operum procedentium ab ipsa, cuius contrarium in tradita solutione docetur: ergo solutio tradita non subsistit. *Minor pro prima parte constat.* Minor pro prima parte constat: ordo namque inter decreta executiua commensuratur cum ordine obiectorum, vt existentium in re; sed implicat merita Christi ante incarnationē in executione existere: ergo etiam implicat, quod decretum exequens meritorum præcedat decretum executiuum Incarnationis; & consequenter si ad rationem meriti petitur, quod decretum executiuum meriti sit prius decreto executiuo

tiuo præmij, implicabit omninò, quod opera Christi Domini supponentia Incarnationem, illam condigné mereantur.

30 *Pro secũda probatur.* Pro secunda parte probatur: si namque ad merendam Incarnationem, vt subest decreto executiuo Dei, sufficit præuisio meriti, vt posterius existentis, etiam ad merendum illam, vt subest decreto intentiuo, sufficiet præuisio meriti ad decretum intentivum eiusdem Incarnationis; sed in principijs Suarez præuisio operum supponentium Incarnationem, potest antecedere decretum intentivum Incarnationis: ergo poterunt illam mereri, nedum vt subest decreto Dei executiuo, sed etiam prout subest decreto Dei intentiuo. Patet minor: nã in istius Auctoris sententia, pro priori ad decretum absolutum, potest obiectum decreti, vt futurum cognosci à Deo: ergo pro priori ad decretum intentivum Incarnationis, & operum procedentium ab ipsa, poterunt Incarnatio, & illius opera à diuino intellectu cognosci: ac per cõsequens, esto decretum electivum operum sit posterius decreto intentiuo Incarnationis; præuisio tamen operum supponentium Incarnationem, præcedere potest, & de facto præcedit in Deo primum Incarnationis decretum: ac proinde, si sufficit præuisio meriti, vt posterius existentis ad decretum executivum Incarnationis, vt illam de condigno mereatur, prout subest decreto exequenti, poterunt opera Christi illum de condigno mereri, prout subest decreto primo intentiuo.

31 *Secũdo reijcitur ista solutio.* Secundo reijcitur: nam meritum non causat præmium, nec mouet voluntatem præmiantis, nisi præuideatur, vt existens, vel extiturum extra causas; sed operationes Christi, quatenus sunt meritoriæ, vt existentes, vel quatenus extituræ, essentialiter includunt vnionem humanitatis ad Verbum, vt existẽtem, vel vt extituram: ergo vt sic non possũt meritorié mouere ad decernendam vnionem humanitatis ad Verbum, in qua Incarnatio consistit. Maior est certa; in hoc enim differt causa meritoria à finali, quod ista mouet, vt sit, illa autem mouet, quia est, vel quia præuidetur futura. Consequentia est bona: nam meritum non potest essentialiter præmium includere cũ præmium in ratione præmij posterius merito sit; id autẽ quod essentialiter in merito includitur, nequit esse præmium posterius. Minor autem probatur: operationes Christi, quatenus valorosæ ad merendum, essentialiter includunt Verbum, vt mediaté sibi vnitum; sed vnio mediata Verbi cũ operationibus essentialiter includit vnionem immediatam Verbi cum humanitate: ergo operationes Christi prout formaliter meritoriæ, essentialiter includunt vnionem Verbi cum humanitate.

32 *Tertio.* Tertio reijcitur: licet namque non sit de essentia meriti, quod illius decretum executivum sit prius decreto executivo præmij, vt constat in meritis Christi, quæ meritorié causarunt gratiam Antiquorum PP. quæ in executione merita Christi præuenit; implicat tamẽ meritum, cui ab intrinseco repugnet in sui executione, & decreto executiuo, præmij executionem præcedere; sed operibus Christi ab humanitate elicitis, prout formaliter sunt meritoriæ, repugnat essentialiter in executione Incarnationẽ præcedere: ergo opera Christi vt in decreto intentiuo præuisa, non potuerunt influxum meritorium exercere in Incarnationem Verbi, prout subest sui decreto executiuo. Consequentia cum minori tenet. Maior autẽ probatur; implicat causa meritoria, cui ab intrinseco, & essentialiter repugnet modus connaturalis causandi in genere meriti, sicut implicat causa finalis, cui essentialiter repugnet modus connaturalis finaliter causandi; sed modus connaturalis causæ meritoriæ est, per sui præexistentiam ad præmium in ordine executiuo, vt expressé admittit Suarez *supra di p. 10. sect. 4. pag. 255. ad finem*: ergo implicat meritum respectu præmij, in ordine ad quod illi essentialiter repugnet præexistentia in ordine executiuo. *Suar.*

33 *Quarta solutio refellitur 1.* Et ex his quarta Recentiorum solutio refellitur primo. Reflecti namque supra suum principium, etiam tempore antecedens, non potest esse iuxta inclinationem intrinsecam gratiæ, siué adoptiuæ, siué vnionis hypostaticæ: ergo gratia nequit esse præmium condig

num

num operis ab ipsa egredientis, ad illam que tempore subsequentis. Consequētia constat ex dictis: nam meritum condignum non est, nisi respectu termini inclinationis intrinsecæ gratiæ, quæ est principium merendi: ergo si gratia, vt anticipate exhibita in præmium operis subsequentis, & tempore posterioris, non est terminus inclinationis intrinsecæ sui, quatenus meritoriæ, nequit esse præmium meriti cōdigni operis procedentis ab ipsa, & tempore posterioris. *Antecedens ostēditur primo.* Antecedens autem probatur primo ex dictis: nā causæ meritoriæ debetur connaturaliter præexistentia ad præmium in ordine executionis; sed repugnat operi procedenti à gratia, huiusce modi præexistentia: ergo gratia, quæ est principium operis, non continetur in ratione præmij intra terminum inclinationis intrinsecæ sui, vt est principium merendi.

34. *Secūdo prob. antecedēs.* Secundo probatur: si namque gratia vnionis, vt præmium operis procedentis ab ipsa, tempore posterioris, contineretur intra terminum inclinationis intrinsecæ sui, prout est merendi principium, nulla esset incōnaturalitas in hoc, quod tali operi correspōderet vt præmium; consequens est falsum: ergo & quod gratia, vt principiū operis sit præmium contentum intra terminum suæ inclinationis. Maior manifesta est. Minor autem probatur: nam Christo de facto conceditur, quidquid dignitatis est, si omnis connaturalitas ordinis naturę, & ordinis gratiæ saluetur; sed de facto Christus non meruit suam Incarnationem per opera tempore posteriora, vt constat ex Augustino *lib. de Prædest. Sanctorum cap.* 15. vbi omne meritum Christi respectu Incarnationis excludit: ergo Incarnationem esse præmium operis procedentis ab ipsa tēpore posterioris, inconnaturale intra ordinem gratiæ est. Patet consequentia: nam illam habere ex merito, dignius est, quā sine merito habere, vt docet D. Thomas *in præsenti art.* 3. & per se manifestū est: ergo si aliàs potest, omni connaturalitate seruata, esse præmium meritorū Christi, illam de facto promeruit, vel si de facto non meruit, est, quia connaturaliter esse nequit præmium actuum procedentium ab ipsa, etiam posteriorum, non solum natura, sed tempore.

*S. Aug.*

Secundo reijcitur argumento supra facto: nam licet possit per accidens meritum esse præmio in executione posterius; non tamen est dabile meritum, cui essēntialiter repugnet præcedere in executione præmium; sed meritis Christi Domini repugnat essentialiter, quatēnus merita sunt, præcedere Incarnationem in ordine executionis: ergo non possunt esse merita Incarnationis, siué tempore, siué natura solum merita præcedentis. Minor est certa: nam merita Christi Domini constituuntur valorata per Deitatem ipsis vnitam mediatē; sed implicat, quod mediata vnio Deitatis cum operibus in executione præcedat vnionem immedietam Verbi cum humanitate, in qua Incarnatio consistit: ergo implicat, quod merita Christi in executione Incarnationem præcedant. Maior autem probatur: nam implicat causa, cui essentialiter repugnet proprius, & connaturalis modus causandi in eo genere, in quo est causa; sed proprius, & connaturalis modus causandi causæ meritoriæ, vt talis, est per præcedentiam meriti ad præmium in ordine executionis, etsi permissiué se habeat ad modum causandi per præcedentiam solum in præmiantis præuisione cum posterioritate in ordine executionis: ergo implicat meritum præmij, cui essēntialiter repugnet, illud in executione præcedere.

35 *Reijcitur 2. quarta solutio.*

Tandem vltima solutio reijcitur: nā meritum Christi, & idem est de quouis alio dicendum, nō potest exercere causalitatem meritoriam nisi vt hoc determinatē; sed hoc numero meritum Christi, essentialiter importat, non hanc, vel illam vnionem, sed hanc numero in singulari: ergo non solum non potest meritorie mouere ad existentiam Incarnationis absolutē, verum nec mouere potest, aut de condigno mereri hanc numero Incarnationem præ alia imperfectiori possibili. Consequentia euidens est in principijs Auctorum, quos impugnamus, ex eo asserentium, nō posse mereri absolutam existentiam Incarnationis, quia illam essentialiter includit: ergo, si non solum claudit essentia-

36 *Vltima solutio reijcitur*

liter

liter meritum Christi, quatenus moraliter influit, aliquam Incarnationē, sed etiam hanc sumptam in singulari, non potest ad hanc in singulari mouere, nec illam præ alia mereri de condigno. Minor etiam nō minus certa videtur: nam licet finis sumptus in singulari non importet determinata media, sed hæc, vel illa vagé, & indeterminaté, eo quod ad media extrinsecè comparatur, quo circa efficacitér potest decerni, & in decreto videri sub disiunctione mediorum; conflatum tamen ex materia, & forma sumptum in particulari, hanc numero formam, & hanc numero materiam essentialiter importat; at meritum Christi tanquam ex forma componitur ex gratia vnionis hypostaticæ: ergo hoc numero meritum essentialiter importat hanc numero gratiam vnionis. Maior autem sic probatur: meritum mouet præmiantem, in quo causalitas meritoria consistit, vt obiectum scientiæ visionis; & consequenter vt extra causas existens; sed meritum non existit extra causas, nisi vt hoc determinatē; existētia namque omnes gradus vsque ad ecceitatem supponit: ergo meritū Christi Domini, non potest Deum ad præmiandum mouere, nisi vt hoc determinaté.

37 *Dices.* Dices, meritum Christi præuisum ex vi decreti disiunctiui, etsi ex hac numero gratia vnionis, quæ de facto est, componatur, hæc tamen gratia nō mouet ratione totius dignitatis, quam habet, sed solum inadæquatē: nā hæc gratia vnionis, quæ supponitur de facto, considerari potest dupliciter: primo quoad excessum alterius gratię vnionis imperfectioris possibilis, & sub gradu perfectionis, & dignitatis sibi, & alteri gratiæ imperfectiori possibili communi; non autem constituit meritum, nec mouet ratione excessus, sed ratione gradus communis, vt Deus hanc vnionis gratiam perfectiorem largiatur.

*Cōtra 1.* Sed contra primo: nam mouet meritum Christi, vt obiectum scientiæ visionis; & consequenter vt extra causas existens; sed vt existens extra causas totam illam dignitatem includit; cum existat in singulari, qualiter non potest, nisi ex determinata, & singulari gratia componi: ergo mouet ratione totius dignitatis, quam habet; & consequenter gratia vnionis quoad excessum alteri⁹ gratiæ imperfectioris possibilis, essentialiter in merito Christi includitur.

38 *Secudo.* Secundo, & explicatur magis hoc ipsum: gratia hæc excedit alteram gratiam ratione suæ vnitatis individualis; sed prout ab illa per vnitatem distincta componit meritum Christi præuisum: ergo ratione excessus ad aliam gratiam possibilem, essentialiter in Christi merito includitur. Probatur minor: meritum Christi præuisum, est hoc meritū in singulari; sed hoc meritum singulare, essentialiter hanc gratiam in singulari claudit: ergo hæc gratia singularis, vt sua vnitate individuali ab alia distincta, essentialiter includitur in merito Christi præuiso. *Tertio.* Tertio; gradus dignitatis vtrique gratiæ communis, non potest in sua cōmunitate videri, sicut nec in illa existere: ergo nec potest sub hac communitate sumptus meritoriā causalitatem exercere.

39 *Quarto.* Quarto: nam præmium meriti condigni debet cum illo adæquari; sed gradus ille dignitatis vtrique gratiæ communis, est inferior perfectione, gradu dignitatis, gratiæ vnionis quoad excessum: ergo meritum Christi ex illo gradu communi, non potest esse condignum gratiæ vnionis, quæ de facto datur quoad excessum ad aliam gratiam possibilem. *Explicatur amplius.* Quod amplius explicari potest: meritum dignificatum gratia vnionis imperfectiori, non potest esse condignum gratiæ vnionis excedentis; sed gradus vtrique gratiæ communis non excedit dignitatem gratiæ imperfectionis possibilis: ergo nequit esse condignus gratiæ vnionis quoad excessum. *Vlteriꝰ explicatur.* Vlterius explicari potest hoc ipsū; ex gradu dignitatis communi, merito hypostatico, & merito puré creato, non potest condignè vnio hypostatica causari: ergo nec ex gradu vtrique gratiæ vnionis communi. Patet consequentia: nam ideò primum nō potest, quia tantæ dignitatis non est; sed gradus vtrique gratiæ vnionis communis, non adæquat in valore gratiam substantialem perfectionem: ergo gradus ille, cōdignus esse nō potest gratiæ vnionis perfectioris-

40 *Si respondeatur.*

Si respondeas ex doctrina à nobis tradita *Disp. 3. §. 5. num. 65.* incrementum dignitatis Incarnationis respondentis in præmium, solum extensivum esse, continerique eminenter eminentia æquivalentiæ in gratia vnionis imperfectiori ratione dignitatis vnitæ; atque adeò posse ex vi huius illam de condigno mereri. In contrarium obstat: nam vel gratia vnionis perfectioris esset maioris æstimationis moralis gratia vnionis inferioris dignitatis, vel non; si primum, gratia vnionis minus perfecta, nō potest dare actibus valorem meritorij condignum. Si secundum, gratia dignior non potest rationem præmij sortiri: ergo solutio tradita non subsistit. Minor pro prima parte cōstat: nam ad meritum condignum requiritur æqualitas cum præmio in morali æstimatione: ergo si gratia correspondens in præmium est maioris dignitatis gratia dignificante meritum, non potest esse præmium condignum illius. Pro secunda etiam probatur: nam sicut ad merendum requiritur libertas moralis inter merita in æqualia: ita ad re vera præmiandum petitur libertas moralis præmiantis inter præmia inæqualis dignitatis; at hæc libertas non adest supposita necessitate dandi aliquam gratiā vnionis, cum vna alterā non excedat in morali æstimatione: ergo Deus, largiendo gratiam vnionis perfectiorem, non præmiat merita Christi.

*Contra.*

41 *Vltimo reijcitur solutio tradita.*

Denique tradita solutio reijcitur; Recentiores namque illa vtentes, ex eo contra Suarez mouentur, vt doceant, nō posse merita in ordine intentionis præuisa causare principiū sui in ordine executionis, quia meritum debet præuideri, vt præexistens ad præmium in ordine executionis; opera autem supponentia pro principio Incarnationem, non possunt sic præuideri; at gradus dignitatis communis gratiæ vnionis perfectiori, & gratiæ vnionis imperfectiori nequit præuideri, vt præexistēs gradui gratiæ perfectioris, cum inter se comparētur, vt superior, & inferior; gradus autem omnes, qui sic inter se comparantur, simul necessario existunt, & non vnus prius alio: ergo iuxta illorum principia, non potest meritum Christi secundum gradum communem, influxum meritorium excedere in gratiam vnionis perfectiorem quoad excessum dignitatis ad gratiam vnionis imperfectiorem possibilem.

## §. V.

### *Fundamentum contrariæ sententiæ proponitur, & traditur prima solutio.*

42 *Arg. contra conclusionē*

Contra nostram conclusionem arguitur: principium meriti potest de potentia absoluta cadere sub merito operis procedentis ab ipso: ergo potuit Christus Incarnationem mereri per opera subsequentia Incarnationem. Cōsequentia tenet: nam vnica ratio implicationis, vt Christus Incarnationem mereri potuerit per opera subsequentia, sumitur ex illa, quæ reperitur, in eo quod principium meriti possit sub merito cadere. Antecedens autem suadetur: principium effectiuum actus potest ab ipso dispositiuè causari, & de facto sic contingere in gratia habituali respectu actus contritionis, docet frequetior Thomistarum sentētia 1-2. q. 113. *art.* 8. ergo pariter principium meriti poterit ab illo meritorié causari.

43 *Si dicas*

Si dicas, causalitatem efficientem, & causalitatem dispositiuam pertinere ad diuersa genera causæ; non autem implicat mutua inter duo causalitas in diuerso genere causæ; meritoria autem causalitas pertinet ad genus causæ efficientis, in quo meritum à suo principio dependet, & in eodem genere causæ implicat inter duo mutua causalitas. In cōtrarium obstat primo: nam actus contritionis, non solum dispositiuè, sed etiā impetratoriè ad habitualem gratiā concurrit, à qua efficienter causatur, & tamen causatio impetratoria pertinet ad genus causæ efficientis: ergo quamuis

*Cōtra 1.*

causatio meritoria ad genus efficientis pertineat, meritū poterit causare suum effectivum principium. Secundo: nam in sententia Mag. Bañez augmentum gratiæ habitualis, est principium actus intensioris quoad excessum supra habitum præexistentem, & tamen ab actu intensiori meritorié causatur: ergo nō implicat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ efficientis. Tertio: nam Christus Dominus fuit effectus suæ Matris in genere causæ efficientis in sententia asserente, Matrem efficienter ad generationem concurrere & tamen illius meruit existentiam: ergo causalitas meritoria exerceri potest supra principium efficiens

Secūdo.

Tertio.

44 Quarto.

Quarto: nam licet non possit dari mutua inter duo causalitas in eodem genere infimo causæ, potest tamen dari in eodem genere causæ subalterno, & diuisibili in diuersos modos causandi, vt constat in contritione, quæ gratiam habitualem causat dispositiué; & consequenter in genere causæ materialis: nam dispositio causæ materialis est, & tamen ab illa in genere causæ receptiuæ, quæ etiam est causa materialis, causatur. Constat etiam in dispositionibus præuijs vltimis ad formam materialem, quæ in composito recipiuntur in sententia Thomistarum; & consequenter materialiter ab illo causantur; & tamen in compositum, dispositivum concursum exercent, qui concursus materialis est, quia, nempé, causa dispositiua, & receptiua, etsi conueniant in genere subalterno causæ materialis, intra illud specie differunt, habentque diuersum modum causandi; at causalitas effectiua principij meriti in meritum, & causalitas meritoria, etsi in genere subalterno causæ efficientis conueniant, dissident specificé; cum causalitas principij physicam existentiam desideret; secus autem causalitas meriti: ergo non est implicatio in eo, quod actus, sui principiū promereatur.

45 Quinto.

Quinto: nam licet principium effectivum non possit esse terminus, & effectus operis existentis vt causet physicam existentiam exercitam: quo circa non potest dari mutua causalitas physica effectiua inter duo, quia hæc petit physicam existentiam in causa, non tamen repugnat esse terminum operis causantis, non vt existentis physicé, sed in sui præuisione; quo circa causa efficiens potest à suo effectu in genere finis causari, quia finis non causat vt existens physicé, sed vt in apprehensione existens intentionaliter; at meritum ad causandum non perit physicé existere, sed tantum in præuisione sui: ergo potest suum principium meritorié causare.

Denique impugnatur solutio: nam Patres Antiqui meruerunt Incarnationem Verbi de congruo, vt cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus *Tractatu secundo de Incarnatione quæstione secunda articulo* 11 *dispputatione* 13. & tamen illorum gratia fuit effectus meritorum Christi, nedum in genere causæ finalis, verum etiam in genere causæ efficientis moralis, vt tenet communis Theologorum sententia: ergo non repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ efficientis; & consequenter ex isto capite non est negandum, potuisse Incarnationem Verbi esse præmium operum procedentium ab ipsa.

Vltimo.

46 Prima solutio.

Ad hoc argumentum, missa solutione data, ob aliqua, quæ aduersus illam obiecimus, vel ad dicenda reducta, respondeo primo, distinguendo antecedens: principium meriti puré effectiuum, transeat antecedens: principium meriti effectiuum, & formale, nego antecedens, & consequentiam: nam Incarnatio, siué gratia vnionis, non solum est principium effectiuum meriti in Christo, sed etiam est principium formale; est enim forma, merita Christi valorans, & formaliter merita infinita cōstituens: licet autem demus, principiū effectiuum meriti posse sub merito cadere de potentia absoluta; principium tamen formale, per quod formaliter meritum constituitur, implicat sub merito à se constituto cadere; alias meritum mereretur se ipsum, & præmio meritum constitueretur, quorum vtrumque apertam repugnantiam importat. Contra quam solutionem nulla ex factis obiectionibus militat: nam dispositio ad gratiam non constituitur in ra-

tione

tione dispositionis per ipsam gratiam formaliter. Nec similiter in ratione impetrationis per ipsam gratiam formaliter constituitur, sed per propriam entitatem à gratia efficienter causatam. Nec etiam actus intensior habitu in ratione meriti augmenti habitus formaliter per augmentum datum in præmiũ, sed per gratiam præcedentem. Nec est dabilis mutua causalitas, meritoria, nempé, & formalis inter duo, quorum vnum altero constituitur, ne idem promereatur se ipsum, & præmio constituatur formaliter meritum. Nec denique, merita Antiquorum Patrum per Incarnationem Verbi constituta fuerũt formaliter, sed tantum ab illa efficienter meritorié causata.

47 *Illatio ex hac solutione.* Iuxta quam solutionem consequẽter est asserendum: primam gratiam auxiliantem posse de potentia absoluta cadere sub merito condigno operum procedentium ab ipsa; secus autem gratia habitualis; quia hæc est forma meriti constitutiua, secus autem gratia auxilians, nisi in sententia asserente, libertatem actus esse extrinsecam denominationem à potentia expedita, & indifferenti sumptam, in qua sententia cum gratia auxilians, actum constituat liberum in genere causæ formalis, non potest sub illius merito cadere, loquendo de gratia sufficienti; efficax tamen poterit sub merito à se principiato cadere. In sententia tamen docente, per modum complementi actus primi concurrere ad actum secundum, idem de gratia efficaci, ac de sufficienti est dicendum; & consequenter ad eandem doctrinam, asserendum est, gratiam habitualem non posse cadere sub merito congruo actuum ipsam consequentium. Si etiam meritum congruum constituat per modum formæ, quod à pluribus probabiliter docetur, estque inter nostros Thomistas frequentius; poterit tamen sub merito congruo cadere operum ipsam consequentium, si non formaliter, sed tantum effectiuè comparetur ad meritum, quod etiam probabiliter, etiam in Schola D. Thomæ ab alijs defenditur.

48 *Dices.* Sed dices: quia finis causat, non vt existens, aut præexistens in re, sed tantum in apprehensione, potest non solum principium efficiens, sed etiam principium formale à suo effectu causari in genere causæ finalis; vt constat in forma, quæ in genere causæ finalis causatur à toto composito, ab ipsa forma causato in genere causæ formalis; sed meritum potest moralem influxum exercere, vt existens solum in sui præuisione, vt constat in meritis Christi, quæ solum in diuina præuisione existentia, Antiquorum Patrum gratiam meritorié causarunt: ergo non solum principium effectiuum meriti, sed etiã principium formale potest cadere sub merito à se constituto formaliter. *Cõfirmatur.* Et confirmabis, vel finis causando finaliter formam sui constitutiuam, causat se ipsum in genere causæ finalis, vel non; si secundum: ergo potest causalitas in formam, à causalitate in constitutum per talem formam præscindere; & consequenter ex causalitate meritoria in formam constituentem meritum, non infertur meritum causare se ipsum. Si primum: ergo sicut inconueniens non est; finem causare se ipsum, eo quod suam causalitatem exercet per præexistentiã tantum in apprehensione sui: ita inconueniens non erit, meritum se ipsum causare meritorié, & moraliter, eo quod causalitas ista moralis, talis conditionis est, quod solum præexistentiã meriti in sui præuisione desiderat.

49 *Respõdetur.* Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: disparitas autem sumitur ex differentia apprehensionis complentis finem in ratione causæ finalis, & præuisionis complentis meritum in ratione causæ meritoriæ, & moralis; apprehensio namque, in qua existens finis causat, non terminatur ad ipsũ, vt in re existens: vnde finis apprehensus non mouet agens, quia est, sed vt sit, & vt det illi existẽtiam; & ideò totũ componendum ex forma, apprehensum vt possibile, potest mouere agens, vt det existentiam formæ, per quam totum ipsum existat; præuisio autem, in qua existens causat meritum; cum notitia intuitiua sit, ad meritum terminatur, quatenus existens in re, qualiter necessario formam sui constitutiuam vt existentem includit: vnde non mo-

uet remunerantem, vt sit, nec vt det illi existentiam, sed quia est, & quia apprehenditur vt tale; atque adeò non potest in formam sui constitutiuam influxum meritorium exercere. Et ex his constat confirmationis solutio.

*Ex his cõstat ad cõfirmationem.*

## §. Vltimus.

### *Secunda solutio traditur, & ab impugnationibus liberatur.*

50 *Secũda solutio.*

SECVNDO respondetur ad principale argumentum, distinguendo antecedens: principium essentiale meriti, nego antecedens: principium non essẽtiale, concedo antecedens, & nego cõsequentiam: nam gratia vnionis est principium essentiale meritorum Christi, prout sunt infiniti valoris, qua sola ratione possunt cõdigné Incarnationem mereri; ratio autem distinctionis traditæ habetur ex dictis, quia, nempé, etsi possit meritũ supponere præmium per accidens, & iuxta modum non connaturalem causandi; nõ tamen potest hæc præsuppositio esse merito essentialis, eo quod nulli causæ potest repugnare essentialiter connaturalis modus causandi, & modus connaturalis causandi causæ meritoriæ, prout à finali distinguitur, est, præcedendo præmium, non solum in ordine intentionis, & in sui præuisione, sed etiam ordine executionis; & ideò, etsi possit principium non essentiale meriti sub eodem merito cadere; principium tamen essentiale sub merito, cuius est principium, cadere nequit.

51 *Oppones* 1.

Sed oppones aduersus istam solutionem primo: quia finis causat nõ vt præexistens in re, sed solum in apprehensione, non solum principium non essentiale, verum etiam essentiale causari potest finaliter ab effectu, cuius est essentiale principium; sed etiam meritum causat, vt præexistens non in re, sed tantum in præuisione sui: ergo principium essentiale meriti potest meritorié causari ab actu, cuius est essẽtiale principium. Secundo: nam licet gratia vnionis vt simul cum merito existens, sit principiũ essentiale illius, vt tamen antecedenter præexistens ad meritum, principium essentiale non est; cum potuerit sine hac præexistentia meritum principiare, illudque significare: ergo licet gratia vnionis, vt simul tempore existens cum merito, nequeat sub eodem merito cadere, prout tamẽ antecedenter præexistens, potest ab illo meritorie causari. Patet consequentia primo: quia solum principium essentiale nõ potest sub merito à se principiato cadere, vt admisimus in hac solutione: ergo si vt præexistens, principium essentiale non est, poterit vt præexistens causari meritorié a merito tempore subsequuto. Secundo: quia namq; gratia vnionis vt posterius existens, & continuata post meritum, non connectitur essentialiter cum merito, neceſt illius essẽtiale principiũ, potest quoad sui continuationem sub merito Christi cadere: ergo si vt prius existens non cõnectitur essentialiter cũ merito, neceſt illi⁹ essentiale principiũ, poterit quoad hanc præexistentiam cadere sub merito Christi.

*ecũdo.*

52 *ertio.*

Tertio obijcies: licet gratia vnionis vagé sit principium essentiale meriti Christi, *hæc* tamẽ determinaté, principiũ essentiale talis meriti nõ est: ergo licet gratia vnionis absoluté, nequeat sub merito Christi cadere, *hæc* tamen determinaté, quæ de facto facta fuit, potuit sub condigno merito operum ipsum consequentium comprehendi. Antecedens probatur: *hoc* meritum Christi, etiam vt *hoc* singulare, non magis dependet ab *hac* numero gratia vnionis, quam actus singularis vitalis, v. c. dilectionis, dependet à principio vitali; sed *hæc* numero dilectio non dependet essentialiter ab *hoc* numero principio vitali, sed potest indifferenter ab *hoc*, aut *illo* procedere: ergo *hoc* numero meritum Christi non dependet essentialiter ab *hac* numero gratia vnionis, sed potest indifferẽter ab *hac*, vel *illa* procedere.

Deni-

53 *Vltimo.* Denique obijcies: actus, quo Christus Dominus meruit Antiquis PP. gratiam, essentialiter supponebat gratiam Antiquis PP datam: ergo non est contra rationem meriti essentialiter supponere præmium; & cõsequenter non est ob hanc rationem dicendum, principium essentiale meriti, non posse de potentia absoluta sub merito à se principiato cadere. Antecedens probatur: actus ille fuit gratiarum actio pro gratia Antiquis PP. data; sed gratitudo essentialiter beneficium supponit: ergo actus, quo Christus meruit Antiquis PP. gratiam, illam collatam supponebat essentialiter. Probatur maior; non enim stat meritum vnius pro alio, nisi per postulationem, vel per gratiarum actionem; at non meruit Christus Antiquis PP. gratiam, illam postulando à Deo; cum postulatio, rei postulatæ existentiam non supponat: ergo meruit illam per gratiarum actionem.

54. *Respõd. ad primam.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus, distinguendo causalem maioris: quia finis causat, vt existens tãtum in apprehensione, iuxta modum connaturalem causandi causæ finalis, concedo maiorem: iuxta modum tãtum permissum, & non connaturalem causandi, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia causare vt præexistẽs tantum in visione præmiantis, non est connaturalis modus causãndi causæ meritoriæ, sed inconnaturalis, & permissus; & ideò non potest meritum essentialiter illum exigere, quod tamen necessarium erat, vt meritũ posset meritorié causare principium sibi essentiale. *Ad secũdam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam quamuis præexistentia gratiæ vnionis prioritate temporis, non sit essentialiter exacta à meritis Christi Domini; eo tamen ipso, quod gratia vnionis quoad substantiam sit essentiale principium, repugnat essentialiter merito, in executione gratiam vnionis præcedere, quod contra rationem meriti est, vt ostendimus.

55 *Ad 3. respond. 1.* Ad tertiam respondeo primo, negando antecedens: ad cuius probationem, nego maiorem; cum enim meritum Christi per gratiam vnionis formaliter constituatur, magis dependet ab illa, quam actus vitalis à principio vitali; & ideò etsi possit vnus numero actus vitalis à duplici principio vitali numero distincto procedere, non sequitur, idem numero meritum Christi posse à duplici gratia vnionis numero distincta procedere, quia non stat identitas numerica in constituto per formã, absque numerica identitate formæ. *Secũdo.* Vel secundo respondeo, permisso antecedenti, negando consequentiam: nam multiplex gratia vnionis, à qua disiunctiuè, & vagè meritum Christi essentialiter dependet, vel adæquantur inter se in morali æstimatione, vel vna alteram excedit. Si asseratur primum, non potest vna esse præmium operis dignificati per aliam, quia sicut ad merendum requiritur libertas moralis inter merita inæqualia: ita ad præmiandum necessaria est in præmiante libertas moralis inter inæqualia præmia: ac per cõsequens cum necessitate ad aliquam gratiam vnionis, qualis est in merito Christi, non stat quod dignificatum ab vna præmietur per aliam omninò æqualẽ. Si vero asseratur secundum, non potest meritum dignificatum gratia vnionis imperfectiori, esse condignum gratiæ vnionis perfectioris, vt superius arguebamus; & ideò solum per hoc, quod meritum Christi Domini essentialiter dependeat ab aliqua gratia vnionis, nullam in particulari potest condigné mereri.

56 *Tertio.* Vel tertio responderi potest, distinguẽdo antecedẽs: *hæc* determinatè vt *hæc*, permitto antecedẽs: *hæc* sub ratione sibi, & alteri communi, nego antecedens, & consequentiam: nam vt nõ possit hanc gratiam vnionis mereri, sufficit, quod ab illa essentialiter dependeat secundum rationem vagam sibi, & alteri cõmunem: cuius ratio est: nam licet possit decretum executivum meriti de facto subsequi ad decretum executivũ præmij, nõ tamen potest merito repugnare essentialiter, quod illius decretum executivum præcedat decretum executivum præmij, vt cõstat ex dictis; eo au. tẽ ipso, quod meritum Christi essentialiter dependeat ab aliqua gratia vnionis, vt de facto in re ponatur, debet gratia

hęc, vel illa, à qua est in executione causandum, priusquā meritum ipsum executioni mandari; alias non poterit, nec formaliter, nec efficienter ab illa causari; atque adeò, eo ipso, quod essentialiter dependeat ab aliqua gratia vnionis, vagé, & in confuso sumpta, nec gratiam vnionis vagé, nec hanc, vel illam determinaté, potest meritoriè causare.

57 *Ad vltimam.* Ad vltimam obiectionem, nego antecedens: ad probationem, nego maiorem; sicut enim præmiū non collatum, sed conferendum potest meritum, potest quis mereri, non solum per postulationē præmij, seu per orationē, sed etiam per alios actus charitatis, nempé, obedientiæ, humilitatis, &c. & de facto Christus per prædictos actus meruit præmia hominibus conferenda: ita præmia anticipaté collata meruit Christus non per gratiarū actionem: tùm, quia hæc, vt in argumento asseritur, beneficij collationem essentialiter supponit; & consequēter non potest tale beneficium mereri. Tùm etiam, quia obiectum illius, si propriè, & presè loquamur, est donum gratiosè à benefactore collatum; ac proinde, etsi possit aliud donum promereri, non tamen illud, quod ipsa pro obiecto respicit, sed per actus aliarum virtutū, obedientiæ, scilicet, humilitatis, &c. quos exercuit Christus Dñs ex intētione merendi, nedum dona cōferenda, sed etiam dona à Deo hominibus collata intuitu operum Christi, quæ Deus ab æterno præuidit, Christum pro illis applicaturum.

58 *Dices.* Sed dices: non stat aliquem mereri, nisi vel per modum præcij respicientis præmium cōferēdum, vel per modum solutionis respicientis præmium collatum antecedenter; sed Christus nō meruit Antiquis PP. gratiam per modum pretij respiciētis præmium, vt conferendum: ergo meruit illam per modum solutionis respicientis præmium antecedenter collatum; & cōsequenter actus, quibus gratiam Antiquis PP. meruit, vt meritorij formaliter, essētialiter supponebant præmium antecedēter exhibitum. *Respōdetur.* Respondeo, negando maiorē; sed stat alius modus merendi, nempé, eliciendo actum de se tali præmio condignum, qui quidē nō exercet meritoriam causalitatem, tunc tēporis, quando existit, sed illam exercuit, pro illo tunc, in quo præmians à tali merito motus, rem promeritā exhibuit, & isto modo Christus meruit Antiquis PP. gratiam; non enim exercuit meritoriam causalitatē, tempore existentiæ actuum, quib⁹ talem gratiam meruit, sed exercuit; cū Deus præuisis operibus Christi, illis motus fuit ad dandā Antiquis PP. gratiam; sicut enim finis non exercet causalitatē finalem cum in re in executione ponitur, sed cum apprehensus mouet agens ad apponenda media, ex quibus finis in executione causatur: ita meritum causans præmium anticipaté soluendū, nō exercet meritoriā causalitatē, quando in re post præmium existit, sed cum in præuisione præmiātis, illum ad præmiū conferendum mouet: vnde quando actus hoc modo merens existit, nec respicit præmium per modum pretij, nec per modū solutionis, sed respicit illud, tanquam opus tali præmio condignū, quod vt existens in præmiantis præuisione, meritoriam exercuit causalitatem.

59 *Secūdo respondeti potest ad antecedentis probationem.* Vel secundo responderi potest ad antecedentis probationē, prætermissa maiori, negando minorem; etenim gratiarum actio nō alligatur beneficio iam collato, sed potest beneficium conferendum certo notum respicere: ac proinde non supponit essentialiter beneficij exhibitionem. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Mag. *in 3. distinctione* 18. § 3. ad illa verba: *Sed nunquid hoc meruit? Supra enim dictum est, quia hoc tantum bonum homo ille non meruit.* Et *in 2. dist.* 27. ad illa verba: *Quid est meritum hominis ante gratiam? &c.*

*M. Sēt.*

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA PRIMA.

## Quæ dona sibi Christus de facto meruit?

Nu. 1. *Difficultas explicatur*

PLVRA sunt, de quib⁹ dubitari potest, an Christ⁹ illa sibi meruerit, nempé, continuatio Incarnationis, circunstantia Natiuitatis, aut generationis Christi, quod, scilicet, ex tali Matre fuerit natus, & genitus, gratia habitualis, ac dona ipsam consequentia, visio beatifica, in qua essentialis animæ beatitudo consistit, gloria corporis, ac illius Resurrectio, & nominis exaltatio, Iudiciaria, Regia, & Sacerdotalis potestas. Circa quæ variæ extant Theologorum sententiæ, quorum placita commodius circa singula referemus, dum nostram protulerimus.

### §. I.

### *De continuatione Incarnationis.*

2 *Prima cõclusio*

PRIMA CONCLVSIO. *Potuit Christus de potentia absoluta mereri merito condigno, vnionis hypostaticæ continuationem, illam tamen de facto non meruit.* Hæc conclusio media est inter duas extremas sententias, quarum prima docet; implicare contradictionem, quod Christus Incarnationis continuationem meruerit. Ita Vincentius *relect. de Gratia Christi q. 5. concluſ. 5. pag. 463.* Nazarius *supra q. 2. art. 11. cõtrouers. 1. q. 5.* quos sequitur Zippulius *in præsenti art. 3. dub. vltim.* Secunda per extremum affirmat, non solum id esse posibile de potentia absoluta, sed etiam ita de facto euenisse, quam tenuit Suarez *supra disp. 10. sect. 4.* quem aliqui Recentiores sequuntur.

*Vincẽt. Nazar. Zippul. secũda. Suar.*

Nostra tamen conclusio vtrique sententiæ opponitur, docens, id potuisse fieri de potentia absoluta, sed de facto non cõtigisse. Illam tenet Lorca *in præsenti disp. 75. num. 9.* Et quoad primam partem probatur primo; potuit namq; diuina voluntas efficaciter decernere vnionem humanitatis ad Verbum quoad substantiam, non decernendo ex vi huius decreti vnionis continuationem, sed ab illa præscindendo; atqui hoc decreto admisso, posset Christus per opera à se in primo instanti suæ formationis elicita, mereri continuationem vnionis: ergo potuit Christus de potentia absoluta, suæ Incarnationis perseuerantiã, & continuationem mereri. Consequutio tenet. Maior constat primo: nam continuatio non est Incarnationi essentialis: ergo potest præcisiuè ab illa decerni. Secundo: nam potuit de potentia absoluta Incarnatio existere, & non nisi pro vno instanti durare: ergo potuit decerni cum negatione continuationis; & consequenter potuit etiam de potentia absoluta decerni, quin ex vi eius-

3 *Prob. cõclusio quoad 1. partẽ 1.*

dem decreti decerneretur illius perseuerantia.

4 *Minor ostenditur* 1. Minor autem ostenditur primo: nã in illo casu posset Christus in primo instanti sui esse habiti ex vi illius decreti, actus honestos elicere habentes sufficiẽtem dignitatem ad Incarnationis continuationem merẽdam, & ad illam promerendam sua merita applicare, & ex isto fine operari, & si requiritur pactũ, potuit Deus de continuatione Incarnationis sub conditione prædictorum actuum pacisci: ergo, illo decreto supposito, potuit Christus continuationem Incarnationis mereri merito illam in valore adæquante; & consequenter condigno *Secũdo.* Secundo: nam in tali casu decretum executiuum operationũ Christi præcederet decretum executivum continuationis vnionis; & aliàs haberẽt sufficientem condignitatem ad illam: ergo possunt à Christo applicari ex fine illam promerendi; & consequenter illam de condigno mereretur. *Tertio.* Tertio; licet namque gloria corporis naturaliter ad gloriam animæ consequatur: quia tamen de facto non fuit gloria corporis decreta ex vi eiusdem actus, quo Deus gloriam animæ decreuit, Christus gloriam corporis meruit; sed in casu dato, non decerneretur continuatio Incarnationis ex vi actus decernentis Incarnationis substantiam: ergo posset Christus Incarnationis perseuerantiam, & continuationem mereri. *Quarto.* Quarto probatur: nam solum negandum est omnipotentiæ diuinæ, quod implicat contradictionem; sed Christum continuationem Incarnationis mereri, contradictionem non implicat, vt ex argumentorũ solutione manifestè constabit: ergo negandum non est potentiæ absolutæ Dei.

5 *Secũda pars cõclusionis prob.* Deinde secunda pars conclusionis probatur; vt enim Christus mereretur continuationem suæ Incarnationis, necessario exigebatur, quod substantia Incarnationis, & illius continuatio, non vno, sed diuersis decretis decernerentur; at de facto non diuersis, sed vno indiuisibili decreto intentiuo, & exequente, fuerunt determinatæ substantia Incarnationis, & illius perseuerantia, & continuatio: ergo de facto Christus continuationem Incarnationis non meruit. Consequutio tenet. Maior autem cõstans videtur: nam vnum & idem decretum omnimodè indiuisibile, nequit esse gratiosum, & ex iustitia; cum iustitia, & liberalitas Dei virtualiter distinguantur: ergo vt substantia Incarnationis terminet actum liberalem Dei, & illius continuatio decretum remuneratiuum, necessarium est, quod terminent diuersa decreta. Deinde: quia nõ stat ex vi vnius decreti decerni substãtia Incarnationis, & illius continuatio; & quod decretum substantiæ sit actus iustitiæ, & decretũ continuationis sit omninò liberale: vnde quia gloria quoad substãtiam, & perpetuam durationem ex vi eiusdem decreti decernitur, prout refertur ad decretum Dei intentiuum, liberaliter sub vtraque ratione decernitur, & in ordine executiuo decreto remuneratiuo ad illam terminato secundum vtramque rationem: ergo pariter non stabit, ex vi eiusdem decreti decerni substantiam Incarnationis, & illius continuationem; & quod illius substantia donum liberale sit, & perseuerantia non sit donum liberale, sed præmium meritorum.

6 *Minor suadetur.* Deinde minor discursus facti suadetur: nam de diuinis decretis loquẽdum est conformiter ad rerum naturas, nisi oppositum sit reuelatum; sed continuatio Incarnationis, attenta propria natura, petit decerni ex vi eiusdem decreti intentiui, & executiui, quo decernitur eius substantia, & oppositum reuelatũ non est: ergo de facto nõ duo, sed vnum terminauere decretum. Minor pro secunda parte est certa; non enim est assignabile testimonium aliquod Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum, in quo diuersa contineantur decreta erga substantiam Incarnationis, & illius continuationem. Pro prima autẽ parte probatur: nam vnioni humanitatis ad Verbum, est debita connaturaliter cõtinuatio: ergo petit connaturaliter fieri ex vi eiusdẽ decreti ad Incarnationis substantiam terminati.

7 *Explicatur amplius.* Quod amplius explico, & cõfirmo primo, quia namque proprietates consequuntur naturaliter ad essentiam, petunt fieri ex vi eiusdem actionis, & ex vi

eiuſ-

eiusdem decreti, cum essentia, ad quam consequuntur, decerni; sed Incarnationi cum ex se perpetua, & incorruptibilis sit, non minus debetur perpetuitas durationis, quam essentiæ proprietates: ergo petit ex vi eiusdem decreti decerni quoad suam substantiam, & sui continuationem. Secundo id ipsum confirmo: nō enim minus debetur Incarnationi perseuerantia, aut duratio, quam Angelicæ naturæ; sed quia Angelo, ex suppositione quod sit, debetur perpetua duratio, ex vi eiusdem decreti petit quoad substantiā, & durationem decerni: ergo idem est de Incarnatione dicendum. Tertio confirmatur: non minus est debita Incarnationi continuatio, quam visioni nostræ beatificæ, sed quia visioni beatificæ debetur perpetua duratio, petit ex vi eiusdē decreti quoad substantiam, & durationē decerni, & oppositum non nisi miraculosè, & extraordinaria prouidentia contingeret, vt de facto euenit in visione transitoria Pauli: ergo pariter Incarnatio petit ex natura sua ex vi eiusdem indiuisibilis decreti quoad substantiam, & continuationem decerni

*Confirmatur secundo.*

*Tertio.*

8 *Vlteriꝰ cōfirmatur.*

Et ex his confirmo, & explico amplius efficaciam argumenti: quia namque Angelus, & visio beatifica petūt ex vi eiusdem decreti quoad substatiam, & durationem decerni, Angelus non merens sui substantiam, nec meruit durationem, & continuationem sui esse; & é contra iusti de condigno substantiam visionis beatæ merentes, merentur etiam cōdigne illius durationem, & continuationem; sed Incarnatio petit ex natura sua ex vi eiusdem decreti quoad substantiā, & continuationem decerni: ergo Christus, qui de facto substantiam Incarnationis non meruit, nec meruit illius continuationem. Denique confirmatur: quia namque gratiæ habituali est debita conseruatio conditionata, nempé, quod semel infusa homini, non destruatur, nisi interueniente mortali peccato, homo non merens primam infusionem gratiæ, non meretur illius conditionatam durationem, aut continuationem; sed vnioni hypostaticæ est connaturaliter debita absoluta duratio, & continuatio: ergo Christus, qui de facto non meruit suæ vnionis productionem, nec meruit illius absolutam durationem, & continuationem.

*Vltimo.*

## §. II.

### *Occurritur argumentis in contra.*

CONTRA primam partem conclusionis arguitur primo: principium totius meriti non potest etiam de potentia absoluta cadere sub merito operum procedentium ab ipso; sed Incarnatio vt continuata, est principium totius meriti in Christo: ergo illius continuatio non potuit etiam de potentia absoluta cadere sub meritis Christi. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur primo ex D. Th. 1 2. *q. 1. art.* 114. *art.* 9. vbi docet, hominem non posse mereri perseuerantiam in gratia, quia est principium omnis meriti, sed sic comparatur perseuerantia Incarnationis, quæ idem est, ac illius continuatio, ad meritum Christi Domini, sicut gratiæ continuatio, aut perseuerantia in illa, ad meritum puræ creaturæ: ergo Incarnatio quatenus continuata, est principium totius meriti in Christo. Secundo probatur: Incarnatio continuata idem est cum Incarnatione, vt primo producta, & facta; sed quatenꝰ primo producta est principium omnis meriti: ergo etiam vt continuata.

9 *Primū argumētum contra primā partem conclusionis*

Respondeo, negando minorem: licet namque Incarnatio quoad substantiam sit principiū totius meriti in Christo, prout tamen continuata, totius meriti principium non est; meritum etenim Christi in primo conceptionis instanti non procedit ab humanitate, vt vnita vnione conseruanda, prosequenti tempore, vel instanti: nam si solum pro primo instanti duraſſet: non ideo meritum primi instantis non fuisset: ergo Incarnatio vt continuata principium meriti vt pro primo instanti existentis nō fuit: ac proinde ex isto capite non repugnat illius continuationem sub meritis Chri-

10 *Respōdetur.*

sti cadere. Ad primam minoris probationem dicatur, perseuerantiam in gratia dupliciter sumi posse, primo pro continuatione gratiæ semel infusæ vsque ad mortem. Secundo pro auxilijs requisitis ex parte Dei, vt homo illam per peccatum non amittat; primo modo sumpta, non est meriti principium, nec id docuit D. Thom. sed tantum secundo modo, nempé, pro diuina motione, vt constat ex eius verbis, ibi: *Perseuerantia autem viæ non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione diuina, quæ est principium omnis meriti*: ex quo non colligitur, Incarnationem, quatenus continuatam, esse totius meriti principium in Christo. Ad secundam distinguo maiorem: est idem physicé, concedo maiorē: moraliter, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam licet Incarnationi per totam continuationē, aut conseruationem sui, nulla entitas addatur, potest de potentia absoluta produci, & non conseruari: ac proinde potest vno decreto quoad primam sui productionem decerni, & alio quoad sui continuationem, & conseruationem; quo in casu, prout primo decreta, esset meriti principium, & vt terminans secundum decretum, posset esse illius meriti præmium; in quo moralis distinctio inter Incarnationem vt primo factam, & vt continuatam consistit.

*Ad primam minoris probationem.*

*Ad secundam.*

11 *Secundo argumentum.*

Secundo arguitur, & tradita solutio impugnatur: inter principium meriti, & præmium, petitur realis distinctio; sed Incarnatio vt conseruata non distinguitur realiter à se ipsa vt primo producta: ergo implicat vt primo productam esse principium meriti sui ipsius, quatenus conseruatæ. Minor est certa. nam conseruatio est continuata productio, & rei non successiuæ, per solam conseruationem, aut continuationem, nulla entitas superadditur. Maior autem ostenditur primo: inter causam, & effectum requiritur realis distinctio; idem namque à se ipso dependere realiter est omnino implicatorium, nec aliunde in diuinis realis distinctio personarum colligitur, nisi ex ratione principij, & procedentis à principio quamuis non intercedat vera dependentia, & causalitas; sed principium meriti est vera causa, & realis præmij: ergo inter principium meriti, & præmium realis petitur distinctio.

*Maior ostenditur 1.*

12 *Secundo*

Secundo: gratia vnionis, quatenus continuata & conseruata, non potest, etiam de potentia absoluta, esse præmium meriti principiati ab ipsa, quatenus primo producta; aliàs donum perseuerantiæ posset cadere sub merito condigno operum puræ creaturæ de potentia absoluta, cuius contrarium communiter à Thomistis docetur 2. qu. 1. art. 9. at non alia ratione, nisi quia inter gratiam, quatenus primo productam, & quatenus continuatam, non intercedit realis distinctio: ergo inter principium meriti, & eiusdem meriti præmium, realis distinctio requiritur. Et confirmatur, licet namque naturales potētiæ, v.c. intellectus, & voluntas possint se ipsas perficere per suas operationes, sui tamē conseruationem, aut cōtinuationē physicé causare est omnino implicatorium: ergo pariter, licet posset Christus Dominus ratione gratiæ vnionis aliquas suas perfectiones mereri, & moraliter causare, v.c. beatitudinem corporis, nominisq; exaltationem, sui tamen conseruationē, & continuationem mereri, implicat cō tradictionem.

*Cōfirmatur.*

13 *Respōdetur.*

Respondeo, negando maiorem de reali distinctione physica; & quidē gratia, vt post mortem continuata, eadem est cum gratia viæ; & tamen gratia in hoc statu est principium meriti condigni gratiæ vt post mortem continuatæ. Et in sententia apud nostros Thomistas satis probabili, intensio gratiæ non addit ad eius substantiam modum realiter distinctum, sed tantum eiusdem formæ maiorem explicationem; & tamen gratia secundum substantiam est principiū meriti augmenti, & intensionis gratiæ: non ergo petitur inter principium meriti, & præmium realis physica distinctio, sed sufficit realis moralis, in eo consistens, quod possit vnum existere sine alio: quia ergo potest de potentia absoluta Incarnatio extra causas constitui, & tantum pro vno instanti durare; & consequenter potest existere, & non conseruari, nec in esse continuari, fit, vt inter Incarnationem, quatenus primo productam, & ipsam vt continuatam, sufficiens intercedat distinctio ad rationem prin-

cipij

cipij meriti, & præmij.

14 *Ad primam maioris probationem.*

Et ex his ad primam maioris probationem constat solutio, distinguendo maiorem: realis physica, vel moralis, cõcedo maiorem: physica semper, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. *Ad secundam* nego maiorem, quam probatio ab inconuenienti inducta non conuincit; nam licet perseuerantia in gratia sumpta pro tota collectione auxiliorum, quæ conferuntur à Deo homini, post primã iustificationem à primo vsque ad vltimum vt vitet peccata, & gratiam à se per peccatum non abijciat, nequeat de potentia absoluta cadere sub merito condigno, eo quod in perseuerantia sic sũpta clauditur primum totius meriti principium, in quo sensu loquutus est D. Th. sumendo tamen perseuerantiam in gratia pro illius continuatione, licet de lege ordinaria Dei, non cadat sub merito nostro condigno, potest tamen de potentia absoluta. Nec oppositum docuit D. Thomas, nec à Thomistis defenditur, sed plures id censent non esse diuinæ omnipotentiæ negandum: ita Zumel 1.2. *q.* 114. *art.* 9. *dub.* 1. vers. *sed profecto*, & in solutione ad quartum, & Lorca circa citatum argumentum.

*Zumel.*

15 *Ad cõfirmationẽ*

Ad confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. & ratio discriminis est duplex: prima, nam conseruatio est actio physica importãs physicam dependentiam conseruati, à conseruãte, ad quam petitur physica distinctio inter principium, & terminum; meritum autem physica præmij causa non est, sed tantum moralis; ac per consequens physicam distinctionẽ inter præmium, & principium meriti non exposcit, sed tantum moralem, quæ inter rem vt primo factam, & conseruatam intercedere potest, si nempe, distinctis, & in connexis decernantur decretis. Secunda: nam conseruatio physica non causat nisi physicé existens, & coexistens termino conseruato; & consequenter sui principij physicam existentiam desiderat: vnde, vt idem conseruaret se ipsum, idẽ secundum idem esset terminus, & principium, siquidem vt conseruatum, sui conseruationem causaret, & vt sic, eandem conseruationem terminaret; meritum autem nunc existens, potest moraliter terminum causare tempore futuro exhibendum, quin pro tali tempore existat; & consequenter meritum depẽdens ab Incarnatione, vt nunc existente, potest eandem, vt pro crastino exituram causare, quin ab eadem vt pro tunc existente dependeat.

16 *Tertiũ argumẽtum.*

Tertio arguitur: vnio namque personalis, siue gratia vnionis Christi tribuit illius operationib⁹ totum valorem, quẽ potest; cum illis valorem præstet infinitum, quo maior excogitari non potest; at non tribuit illis valorem actu meritorium continuationis Incarnationis; alias illam de facto meruisset, cuius contrariũ in secunda parte nostræ conclusionis docemus: ergo in operibus Christi non est sufficiens condignitas ad vnionis continuationem merendam. Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorẽ: quoad sufficientiam, nego minorem: quoad efficaciam, cõcedo minorem, & nego consequentiam: nam quod Christus de facto vnionis personalis cõtinuationem non meruerit, non prouenit ex defectu valoris, & sufficientiæ, sed quia ad illam promerendam sua merita non applicuit; atque adeò ex eo quod de facto illam non meruerit, nõ sequitur nõ potuisse illam merito condigno mereri, etiam de potentia absoluta, sicut in sententia Nazarij, cuius est argumentum, ista consequentia non tenet: *Gratia vnionis tribuit de facto operibus Christi Domini totum valorem, quem potest, sed non tribuit illis, quod de facto Incarnationem Patris meruisset: ergo ad Incarnationem Patris merendam sufficientem valorem non habent*: præmissæ namq; sunt veræ, & conclusio falsa in sententia Nazarij pluribus locis fatentis, potuisse Christum Incarnationem Patris merito condigno mereri, si pactum de hoc præmio præcessisset, & Christus sua merita ad id præmium applicuisset. Et in omnium Theologorum sententia, non omne, ad quod est in Christi meritis sufficientia, fuit de facto illis in præmiũ collatum; fuerunt enim sufficientia ad salutem damnatorum, omniumque prædestinationem, quæ tamen de facto Christ⁹ Dominus non meruit, vel ex defectu promissionis, vel saltim applicationis

*Respõdetur.*

ad

ad ea præmia promerenda.

17 *Vltimo arguitur*

Denique arguitur, & instatur cõtra istam solutionem; meritum condignũ non est supra inclinationem principij significantis; sed continuatio Incarnationis est in ratione præmij supra inclinationem gratiæ vnionis, vt significatiuæ meriti: ergo opera Christi Domini gratia vnionis significata, nequeunt esse merita condigna continuationis illius. Consequutio est bona. Maior communiter à Thomistis docetur, Nosque illã *disp. præcedenti* docuimus. Minor autẽ probatur: gratia vnionis petit ab intrinseco, sui continuationem, vt factam ex vi eiusdẽm decreti, quo illius substantia, & prima existentia decernitur, vt probãtes secundam partem nostræ conclusionis docuimus; sed ab intrinseco petit, vt decretum, quo illius substantia, & prima existentia decernitur, liberale sit, & gratiosum respectiue ad opera, quorũ ipsa est principium: ergo petit ab intrinseco, vt illius continuatio sit gratia in cõparatione ad opera ad Incarnationem sequuta; & consequenter non potest ab intrinseco inclinare ad sui continuationẽ, vt talium operum præmium. Patet hæc consequentia: nam duæ inclinationes oppositæ non possunt vni, & eidem competere; sed inclinatio ad continuationẽ, vt ad gratiam, & inclinatio ad eandem vt ad præmium, respectu eorundẽ operum sunt inclinationes oppositæ: ergo si ab intrinseco petit sui continuationẽ vt gratiam respectu operum procedentium ab ipsa, nequit inclinare ab intrinco in eandem continuationem, vt eorũdem operum præmium.

18 *Respõdetur.*

Hoc argumentum cæteris vrgenti? est, verum adhuc non conuincit, ad illud respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, concessis maiori, & minori, & prima consequentia, distinguo secundum consequens: nõ potest ad sui continuationem, vt ad præmium talium operum inclinare inclinatione absoluta, concedo consequentiã: inclinatione conditionata obiectiuẽ, nimirum sub conditione, quod non decernatur continuatio Incarnationis ex vi eiusdem decreti cum Incarnationis substantia, nego consequentiam. Contra quam distinctionem non vrget consequentiæ probatio: nam licet inclinationes absolutæ ad continuationem, vt gratiam, & vt præmium, respectu eorũdem operum sint inclinationes oppositæ; inclinatio tamen absoluta ad illam, vt gratiam, & inclinatio conditionata ad eandem vt præmium, inter se non opponũtur; licet autem Incarnatio petat ab intrinseco inclinatione absoluta sui continuationem, vt gratiam, respectu operum subsequentium Incarnationem, quia absolute petit, quod continuatio eodem decreto cum substantia Incarnationis decernatur, simul tamen habet inclinationem, & sufficientiam intrinsecã ad hoc, quod si Deus, non consulta rei natura, non eodem, sed diuersis decretis substantiam Incarnationis, & illius continuationem decernat, illam vt suorum operum præmium acquirat. Et quidem gratia vnionis humanitati facta ab intrinseco inclinat, & absolutè petit, vt illi in primo instanti gratia habitualis, visio beatifica, & corporis beatitudo tribuantur; & consequenter, vt gratiosè conferantur; non enim potuerunt in primo instanti ex meritis proprijs haberi, vt ex dicendis constabit; & tamen simul cum hac exigentia absoluta, est in gratia vnionis inclinatio, & intrinseca sufficientia ad eliciendа opera condigna illorum sub conditione, quod in primo instanti non dentur, & de facto dignificauit opera in ordine ad beatitudinem corporis; quia hæc nõ fuit pro primo instanti concessa, sed vsq; ad mortem seruata; vt locus Redemptioni daretur: pariter ergo in præsenti cum exigentia absoluta suæ continuationis vt gratiæ, stat in Incarnatione inclinatio, & intrinseca sufficientia ad opera talis continuationis meritoria, & condigna sub conditione, quod non decernatur continuatio ex vi decreti decernentis eius substantiam.

19 *Arguitur contra secũdam partem conclusionis*

Deinde contra secundam partem conclusionis arguitur. nam Christo debet attribui, quidquid dignitatis est, si contradictionem non implicat; sed habere continuationem suæ Incarnationis ex meritis, dignitas est, & aliàs cõtradictionem non implicat, vt in prima conclusionis parte docuimus: ergo de facto meruit suæ Incarnationis continuationem. Respondeo ex dictis, vel negando

*Respõdetur.*

absolute maiorem, vel claritatis gratia distinguendo: si nulla inconnaturalitas in ordine gratiæ intercedat, concedo maiorem: si aliqua inconnaturalitas in ordine gratiæ, vel in substantia, vel in modo inveniatur, nego maiorem; & cõcessa minori, nego consequẽtiam; quia vt Christus suæ Incarnationis continuationem mereretur de condigno, necessarium erat, quod non decerneretur, ex vi eiusdem decreti prima Incarnationis existentia, & illius cõtinuatio, cuius oppositum petit Incarnatio vt sibi connaturale; vnde sicut hac ratione in sententia Suarez, nec substantia Incarnationis, nec habitualis gratia fuerũt de facto præmia meritorum Christi, quia ad primu requirebatur anticipata præmij solutio, quod est præter connaturalem modum præmiandi; & ad secundum quod actus supernaturales à gratia habituali non procederent, & consequenter non elicerentur ea connaturalitate, quam petunt: ita in nostra sententia, etsi non implicet continuationem Incarnationis sub meritis Christi cadere, de facto tamen non fuit talium meritorum præmium, quia ad hoc exigebatur non decerni continuationem ex vi decreti terminati ad Incarnationis substantiam, cuius contrariu petitur ab Incarnatione, vt sibi connaturale.

20 *Dices.* Sed dices, ideo opera Christi Domini non fuerunt de facto remunerata per Incarnationis substantiam, quia illam in executione supposuerunt; & consequẽter necessarium erat, quod præmium anticipate daretur, quod extraordinarium est, & extra connaturalem modum præmiandi: at opera Christi non supponebant continuationem Incarnationis, vt executam, sed potius aliquæ operationes præcesserunt in ordine executionis Incarnationem vt continuatam: nam opera primi instantis præcesserunt duratione Incarnationem, vt tempore subsequuto durantem: ergo, omni connaturalitate seruata, potuerunt Incarnationem mereri; ac per consequens illam meruerunt de facto. *Respõdetur.* Respondeo, cõcessis maiori, & minori, negando consequentiam; vt enim continuatio Incarnationis esset præmium meritorum Christi connaturaliter, non sufficiebat, quod illis esset in executione posterior; sed insuper oportebat, quod decretum executiuum Incarnationis vt continuandæ, esset posterius decreto executiuo meritorum, eo quod meritum non aliter causat præmium, nisi mouendo, & aliciendo volũtatem præmiantis, vel intentiuam, vel saltim executiuam, ad quod requiritur, vt connaturaliter fiat, quod decretum executiuum præmij nõ præcedat decretum executiuum meriti; licet autem cõtinuatio Incarnationis fuerit posterior executiuẽ aliquibus Christi meritis, decretum tamen executivum continuationis Incarnationis, prius fuit decreto executiuo meritorum, nam fuit idem cum decreto executiuo substantiæ Incarnationis, quod merita Christi præcesserit; & ideo non potuerunt merita Christi terminari connaturaliter ad continuationẽ Incarnationis.

21 *Instabis primo.* Sed instabis aduersus istam solutionem primo, stat rem vt executam terminare meritum, quin decretum executivum moueatur à tali merito: ergo absque præcedentia ad decretum executivum Incarnationis, quatenus continuatæ cum sola præcedentia ad eius continuationem in ordine executionis, potuit Christus Dominus connaturaliter continuationem suæ Incarnationis mereri. Probatur antecedens: non minus immediate connectitur decretum intentiuum cum decreto executiuo, quam hoc cum executione, nec minꝰ infallibiliter, sed hac connexione non obstante, potest quis mereri decretum executivũ non promerito intentiuo: ergo pariter poterit rei executio cadere sub aliquo merito, quin decretum executivum sub tali merito comprehendatur. *Secundo* Secundo: nam ordo inter decreta executiua Dei commẽsuratur ordini obiectorum vt in executione, & colligitur ex illo: vnde, quia gloria in executione merita præsupponit, etsi decretum intentivum gloriæ non supponat merita, sed præcedat; decretum tamen executiuũ gloriæ post merita est; sed continuatio Incarnationis est in executione posterior aliquibꝰ Christi meritis: ergo decretum executivum dictæ continuationis præsupponit aliqua merita Christi, & illorum decretum executivum.

Tertio:

22 *Tertio.*

Tertio: nam esto continuatio Incarnationis, & illius prima existentia eodē decernātur decreto, potest hoc decretū vt terminatum ad primam existentiam, præscindere à meritis, & prout terminatur ad continuationem, ex meritis esse: ergo quod decretum exequutivum continuationis sit idem cum decreto executiuo substantiæ Incarnationis; & consequenter supponatur ad decretum executiuum meritorum, non tollit quominꝰ Incarnationis continuatio sit præmium meritorum Christi. Probatur antecedens primo: nam ex vi eiusdem decreti fuit factum subiectum prædestinationis Christi, & terminus; & tamen comparatione ad terminum est vera, & propria gratia, secus autem sub terminatione ad subiectum: ergo pariter, idem decretū exequens substantiam Incarnationis, & eius continuationem, poterit esse ex iustitia sub terminatione ad continuationem, quamuis sub terminatione ad primam existentiam ex iustitia non sit. *Antecedens probatur 1.*

Secundo: nam conseruatio est eadem actio cum prima rei productione, est enim continuata productio & tamen hac idē titate non obstante potest conseruatio esse ex meritis, & prima productio gratia: ergo pariter idem decretum Dei exequens, poterit esse ex iustitia, & meritorum præmium, vt terminatur ad rei continuationem, & sine meritis, vt ad primā existentiam terminatur; & consequenter absque vlla inconnaturalitate in decreto Incarnationis poterit illius continuatio sub meritis Christi cadere. *Secūdo.*

23 *Respōd. ad 1.*

Respondeo ad primam replicam, negando antecedens: ad cuius probationem, prætermissa maiori, & concessa minori, nego consequentiam: ratio autem discriminis est: nam vt meritum influat in præmium, debet voluntatem præmiantis mouere, potest autem meritum non mouens voluntatem intentiuam, mouere ad executiuam; quia vtraque ista voluntas libertate intrinseca, & distincta gaudet; post voluntatem autem executiuam, etsi actio distincta sequatur, nempè executio, hæc libertatem intrinsecam distinctam à voluntate executiua non habet; ac per consequens, vel meritum debet mouere voluntatē executiuam præmiantis, vel non potest ad executionem mouere; quia hæc terminare nequit vim motiuam meritoriā immediatè, & ratione sui, sed mediatè, & ratione voluntatis exequentis. Ad secundam, distinguo maiorem: ordini executionis obiectorum, primo, & per se terminantium habitudinem decreti, cōcedo maiorem: non primo, sed secundo terminantium, nego maiorem: & concessa minori, nego cōsequentiam: Nam continuatio Incarnationis non terminat primario, & per se decretum intentiuum, aut executiuum, sed decernitur ex vi decreti primo terminati ad Incarnationis substantiam vt primo existentem. Vnde cum prima existentia Incarnationis executiuè omne meritū Christi præcedat, quamuis eius continuatio sit executiuè posterior aliquibus Christi meritis, decretum executivum continuationis Incarnationis, non est posterius, sed prius decreto executiuo meritorum. *Ad secūdam.*

24 *Ad 3. & ad 1. probationē antecedentis.*

Ad tertiam, nego antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam; ratio autem discriminis est: nam decretum vt terminatum ad subiecti fabricationem non esse proprie gratiam, & esse propriè gratiosum, prout comparatur ad terminum, nō petit diuersa motiua, sed solum sub prima consideratione gratia nō est: quia gratia vt proprie talis sit, petit subiectum, vt existens præintelligi; & quia decretum vt fabricatiuum subiecti, illud non supponit præintellectum vt existens; benè tamen sub comparatione ad terminum, ideò in hac comparatione, veré, & propriè gratia est; secus autem sub priori, vt autem fiat transitus de gratia in actum iustitiæ, diuersa requiruntur motiua, quod non stat cum decreti identitate; & ideo in eodem decreto non compatiuntur simul ratio liberalitatis, & ratio iustitiæ.

25 *Ad secūdam.*

Ad secundam, concessis maiori, & minori, nego consequentiam; ratio autem discriminis est: nā licet conseruatio, & prima rei productio sint eadem actio entitatiuè, possunt diuersis actibus voluntatis decerni, quorum vnus moueatur à meritis, alter ab illis præscindat; ac per consequens, non obstante prædicta identitate, potest prima productio, vt

subest

subest decreto liberali esse gratia, & eiusdem cõtinuatio, vt subest decreto moto à meritis esse præmium, & corona iustitiæ; quia actiuitas meritorum non est immediatè ad actionẽ exteriorem, sed interiorì mediante, nempé, quatenus mouent voluntatem præmiantis ad agendum, vel conseruandum; cæterum decretum voluntatis liberum præmiatoris immediatam habitudinem meritorum terminat ratione sui; ac per consequens, vt sub merito cadat, debet merita, vt motiua respicere; variato autem motiuo, & actus voluntatis variatur; & ideò non stat cum omnimoda identitate formali, & virtuali decreti, esse ex meritis sub vna terminatione, & liberale sub alia.

## §. III.

### *De Maternitate Beatissimæ Virginis.*

26 *Secũda cõclusio Medin. Cabrer. Vincẽt.*

SIT SECVNDA CONCLVSIO. *Non meruit Christus Virginis Maternitatem, hoc est, ex Beatissima Virgine nasci, & quod ipsum Virgo conciperet.* Conclusionem istam tuentur Medina *supra q. 2. art. 11. dub. 2. conclus. 3.* Cabrera *disp. 1. conclus. 4.* Vincentius *de Gratia Christi q. 5. pag. 462.* docens, sententiã oppositam non posse probabili ratione suaderi, Lorca *d sp. 22. num. 28.* & Nazarius *supra q. 2. art. 11. controuers. 1. q. 6. conclus. 8.* Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *supra disp. 10. sect. 4* falsò à Recentioribus pro oppositasententia relatus, & Granados *controu. 1. de Incarnat. tract. 14. disp. 2 sect. 1 ad fin.*; & ex discipulis Scoti Castillo *disp. 9. q. 5. concl. 1.* Et probatur; nõ enim minor repugnantia est; in eo quod principium mediatum meriti cadat sub merito actꝰ, cuius est principium, quam principium immediatũ; sed Beatissima Virgo fuit mediatum principium meritorũ Christi Domini, quatenus fuit principium humanitatis, quæ fuit illorum immediatum principium: ergo sicut hæc nõ potuit sub meritis Christi cadere: ita nec Beatissima Virgo, vt fuit principiũ mediatum, potuit sub eisdem meritis cadere.

*Lorca. Nazar. Suar. Gran. Castillo.*

Respondebis primo: principium remotum meriti, non posse esse terminum meriti procedentis ab eo, quod à tali principio dependet cõsiderato formaliter; bené tamen materialiter; Christus autem productus fuit duplici actione adæquata, vna à solo Deo, alia à Deo simul, & Virgine, & vt per primam productum, fuit principiũ meriti Maternitatis Virginis, & generationis ex ipsa; sic autem non fuit Virginis Filius; ac proinde formaliter, quatenus natus ex Virgine non fuit principium meriti sui principij remoti, sed tantum materialiter. Vel secundo respondebis; Christum, etsi in suo primo esse, & in sua naturali conseruatione dependentiam à Beatissima Virgine habuerit, in sui tamen conseruatione miraculosa, qualiter fuit à Deo ante mortem cõseruatus, nullam ab illius concursu dependentiam habuisse, & ex meritis illius præuisi in prædicto statu, fuisse electam Beatissimã Virginem in Matrem Christi: vnde existentia, & Maternitas Christi, fuit effectus in genere causæ moralis Christi, non vt dependentis, sed vt independentis à Materno Virginis concursu.

27 *Prima solutio.*

*Secũda.*

Vel tertio respondebis; quod licet principium mediatum meriti vagé, & in confuso sumptum, non possit esse terminus meriti, cuius est principium; principium tamẽ hoc determinatè præalio, bené potest sub merito, cuius est principium, cadere, & sic de facto contigit in præsenti: nam Christus decretus fuit primo decreto disiunctiuo principij, & intuitu meritorum Christi, vt præuisi operantis, fuit Virgo in eius Matrem præalijs fœminis electa. Quarto respondebis; Christum, & illius merita vt præuisa in vi decreti intentiui, moraliter influxisse in decretum executiuũ, generationis eius ex Virgine, & illius Maternitatis: ex quo non sequitur, principium mediatum meriti posse esse terminum meriti: nam Christus vt in intentione non dependet à Virgine, vt à principio, sed solum in executione.

28 *Tertia.*

*Quarta.*

Vel

29 *Vltima.* Vel denique respondebis, veram esse maiorem de principio meriti essentiali; falsam autem de principio non essentiali, & Beatissima Virgo non fuit principium essentiale Christi; cum potuerit, vel à Deo sine concursu fœminæ produci, vel cum alterius fœminæ concursu; & ideò potuit esse præmium meritorum Christi, esto Incarnatio, quia principium est essētiale meritorū Christi Domini, illorum præmium esse nequiuerit. Sed nulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit, & prima reijcitur primo: nam eundem numero effectum non posse, etiam de potentia absoluta, à duplici causa adæquata, & non subordinata procedere, fusé in physica à Nostris Thomistis docetur. Secundo in mysterio Incarnationis non sunt multiplicanda miracula absque vrgenti necessitate; sed vnum effectum nō posse à duplici causa adæquata, & non subordinata produci, saltim de lege ordinaria, & attentis rerum naturis, docet communis Philosophorum sentētia; ac per consequens sine miraculo nequit contingere: ergo asserendum de Christi humanitate non est, cum ad id asserendū vrgens fundamentum non sit.

*Prima solutio reijcitur primo.*

*Secūdo.*

30 *Tertio.* Tertio: nam vel illa duplex actio essent simul tempore, & natura, vel actio productiua Dei, saltim natura præcederet generationem ex Virgine, neutrum dici potest: ergo nec solutio tradita. Minor pro prima parte est certissima: si namq; actio productiua Dei non præcedit generationem ex Virgine, saltim præcedētia naturæ: ergo Christus, quatenus per illam productus, nō præcedit ordine naturæ eandem generationem; & consequenter, principium meritorium talis generationis non est; vt enim sit principium meritorium prę dictæ generationis, necessum est, quod illā ordine naturæ antecedat. Prosecūda verò probatur; si namque actio productiua Dei præcedit generationem ex Virgine, non potest Christus veré, & proprié dici genitus ex illa; at hoc hæreticum est: ergo actio adæquata Dei nō præcedit, etiam prioritate naturæ, generationem ex Virgine. Probatur maior: vnum ex alio veré, & proprié generari, est veré, & proprié extra causas vi illius constitui; at Christo pro priori naturæ ad sui generationem adæquatè producto, non potest de illo cum proprietate enuntiari, quod ex vi concursus Virginis extra causas constituatur; cum iam supponatur adæquatè per præcedentē actionem constitutus extra illas: ergo admissa præcedenti actione productiua Christi adæquatè, nequit cum proprietate saluari, quod sit genitus ex Virgine.

Quarto reijcitur: nam Christum de condigno meruisse Virginis Maternitatem, est meruisse sui generationē ex illa; sed non potuit Christus vt per primam actionem productus, mereri sui generationem ex Virgine: ergo nō potuit mereri Virginis Maternitatem. Maior est certa: nam Maternitas est relatio supra generationem fundata; sed nō stat meritum relationis, absque merito fundamenti relationis, sicut nec relationē produci, nisi fundamento producto: ergo Christum meruisse Virginis Maternitatem, est meruisse sui generationem ex illa. Minor autē probatur: non stat, Christum meruisse generationem sui, quin sui primam existentiam mereatur: tùm, quia non stat efficienter physicé in actionē influere absque influxu physico in terminum; & consequenter nec influxus moralis in actionem poterit stare absque influxu morali effectiuo in terminum talis actionis. Tùm etiam, quia nihil aliud est rei existentiam mereri, quam mereri illius extra causas positionem, quod fit per actionem productiuam; sed Christus non potuit, etiam de potentia absoluta mereri sui primam existentiam, vt Auctores traditæ solutionis fatentur, aut saltim de facto non meruit, vt tenet Theologorum communis consensus: ergo non potuit mereri de potentia absoluta sui generationem ex Virgine, vel saltim non meruit illam de facto.

31 *Quarto.*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: eadem proprietate, qua conceditur Beatissimam Virginem Christum genuisse, vel efficienti, vel materiali concursu, quod probabilius est, asserendum est Christum se ipsum meruisse, si meruit sui generationem ex Virgine; sed Mariam Christum

32 *Explicatur amplius*

genuisse

genuisse, cum omni proprietate conceditur, esto supponatur Christus alia actione adæquata productus: ergo etiam hac non obstante, concedendum est, Christum sui ipsius existentiam absolutè, & cum omni proprietate meruisse. Minorem vt fide certam supponimus. Maior autem probatur: ideò primum cum proprietate conceditur, quia verum, propriumque concursum materialem, aut effectivum exercuit Beatissima Virgo in actionem, per quam verè fuit genitus Christus; sed in sententia, quam impugnamus, Christus exercuit verum, propriumque concursum effectivum meritorium in actionem, per quam verè, & propriè fuit Christus extra causas productus: ergo tanta cum proprietate concedendum est, Christū sui ipsius existentiam absolutè meruisse, ac conceditur Virginem Christum genuisse.

33 *Aduersariorū effugium præcluditur.*

Ex quibus præoccupatū manet aduersariorum effugium, asserētium, ideò concedendum non esse absolutè, Christum sui existentiam meruisse, quia meritum suam causalitatem in præmiantem exercet, eius voluntatem mouendo, & quia in præsenti casu supponitur Dei voluntas determinata ad dandam Christo existentiam per primam productionem adæquatam; fit consequens, quod etsi moverit meritoriè voluntatē diuinam ad secundū decretum de Christo ex Virgine generando, non debeat absolutè concedi, Christum sui ipsius existentiam absolutè, & propriè meruisse, sed cum addito diminuente, nempè, quoad circunstantiam. Quod effugium ex dictis præcluditur; sicut enim meritum suam causalitatē exercet mouendo voluntatem præmiantis: ita causa physica rem extra causas ponēdo; sed proprietati causæ physicæ in concurrēdo effectiuè, aut materialiter, non obstat præsupposita actio adæquata rem extra causas constituens in doctrina traditæ solutionis: ergo proprietati cōcursus effectiui moralis non obstat præsupposita voluntas præmiantis.

34 *Deniq;*

Denique principalem solutionem impugno; si namque potuit Christus duplici actione adæquata produci, & hac duplici actione supposita, sui secundam productionem mereri, potuit etiā eius anima duplicē actionem Dei creatiuā adæquatam terminare, & vt producta per vnam mereri sui productionem per aliā; cū non appareat maior in vno, quam in alio repugnantia, sed secūdum; vel non potuit fieri de potentia absoluta, vel si potuit, de facto tamen non contigit; nullus enim Theologorum asseruit Christum suæ animæ creationem meruisse: ergo primū, vel repugnat, vel saltim de facto non accidit.

35 *Secūda solutio reijcitur primo.*

Deinde secunda solutio reijcitur primo: nam de diuinis decretis loqui, & sentire debemus iuxta modum cōnaturalem, nisi oppositū sit reuelatum, vel ex reuelatis vrgentissimè inferatur; sed Christū decerni priusin statu viuendi miraculosè, & in illo statu mereri, quā in statu viuendi, & conseruationis cōnaturalis, inconnaturale est, & sic fuisse decretatū, nullibi inuenitur reuelatū, nec ex reuelatis vrgenti ratione infertur: ergo absque fundamēto, sic cōstituitur; ac proinde absq; fundamento asseritur ex meritis eius prout sic præuisi, & prædiffiniti, fuisse Beatissimā Virginē in eius Matrem electam. Secundo: nam iuxta cōmunem Theologorū sententiā, quid quid Christ⁹ morte meruit, meruit etiā omnibus actibus, quos exercuit in statu capaci merendi, de quo *supra* in hoc Tractatu; sed illis actibus, quos Christus cōnaturaliter viuens, & conseruatus elicuit, nō meruit Virginis Maternitatem, nec ex illa generari: ergo nec actibus, quos exercuit in statu miraculoso suæ conseruationis.

*Secūdo.*

36 *Tertia reijcitur primo.*

Tertia ex dictis *Disp. præced.* reijcitur: nā licet meritū possit de facto non præcedere præmium in ordine executionis, non tamen est dabile meritum, cui hæc præcedentia repugnet; sed meritis Christi Dñi repugnat in ordine executionis præcedere sui generationē ex Virgine: ergo non potuit hanc generationē mereri, etiā per opera elicita in statu miraculoso. Probatur minor: repugnat Christū, qui est istorum meritorū principiū, prius miraculosè viuere, aut in vita cōseruari, & postea in executione nasci ex Beatissima Virgine: ergo etiam repugnat meritis Christi, adhuc vt miraculosè viuentis, in executione antecedere

Secũdo. sui ex Virgine Natiuitatẽ. Deniq; nã esto id possibile foret, quod sic de facto contingerit, expresse est contra Augustinum: ergo asserendum non est. Probatur antecedens: nam iuxta Augustinũ *lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. lib. 13. de Trinitate cap. 17. serm. 9. in Matthæum, serm. 8. de verbis Apostoli in Enchiridione cap. 36. & cap. 40. lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 15.* Vnio humanitatis ad Verbum omninò gratiosa fuit respectu humanitatis Christi; at si conceptio Christi ex Beatissima Virgine fuisset ex meritis eius præuisi, vt miraculosé viuentis, nõ fuisset gratiosa omninò vnio humanitatis ad Verbum: ergo de facto non meruit Christus, vt in tali statu viuens, vnionem suæ humanitatis ad Verbum.

S. Aug.

37 Cõfirmatur. Quod amplius explico ex verbis Augustini *lo. citato de prædest. Sanctorum cap. 15.* vbi relatis omnib⁹, quæ in Christi generatione euenerunt, & inter alia, quod de Spiritu Sancto, & Virgine natus sit, ita habet: *Nempè, ista omnia singulariter admiranda, & alia si quæ eius propria verissimè dici possunt singulariter in illo accepit humana, ideſt, nostra natura, nullis eius præcedẽtibus meritis.* Et propé finem capitis, ita concludit: *Quisquis in capite nostro præcedẽtia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis eius membris præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat, neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alicuius ab omni obligatione peccati de spiritu, & Virgine nasceretur.* Hæc Augustinus: ex quibus apertissimé constat, sensisse cõceptionem Christi ex Virgine omninò gratiosam fuisse; ac proinde non ex meritis Christi, vt præuisi in statu suæ conseruationis miraculosæ merentis.

38 Patet cõsequẽtia primo. Patet consequentia primo: nam de ista cõceptione asserit Augustinus, nõ retributam, sed tributam fuisse; at si fuisset præmium meritorum Christi præuisi in prædicto statu, fuisset retributa cõceptio, & non tributa; sicut quia gratia Antiquorũ PP est præmium meritorum Christi vt præuisi, nõ dicitur tributa, sed retributa cõparatiué ad Christum: ergo iuxta Augustinum Natiuitas Christi ex Virgine non fuit ex meritis Christi præuisi, vt miraculosé viuentis.

Secundo Secundo: nã ex ẽplo huiusce modi conceptionis probat Augustinus, primam gratiã omninò gratis donari; at prima gratia in nobis, non solum nõ est ex meritis præcedẽtibus, sed nec etiam est ex meritis subsequentibus in Dei præuisione existentibus: ergo Natiuitas Christi ex Virgine, nõ solum fuit gratia per exclusionẽ meritorum antecedentium, sed etiã per exclusionẽ meritorũ Christi, vt præuisi miraculosé viuentis. Ex quibus præcluditur effugium Cardinalis Lugo asserentis, mentẽ Augustini solum fuisse ostendere gratuitã primã existentiã Incarnationis in præuisione diuina, similiterque primam gratiæ auxiliantis collationem, nec multum de veritate exempli curasse, quo id explicuit in prima Christi ex Virgine conceptione.

Effugiũ Card. de Lugo præcluditur.

39 Impugnatur ergo primo. Contra quam euasionẽ obstat primo, mentẽ Augustini non pro libito nostro fingendã, sed ex illius verbis esse venandã; at verba Augustini clarissimé exprimunt, loqui de prima Christi ex Virgine cõceptione: ergo ab illa omne meritũ, siué antecedẽs, siué subsequens excludit Secundo: nã affirmare Augustinũ falsò exẽplo cõtra Pelagianos, rationẽ gratuiti in primo nostro auxilio probasse, esttãto Doctori iniuriosũ: ergo vitanda est solutio; cũ in materijs de gratia recedere ab Augustino, satis sẽ curũ nõ sit. Nec magis est aliorũ effugiũ probandũ, asserentiũ, mentẽ Augustini fuisse excludere à Christi cõceptione merita humanitatis antecedẽtia, nõ autẽ merita tẽpore subsequuta. Nã contra illud obstat primo, id quod datur propter merita subsequuta, non tribui, sed veré retribui, nec esse gratiã, sed præmiũ; at qui Augustin⁹ asserit cõceptionẽ Christi ex Spiritu Sãcto, & Virgine non retributam, sed tributam fuisse: ergo excludit merita subsequuta.

Secundo

Recẽtiorũ effugiũ impugnatur 1.

40 Secũdo. Secundo: nam qui assereret, primũ nostræ fidei initiũ esse ex meritis condignis gratiæ, etiam tempore subsequutis, se opponeret Paulo docenti, initiũ fidei esse gratiam: ergo docens conceptionem Christi ex Virgine fuisse ex meritis subsequutis, se opponit Augustino affirmanti, non fuisse retributam, sed

tribu-

Vltimo. tributam,& gratiosam. Denique:nam Augustinus ab exemplo conceptionis Christi,quæ fuit donũ liberale,& gratiosum, probat primũ fidei initiũ esse gratiosum in nobis; sed primũ initiũ fidei taliter gratiosũ est, quod excludit omne meritum antecedẽs,& tempore subsecutum: ergo iuxta Augustinum Natiuitas Christi ex Virgine omne Christi meritum,etiam subsecutum excludit.

41 *Tertia cõclusio impugnatur 1.*

Et ex his tertia solutio impugnata relinquitur primo:nam principium immediatum,nec quoad existentiam absolutã,nec etiam quoad cõparatiuam potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso,vt *Disp. præced.* contra similẽ locutionem monstrauimus: ergo idẽ est de principio mediato dicendum.

*Secũdo.* Secundo: nam merito repugnare non potest præcedentia ad præmium in ordine executionis, etsi possit permisiué in hoc ordine à præmio præcedi,vt pluries, tam hac disputatione, quam præcedẽti inculcauim⁹; sed repugnat meritis Christi mediaté à Beatissima Virgine, prout hæc determinaté procedere, & præcedere in ordine executiuo sui Natiuitatem ex illa: ergo Christus non potuit,etiam de potentia absoluta,sui Natiuitatem ex Virgine, etiam cõparatiué,sumptam mereri.

*Tertio.* Tertio:nã vt Recentiores, hac solutione vtentes, fatentur,etsi Incarnatio,quæ est principium immediatũ meritorum Christi, potuerit de potentia absoluta esse præmium condignum operum procedentium ab ipsa secundum existentiam comparatiuam;de facto tamen præmium istorum meritorum non fuit,quia ad hoc necessarium erat extraordinarius, vel miraculosus modus decernendi, & præuidẽdi, qui adstruendus sine vrgenti fundamento non est: ergo pariter tenentur asserere,quod licet non repugnet de potentia absoluta, principium mediatum meriti cadere sub eodem merito quoad existẽtiam comparatiuam;de facto tamen nõ fuisse istorum operum præmium. Patet consequentia: nam si semel ad primum extraordinaria, & miraculosa prouidẽtia necessaria iudicatur,etiam ad secundum necessaria debet censeri, nec maius ad hoc secundum, quam ad primũ reperitur fundamentum.

Denique: nam Augustinus *loco proximè citato*, in exemplar primæ gratiæ puris creaturis ad innitiandam fidem concessæ adduxit Natiuitatem ex Virgine,vt sicut illa ex nullis meritis Christi traxit originem, probat,primum fidei initium vndequaq; esse gratuitum; at prima gratia nobis infusa ad credendum,non solum non est ex meritis nostris præuisis quoad existentiam absolutam, sed nec ex illis quoad comparatiuam existentiam habetur,esto non implicet ab illis præalijs causari: ergo pariter, quamuis demus non repugnare, quod Christus sui Natiuitatem ex Virgine comparatiué ad alias fœminas per opera subsequuta meruerit; de facto tamen Natiuitatem suam, etiam sic sumptam, non meruit. Quod explico,& confirmo primo; qui namque asserer et primam gratiam esse ex meritis condignis ad ipsam subsecutis quoad existentiam comparatiuam, se opponeret Paulo asserenti, primam gratiam dari gratis: ergo docens, conceptionem Christi ex Virgine quoad comparationem cum alijs fœminis ex quibus poterat nasci, fuisse præmium meritorum Christi cõdignum, contradicit Augustino asserenti conceptionem Christi ex Virgine non fuisse retributam,sed tantum tributam,hoc est,non fuisse ex iustitia,sed ex gratia.

42 *Vltimo.* *Cõfirmatur, & explicatur 1.*

Explico,& confirmo secundo:nam Recentiores isti, testimonio adducto Augustini vtuntur contra Cardinalem Lugo,vt probent conceptionem Christi ex Virgine, non fuisse in executione ex meritis Christi præuisis,vt post futuris; quia nimirum gratia prima non sic ex operibus nostris procedit, & hãc gratiam illi æquiparat Augustinus quoad rationem doni gratuiti; at hoc argumẽtum non minus contra ipsos militat, vt *proximè* ponderauimus: ergo fateri tenentur argumenti inefficaciam, vel á tradita solutione recedere.

43 *Secundo*

Ex eisdem etiam deprehenditur falsitas quartæ solutionis,primo:nam Suarez,qui à Recentioribus pro illa solutione refertur, esto concedat potuisse de potentia absoluta Incarnationem, vt in ordine executionis esse præmiũ meritorum Christi,vt in ordine intentionis

44 *Quarta solutio impugnatur primo.*

præuisi; negat tamen, ita euenisse de facto, quia ad hoc aliqua dispensatio, & extraordinaria prouidentia requiritur, ad quam adstruendam efficax argumentum non est; sed etiam ad hoc, quod Christus meruerit sui Natiuitatem ex Virgine aliqua dispensatio requiritur, ad quam adstruendam, firmum fundamentū non adest: ergo esto, id admittatur possibile, de facto tamen accidisse est negādum. Secundo: nam iuxta Augustinum, æquè fuit gratiosa Christo Natiuitas eius ex Virgine, sicut est nobis gratuitum primum diuinæ gratiæ initiantis fidem auxilium; sed hoc non solum est gratia prout in ordine intentionis, sed etiam prout in ordine executionis: ergo Natiuitas Christi ex Virgine, in vtroque ordine iuxta Augustinū excludit merita Christi præuisi. Tertio, qui assereret primam gratiam auxiliantem esse, vt in executione ex meritis nostris præuisis, contradiceret Paulo dicenti, non ex operibus, sed ex gratiæ largitate procedere: ergo affirmans, cōceptionem Christi ex Virgine esse vt in executione, ex meritis Christi, vt in ordine intentionis præuisi, contradicit Augustino affirmanti, non fuisse retributam, sed tributam Christo prædictā Natiuitatem. Denique: nam, vt pluries inculcauimus, non potest merito repugnare, præmium in executione præcedere, etsi possit per accidens executioni mandari post præmium; sed repugnat meritis Christi præcedere in ordine executionis sui cōceptionē ex Virgine: ergo etiam repugnat suis operibus, prout in ordine intentionis præuisis, dictam conceptionem mereri in ordine executionis.

*Secūdo.* *Tertio.* *Vltimo.*

45 *Vltima solutio reijcitur primo.*

Tandem vltima solutio reijcitur primo; vt enim fatetur Vazquez, cuius est solutio, quia gratia Antiquorū PP. fuit de facto effectus Incarnationis in genere causæ meritoriæ, & moralis, non potuit esse principium merendi Incarnationis substantiam; & tamen non per se, sed per accidens fuit Incarnationis effectus; cum potuerit eadem numero gratia sine meritis Christi conferri: ergo si Beatissima Virgo fuit de facto principium Incarnationis, esto Incarnatio non per se, sed per accidens ab illa dependentiam habuerit, nec potuit esse Incarnationis effectus, nec præmium meritorum Christi. Secundo: nā Christum concipi ex Spiritu Sancto, & Virgine, fuit gratiosum comparatiué ad Christum: ergo siué sit principium per se humanitatis, siué non per se, sed per accidens, quod ipsum Virgo conceperit, non fuit ex meritis Christi. Tertio: nam esto admittamus; hanc numero humanitatem non dependere per se à concursu Beatissimæ Virginis requisito, vt esset Mater, à quo in præsenti abstinemus, eo tamen ipso, quod hæc numero humanitas Christi sit mediante Virginis concursu extra causas constituenda, repugnat concursum istum in executione præcedere: ergo etiam hæc præcedentia repugnat meritis Christi; at non stat meritum respectu præmij, respectu cuius tali merito repugnet præcedentia in ordine executionis, vt sæpè iam asseruimus: ergo non potuit Christus suis operibus mereri Natiuitatem ex Virgine; & consequenter non meruit, nec etiam potuit mereri Virginis Maternitatem.

*Secūdo.* *Tertio.*

## §. IV.

### *Contraria sententia cum suis fundamentis proponitur.*

46 *Contraria sentētia proponitur.* *Lugo. Ripald. Suar.*

CONTRARIAM nostræ conclusionis sētētiā docēt Herice 1. *p. disp.* 29. *sect.* 4. Lugo *in hac* 3. *p. disp.* 8. *sect.* 7. Ripalda *tom* 2. *de Ente supernaturali lib.* 4. *disp.* 86. *sect.* 7. *num* 55. referens Suarez 3. *p. disp.* 10. *sect.* 7. & 8. & Vazquez *disp.* 23. *cap.* 2 adeoque tenaciter præfatæ adhæret sententiæ, vt asserat, non nisi temerè ab illa posse recedi, eo quod PP. & Doctores communi consensu id docent. Sed certé illius censura tam ritate non caret; cum, vt vidimus, nostra sentētia expressa sit Augu-

stini,

stini, nec nisi voluntarié pro opposita communis Doctorum, & Theologorum consensus refertur. In cuius fauorem arguitur primo: Beatissima Virgo meruit esse Mater Christi, & illum in se recipere merito, saltim de congruo: ergo Christus meruit Virginis Maternitatem, & sui Natiuitatem ex illa. Patet cõsequentia primo: quia nulla dignitas est Virgini concedenda, quæ non attribuatur Christo: ergo si ipsa meruit esse Mater Dei, & Christum in se cõcipere merito, saltim de congruo, id ipsum meruit Christus de condigno.

*Primũ argumẽtum.*

*Cõsequẽtia patet prime.*

47 *Secũdo.* Secundo: nam gratia, in vi cuius meruit Beatissima Virgo Maternitatẽ Christi, fuit effectus meritorum Christi, non solum in genere causæ finalis, sed etiam in genere causæ efficientis moralis; sed quod est causa causæ, est etiã causa causati: ergo Christus merens gratiam causantem merita Maternitatis in Virgine, & Christi Natiuitatem, meruit etiam eandem Maternitatem, suique Natiuitatem ex illa. *Tertio.* Tertio: nam inde supra arguebamus, nõ potuisse Christum mereri sui generationem ex Virgine; quia aliàs mereretur se ipsum, & sui existentiam extra causas, quia hæc ad generationem sequitur tanquam terminus illius; sed etiam præmium consequenter se habet ad meritum, vt illius effectus: ergo Christus causans meritorié gratiam Beatissimæ Virginis, & Maternitatis meritum, meruit etiam eandem Maternitatem. *Quarto.* Denique: nam inde arguebamus contra meritum Christi respectu suæ Natiuitatis ex Virgine, quia hæc ab Augustino asseritur, fuisse gratiam; at fuisse gratiam, vel excludit meritum puræ creaturæ, vel non excludit actum meritorium Christi: ergo semel admisso fuisse præmium, & non gratiam per comparationem ad Virginem, admittẽdum est consequenter fuisse præmium, & non gratiam, comparatione facta cum Christo.

48 *Respondet Lorca.* Huic argumento respondet Lorca vbi supra, negando antecedens: multis probare contendens, Beatissimam Virginem fuisse omninò liberaliter, tam de creto intentiuo, quã decreto executiuo in Christi Matrem electam. Lorcæ adhæsit Franciscus del Castillo vbi *supra q. 5.* Theologi tamen communiter oppositam sententiam tuentur, à quibus recedendũ nõ est, nec Nos recedere possumus; cum *Tract. de Incarnat. q. 2. art. 11. Diff. 13* cum frequentiori nostrorũ Thomistarũ sententia docuerimus, veteres PP. de congruo substantiam Incarnationis meruisse; id enim quod PP. Antiquis conceditur, Virgini negandũ nõ est. Deinde: nã Beatissima Virgo, atq; illius operationes Christum in executione præcesserunt; & aliàs sufficientẽ proportionẽ habebant ad Incarnationẽ de congruo merendam: ergo asserẽdũ est, illam de facto meruisse; ac proinde, meruit etiam, quod in Matrem Christi eligeretur, & illius ex ipsa Natiuitatẽ.

*Cõtra 1.*

*Secũdo.*

Quod amplius confirmari potest primo; nam licet decretum intentiuum Christi, & illius Natiuitatis ex Virgine, decretũ electiuũ Virginis in Matrem, & meritorũ eius præcesserit; ac per cõsequens ex illius meritis nõ processerit; decretũ tamen executiuũ Incarnationis Christi, posteriꝰ fuit decreto executiuo actuum, quibus Beatissima Virgo se ad Maternitatẽ dispossuit. Tùm, quia quæ sunt priora in ordine intentionis, sunt in executionis ordine posteriora; Christꝰ autẽ in ordine intentionis præcessit; ac proinde fuit in ordine executionis posterior. Tùm etiã, quia decreta ordinis executionis cũ ordine executionis obiectiuo cõmensurantur; actus autẽ, quibus Virgo se ad Maternitatẽ dispossuit, executiué Christũ, & Natiuitatẽ eiꝰ ex Virgine præcesserunt; ac per cõsequẽs decretũ illorũ executiuũ, decretũ executiuũ Natiuitatis Christi præcessit: ergo quamuis non meruerit Christum, vt spectantem ad ordinẽ intentionis; meruit tamen Beatissima Virgo Natiuitatẽ Christi, vt subest decreto executiuo.

49 *Cõfirmatur primo.*

Secundo id ipsum explico, & confirmo in hunc modum: si opera, quibus Virgo se ad Maternitatẽ dispossuit, non nascerentur ex gratia data in præmium meritorum Christi, fuissent meritoria de congruo Incarnationis, & Natiuitatis Christi, & Maternitatis Virginis, quod cõtrarij nõ negabunt; sed ex hoc, quod illa gratia fuerit meritorũ Christi præmium, nihil dignitatis amisit; & aliàs decretum executivum Incarnatio

*Secũdo.*

nis in Dei mente præcesserunt: ergo de congruo Incarnationem Christi causarunt, & illius Natiuitatē ex Virgine; ac per consequens Virginis Maternitatem, quod non obscure videtur D. Thom. do cuisse *supra q. 2. art* 11. nec obstat, quod *ibi* docet *ad* 3. nimirum, non meruisse Mariam, quod Verbum Incarnaretur: nā loquitur de merito condigno, quo merunt gradus gratiæ, quibus se ad Maternitatem dispoſuit, non autem Incarnationem ipſam.

50 *Vera ſolutio.* Quare, prætermiſſa hac ſolutione, ad argumentum reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad cuius primam probationem dicatur, verum esse antecedens de his, quæ non attinebant ad principium meritorum Christi; falſum autem ſi ad illud pertineant; & quia Natiuitas Christi ex Virgine fuit via ad exiſtentiam Incarnationis, quæ fuit Christo principium merendi, fit conſequens, vt quamuis concedatur Virgini, congruum Maternitatis, & Incarnationis meritum, non ſit Christo concedendum meritum condignū eiuſdem Maternitatis. *Ad 2. cō ſequentiæ probationē.* Ad ſecundam, cōceſſa maiori, diſtinguo minorem: quod eſt cauſa cauſæ infallibiliter inferentis effectum, concedo minorē: quod eſt cauſa cauſæ non infallibiliter inferentis effectum, nego minorem, & conſequentiam: nā merita Beatiſsimæ Virginis nō fuerunt cauſa ab intrinſeco infallibiliter inferens Natiuitatem Christi, nec Mariæ Maternitatem; & ideò quāuis Chriſtus ſuis meritis fuerit moralis cauſa gratiæ, & meritorum Virginis, quibus prædicta promeruit, non ſequitur ſui Natiuitatem ex Virgine meritorié cauſaſſe; ſicut actus cōtritionis impetratorié cauſans gratiā habitualē, quæ eſt eiuſdem contritionis principium ſufficiens, non cauſat impetratorié ſe ipſam.

51 *Ad tertiam.* Et ex his ad tertiam conſequentiæ probationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: diſparitas autē eſt: nā conceptio Christi ex Virgine eſt actio habens annexam eſſentialiter exiſtentiam illius; ſecus autem meritū reſpectu Maternitatis, & ideò ex merito conceptionis, rectē infertur meritū exiſtentiæ Christi conceptionem terminantis; ex merito verò meriti Maternitatis, non ſequitur cauſalitas meritoria reſpectu Maternitatis, & conceptionis ex Virgine. Præterquāquod non eſt alius modus merēdi exiſtentiam alicuius, niſi merendo actionē productiuam illius; & ideò ex eo quod Chriſtus ſui Natiuitatem ex Virgine mereretur, optimé argumentabamur, fore, vt ſui exiſtentiam meritorié cauſaret; meritū autem meriti alicuius termini non eſt formaliter meritum eiuſdē termini, ſicut nec meritum principij ſufficientis ad meritum, eſt eiuſdem meriti meritū: nam in ſententia probabili, contritio eſt meritum cōgruum gratiæ iuſtificantis, & donorum conſequentium ipſam, quibus anima conſtituitur potens in actu primo ad merendum, & tamen contritio ad iuſtificationem diſponens, nō dicitur meritū meritorū gratiā conſequētium; & ideo, ex eo quod Chriſtus meruerit gratiam, & actus, quibus Beatiſsima Virgo meruit eſſe Mater Christi, nō ſequitur meruiſſe ſuis actibus Virginis Maternitatē, nec ſui Natiuitatē ex illa.

52 *Ad vltimam.* Ad vltimam conſequentiæ probationem, conceſſa maiori, nego minorē: tùm, quia Auguſtinus æquiparat quantum ad rationē gratiæ conceptionem Christi ex Spiritu Sancto, & Virgine, cū prima gratia auxiliante data nobis ad credendum; hæc autem, etſi noſtra merita excludat, non tamē merita Christi; ac proinde mens Auguſtini nō erat, omne meritum excludere reſpectu conceptionis Christi, ſed ſolū merita Christi; per hoc enim ſubſiſtebat æquiparantia Auguſtini. Tùm etiam: nam meritum Christi, ſi eſſet, foret meritum cōdignum, cum quo ratio gratiæ non cōpatitur; meritū autem Beatiſsimæ Virginis, ſolum fuit meritum congruum, cum quo vera, & propria ratio gratiæ ſaluatur, vt conſtat in noſtra iuſtificatione, quæ non ſolum in ſui radice, ſed etiā in ſe formaliter, veré, & propriè gratia eſt; & tamen cadere ſub merito congruo diſpoſitionum concomitantium, tenet probabilis Theologorum ſententia; & ideò non ſequitur excluſis ab Auguſtino meritis Christi reſpectu ſuæ Natiuitatis ex Virgine, excludi etiam eiuſdem Virginis merita. Et quidem totum argumentum inſtatur in merito

Anti-

Antiquorum PP. meruerunt enim Incarnationem Christi in vi gratiæ ipsis collatæ ex meritis Christi præuisis, quin ex hoc inferatur, Christum suam Incarnationem meruisse; hæc dicta sint quoad id, quod attinet ad vim consequentiæ: nam quomodo Christus meruerit gratiam, in vi cuius meruit Beatissima Virgo, quod Christus nasceretur ex illa, in sequentibus explicabimus.

53 *Secũdũ argumẽtum.*

Secundo arguitur, & instatur cõtra solutionem datam: principium mediatum morale potest causari moraliter ab eo, cuius est principium: ergo pariter, principium mediatum physicum; & cõsequenter Beatissima Virgo, etsi fuerit principium mediatum meritorũ Christi Domini, poterit esse meritorũ Christi effectus. Consequentia tenet: tùm à paritate rationis; tùm etiam: nam ideò potest principium morale mediatum, quia principium essentiale non est; sed pariter principium mediatum physicũ, principium essentiale non est; posset namque de potentia absoluta hæc numero humanitas Christi produci, vel à Deo solo immediatè, vel alterius Matris concursũ: ergo potest principium mediatum physicum cadere sub merito operis, cuius est mediatum principium. Antecedens autem dupliciter ostenditur, primo: nam Incarnatio fuit principium mediatum morale gratiæ Antiquis PP. datæ, cum fuerit immediatum principium meriti prædictæ gratiæ, & tamen fuit effectus meriti Antiquorum PP. ergo principium mediatũ morale potest esse effectus meriti, cuius est principium mediatũ. Secundo: nam gratia Antiquorum PP. fuit principium mediatum morale Incarnationis Verbi; cum fuerit principium immediatum meriti, quo Antiqui PP. Incarnationem meruere; & tamen fuit effectus meritorum Christi: ergo verũ est antecedens.

*Antecedens probatur 1.*

*Secũdo.*

54 *Respõdetur.*

Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens: illudque cõcedo, loquendo de principio physico mediato in esse rei; nego autem consequentiam de principio physico mediato in ratione actualis principij; ex quo tantũ sequitur, meruisse Christum existentiam Beatissimæ Virginis, quod libẽter concedimus; cum enim fuerit substãtia Virginis effectus propriæ prædestinationis, vt colligitur ex his, quæ docuimus *Tract. de Prædest. 1. p. q. 23. art. 2.* & Christus fuerit causa moralis, & meritoria prędestinationis, & omnium effectuum illius; fit consequens, quod de facto Virginis existentiam meruerit; nõ tamẽ sequitur, quod meruerit Christus de facto Virginis Maternitatẽ: nam ad hoc requirebatur, quod de facto meruisset nasci, aut generari ex illa, quod in nostra cõclusione negamus; ratio autẽ, cur potuerit mereri, & de facto meruerit existentiam Beatissimæ Virginis, nõ autem meruerit, nec potuerit mereri illius Maternitatem, habetur ex dictis, quia, nempé, meritis Christi non repugnat etsẽtialiter præcedere in ordine executiuo Virginis existentiam; cum non implicet, vel à Deo immediatè, vel mediante altera fœmina, & sine Mariæ cõcursu, produci; implicat autem gigni ex illa, & generationẽ istam in ordine executiuo merita Christi præcedere; & ideò possunt Christi merita mereri Virginis existentiam, illamq; de facto merẽtur; secus autẽ Virginis Maternitatẽ.

55 *Objcies primo.*

Sed objcies aduersus istam solutionem primo: meruit gratiam Antiquorum PP. prout fuit principium actu moraliter influens in Incarnationem; cum etiam prout sic fuerit effectus prædestinationis illorum, vtpote, ad eorum beatitudinem cum effectu cõducens: ergo meruit, non solũ substantiã Beatissimæ Virginis, sed etiã meruit illam, vt actu physicé influentem in Incarnationẽ; & consequenter meruit Virginis Maternitatem.

*Prima cõsequẽtia probatur 1. Secũdo.*

Secunda cõsequentia ex prima euidẽter colligitur; prima verò probatur à paritate rationis. Secundo: nã meruit existẽtiã Beatissimæ Virginis, quia fuit effectus prædestinationis illius; sed etiã Maternitas Christi fuit effectus prædestinationis illius; cum fuerit vna ex maioribus gratijs factis Beatissimæ Virgini, & ad illius glorificationem conduxerit: ergo Maternitas Virginis fuit præmiũ, & effectus meritorũ Christi. Tertio: nã existẽtia Beatissimæ Virginis fuit prior in executione, quam quod Christum genuerit: ergo si existentia fuit effectus meri-

*Tertio.*

torum Christi, quod ex se Christum genuerit, fuit eorum meritorum effectus.

56 *Quarto,* Quarto: eo ipso, quod Christus existentiam Virginis meruerit, non est contra rationem meriti, quod illi repugnet essentialiter præcedere præmium in ordine executionis, sed ob hanc solam rationem negauimus, potuisse mereri Christum sui Natiuitatem ex Virgine: ergo eo ipso, quod concedatur primum, debet secundum concedi. Minor probatur: inde inferebamus, non posse repugnare essentialiter merito præcedentia ad præmium in ordine executionis, quia merito est connaturale sub hac præcedentia causare, etsi alium modum causandi permittat; sed concesso, meruisse Christum Virginis existentiam, non est connaturale omni merito præcedere præmium in ordine executionis: ergo illo admisso, non est vnde pugnet cum ratione meriti repugnantia essentialis præcedentiæ ad præmium in ordine executionis. Probatur minor: id est connaturale merito, quod petit connaturaliter; sed meritum Christi non potest cõnaturaliter petere præcedentiam ad existentiam Virginis in ordine executionis: ergo si Christus meruit Virginis existentiam, non est cõnaturale omni merito præcedere præmium in ordine executionis. Probatur minor: humanitas Christi, quæ est principium quo elicitiuum merendi, nequit connaturaliter petere præcedentiã in ordine executionis ad Virginis existentiam; cum sit effectus illius connaturalis; & consequenter petens illam in ordine executionis succedere: ergo merita Christi non possunt connaturaliter petere præexistentiam in ordine executionis ad Beatissimam Virginem.

57 *Respõd. ad 1. impugnationem.* Respondeo ad primum, negando antecedens: quamuis enim Christus meruerit gratiam Antiquorum PP. quoad substantiam, & prout disponebat ad illorum sanctificationem, vel augmentum gratiæ, & gloriæ merebatur, prout tamen erat principium actu influens in Incarnationem, non fuit effectus meritorum Christi in genere causæ efficientis, sed tantum in genere causæ finalis ob rationem sæpé inculcatam, nec prout sic fuit effectus prædestinationis illorum, quia quamuis ad illorum gloriã conduceret media Incarnatione, quia tamen Incarnatio, mediante qua, ad illorum gloriam conducebat, non fuit effectus, sed principium prædestinationis eorum, nec gratia vt merens Incarnationem fuit talis prædestinationis effectus, sed principium mediatum. Ex hisque ad secundam obiectionem constat solutio, negando minorem: nam generatio Christi ex Virgine non conduxit ad gloriam illius, nisi mediante Christo, qui effectus prædestinationis Virginis non fuit; sed vniuersale principium prædestinationis omnium; & ideò Natiuitas Christi ex Spiritu Sancto, & Virgine, effectus prædestinationis Virginis esse non potuit, sed principium mediatum anterius ad principium immediatũ meritorium illius, nempé, ad Incarnationẽ Christi. *Ad secũdam.* Ad tertiam, concesso antecedenti, nego consequentiam; ratio autẽ discriminis constat ex dictis: quia nempé, existentiæ Virginis non repugnat esse in ordine executionis posterior Incarnatione; generationi verò repugnat, & ideò prima potest sub merito Christi cadere, secus autẽ Natiuitas Christi ex Virgine. *Ad tertiam.*

58 *Ad quartam.* Ad quartam, nego maiorem: ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationẽ, nego etiam minorem: ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; vt enim meritum in ratione meriti connaturaliter petat præexistentiam ad præmium in ordine executionis, non requiritur, quod principiũ physicum illius hanc præexistentiam connaturaliter petat, sed sufficit, quod possit præexistere, etiam non seruata omni connaturalitate in fieri, vel in modo fiendi; constat hoc claré in actu intẽsiori habitu, qui vt meritum esset augmenti habitus, petit ante tale augmentũ existere; cum tamen entitas actus intensioris non eliciatur sine habitu intensiori omninò connaturaliter: nam sicut substantia actus, vt connaturaliter elicitur, petit habitum quoad substantiam: ita maior actus intensio, vt eliciatur à potentia connaturaliter, petit ex parte principij augmentum habituale; licet autem humanitas Christi non petat cõ-

natu-

naturaliter ante Virginem existere, potest tamen existere ante illam, & hoc sufficit, vt actus ab humanitate eliciti petant sub ratione causæ meritoriæ antecedere in ordine executiuo Virginis existentiam, quamuis considerati secundū physicam entitatem exigentiam istam non habeant. Et notandum est, vt obiter tacitæ obiectioni respondeamus, exigentiam istam in meritis Christi absolutam nō esse, aliàs in illis daretur duplex exigentia connaturalis opposita, sed tantum conditionata, hoc est exigunt merita Christi, quod si applicentur ad existē tiam Virginis Sanctissimæ vt præmiū, quod in ordine executionis talem existētiam præcedant, vt cōnaturaliter exerceant munus causæ meritoriæ, quod si sic non antecedunt, & vt merita applicā tur, hoc est illis in ratione meriti præter naturale.

59 *Vltimū argumē tum.*

Denique arguitur, & hucusque dicta impugnantur: non est contra rationē præmij, quod illi essentialiter repugnet posterioritas ad meritum in ordine executionis: ergo nec erit contra rationem meriti repugnantia essentialis præcedēdi in hoc ordine præmium; & consequēter, ex eo quod meritis Christi essentialiter repugnet præcedere Natiuitatem Christi ex Beatissima Virgine in ordine executiuo, perperam intulimus non potuisse talem natiuitatem mereri Vtraq; consequentia est nota. Antecedens autem probatur: gratia Antiquis PP. data ad credendum, & sperandum aduentum Christi futuri, fuit præmium meritorū Christi; & tamen repugnat essentialiter illi posterioritas ad Christum, & eius merita in ordine executiuo: ergo cōtra præmij rationem huiusmodi repugnantia non est. Minor constat; actibus namque credendi, & sperandi Christum venturum, repugnat post Christum, & illius merita existere; cum spes esse simul nequeat cū rei speratæ possessione, & post Christum iam existentem, falsum sit, ipsum esse venturum; ac proinde credine queat per actum fidei diuinæ, cui essentialiter falsitas repugnat: ergo gratiæ finitæ, & actuali istos actus principianti, & præcipue gratiæ efficaci, essentialiter repugnat post Christum, & illius merita existere.

Maior autem ostenditur primo ex his, quæ fusè docuimus *Tractatu de Incarnatione quæst. 2. art. 11.* nimirū, gratiam Antiquis PP. datam, fuisse effectū meritorum Christi in genere causæ efficientis: ergo gratia ad credendum, & sperandum aduentum Christi futuri, fuit præmium meritorum Christi Secundo: nam iustificatio Antiquorum PP. fuit præmium meritorum Christi, vt in diuina mente præuisi: ergo etiam dispositiones ad illam: at prædicti actus fuerunt remotè dispositiones ad Antiquorum PP. iustificationem: ergo fuerunt effectus meritorum Christi in genere causæ efficientis moralis, & meritoriæ Tertio nam omnis effectus prædestinationis PP. fuit causatus à meritis Christi in genere causæ efficientis moralis; sed prædicti actus sunt prædestinatiònis PP. effectus: ergo fuerunt meritorū Christi præmia. Maior constat: meruit namque Christus Dominus omnium prædestinationem, & electionem ad gloriam; sed omnis prædestinationis effectus nascitur ex hac electione: ergo omnis prædestinationis effectus est præmiū meritorum Christi. Minor autem non minus aperta videtur; quidquid namq; cum effectu ad finem prædestinationis conducit, est prædestinationis effectus, vt cum communi Theologorum sentētia docuimus *1-p-q. 23. art. 2.* sed actus illi ad finem prædestinationis Antiquorum PP conduxere; cum dispositiuè ad illorum iustificationem concurrerint: ergo fuerunt prædestinationis effectus.

60 *Maior ostenditur primo.*

*Secundo*

*Tertio.*

Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem, loquendo de illis actibus, & de gratia efficaci applicante; non enim efficienter moralitér, sed in genere causæ finalis fuerunt à Christo causata. Ad primā maioris probationem dicatur, doctrinam à Nobis *allegato loco* traditam non esse vniuersaliter accipiendam pro omni gratia Antiquis PP. data, sed tantum de illis donis, quibus essentialiter nō repugnat subsequi ad Christi existentiam in ordine executiuo. Ad secundam concesso antecedenti, nego consequentiam de omni dispositione; nec enim est necessarium, vt causa merens formam, etiā

61 *Respōdetur.*

*Ad primā maioris probationē.*

*Ad secūdam.*

meri-

meritorié cauſet omnem diſpoſitionẽ ad formam; cum in tali diſpoſitione ratio aliqua repugnantiæ inuenitur ad meritum terminandum, quæ in forma non reperitur. Et quidem plures non improbabiliter docent, gratiam Antiquorum PP. nõ fuiſſe effectum meritorum Chriſti in genere cauſæ efficientis, ſed tantũ in genere cauſæ finalis, quamuis gratia ad gloriam diſponat; cum tamen illorũ glorificationem omnes fateri teneantur, non ſolum finaliter, ſed etiam efficienter cauſaſſe; & hoc ideo, quia gloriã PP. anteceſſerit Chriſtus in ordine executionis, ſecus autem illorum iuſtificationem: pariter ergo Nos cum maiori probabilitate aſſerimus, meruiſſe PP. iuſtificationem in genere cauſæ efficientis; non autem diſpoſitiones prædictas, niſi in genere cauſæ finalis, quia non repugnat meritis Chriſti eſſentialiter præexiſtere in ordine executiuo ad gratiam iuſtificantem; repugnat autem in hoc ordine antecedere ad illas diſpoſitiones.

62 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego maiorem: nam licet Chriſtus ſuis meritis cauſauerit omnes prædeſtinationis omnium effectus, non tamen omnes cauſauit in genere cauſæ efficientis, ſed aliquos ſolum in genere cauſæ finalis, alios in vtroque genere, illos nimirum, quibus ſubſecutio ad Chriſtum in ordine executiuo eſſentialiter non repugnat; vt enim proximé dicebamus, plures Theologi valde probabiliter docent, omnem gratiam Antiquis PP. datam, fuiſſe effectum meritorum Chriſti Domini, non in genere cauſæ efficientis, ſed tantum in genere cauſæ finalis. Ita Medina *ſupra q. 2. art. 11. dub. 1. ad 5. argumentum.* Aluarez *diſp. 16. ad 2. argumentum*; qui tamen negare non poſſunt gratiam iuſtificantem fuiſſe in illis effectum prædeſtinationis: non ergo eſt neceſſarium, quod omnis omnium prædeſtinationis effectus fuerit cauſatus à Chriſto in genere cauſæ efficientis, ſed ſufficit, ſi vel in genere cauſæ finalis, vel in genere cauſæ efficiẽtis omnes prædeſtinationis effectus cauſẽtur à Chriſti meritis. Ad maioris probationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: nam ex cauſalitate meritoria Chriſti in omnium electionem ad gloriam, & cauſalitate omnis electionis in omnes prædeſtinationis effectus, tantum ſequitur cauſalitas effectiua mediata meritorum Chriſti in omnium electionem ad gloriam, & ex cauſalitate huius electionis in omnes prædeſtinationis effectus, tantum ſequitur cauſalitas effectiua mediata meritorum Chriſti in omnes effectus prædeſtinationis, non autem immediata; ſicut ex eo quod Chriſtus efficiẽter moraliter cauſauerit gratiam, quæ fuit PP. principiũ merendi Incarnationem, & influxu efficienti meriti in Incarnationẽ, non ſequitur, quod Chriſtus ſuam Incarnationẽ moraliter efficienter cauſauerit immediatè, ſed tantum mediatè.

Medina Aluar.

63 *Opponitur primo.*

Opponitur primo: qui eſt cauſa efficiens moralis cauſæ infallibiliter inferẽtis effectum, eſt cauſa efficiens eiuſdem effectus, vt ex dictis conſtat; ſed ex electione efficaci ad gloriam infallibiliter inferuntur omnes prædeſtinationis effectus: ergo Chriſtus cauſans moraliter efficienter electionem ad gloriam, cauſat efficienter moraliter omnes prædeſtinationis effectus. Secundo: nã Chriſtus fuit perfectus omnium Redemptor; ſed ſi non cauſaſſet in genere cauſæ efficientis actus, quibus Antiqui PP. ſe ad iuſtificationem, tam remotè, quam proximé diſpoſuerunt, non fuiſſet perfectus illorum Redemptor: ergo efficienter prædictos actus cauſauit. Probatur minor: non redimit à culpa perfecte, qui non meretur omnia, quæ ad remiſſionem culpæ ſunt neceſſaria, & ad illam diſponunt; ſed Chriſtus non meruiſſet actus, quibus PP. Antiqui ſe ad remiſſionem peccati diſpoſuerunt: ergo non fuiſſet perfectus Antiquorum PP. Redemptor.

*Secundo*

64 *Reſpondetur ad primum*

Reſpondeo ad primum, conceſſa maiori, negando minorem: nam licet omnes prædeſtinationis effectus ab electione ad gloriam cauſentur, & vagè infallibiliter inferãtur ex illa, tamẽ hi præalijs determinatè, non ſic inferuntur, ſed adiuncta electione mediorum: vnde ex cauſalitate efficiẽti morali in electionem ad gloriam, nõ ſequitur cauſalitas efficiens moralis in omnes prædeſtinationis effectus. Ad ſecundum, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius proba-

*Ad ſecũdum.*

tionem

tionem nego maiorem; vt enim Christus perfectè omnes à culpa redemerit, sufficit, quod vt Redemptor causet omnia ad illius remissionem necessaria; quod autem Christus vt Redemptor per modum finis causauit, etsi non ita proprié redemptiuè causare dicatur, sicut quod causat in genere causæ efficiētis moralis, absolutè tamen proprie dicitur vt Redemptor causare, sicut Deus non solum dicitur causare, vt Auctor naturæ, vel gratiæ secundum quod causat in genere causæ efficientis, sed etiam secundum quod causat in genere causæ finalis: vnde vt Christus proprié absolute dicatur adæquatus, & perfectus Antiquorum PP. Redemptor, sufficit, quod actus disponentes ad remissionem culpæ, vt Redemptor causauerit in genere causæ finalis, licet, vt cum maiori proprietate dicatur eorundem PP. Redēptor; oportuerit quod gratiam iustificantem formaliter, & peccatum remittentem, causauerit in genere causæ efficientis moralis, & meritoriæ.

## §. V.

### *De gratia habituali, & virtutibus consequentibus ipsam.*

65 *Tertia cōclusio* TERTIA CONCLVSIO. *Non meruit Christus de facto gratiam habitualem, nec donа ipsam consequentia.* Ita communiter Theologi, Medina, Aluarez, Nazarius, Cabrera, Lorca, & cæteri Recentiores Thomistæ circa istum articulum, *Vincen.* Vincentius *de gratia Christi q. 5. art. 3. dub. 3. concl 2 pag. 508.* Tenēt etiam eandem conclusionem ferè omnes Theologi, tam ex Discipulis Scoti, quam ex PP. Societatis. Et ostendi solet primo: *Probari solet primo.* nam gratia habitualis subsequuta fuit ad gratiam vnionis in Christo per modum propriæ passionis; & consequenter fuit secundo cōproducta ex vi eiusdem actionis, qua primo, & per se fuit humanitas Verbo vnita; at Christus de facto non meruit vnionem humanitatis ad Verbum: ergo nec de facto meruit donum gratiæ habitualis. Hæc tamen ratio falso nititur principio: cum enim gratia vnionis non fuerit physicè radicaliter operatiua in humanitate Christi, non potuit ratione illius gratia habitualis subsequi per modum propriæ passionis. *Hæc ratio impugnatur.*

Secundo solet suaderi; nam dignius est, gratiā habitualem habere titulo filiationis naturalis, quā titulo meritorio; sed Christo debemus tribuere, quod maioris est dignitatis: ergo, gratiam habitualem sine merito habuit. Sed nec vrget hoc argumentum: nam licet dignior sit primus titulus secundo, seorsim sumpto, dignius tamē est, gratiam vtroque titulo habere, quam vno titulo tantum: ergo nisi aliàs probetur conuenientiam titulo filiationis naturalis cum titulo meritorio pugnare, non conuincitur, Christum non habuisse donum gratiæ ex proprijs meritis. Deinde: nam gloriā corporis vtroque titulo habuit: ergo titulus vterque respectu eiusdem doni non pugnant. 66 *Secundo ostēdi solet.* *Reijcitur etiā hæc ratio primo.* *Secundo*

Sed vrgent istius rationis Patroni: nam dignius est habere gratiam modo similiori Deo in habendo sanctitatem; sed Deo cōuenit sanctitas sine vllo merito ex intrinsecis naturæ: ergo dignius & decentius est Christo gratiam habitualem habere solo titulo filiationis naturalis, quam simul titulo meritorio. *Solet vrgeri.*

Adhuc tamen inefficaciter arguūt, aliàs suo argumento conuincerent, dignius fore Christo habere gloriam corporis sine merito, quam ex meritis, cuius contrarium traditur à D. Thom. *in præsenti art. 3. in corp.* Patet sequela: nā Deus suam beatitudinem completam sine omni merito habet: ergo si maior dignitas in similitudine ad Deū in modo essendi consistit, maior dignitas fuisset in Christo, complementum omne suæ essentialis beatitudinis sine omni merito, solo titulo filiationis naturalis habere. Deinde: nam licet modus habendi sine meritis sit dignior à toto genere entis, non tamen in natura creata, cui sanctitas nequit conuenire à se, nisi 67 *Adhuc non vrget.*

illam

illam ex meritis habeat; cum autem, vt docet D. Thomas, dignius sit, aliquid habere à se, quam accipere omnino ab extrinseco, si cætera paria sint, fit, vt nisi aliunde obstet dignius foret Christo habere habitum sanctitatis ex meritis, quam omnino sine illis.

68 *Probatur conclusio 1.*

Relictis igitur his, & alijs fundamẽtis, parum efficacitatis habentibus, suadenda est nostra conclusio primo ex Theologorum vnanimi consensione; nullus enim, quem viderim, docuit oppositum; licet namque referantur incõtra Altisiodorensis, Maior, & Albertus, falso tamen, nam loquuntur de beatitudine animæ, non de gratia habituali; sed non licet à communi Theologorum consensu, in re graui absque temeritatis nota recedere: ergo nec licet asserere, Christum habitualem gratiam meruisse. *Secundo*: hac ratione, Christus nõ meruit gratiam habitualem per actus procedentes ab ipsa, sed omnis actus meritorius ab habituali gratia processit: ergo habitualem gratiam non meruit. Maior constat: nam principium meriti, vel non potest de potentia absoluta esse præmium operum procedentium ab ipso, vel saltim de lege ordinaria. Minor autem probatur; oportuit enim, vt anima Christi actus meritorios eliceret connaturaliter; sed connaturaliter elici nequeunt sine gratia habituali: ergo omnis actus meritorius Christi à gratia habituali processit. Maior constat; tum, nã de Christi actibus, & perfectionibus loqui debemus conformiter ad illorum naturas, nisi oppositum sit reuelatum, vel aliquod inconueniens sequatur. Tũ etiam: nam operari non connaturaliter, est imperfectè operari; Christo autẽ debemus tribuere nedum perfectas operationes, sed etiam modum operandi perfectum.

69 *Minor probatur primo.*

Minor autem probatur primo ex D. Thom. *q. 29. de veritate art. 1. in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 1. ibidem ad Annibaldum.* Et *in hac 3. p. quæst. 7. art. 1.* Quibus locis docet Angelicus Doctor, fuisse necessariam gratiam habitualem in Christo, vt coniungeretur Deo, non solum secundum esse, quod fit per gratiã vnionis, sed etiam secundum operationem, quod à gratia habituali præstatur: ergo sentit necessariam fuisse gratiam habitualem ad operandum in ordine supernaturali, cumque hæc necessitas essẽtialis non fuerit, vt frequentius docetur à Theologis, sequitur manifestè, esse necessitatem ad connaturalem modum operandi, & eliciendi supernaturales actus: ac per consequens actus meritorios sine gratia habituali non posse connaturaliter elici. *Secundo* ex eodẽ D. Thom. *loco allegato de veritate art. 5. ad 4.* ibi: *Dicendum, quod quamuis meritum Christi quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate personæ, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest:* ergo sentit D. Thomas, non posse actiones meritorias, saltim connaturaliter, elici sine gratia habituali.

Secundo

Denique probatur minor: vt actus supernaturalis, & meritorius eliciatur connaturaliter, petit egredi à principio constituto in actu per formam permanentem intrinsecã; sed constitutio hæc potentiarum Christi nequit fieri connaturaliter absque gratia habituali: ergo connaturalis elicientia meriti saluari in Christo non potest sine gratia habituali. Maior est D. Thomæ *1. 2. quæst. 110. art. 2.* & ostenditur: tum, quia actus nõ procedit connaturaliter à principio, nisi ab ipso suauiter, facile, & delectabiliter eliciatur; hæc autem suauis, facilis, & delectabilis elicientia, non nisi à forma permanente præstatur. Tum etiam, nam agens naturale nequit ad suum finem perfectè moueri, nisi præter actualem motionem, aut qualitatẽ ab intrinseco fluidam, per formam permanentẽ in suum actum inclinetur; quo circa naturæ Auctor agentibus naturalibus præter actualem motionem, formas permanentes dedit: ergo pariter agens supernaturale, vt perfectè supernaturaliter operetur, præter qualitates fluidas, debet ratione formæ permanentis ad suos actus inclinari.

70 *Tertio.*

Minor autem argumenti probatur primo: nam virtutes supernaturales, per quas vt virtutes proximas constituũtur potentiæ in actu proximo ad actus supernaturales eliciendos, non existunt cõnaturaliter sine gratia habituali, quæ in ordine supernaturali obtinet ratio-

71 *Minor huius argumenti probatur 1.*

nem

nem naturæ. Tum, quia vt docet Diuus Thomas 1.2. *quæst.* 110. *art.* 3. virtus est dispositio perfecti, idest dispositi secundū naturam, & consequenter virtus supernaturalis est dispositio subiecti cōstituti per naturam supernaturalis ordinis. Tum etiam: nam facultas proxima cuiuslibet ordinis non existit connaturaliter absque radicali sui ordinis principio: ergo constitutio in actu primo permanenti ad opera supernaturalis ordinis, non fit connaturaliter absque gratia habituali.

72 *Secūdo.*

Secundo probatur: nam ad actus supernaturales eliciendos connaturaliter, requiritur, quod tam potentiæ, quam anima, quæ est illorum radicale principium, ratione formæ permanentis act⁹ supernaturales contineat; at constitutio animæ in actu primo permanenti radicali non præstatur à virtutibus, sed à gratia habituali: ergo constitutio in actu primo permanenti ad actiones meritorias, & supernaturales nequit fieri sine gratia; videantur, quæ diximus *supra q. 7. art. 1. disp. 23.* Et ex his secunda pars conclusionis probata relinquitur: nam virtutes, & dona consequentia gratiam habitualem, comparantur ad illam, vt passiones ad essentiam, vt docet D. Tho. 1.2. *q.* 110. *art.* 4. *ad primum*; ac proinde fiunt ex vi eiusdem actionis primo terminatæ ad gratiam, & secundo ad virtutes, qualiter proprietates simul cum essentia, cuius sunt proprietates, produci, est frequens Philosophorum sententia: ergo si gratia non fuit effectus meritorum in Christo, nec virtutes consequentes gratiam, fuerunt meritorum Christi præmia.

*Secūda pars conclusionis probatur ex his.*

73 *Primū argumētum pro cōtraria sentētia.*

Sed contra istam conclusionem argumentari possumus primo ex illis verbis Psalm 44. *Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatē: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quæ verba de Christo intelligi, est cōmunis PP. & Expositorum consensus, & nomine *oleo lætitiæ* gratia, qua Christus fuit vnctus accipitur; at hæc data dicitur Christo, propterea quod dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem: ergo fuit præmium meritorum ipsius.

*Respōdetur.*

Respondeo, siue vnctionis nomine, gratia vnionis accipiatur, siue gratia habitualis, non colligi ex verbis relatis fuisse præmium meritorū Christi: nā iuxta D. Thom. ly *propterea* dupliciter sumi potest, nēpē, vt importet causā efficiētem meritoriam, vel vt dicat causam finalem. Si primo modo sumatur, non refertur ad vnctionem in re, sed ad eius manifestationem; licet autem Christus nō meruerit suam vnionem hypostaticam, nec suam gratiam habitualem, meruit tamē illarum manifestationem; & quia in Scriptura aliquid dicitur fieri, quādo innotescit, iuxta illud: *Ego hodie genui te*, idest, manifestaui generationē æternam, ideò dicitur Christus dictam vnctionem meruisse. Sumptum verò, vt denotat causam finalem, ad vnctionem gratiæ refertur; nō tamen infertur, fuisse effectum meritorum Christi, sed ad hoc vnctum fuisse oleo lætitiæ præ consortibus illius, vt faceret iustitiam, & iniquitatem odio haberet, siue sit finis, *cuius gratia*, siue tantū finis *effectus*, quod iudico verius.

74 *Secūdū arg. imētum.*

Secundo arguitur: nam iuxta Diuū Thomam *infra q.* 34. *art.* 3. *in corpore* Christus in primo suæ conceptionis instanti sanctificatus fuit secundum proprium actum, & propriam dispositionem, qui est modus sanctificationis adultorum, perfectiorque modo sanctificationis paruulorum: ergo iuxta D. Tho. motus liber charitatis præcessit gratiā habitualem. Patet consequentia: nam actus disponens ad formam, saltim prioritate naturæ, formam præcedit. Tum sic; sed prædicto actui nihil defecit, vt de facto mereretur gratiam habitualē: ergo de facto illam meruit. Patet minor: etenim ille actus supernaturalis erat, à Christo viatore procedens, & à subiecto pro illo priori grato gratitudine personali: ergo habebat omnes conditiones ad meritum necessarias; & consequenter de facto habitualem gratiā pro meruit.

## §. VI.

### *Refertur, & refellitur prima huius argumenti solutio.*

75 *Prima solutio.*

HOc argumento Recens quidam Theologus conuictus asseruit, D. Thomam in opposita fuisse sententia; hoc tamen iudicium ex male animato pectore in Angelicum Doctorem manauit; cum doctrina D. Thomæ in argumento relata facilem habeat compositionem cum eo, quod in præsenti articulo docuit. Ad argumentum tactum dupliciter responderi solet. Primo explicando D. Thomam de dispositione tantum concomitanti; dispositio autem cõcomitans, & exornans non præcedit etiã ordine naturæ formam, cuius est dispositio, vt constat in gratia habituali, quæ fuit dispositio consequens, & concomitans gratiam vnionis; quam tamen non præcessisse etiam ordine naturæ, docet D. Thomas *supra q. 2. art. 10.* ac per cõsequens, ex eo quod motus charitatis in Christo fuerit dispositio comitans gratiam eius habitualem, non sequitur fuisse illa priorem natura: ac proinde nec quod habitualem gratiam meruerit. Hunc modum dicendi sequuntur Vincentius *de gratia Christi q. 4. pag. 240.* Nazarius *in præsenti art. 3. contro. vnica 8. p. cont.* & Illustrissimus Arauio *dub. 4. concl. 1. ad 3.*

*Vincẽt.* *Nazar.* *Araujo.*

76 *Si obijcias primo.*

Si obijcias aduersus istam solutionẽ primo: iustificatio adultorum est per proprium actum disponentem antecedenter, quod verum est, non solum de adulto peccatore, sed etiam de non existente in peccato: vnde Angeli, & Adamus per propriam dispositionem antecedentem fuerunt iustificati, vt docet D. Thomas *1. p. q. 62. art. 6. & q. 95. art. 1. ad 5.* sed docet D. Thomas, Christũ iustificatum fuisse iustificatione adultorum: ergo sentit, fuisse per proprium actum ad suam iustificationem antecedẽter dispositum. Secundo: nam ideo, ait D. Thomas, fuisse iustificatum per proprium actum, quia iste est modus iustificationis perfectior; sed iustificari per actum disponentem antecedenter, est perfectior modus iustificationis, quã per actum consequentem; cum primo modo sit aliqua ratione causa suæ iustificationis; secus autem secundo modo: ergo sentit D. Thomas Christum fuisse iustificatum per proprium actum concurrentem antecedenter.

*Secũdo.*

Tertio: nam excessum perfectionis in iustificatione per proprium actum, quam Christo concedit, probat D. Th. ex eo quod actus est perfectior habitu, & quod est per se, eo quod est per aliud: ergo sentit, Christum suis actibus se aliquomodo iustificasse, cumque non formaliter, se iustificauit saltim dispositiuẽ; sed hoc modo se iustificare, est dispositiuè formam iustificantem causare: ergo fuit suis actibus causa dispositiua gratiæ iustificantis; ac proinde se disposuit dispositione antecedenti. Patet hæc consequentia: nam dispositio solummodo consequens non est causa formæ, cuius est dispositio. Quarto: nã D. Thom. exinde probat, fuisse Adamum iustificatum per proprium actũ, quod frequentius à Thomistis intelligitur, vt per dispositionem antecedẽtem, quia per gratiam perficitur matrimoniũ spirituale inter hominem, & Deum: ac proinde exposcitur ex parte recipiẽtis, consensus; sed hæc ratio pari efficacia militat in anima Christi: ergo se disposuit antecedenter ad gratiam.

77 *Tertio.*

*Quarto.*

Quinto: quia, vt frequentius docẽt Discipuli D. Thomæ *1. 2. q. 112. art. 2.* gratia ex natura rei petit in adultis præuias dispositiones, quod satis indicat D. Thomas, dum probat, requiri in nobis præparationem ad gratiam, quia nulla forma potest esse, nisi in subiecto disposito, quod, vt ibi interpretatur Caietanus, intelligendum est de forma, quæ obtinet rationem naturæ; sed oportuit vt gratia habitualis connaturaliter reciperetur in anima Christi Domini: ergo mediante præuia dispositione. Denique: nam, vt docet D. Thomas *1. p. q. 12. art. 5.* omne, quod eleuatur ad aliquid,

78 *Quinto.*

*Vltimo.*

quid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam, quod, vt ibi explicat Caietanus, intelligendū est, quando eleuatio fit ad aliquid, quod habet rationē termini, & formæ, ex quo D. Thom. infert, prærequiri lumen gloriæ per modum dispositionis ad videndum Dei essentiam, quia hæc vnitur cū intellectu beati tanquam forma intelligibilis; sed gratia habitualis excedit naturam animæ Christi; & alias obtinet rationem formæ, & naturæ in ordine supernaturali: ergo oportuit, vt anima Christi Domini præpararetur ad illam per dispositiones præuias.

79 *Respōdetur ad 1. obiectionem.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo, & explicando minorem: iustificatione adultorum quoad omnia nego minorem: quoad aliquid, nempé, interuentum proprij actus, concedo minorem, & nego consequentiam; ratio autem distinctionis est: nam in iustificatione adultorū, præter Christū, duo reperiuntur, nempé, actus, & præcedentia illius. Primum perfectio est absque aliqua imperfectione, & ideò Christo conceditur. Secundum autem imperfectionem aliquam importat, nempé, quod actus antecedenter disponens incōnaturaliter eliciatur, scilicet, per auxilium fluidum, aut per gratiam sub ratione auxiliantis, & prout in fieri; & idcirco relegatur à Christo. *Ad secūdam.* Ad secundam, concessa maiori, nego minorem: nam licet ex illo capite, quo se disponēs antecedēter causat iustificationem sui, excedat iustificationem per actum disponentem tantum cōsequenter, ex alio tamen excedītur, quia, nempé, dispositio antecedens incōnaturali modo causatur; dispositio autem cōsequens causatur modo connaturali, & iste excessus debuit in Christo saluari, ex eo quod actibus supernaturalibus modus iste cōnaturalis est. *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, loqui D. Thom. de iustificatione, quatenus completa per actum, sic autem conuenit Christo perfectē, etsi non ratione habitus, cuius causa etiam dispositiua non extitit; benè tamen ratione actus, cuius fuit causa effectiua. Ex quo non sequitur causasse dispositiuē gratiam iustificantem formaliter: ac proinde nec infertur, actum dilectionis Christi fuisse dispositionem antecedentem ad gratiam.

Ad quartam, concessa maiori, nego minorem: nam ratio illa tenet in puris creaturis, in quibus ante gratiam nō supponitur matrimonium perfectum; & ideò, vt per illam perficiatur, antecedenter exigitur consensus ex parte illarum; secus in humanitate Christi, in qua ante habitū gratiæ matrimonium præsupponitur ratione vnionis ad Verbū, & substantialis sanctitatis, ad quam gratia habitualis admodum proprietatis consequitur; & idcirco vt animæ Christi infundatur, consensus antecedenter concurrens necessarius nō est. *Si dicas.* Si dicas, sequi ex ista solutione, ad sanctitatē substantialem animæ Christi prærequiri actualem dispositionem præuiam, cum ratione illius matrimonium primo, & per se perficiatur inter humanitatem, & Verbum. *Respōdetur.* Respondeo, negando sequelam: nam cum illa gratia subsistā talis sit, & pertinens ad esse personale, non petit præuiam dispositionem, nec cōsensum antecedentem: nam ad esse personale nulla dispositio supponitur; ratio autē D. Thom. procedit de matrimonio perfecto per formam accidentalem.

Ad quintam respondeo primo, concessa maiori, negando minorem; cum enim vt gratia habitualis omninò cōnaturaliter reciperetur in Christo, necessarium esset, vt actus præuiē ad illam disponentes non connaturaliter ab anima Christi procederent, vt hæc inconnaturalitas in modo operandi vitaretur in anima Christi Domini, admissa fuit incōnaturalitas receptionis in gratia, quia cum operari dignius sit, quam recipi, vel recipere, oportuit, vt magis attenderetur ad connaturalitem in modo operandi, quam ad connaturalitatem modi receptionis gratiæ. *Si dicas.* Si dicas, esse ad operari supponitur: ergo ad operandū connaturaliter, supponitur esse connaturale in forma; ac per cōsequens si gratia non fuit in anima Christi recepta cōnaturaliter, non potuit connaturali modo operari. *Respōdetur.* Respondeo, gratiam, etsi in suo fieri connaturali, & connaturali recipi, dependeat ex præuijs dispositionibus, non tamen ab illis dependet in

ſuo eſſe; ac proinde vt operetur connaturaliter, non petitur, vt connaturaliter recipiatur.

82 *Reſpõd. 2. ad 5. probationem.* Secundo reſpondeo, diſtinguendo maiorem: gratia petit ex natura rei præuias phyſicas diſpoſitiones, cum datur, & infunditur à Deo vt natura, & ad modum naturæ, concedo maiorem: quando infunditur ad modum proprietatis aliam ſupponentis naturam, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiã: quia gratia habitualis in Chriſto, etſi natura ſit in ordine ſupernaturali, vtpote radicãs facultates ordinis gratiæ, & in hoc ordine radicaliter operatiua; quo circa ſanctificauit animã Chriſti ſanctitate accidẽtali; non tamen fuit illi infuſa per modum naturæ, ſed per modum proprietatis aliam ſupponentis naturam, nempé, diuinam ſubſtantialiter vnitam; quo circa illius infuſio generatio ſpiritualis non fuit, nec filiationem fundauit; & ideò in anima Chriſti non petit, vt connaturaliter recipiatur præuias diſpoſitiones actuales; nec mirum debet cenſeri, quod eadem forma reſpectu diuerſorum ſubiectorũ, diuerſas habeat connaturales exigentias; cũ in ſententia, quam in maiori ſupponimus, in addultis petat proprium actum phyſicé diſponentem, præparantemq; ſubiectum, quem tamẽ non petit in paruulis, Eccleſiæ namque voluntas, phyſica diſpoſitio in paruulis eſſe nequit; cũ in illis phyſicé non recipiatur: quæ ſolutio ex dicendis ad vltimam obiectionem magis conſtabit.

83 *Ad vltimam.* Ad vltimam, diſtinguo maiorem: ſi in ordine ſuperiori conſtitutum nõ ſupponatur, concedo maiorem: ſi ſupponatur conſtitutum in ordine ſuperiori, nego maiorem: & conceſſa minori, neno conſequentiam: nam anima Chriſti Domini ſupponitur conſtituta in ordine ſuperiori, nempé, in ordine hypoſtatico, cui gratia habitualis eſt connaturaliter debita; & ideò vt eleuetur ad ordinem gratiæ habitualis, præuiam diſpoſitionem actualem non requirit, ſed ſufficienter per illam, quæ pertinet ad ordinem hypoſtaticum diſpoſita eſt, vt habitualem gratiam recipiat.

84 *Dices.* Sed dices, anima Chriſti, etiam vt coniuncta Verbo, nõ eſt in potentia cõnaturali ad gratiam habitualem, ſed tantum in potentia obedientiali; ſed quia purus homo ſolum habet potentiam obedientialem ad gratiam, præparari debet per diſpoſitiones præuias actuales, vt connaturaliter recipiatur in illo: ergo idem eſt de anima Chriſti, etſi Verbo vnita, dicendum. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: eſt in potentia obedientiali nuda, nego maiorem: in potentia obedientiali eleuata ad ordinem ſuperiorem ordini gratiæ, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: quia homo purus ratione ſui eſt in potentia obediẽtiali nuda; & ideò vt gratiam in ſe recipiat ipſum eleuãtem ad ordinem ſupernaturalem diuinum, petitur, vt diſponatur per præuias diſpoſitiones actuales; anima verò Chriſti non ita: nam licet gratiam recipiat ratione potentiæ obedientialis, hæc tamen potentia nuda in anima Chriſti non eſt, ſed euecta ad ordinem hypoſtaticum, ratione cuius ad habitualem gratiam eminenter eſt diſpoſita. *Reſpõd. tur.*

85 *Inſtabis.* Sed inſtabis, nihil ex his, quæ ad ordinem hypoſtaticum ſpectant, diſponit phyſicé animã Chriſti, nec formaliter, nec eminenter ad gratiam habitualem: ergo in ordine ad illam æquè phyſicé indiſpoſita ſupponitur; ac ſi Verbo cõiuncta non eſſet; & conſequenter, ſi vt homo recipiat connaturaliter gratiam, petit phyſicas præuias diſpoſitiones, etiã requiritur in anima Chriſti Dñi quamtumuis coniuncta Verbo, & euecta ad ordinem hypoſtaticum. Prima conſequentia ex antecedenti euidenter colligitur: nam phyſica indiſpoſitio ſolum poteſt tolli per phyſicam diſpoſitionẽ, quæ talis ſit eminenter, aut formaliter. Secunda ex prima non minus euidenter colligitur: nam diſpoſitio phyſica non poteſt ſuppleri per id, quod tantum moraliter, & nullatenus phyſicé aliquam naturam diſponit.

86 *Antecedens oſtẽditur 1.* Antecedens autem oſtenditur primo: nam illa, quæ expectant ad ordinẽ hypoſtaticum, ſolum moraliter animã Chriſti ſanctificant, vt docuimus *ſupra Q. 7. art. 1. Diſp. 21.* ergo ſolum moraliter potuerunt eminenter diſponere ad gratiam habitualem. *Secũdò.* Secundo: nam de-

bitum

bitum gratiæ habitualis fundatum in vnione hypostatica nō est physicum, sed morale; vt ibidem insinuauimus; cum solum radicationē moralem donorum gratiæ admiserim in humanitate Christi ratione sanctificationis substantialis; sed si per ea, quæ pertinent ad ordinem hypostaticū, esset physicé anima Christi disposita ad gratiam habitualem, esset non solum moraliter, sed etiam physicé debita; cum dispositioni physicæ, physicé sit debita forma: ergo verum est antecedens. Denique: nam diuinitas, quæ animam Christi sanctificat, & similiter personalitas Verbi nō possunt physicé humanitatem ad habitualem gratiam disponere, cum physicé non informent, ex defectu cuius nequeunt habitualem gratiam physicé radicare; vnio autem, seu nexus humanitatis ad Verbum, tametsi physicé informet; forma physicé receptiua non est, sicut nec forma radicaliter actiua: ergo nihil ex his, quæ ad ordinem hypostaticum spectāt, potest physicé humanitatem disponere ad habitualem gratiam recipiendam, nec formali, nec eminenti dispositione.

*Tertio.*

87 *Respōdetur ad 1. probationem.*

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; disparitas autem est: nam sanctificare animam, est illam constituere viuentem radicaliter in ordine supernaturali; & quia diuinitas, quæ sola, in mea sententia, est forma substantialiter animam Christi sanctificans, non potest illam viuentem physicé constituere, sed tantum radicaliter moraliter, defectu physicæ informationis; hinc fit, vt nihil ad ordinem hypostaticum spectans, possit physicé sanctificare humanitatem Christi; disponere autem eminenter ad gratiam habitualem potest vnioni competere; & quia hæc physicé informat, potest physicé eminenter disponere. Ad secundam, distinguo maiorem: debitum ortum à diuinitate, vt forma, concedo maiorē: debitum omne ortum ex his, quæ spectant ad ordinem hypostaticū, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam præter debitum ortum à diuinitate vt forma, est aliud debitum ab vnione hypostatica, quod physicum esse potest; cum physicé informet humanitatem Christi.

*Ad secūdam.*

88 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego antecedens: nam vnio, seu nexus humanitatis ad Verbum potest physicé disponere, & aptare ad gratiam habitualem, & illam physicé exigere, & physicé debitam reddere; non enim apparet ratio, cur hæc munia illi negētur; cum enim physicé nectat, & appproximet humanitatē ad Deum, qui est fons, & primum principium gratiæ, physicam exigentiam inducit gratiæ habitualis infundendæ, & physicum eius debitum; & consequenter physicé eminenter ad habitualem gratiam disponit. Et forsitan ob hanc causam D. Thomas *supra q. 2. art. 1.* docuit, gratiam habitualem esse Christo homini naturalem, ideſt, debitam ex vi proprietatis Natiuitatis ipsius, qua ex Spiritu Sancto est conceptus, vt esset idem naturalis Filius Dei, & hominis; non enim sufficit solum debitum conducentiæ moralis, vt dicatur naturalis Christo vt homini gratia ac per consequens si naturalis dicitur, vt affirmat D. Thomas, debetur physicé Christo. Et eriam ob istam causam *supra quæst. 7. art. 13. ad 2.* docet, gratiam habitualem non intelligi præcedere vnionem, sed vt illā consequentem, sicut quædam naturalis proprietas, quod probat ex Augustino *in Enchiridione cap. 40.* asserente, quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis, vt enim dicatur aliquo modo naturalis proprietas humanitatis diuino Verbo coniunctæ, non sufficit esse debitam solum conducentia morali ex ratione coniunctionis ad Verbum, sed physicum aliquod debitum ad id necessarium est.

89 *Explicatur duplex debitum.*

Duplex autem debitum est, ratione cuius id, quod debetur, dicitur naturalis proprietas, nimirum debitum physicæ dimanationis, & hæc constituit naturalem proprietatem absolutè; qualiter passiones ab essentia dimanant, & debitum receptionis, seu physicæ inhæsionis, quod est debitum passionum, qualiter species debentur naturis Angelicis, & motus circularis cœlo, quin ab illis actiué dimanent, & secundum hoc debitum, dicitur id, quod debetur, quasi naturalis proprietas, quia non pertingit ad rigorem absolutum naturalis

proprietatis: cum ergo D. Thomas doceat, gratiam habitualem consequi ad gratiam vnionis, sicut quædam naturalis proprietas; & alias non sit debita debito dimanationis actiuæ, vt frequentius tenent Theologi locis *proximè allegatis*, & efficaciter probat Vincentius *de Gratia Christi quæst. 2. artic. 2. pag. 163. conclus. 2. & 3.* fuit debita debito receptionis, vt probat idem Vincentius *loco allegato conclus. 1. & 4.*

*Vincēt.*

90 *Vrgebis*

Sed vrgebis: vnio etsi physicé informet, non radicat gratiam habitualem actiué dimanatiué, quia non est formalis participatio naturæ, cuius munus est actiué radicare passiones; sed nec etiam participat naturam, vt susceptiuam facultatum proximarum agendi; & ideò nec esse potest principium QVO receptivum prædictarum facultatum: ergo non exigit gratiam physica exigentia passiua.

*Respōdetur.*

Respondeo, concessis maiori, & minori, distinguendo cōsequens: non exigit gratiam physica exigentia passiua per modum principij QVO receptiui, concedo consequentiam: per modum dispositionis eminenter physicé disponentis ad gratiam habitualem, nego cōsequentiam: cum enim munus propriū dispositionis sit aptare subiectum, ipsum approximando ad formam in se recipiendam, & vnio hypostatica connectens humanitatem cum Verbo, ipsam approximet gratiæ recipiendæ à Verbo; fit, vt quamuis non inducat debitum physicum gratiæ per modum subiecti QVO receptiui, inducat tamen debitum physicum eius per modum dispositionis, non formaliter disponentis, quia ad gratiam non ordinatur, quod petitur ad rationem dispositionis formalis, benè tamen eminenter.

91 *Instabis*

Sed instabis: diuina Christi natura, cui vnitur natura humana, adhuc præsuppositavnione, non naturaliter, sed liberé habitualem gratiam infundit humanitati: ergo vnio humanitatem approximans diuinæ Christi naturæ, non inducit debitum physicum connaturale infusionis gratiæ in Christo.

*Respōdetur.*

Respondeo, distinguendo antecedens: liberé infundit per exclusionem necessitatis, concedo antecedens: per exclusionem exigentiæ connaturalis in humanitate Christi ratione coniunctionis ad Verbum, nego antecedens, & consequentiam: sicut suppositā creatione naturæ Angelicæ, liber manet Deus à necessitate infundendi species, non tamen per exclusionem connaturalis exigentiæ ex parte naturæ Angelicæ; & suppositā creatione cœli, liber manet Deus à necessitate producendi motum circularem in illo, non tamen per exclusionem exigentiæ naturalis cœli ad eum motum recipiendum.

92 *Secundo responderi potest vltimæ obiectioni.*

Vel secundo responderi potest huic vltimæ instantiæ ex doctrina Caietani *supra quæstione 2. in Commentario art. 12. ad finem*, distinguendo antecedens: manet liber Deus formaliter, & virtualiter, & conditionaliter necessitatus, cōcedo antecedens: formaliter liber sine necessitate virtuali, & conditionali, nego antecedens, & consequentiam. Pro quo aduertit Caietanus primo, formam aliquam esse connaturalem, dicere duo, nempé, causari à natura, & naturali modo causari, non liberé. Notat secundo: diuinam naturam nihil posse ad extra causare modo naturali, & non liberé formaliter, quia omnis Dei operatio ad extra est formaliter libera, cum quo tamen stat, quod natura diuina humanitati coniuncta in vna Verbi persona, naturaliter virtualiter, seu conditionaliter gratiam habitualem infundat humanitati, quæ virtualis, & conditionalis naturalitas consistit in eo quod si naturæ diuinæ competeret vterque modus causandi ad extra, nempé liberé, & naturaliter, gratiam habitualem, quam cæteris hominibus liberé infunderet, naturali modo in humanitatem Christi sibi hypostaticé vnitæ deriuaret, & hæc naturalitas virtualis, & conditionalis effluxus gratiæ habitualis ex diuina in humana natura orta ex vnione humanitatis ad Verbum, sufficit vt ratione illius dicatur eminenter physicé ad habitualem gratiam dispositā, & vt non petat præuias actuales, & liberas dispositiones, vt habitualem gratiam recipiat; subiectum namque, quod sic dispositum est ratione alicuius formæ ad alteram recipiendam, quod si agenti non repug-

naret,

naret, necessario illam causare, naturaliter in illam influeret, vlteriori libera dispositione ad illius receptionem non indiget. Quæ solutio conformior est doctrinæ à Nobis traditæ *Tomo Secundo Disp.* 30.

## §. VII.

### *Refertur, & defenditur secundus modus dicendi, & alijs argumentis occurritur.*

93 *Secūdus modus dicendi.*

SECVNDVS modus dicendi, ad principale argumentum, concedit humanitatem Christi fuisse, non concomitanter, sed præuiè, & antecedenter ad habitualem gratiam dispositam, & nihilominus negat, Christum per talem dispositionem illam de condigno meruisse; vel quia Deus non promisit habitualem gratiam, vt præmium, vel quia Christus suos actus ad illam, vt ad præmium non ordinauit. Ita Magister Medina *supra, quæstione sexta articulo 13. dubio secundo, infra quæstione 34. articulo primo, dubio tertio.* Sed contra istum modum vrget Magister Vincentius argumento satis difficili; actui namque libero supernaturali elicito in statu viæ, præuenienti gratiam, & procedenti à persona sancta, & grata, conuenit omnis condignitas, & conueniūt cæteræ conditiones, vt sit, saltim quoad sufficientiam meritorius gratiæ; talis est actus elicitus ab humanitate Christi, supposito quod præuiè disponat ad gratiam habitualem: ergo hoc supposito, fuit meritorius illius quoad sufficientiam; at cōcessa vi meritoria quoad sufficientiam, sine vllo prorsus fundamento, pactū, siué promissio ex parte Dei, & ex parte Christi ordinatio, vel directio ad habitualem gratiam vt præmiū negantur; cum illam sic promereri ad dignitatem Christi pertineat, & aliàs ad sint omnes cōditiones: ergo dato, Christum Dominum se disposuisse præuiè ad habitualem gratiam, asserendum est, illam de facto meruisse.

*Medin.*

*Vincentio non placet iste modꝰ*

Huic argumento respondet Medina *infra q. 34. art. 1 dub. 3.* ideo prædictum actum non meruisse gratiam habitualem, quia vt meritorius sit, gratiā necessariò supponit, & ideò illam non meretur, sicut per propriam dispositionem non meremur gratiam, à qua dispositio procedit, sed gloriam. Hoc tamen effugium præoccupatum manet ex dictis; ideò namque dispositio vltima ad gratiam, illam non meretur in nobis, sed gloriam, quia pro priori disponendi ad gratiam, non procedit à subiecto iusto, & grato; sed actus præuiè disponens ad habitum gratiæ in Christo pro priori, quo intelligitur habitū gratiæ antecedere, intelligitur procedens à subiecto grato Deo gratitudine substantiali: ergo pro illo priori nihil tali actui deficit, vt sit meritorius gratiæ.

94 *Respondet Medina.*

*Hoc effugium præoccupatū manet.*

Aliorum solutio est: actus præuiè disponentes procedere ab ipsa gratia per modum formæ auxiliantis; & quia principium meriti nequit sub merito cadere, ideo caret sufficientia meritoria respectu habitualis gratiæ. Sed non satisfacit ista solutio; tum, quia est probabilis, pluriumq; Thomistarum sententia, actus præuiè disponētes ad gratiam, nō ab illa, sed ab auxilio facile transeunte procedere: ergo Christum non meruisse de facto habitum gratiæ, quod docet omnium Theologorum consensus, oppositæ alligandum non est. Tum etiam, quia actus præuiè disponens ad gratiā habitualē, esto procedat ab illa per modum formæ auxiliantis, nō procedit ab illa, vt forma iustificante: ergo, quamuis nequeat esse meritū gratiæ sub primo conceptu, & munere, potest illam sub secundo conceptu mereri, si procedat à subiecto grato pro illo priori.

95 *Aliorū solutio.*

*Ista solutio nō satisfacit.*

Patet consequentia primo: nam in sententia probabili, gratiam vt iustificantem meretur purus homo de congruo per actus procedentes ab illa per modum formæ auxiliantis, & in frequentiori sententia, saltim impetratoriè ad gratiam iustificantem per tales

*Patet cōsequētia primo.*

actus concurrit: ergo si gratitudo subiecti operantis supponatur, actus præuiè disponentes ad gratiam, vt iustificantem, erunt merita gratiæ condigna, quamuis ab illa vt auxiliante præcedãt.

*Secũdò.* Secundo: nam actus intensiores habitu, & illius augmentum merentes, ab eodem habitu vt intẽsiorì per modum auxiliantis procedere, tenet sententia probabilis adhuc inter nostros Thomistas; sed hoc non alia ratione, nisi quia pro priori ad augmentum habitus, vt est forma iustificans, procedunt prædicti actus ab homine grato Deo: ergo actus præuiè disponnentes ad gratiam habitualem, si pro priori causalitatis dispositiuæ à subiecto grato procedunt, tametsi ab eadem gratia sub conceptu auxiliantis procedant, esse poterunt condigna merita illius, vt formæ iustificantis.

*96 Tertia solutio.* Denique responderi potest; Christum, ideo non meruisse propriam gratiam habitualem, etsi præuiè per proprios actus fuerit ad illam dispositus, quia tales actus solum natura præcesserunt gratiam habitualem, meritum autem debet tẽpore præcedere præmium, vt insinuat D. Thom. *infra art. 3.* Hæc tamen solutio omnino insufficiens est: nam ad rationem præmij non petitur, quod tempore præmium præcedat; tũ, quia id nõ est de ratione impetrationis; cum actus vltimo disponentes ad gratiam, impetratorié cõcurrant ad illam, & tamen simul tempore coexistunt. Tùm etiam, quia id non petitur ad rationem meriti congrui; plures namque docent, dispositiones vltimas gratiam de congruo mereri, quam tamen tempore non præcedunt. Tùm etiam: nam augmentum gratiæ respondens actibus habitu intensioribus, vt præmium, simul tempore existit cum illis: ergo ob defectum præcedentiæ temporalis ad gratiam, non redduntur actus Christi insufficientes, vt sint merita condigna illius, D. autem Thomas loquitur de præmio beatitudinis, in quo est ratio specialis, vt §. *sequenti* videbimus.

*Hæc solutio omnino insufficiẽs est.*

*97 Vera solutio ad obiectionem Vincentij.* Quare prætermissis his solutionibus, ad obiectionem Vincentij respondeo, concessa prima consequentia, negando minorem: fundamentum est auctoritas Theologorum vno ore profitentium, Christum habitualem gratiam ex meritis non habuisse; cumque operibus Christi Domini disponentibus ad gratiam nihil desit sufficientiæ meritoriæ respectu habitus gratiæ, asserendum est, defectum efficaciæ merendi ex defectu pacti, vel directionis Christi ad habitualem gratiam vt præmium manasse; nec mirum debet censeri; cum non ad omne, ad quod sufficientiam meritoriam habebant operationes Christi, illas vt ad præmium direxerit, erant enim sufficientes ad Incarnationem Patris merendam, quam tamen de facto non meruit, vel quia Deus de tali præmio non pepigit, vel quia Christus ad illam tanquam ad præmium non direxit suas operationes; & sicuti hoc asseritur ob Ecclesiæ auctoritatem, ex qua habemus, solum Verbum Incarnasse: ita ad asserendum non fuisse pactum de gratia habituali in præmium operationum Christi, & Christum suas operationes ad illam pro merendam non applicuisse, sufficit Theologorum auctoritas negantium, de facto Christum habitualem gratiam meruisse.

*obiectionem Vincenty.*

*98* Quia tamen Christo omnis dignitas est concedenda, nisi oppositum sit reuelatum, vel inconnaturalitas aliqua in ordine naturæ, aut in ordine gratiæ intercedat, & reuelatum non sit, non meruisse gratiam habitualem, aliquid addendum est, in quo Theologorum id asserẽtium consensus possit fundari. Fundamentum autem est: nam Christus non direxit suas operationes ad aliquid promerendum, prætermisso modo ipsis connaturali; modus autem connaturalis merendi operationum Christi est per formationem, & dignificationem ab habituali gratia immediatè, & hac formatione supposita, per dignificationem infinitam ex gratia substantiali vnionis: cuius ratio est, quia formalis valoratio meriti est à principio influente, vel vt QVO, vel vt QVOD; Christi autem operationes petunt gratiam pro principio QVO ipsis connaturali; & consequenter illam petunt pro connaturali forma immediatè valorante: quia ergo pro priori præcedentiæ ad

gra-

gratiam habitualem in genere causæ dispositiuæ, non intelliguntur formaliter per habitualem gratiam; fit, vt licet possint habitualem gratiam mereri ratione sanctitatis personalis illas infinitè significantis; non tamen possint modo ipsis debito, & connaturali, & ideò Christus illas ad gratiam habitualem, vt ad præmium non direxit. Quod si hæc fuit mens Mag. Medinæ, illius solutionem amplectimur.

99 *Obijcies contra istam solutionē.*

Cæterum contra illam obijcies, eo ipso, quod asseratur, Christum se dispositione præuia ad gratiam habitualem, admittitur inconaturalitas in modo elicientiæ actuum supernaturalium: ergo etiam potest, & debet admitti in modo merendi illorum; & consequenter dicendum, non obstante hac inconnaturalitate gratiam de facto meruisse. Patet consequentia primo à paritate rationis. Secundo: nam inde probauimus, non meruisse habitualem gratiam de facto, quia oportuit, vt eliceret actus supernaturales modo illis connaturali, qualiter ab habitu gratiæ procedunt; & consequenter illam non possunt mereri, eo quod principium meriti non potest de potentia absoluta, vel saltim de lege ordinaria, sub eodem merito cadere; at hæc ratio deficit, admisso, fuisse à Christo actus supernaturales elicitos modo non connaturali: ergo, hoc admisso, consequenter est asserendum, gratiam de facto meruisse.

Antecedens autem probatur: nam actus disponentes ad gratiam, vel non procedunt ab illa, sed ab auxilio fluido, & facile transeunte, vel si à gratia habituali procedunt, non tamen ab illa per modum habitus permanentis, sed per modum formæ auxiliantis, & quatenus est in fieri, & nondum connaturaliter in subiecto receptæ; sed actus supernaturales ad sui connaturalem elicientiam petunt ab habitu permanenti, vt permanenti, & connaturaliter recepto procedere: ergo eo ipso, quod dicatur, Christum præuiè se ad habitualem gratiam disposuisse, admittitur, elicuisse actus supernaturales modo ipsis non connaturali.

100 *Respōd.*

Respondeo, negando antecedens: ad illius probationē, concessa maiori, distinguo minorē: pro priori causalitatis dispositiuæ, nego minorē: pro instanti reali tēporis, concedo minorē, & nego consequentiam; cum namque in actu charitatis in sententia, quam supponimus, docente, esse ex natura rei dispositionem ad gratiam, duplex reperiatur consideratio, nempè, dispositionis causantis gratiam in genere causæ materialis, & effectus eiusdem in genere causæ efficientis; & ratio dispositionis nequeat illi conuenire, nisi cum præcedentia pro priori naturæ ad gratiam sub conceptu formæ permanentis recepta connaturaliter, & cum hac præcedentia nequeat componi, ab illa, prout sic pro omni priori procedere; consequens fit, quod quamuis actus charitatis petat pro reali instanti pro principio habitum gratiæ, vt receptum connaturaliter, non tamen petat ab illo, prout sic pro omni priori procedere; ac per consequens, non dari aliquam inconnaturalitatem in modo elicientiæ actus charitatis Christi; ex eo quod pro illo priori, pro quo disponit ad gratiam, non intelligatur procedere ab illa, vt permanenter, & connaturaliter recepta, dummodo in eodem instanti ab illa, vt sic egrediatur.

101 *Dices.*

Sed dices: sequi ex ista solutione, potuisse Christum mereri habitualem gratiam, absque vlla inconnaturalitate in modo eliciendi actus supernaturales; consequens est contra dicta: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela: ad meritum non requiritur, quod præcedat tempore præmium, sed sufficit præcedentia naturæ: ergo vt Christus gratiam habitualē mereatur, sufficit, quod act⁹ supernaturales illam pro priori naturæ præcedant; & consequenter sufficit, quod pro aliquo priori non procedant ab illa, vt permanenter communicata, & connaturaliter recepta; sed hoc non inducit aliquam inconnaturalitatem in modo elicientiæ actuum supernaturalium, vt asserimus in tradita solutione: ergo ex illa sequitur, potuisse Christum absque vlla inconnaturalitate in modo elicientiæ actuum supernaturalium, habitum gratiæ mereri.

102 *Respõd.* Respondeo, negando sequelam: ad probationem, concesso antecedenti, nego suppositum consequentis: quod scilicet, meritum condignum gratiæ, possit illam, vt permanenter receptam pro priori naturæ præcedere; cum enim ratio meriti condigni petat à subiecto grato procedere, & gratitudo nõ præstetur à gratia habituali, nisi quatenus permanenter recepta; fit consequens, quod actus procedentes ab illa non possint, ipsam in ratione meriti condigni pro priori naturæ præcedere, cuius oppositum in dispositione contingit; hæc namque non petit gratitudinem in subiecto supponere, sed potius disponit ad effectum sanctitatis; & ideò potest præcedere prioritate naturæ gratiam, vt istum effectum præstantem, & ab illa vt auxiliante, & nondum permanenter, & connaturaliter pro illo priori receptæ, procedere.

103 *Instabis primo.* Sed instabis adhuc primo: nam saltim sequitur, potuisse Christum gratiam, vt iustificantem merito de congruo mereri: ac per consequens illam de facto meruisse; consequens est falsum: ergo, & tradita solutio. Patet sequela: meritum congruum non petit à subiecto grato procedere, nec effectum sanctitatis supponere; cum plures Theologi probabiliter doceant, hominem per actum charitatis, aut perfectæ contritionis, non solum dispositiué ad habitualem gratiam concurrere, sed illam etiam merito congruo mereri: ergo actus præuié disponentes humanitatem Christi ad habitualem gratiam, saltim merito de congruo, potuerunt illam mereri, & de facto sic meruerunt.

*Respõdetur.* Respondeo, negando sequelam: ad illius probationem, prætermisso antecedenti, nego consequentiam; cum enim operationes Christi, eo ipso, quod à subiecto infinitè grato procedant, nõ possint non esse valoris infiniti simpliciter, nequeunt ad aliquod præmium, vt merita congrua ordinarij, de cuius ratione est, non adæquare præmium in morali æstimatione; ac proinde, vel debent condignè mereri præmium, ad quod ordinantur, vel nullatenus possunt mereri. Præterquamquod, dato, id potuisse euenire, non tamen decuit Christum aliquid mereri de congruo, quod est meritum imperfectum, nec est eadem de impetratione ratio, vt per hoc tacitæ obiectioni occurramus; nam quod Christus modo impetret hominibus dona gratiæ; illa tamen non mereatur, non prouenit ex imperfectione actus, sed quia in statu merendi non est, benè autem in statu impetrandi.

104 *Instabis secundo.* Instabis secundò; actus intensior habitu præexistente, petit pro principio sui connaturali habitum, vt intensiorem; & tamen vt sit meritorius secundum excessum ad habitum præexistentem, non petit formari ab habitu vt intensiori; aliàs non esset ex natura rei ab intrinseco meritorius augmenti; cum non possit vt meritorius augmenti, exigere ab intrinseco conditionem repugnantem, qualis est formatio actus per maiorem intensionem, illi respondentem in præmium: ergo quamuis gratia habitualis exigatur ab actu charitatis quoad substantiam, vt principium connaturale effectiuum, potest non exigi ab eodem actu, vt meritorio pro forma connaturali valorante.

*Respõdetur.* Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: nam ea gratitudo petita á merito pro principio influente, petitur ab eodem merito pro forma valorante connaturaliter, quæ ad merendum est necessaria; licet autem ad merendum absolutè requiratur gratitudo subiecti quoad substantiam gratitudinis, ad maius meritum, vel ad meritum intẽsioris gratiæ, maior gratitudo necessaria non est, tanquam forma; aliàs esse præmium non posset; & ideò substantia gratiæ petita ab actu charitatis pro principio connaturali effectiuo, petitur ab eodem actu vt meritorio pro forma connaturali valorante; maior autem gratia, etsi petatur ab intensiori habitu pro principio connaturali efficiente, non exposcitur ab eodem, vt merito maioris, & intensioris gratiæ pro forma connaturali valorante.

105 *Si dicas* Si dicas: ideò meritum augmenti non petit augmentum pro forma, etsi ab illo petat connaturaliter elici, quia supponitur gratum subiectum; sed etiã

ante gratiam habitualem ſupponitur gratum ſubiectum per gratitudinē hypoſtaticam : ergo actus præuiè diſponentes ad gratiam, nō petunt illam pro forma connaturaliter valorante. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: quia ſupponit ſubiectum gratum gratitudine ſui ordinis, & à qua quoad ſubſtantiam procedit connaturaliter, concedo maiorem: præciſè ex conceptu gratitudinis in communi, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam.

*Reſpõdetur.*

Sed poteſt vrgentius inſtari: nam ſequitur ex hac ſolutione, Chriſtum per actus præuiè diſponētes ad gratiam, mereri poſſe de facto, etſi non ſubſtantiam gratiæ, bené tamen eius augmentum; conſequens non admittemus: ergo ruit ſolutio. Probatur ſequela: ideò non meruit per actus præuiè diſponentes, gratiam habitualem quoad ſubſtantiam, quia actus meritorius ordinis ſupernaturalis, gratiam quoad ſubſtantiam petit connaturaliter tanquam formam valorantem; ſed actus ſupernaturalis, vt ſit meritorius augmenti, non petit idem augmentum tanquam formam valorantem: ergo licet non meruerit per actus præuiè diſponentes ad gratiam habitualē ipſam gratiam quoad ſubſtantiam; meruit tamen de condigno augmentum gratiæ habitualis.

106 *Vrgē inſtatur.*

Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: nam licet actus vt meritorij augmenti, non petant ipſum augmentum connaturaliter, vt formam valorantem; petunt tamen connaturaliter vt ſint meritorij augmenti, formam, per quam quoad ſubſtantiam formari, & dignificari poſſint, & quia pro priori præuiæ cauſalitatis diſpoſitiuæ, non ſupponuntur formati per gratiam habitualē quoad ſubſtantiam, fit, vt non ſint meritorij gratiæ, nec ſint meritorij augmenti.

*Reſpõdetur.*

Inſtabis; licet actus iſti pro priori cauſalitatis diſpoſitiuæ, non ſupponantur formati per ſubſtantiam gratiæ habitualis; pro alio tamen poſteriori per ſubſtantiam gratiæ formantur: ergo ſic formati per ſubſtantiam gratiæ habitualis, erunt meritorij augmenti. Reſpondeo, negando conſequentiam: quia pro poſteriori, pro quo formantur per gratiam habitualem, formantur etiam per eiuſdem gratiæ augmentum, quia gratia habitualis Chriſto non fuit prius collata quoad ſubſtantiam, & poſterius quoad augmentum, ſed pro eodem ſigno *in quo*, & *à quo* collata fuit ſubſtantia gratiæ cum omni augmento poſsibili; licet enim habeamus fundamentum, vt aſſeramus prius gratiam intelligi in fieri, & in ratione auxiliantis, quam in facto eſſe, & in ratione iuſtificantis, ſumptum ex eo, quod petit ſubiecto diſpoſito præuiè infundi, & hoc ex natura rei, quod nequit ſine hac prioritate gratiæ, vt auxiliantis, & iuſtificantis ſaluari; ad prioritatem autem inter gratiam quoad ſubſtantiam, & quoad augmentum, nullum adeſt fundamentum; cum cauſalitas meritoria, quæ ſola fundamentum eſſe poſſet, non petatur ex natura rei ab augmento, & ſic pro omni ſigno, ſiué *in quo*, ſiué *à quo* intelligitur in Chriſto ſubſtantia gratiæ habitualis, intelligitur in illo cū omni augmento poſsibili.

*Reſpõdetur.*

107 *Inſtabis*

Sed dices: etſi augmentum, ab intrinſeco non poſtulet terminare meritoriam cauſalitatem, illam tamen non excludit, nec illi naturaliter meritum terminare repugnat: ergo abſque vlla inconnaturalitate potuit augmentum gratiæ humanitati Chriſti, vt præmium meritorum conferri. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ſi augmentum gratiæ fiat per augmentationem diſtinctam à ſimplici alteratione, concedo antecedens: ſi fiat per ſimplicem alterationem terminatam ad ſubſtantiam gratiæ, & augmentum, nego antecedens, & conſequentiam: nam humanitati Chriſti fuit augumentum gratiæ collatum, ex vi eiuſdem actionis ad ſubſtantiam gratiæ infundendam terminatæ, quæ eſt ſimplex alteratio: ac proinde ex vi eiuſdem decreti: vnde, cum ſub terminatione ad gratiam petat eſſe liberale, ſub terminatione ad augmentum, non poteſt eſſe ex iuſtitia omni connaturalitate ſeruata.

108 *Dices.*

*Reſpõdetur.*

Denique arguitur: potuit Chriſtus de potentia abſoluta, ſibi habitualē gratiam mereri; ſed omnis dignitas de potentia

109 *Vltimũ argumẽtum.*

tentia absoluta possibilis, est ipsi attribuenda: ergo de facto illã meruit. Huic argumento Mag. Medina vbi supra respondet, negando maiorem; sentit enim, non solum de facto non meruisse habitualem gratiam, sed nec id potuisse efficere, etiam de potentia absoluta. Cuius sententia triplici via defendi potest; primo, si negetur sanctificatio humanitatis per gratiam substantialem vnionis; cum enim meritum condignum, sanctificationẽ subiecti necessario præsupponat, & iuxta hanc sententiam sola gratia habitualis sanctificet humanitatem Christi; fit consequens, quod requiritur essentialiter ad merendum per modum principij formalis: ac per consequens, quod nequeat, etiam de potentia absoluta sine gratia meritum condignum dari.

*Sententia Medin. triplici via defẽdi potest primo.*

**110** *Secũdo.*

Secundo, asserendo, gratiam habitualem esse principium essentiale actus charitatis: ita vt sine illa nequeat de potentia absoluta elici, & cum alias actus, quamuis supernaturales sint, meritorij esse non possint sine imperio charitatis; fit, quod essentialiter supponant gratiã, quatenus sunt meritorij; ac per consequens, quod nequeant illam de condigno mereri, etiam de potentia absoluta.

*Tertio.*

Tertio: quamuis negetur dependentia essentialis actuum supernaturalium à gratia habituali, vel per modum principij effectiui, vel per modũ formæ dignificantis: quia tamen, saltim connaturaliter petunt gratiam præsupponere, vt vtroque modo influentem, nequeunt ab intrinseco inclinare in habitualem gratiam, vt præmium, eo quod præmiũ condignum nequit excedere terminũ inclinationis intrinsecæ actuũ, vel principij actus merentis: ac per consequens actus supernaturales nequeunt de potẽtia absoluta esse merita condigna gratiæ.

**111** *Primus modus reijcitur*

Sed nullo ex his modis placet prædicta sententia: non primo, tùm, quia falsum est, & contra frequentem Theologorum sentẽtiam, humanitatem Christi non sanctificari formaliter per gratiam substantialem vnionis. Tùm etiã; quia negare non potest Medina, merita Christi fuisse infiniti valoris; cum sit cõmunis sententia, Discipulis Scoti exceptis; ac per cõsequẽs teneatur fateri sanctificationẽ infinitã præcedere, a qua talis valor sumatur, vel ratione humanitatis sãctificatæ infinitè, vel ratione infinitæ sãctitatis personæ Christi operantis, vt in humanitate subsistentis. Si autem ratio meriti infiniti saluatur ratione sanctitatis personæ vt QVOD operãtis, etto principium QVO eliciens infinitè sanctum non sit, etiam poterit saluari absoluta ratio meriti sine sanctitate principij QVO eliciẽtis ratione sanctitatis personæ vt QVOD operantis; ac per consequens ex capite sanctitatis gratia habitualis ad meritum, necessaria non est necessitate de potentia absoluta insupplebili in operationibus Christi.

Nec placet secunda via defendendi istam sententiam: tùm, quia gratiam habitualem non esse principium essentiale actus charitatis, nec aliorum actuum supernaturalium, fusè ostendimus *supra Q. 7. art. 1. Disp. 23.* Tùm etiam: nam illa sententia admissa, consequenter est asserendum, actum charitatis intensiorem essentialiter dependere, vt à principio efficiẽte ab habitu, vt augmentato, & simili intensione gaudente; cum eadem ratio sit quoad hoc, quod est dependere, inter intensiores actus, & habitus, atque inter vtriusque substantiam; at qui hæc dependentia non obstat quo minus actus charitatis intensior augmẽtum gratiæ habitualis, & charitatis mereatur: ergo pariter, dependentia actus charitatis substantialiter sumpti à substantia habitus gratiæ, obstare non poterit quo minus esse possit meritum condignum illius. Nec denique tertia via potest præfata sententia defendi: tùm propter ea, quæ *conclusione præcedenti* docuimus probantes, potuisse Christũ de potentia absoluta continuationẽ suæ Incarnationis mereri. Tùm etiam, quia non minus petit intensio actus intensionem habitus pro principio connaturali, quam substantia actus, habitus substantiam exposcit; at huiusmodi exigẽtia non obstat quominus actus intensior, augmentum habitus merito condigno mereatur: ergo nec obstare poterit, quominus substantia actus possit de condigno habitus substantiam mereri. Quare prætermissa hac solutione.

**112** *Secũda via reijcitur.*

*Tertia reijcitur*

Ad

Ad argumentum respondeo, distinguendo maiorem: per actus non elicitos modo connaturali, & debito intra ordinem gratiæ, concedo maiorem per actus elicitos modo intra illum ordinem debito, & connaturali, nego maiorem, & distinguo minorem: omnis dignitas possibilis de potentia absoluta absque in connaturalitate in ordine gratiæ, & naturæ, concedo minorem: cum inconnaturalitate in aliquo ex his ordinibus, nego minorem, & consequentiam. Quæ solutio constat ex dictis. Sed oppones aduersus illam primo: nam potuit Christus præmium supernaturale, & consequenter gratiam habitualem mereri per actus vndique naturales, hoc est, nō procedentes à principio supernaturali elicienti, aut imperante; sed actus sic naturales non dependent ab habitu gratiæ, vt connaturali principio: ergo potuit Christus gratiam habitualem de potentia absoluta mereri per actus elicitos modo debito, & connaturali.

113 *Vera solutio argumenti*

*Sed oppones primo.*

Secundo: nā dignius est, habere gratiam habitualem à se meritorié, quā elicere actus supernaturales modo debito, & connaturali; sed quod maioris dignitatis est, debemus humanitati Christi attribuere: ergo asserendum est, de facto habitualem gratiam meruisse, etsi connaturalitas elicientiæ actuum supernaturalium negetur. Tertio: nam principium non essentiale, sed tantum connaturale merendi potest cadere sub merito actuum procedentium ab ipso, etsi non sub ratione principij, bene tamen entitatiué, vt constat in Beatissima Virgine, cuius existentiam fuisse de facto præmium meritorum Christi, admisimus §. *præcedenti*, non obstante, quod sit principium connaturale Incarnationis immediatum, & meritorum Christi mediatum; sed gratia habitualis non est principium essentiale, sed tantum connaturale actuum supernaturalium: ergo potest de lege ordinaria, & absque vlla inconnaturalitate, esse horum actuum præmium, & sic euenit de facto.

114 *Secundo*

*Tertio.*

Respondeo ad primā ex his obiectionibus primo, negando maiorem: cōtrarium enim ostendimus *supra quæst. 7. art. 1. disp. 23.* Quia tamen alij eam sententiam probabiliter defendunt, respondeo secundo, distinguendo maiorē: seruata omni connaturalitate meriti præmij supernaturalis, nego maiorem: non seruata, concedo maiorem. & concessa minori, distinguo consequens: potuit gratiam habitualem mereri per actus elicitos modo connaturali, attenta illorum actuum substantia, transeat consequens: attenta ratione meriti præmij supernaturalis, nego consequentiam: nā licet actus ordinis naturæ quoad substantiam considerati, non petant pro principio connaturali gratiam habitualem, prout dignificabiles per hypostasim Verbi, & in ratione meriti constituibiles præmij supernaturalis, illam petunt pro connaturali principio, quia quamuis fateantur Theologi, potuisse Christum de potentia absoluta actus meré naturales elicere, & illis præmium supernaturale mereri ratione dignitatis ex hypostasi sumptæ, nullus tamen asseruit, id posse illis esse connaturale, neque cum sic mererentur, seruari connaturalem modum merendi. Iste namque petit, quod merens ex animo obsequendi Deo Auctori supernaturali, operetur: ac per consequens ex motiuo supernaturali, quod esse nequit, nisi actus supernaturalis illos imperans intercedat, cumque actus supernaturalis gratiam habitualem exposcat pro principio sibi connaturali, consequenter infertur, quod vt actus naturales modo connaturali debito ipsis, vt meritorij sint, eliciatur, debeant à gratia habituali procedere.

115 *Respōdetur ad primam*

Ad secundam prætermissa maiori, nego minorem: dignius enim est, semper intelligere sine discursu, quam cum discursu intelligere, & quia est connaturalius humanitati non semper Christus sine discursu intellexit, sed multoties cū discursu; non enim quod dignius est, si non sit connaturale in ordine gratiæ, & naturæ, Christo concedendum est; & ratio sumi potest ex eo, quod carentia cōnaturalium, quantum ad substantiam, vel modum, est priuatiuus defectus, quē habere, absolute est imperfectio; carentia autem dignitatis maioris nullo modo connaturalis, tantum est defectus negatiuus, qui imperfectionem in subiecto non ponit; & ideo non quod dignius est absolutè, sed quod est connaturale

116 *Ad secūdam.*

aliquo

aliquo ex prædictis modis, est humanitati Christi attribuendum. Ad tertiam dicatur, quod licet habitualis gratia non sit principium essentiale actuum supernaturalium, quoad substantiam, est tamen essentiale principium illorum, vt procedentium modo connaturali; & quia Christum non decebat, actus supernaturales elicere modo non connaturali, ideo gratia habitualis non potuit sub Christi meritis cadere, prout de facto talia merita eliciebantur à Christo. Nec est eadem ratio de existentia Beatissimæ Virginis: hæc namque non est essentiale principium mediatum operationum Christi, nec quoad illorum substãtiam, nec quoad modum connaturalem; cum Christus æquè possit connaturaliter agere actus supernaturales, si à Virgine non procederet, atque vt procedens ab illa; & ideo potuit existentia Virginis cadere sub Christi meritis, secus autem existentia gratiæ habitualis.

*Ad tertiam.*

## §. VIII.

### *Referuntur sententiæ circa essentialem animæ beatitudinem, & verior eligitur.*

117 *Potuit Christus de potentia absoluta, beatitudinẽ animæ mereri.*

OMNES Theologi, nullo dissentiente, supponunt, potuisse Christum de potentia absoluta mereri beatitudinem animæ, ea ducti ratione; potuit enim humanitas Christi Domini diuino Verbo coniungi sine vllo habitu supernaturali de potentia absoluta; cum inter vnionem humanitatis ad Verbum, & dona habitualia ad ordinem gratiæ expectantia, essentialis connexio non sit, imo nec connaturalis ratione actiuæ dimanationis in frequentiori sententia ergo etiam potuit gratia habituali exornari, & Deum claré non videre: visio enim beatifica non consequitur essentialitér ad gratiam, & consequenter potuit loco visionis beatæ, aut luminis gloriæ, fides, aut obscura cognitio substitui, cum in hoc nulla implicatio inueniatur. Sed tunc casus, posset actus supernaturales elicere gloriæ essentialis condignos, illosque ad gloriam, vt ad præmium ordinare: ergo de potentia absoluta potuit propriam animæ beatitudinem merito condigno mereri.

118 *Sensus difficultatis.*

Difficultas ergo est; an supposito, quod anima Christi Domini fuerit à primo instanti suæ conceptionis beata, de facto illam meruerit, vel potuerit mereri, saltim de potentia absoluta? Prima sententia negat, id contingere potuisse, quam tenent ex nostris Medina *in præsenti ar. 3. q. 5. concl 4.* Cabrera *disp. 7. §. 4. concl 2.* Et Nazarius *controu. vnic. pag. 7. concl 2.* insinuat etiam eandem sententiam Vazquez *disp 78 cap. 3.* vbi docet, quod si possibile foret, vt Christ⁹ suam beatitudinem essentialem mereretur, illam meruisset de facto. Secunda per extremum affirmat, non solum id potuisse euenire de potentia absoluta, sed etiam contigisse de facto, suamque essentialem beatitudinem Christum de facto meruisse. Hanc tenent Altisiodorensis *lib. 3. tract. 1. cap. 7. in principio* Maior *in 3. dist. 18. q. 2.* Fasolis *quæst. 2. a. 1. 3.* Mairon *in 3. dist. 17. q. 1.* illamque probabilem censet Albertus *in 3. d. st. 18. art. 4.* in oppositam vt probabiliorem inclinans. Tertia, & vera sententia docet, id potuisse fieri de potentia absoluta, non tamen contigisse de facto. Ita Auctores pro tertia conclusione relati, præter illos, quos pro prima sententia retulimus. Pro qua sit

Prima sentẽtia.

*Medina Cabrera Nazar. Vazq.*

Secũda.

*Altisiod. Maior. Fasolis. Mairon*

Tertia.

119 *Quarta cõclusio.*

QVARTA in ordine CONCLVSIO. *Potuit Christus de potentia absoluta beatitudinem animæ habitam ab initio conceptionis de condigno mereri.* Ita Theologi frequentius; & ostenditur primo: nam potuit Christus de potentia absoluta beatitudinem animæ non habitam ab initio conceptionis mereri, sed coexistẽtia durationis non repugnat essentialiter inter meritum, & præmium, vt constat in augmento gratiæ dato in præmium actuum intensiorũ habitu, quod simul tempore existit cum merito: ergo potuit de potentia absoluta mereri

*Ostenditur primo.*

habitu-

habitudinem animæ habitam ab initio conceptionis Secundo: nam potuit de potentia absoluta, vno decreto decerni gratia habitualis Christi, vt actum dilectionis eliciens regulatum scientia infusa, & altero, visio beata, vt in primo instanti conceptionis Christi existens; sed hoc duplici decreto supposito, posset Christus beatitudinem essentialem mereri: ergo id potuit de absoluta Dei potentia contingere. Maior constat: nam gratia habitualis, vt sic operans de facto, non dependet essentialiter à visione beata, nec illam essentialiter infert: ergo potuit decreto distincto pro priori ad visionem beatificam tempore coexistē tem decerni. Minor autem probatur: nā operatio gratiæ, tunc casus, prioritate naturæ antecederet visionem beatificā, & aliàs sufficientem proportionem cū illa, vt cum præmio haberet; vt per se est manifestum, posset que à Christo Domino in illam, vt præmiū dirigi, et si pactum est necessarium, posset Deus de illa in præmium conferenda pacisci: ergo, illo duplici decreto supposito, posset Christus animæ beatitudinem habitam ab initio conceptionis merito condigno mereri. Denique suadetur; solū enim id negandum est omnipotentiæ diuinæ, quod contradictionem importat; sed Christum beatitudinem essentialem animæ suæ habitam in principio suæ conceptionis instanti merito condigno mereri, contradictionem nō dicit, vt ex argumētorum solutione cō stabit: ergo, asserendum est, id de potentia absoluta euenire potuisse.

*Secundo*

*Tertio.*

**120** *Primū argumētū Vazquij.*

Primum argumentum est Vazquij: nam status beatitudinis ex natura rei est ineptus ad meritū beatitudinis, eo quod operationes viatorum potius sunt beatitudinis fructus, quam meritā: ergo non potuit aliqua potentia fieri, vt Christus in primo instanti conceptionis beatus, suæ animæ mereretur beatitudinem. Quod amplius explicat, & confirmat: nam per opera subsequuta ad beatitudinem, & illam supponentia, vt principiū, non potuit Christus de potentia absoluta suam mereri beatitudinem; sed omnes actiones animæ beatæ Christi, vt à principio à visione beatifica oriuntur: ergo implicat, Christum ab initio conceptionis beatum beatitudine animæ, mereri ipsam beatitudinem. Minorem, in qua sola est posita difficultas, sic probat: nam operationes Christi, & cuiuscuis rationalis creaturæ, aut versantur erga Deum, ipsum diligendo, & amando, aut erga obiecta creata; sed omnes illæ operationes visionem beatificam, vt natura priorem, & principium præsupponunt: ergo omnes operationes animæ Christi beatæ ab illius beatitudine aliqua ratione, tanquam à principio egrediuntur.

*Explicatur.*

Minor pro prima parte probatur: nam dilectio Dei supponit pro regula cognitionem illius: at supposita animæ beatitudine, nequit cognitionem fidei obscuram supponere, cum hæc sit essentialiter cum beatitudine incompatibilis, nec potest per cognitionem claram scientiæ infusæ, regulari, cum hæc ad Deum non extendatur: ergo supponit claram Dei visionem pro regula, & consequenter illam, vt natura priorē, & principium præsupponit. Deinde pro secunda suadetur: nam opera aliarū virtutum, vel fiunt ex motiuo, & imperio charitatis, vel ex solo fine peculiari virtutum electiuarum. Si primum, actū dilectionis supponunt, & consequenter eius regulam, quæ est sola visio beata. Si secundum, etiam causantur à beatifica visione: est namque omnino impossibile, vt intuēs, & clare cognoscens Deum, non moueatur efficatius ad exercitium virtutum, quod cognoscit, Deo placere, quam si Deum non videret; ac per consequens visio Dei necessario in opera aliarum virtutum quomodolibet elicita influit: ergo omnes operationes animæ Christi beatæ necessario præsupponunt ipsam animæ beatitudinem, tāquam natura priorē, & ab illa, vt à principio egrediuntur; ac per consequens est impossibile, animam Christi ab initio esse beatam, & mereri beātitudinem.

**121** *Minor pro prima parte probatur.*

*Pro secūda.*

Hoc tamen argumentum cum sua confirmatione, etsi rectē probet, non potuisse Christum attenta rerum natura, & lege ordinaria Dei, suam mereri beatitudinem; id tamen non conuincit de potentia absoluta; nam licet ex natura rei operationes beatorum visionem beatificam, vt priorem, præsupponant,

**122** *Respōdetur.*

&

& consequenter non sint beatitudinis merita, sed fructus, & effectus, hæc tamē dependentia essentialis non est; & consequenter possunt de potentia absoluta ab illa non dependere, sed potius antecedere antecedentia naturæ, qua independentia, & antecedentia supposita, non erunt fructus, sed merita beatitudinis: ex quibus constat ad argumentum solutiō distinguendo antecedens: status beatitudinis suæ naturæ relictus, concedo antecedens: natura status beatitudinis non seruata, sed mutata, nego antecedens & consequentiam. *Ad cōfirmationē* Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: oriuntur cum dependentia essentiali, nego minorem; connaturali, concedo minorem, & nego consequentiā: quia dependentia non essentialis, sed tātum connaturalis potest non seruari, attenta absoluta Dei potentia. Nec contra istam distinctionem obstat minoris probatio: nam operationes beatorum, quæ immediate Deum attingunt, possunt non regulari per beatificam visionem, sed per claram scientiæ infusæ cognitionem, vt ex infra dicendis constabit: nec est verum, per hanc scientiam Dei essentiam non cognosci, cuius contrarium ostendimus ex communi Theologorum sententia *Tract. de scientia animæ Christi q. 11. disp. 36.* Illæ etiam, quæ erga obiecta creata versantur, non ita à beatifica visione dependēt, vt nō potuerit hæc dependentia suppleri, siue eliciātur ex motiuo charitatis, siue ex solo suo peculiari fine. Primum patet: nam dilectio imperans, potest elici sine depēdentia à visione regulata à scientia infusa, vt *proximè* dicebamus: ergo etiā actiones ex tali dilectione imperatæ. Secundum etiam non minus apertum est: nam licet videns, efficacius ad executionem actuum subsequentium beatificam visionem moueatur, quam non videns; hæc tamen efficacior motio non est ad actus visionē antecedētes natura, qualiter posse antecedere actus aliarum virtutum, probauimus ex illorum non dependentia essentiali.

**123** *Secundo arguit Medina* Secundo arguit Mag. Medina: nam contradictionem implicat, quod prima gratia, & quod cum illa cōnectitur, cadat sub merito; sed quod Christus fuerit plenus gloria in primo instanti propter hypostaticam vnionem, est prima gratia humanitati Christi concessa, vel saltim cum prima gratia, vnionis nempé, connectitur, sicut passio cum essentia: ergo implicat, Christum Dominū esse à primo instanti conceptionis beatum, & mereri beatitudinem. Sed nec vrget hoc argumentum, tum, quia nititur falsæ sententiç, & Theologis parum plausibili, asserenti, gratiam habitualem consequi ad gratiam vnionis dimanatiué physice ad modum propriæ passionis. Tum etiam, nam esto ita esset, non ideo implicaret, mereri visionem beatificam absque merito vnionis hypostaticæ: nam licet connaturaliter essentia & proprietates fiant ex vi eiusdem actionis; & consequenter, attentis rerum naturis, nequeat proprietas sub merito cadere, essentia non cadente sub merito; possunt tamen de potentia absoluta terminare diuersas actiones, & decreta etiā diuersa: ergo quamuis beatitudo animæ Christi consequeretur ad gratiam substantialem vnionis, tanquā vera, & propria passio, & repugnet gratiam vnionis sub meritis Christi cadere, posset Christus de potentia absoluta mereri essentialem beatitudinem. *Non vrget hoc argumētum.*

**124** *Respōdetur primo.* Et ex his ad argumentum respondeti potest primo, prætermissa maiori, negando minorem: nam beatitudo non sequitur ad gratiam vnionis, sicut passio sequitur essentiam, vt diximus, tenetque frequentior Theologorum sententia. *Secundo* Vel secundo, negando secundam partē maioris, videlicet quod ad primam gratiam, tanquam propria passio consequitur, non posse sub merito cadere; cum enim possit de potentia absoluta diuersam actionem terminare, poterit etiam terminare habitudinem meriti, essentia non terminante. Et quidem gloria corporis non minus ad gloriam animæ sequitur, quam gloria animæ ad gratiam vnionis; & tamen de facto Christus meruit beatitudinem corporis, & non meruit beatitudinem animæ.

**125** *Nec obstat si dicas.* Nec obstat, si dicas, ideo ita contigisse circa beatitudinem corporis, quia licet peteret consequi ad animæ beatitudinem, sicut passio essentiam consequitur, de facto tamen non fuit tanquā propria

pria passio sequuta; sed suspensus eius effluxus, vt locus redemptioni nostræ per mortem, & passionem Christi daretur. Non inquam obstat, si namque id potuit contingere, suspendendo, & ad tempus differendo effluxum beatitudinis corporis, cur etiam non potuisset ita euenire, suspendendo effluxum, non tamen illum ad tempus differendo, ita vt quamuis simul in eodem instãti vtraq; beatitudine, anima Christi frueretur, nõ tamen per vnius effluxum ex alia, sed noua, & distincta actione; huius enim nulla potest implicatio assignari, sicut nec in eo, quod intellectus, qui vt passio intellectualis naturæ, illi debetur in primo instanti creationis, non per dimanationem intellectus à natura, sed suspensa dimanatione, per nouam, & distinctam actionem, ei communicaretur; noua autem interueniente actione, potest passio sub merito cadere non terminato ad essentiam, vt supra argumentabamur: ergo posset gloria corporis in primo instãti haberi ab anima Christi per meritum, etsi animæ beatitudinem sine meritis haberet: esto beatitudo corporis sit passio beatitudinis animæ; & consequenter idem de beatitudine animæ est dicendum, quamuis demus esse in rigore passionem gratiæ vnionis substantialis.

*Respõdetur.*

126 *Tertio arguit Medina*

Tertio arguit Medina: implicat, subiectum aliquod esse in termino, & ad terminum moueri; sed anima Christi Domini constituitur per beatitudinem essentialem extra viam, & in termino, & per meritum moueretur ad illam: ergo implicat esse à primo instanti conceptionis beatam, & mereri beatitudinem animæ. Respondeo, veram esse maiorem de motu successiuo, falsam autem de motu, aut mutatione instãtanea; meritum autem non in motu successiuo, sed instantaneo consistit; & ideò nulla est implicatio, quod simul cum motu per meritum, existat beatitudo, quæ est præmium. Et instatur argumentum in merito augmenti gratiæ, quod simul cum illo existit. Sed instat Medina: nõ stat moueri per meritum ad habendam beatitudinem, nisi mediante actu spei de præmio per meritum cõsequendo; sed implicat actualem spem beatitudinis simul in eodem instanti cum beatitudine existere: ergo implicat esse in termino beatitudinis essentialis, & simul illam mereri.

*Respõdetur.*

*Instat Medina*

Respondeo, distinguendo maiorem: non stat de potentia absoluta, nego maiorem: de lege ordinaria, transeat maior: & concessa minori, nego consequentiam: nam licet loquendo de lege ordinaria Dei, non stet meritum beatitudinis absque spe illam consequendi, non tamen potest ostendi, id esse de potentia absoluta impossibile; sicut de lege ordinaria Dei, non stat meritum beatitudinis sine actu fidei obscuræ; & tamen de potentia absoluta potest dari sine illo, & meritum beatitudinis corporis sine actu spei non inuenitur, loquendo de lege ordinaria; & tamen in Christo sine tali actu à Theologis constituitur.

127 *Dices.*

Sed dices: desiderium beatitudinis essentialis, ope alterius consequendæ, est actus virtutis spei, & primarius eius actus; sed merens beatitudinem essentialem, operatur necessario ex desiderio consequendi beatitudinem essentialem mediante auxilio diuino: ergo ad merendum essentialem beatitudinem, necessario requiritur actus spei virtutis Theologicæ. Maior constat: nam obiectum spei primarium est beatitudo essẽtialis consequenda in vi omnipotentiæ auxiliantis, & arduitas ad spem requisita, in eo cõsistit, vt plures Theologi sentiunt, quod ope alterius consequenda sit, quin alia difficultas sit necessaria: ergo desiderium essentialis beatitudinis consequendæ in vi omnipotentiæ auxiliãtis, est actus primarius spei. Minor autem probatur: nam merens beatitudinẽ essentialem, necessario debet ex illius amore operari, & ex animo consequẽdi illam; sed non ex amore gaudij, cũ non supponatur ante meritum possessa; bonum autem, vt possessum, sit obiectum gaudij: ergo ex actu, qui desiderium sit, & consequenter merens beatitudinem essentialem, necessario operatur ex desiderio consequendi illam.

128 *Respõdetur.*

Respondeo, prætermissa maiori, negando minorem: ad illius probationẽ, prætermissa maiori, & minori, nego cõsequentiam: nam præter desiderium, & gaudium restat alius actus, qui est amor specialiter sumptus, cuius obiectũ est

bonum

bonum præcisiuè à possessione, vel non possessione illius; ac per consequens nō petens, quod bonum, ad quod terminetur, non sit in eodem instanti possessū, & ex hoc amore potest agere, qui mereatur essentialem beatitudinem coexistentem in eodem instanti cum merito. Et in sto argumentum claré in merito augmenti gratiæ existentis in eodem instanti cum merito; ac per consequens non terminantis desiderium merentis, cuius obiectum est absens, nec gaudium cuius obiectum est bonum possessum; sed amorem sumptum specialiter, cuius obiectum est bonum præcisiuè à possessione, & non possessione.

129 *Vltimo arguit Medina*

Denique arguit Medina, & ex ipso Cabrera, & Nazarius. Implicat dilectio in Christo coexistens cum visione beata non regulata per ipsam, vel per cognitionem supponentem visionem beatā; sed actus regulatus visione, vel notitia posteriori visione, implicat quod sit meritorius ipsius visionis beatificæ: ergo implicat Christum esse à primo instanti conceptionis beatum beatitudine animæ, & illam de condigno mereri. Discursus tenet. Minor etiam in nostris principijs est certa, iuxta quæ, principiū meritu non potest sub merito cadere; visio autem beata, tanquam principium supponitur actus regulati per illam, vel per cognitionem supponentem ipsam; & consequenter non potest esse talis actus præmium. Maior autem probatur: omnes enim actus voluntatis regulari debet aliquo actu intellectus; sed dilectio simul cū visione beatifica existens, regulari nequit cognitione obscura fidei; cū implicet existere simul cognitionē claram Dei, & fidei cognitionem obscurā: ergo implicat actus dilectionis in Christo coexistens cum visione beatifica, nō regulatus visione, vel notitia scientiæ infusæ præsupponente visionem. Patet cōsequentia: nam erga Deum solum sunt possibiles obscura cognitio fidei, visio beata, & notitia clara infusa.

130 *Si dicatur.*

Si forté dicatur, hoc argumento ad sūmum posse conuinci, non potuisse Christum per actum charitatis mereri beatitudinem animæ simul tempore coexistentem; non vero quod illam non potuerit mereri per actus aliarum virtutum: non enim repugnat cum clara visione Dei obscura creaturarum cognitio regulans aliarum virtutum actus. In contrarium obstat doctrina Thomistarum communis, quod nempé actus cæterarum virtutum meritorij esse non possunt, nisi ex imperio charitatis procedant; eo autem ipso, quod à charitate imperentur, regulam charitatis supponūt, & ab illa immediate dependent; ac per consequens, si dilectio in anima Christi existens simul cum visione beatifica, ab illa tanquam à regula mediate, aut immediate dependet, omnis actus meritorius Christi præsupponit visionem beatificam, & dependet ab illa, cum quo non stat, esse meritorium illius.

*Contra.*

131 *Respōdetur ad argumētū Medinæ.*

Quare, omissa hac solutione, ad argumentum respondeo, negando maiorem, ad cuius probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam licet scientia infusa animæ Christi, sit ex natura rei beatifica visione posterior, & ab illa dependeat, hæc tamen dependentia essentialis non est; ac per consequens, non implicat prius natura illi infundi, quam lumē gloriæ, & beatificā visionem; & notitia scientiæ infusæ sic de potentia absoluta ad visionem præexistente, potest, hac potētia attenta, regulari actus dilectionis in Christo, qui, cum in tali casu, etsi cum visione coexisteret, ab illa non dependeret immediate, nec mediate, posse optime esse meritum condignum illius.

132 *Opponēs contra istā solutionem.*

Sed contra istam solutionem opponunt præfati Auctores, notitia Dei habita per scientiam infusam antevertens visionem beatificam, & independens ab illa, necessario est obscura; sed implicat obscura cognitio coexistens cum visione beatifica: ergo implicat notitia regulans dilectionem in Christo coexistentem cum visione beatifica, quæ ab illa sit independens. Consequutio tenet. Minor est certa; etenim fidei cognitio solum ratione obscuritatis non potest cū visione clara coexistere: ergo omni cognitioni obscuræ ista coexistentia repugnat. Maiorem autem suadent: nam scientia per se infusa subalternatur visioni; sed actus scientiæ subalternatæ euidens esse non potest, sed necessario est obscurus, nisi subordinetur scientiæ subalternanti,

nanti, & ex vi illius suas conclusiones deducat, vt ex Logica suppono, & fatentur omnes Logici, atque Metaphysici: ergo notitia Dei habita per scientiam infusam, vt antevertens visionem, & independens ab illa, euidens esse non potest, sed necessario est obscura. Quod amplius explicari potest: quia namq; Theologia nostra subalternatur scientiæ beatæ, in illius absētia est obscura; sed idem quantum ad hoc præstat non subordinatio scientiæ subalternatæ ad sciētiam subalternantem, quod absentia scientiæ subalternantis: ergo cognitio scientiæ subalternatæ non subordinata ad scientiam subalternantem, & independens ab illa, necessario obscura est.

*Ampliò explicatur.*

133 *Respōdetur.*

Respondeo, negando maiorem: ad probationem, nego etiam maiorem: cum enim obiectum scientiæ per se infusæ sit ens creatum, vt in se, & ratione sui per speciem propriam repræsentatū, cognoscibile, nec conclusiones ex principijs cognitis per beatificam visionem deducat, qualiter Theologia præstat, non est vnde scientia per se infusa Christi subalternetur scientiæ beatæ. Nam Theologia ideò illi subalternatur, quia conclusiones, nempé attributa diuina, circa quæ versatur primario, deducit ex diuina essentia, vt cognita claré in se ipsa, vel cognita obscuré per fidem. Scientia autem per se infusa non habet pro obiecto primario Deum, nec illius proprietates demōstrat, sed illius obiectum primarium est ens creatum, vt in se, & ratione sui supernaturaliter cognoscibile; ac per consequens, non subalternatur scientiæ beatæ: vnde præcedenter ad illam potest euidentia gaudere.

## §. IX.

### *Christum non meruisse de facto beatitudinem essentialem.*

QVINTA CONCLVSIO. *Christus non meruit de facto essentialem animæ beatitudinem* Ita communiter Theologi, inter quos aliqui oppositum iudicant temerarium, alij saltim improbabile. Quidquid tamē sit de cēsura, Nostra conclusio suadetur primo, ex iam dictis; Christus non meruit de facto lumen gloriæ, quo intellectus eleuatur ad visionem eliciendam: ergo nec meruit visionem diuinæ essentiæ, in qua essentialis beatitudo consistit. Patet consequentia: nam visio necessario, & naturaliter consequitur lumen gloriæ, & immediatiorem ordinem dicit ad gratiam cōsūmatam, quam quævis alia operatio: ergo si lumen fuit sine merito in anima Christi Domini, etiam visio fuit illi sine merito concessa. Antecedens autem probatur: nam fuit consequutum ad gratiā habitualem per modū propriæ passionis, non minus, quam alia dona; sed gratia habitualis non fuit præmium meritorum Christi: ergo nec lumen beatificum. Confirmatur; vt enim *conclusione tertia* docuimus, quia dona, & virtutes supernaturales sequūtur ad habitualem gratiam per modum propriæ passionis, & gratia habitualis sine meritis fuit Christo concessa, virtutes ipsam consequentes sine meritis fuerunt infusæ; sed etiam lumen beatificum consequitur ad gratiā consūmatam per modum propriæ passionis, & gratia consūmata non fuit præmium meritorum in Christo: ergo nec lumen beatificum; & consequenter nec visio, quæ necessario, naturaliter, & immediatē sequitur ad lumen gloriæ.

134 *Quinta cōclusio.*

*Suadetur 1. cōclusio.*

*Cōfirmatur.*

Secundo probatur conclusio ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta,

135 *Secundo prob.*

cta, vt Christus mereretur animæ beatitudinem, necessarium erat, quod illa aliquando caruisset; sed carentia beatitudinis essentialis pro nullo instanti est in animâ Christi admittenda: ergo non meruit essentialem animæ beatitudinē. Illatio est in forma. Minor probatur à D. Thoma: nam carentia beatitudinis essentialis magis dignitati Christi præiudicat, quam per meritum accrescat; & consequenter maioris dignitatis est nūquam beatitudine essentiali carere, aut semper illam habere, quam meritum beatitudinis cum eiusdem beatitudinis carentia, eo quod, vt rectè Caietanus notauit, essentialis beatitudo cōtinetur intra latitudinem gratiæ: ac proinde illius carentia, est carentia plenitudinis gratiæ, quæ magis dignitati Christi præiudicat, quam illi accrescat per meritū; sed Christo concedēdum est, quod maioris est dignitatis: ergo asserendum est, nunquam essentiali animæ beatitudine caruisse. Maior autem probatur: nam meritum non est, nisi eius, quod nondū habetur: ergo vt Christus essentialem animæ beatitudinem mereretur, necessarium erat, quod illa aliquando caruisset.

136 *Primo arg. pro opposita sentētia*

Contrariā nostræ conclusionis sententiam docuerunt Altisiodorēsis *lib. 3. Summ. c. 1 cap. 7.* Maior. *in 3. dist. 18. q. 2.* Basolis *q. 1. art. 3.* Illamquem probabilem censet Albertus *in eadem dist. art. 4.* quod etiam sentiunt Suarez *disp. 40. sect. 2.* aliíque Recētiores. In cuius sententiæ fauorem, & contra nostram conclusionem argumentari possumus primo: non est de ratione meriti, quod tempore præmium præcedat, sed tantum prioritate naturæ, vt constat in merito augmenti habitus charitatis, & gratiæ in vi actus habitu præexistente intēsioris, quod simul tempore cum augmento, quod meretur, existit: ergo vt Christus mereretur essentialem beatitudinem, non fuit necessarium, quod illa careret pro tempore, vel instanti, sed potuit illam mereri per opera primi instantis, & simul esse beatus; & cōsequenter ab inconuenienti carentiæ beatitudinis essentialis, non benè à Diuo Thoma probatur, Christum illam non meruisse.

Responderi solet primo, Angelicum Doctorem, non loqui de carentia beatitudinis pro tempore, vel instanti, sed tātum pro priori naturæ, quam fuisse necessariam, vt Christus beatitudinē mereretur, in argumento supponitur, & à nemine potest negari; cum meritum, saltim natura, debeat præmium antecedere; est autem inconueniens, non solum quod tempore caruerit essentiali beatitudine, sed etiam quod pro priori ante meritum non intelligatur beatus; eo quod omnis actus supernaturalis coexistens, petit, vt connaturaliter eliciatur, illam supponere: nam vel pertinet ad voluntatem, vel pertinet ad intellectum: pertinens ad voluntatem supponit actum charitatis, & iste pro sui regula supponit vi sionem beatificam; & cō sequenter omnis actus supernaturalis pertinens ad voluntatem supponit vt connaturaliter eliciatur, pro regula immediata, vel mediata in homine nō viatore ipsam visionem beatificam; si autē pertinent ad intellectū, vel est ipsa visio beatifica, vel actus scientiæ supernaturalis infusæ, quæ connaturaliter supponit visionem; ac per cōsequens, ex eo quod visio non præintelligatur, etiā pro priori naturæ ante omnem actum supernaturalem simul tempore cum illa existētem, sequitur inconueniens inconnaturalitatis in modo operandi in ordine supernaturali, quod vitādum esse in Christo, constat ex dictis in Disputationis discursu.

137 *Prima solutio.*

Hæc tamen solutio, etsi veram contineat doctrinam, menti tamen D. Th. non congruit, sed repugnat contextui, vt constat ex illis verbis: *Quia cum meritum non sit, nisi eius, quod nondum habetur, oporteret, quod Christus aliquando istis caruisset, quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat meritum.* Quæ verba si in rigore accipiantur, significant carentiam, non pro priori naturæ, quæ non nisi impropriissimē potest dici carentia, sed pro instanti vero, & reali. Et quidem materia prima cœli prioritate naturæ formam cœlestem præcessit, & tamen nullus dicet, illa aliquando caruisse: ergo carere aliquando beatitudine essentiali, quomodo loquitur D. Thomas, non potest verisi-

138 *Impugnatur I.* S. Tho.

rificari de carẽtia pro priori naturæ, sed pro tempore, aut instanti vero, & reali.

*Secũdo.* Deinde: nam loquitur de illa carentia respectu beatitudinis essentialis, cum illam infert ex merito, quam concedit beatitudini corporis, sed concedit verã, & realem carentiam respectu beatitudinis corporis; & ideo docet Christum gloriam corporis meruisse: ergo carentia, quam infert respectu beatitudinis animæ ex merito Christi Domini, est carentia, non tantum pro priori naturæ, sed pro instanti reali temporis.

139 Quare ad argumentum factum cõmuni solutione respondeo, distinguendo antecedens: de ratione meriti non habentis conditiones præmio oppositas, aut cum illo incompatibiles, concedo antecedens: de ratione meriti habentis conditiones oppositas præmio, nego antecedens, & consequentiam: nam meritum gloriæ essentialis petit, attenta rerum natura, regulari per fidem; fides autem, & visio eiusdem obiecti repugnant simul de potentia absoluta in Thomistarum sententia, & in communi consensu, saltim ex natura rei, nõ possunt simul coexistere, & ideò meritum gloriæ essentialis, prout ex lege communi, & attentis rerum naturis, contingit, non potest existere simul tempore cum illa, secus cõtingit in merito augmenti gratiæ, quod non habet conditiones cum augmento incompatibiles, & ideò non petit tempore præcedere augmentum, sed tantum prioritate naturæ.

140 *Oppones 1.* Sed oppones aduersus istam solutionem primo, D. Thom. *quodlib. 9. art. 8.* vbi docet, Angelum in primo instanti fuisse beatum, & suam beatitudinem meruisse; & rationem reddit: *Quia licet in his, quæ successiuè fiunt, prius sit fieri, quam factum esse; in his tamen, quæ fiunt subito, simul tempore est fieri, & factum esse cum sola prioritate naturæ:* ergo sentit D. Thom. meritum essentialis beatitudinis non habere conditiones illi oppositas, aut cum illa incompatibiles quoad simul tempore existere, sed solum quoad simultatem naturæ.

S. Tho.

*Secũdo.* Secundo: nam D. Thom. ex communi ratione meriti probat, meritum gloriæ essentialis non potuisse cum illa simul existere: ergo contra *illius* mentem coarctatur eius doctrina ad hoc, vel ad illud meritum. Antecedens constat primo ex illis verbis Angelici Præceptoris in corpore istius artic. *Quia cum meritum non sit, nisi eius, quod nondum habetur oporteret, &c.* Ex quibus manifestè colligitur, loqui de merito vt sic, & ex eius conditionibus in communi, & generaliter sumpti, inferre non potuisse, Christum Dominũ gloriam essentialem mereri absque illius reali carentia.

*Antecedens cõstat primo.* S. Tho.

141 *Secundo* Secundo: nam infert ex hoc principio, non solũ nõ meruisse gloriam essentialem animæ, sed nec etiam gratiam habitualem; at meritum gratiæ habitualis, esto petat, à fide procedere, non ideò habet conditiones oppositas gratiæ habituali, aut cum illa incompatibiles: ergo incompatibilitas, de qua loquitur D. Thom. nascitur ex ratione meriti in communi, vt comparati cum præmio.

*Tertio.* Tertio: nam ex eodẽ capite infert, non potuisse diuinitatem mereri, nec scientiam; at diuinitatis, & scientiæ meritum, non est vnde habeat incompatibilitatem coexistentẽ cum illis, nisi ex communi ratione meriti, & præmij nascatur: ergo loquitur Divus Thomas de incõpatibilitate in coexistendo simul orta ex communi conceptu meriti comparati cum præmio.

142 *Tertio oppones* Denique obijcies: meritum gloriæ essentialis, non minus potest regulari per notitiam claram abstractiuam Dei, quam per notitiam obscuram; sed cognitio Dei clara abstractiua non est incompatibilis cum notitia Dei intuitiua, in qua essentialis animæ beatitudo consistit: ergo meritum beatitudinis essentialis, non est vnde cum gloria essentiali habeat conditiones incompatibiles. Maior probatur: non enim est minus potens notitia abstractiua Dei regulare dilectionem eiusdem, quam notitia obscura fidei, nec in actu charitatis aliqua conditio inuenitur, ob quam magis petat, regulari per notitiam obscuram, quam per notitiam claram abstractiuam: ergo meritum gloriæ essentialis præcipuè in actu charitatis consistens, non est vnde magis petat, attentis rerum naturis, pro regula cognitio-

nem obscuram, quam notitiam euidentem abstractiuam.

143 *Ad 1. obiectionẽ respõdet Medina*

Ad primam ex his obiectionibus varié occurritur à Discipulis Diui Thomæ, Magister Medina respondet, Diuum Thomam sententiam, quam *in quodlibeto allegato* docuerat, retractasse *prima parte quæstione 62. artic. quarto.* cuius solutionem approbat Magister Aluarez *in præsenti disputatione 48. ad secundam confirmationem tertij arg.* Secundo respondet Aluarez, concessa doctrina antecedentis in Angelis, negando cõsequentiam in Christo, & disparitatem assignat: nam in Angelis gratia consummata, & gloria non fuerunt principium merendi, & ideo potuit meritum gratiæ consummatæ, essentialisque beatitudinis cum illis coexistere simul. In Christo autem gratia consummata, & essentialis animæ beatitudo fuerunt principium merendi; & idcirco meritum gloriæ essentialis non potuit illi coexistere.

*Aliter respõdet Aluarez*

144 *Vtraq; solutio impugnatur.*

Sed neutra solutio placet: non prima, ob illa, quæ in nostra solutione dicemus; nec secunda, tùm, quia iuxta illam non deberet D Thom. probare, Christum non meruisse essentialem animæ beatitudinem, quia debuisset illa carere, sed quia principium meriti non potest sub merito cadere; at D Thom. non ex hoc capite, sed ex primo suam probat conclusionem: ergo ineptè tradita solutione explicatur. Tùm etiam: nam, qui docent, Christum in primo instanti habuisse beatitudinem essentialem ex meritis, tenent, Christum in eodem instanti fuisse simul comprehensorem, & viatorẽ respectu essentialis beatitudinis: ergo D. Thom. debebat non supponere, sed probare, nullatenus fuisse viatorem respectu essentialis beatitudinis. Tùm denique: nam si meritum in Angelis simul tempore extitit cum gloria, vel regulabatur pro tali tẽpore fide, & cognitione obscura, vel ipsa visione beatifica, vel deniq; cognitione abstractiua euidẽti. Si primũ, iam admittitur coexistẽtia pro eodẽ instãti in tuitionis Dei, & cognitionis obscuræ; & consequenter cessat ratio præcedentiæ durationis meriti ad præmium. Si secundum, iam principium meriti cadit sub merito. Si tertium, ergo eadem ratione potuit in Christo meritum simul existere cum beatitudine animæ, per hoc, quod non obscura, sed clara, & abstractiua cognitione regularetur: ergo quomodocumque id defendatur in Angelis, est admittendum in Christo.

145 *Ex his quædam sententia Caietani impugnatur.*

Ex quibus, licet obiter, colligo sententiam Caietani *prima parte quæstione 63. articulo sexto*, asserentis, Angelũ in secundo instanti fuisse beatum, & simul meruisse beatitudinem, merito, nõ prout in via, sed prout in termino, admittendam non esse, nec posse cum ratione D. Thom. & illius doctrina in præsenti componi. Et ratio est aperta: nam meritum Angeli prout in termino, vel regulatur fide, vel clara visione Dei simul tempore existente. Si primum, iam simul tempore existunt clara, & obscura eiusdem obiecti cognitio; & consequenter cessat ratio incompatibilitatis meriti cum præmio essentialis beatitudinis in eodem instanti. Si secundum iam principium meriti, vt in termino existentis, cadit sub eodem merito; quo admisso, etiam euertitur ratio eiusdem incompatibilitatis, vt perse est manifestum.

146 *Vera solutio primæ obiectionis. Bergom. Bañez. Ferrar. S. Tho.*

Quare, omissis his, & aliis solutionibus, ad primam obiectionem respondeo cum Bergomensi *in tabula aurea dubio 154.* Ferrariensi *tertio Contra Gentes cap. 110.* Et Magistro Bañez *prima parte quæstione 62. art. 4 & q 63. art 6. dub. 3* D. Tho. in testimonio allegato, loquutũ fuisse non ex propria, sed ex aliorum sententia, quæ tunc temporis erat frequentior, pro quo est aduertẽdum, D. Th. *loc. alleg.* inquisisse, vtrũ Angeli suam beatitudinem meruerint? Circa quod tres refert sententias: Primã asserentem, Angelum in primo instanti suæ creationis fuisse beatum. Secundam docentem, fuisse omnes Angelos in gratia creatos, & perseuerantes in illa, beatitudinem meruisse, & hãc sequitur D. Thomas. Tertiam docentẽ, fuisse Angelos in puris naturalibus conditos, & conuersis ad Verbum, simul collatam fuisse beatitudinem, & gratiã: pro cuius sententiæ defensione refert tres modos dicendi, & solum approbat

ter-

tertium, quem in obiectione adduximus, non tanquam ex propria sententia, elegerat namque secundam; sed tertia sententia suppositа, quam ipse non sequebatur.

147 *Si dicas primo.* Si dicas primo, D. Thom. saltim vt probabile admittere, meritum in Angelis simul tempore cum gloria extitisse: ergo saltim erit probabile, simul coextitisse in Christo. Respondeo, negando consequentiam; sed tantum infertur, quod si illa sententia admittatur, nō est probanda nostra, & communis sententia ex rationе incōpatibilitatis coexistentiæ meriti, & præmij essentialis beatitudinis, sed ex alijs principijs, non vero, quod absolutè ita euenerit in Christo: nam licet non excludatur meritum beatitudinis essentialis ab anima Christi Domini ob prædictam repugnantiā, poterit ob alia excludi; D. autem Thomas in præsenti vsus est ratione efficaci iuxta propria, & vera principia.

*Respōdetur.*

148 *Si dicas secundo* Si opponas secundo: plures ex Thomistis 1.2 *quæst.* 62. *art.* 3 docere, inter creationem Angelorum bonorum, & eorum glorificationem, nō nisi vnum instans intercessisse, quod insinuare videtur D Thomas *quæst.* 62. *art.* 4 ergo in eodem instanti meruerunt, & fuerūt beati. Respōdeo admisso antecedenti, negando consequentiam nānō ideò id docent allegati Thomistæ, quia vnum & idem instans fuerit meriti, & glorificationis in illis, qui permanserunt, sed quia meritum, vt cōtinuatum est idem, vt primo incipiens; cum eadem actio sit non multiplicant instantia: de quo videantur Discipuli D Tho *l. c. alleg.*

*Respōdetur.*

149 *Ad 2. obiectionē.* Ad secundam obiectionem, nego antecedens: nam meritū posse aliquando simul tempore cum præmio existere, constat claré ex D. Thoma 2. 2. *q.* 29. *art.* 6. vbi docet, charitatem per actus habitu feruētiores statim augeri; sed augetur meritorié: ergo meritum augmēti, & augmentum datum in præmium simul tempore coexistunt in doctrina D. Tho. ac per consequens in præsenti nō ex communi ratione meriti, & præmij sumit incompatibilitatem, sed ex ratione talis meriti, & præmij. Nec obstat prima probatio: nam etsi verba absolutè proferantur, sunt intelligenda iuxta alia Diui Thomæ principia; & consequenter sunt limitanda Nec magis obstat secunda: nam gratia, de qua loquitur D. Thomas, est gratia consummata, & in statu perfecto, qualiter fuit Christo concessa; gratia autem cōsūmata cū fide nequit cōponi: nam vel formaliter consumatur per gloriā, vel per eius radicationē nō autē stat simul fides, & gloria, vel illius radicatio.

150 Nec sequitur, Diuum Thomam diminute processisse, nō probando, quod nō meruerit habitualem gratiam, præscindendo ab statu consummationis; cum enim gratia fuerit collata Christo, non præcisiuē ab hoc statu, sed vt in statu perfecto, non incumbebat Angelico Præceptori probare de gratia in illa præcisione. Nec denique vrget tertia antecedentis probatio: nam scientia, de qua loquitur D. Thom. est scientia beata, & infusa, quarum vtraque est cum fide incomposibilis; diuinitas autem, etsi ex repugnantia coexistendi cum fide, non repugnet coexistentiæ cum merito sui, elicito ab humanitate Christi, repugnat tamen ex alio capite, nempé, quod humanitas non potest, saltim ex natura rei operari, nisi vt in supposito existens: si ergo mereretur diuinitatem coniunctam, vel liceret meritum vt subsistens in supposito diuino, vel in supposito humano? Si primum, principium meriti sub eodem merito caderet, quod implicat. Si secundum; cum non possit simul tēpore terminari per suppositum creatum, & suppositum diuinum, iam meritum cum præmio tempore non coexisteret.

*Nec vrget 3. antecedentis probatio.*

151 *Ad tertiam obiectionē.* Ad tertiam obiectionē, nego antecedens: ad illius probationem, nego etiā antecedens pro vtraque parte: pro prima, tùm, quia notitia euidens abstractiua Dei habita per scientiam infusam subsequitur ad visionē beatificam, & esto, non subsequatur in præsentia illius, nequit, attentis rerum naturis, d lectionem regulare, eo quod visio præexistēs pro priori naturæ, aut simul cū illa existēs, cū ad amorē necessiret, non potest illū non regulare; non autem stat, quod per vtraque cognitionē reguletur, vt vidim⁹ *supra Disput.* 44. Nec est duplex

actus dilectionis, vnus regulatus visione, & alter scientia infusa, vt ibidem docuimus. Tùm etiam, quia cum notitia abstractiua Dei non sit ipsius immediata, sed mediata cognitio, non est ita apta ad regulandum actū dilectionis Dei, sicut obscura fidei cognitio, quæ licet obscura sit, immediatè terminatur ad ipsum. Et ex eisdē capitib' oritur, quod dilectio Dei potius petat regulari per fidem, quam per notitiam euidentē abstractiuam: tum, quia hæc non adest, nisi in præsentia visionis, & tunc dilectio non ab illa, sed à notitia intuitiua per se, & connaturaliter regulatur. Tùm etiā, quia cum sit immediata Dei dilectio, connaturalius per cognitionem immediatam Dei regulatur, licet obscuram, quam per claram, & mediatam.

152 *Secundo respondetur.*

Vel secundo respondetur, etiam negando antecedens: ad illius probationem, prætermisso antecedenti de dilectione Dei in esse entis considerata, negando consequentiam de ipsa in ratione meriti: nam cum ad rationem meriti requiratur, quod præmium non præsupponat, nec vt immediatū, nec vt mediatum principium, & dilectio regulata per notitiam euidentem abstractiuā præsupponat visionē Dei, saltim vt mediatum principium, eo quod scientia infusa illam immediatè regulans sequitur ad visionem beatificam, vt proprietas illius; fit consequens, quod licet dilectio Dei in esse entis æquè apta sit regulari per notitiam euidentem abstractiuam, ac per cognitionem obscuram; in ratione tamen meriti visionis beatificæ inæqualem aptitudinem habeat: nam vt sic, solum potentia absoluta Dei inspecta, potest regulari per notitiam scientiæ infusæ; per fidem autem attentis rerum naturis.

153 *Secūdū argumētum.*

Secundo principaliter arguitur: nam iuxta D. Tho. infra q. 34. art. 3. in corp. *Christus sanctificatus fuit in primo conceptionis instanti per motus liberi arbitrij*: sed motus liberi arbitrij ad habitualem gratiam disponentes, licet illam nō mereantur, merentur tamen gloriam: ergo Christus per huiusce modi motus se præparans, & disponens ad gratiam, gloriam essentialem meruit. Probatur minor ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 2. *ad* 1. vbi docet: *Quod dispositio ad habitualem gratiam in nobis simul existens cum illa, etsi non mereatur gratiam, est tamen meritoria gloriæ*: ergo pariter in Christo.

*Respōdetur.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: ad probationem, nego consequentiam; ratio autem discriminis sumitur ex D. Thom. nam ideò ait, nos per vltimam dispositionem ad gratiam non mereri gratiam, sed gloriam, quia gratia præsupponitur habita, gloria autem nondum habetur; in Christo verò, & gratia, & gloria habitæ supponuntur; gratia quidem, quia ab illa efficitur, & in ratione meriti valoratur vltima dispositio valoratione sui ordinis, vt dicebamus; gloria verò, quia per illam regulatur, non enim regulari potest fide, quæ cum visione esse nequit de eodem obiecto, nec notitia scientiæ infusæ, quæ visionem sequitur, & in illius præsentia nequit dilectionem regulare, vt cōstat ex dictis; & ideò actus vltimo disponens ad habitualem gratiam in Christo, nec gratiæ, nec gloriæ meritorius esse potest.

154 *Dices.*

Sed dices; supposita sententia probabili, quod motus dilectionis in Christo præuiè dispositerit ad gratiam habitualem, ideò illam de facto nō meruit, quia pro priori disponendi ad gratiam, non supponitur formatus per gratiam habitualem, quæ formatio est necessaria, vt sit meritorius modo debito, & sibi connaturali, vt *superius* dicebamus; at pro priori naturæ ad visionem beatificam, supppponitur gratia habituali formatus: ergo supponitur cum omni requisito, vt connaturaliter sit meritorius; & consequenter de facto fuit ordinatus à Christo in gloriam essentialem animæ, vt in præmium talis actus: ac proinde illam sibi meruit de facto. Probatur minor: gratia formal, & valorat actus meritorios sanctificādo subiectum; sed pro priori ad emanationem luminis; & consequenter ad visionem beatificam, gratum constituit subiectum; cum sit illius effectus primarius; ac per consequens prius intelligatur, quam luminis emanatio, quod ad illam comparatur in genere causæ efficientis: ergo pro priori ad visionem beatifi-

tificam intelligitur modus dilectionis ab anima Christi elicitus, formatus, & valoratus per gratiam habitualem.

155 *Respõdetur primo.* Respondeo, negando minorem: ad illius probationem respondeo primo: quod licet gratia valoret actus sanctificando subiectum, nõ tamẽ, vt sistẽs in subiecto, actus valorat, sed vt communicata ipsis actibus vt forma; licet autem inter gratiam, vt sanctificantem subiectum, & habitus radicatos, causalitas admittatur; & cõsequẽter prioritas naturæ, & *à quo*; inter ipsam autẽ vt informantẽ actus meritorios, & habitus radicatos, prioritas naturæ, aut causalitatis non est; cum enim habitus consequantur ad gratiam per modum propriæ passionis, & ex vi eiusdem actionis, nulla est causalitas in habitus resultantes, quæ primario ad gratiam non terminetur: cum ergo actus, vt formati per gratiam in ipsam gratiam non influant, nec causalitatem exerceant; consequens fit, quod nec causent prout sic habitus resultantes à gratia, inter quos est lumen gloriæ.

156 *Secũdo respond.* Vel secundo respondetur: actus præuiẽ disponẽtes ad gratiam pro priori causæ disponentis procedere, vel à gratia, vt auxiliante, vel ab auxilio facile transeunte, & pro illo priori procedere proximẽ, vel ab habitu luminis gloriæ sub conceptu auxiliantis, vel ab auxilio facile transeunte; cæterum pro illo priori non sunt formati per gratiam, quoad vsque in eodem instanti à gratia, vt permanenter communicata procedant, cæterum pro illo signo iam supponunt lumen gloriæ permanenter communicatum: nam principium influens proximẽ, siuẽ eliciendo, siuẽ regulando actus, proportionatur cum principio radicali: cum ergo pro illo signo formationis per gratiam procedant ab illa per modum habitus, vt radicali principio; fit consequens, quod pro eodem signo procedant ab habitu charitatis, vt permanenter communicato tanquam à principio efficienti proximẽ, & à lumine gloriæ permanenter communicato tanquam à principio efficienti visionem regulantem, & ab ipsa visione, vt comunicata permanenter tanquam à formali regula: ac proinde, quod vt formati per gratiam, lumen gloriæ nõ præcedant.

157 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur: Christus prius natura prædiffinitus, & præuisus fuit merens per actus procedentes à scientia infusa, à beataque independentes, quam præuisus fuerit beatus; sed actus illi, per quos præuisus fuit merens, habebant omnes conditiones requisitas ad merendam visionem Christi beatificam: ergo de facto illam meruit. Illatio tenet. Minor videtur certa, supposito, quod præmium potest conferri ante meritum, vt existens in re, solum in præuisione præmiantis: nam, hac sententia supposita, actus illi in diuina præuisione antecedunt; & aliàs supponuntur à visione Christum beatificante independentes: ergo nil illis deerat, vt essent merita visionis beatificæ Christi.

*Maior ostenditur 1.* Maior autem ostenditur primo: nam Christus ex primaria Dei intentione; & consequenter primo prædiffinitus est, vt hominum Redemptor: ac per consequens merens, & satisfaciens per actus liberos; sed ad hunc finem erant necessarij actus liberi, ad quos visio beatifica impertinenter se habebat: ergo prius natura prædiffinitus, & præuisus fuit Christus merens per actus liberos à scientia beata independentes, ab infusaque regulatos, quam Deum claré videns.

*Secundo* Secundo: nam Christus per visionem beatificam intuitiué cognouit in primo suæ conceptionis instanti omnia ad ipsius statum pertinentia; ac per consequens actus aliquos suos meritorios, quibus earum rerum futuritionem promeruit; sed obiectũ præsupponitur ad actum, saltim prioritate naturæ: ergo actus illi futuri, quos Christus per visionem beatificã intuitiué conspexit, prius natura fuerunt prædiffiniti, & præuisi, quam visio Christi beatifica.

158 *Respõdetur.* Respondeo, negando maiorem: ad primam probationem, transeat maior, & nego minorem; cum enim visio beatifica Christi fuerit regula dilectionis, qua Christus Deum liberé diligebat, & ex hac dilectione actus cæterarum virtutũ fuerint in Christo imperati, & ratione huius imperij de condigno meritorij; fit consequens, quod vi-

sio Christi beatifica fuerit principium, & causa omnis actus meritorij Christi: ac proinde nullius esse potuit præmiũ, etiam vt causantis in præuisione diuina. Et dato, quod dilectio, qua Christ⁹ diligebat Deum liberé, non à visione beatifica, sed à scientia infusa fuerit regulata, & similiter cæteri actus, quibus merens præuidebatur, quia tamen scientia infusa ex natura rei beatificam visionem supponit, actus dependentes ab illa, mediatè à visione dependent: ac per consequens, esto præuideantur futuri, non possunt meritoriè causare visionem Christi beatificam. Præterquãquod, quamuis demus, saluari in actibus virtutum per se infusarum meritum sine imperio charitatis, nihilominus attentis rerum naturis, non possunt prædicti actus elici à vidente Deum sine dependentia à visione beatifica, eo quod videns intuitiuè Deum, non potest non moueri efficacius ad exercitium virtutum, quod videt Deo placere, quam si ipsum claré non videret, vt rectè animaduertit Vazquez, cuius doctrinam quoad impossibilitatem ex natura rei meriti visionis beatæ habitæ ab initio approbamus; ac proinde non potuit Christus prædiffiniri, & præuideri, actus meritorios eliciens sine dependentia à visione.

159 *Ad 2. maioris probationẽ.*

Ad secundam maioris probationem respondeo primo, concessa maiori, distinguendo minorem: obiectũ primarium actus, concedo minorem: secundarium, nego minorem, & consequentiam: nam actus liberi non sunt obiectum primarium, sed secundarium visionis Christi beatæ; licet autem obiectum primarium sit prius natura, quã actus, quem primo terminat; obiectum secundarium non ita; cum enim prioritas naturæ sit prioritas causalitatis, & obiectum secundarium non sit causa actus terminati ad ipsum; fit consequens, quod non præcedat illum priori tate naturæ: vnde visio beatifica se ipsam secundario intuetur; cum tamen nequeat à se causari, vel se ipsam naturæ prioritate præcedere.

*Vel 2. respõdetur*

Vel secundo respondeo, concessa maiori, & permissa minori, distinguendo consequens: fuerunt prius natura prædiffiniri, & præuisi in omni genere causæ, nego consequentiam: prius natura in vno genere cum dependentia in alio genere causæ, transeat consequens; vt autẽ possent esse merita visionis Christi beatificæ, debebant illam præcedere taliter in vno genere causæ, quod in nullo essent dependentes ab illa.

## §. X.

### *De gloria corporis, nominisque exaltatione.*

160 *Sexta cõclusio*

SEXTA CONCLVSIO. *Meruit Christus gloriam corporis, & sui nominis exaltationem.* Ita omnes Theologi cum Angelico Doctore *in præsenti articulo tertio*, in eo gradu certitudinis, vt oppositum censeant hæreticum. Et quoad primam partem ostenditur primo testimonijs Scripturæ Lucæ 24. illis verbis: *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* corporis, scilicet: nam gloriam essentialem animæ ab initio possidebat. Ad Hebræos secundo: *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Ad Ephesios quarto: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ.* Vbi ascensus in cœlum descensui per humilitatem tribuitur; at ly *propter* in secundo testimonio, & causalitas in alijs importata, de causalitate meritoria accipiuntur, iuxta communem Patrum, & Theologorum consensum: ergo Christus gloriam corporis suis meritis obtinuit.

*Ostenditur primo quoad 1. par em. Luc. 24.*

*Ad Hebræos 2. Ad Ephes. 4.*

161 *Secũdo prob.*

Secundo probatur ratione D Tho. *in præsenti art. 3.* nam gloriam corporis Christus ab initio non habuit. Tùm, vt locus redẽptioni hominum per passionem, & mortẽ daretur. Tùm etiam, quia cum non pertineat ad consũmatio

nem

nem gratiæ, plus dignitatis humanitati Christi ex illius merito accrescit, quã ex illius carentia temporali decrescat; sed in actibus Christi meritorijs erat cõ dignitas sufficiens ad gloriam corporis promerendam: ergo illam de facto meruit.

*Tertio.* Denique: nam actibus Christi Dñi nulla ex conditionibus ad meritum requisitis deficit in ordine ad gloriam corporis; aliàs non se tenuit ex parte principij merendi, & si carentia temporalis præmij requiritur, de facto illa temporaliter caruit: ergo de facto illam meruit.

**162** *Secũda pars conclusionis ostenditur primo.* Deinde secunda pars conclusionis ostenditur primo ex illis verbis ad Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomẽ.* Vbi ly *propter* causalitatẽ meritoriam designat in communi PP. & Scholasticorum sensu: ergo iuxta Paulum Christus sibi meruit nominis celebritatem, & propriam exaltationem: vnde Augustinus *S. Aug.* *tract. 109. in Ioannem* hunc locum exponens ait: *Humilitas, claritatis est meritum, claritas, humilitatis est præmium.* Quam claritatem Christus à Patre petebat *Ioannis* 17. *Ioan. 17.* illis verbis: *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater.* Quæ oratio meritoria fuit, vtpote à Christo viatore, & cum alijs conditionibus ad meritum requisitis, fuitque efficacissima: vnde Ioannis 12. Christo sic in præsenti postulante, de cœlo responsum fuit: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: claritas ergo, & nominis exaltatio fuit præmium meritorum Christi. *Ioan. 12.*

**163** *Secũdo.* Secundo probatur ratione D. Tho. *in hoc art. 3* habere aliquid per meritum, dignius est, quam sine merito habere, si cætera paria sint, hoc est, si maioris dignitatis detrimentum non sequatur; sed potuit Christus habere ex meritis sui nominis exaltationem, nec sequitur detrimentum maioris alicuius dignitatis: ergo illam de facto meruit.

*Contrariũ sẽtiã tenet Catherinus.* Contrarium huius conclusionis docuit Catherinus *lib. 2. institutionum cap. 17. § 6.* vbi ait, Christum non sibi, sed nobis tantum meruisse. A quo parum distat Guillelmus de Rubion *in 3. dist. 18.* vbi, quamuis non neget absolutẽ, Christum meruisse sui nominis exaltationem; docet tamen, esse rem incertam, & dubiam, & ideò non esse simpliciter affirmandam, quia nec ex Scriptura colligitur, nec certa aliqua ratione probatur. Fundamẽtum Catherini sumitur ex locis Scripturæ, in quibus pro causa aduentus Christi sola salus nostra assignatur Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ioannis 17. *Et pro illis sanctifico meipsum.* Ad Romanos 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ.* Isaiæ 9. *Puer natus est nobis.* Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* *Ioan. 3.* *Ioan. 17* *Ad Roman. 8.* *Isai. 9.* *Zac. 9.*

Ex quibus testimonijs tale argumentum conficitur; adæquatus finis meritorum Christi, fuit salus hominum, & illorum redemptio: ergo hæc fuit adæquatum meritorum Christi præmiũ; & consequenter nihil attinens ad Christum, fuit talium meritorum præmiũ. Consequentia tenet: nam præmium est finis meriti. Antecedens autem probatur: idem est finis meritorum Christi, atque illius aduentus in carne mortali, & passibili; sed finis adæquatus aduentus Christi fuit salus hominum: ergo hæc fuit adæquatus meritorium Christi finis. Probatur minor: adæquatus finis aduentus, & Incarnationis Christi in Sacra Scriptura explicatur; sed, vt constat ex locis adductis, assignatur pro finali causa aduentus, & Incarnationis Christi, sola salus nostra: ergo illa sola fuit adæquatus finis aduentus, & Incarnationis Christi.

**164** *Argumẽtum conficitur.*

**165** *Cõfirmatur primo.* Confirmat primo Catherinus: nam Christus in Sacra Scriptura, nusquam legitur, pro se orasse, vel nominis exaltationem, aut gloriam à Patre postulasse; sed si hæc meruisset, ea à Patre postulasset: ergo illa sibi non meruit. Confirmat secundo: nam charitas Christi erga homines maximè frigesceret, si aliquid sibi meruisset; sed hoc asserendum non est: ergo negãdum aliquid sibi meruisse. Probatur sequela: quærens ex merito propriam vtilitatem, non ita diligit illum, cui aliquod donum meretur, ac si nihil vtilitatis sibi ex tali merito quæ-

*Secũdo.*

reret; at si Christus aliquid sibi meruisset, ex suo merito propriam vtilitatem quæsisset: ergo illius dilectio erga homines non adeò esset commendabilis.

165 *Tertio.* Confirmatur tertio, & vrgentius. Si Christus aliquid sibi per mortem, & passionem meruisset, sequeretur, magis pro se, quam pro nobis, & propter nostram salutem fuisse hominem factum, & passum; consequens aduersatur Scripturæ: ergo Christus nihil per mortem, & passionem sibi meruit. Probatur sequela ex Cyrillo *lib. 3. Thesauri cap. 2.* vbi contra Arrianos asserentes, Christū exaltatum fuisse, oleo exultationis vnctum, & donatum illi nomen, quod est super omne nomen, quia per mortem fuit humiliatus, & ex hoc inferentes, Christum fuisse mutatum, & factum, non autem esse per naturam Deum. Sic arguit Cyrillus: *Quando igitur fuit factus homo, tunc fuisse nomen sibi donatum scribitur, & tūc exaltatus dicitur, nunc igitur ante Incarnationem huiusmodi non fuit? Nam si fuit huiusmodi, superfluum est dicere, postea ipsum accepisse; si verò non fuit talis, nec acceperat hæc mutatus, profecto cum acceperit est. Quid igitur erat secūdum vos antequam hæc accepisset? Sed si hæc factus homo accepit, est homo, sapientia, certè, & virtus Patris, & veritas, & lumen de lumine, & ita, et imago Patris semper fuit, & semper erit: nam si hæc quoque ante humiliationem nō habuit, videant quæso, quomodo rerum omnium ordo per summam impietatem conuertatur? Scripturæ namque diuinæ Incarnationem Filij hominis factam prædicant ad restitutionem totius generis humani, sim verò (vt ipsi dicunt) exaltatus post Incarnationem est Filius Dei, & factus sublimis, quod antea non habebat, pro se magis Incarnatus esset, quam pro hominibus, sibi enim magis secundum vos profuit, quam hominibus: ita non pro nostra salute magis, quam pro se exaltaretur, nomenque maximum assequeretur, homo factus esset: quomodo igitur Prophetæ, & Apostoli Saluatorem nostrum appellant, si sibi magis, quam nobis profuerit? Vel quomodo pro nobis mortuus est, si ea pro morte Deus ipse, ac Filius Dei est appellatus?* *S. Cyril.*

Hæc Cyrillus: ex quibus manifestē constat, sensisse, quod si Verbum non à se, sed ex meritis, & propter mortem, & passionem suam Dei Filij nomen Christus accepisset, non tam propter nos, quam propter se ipsum, & propriam vtilitatē venisset, & mortuus fuisset, quod, vt inquit Cyrillus, Scripturis contradicit: ergo si Christus per humilitatem, & mortem sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem meruisset, sequeretur, non tam propter nostram, quam propter suam ipsius vtilitatē fuisse hominem factum, & mortuum. 167 *Illatio ex auctoritate Cyrilli.*

Denique confirmatur ex Anselmo *lib. 1. Cur Deus homo cap. 9.* vbi versans verba Pauli: *Humiliauit semetipsum factus obediens, &c. propter quod, et Deus exaltauit illum*; ait, non propterea dictum esse, *quasi hæc exaltatio non nisi in retributionem huius obedientiæ collata sit, sed quia ipse cum Patre disposuerat, non aliter, quam per mortem celsitudinem omnipotentiæ suæ ostensurum mūdo, quippè, quod nisi per illam mortem fieri, dispositum est, cum per illam fit, non incōgruè dicitur propter illam fieri.* Cuius rei plurima adducit exempla, & post pauca aliam eiusdem testimonij interpretationem adiungit, his verbis: *Potest hoc, & eo modo intelligi, quo idem Dominus legitur profeciſſe sapientia, & gratia apud Deum, nō quia ita erat, sed quia ille sic se habebat; at si ita esset, quod si post mortem exaltatus esset, quasi propter illam fierent hæc.* Ergo sentit Anselmus ly *propter* in verbis Pauli non denotare causam meritoriā exaltationis in Christo, nec Christum sui nominis exaltationem; ac proinde nec corporis gloriam meruisse. 168 *Vltimo cōfirmatur ex Anselm.*

Respōdeo, negando antecedens: ad probationem, distinguo maiorem: idē est finis meritorum Christi, ac finis aduentus ipsius primo intentus, nego maiorem: ac finis primo, vel per occasionem intentus, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet finis per modum effectus per se primo intentus in aduentu, & morte Christi, fuerit salus nostra, & redemptio; supposito tamen, quod vt Christus nobis mereretur moriendo, prædiffinitus fuit passibilis, & si- 169 *Respōdetur.*

ne

ne gloria corporis, quasi occasionaliter fuerunt; tùm à Deo: tùm etiam ab ipso Christo eius merita ad gloriam corporis merendam ordinata.

Exemplum habemus in Angelis, quibus Christum illuminationes, & gaudia accidentalia meruisse, omnes Theologi fatentur, imò, & quod ipsis meruerit gratiam, & gloriam, plures probabiliter docent; cum hac tamen differentia, S. Tho. teste D Thoma q. 29. de veritate art. 4. ad 5. quod humanitas Christi ordinatur ad influentiam, quam facit in homines, tanquam ad finem intentum; influxus autem in Angelos non est vt finis Incarnationis, sed tanquam Incarnationi consequens. Ex hisque ad maioris probationem constat solutio: nam in testimonijs Scripturæ explicatur finis principaliter per Incarnationem intentus, qui fuit salus hominum, & redemptio nostra. Nec sequitur, posse dici, Christum pro se passum, & mortuum; nam iste modus loquendi denotat præcipuum mortis, aduentus, & passionis Christi finem.

Ad primam confirmationem constat ex dictis, omnino deceptum fuisse Catherinum: nam Christum orasse pro se, à nemine potest negari; postulauit enim à Patre clarificari locis superius adductis. Ad secundam, nego sequelam; cum namque ex eo quod Christus sibi meruerit nominis exaltationem, & sui corporis gloriam, non desierit hominibus etiam mereri eadem dona, quæ illis mereretur, quãuis sibi nihil meruisset, nihil dilectio Christi erga homines minuitur ex merito propriæ gloriæ. Ad tertiam, nego sequelam: ad probationẽ, admissa auctoritate Cyrilli, nego consequentiam; disparitas autem est: nam casu in quo Christus non esset natura, sed ex meritis Deus, nec alitèr quam per merita diuinitatem esset obtenturus, nulla esset ratio, cur primo, & per se nõ fuisset carnem assumptus eo fine, vt diuinitatem acciperet: ac proinde bene arguit Cyrillus; secus in nostro casu opposita de causa contingit; ideo enim gloria corporis caruit, vt homines passione, & morte redimeret, non vt illam suis meritis acquireret: ac proinde finis per se primo, & principaliter per Incarnationem intentus, non fuit gloria corporis Christi, sed effectus Incarnationem quatenus sic factam consequens. Ad vltimam confirmationem dicatur, Anselmum loqui de morte, vt in facto esse, de qua est verum, Christum non meruisse per illam, & consequenter, non quia mortuum exaltatum, ly *quia* dicente causam meritoriam, sed tantum fuisse aliquid præuium sine quo posito non consequeretur Christus gloriam corporis, nec celebritatem nominis.

170 *Ad primã confirmationem.* *Ad secũdam.* *Ad tertiam.* *Ad vltimam.*

Secundo arguitur; Christus nõ meruit de facto gloriam essentialem animæ: ergo nec gloriam corporis. Antecedens constat ex dictis, & consequentia probatur: nam cum duo comparantur, vt propria passio, & essentia, nõ stat vnum sine altero mereri; sed gloria corporis sequitur ad gloriam animæ per modum propriæ passionis: ergo si Christus gloriam animæ nõ meruit, nec meruit sui corporis gloriam. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: ad illius probationem, distinguo maiorem: si vtrumque simul ponatur, concedo maiorem: si essentia supponatur habita sine sua propria passione, nego maiorem: & prætermissa minori, nego consequẽtiam: quia gloria animæ supponitur ab initio conceptionis possessa sine gloria corporis Christi, vt locus daretur redemptioni hominum per passionem, & mortem; & ideò quamuis gloria corporis sequatur ad gloriam animæ tanquam propria passio in rigore, quod à pluribus negatur, potuit Christ⁹ gloriam corporis, qua non potiebatur, mereri absque eo, quod gloriam animæ essentialem mereretur.

171 *Secũdũ argumẽtum.* *Respondetur.*

Sed contra, & sit tertium argumentum: gloria corporis est sequuta ad gloriam animæ ab initio cõceptionis Christi, nisi Deus impedimentum posuisset: ergo Christus non meretur gloriã corporis directé, sed tantum impedimenti ablationem, & gloriam corporis indirectè. Antecedens patet: nam passio sequitur posita essentia, nisi adsit impedimentum. Consequentia vero probatur: nam Christus solum meretur, quod cũ gloria corporis datur, ponitur ex parte Dei; sed ex parte Dei solum ponitur impedimenti remotio directé, ad quam sequitur gloria corporis: ergo Christus tã

172 *Tertium argumẽtum.*

tum

tum meretur directé impedimenti ablationem, gloriam verò corporis tantum indirectè meretur.

173 *Iudicium Scoti.*

Quo argumento conuictus Scotus *in 3. dist. 18. q. ast. vnica*, docet, Christū non immediatè, & per se, sed indirectè, & mediatè sui corporis gloriam meruisse, cui consentit Vazquez *in præsenti disp. 79. cap. 1.* si gloria corporis tam quam propria passio sequatur ad gloriā animæ, quia tamen hoc falsum censet, ideò ab Scoti sententia recedit, quoad dotes corporis, in quibus gloria corporis consistit; quoad dotem autem impassibilitatis animæ, quia naturaliter sequitur, nisi miraculosè impediatur, veram illius sententiam existimat.

174 *Existimatio Scoti reijcitur primo.*

Hæc autem Scoti existimatio displicet communiter Theologis: & reijcitur primo: quia nullum fuit positiuum impedimentum, ex quo proueniret, vt gloria animæ non redundaret in corpus. Tum, quia explicari non potest, quod sit illud positiuè impediens redūdantiam istam, nec id explicant Scoti discipuli aientes, esse miraculum, nā miraculosū fuisse à nemine dubitatur; sed miraculum potest sine impedimento positiuo subsistere. Tum etiam, quia tale impedimentum positiuum ad eum finem necessarium non erat; sed potuit Deus redundantiam illam sola suspensione concursus impedire, sicut sola sui concursus suspensione impediuit, ne ignis in fornace Babilonis cōbureret pueros, & illa sola potest cuiusvis passionis ab essentia dimanationem impedire: ergo sola sui concursus suspensione impediuit Deus redundantiam gloriæ ex anima in corpus Christi; sed suspensio concursus, per concursus exhibitionem tollitur: ergo mereri ablationem impedimenti, idem est, quod mereri ipsum diuinum concursum, vt gloria animæ redundet in corpus; mereri autem Dei cōcursum est mereri gloriam corporis: ergo Christus *directè* merens remotionē impedimenti *directè* gloriam corporis meruit.

175 *Secundo reijcitur*

Secūdo reijcitur: nam dato, adfuisse impedimentum aliquod positiuum, non sequitur meruisse Christum gloriā corporis *indirectè*: ergo ruit Scoti doctrina. Probo antecedens: nam id quis *directè* meretur, quod primo cadit in merentis, & præmiantis intentione; sed esto adfuisset positiuum impedimētū, cuius remotio in executione præcederet, intentio tamen Christi merētis per se primo ad gloriam corporis erat directa, & intentio Dei præmiātis, & ex hoc fine meritum Christi remotionem impedimenti attingebat: ergo, adhuc tali impedimento admisso, non sequitur *in directè* Christum sui corporis gloriam meruisse. Tertio, vel meritum Christi attingit sua causalitate gloriam sui corporis, vel adæquatè sterit in remotione impedimenti; si primum: ergo quamuis fuerit in executione posterior, potuerit in intentione præcedere; & consequenter esse præmium *directè* à Christo promeritum; si secundum, non saluantur testimonia Scripturæ asserentia, Christum suam gloria meruisse, quod de gloria corporis cōmunis PP. & Scolasticorum consensus accepit. *Tertio.*

Denique, nam verba Scripturæ attribuentia Christo meritum gloriæ sui corporis, sunt in rigore, & proprietate accipienda; cum ex eo nullum absurdum sequatur, & PP. ac Theologi vniformi cōsensu illa in sermonis proprietate vsurpauerint; sed mereri impedimenti amotionem, qua posita gloria corporis cōsequitur, non est cum proprietate gloriam corporis mereri: ergo non solum meruit remotionem impedimenti *directè*, sed & ipsam gloriam corporis. 176 *Quarto.*

Probo minorem primo, nam tollens *physicè* impedimentum, v. c quo lapis detinetur ne descendat in centrum, non dicitur proprie motum lapidis descendentis causare: ergo pariter merens, seu moraliter causans remotionem impedimenti, quo impeditur gloria corporis, non dicitur proprie merens, aut moraliter causans gloriam. Secundo, nam causa *per accidens* non dicitur proprie causans; sed merens remotionem impedimenti, & non gloriam *directè*, solum per accidens dicitur causare gloriam: ergo non proprie illam meretur, aut causat moraliter. *Minor probatur primo.* *Secundo*

177 *Ad 3. argumētū respondetur 1.*

Et ex his ad tertium argumentum, respondeo negando antecedens: non enim interuenit impedimentū aliquod positiuum, vt gloria animæ in corpus

non

non redundaret, sed sola diuina ordinatio de suspendendo concursum, quine cessarius erat, vt ex gloria animæ dimanarent dotes glorificantes corpus, quæ ordinatio tollitur per decretum exhibendi concursum; vnde ablatio nē huius impedimēti mereri idem est, quod mereri decretum, & concursum diuinum; meritum autem concursus Dei, est directē meritum gloriæ corporis.

178 *Secundo respondetur.*

Secundo respondeo, prætermisso antecedenti, negando consequentiam: ad cuius probationem, respondeo cum Vincentio de gratia Christi *q. 5. pag. 543.* distinguendo maiorem: quod ex parte Dei ponitur *physicè*, vel *moraliter*, concedo maiorem: solum *physicè*, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet Deus auferens impedimentum, quo ablato, sequitur gloria corporis ex vi gloriæ animæ, *physicè* solum causet *directè*, & per se impedimenti remotionem; gloriam autem corporis solū *indirectè*, & *per accidens*; *moraliter* autem per se causat gloriam corporis, quia ex ea intentione, & fine remouet impedimentum, vt gloria corporis dimanet ex gloria animæ, sicut applicans ignem ad comburendam domum, solū *per accidens* est causa combustionis physica; est autem causa moralis prædictæ combustionis per se. Et idem ex parte Christi vt merentis est dicendum, nempē, *directè* causasse gloriam corporis *moraliter*, quatenus ea intentione meruit impedimenti ablationem, vt gloria corporis potiretur: vnde, quamuis in executione prius meruerit remotionē impedimenti, quam gloriam corporis, in intentione tamen prius gloriam corporis, quam impedimenti remotionē meruit.

179 *Tertiū argumētū, aliter ab Scoto proponitur.*

Et ex his etiam occurritur tertio argumento, qualiter ab Scoto proponitur. Illud, inquit Scotus, quod infuisset subiecto sine aliqua illius actione, nisi impedimentum adesset, non cadit sub tali subiecti merito; sed gloria corporis infuisset Christo ab initio sine aliqua illius actione, nisi impedimentum adesset: ergo non cadit sub meritis Christi Domini; maiorem non probat Scotus, sed potest probari: illud, quod sic conueniret, nisi impedimentū adesset, fit postea, impedimento sublato, ex vi eiusdē actionis, qua fieret ab initio, nisi adesset impedimentum; sed si impedimentum non fuisset, fieret, & conueniret subiecto sine aliqua illius actione: ergo impedimēto sublato cōuenit etiā sine aliqua actione subiecti; ac per consequens sine merito. Cui argumento respondet Scotus conuinci Christum non causasse per meritum gloriam corporis *directè*, sed tantum impedimenti ablationem, gloriam autem corporis indirectē.

Sed ex dictis respondemus, negando maiorem, siue impedimentum sit negativum, siue positiuum; ad illius probationem distinguo maiorē: ex vi eiusdem actionis *physicè*, concedo maiorem: ex vi eiusdem actionis *moraliter* influentis, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam licet gloria corporis, impedimento sublato, sequatur ad gloriam animæ ex vi actionis gloriam animæ infundentis, vt terminus secundarius, sicut passio sequitur ad essentiam ex vi actionis primario ad essentiam terminatæ absque media noua actione, solum per dimanationem; & consequenter Christus nulla actione *physice* causante influxerit in sui corporis gloriam, influxit tamen in illam media actione meritoriē causante, merendo, scilicet, vt Deus, vel impedimentum auferret, si tale impedimentum erat, vel vt suum concursum, quem negauerat, præstaret, vt gloria animæ redundaret in corpus; & ideo illam causauit *directè, meritoriè*, & *moraliter*.

180 *Respōdetur.*

Sed dices, gloria corporis, impedimento sublato, sequitur ad gloriam ex vi eiusdem actionis primo, & per se terminatæ ad gloriam animæ, & ad gloriā corporis secundario: ergo fit ex vi eiusdem concursus diuini primario terminati ad gloriam animæ, & ad gloriam corporis secundario; sed Christus non meruit concursum Dei vt primario terminatum ad gloriam animæ: ergo nec vt secundario ad gloriam corporis terminatum. Patet consequentia: nā vnus, & idem concursus, non potest esse liberalis, & ex iustitia.

181 *Replicabis.*

Et confirmabis primo. Si gloria corporis infuisset Christo à primo con-

182 *Cōfirmabis 1.*

cep-

ceptionis instanti, Christus illam non mereretur, non quia pro tunc conueniret; cum hoc, merito non obstet, sed quia conueniret ex vi eiusdem concursus primo terminati ad gloriam animæ, & ad gloriam corporis secundo, & sub prima terminatione liberalis, & gratiosus fuit; sed etiam impedimento sublato, sequitur ad gloriam animæ ex vi eiusdem concursus secundario ad ipsam terminati: ergo Christus gloriam animæ non merens, nec mereri potuit gloriam corporis directé.

183 *Secundo*

Confirmabis secundo, gloria corporis, impedimento sublato, est effectus Dei per se, non vt impedimentum auferentis, sed vt primo gloriam animæ infundentis, ad modū quo motus lapidis deorsum, impedimento sublato, tribuitur, vt causæ per se, non causæ auferenti impedimētum, sed generanti; sed Deus vt primo infundens gloriam animæ, est liberaliter, & non ex iustitia agens: ergo vt ad gloriam corporis, sublato impedimento, concurrit, non agit ex iustitia, sed omnino liberalitér, & consequenter gloria corporis Christi non est per se, & directé præmium meritorum illius.

184 *Ad replicā resp.*

Ad obiectionem respondeo, concesso antecedenti, distinguēdo consequēs: ex vi eiusdem concursus diuini physica identitate, concedo consequentiam: idē titate morali, nego consequentiam; & distinctio moralis inter concursum diuinum, vt primo terminatum ad gloriam animæ, & vt terminatum ad gloriā corporis; sufficit, vt sub prima terminatione meritum subterfugiat, & sub secunda causalitatem meritoriam terminet, sicut *supra* dicebamus de continuatione Incarnationis; diuersitas autem moralis consistit in eo quod concursus Dei vt primo terminatus ad gloriam essentialem animæ; & vt secundo terminatus ad gloriam corporis, subest diuersis decretis; cum enim Deus decreuerit vt gloria corporis, non consequeretur ad gloriā essentialem animæ, sed suspenderetur effluxus, vt postea gloria animæ redundaret ad corpus, & gloria corporis dimanaret ab illa, nouum decretum necessarium fuit.

*Idē concursus subdiuersa termi natione, potest meritū terminare, & liberalis esse*

185 *Ad 1. cōfirmationem.*

Et ex his ad primam confirmationem distinguo maiorem: ex vi eiusdem concursus identitate physica, & morali, concedo maiorem: præcisé physica, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ad secundam, iuxta primam solutionē tertij argumenti, distinguo maiorem: est effectus Dei vt primo infundentis gloriam animæ sine nouo decreto, nego maiorē: mediante nouo decreto de nō suspendendo concursum, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Iuxta secundam solutionem tertij argumenti, respondeo, negando maiorem; quamuis enim Deus, vt impedimentum auferens, non sit causa per se physica dimanationis gloriæ corporis, est causa per se moralis, quia impedimentum aufert ea intentione, vt gloria corporis dimanet ex gloria animæ, quod sufficit vt Deus, quatenus aufert impedimentum sit causa moralis per se prædictæ dimanationis, vt *superius* dicebamus.

*Ad secū. dā resp̄ detur 1.*

*Secundo*

186 *Primū corollarium.*

Ex dictis in discursu disputationis colligo primo, Christum per primum actum meritorium meruisse omnia auxilia gratiæ sufficientia; & efficacia, pro alijs actibus distinctis à primo eliciendis. Quod patet: nam in tali actu erat sufficiens proportio ad ea auxilia promerenda, & alias ab illis non procedebat, & quod simul tempore cum illis existeret, conditioni meriti non aduersatur, & quod illa Christus meruerit ad illius pertinet dignitatem: ergo de facto illa meruit.

187 *Secūdū Probatur.*

Secundo colligitur, meruisse per primum actum cæteros actus meritorios, quatenus sunt dona Dei. Quod patet, nam illis in hac consideratione non repugnat ratio præmij; si namque esse possunt effectus voluntatis Dei gratiosæ, cur non poterunt causari per voluntatem remuneratiuam Dei? Sed in primo actu meritorio Christi erat sufficiēs condignitas ad eos actus promerēdos; & illos vt sic mereri, ad Christi pertinet dignitatem: ergo meruit omnes actus præter primum, non quidem prout erat à libero arbitrio Christi, aliàs se ipsū præmiaret, sed quatenus erant à Deo, mediā te præuio, simultaneoque concursu.

*Cōfirmatur.*

Quod amplius confirmari potest: nam

actio-

actiones liberæ Christi, non obstante quod simul sint dona Dei, quia erant Christi vt libere agentis aliquo modo, quo Dei vt primæ causæ non erant, fuerunt merita Deum ex iustitia obligantia, vt cum frequentiori sententia docuimus *supra qu. est.* 1. *art.* 2. sed etiam aliqua ratione sunt dona Dei, qua non sunt effectus Christi, vt libere operantis: ergo vt sic esse potuerunt præmia meritorum Christi.

188 *Meruisse Christũ suam resurrectionem, probatur.*

Tertio colligitur, meruisse suam resurrectionem. Quod docet D. Thomas *infra quæst.* 53. *art.* 1. *in corpore*, ibi: *Dicendum, quod necessarium fuit, Christum resurgere propter quinque. Primo quidẽ ad commendationem diuinæ iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, quia igitur Christus propter Charitatem, & obedientiam Dei se humiliauit vsque ad mortem crucis, oportebat, quod exaltaretur à Deo vsque ad gloriosam Resurrectionem: vnde ex eius persona dicitur in Psalmo* 138. *Tu cognouisti, idest, approbasti sessionem meam, idest, humilitatem, & Resurrectionem meam, idest, glorificationem in Resurrectione, vt Glossa exponit.* Hæc D. Thomas: quibus non solum doctrinam corollarij dedit, sed etiã efficaciter probauit. Quod amplius confirmari potest ex ratione sæpé facta: nam aliquid ex merito habere dignius est, quam sine merito habere, si cætera paria sint, hoc est, si detrimentum maioris dignitatis non sequatur; sed ex hoc, quod Christus suam Resurrectionem meruerit, maioris alicuius dignitatis detrimentum non sequitur: ergo illam de facto meruit.

*Cõfirmatur.*

189 *Meruit etiam iudiciariã potestatem.*

Denique infero, suis meritis obtinuisse iudiciariam potestatem, Regiam, Sacerdotalemque dignitatem, & supremum rerum omnium dominium, non tamen rationem capitis per influxum moralem in membra. Prima pars corollarij traditur à D. Thoma *infra quæst.* 59. *art* 3. constatque primo ex illo Iob cap. 36. *Causa tua tanquam impij iudicata est, causam, iudiciumque recipies.* Quæ verba de omnibus iustis patientibus iniusta interpretatur Gregorius *lib.* 26. *Moralium cap.* 25. à fortiori tamen de Christo intelligi possunt, quia illius causa iniustissimé fuit iudicata. Quod amplius confirmat D. Thomas ex illo Apocalypsis 3. *Ego vici, & sedi in throno Patris mei*; Sed in throno intelligitur iudiciaria potestas, iuxta illud Psalmi 9. *sedes super thronu, qui iudicas iustitiam*: ergo iudiciaria potestas fuit præmium victoriæ in Christo. Deinde suadetur; oportuit enim, quod secundum diuinã iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit, & vicit, & iniuste iudicatus est.

*Cõfirmatur 1.*

*Cõfirmatur 2.*

190 *Meruisse potestatẽ Regiã probatur 1.*

Secunda pars de potestate Regia, quam negat Mag. Soto *in* 4. *dist.* 47. *q.* 1. *art* 2. *ante secundam conclusionem*, probatur ex illo Psalmi 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: ergo Christo regia dignitas, & super terminos terræ potestas, fuit à Patre median te postulatione concessa, & consequenter ex meritis: nam postulationi Christi nihil desideratum ad meritum deficiebat. Deinde videtur colligi ex ratione, qua vtitur D. Thomas, vt probet iudiciariam potestatem fuisse effectum meritorum Christi, nimirum, quia nihil inconuenit idem alicui ex diuersis causis deberi, vt constat in gloria corporis, quæ debita fuit Christo, & titulo Deitatis humanitati coniunctæ, & titulo meritorum; at si Regia potestas præmium meritorum Christi non esset, maxime quia ei erat debita ratione vnionis humanitatis ad Verbum: ergo illam de facto meruit.

*Secundo*

191 *Meruisse etiã Sacerdotalẽ dignitatẽ, probatur.*

Ex hisque tertia pars de dignitate Sacerdotali probatur: ex eodem enim principio conueniebat Christo Regia, & Sacerdotalis potestas, scilicet, ex vi gratiæ vnionis; sed, non obstante, quod ratione gratiæ vnionis esset illi debita Regia potestas, illam obtinuit ex meritis: ergo etiam dignitatem Sacerdotalem. Quarta pars corollarij de supremo dominio cõstat primo ex illo Pauli ad Rom. 14. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur.* Secundo, nam potestas dominatiua cõuenit Christo ratione Regiæ potestatis; hanc ex meritis obtinuit: ergo illam etiam meruit. Denique, ratione ad omnia allegata communi probatur Nostrum corollarium. Habere enim aliquid ex meri-

*Et supremũ omniũ rerũ dominiũ probatur 1. Secundo Tertio.*

to dignius est, quam id sine merito obtinere, si cætera paria sint, hoc est, si maioris perfectionis detrimentum non sequatur; sed hæc omnia potuit Christus suis meritis obtinere; cum principium meritorum Christi non sint, quod autē Christo ab initio conceptionis conuenerint, conditioni meriti non repugnat, quod solum prioritate naturæ postulat præmium præcedere, & alias ex eo quod illa meruerit nullius dignitatis Christi sequitur detrimentum: ergo illa de facto meruit.

192 *Non meruit dignitatem capitis spiritualis per influxum moralem in membra.*

Quod autem non meruerit dignitatem capitis spiritualis per influxum moralem in membra, probat Vazquez *in præsenti disp. 79. cap. 2. num. 13* eo quod dignitas capitis influentis spiritualiter in membra Ecclesiæ, nihil aliud est, quā ipsa humanitatis sanctificatio, & deificatio, quæ est veluti effectus formalis deitatis vnitæ humanitati; Christus autem vnionem istam non meruit, & consequēter nec dignitatē capitis, ex quo deriuatur Spiritualis influxus in membra.

*Ratio P. Vazq.*

193 *Non vrget.*

Hoc tamen argumentum non vrget, nam ratio capitis influentis in membra potest dupliciter considerari, primo in radice, & in causa, ob quam Christus fuit caput constitutus omnium membrorum Ecclesiæ. Secundo, pro actuali deputatione facta à Deo, vt Christus esset caput Ecclesiæ. Primo modo sumpta conuincitur argumento istius Auctoris non potuisse cadere sub meritis Christi; secus autem in secunda consideratione. Et quidem quantum ad hoc nullum inuenitur discrimen inter iudiciariam potestatem, & rationem capitis spiritualis: nam etiam iudiciaria potestas sūpta in radice, pro eo ratione cuius debito condecentiæ Christo, vt homini, debebatur; non potuit cadere sub Christi meritis; quia tamen quoad actualem deputationem, & ordinationem diuinā sub Christi meritis cadit, Christus dicitur illam meruisse: ergo quamuis dignitatē capitis spiritualis sūptā *radicaliter* nō meruerit, potuit nihilominus illā suis meritis obtinere, merendo ordinationem, & deputationem diuinam, vt esset Ecclesiæ caput.

194 *Cōfirmatur.*

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum. Potuit de potentia absoluta humanitas Verbo vniri, & à Deitate sanctificari formaliter, & Christus non esse membrorum Ecclesiæ caput: ergo ratio capitis Ecclesiæ non est idem, quod deificatio, & sanctificatio humanitatis; & cōsequenter ex eo quod Christus non meruerit deificationem istam, perperam infert hic Auctor, non meruisse dignitatem capitis moralis. Vtraque consequentia ex antecedenti euidenter colligitur: antecedens autem probatur; potuit Deus de potentia absoluta statuere vt Christus nihil hominibus mereretur, nec pro illis satisfaceret; sed tunc casus non esset membrorum Ecclesiæ caput; cum non esset *proximè* expeditus ad influendum in membra, ratione cuius influxus constituitur caput illorum: ergo potuit de potentia absoluta humanitas Verbo vniri, & Christus Ecclesiæ caput non esse. Vnde, hac ratione omissa, suadetur vltima pars corolla ij: tum, quia illam satis insinuat D. Thomas *infra q. 59. art. 3. ad 2.* Tum etiam, nā primus actus meritorius Christi fuit ab illo vt capite nostro morali; sed quod ex parte principij primum Christi meritum præcesserit, sub nullo Christi merito cadit: ergo ratio capitis spiritualis membrorum Ecclesiæ effectus meritorum Christi non fuit. Maior probatur; nam primum meritum Christi, hominibus meruit gratiam, & redemptionem: ergo fuit ab illo vt influente in mē bra Ecclesiæ moraliter, & consequenter vt capite.

*Potuit Christus non esse Ecclesiæ caput.*

195 *Aliter probatur corollarium.*

Si opponas. Etiam primum Christi meritum fuit à Christo, vt Sacerdote; & tamen in nostra sententia dignitas Sacerdotalis fuit effectus meritorum Christi: ergo esto dignitas capitis primum Christi meritum ex parte principij præcesserit, potuit à meritis Christi causari. Probatur maior: nam iuxta D Thom. *infra quæst. 22. art. 1.* officium Sacerdotis est esse mediatorem inter Deum, & populum, in quantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis aliqualiter satisfacit; sed Christus per primum illum actum mediator fuit inter homines, & Deum, & pro illis satisfecit: ergo in illo, officium Sacerdotis exercuit; & consequenter primus actus à Christo, vt Sacerdote, processit.

196 *Opponēs.*

Respon-

197 *Respondetur 1.*

Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem dicatur, munus proprium Sacerdotis non esse mediare inter homines, & Deum, & pro illis satisfacere; sed sacrificium offerendo non interius, sed exteri⁹, quod protestatiuū sit interioris sacrificij, vt colligitur ex D. T. 2.2.q.85.art.1. licet autem Christ⁹ per primū actū meritorium, quē in primo instanti elicuit, inter Deū, & homines mediauerit, & pro illis satisfecerit, imo & seipsum obtulerit, quia tamen exterius, & visibiliter sacrificium Deo non obtulit, ideo in illo primo actu Sacerdotis munus non exercuit, nec talis actus à Christo, vt Sacerdote processit. Ita Vincentius *quæst.5.dub.3.pag.553.*

*Officiū propriū Sacerdotis.*

198 *Secundo respondetur.*

Vel secundo respondetur, Christum non exercuisse munus proprium Sacerdotis per cuiuslibet virtutis actum, sed tantum per actum religionis; primus autem actus, quem elicuit in primo cōceptionis instanti, non fuit actus religionis, sed actus charitatis erga Deum, ex quo, tum dilectio proximi, tum actus obedientiæ, humilitatis, religionis, & aliarum virtutum processerunt: vnde, licet in primo instanti munus Sacerdotis exercuerit, non tamen per primum actum, videlicet charitatis, & cum iste à Christo, vt Sacerdote non processerit, per illum meruit Sacerdotis dignitatē, ex qua religionis actum, oblationisque sacrificij in primo instanti suæ conceptionis elicuit. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Mag *vbi disp. præcedens.* (?)

*M.Sēt.*

*Hæc etiā de isto Tractatu dicta sufficiant; de his enim quæ Christus nobis, & Angelis meruit, de quibus videbatur agendum, vt Tractatus de Merito Christi vndique completus maneret, agentes de Prædestinatione Christi tractabimus.*



# TRACTATVS TERTIVS DECIMVS.

## De Adoptione Christi.

DE QVO Divus Thomas 3. Sententiarum dist. 10. q. 2. art. 1. & 2. ad Annibaldum in eadem distinctione q. vnica art. 2. & in præsenti quæst. 23. quam diuidit in quatuor articulos. Docens in primo: *Conuenire Deo filios adoptare*, quod probat in argumento Sed contra, *ex illo ad Ephesios* 1. *prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei; sed prædestinatio Dei non est irrita: ergo Deus aliquos sibi adoptat in filios.* Deinde in corpore articuli probat suam conclusionem: *nam aliquis homo adoptat alium in filium, in quantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suæ hæreditatis; sed Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem: ergo illos adoptat in filios.* Articulus primus.

In secundo Artic. docet, *adoptare homines in filios Dei, esse toti Trinitati commune*, quod probat in argumento Sed contra: *nam eius est adoptare, quem nos Patrem nominamus; sed cum Deo dicimus, Pater noster, hoc pertinet ad totam Trinitatem, sicut & cætera nomina, quæ dicuntur de Deo relatiuè ad creaturam, vt in prima parte habitum est: ergo adoptare conuenit toti Trinitati.* Deinde probat in corpore articuli: *nam filius adoptionis est, factus secundum illud Ioannis* 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri; sed facere quemcumque effectum in creaturis est commune toti Trinitati: ergo adoptare homines in filios Dei conuenit toti Trinitati.* Articulus secũdus.

Articulus tertius.

In tertio docet: *adoptari esse proprium rationalis creaturæ*, quod probat in argumento Sed contra: *nam filij adoptati sunt hæredes Dei, vt patet Romanorum 8. sed talis hæreditas soli conuenit rationali creaturæ: ergo proprium est rationalis creaturæ adoptari.* Id ipsum probat in corpore articuli: *nam adoptio Dei cõsistit in assimilatione creaturæ Verbo Dei Æterno secundum vnitatem, quam habet ad Patrem, quod quidem fit per gratiam, & charitatem: vnde Dominus orat, Ioannis 17. cap. sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus; sed huius assimilationis, sola creatura rationalis est capax: ergo adoptari in Filium Dei, soli conuenit rationali creaturæ; non tamen omni, sed soli habenti charitatem.*

Articulus quartus.

Ac tandem in quarto Artic. docet: *Christum, vt hominem, Filium Dei adoptivũ non esse: quod probat primo ex Ambrosio lib. de Incarnatione, vbi ait: Adoptivum Filium nõ dicimus Filium esse natura, sed eum dicimus natura esse Filium, qui verus est Filius; sed Christus est verus, & naturalis Dei Filius secundum illud 1. Ioannis vltimo, vt simus in vero Filio eius: ergo Christus secundum quod homo, non est Filius adoptivus.* Secundo id probat in corpore art. *nam filiatio non conuenit naturæ, sed supposito, aut personæ; sed in Christo est vna tantum persona increata, cui conuenit esse Filium per naturam: ergo Filius adoptivus non est.* Patet consequentia: *nam filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis; quod autem per se dicitur, non potest dici tale participatiuè: ergo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullomodo potest dici adoptivus.*

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SECVNDA.

## Quæ forma præstet formaliter esse Filium Dei adoptivum, vel possit hunc effectum præstare?

### §. I.

*Quibusdam præsuppositis, & relatis sententijs, prima conclusio statuitur.*

Nu. 1.

HANC Disputationē in Tractatus limine idcirco præmittimus, quia ex illi⁹ resolutione pēdēt plura, quæ in præsēti quæstione docet Angelic⁹ Doctor. Et in primis supponēda est adoptionis diffinitio, nēpē: *Adoptio est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem* Iuxta quam diffinitionem, vt quis adoptetur in filium exigitur primo, quod persona extranea sit, hoc est, quod ex se, & ratione sui, ei non competat ius ad hæreditatem, ad quam adoptatur. Secundo, quod assumptio sit gratuita, hoc est, alijs titulis nō debita. Præter quas conditiones alia superaddi solet, videlicet, mutuus adoptantis, & adoptati consensus, si adoptatus sit sui iuris, si verò sui iuris non sit, exigitur tutoris consensus. Quod autem adoptatus non accipiat esse ab adoptante, & quod adoptio in solatium adoptantis fiat: ac denique, quod adoptatus non succedat in hæreditatem vsque ad mortē adoptantis, quæ omnia in adoptione humana inveniuntur non sunt de conceptu adoptionis vt sic, sed per accidēs cōparantur ad illā, & adoptioni humanæ ob sui imperfectionem cōueniunt.

*Adoptionis diffinitio, eiq; conditiones explicātur.*

Secundo præmittendum est, & indubitata fide tenendum, Deum filios adoptare, & filios adoptiuos habere, quod docet D. Thom. *in præsenti q. 23. art. 1.* & constat ex Paulo ad Romanos 8. illis verbis: *Accepistis spiritum adoptionis.* Et infra: *quod sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes.* Ad Galatas 4. ibi: *Vt adoptionem filiorum reciperemus, quoniam autem estis filij, &c.* Ad Ephesios 1. *In adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Ex quibus testimonijs, & alijs, quæ passim in Scriptura reperies, cōstat clarē, homines per Dei gratiam filios adoptiuos Dei constitui.

2

*De fide est Deū filios adoptiuos habere. Prob. 1. ex Apostolo.*

3 Secūdo ex Trid.

Constat secundo ex Tridentino *sessione de iustificatione cap.* 3. vbi ex Paulo ad Colossenses 1. ita iustificationem diffinit, nempé: *Quod sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei.* Et cap. 16. illis verbis: *Atque ideò benè operantibus vsque ad finē, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tāquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Denique probatur ratione Angelici Præceptoris *in præsenti art.* 1. ad hanc formam redacta. Adoptio namque est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem; sed Deus gratuito, & solum à sua bonitate motus, creaturam rationalem assumit ad beatitudinem, in qua Dei hæreditas est constituta, & ad quam in illis ratione sui ius condignitatis non est; & consequenter, vt personæ extraneæ comparantur ad illam: ergo Deus creaturas rationales adoptat in filios.

Ad Colloſenſ. 1.

Tertio prob. ratione D. Thomæ.

4 Filius tā naturalis, quā adoptiuus, dupliciter accipitur.

Denique aduertendum est, quod sicut filius naturalis duplicem acceptionem admittit, nempé, fundamentalem, & formalem, & in hac secunda acceptione, esse filium naturalem à relatione prędicamentali præstatur formaliter: in prima autem à natura, vt per generationem accepta: ita filius adoptivus Dei dupliciter accipi potest. Primo formaliter, aut relatiuē, & sic certum est à relatione tanquam à forma præstari, quæ an realis sit, an rationis, ex dicendis apparebit. Secundo fundamentaliter, scilicet, pro fundamento ad quod relatio filiationis adoptiuæ consequitur, & de hoc fundamento inquirimus, quæ sit forma illud formaliter præstās, & filios Dei adoptiuos formaliter pro fundamento relationis constituens.

Puncti difficultatis explicatur

5 Prima sētentia

Qua in re variæ sunt Theologorū sententiæ. Prima docet, diuinitatem Spiritus Sācti iustis extrinsecē vnitam, media gratia habituali, esse formā formaliter istum effectum præbentem, gratia habituali concurrente vt vinculo, siuē vnione, admodum quo vnio albedinis vt vinculum, & *vnitiuè* solum dealbat, albedine vt forma istum effectū præbente, & modus vnionis hypostaticæ vt vinculum, & nexus animam Christi sanctificat: Deitas autem vnita præbet vt forma, sanctitatis effectum. Hanc tenet Lesius *lib.* 11. *de perfectionibus diuinis cap.* 12. *& in dub. appendice*, expresiusque *lib.* 2. *de summo bono cap.* 2. Secunda sententia docet, charitatē habitualē esse formā filium Dei adoptivum formaliter constituentē. Pro hac refertur Aureolus *in* 1. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 2. *cōc.* 3. quia tamen Auctor iste charitatē habitualē non distinguit à gratia, qua iusti ficamur, referendus est pro nostra, & communi sententia.

Lesius.

Secūda sētentia

Aureol.

Tertia docet, effectum filiationis adoptiuæ præstari quidē à gratia, qua iusti sumus; non tamen ratione suæ intrinsecæ entitatis, sed ex lege, & pacto Dei, quia nēpé, Deus suo pacto, & lege entitatē physicā gratiæ de se ad effectū istū insufficientē, deputauit, & valorauit ad talē effectū præstandū: ad modum, quo moneta regio sigillo signata, certum valorē, & æstimationē habet, quam ex se non obtinebat. Pro hac referuntur Nominales *in* 1. *dist* 17. Ochamus *ibi q* 1. Gabriel *q.* 1. *art.* 1. *& 3. dubit.* 4. Gregor. *q.* 1. *art.* 2. Aliacus *q.* 9. *art.* 1. Referūtur etiam Scotus *q.* 2. & Durandus *q.* 1. *n.* 7. *&* 8. illam ex Recētioribus sequitur, Ægidius de Coninch 2. 2. *disp.* 21. *dub.* 8. *conclus.* 2. *& in dub. appendice.*

6 Tertia sētentia

Ocham. Gabr. Gregor. Aliacus Scotus. Durād. Cōinch.

Quarta sententia docet; gratiam habitualem ratione suæ intrinsecæ entitatis præstare per modū formę esse filium adoptivum Dei. Ita omnes Thomistæ, qui 1. 2. *q.* 113. *art.* 2. docent de se, & ratione sui peccatum expellere, nullo Dei extrinseco fauore expectato. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *lib.* 7. *de gratia cap. secundo.* Meratius *tractatu de gratia disputatione* 11. quos alij Recentiores sequuntur. An autem de potentia absoluta possit iste effectus ab alia forma, quam à gratia habituali præstari, quod etiam in examen vocamus, dissident præfati Auctores, affirmat Suarez *vbi supra cap. tertio.* Cui aliqui Recentiores subscribunt. Alij per oppositum negant. Veram sententiam sequentibus assertionibus explico.

7 Quarta sētentia

Suar. Merat.

8 Prima Sit. *Diuinitas Spiritus Sancti*

Prima cõclusio

*Sancti extrinsecè nobis vnita non præstat per modum formæ filiationem adoptiuam.* Ita omnes Theologi, nullo excepto, quem viderim, præter Lesium, vnde aliquibus suæ familiæ Doctoribꝰ sententia huius Auctoris parum tuta, & suspecta videtur, vtpote Tridentino nõ conformis, & cõmuni Theologorũ cõsensui dissentanea: cõmuni autẽ Theologorum cõsensui in re graui, & Theologica, materiamq; fidei cõcernẽte aduersari, temerarium ad minus censetur.

9 Probãt illã aliqui Recẽtiores

Conclusionem ĩstam Recentiores quidam ex eo sibi suadent: nã ex opposito sequitur, iustos esse filios Dei non adoptiuos, sed naturales; cõsequens est falsum: ergo & Lesij sententia. Probãt sequelam: filius adoptiuus est, qui solo affectu adoptanti coniungitur; at constitutus filius Dei per ipsam diuinitatẽ, non solo affectu Deo adoptanti coniungitur: ergo sic constitutus, filius adoptiuus nõ est, sed filius Dei naturalis. Probant minorem; vt diuinitas se ipsa præstet formaliter esse filium, debet realiter se ipsa cum filio constituto vniri: ergo filius constitutus per illam non coniungitur solo affectu cum Deo, sed vera, & reali coniunctione naturæ. Et vrgent: nam licet Christus, vt homo, nõ habeat diuinitatem eodem modo cõmunicatam, quo illam communicatam habet, vt subsistens in natura diuina, sed longẽ diuerso, videlicet, per gratiam vnionis, quia tamẽ, vt homo, filius Dei cõstituitur per ipsam diuinitatẽ, non adoptiuus, sed naturalis filius Dei est: ergo si iusti constituuntur filij Dei per ipsam diuinitatem realiter illis vnitam, esto nõ habeant illam sibi vnitam subsistentialiter, sed tantum accidentaliter, non erunt filij Dei adoptiui, sed naturales.

Confirmant.

10 Hoc argumẽtũ non vrget, ad illudque respond.

Hoc tamen argumentum nõ vrget, & potest illi facile occurri, negata sequela. Ad illius probationem, concessa maiori, negando minorẽ. Ad cuius probationẽ distinguo antecedens: debet vniri se ipsa vnione physica substantiali, & intrinseca, nego antecedens in terminis contrariæ sententiæ: vnione morali accidentali, & extrinseca, concedo antecedens, & nego consequentiã. Nam cõiunctio puré affectiua ad rationẽ filij adoptiui petita, non excludit omnem cõiunctionẽ naturæ adoptantis cũ adoptato, sed tantum intrinsecam, physicã, & substantialẽ, ratione cuius ex vi suæ formationis cõpetat ius intrinsecũ ad hæreditatem adoptantis Cum ergo in opposita sententia diuinitas præbens formaliter filiationẽ adoptiuam, non *physicè* intrinsecẽ, & substantialiter, sed moraliter accidẽtaliter, & *extrinsecè* cõiungatur cũ eo, quẽ filiũ cõstituit, nec illi ex vi suæ formationis ius cõpetat ad hæreditatẽ Dei, sed tantũ ratione superuenientis vnionis diuinitatis; fit consequens, quod quamuis per diuinitatẽ ipsam in ratione filij constituatur formaliter, non rectè inferatur, filium naturalẽ, & non adoptiuum constitui.

11 Ad cõfirmationẽ respondendo illam 1.

Ex quibus ad confirmationẽ constat solutio Et quidem iusti, non solum in via, sed etiam in Patria sunt filij adoptiui Dei, & tamen in beatitudine habẽt sibi vnitam diuinitatẽ, vt formam intentionalem, & speciem intelligibilẽ: quia tamen hæc vnio, nec substantialis, nec physica est, sed tantum intentionalis, solo affectu dicuntur Deo adoptanti coniuncti: ergo solitudo affectus non excludit omnem vnionem diuinitatis se ipsa, sed vnionẽ substantialem. Deinde iusti per gratiã habitualẽ à qua, vt forma cõstituuntur filij Dei in sentẽtia Recẽtiorũ arguentiũ, est participatio analoga diuinæ naturæ; & cõsequenter iam nõ solo affectu cũ Deo adoptãte cõiungitur; sed vero, & realĩ participio diuinæ naturæ; & tamẽ sunt filij Dei adoptiui: ergo solo affectu cũ adoptante coniungi, non excludit omnẽ realẽ coniunctionẽ cum adoptãte, aut participationẽ naturæ, sed solum participationem substantialem, substantialemq; coniunctionẽ.

Secundo

12 Tertio.

Explico difficultatem: adoptio nõ solum excludit coniunctionem adoptati cum adoptante, sed etiam participationem naturæ adoptãtis, vt inter homines constat, inter quos participans ab alio per generationem naturam, filius naturalis, & non adoptiuus est; sed adoptio Dei non tollitur per participationẽ naturæ diuinæ secundum conuenientiam analogam; bené tamen impediretur, si esset participatio naturæ Dei secũdum vniuocam, specificamque conuenientiam: ergo pariter quamuis coniun

ctio substantialis naturæ diuinæ in aliquo, filiationem adoptiuam impediat, coniunctio tamen accidentalis, extrinseca, & tantum moralis, illam impedire non poterit.

13 *Prob. 1. cõclusio ex D. T.*

Quare hac ratione prætermissa, suadenda est nostra cõclusio primo, ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. *in corpore*, vbi de gratia habituali explicans illud 2. Petri cap. 1. *Magna, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*: hæc habet: *Et secundum acceptionem huius naturæ dicuntur homines regenerari in filios Dei*; sed natura per cuius acceptionem regeneratur quis in filium, est forma præbẽs fundamentum filiationis formaliter: ergo gratia habitualis, quæ est participatio naturæ diuinæ; non autem ipsa natura diuina extrinsecé nobis vnita, est forma constituens formaliter filium adoptiuum Dei. Idipsum docuit D. Th. *q.* 27. *de Veritate art.* 1. *in hac q. art.* 3. *in corpore*. Et 1. 2. *q.* 114. *art.* 3. vbi referẽs gratiam habitualem, sic ait: *Per quam homo cõformis factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hereditas ex ipsa iure adoptionis*: Ergo sentit D. Tho. per gratiam habitualem homines constitui filios, non autem per ipsã naturam diuinam gratia concurrente *vnitiuè*. Patet cõsequentia: non enim, nisi omnino improprié dici potest subiectum per vnionem dealbari, & humanitatem Christi per vnionem Deitatis sanctificari; eo quod vnio albedinis, & nexus diuinitatis solum *vnitiuè* concurrunt; at Divus Thomas affirmat homines constitui filios adoptiuos Dei per gratiam: ergo sentit non per modũ vinculi, aut nexus, sed per modũ formæ, & naturæ præbere filiationem adoptiuã.

S. Tho.

14 *Secũdo prob. ratione ex testimonijs D. T. deducta*

Secundo probatur conclusio ratione ex his testimonijs deducta. Illa est forma præbens filiationem adoptiuam, quæ terminat formaliter spiritualẽ generationẽ; sed forma, ad quam terminatur formaliter spiritualis nostra natiuitas, non est diuinitas Spiritus Sancti nobis extrinsecé vnita: ergo nec præbet filiationem adoptiuam, vt forma. Maior constat paritate filiationis naturalis, quã præbet per modum formæ, illa, quæ generationem naturalem formaliter terminat: ergo etiam filiatio adoptiua præstabitur vt a forma, à termino formali spiritualis natiuitatis. Minor vero probatur: forma terminans, spiritualem generationem, est id quo terminus genitus spiritualiter viuit, sicut forma dans vitam formaliter termino naturalis generationis est, quæ illam formaliter terminat: & ratio est manifesta: nam generatio est processio viuẽtis à viuente; vnde sicut id, quo viuit generans, est formale generationis principium: ita id quo viuit genitum, est formalis terminus illius; sed diuinitas nobis extrinsecé vnita non est principium QVO formale viuendi spiritualiter: ergo nec formalis terminus spiritualis generationis.

15 *Minor prob. 1.*

Minor ostenditur primo ex D. Th. *quæst. vnica de Charitate art.* 1. *ad* 1. *q.* 27. *de Veritate art.* 1. *ad* 1. *ad* 14. *ad* 17. & 18. 1. 2. *q.* 110. *art.* 1. *ad* 2. & 2. 2. *q.* 23. *art.* 2. *ad* 2. vbi docet, Deum non *formaliter*, sed *effectiuè*, tantum vitam præbere: verba D. Thomæ in vltimo loco hæc sunt: *Ad secundum dicendum, quod Deus est vita* effectiué, *& animæ per charitatem, & corporis per animam; sed formaliter charitas est vita animæ, sicut & anima corporis*. Ergo iuxta Diuum Thomam diuinitas nobis extrinsecé vnita nequit esse principium QVO formale viuendi spiritualiter. Et ratio est: nam forma dans vitam vt QVO, debet per identatem, aut physicam informationẽ accipienti vitam vniri, vt fusé ostẽdimus *Tract. de Charit. art.* 2. *Tract. de Gratia Christi art.* 1. & *Tract. de Visione Dei art.* 5. Deitas autem nullo ex his modis potest nobiscũ vniri, & ideò nequit esse principium formale viuendi, sed tantummodo effectiuum: ac per cõsequens non potest esse formalis terminus spiritualis generationis, qua mediãte regeneramur in filios.

S. Tho. *Deus nõ formaliter, sed tãtũ effectiuè dat vitam.*

16 *Tertio prob. cõclusio.*

Tertio probatur: forma dans formaliter esse filium adoptiuum, præbet effectum sanctitatis, & iustificationis formaliter; sed diuinitas Spiritus Sancti nobis extrinsecé vnita, non sanctificat formaliter: ergo nec præbet, vt forma filiationem adoptiuam. Consequutio tenet. Minor constat ex Tridentino *sess.* 6. *de iustificat. cap.* 7 vbi de causis nostræ iustificationis loquens, de causa illius

*Secundo*

*Conc. Trid.*

for-

formali hæc habet: *Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*; sed diuinitas est iustitia, qua Deus ipse iustus est: ergo non est causa formalis nostræ iustificationis, & oppositum asserere erit manifeste Tridentino aduersari.

17 *Maior probatur primo.*

Maior autem ostenditur primo ex eodem Trid. *sess. 6. relata cap. 4.* vbi sic nostram iustificationem diffinit: *Quod est trãslatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei.* Ergo ex mẽte Tridentini esse filium Dei adoptivũ pertinet ad iustificationis effectum; & consequenter forma præbens formaliter filiationem adoptiuam, præstat formaliter iustificationis effectum, & est causa formalis nostræ iustificationis. *Secũdo.* Secundo probatur maior: forma sufficiẽs ad constituendum filium adoptivũ formaliter, est etiam sufficiens ad præstandum formaliter sanctificationis effectũ: ergo si diuinitas Spiritus Sancti nobis extrinsecé vnita præstat esse filios adoptiuos formaliter, præstat etiam formaliter effectum sanctificationis. Probatur antecedens: nam sola forma cõmunicans Dei naturam, & fundans ius ad diuinam hæreditatem, potest Filium Dei adoptivum formaliter constituere; sed ad rationem sancti, & iusti nihil aliud exigitur: ergo forma cõstituens filium adoptiuum formaliter, est ad sanctificãdum sufficiens.

18 *Quarto prob. cõclusio.*

Quarto principaliter suadetur conclusio: nam sequitur ex contraria sentẽtia omnes iustos esse sanctos, & Deo gratos infinité simpliciter; cõsequẽs absurdum est: ergo & sentẽtia opposita. Probatur sequela; vt enim *proximè* argumentabamur; eo ipso, quod diuinitas nobis extrinsecé vnita media gratia habituali det per modum formæ filiationem adoptiuam, dat etiam effectum sanctitatis formaliter; at eo ipso, quod per modum formæ sanctificet, sanctificat infinité: ergo si præstat hominibus iustis formaliter filiationem adoptiuam, sanctificat illos infinité. Minor probatur: forma sanctificatiua infinita, sanctificat infinité; sed diuinitas, quæ in sententia cõtraria, vt forma sãctificat, est infinita simpliciter. ergo infinité sanctificat; & cõsequenter omnes iustos constituit sanctos infinité simpliciter.

19 *Respõdebis 1. secũdo.*

Respondebis primo: ideò non sanctificare infinité, quia à subiecto limitatur, ne suam infinitatẽ cõmunicet. Vel secundo respondebis; limitari à gratia habituali, quæ est vinculum, vnio, & nexus medio quo diuinitas Spiritus Sancti præbet filiationis, & sanctificationis effectum, quæ cũ limitata sit, & finita, obstat sanctificationi infinitæ, quã posset diuinitas vi sua cõmunicare. *Tertio.* Vel denique respondebis: gratiam habitualẽ *dispositiuè* concurrere ad effectum sanctitatis, à diuinitate præstandum; dispositio autẽ finita impedit, ne forma, quãuis infinita sit, præstet infinitum effectum, vt constat in lumine gloriæ, quod quia ad vnionẽ diuinæ essentiæ cum intellectu beati per modum speciei *dispositiuè* cõcurrit; & aliàs finitum est, quãuis essentia diuina sit infinita in munere, & ratione speciei, nõ præstat intellectui beati infinitum effectum, nec illi repræsentat infinita, sed finita, tot, vel plura iuxta maiorẽ, vel minorem luminis perfectionem: pariter ergo in præsenti, quamuis diuinitas sit infinita simpliciter, & formaliter sanctificet, quia anima media gratia habituali finita, finité ad sanctitatẽ, à diuinitate præstãdam disponitur, non sanctificatur infinité simpliciter, sed magis, aut minus iuxta maiorẽ, vel minorẽ gratiæ intẽsionem.

20 *Prima solutio reiicitur*

*Limitatio subiecti, non impedit infinitũ influxũ formæ moralis*

*Cõfirmatur.*

Sed nulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit. Non prima: limitatio namque subiecti non impedit infinitum formæ influxum, si effectus moralis sit, & forma nõ educitur de potentia illius, vt constat in anima Christi, quæ quamuis finita sit, infinité simpliciter sanctificatur à Verbo in veriori, & frequentiori sententia: ergo diuinitas animabus nostris vnita, non impeditur à limitatione subiecti, ne præstet effectũ sanctitatis simpliciter infinitum. Patet consequentia: nam effectus est moralis, & forma illum præstans non educitur de potentia subiecti. Et augetur difficultas: nam esto forma intrinsecé in subiecto recepta, limitationẽ ab illo capiat, licet non educatur de illius potentialitate; quia vnum quodque ad modum recipientis recipitur; forma tamen, quæ

extrinsecé ad subiectum se habet; cum in illo non recipiatur, non est vnde possit limitari ab illo; sed diuinitas non est forma intrinsecé in nobis recepta, sed nobis omninò extrinseca: ergo ex nostra limitatione non finitur, nec limitatur, nec ab effectu sanctitatis simpliciter infinito præstando, impeditur.

21 *Secúda solutio impugnatur.*

Et ex his secunda solutio reijcitur: nam in veriori sententia Verbum fuit vnitum humanitati Christi, mediante vnione finita; & tamen hoc non obstante sanctificauit illam infinitè simpliciter: ergo quod diuinitas vniatur animabus iustorum, mediãte gratia finita, obstaculum esse nequit, quomin⁹ si semel per modum formæ sanctificat, sanctificet infinitè: nam quod vnio humanitatis ad Verbum sit substantialis, vnio autem diuinitatis cum animabus iustorum non substantialis, sed accidentalis sit, nequit esse sufficiens ratio discriminis; cum in ratione vnionis finitæ conueniant, & forma per vtramque vnita, sit infinita.

22 *Cõtra 3. facit 1.*

Ex eisdem etiam reijcitur tertia solutio primo: nã in aliquorum sententia (nec improbabili omninò) gratia habitualis in Christo *dispositiuè* ad vnionis gratiam se habuit; & tamen quamvis gratia habitualis disponens, fuerit finita simpliciter, anima Christi fuit sanctificata à Verbo infinitè: ergo limitatio dispositionis nõ impedit, quominus forma infinita infinitum præbeat effectũ. Secundo: quia non est assignabilis ratio aliqua discriminis inter dispositionem, & nexum, vel vnionem quoad limitandum effectum ab infinita forma præstãdum; sed vnionis limitatio non impedit illimitationem effectus: ergo nec illam impediet limitatio dispositionis. Nec exemplum, cui tertia solutio innititur, illi fauet: nam diuina essentia vnita per modum speciei, non tẽdit ad præstandum intellectui aliquem effectum formalem; sed ex parte obiecti se tenet, se præsentando intellectui, vt simul cũ illo ad intellectionem concurrat; quia vt aiebat Augustinus: *Ex obiecto, & potentia paritur intellectualis notitia*; cũque vis intellectiua intellectus limitata sit, & finita; fit, quod obiectiuus concursus essentiæ de se infinitæ, ab intellectu finito limitetur. Vel dato, quod intellectui præbeat effectum formalẽ, illum cõstituendo Deiformem in genere intelligibili; quia tamẽ effectus iste, vel quasi effectus formalis, totus est in ordine ad intellectionem sui, ad quam intellectus habet facultatẽ limitatã; fit, quod commensuretur cum efficacia intellectus, & ab illo limitetur: secus in nostro casu opposita de causa contingit.

*Secũdo.*

*Finitudo intellectus limitat cõcursũ obiectiuũ essentiæ diuinæ, vt speciei.*

Duo tamen contra doctrinam istã possunt opponi. Primum: nam diuinitas se ipsa vt forma animas iustorum sanctificans, effectum istum formalem præberet, cum ordine ad effectum limitatum, *effectiuè* ab ipsis causandum: ergo si ob istam rationem limitatur, & finitur influxus diuinæ essentiæ gerentis munus speciei ab intellectu finito, ob eandem limitabitur influxus diuinitatis sanctificantis, vt forma, ab animabus iustorum. Probatur antecedens: effectus sanctitatis à diuinitate præstitus, est in ordine ad hæreditatem Dei, quæ in visione illius consistit, & *effectiuè* à nobis causatur: ergo præberet sanctificationis effectum in ordine ad effectum limitatum, efficienter à iustis causandũ.

23 *Oppones 1.*

Secundo potest opponi: plures namque probabiliter docent, posse de potentia absoluta hominem iustificari, nedum iustificatione negatiua, verum etiam positiua per extrinsecam beneuolentiam diuinam, quam ex nostris tenet Mag. Medina 1. 2. q. 110. *art.* 4. quin ex hoc teneantur concedere, fore tunc casus nos iustificãdos infinitè, nec vllus, quem viderim, hoc incõueniens ex ista sententia intulit; & tamen beneuolentia diuina, quæ in illo casu sanctificaret nos, est forma infinita simpliciter: ergo ex eo quod diuinitas nobis extrinsecé vnita, nos sanctificaret formaliter, & forma infinita sit, perperam à nobis infertur sanctificandos fore infinitè simpliciter.

24 *Secundo*

Hæc tamen nõ vrgent. Ad primum, distinguo antecedens: tanquam comprincipium in ordine ad istum effectũ, nego antecedens: sine cõcursu ad illum per modum comprincipij cum animabus iustorum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Id namque, quod vt comprincipium concurrit, limitatur

25 *Ad 1. instãtiam respond.*

*Cõprincipiũ limitatur ab altero cõprincipio: secus autem id quod cõprincipiũ non est.*

ab altero comprincipio: secus autem, quod comprincipium non est, quamuis suum effectum præstet cum ordine ad effectum finitè ab alio causandum. Constat hoc in humanitate Christi, quæ à diuinitate, sanctificata fuit infinitè simpliciter; & tamen effectus iste fuit in ordine ad hæreditatem Dei, nempè, ad visionem beatificam finite ab humanitate causandam, quia tamen diuinitas illum præstans, non comparabatur, vt comprincipium visionis, potuit sanctificare infinitè.

26 *Ad secũdam.*

Ad secundam, prætermissa maiori, distinguo minorem: esset infinita *entitatiuè*, concedo minorem: *formalitèr*, vt sanctificans, nego minorem, & consequentiam. Nam beneuolentia eatenus esset forma sanctificans, quatenus vellet homini beatitudinem æternam, nullũ donum intrinsecum nobis infundendo pro tunc, vnde non magis æstimaretur, quam donum, quod nobis vellet, cumque donum per beneuolentiam volitũ infinitæ æstimabilitatis non esset; fit cõsequens, quod nec beneuolentia diuina *extrinsecè* tunc casus sanctificans, foret infinita simpliciter in ratione formæ sanctificantis, licet *entitatiuè* infinita esset. Et quidem homo de condigno merens visionem beatificam, etiam de condigno meretur decretum Dei *reduplicatiuè*, vt liberum, quin ex hoc sequatur præmium infinitum mereri, quia licet decretum liberum, sit *entitatiuè* infinitum; prout tamen est præmium nostrarum operationum, formaliter infinitũ non est, quia prout sic nõ est magis æstimabile, quam donum, quod nobis præstat, quod quidem limitatum est, & finitum. Idem dicendum est de beneuolentia diuina, nos *extrinsecè* sanctificante, nempè, commensurari in morali æstimatione cum dono, quod nobis communicat, & cum hoc finitum sit, beneuolentia diuina formaliter vt forma sanctificans, etiam est finita moraliter.

*Homo de cõdigno merẽs visionẽ beatam, etiam de condigno meretur decretũ liberũ Dei.*

27 *Vltimo probatur conclusio ad hominẽ contra Lesiũ.*

Denique suadetur conclusio ad hominem contra Lesium, qui *lib. 12. de perfectionibus cap. 11.* & præcipuè *in dub. appendice ad finem*, docet, ex gratia habituali, & diuinitate Spiritus Sancti, illa mediante per modum vinculi, vnita, vnicam formam filiationem adoptiuam præbentem conflari, ingrediente gratia in recto, & diuinitate in obliquo, sed cum hac doctrina non stat, diuinitatem esse formam à qua principaliter filiatio adoptiua præstetur, gratia concurrente solum per modum vnionis, & vinculi, quod præfatus Auctor docet *lib. 2. de summo bono cap. 2. num. 4.* ergo inconsequenter procedit; cùm hoc secundum affirmat, forte prioris doctrinæ oblitus. Minorem ostendo primo: forma namque principaliter concurrens ad aliquẽ effectum formalem præstandum, non in obliquo, sed in recto ad illum præstãdum ingreditur: ergo si diuinitas Spiritus Sancti, nobis *extrinsecè* vnita, solum in obliquo prębet filiationem adoptiuam, non est forma principaliter huiusmodi effectũ præstans. Secundo: quia namque Deus *obiectiuè* visus, in obliquo solum ingreditur ad nos beatificandum formaliter, nullus poterit affirmare esse formam principalem nos beatificantem formaliter: ergo in obliquo solum ingrediens ad præstandum aliquẽ effectum formalem, nequit esse forma, illum formaliter præstans.

*Minor probatur 1.*

*Secundo*

Denique: nullus namque Philosophorum, aut Theologorũ asseruit, vnionem albedinis ad subiectum in recto ingredi ad dealbandum, & albedinem in obliquo, vnionem animæ rationalis, ad corpus animandum, in recto ingredi, & animam in obliquo, nec similiter vnionem Verbi cum humanitate in recto sanctificare, Verbum autẽ in obliquo ad sanctificandum ingredi; at hoc non alia ratione, nisi quia albedo est forma principaliter dealbans, anima rationalis forma principaliter exhibens esse animatum, & Verbum vnitum humanitati, forma principaliter sanctificans: ergo cum hoc, quod est diuinitatem nobis *extrinsecè* vnitam, esse principalem formam ad præbendam filiationem adoptiuam, componi nequit, quod præfatus Auctor docet, nempe, gratiam nobis inhærentem intrinsecè, ingredi in recto ad istum effectum præstandũ, Deitatem vero in obliquo.

28 *Tertio.*

(?)

## §. II.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

29 *Arguit primo Lessius.*

CONTRA nostram conclusionem, & in suæ sententiæ fauorē arguit Lessius primo: homo namque existens in gratia viuit spiritu Dei, atque illius diuinitate in ordine supernaturali, & diuino; sed forma, qua iustus viuit, est, quæ præbet formaliter esse filium adoptivum: ergo Deitas Spiritus Sancti, iustis vnita per gratiam, præstat per modum formæ filiationem adoptiuam. Maiorē, in qua est difficultas, probat primo ex Paulo ad Rom. 8. illis verbis: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Sed idē est spiritu Dei agi, ac viuere Dei spiritu: ergo iusti spiritu Dei viuunt, atque illius Diuinitate. Secundo ex illo Ioannis cap. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: ita & qui manducat me, & ipse viuet propter me*; sed Verbum viuit diuinitate à Patre per generationem accepta: ergo manducantes Christum viuunt diuinitate ipsius, illis communicata media iustificatione, & gratia habituali.

*Maiorē probat primo. Rom. 8.*

*Secundo Ioan. 6.*

30 *Tertio. Ioan. 17.*

Tertio ex illis Verbis Ioannis cap. 17. *Vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in Patre, vt & ipsi* (id est iusti) *in nobis vnum sint*; sed Christus taliter est vnus cum Patre, & taliter est in illo, vt viuat illius diuinitate: ergo iusti media gratia habituali taliter sunt vnum cum Deo, & taliter sunt in illo, quod viuant diuinitate.

*Quarto.*

Quarto: diuinitate namque communicata essentialiter Verbo, viuit Verbum essentialiter, & naturaliter, & eadem diuinitate vnita substantialiter humanitati Christi, viuit Christus, vt homo, quasi naturaliter: ergo diuinitate vnita iustis medio bono accidentali, viuunt supernaturaliter. Denique; nam diuinitas est vita quædam per essētiam, infinita, & immensa: ergo de se sufficiens ad omnia viuificanda; & consequenter vnita iustis medio dono accidentali, illos se ipsa viuificat.

31 *Respōdetur.*

Respondeo, distinguendo, vel explicando maiorem: iustus viuit spiritu Dei, & diuinitate, vt forma, vel in genere causæ formalis, nego maiorem: in genere causæ efficientis, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Forma namque præbēs filiationem adoptiuam formaliter, non *effectiuè*, sed *formaliter* debet vitam præstare. Nec contra istam distinctionē obstant probationes maioris: nō prima; nam iuxta Diuum Thomam *ibidem lect. 3.* iustos spiritu Dei agi, nihil est aliud, quam ab ipso illuminari, & quodā superiori instinctu moueri, quod præstat spiritus Dei, non *formaliter*, sed *effectiuè*, efficiendo, scilicet, in nobis dona quibus mouemur formaliter.

*Ad primā probationē maioris.*

Nec secunda: nam ly *sicut* non dicit totalem similitudinem, sed solum quantum ad habere vitam ab alio, in quo Christus, & creatura conueniunt: nam Christus, vt Deus, habet vitam à Deo Patre per generationem acceptā, & iusti Christum manducantes, vitam spiritualem recipiunt ab ipso. Sicut autem ex hoc non colligitur conuenientia in vitæ consubstantialitate: Christus enim vt Deus, viuit deitate sibi essentialiter, & substantialiter cōueniente: iusti autem hoc modo non viuunt diuinitate: ita nec colligitur conuenientia in forma præstante formaliter vitam: nam Deitas est, quæ Christum, vt Deum viuificat: iustos autem non Deitas se ipsa formaliter, sed gratia habitualis, quæ est formalis Deitatis participatio. Vel si ad Christum, vt hominem referatur similitudo, tenet in hoc, vt *lect. 7.* explicat D. Thom. quod sicut ex vnione ad Verbum accepit Christus, vt homo, vitam spiritualem: ita iusti Christum manducantes accipiunt vitam spiritualem ex vnione ad ipsum in Sacramento Altaris; cum hac tamen differentia, quod Christus, vt homo, accepit vitam per vnionem Verbi, cui in persona vnitur: nos autem vnimur non personaliter, sed Sacramentaliter per Sacramentum fidei.

32 *Ad secūdam.*

Nec magis vrget tertia maioris probatio: nam iusti manent in Christo, &

33 *Ad tertiam.*

sunt

sunt in illo per gratiam, & charitatem: Christus autem, vt Deus, est in Patre cõsubstantialiter per identitatem naturæ cum ipso: sicut autem ex illa similitudine non licet inferre iustos viuere per Deitatem consubstantialiter, sicut viuit Christus, vt Deus: ita non licet colligere quod viuant diuinitate *formaliter*, sed per illam *effectiuè*, & formaliter per eius participationem formalem. Ad quartam probationem maioris, concessa prima parte antecedentis, & negata secunda, loquendo de principio physico formali viuendi; sic enim non viuit Christus vt homo, per Deitatem formaliter, neganda est consequentia, & disparitas est manifesta: nam principium *quo* formale viuendi, debet viuenti coniungi, vel identicé, vel per physicam informationem, & quia Deitas conuenit Verbo per essentialem identitatem cum illo, est ei principium *quo* viuit: iustis autem non conuenit Deitas, nec per identitatem, nec per informationem; & ideo non dat illis vitam, vt principium *quo* formale; sed solum vt principium efficiens. Et ex his ad vltimam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: ad omnia viuificanda *formaliter*, nego consequentiam: *efficienter*, concedo consequentiam: ex quo solum sequitur iustos viuere per Deitatem *effectiuè*, non autem, quod per illam viuant *formaliter*.

*Ad quartam.*

*Ad quintam.*

Secundo sic arguit: filius constituitur per communicationem naturæ eiusdem cum natura Patris specificé, vel numericé; sed iusti non possunt constitui filij adoptiui per communicationẽ naturæ diuinæ secundum conuenientiã specificam: natura namque diuina est numero immultiplicabilis: ergo constituuntur filij per communicationem naturæ diuinæ secundum identitatem numericam; & consequenter deitate ipsa formaliter. Respondeo, distinguendo maiorem: filius naturalis, concedo maiorem: adoptiuus, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam ad esse filium adoptiuum sufficit affectus extrinsecus, qualiter inter homines fit: vnus enim homo alium sibi filium adoptiuum constituit, quin illi eandem naturam numero, vel specie cõmunicet, solo affectu, & beneuolentia extrinseca, qua cum loco filij ad hæreditatem acceptat, vel communicatio naturæ secundum conuenientiam analogam, qualiter contingit in Deo, qui nobis suæ naturæ participium communicat, media gratia habituali, quæ in communi Theologorum sententia 1.2.q. 110 *art.* 1. est participatio formalis, vel saltim specialis naturæ diuinæ prout ab attributis distinctæ, & mediante illa præstat filiationem adoptiuam, quin sit necessaria communicatio Deitatis secundum conuenientiam specificam, vel numericam identitatem.

34 *Secundo arguit Lessius.*

*Respõdetur.*

*Conuenientia analoga in natura sufficit ad filiationẽ adoptiuã Dei.*

Si opponas: Angelus ratione suæ naturæ participat naturam diuinam secundum conuenientiam analogam; & tamen non est ratione illius filius adoptiuus Dei: ergo communicatio, vel participatio naturæ secundum conuenientiam analogam, non sufficit ad rationẽ filiationis adoptiuæ. Respondeo, distinguendo maiorem: secundum conuenientiam analogam in prædicatis proprijs naturæ diuinæ, nego maiorem: in aliquo prædicato communi Deo, & creaturis, nempe, in gradu intellectualitatis, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo consequens, distinctione maioris. Ratio autẽ distinctionis est. Nam filiatio adoptiua imitatur quantum possibile est filiationem naturalẽ: hæc autem petit communicationem eiusdem naturæ, saltim secundum conuenientiã specificã, & athomã differentiam, & ideo filiatio adoptiua petit cõmunicationem naturæ, si non secundũ conuenientiam specificam: hæc namq; cum Deo implicat, nec ad adoptionem est necessaria, saltim secundum conuenientiã analogã in prædicatis proprijs naturæ diuinæ. In Deo autẽ, & est ratio intellectiui, & ratio intellectiui radicaliter sui per notitiã intuitiuã. Prima, nõ est propria Dei, sed ipsi, & creaturis intellectualibus communis; secunda autem est propria Dei proprietate connaturalitatis; nulli enim creaturæ subsistenti potest esse connaturale, Deum vt est in se videre; ac proinde vt saluetur filiatio adoptiua Dei, non sufficit conuenientia analoga in ratione intellectui, sed exigitur, quod sit in ratione intellectiui ra-

35 *Replica bis.*

*Respõdetur.*

36 *Angelus ratione suæ naturæ nõ est filius adoptiuus Dei*

dica-

dicaliter sui per visionem intuitiuam, & quia Angelus ratione propriæ naturæ solum conuenit *analogicè* in prima illa ratione communi: homo autem per gratiam habitualem conuenit cũ Deo *analogicè* in secũda ratione speciali: fit, quod Angelus ratione propriæ naturæ non sit filius adoptiuus, bene vero homo, & Angelus per gratiã habitualem.

37 *Instabis.* Instabis: licet Angelus ratione propriæ naturæ non conueniat *analogicè* cum Deo in vltimo prædicato ipsius, vt est Auctor supernaturalis; conuenit tamen *analogicè* cum Deo in vltimo prædicato Dei, quatenus est Auctor naturæ; & tamen nõ est filius adoptiuus Dei, etiam vt Auctoris naturalis: ergo dicta conuenientia in natura non sufficit ad fundandam filiationem adoptiuam. Minor patet: nam quod conuenit Angelo ratione propriæ naturæ, non conuenit illi ex gratia: adoptio autem est gratia respectu adoptati. Maior autem probatur: vltimum prædicatum Dei, vt cõditoris naturæ, est supremum esse, quod potest communicare creaturis agendo iuxta leges naturæ; at supremum, quod potest, sic agendo communicare, est gradus intellectiuꝰ completus: ergo hoc prædicatum est vltimum Dei, vt conditoris naturæ.

38 *Differentia inter Deũ vt Auctorẽ naturalẽ, & supernaturalem.* Respondeo primo: Deum non dici Auctorem naturæ, vel supernaturalem, quoad esse, sed solum quoad rationem causandi. Dicitur enim Auctor naturalis prout causat iuxta exigentiam naturæ, & Auctor supernaturalis per ordinẽ ad effectus, quos causat supra totius naturæ exigentiam, vnde non habet diuersum constitutiuũ in suo esse entitatiuo secundum istas rationes: ac proinde cũ ratio intellectiui non sit vltimum prædicatum Dei, vt Auctoris supernaturalis, nec etiam est vltimum prædicatum illius, vt naturæ conditoris.

39 *Nec est filius adoptiuꝰ Dei vt naturæ auctoris* Vel secundo respondetur, ad hanc vltimam instantiam, concessa maiori, distinguendo minorem: ex defectu cõuenientiæ, nego minorem: ex defectu extraneitatis, concedo minorem, & nego consequentiam: nam ad diuinam adoptionem requiritur communicatio naturæ secundum conuenientiam analogam, & insuper extraneitas: Angelus autem non est extraneus à Deo secundum bona naturalia, quæ recipit, vt de omni creatura docet D. Thom. *in hac quæst. art. 1. ad 1.* & ideo, etsi *analogicè* conueniat cum Deo ratione propriæ naturæ, non est filius adoptiuus: respectu autem hæreditatis diuinæ, homo est extraneus à Deo, vtpotè ad quam non habet ius naturale ex vi suæ constitutionis, & aliàs ratione habitualis gratiæ conuenit cum Deo *analogicè* in prædicato naturæ; & ideo per gratiam habitualem constituitur filius adoptiuus Dei.

40 *Vrgebis.* Sed dices: sequi ex ista solutione, Angelum ratione propriæ naturæ esse filiũ naturalem Dei, vt conditoris naturæ; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Falsitas consequentis probatur: nullus enim Theologorum docuit, Angelum esse filium Dei naturalem, imo communiter docent contradictionem involuere, dari naturam creatam, cui filiatio Dei connaturaliter competat. Sequelam verò sic probo: nam iuxta nostram solutionem, solum ex defectu extraneitatis excluditur à filiatione adoptiua Dei conditoris naturæ, non autem ex defectu conuenientiæ; sed conditio extraneitatis nõ petitur à filiatione naturali; imo filiationi naturali repugnat: ergo sequitur ex secunda solutione, Angelum ratione propriæ naturæ esse filium naturalem Dei, vt conditoris naturæ.

41 *Respõderi poterat.* Huic obiectioni responderi poterat, concedendo sequelam, & negando minorem. Cum enim Theologi negant possibilitatem creaturæ, quæ sit filius naturalis Dei, loquuntur de filiatione Dei, vt Auctoris supernaturalis; de filiatione autem Dei conditoris naturæ, nec negarunt, nec affirmarunt. Quia tamen nullus Theologorum hoc vsq; nam asseruit. Respondetur, negando sequelam.

*Vera solutio.* Ad probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Nam licet ex defectu extraneitatis excludatur à ratione filij adoptiui, & ex isto capite non excludatur à ratione filij naturalis, excluditur tamen ex alio, nempè, quia non pertingit ad similitudinem specificam, quæ ad rationẽ filij naturalis petitur in cõmuni Theologorũ, & philosophorũ sẽtẽtia, à qua nõ licet recedere

*Angelus ratione suæ naturæ nõ est filius naturalis Dei vt naturæ Auctoris.*

Sed

Sed contra istam solutionem instabis primo: non enim datur medium inter filium naturalem, & filium adoptiuum: ergo si Angelus ratione propriæ naturæ, est filius Dei conditoris naturæ, & non filius adoptiuus, erit filius naturalis. Secundo: nam si est filius Dei conditoris naturæ, & non filius adoptiuus ex defectu extraneitatis; sequitur, esse filium Dei, vt conditoris naturæ perfectiori modo, quam ratione gratiæ habitualis sit filius Dei, vt Auctoris supernaturalis; sed hoc non admittemus: ergo nec solutionem traditam possumus sustinere. Tertio: nam vna ex rationibus, quibus discipuli D. Tho. impugnāt possibilitatē substantiæ supernaturalis creatæ, est, quia ex eius positione sequitur, fore filium naturalem Dei, vtpote, cui esset connaturalis; & ab intrinseco debita gratia, quæ vt forma præbet filiationem adoptiuam: at substantia supernaturalis, qualiter à suis defensoribus adstruitur, vt possibilis, non conueniret cū Deo conuenientia specifica athoma, sed tantum conuenientia analogica: ergo de ratione filiationis naturalis non est conuenientia specifica athoma; & consequenter ex isto capite nō rectè excluditur Angelus à filiatione naturali Dei, vt Auctoris naturalis ratione propriæ naturæ.

42 *Instabis primo.* *Secundo* *Tertio.*

43 *Ad primā instātiam respōdetur*

Ad primam ex his obiectionibus respondeo, negando antecedens: nam præter filiationem naturalem fundatam in naturali generatione, & adoptiuā fundatam in iustificatione, datur filiatio ad Deum in creatione fundata. De qua D. Thom. *infra quæst. 32. art. 3.* vbi docet, homines secundum esse naturale, quia procedunt à Deo secundum imperfectam similitudinem, dici Filios Dei, non perfecta, sed imperfecta filiatione, & quia ratione gratiæ habitualis, etiā Deo assimilantur, ex generatione per gratiam Filij Dei denominantur, & sunt, filiatione in iustificatione fundata; quæ tamen imperfecta est, quia ratione gratiæ non habetur cum Deo similitudo perfecta. Angelus ergo ratione propriæ naturæ non est Filius naturalis Dei, vt Auctoris naturalis; hæc namque filiatio petit fundari supra perfectam similitudinem, nec adoptiuus ex defectu extraneitatis, sed Filius filiatione fundata in creatione, quæ est imperfecta filiatio.

*Angelus ratione suæ naturæ est filius Dei ratione creationis.*

Ad secundam, nego sequelam. Nā licet respectu donorum gratiæ sit in nobis extraneitas; secus autem respectu naturalium donorum, & licet in hac excedat Filiatio fundata in creatione adoptiuam Filiationem, quæ in iustificatione fundatur, quia tamē hæc illā superat in ratione similitudinis; est enim perfectior similitudo cum Deo per gratiam habitualem, quam similitudo ad ipsum ratione intellectualis naturæ, & similitudo cum principio generante, est, quæ principaliter ad fundandam filiationē concurrit: hinc fit, quod filiatio adoptiua nobis ratione gratiæ conueniens, excedat, superetque absolute filiationē in creatione fundatam.

44 *Ad secūdam.* *Filiatio adoptiua excedit filiationē in creatione fundatam.*

Ad tertiam obiectionem dicatur, rationem illā, qua etiam Nos vsi sumus in speciali tractatu de substantia supernaturali ad impugnandam illius possibilitatem, intelligendam esse non de filiatione naturali, sed de filiatione connaturali Dei Auctoris supernaturalis fundāte ius ab intrinseco ad hæreditatem supernaturalem diuinam, quam naturæ creatæ, aut creabili competere, maximum inconueniens censetur. Si dicas: ergo Angelus ratione propriæ naturæ erit filius Dei conditoris naturæ, etsi nō filiatione naturali, filiatione tamen connaturali, quod inconueniens videtur. Respondeo, concedendo consequentiā. Angelus enim ratione propriæ naturæ est Filius Dei filiatione imperfecta insui creatione fundata, & aliàs nisi peccato inficiatur, habet ius ab intrinseco ad beatitudinem naturalem, quæ duo sufficiunt, vt sit filius Dei conditoris naturæ filiatione connaturali, id est, quod Filiatio ad Deum quatenus conditorem naturæ illi sit connaturalis, nec in hoc aliquod inconueniens apparet.

45 *Ad tertiam.* *Oppones.* *Respōdetur. Angelus ratione suæ naturæ est filius Dei conditoris naturæ filiatione cōnaturali*

Denique arguit Lessius: homini in iustificatione non solum confertur gratia, & cætera dona creata, quæ consequuntur ad illam, sed etiam donatur Deitas communis tribus personis, licet donatio hæc Spiritui Sancto per appropriationem tribuatur; sed Deitas mediāte gratia donata, est sufficiens ad fundan

46 *Vltimo arguit Lessius.*

dam filiationem adoptiuam: ergo iustos, quibus datur, constituit, vt forma filios adoptiuos Dei. Maior est communis Scholasticorum doctrina cum Magistro *in 1. distinctione 14.* & Theologorum cum Angelico Doctore *1. p. q. 8. art. 3. & q. 43. art. 3.* vbi in argumento primo oppositum vocat erroneum, constatque ex illo Ioannis cap. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis.* Et infra: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Et iterum: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Deinde ex illis verbis Pauli 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Ac denique ad Rom. 5. illis verbis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ex quibus testimonijs, & alijs, pro comperto inferunt Theologi dari hominibus in iustificatione, non solum dona creata, sed etiam Spiritum Sanctum, & Deitatem tribus personis communem.

Magist. S. Tho.

Ioann. cap. 14.

1. Cor. 3.

Ad Roman. 5.

47 *Minor probatur primo.*

Minor autem ostenditur primo: non enim potest Spiritus Sanctus dona ri, nisi ad effectum filiationis præstandum; sed donatur in iustificatione: ergo præstat filiationem adoptiuam. Secundo: nam donum increatum potentius est, quam creatum; sed hoc nobis communicatum præstat in nostra sententia, filiationem adoptiuam: ergo à fortiori illam poterit donum increatum præstare. Tertio: Deitas namq; vnita humanitati Christi media vnione substantiali, illam sanctificat substantialiter formaliter in cõmuni Theologorum sententia, quod si filiam non constituit, est ratione incapacitatis, filiatio namque soli supposito competit; sed etiam vnitur iustis media gratia habituali, cum eis, mediante gratia donetur, & tanquã in templo inhabitet, sitq; in illis media gratia habituali modo quodam speciali distincto à modo existendi in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt *locis allegatis* docet D. Thom. quem omnes Theologi sequuntur: ergo illos sanctificabit formaliter per se ipsam, licet non substantialiter ex defectu vnionis substantialis; & consequenter filios adoptiuos constituet; cum ad istam denominationem adsit in iustis capacitas. Patet ista consequentia: nam si Deitas substantialiter vnita sanctificat substantialiter, cur vnita accidentaliter, non poterit accidentaliter sanctificare?

Secundo.

Tertio.

48 *Respõdetur explicando quomodo Spiritus Sanctus iustis media gratia donetur*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Donario enim Spiritus Sancti, & diuinitatis facta iusto media gratia habituali, vno ex quatuor modis explicatur a Theologis. Primus est, asserentium, Spiritum Sanctum donari iusto, quia incipit in illo existere per essentiam supernaturali modo ratione contactus productiui gratiæ, qui modus licet comprehendatur sub modo generali essendi per immẽsitatem, est tamẽ diuersus à modo essendi ratione productionis, & conseruationis subiecti, quia spectat ad immensitatem Dei, vt Auctoris supernaturalis, & insuper incipit esse in animabus iustorum, vt obiectu cognitum, & amicabiliter amatum actualiter, vel habitualiter, vel radicaliter, & vt obiectum fruibile imperfecta fruitione cum iure ad fruitionem Patriæ perfectam. Quem modum dicendi alijs relatis sequitur Illustrissimus Araujo *1. p. q. 43. dub. 2.* habetque maximum fundamentum in D. Tho. *q. relata art. 3. in corpore.*

*Primus modus est*

*Araujo.*

Secundus est asserentiũ; ideò Deum dari iustis media gratia habituali, quia incipit esse in illis medio amore, & cognitione, non qualibet, sed experimentali, qua Deus à iustis mediantibus donis cognoscitur practicé, vt tangens animã virtuali contactu influiuo gratiæ, donorumque habitualium. Quæ cognitio, etsi ratione sui non præbeat formaliter, nisi existentiam Dei obiectiuam, supponit tamen necessario realem existentiã Dei in anima per cõtactum virtualem, prædicta dona infundentem, actualesq; illustrationes. Ita Mag. Sãcto Thoma *loco primæ partis relato lisp. 17. art. 3.*

49 *Secundus*

*M. S. T.*

Tertius est, asserentium, ideo mitti, & donari Spiritum Sanctum, cum homo iustificatur, quia præter existẽtiam realem ratione immensitatis, habet aliã præsentiam moralem, qua præsto adest, vt rector, & gubernator suis illustrationibus, pijsque affectionibus mouens, & suadens ad bonum, eosque tanquam amicos diligit ratione gratiæ habitualis.

50 *Tertius est*

Quem

Quem modum dicendi quidam Recentiores sequuntur.

51 *Quart⁹. Suar. Curiel. Albel.*

Quartus modus explicandi est, quē sequuntur Suarez *lib. 12. de Trinitate cap 5. num. 12.* Curiel 1. 2. *tract. de essentia beatitudinis q. 2. §. 4.* & Mag. Albelda 1. *p. q. 8. art. 3. vaisp. 18.* asserentes, Deum media gratia habituali fieri iustis, non solum *obiectiuè* præsentem, verum etiam *subiectiuè*, & secundum suam substantiam nouo modo, ac antea erat ratione suæ immensitatis, quod hac conditionali explicant, nempé, quod si per impossibile Deus nō esset immēsus, fieret amicis suis præsēs secundum suam substantiam; eo ipso quod habitualem gratiam infunderet, qua mediāte illos ad suam eleuat amicitiam, quia amor præbet vnionem affectiuā inter amicos *formaliter*, & vnionem realem *effectiuè* illam desiderando, & ad illam impellendo, vnde quādo efficax fuerit, qualis est amor diuinus, illam *effectiuè* faceret, nisi iam factam supponeret.

52 *Nullo ex his modi est Deitas in animab⁹ iustorū media gratia habituali sufficiēter, vt se ipsa aut forma, præbeat esse filiū adoptiuū, non primo, nec secūdo.*

Nullo autem ex his modis, quorum veritatem pronunc non examinamus, est Deitas in animabus iustorum media gratia habituali sufficiēter, vt se ipsa præstet, vt forma, esse filium Dei adoptivū Nam primo, & secundo modo solum additur ad præsentiam per immensitatem, præsentia Dei obiectiua: Deitas autem, nec vt præsens ratione immensitatis per contactum virtualem, quæ est vnio per modum causæ efficientis, nec vt præsens *obiectiuè* vnitur per modū formæ ad formaliter præstandum aliquem effectum formalem, imo nec in Patria, vbi *intuitiuè* videtur Deus se ipso formaliter animas beatorum sanctificat. Nec etiam tertio modo explicata vnione Deitatis ad animam, quia vt sic solum datur moraliter, vt principiū effectivum, motivumque ad actus honestos, quibus iustus Dei amicitiam cōseruet, & ad beatitudinem tendat: vnio autem moralis, seu moralis assistentia per modum principij dirigentis, mouētis, & gubernantis, non est vnio formæ ad subiectum ad effectum formalem præstandum. Nec denique quarto modo nam iuxta illum non adstruitur distincta præsentia realis diuinitatis ad animā, sed eadem nouo titulo, illa verò quam habebat ante gratiam, nō erat sufficiens, vt Deitas iustos faceret formaliter filios adoptiuos Dei: ergo nec nouo titulo facta, poterit talem effectum præstare.

*Nō tertio modo.*

*Nec quarto.*

Et ex his cōstat ad probationes maioris solutio. Ad primam, nego maiorem: datur enim Spiritus Sanctus ad effectus explicatos; ad filium vero adoptiuum constituendum, nec datur, nec dari potest. Ad secundam, distinguo maiorem: ad effectus sibi proportionatos, concedo maiorem: ad improportionatos, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: quia esse filium adoptivum, non est effectus proportionatus cum dono increato, vt præstandus in genere causæ formalis. Vel concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Sicut ex eo quod Deitas sit potentior, quam humanitas, & hæc se ipsa constituat hominem, non sequitur, id etiam posse Deitatem se ipsa præstare, & ex eo quod Deitas potentior sit, quam intellectus creatus, & iste se ipso præstet vim *proximè* intellectiuam naturæ intellectuali creatæ, colligitur, Deitatem posse se ipsa huiuscemodi effectum naturæ creatæ præbere, sed tantum colligitur, quod si donum creatū potest filium adoptivum constituere, Deitas possit constituere filium Dei naturalem, non quodvis subiectum, sed illud tātum, cui per æternam generationem communicatur.

53 *Ad primā probationē maioris. Ad secūdam respond. 1. Secūdo.*

Ad tertiam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam Ratio autē discriminis constat ex dictis: nam Deitas vnitur humanitati Christi *intrinsecè physicè*, quamuis *meditè*, media, scilicet, subsistētia Verbi sibi identificata termināte naturam creatam, & ideò illam sanctificat sanctitate morali: media autem gratia habituali vnitur animabus iustorum, vel vnione principij efficientis, vel obiecti cogniti, & amati, vel indistantiæ localis: principium autem efficiens, obiectum cognitum, & amatum, & extremum indistans localiter non obtinent rationem formæ: ac proinde Deitas solum aliquo ex his modis media gratia habituali animabus iustorum vnita, nō potest per modū formæ illis præstare, esse filios adoptiuos Dei.

54 *Ad tertiam.*

Sed

55 *Instabis*

Sed dices: esto Deitas media gratia habituali *physicè* solum vniatur aliquo ex prædictis modis, potest tamen moraliter tanquam forma comparari, & vniri, sed vt sanctificet hominem, ac per consequens filium adoptivum constituat, sufficit cum illo vniri per modum formæ moralis: ergo sufficienter vnitur media gratia habituali cum animabus iustorum, vt illos filios Dei adoptiuos constituat. Illatio est legitima. Minor constat in Deitate sanctificante humanitatem Christi, quæ tamen non est forma in genere physico, sed tantum in consideratione morali. Maior autem probatur: Deitas non vnitur humanitati Christi tanquã forma in genere physico, sed solum identicé tanquam terminus illius ratione personalitatis Verbi sibi identificatæ humanitatẽ formaliter terminantis; & tamen in genere moris vnitur, vt forma illam Deificans, & sanctificans substantialiter: ergo Deitas vnita media gratia habituali, vt efficiẽs, vel obiectum in genere physico, vnietur animabus iustorum, vt forma in genere moris, illasque sanctificabit accidentaliter: ac per consequens se ipsa formaliter dabit esse filium adoptivum.

56 *Respõdetur.*

*Efficiẽs & obiectum nõ sortiuntur ratione formæ in genere moris.*

Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Nam causa efficiens, & causa obiectiua, non aliter actus, vel effectus dignificant, nisi iuxta intrinsecã perfectionem, quam illis communicat, vna *perfectiuè*, & altera *obiectiuè*, vnde videmus, effectum ex eo quod à perfectiori causa procedat, non plus æstimari, nisi plus intrinsecæ perfectionis recipiat; & similiter actus præstantius obiectum attingens, nisi ex illo maiorem perfectionem venetur, non plus æstimabitur, quod signum euidens est, causam efficientem, & obiectum non sortiri rationem formæ in genere moris, nec se ipsis informare moraliter: ac proinde supra vnionem realem Deitatis ad animam media gratia habituali, nõ potest vnio moralis per modum formæ fundari, ratione cuius hominem cui vnitur sanctificet, & filium adoptivum constituat. Quod autem per modum sustentantis in linea physica vnitur, subinduit rationem formæ moralis, vnde actiones Christi Domini *Dei viriles* appellantur, gaudentque æstimabilitate, & vi meritoria infinita, quia sustentantur à Verbo: quia ergo Deitas vnitur *physicè* humanitati, vt illam terminans, & sustẽtans ratione personalitatis Verbi sibi identificatæ; fit consequens, quod subinduere possit rationem formæ moralis ad illam sanctificandum.

## §. III.

### *De forma præstante de facto filiationem adoptiuam.*

57 *Secũda cõclusio*

SECVNDA CONCLVSIO. *Nec sola acceptatio extrinseca Dei, nec actus, vel habitus charitatis præstant de facto formaliter filiationem adoptiuam; sed gratia habitualis filium adoptiuum constituit.* Ita Auctores tertiæ, & quartæ sententiæ, & à fortiori constabit ex dicendis *conclusione quarta*. Nũc autem breuiter ostenditur primo: nam illa forma præbet de facto formaliter filiationem adoptiuam, quæ de facto præstat iustificationis effectum, vt ex Tridentino *conclusione præcedenti* monstrauimus; sed forma de facto iustificãs, non est sola acceptatio Dei extrinseca, nec actus, vel habitus charitatis, sed habitualis gratia: ergo forma præstans, esse filium adoptivum formaliter, non est sola extrinseca Dei acceptatio, nec actus, vel habitus charitatis, sed habitualis gratia. Minor quoad primam partẽ est certa secundum fidem, constatque ex Tridentino *sessione 6. de iustificatione cap. 7.* vbi pro vnica causa formali nostræ iustificationis, assignat iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, nobisq; intrinsecé inhæret.

*Prob. 1.*

*Minor pro prima parte est de fide.*

58 *Pro 2. cõmunis est apud Theologos.*

Pro secunda vero est cõmunis apud Theologos, constatque ex Tridentino *cap. citato*, vbi de homine ad iustificationem per actum perfectæ contritionis,

nis, & charitatis dispositio, vt frequentius à Theologis explicatur, sic ait: *Hãc dispositionem, aut præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorũ, &c.* Ergo ex mente Tridentini iustificatio de facto nõ præstatur ab actu charitatis formaliter.

59 *Pro tertia probatur.* Denique pro tertia parte, quæ etiam frequens est apud Theologos, probatur ex Trid. verbis *proximè* relatis, quibus distinguens inter gratiã, & virtutes, ait: *Iustificationem fieri per voluntariã susceptionem gratiæ, & donorum*; quæ dona in eodem capite enumerans, dicit: *Esse fidem, spem, & charitatem*: sed fides, & spes non dant formaliter iustificationis effectum, sed gratiam habitualẽ illum præstantem sequuntur tanquam eius proprietates: ergo charitas sumpta pro habitu non præstat formaliter effectum iustificationis, sed consequitur ad gratiam, quæ illum exhibet formaliter. Sed de his plura 1. 2. *q.* 113. cum de iustificatione tractemus.

60 *Secundo prob. cõclusio.* Secundo probatur conclusio: illa forma præbet formaliter esse filium adoptiuum, quæ formaliter terminat spiritualem generationem; sed spiritualis generatio non terminatur formaliter ad extrinsecam acceptationem diuinam, nec ad actum, vel habitum charitatis, sed ad gratiam habitualem: ergo nec sola acceptatio extrinseca Dei, nec actº, nec habitus charitatis, sed habitualis gratia præstat formaliter filiationem adoptiuam. Maior constat paritate filij naturalis, qui formaliter constituitur per formam terminantem formaliter generationem naturalem: ergo pariter forma terminans formaliter spiritualem generationem constituet filium adoptiuum formaliter. *Minor prob. 1.* Minor autem ostenditur primo: nã terminus formalis spiritualis generationis, est ille, quo genitº viuit spiritualiter radicaliter, sicut terminus formalis, naturalis generationis, est ille, quo genitus per illam, viuit naturaliter radicaliter; sed per acceptationem extrinsecam Dei, iustus nullatenº viuit, vt per formam; cum forma dans vitam petat ad minus informationem intrinsecam; per actum autem, vel habitum charitatis non viuit radicaliter iustus, sed per habitum vivit habitualiter *proximè*, per actum autem formaliter actualiter: ergo nec sola acceptatio extrinseca Dei, nec actus, vel habitus charitatis sunt formalis terminus spiritualis generationis, sed terminatur formaliter per gratiam habitualem, quæ in ordine spirituali, & diuino dat radicaliter vitã.

61 *Secũdo prob. minor.* Secundo probatur: nam terminus formalis spiritualis generationis est ille, ratione cuius homo fit particeps diuinæ naturæ, Deoq; assimilatur, non in aliquo attributo, sed in natura diuina, quod eadem paritate generationis naturalis probatur; sed per acceptationẽ extrinsecam non fit homo formaliter particeps diuinæ naturæ, nec similis in natura cum Deo, vt omnibus est manifestũ, nec per actum, vel habitum charitatis; cum non sint participationes formales naturæ Dei sub cõceptu naturæ, id est, radicis attributorum, sed voluntatis, aut volitionis diuinæ, quas esse extra constitutionẽ metaphysicam Deitatis, & naturæ diuinæ tanquã eius attributa, docuimus cũ frequẽtiori sententia *Tract. de Diuina Volunt.* 1 *p. q.* 19 *art.* 1. ergo generatio spiritualis diuina non terminatur formaliter ad acceptationem extrinsecam Dei, nec ad actum, vel habitũ charitatis, sed ad gratiam habitualẽ, quæ est formalis participatio naturæ diuinæ, vel saltim specialis sub ratione, & conceptu naturæ.

62 *Tertia prob. minor pro 2. & 3. parte.* Denique probatur minor pro secũda, & tertia parte: licet namq; homo genitus naturali generatione à generante recipiat simul cũ natura potentias, & illis mediantibus exeat in operationes, non terminat generationem naturalem formaliter per potentias, vel per actus, sed ratione humanitatis, actus, & potentias radicantis: ergo licet iustus genitus à Deo spirituali generatione naturam supernaturalem, & illius proprietates recipiat, & in illarum actus prorumpat, non terminabit spiritualem generationem, nec ratione potentiarum, nec per actuales operationes, sed ratione naturæ ordinis supernaturalis; at gratia est in ordine supernaturali natura, charitas autem est istius naturæ proprietas: ergo

homo accipiens à Deo simul gratiam, & charitatem, nõ terminat spiritualem generationem ratione habitus, nec ratione actus charitatis, sed ratione solius gratiæ habitualis.

63 *Respondebis. Contra. Anima, & eius potẽtiæ, gratiaq; & charitas adminº distinguuntur virtualiter aut ex natura rei.*

Respondebis; Nostrum argumentum conuincere in sententia D. Tho. distinguente realiter charitatem à gratia, non autem in sententia Scoti asserẽte realiter inter se non distingui. Sed cõtra: nam licet Scotus non distinguat realiter potentias animæ ab anima, agnoscit tamen distinctionem virtualem, aut ex natura rei inter animam, & potentias; & consequenter idem docere tenetur inter gratiã, & charitatem, cæteraſq; virtutes. Tùm, quia gratia comparatur ad virtutes, vt essentia ad proprietates. Tùm etiam, quia non solum potentiæ, sed etiam anima est perfectibilis immediatè intra ordinem supernaturalẽ, & non nisi per gratiam habitualẽ; charitas autem immediatè perficit voluntatem, quod absque distinctione, saltim ex natura rei inter gratiam, & charitatẽ nequit subsistere; cum accidentia recepta immediatè in subiectis ex natura rei distinctis, non possint non distingui hac eadem distinctione, sicut accidentia immediatè in subiectis realiter distinctis recepta, realiter distingui debent; at posita hac distinctione inter gratiam, & charitatem, non charitas, sed habitualis gratia est formalis terminus spiritualis generationis: ergo argumẽtum nostrũ militat, etiam in sententia Scoti. Probatur minor: licet natura, & potentiæ non distinguantur realiter, sed solũ ex natura rei in sententia Scoti, nihilominus terminus formalis generationis naturalis non sunt potentiæ sed natura, ad quam consequuntur, quod Scotus nequit negare: ergo pariter quãuis gratia, & charitas non distinguantur realiter; sed tantum ex natura rei, formalis terminus spiritualis generationis non erit charitas, quæ in ordine supernaturali obtinet rationẽ potentiæ, sed gratia, quæ in isto ordine rationem naturæ sortitur.

64 *Vltimo prob. cõclusio pro 2. & 3. parte.*

Denique suadetur conclusio, quoad secundam, & tertiam partem: nullus enim cõstituitur filius alterius, per hoc, quod illum diligat, vel diligere possit, sed vel per hoc, quod illius naturam participat, aut filiali affectu ad eius hæreditatem admittitur, vt inter homines cõstat; sed homo per actum charitatis solum habet actu diligere Deum, & per habitum posse *proximè* ipsum diligere: ergo non constituitur filius adoptivus Dei per habitum, vel actum charitatis, sed tantum per gratiam habitualem, per quam fit consors, & particeps diuinæ naturæ. Et augetur difficultas; ius enim filij distinctum est à iure meritorio hæreditatis diuinæ; sed actus charitatis fundat ius meritoriũ in ordine ad diuinã hæreditatẽ: ergo non fundat ius filij; & cõsequenter non præbet per modũ formæ esse filium Dei adoptivum. *Cõfirmatur.*

# §. IV.

## *Argumẽta cõtraria diluũtur.*

65 *Arg. 1.*

CONTRA primam partẽ conclusionis oppones primo: homo constituitur filius adoptiuus alterius per solã acceptationem extrinsecam ad eius hæreditatẽ: ergo pariter per solã acceptationem extrinsecam ad hæreditatem diuinam cõstituetur homo filius adoptiuus Dei. *Respõdetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: disparitas autem est; nam in adoptãdo ab homine supponitur natura adoptantis secundum conuenientiam specificam, & proportio requisita, vt eius hæreditatẽ possideat, vnde ad hoc, quod adoptetur, non est necessarium, quod adoptans illi naturam communicet, sed tantũ, quod filiali affectu admittatur, ex vi cuius voluntatis ius tribuatur adoptato: secus respectu Dei oppositã de causa contingit; nõ enim supponitur in homine à Deo adoptãdo natura diuina aliunde cõmunicata, nec proportio ad hæreditatem diuinam, & ideo ad filiationẽ Dei adoptiuam, non sufficit acceptatio extrinseca Dei, sed petitur donum intrinsecum, quod sit participatio naturæ diuinæ, ratione cuius homo proportionatus reddatur cum diuina hæreditate, & dignus, vt ad illam admittatur. Quæ solutio est

D.Th. q. 27. de Verit. art. 1. ad 2. illis verbis: *Dicendum, quod ipsa acceptatio, quæ est in voluntate diuina respectu æterni boni producit in homine acceptato aliquid, vnde dignus sit consequi bonum illud, quod non contingit in acceptatione humana, & secundum hoc gratia gratum faciens aliquid creatũ est in anima.* Quã doctrinam fusius tradiderat in corpore eiusdem articuli.

66 *Replica bis.*

Sed dices: vnus Angelus potest alterum sibi in filium adoptare per solam acceptationem extrinsecam; cum in hoc nulla implicatio inueniatur; & tamen non supponitur in Angelo adoptando natura eiusdem speciei: ac proinde nec proportio cum hæreditate adoptantis: ergo disparitas assignata non subsistit. *Respõdetur.* Respondeo, distinguendo minorem: non supponitur natura eiusdẽ speciei infimæ, concedo minorem: subalternæ, nego minorem, & consequentiã: si namque vnus Angelus potest alium adoptare, debet esse in ordine ad hæreditatem quæ Angelo adoptanti competat, non ratione vltimæ differentiæ, sed ratione generis intellectiui; alias alterũ Angelum ad illam adoptare non posset; cum ea quæ vni Angelo conueniũt ratione vltimæ differentiæ, non possint alteri communicari, etiam de potentia absoluta: ac proinde sufficit, quod supponatur conuenientia in gradu subalterno naturæ intellectualis, etsi non in specie infima, vt in Angelo adoptando sit ad hæreditatem proportio.

67 *Instabis & est 2. argumẽtum.*

Secundo arguitur, & instatur contra istam solutionẽ: nam esto ita sit, quod Deus homini, quem ad suam hæreditatẽ acceptat, infundat gratiæ habitualis donum, non tamẽ constituitur filius adoptiuus Dei per donum gratiæ creatũ, sed per suum increatum amorem; at amor increatus Dei est homini omninò extrinsecus: ergo filiatio adoptiua Dei, non à gratia habituali, sed ab acceptatione extrinseca Dei formaliter exhibetur. Minor cum consequentia tenet. *Maior prob. 1.* Maior autem ostenditur primo ex D. Thom q. 27. *de Veritate art. 1. in corp.* illis verbis: *ex natura sua homo non est dignus tanto bono* (scilicet vita æterna) *cum sit supernaturale, & ideo ex hoc ipso, quod ponitur aliquis Deo gratus respectu huius boni, ponitur, quod sit dignus tali bono supra sua naturalia, quidem nõ mouet diuinam voluntatẽ, vt homini ad bonũ illud ordinet, sed potius è conuerso; ex hoc ipso, quod Deus sua voluntate aliquem ordinat ad vitam æternam, præstat ei aliquid, per quod sit dignus vita æterna.* Quod etiam repetit *solutione ad secundum*: ergo iuxta D. Thom prius est, Deum hominem ordinare ad vitam æternam, esseque ordinatum, & acceptatum ad illam, quam quod donũ gratiæ habitualis recipiat; at sic acceptatum esse, sufficit ad rationem filij adoptiui; cum ex hac sola ratione sit voluntariè assumptus ad diuinam hæreditatẽ: filiatio autẽ adoptiua sit: *Gratuita assumptio ad alterius hæreditatem*: ergo ante donũ gratiæ creatũ per solam acceptationẽ extrinsecam cõstituitur homo filius adoptiuus Dei.

68 *Secundo prob.*

Secundo probatur maior, vt enim ex Augustino docet Diuus Thomas q. 28. *de Veritate art. 2. argumento* 11 quia Deus nos amat, ideo nobis sua bona cõmunicat, & non é conuerso; sed causa præcedit effectum: ergo prius est Deu dilígere hominem, quã quod gratiam habitualẽ infundat: ergo hominem esse dilectũ à Deo, etiã præcedit gratiæ habitualis infusionẽ; sed sic esse à Deo dilectũ, sufficit ad esse filiũ; cũ diligatur in ordine ad æternã hæreditatẽ, & ex vi talis dilectionis ordinetur ad illã: ergo nõ per gratiã habitualẽ nobis intrinsecè inhærentẽ, sed per gratiã Dei extrinsecã, hoc est, per ipsius dilectionem homo constituitur filius adoptiuus Dei.

69 *Respõdetur.*

Respõdeo, negando maiorem. *Ad 1. probationẽ maioris.* Ad primam probationem dicatur: acceptationem ad gloriã dupliciter sumi posse: primo, vt spectat ad ordinem intentionis, & sic prior est infusione gratiæ, & iustitiæ inhærentis, sicut intentio finis prior est electione mediorum; gratia nãque est medium ad gloriã: secundo in ordine executionis, seu pro decreto executiuo, & sic posterior est gratia intrinsecè inhærente, vt à Deo ab æterno præuisa, sicut intẽtio gloriæ, vt coronæ, prior est electione mediorũ: decretũ autẽ executiuũ gloriæ, merita, vt præuisa supponit, vt docuimus *Tract. de Prædestinatione Dei 1. p. q. 23. art. 4.* acceptatio

*Maior prob. 1.*

S. Tho.

tio autem ad gloriam, prout in ordine intentionis gratiæ infusionē præcedit, non est gratia, qua Deo grati sumus, nec ad subiectum gratum constituendū sufficies, vt *loco allegato* docet D. Th. *in calce artic. li relati*; alias existens in peccato mortali posset dici in gratia esse; cum sic existens, acceptatus maneat ad gloriā, & ad illam ordinatus; & consequenter non potest per modum formæ filiationē adoptiuam præstare; vnde ex eo quod habitualem gratiam præcedat, non sequitur antecedenter ad illam, hominē, sic acceptatum, esse filiū Dei adoptiuum. Nec obstat probatio inducta: nam adoptio prout reperitur in Deo est gratuita assumptio per intrinsecā doni infusionē, ratione cuius Dei natura participetur, & dignitas intrinseca ad diuinam hæreditatem confertur.

70 *Ad 2. variè occurritur à Theologis.*

Ad secundam maioris probationē, qua fuit cōuictus Durādus *in* 1. *d. 17. q.* 1. vt assereret, esse gratū, & dilectum à Deo nō esse effectum gratiæ habitualis, sed pro priori ad illam ratione solius dilectionis diuinæ esse hominem Deo charū, & dilectum amicabiliter: variè respondetur à Theologis. Vazquez 1.2. *disp.* 205. *cap.* 2. respondet, iustitiā nobis inhærentē esse effectum amoris naturalis, quo Deus sibi cōplacet in creatura rationali secundū dona per creationem accepta, non autem amoris supernaturalis specialis, quo Deus diligit iustos; & ideò antecedenter ad gratiā, nō supponitur esse dilectum speciali dilectione, sed solū dilectione naturali, quæ insufficiens est ad subiectum constituendum gratum simpliciter, & in ratione filij adoptiui.

*Primo respōdet Vazq.*

71 *Secūdo respōdet Suarez.*

Suarez *lib. 6. de essentia gratiæ cap.* 1. *n.* 17. reiecta hac solutione respōdet, amorem Dei dupliciter posse cōsiderari Primo, vt est in se quædā proprietas absoluta, quæ est principiū operandi ad extra, & sic est prior natura infusione gratiæ habitualis. Secundo considerari potest, vt dicit ordinē ad talē personā, quā denominat tali modo, & pro tali tēpore dilectā, & sic infusionē gratiæ, etiam naturæ prioritate nō præcedere, quia non prius peruenit ad personā denominatio dilectæ, quam illi habitualis gratia infundatur. Quod alij Recentiores explicant considerando amorē liberum Dei primo, vt principium effectiuum liberum omnis effectus ad extra. Secundo, vt est libera volitio denominans Deum volentē, & effectum, liberē volitum, priori modo cōtendunt, dilectionē Dei specialē esse naturā priorē infusione iustitiæ inhærentis: secundo autē modo negant, quod natura præcedat, eo quod per effectum ad extra productum, constituitur essentialiter libera volitio Dei sub ratione denominantis Deum liberē volentem, & obiectum, liberē volitum.

*Eandem solutionē aliter explicāt Recētiores quidam.*

Sed lōgiori huius rei discussione remissa *ad* 1.2. *q.* 110. *& q.* 113. vbi propriā habet sedē, displicet prima solutio. Nā amor hominis secundum naturalia præcisé, supernaturalis non est, sed amor, quo Deus habitualē gratiā causat in nobis, supernaturalis est: ergo gratia habitualis ex tali amore non nascitur, nec ex illo causatur. Si respōdeatur ex doctrina istius Auctoris *loc. cit. n.* 6. amorē, quo Deus nobis infundit gratiā, posse considerari dupliciter, nēpé, sub ratione amicitiæ, & sub ratione concupiscentiæ: primo modo fertur in personā, cui gratiā infundit ratione naturaliū præcisé, & sic naturalis est: secundo autē modo fertur in gratiā, & vt sic est supernaturalis.

72 *Prima solutio reiicitur*

*Respondebis.*

In contrarium obstat primo; duplicē illum respectum concupiscentiæ, & amicitiæ, seu beneuolentiæ, non multiplicare amores, sed in vno, & eodē actu coincidere, vt docet D. Th. 1.2. *q.* 26. *art.* 4. nec dissentit Vazquez 1 *p. disput.* 84. *cap.* 3. *& 1.2. disp.* 1. *c.* 3. *& disp.* 11. *cap.* 5. at vnus, & idē actus nequit esse naturalis, & supernaturalis; cū sint duæ rationes inter se repugnantes: ergo si actus amoris, quo Deus infundit gratiā sub ratione cōcupiscētiæ, supernaturalis est, nequit esse naturalis sub ratione amicitiæ.

73 *Contra primo.*

Secundo: nā in eodē amore, vt terminatur ad homines ratione naturalis pulchritudinis sub conceptu amicitiæ, etiā reperitur respectus cōcupiscentiæ, qua Deus amat homini naturales perfectiones ex cōplacentia in persona dilecta: ergo respectus cōcupiscentiæ supernaturalis per respectū ad gratiā habitualē, & ad dona supernaturalia, prædicto

74 *Cōtra 2.*

amori

amerinon cõuenit; cũ non possit vnus, atq; idem actus sub ratione concupiscẽtiæ ad tam diuersa bona terminari.

75 *Secũda reijcitur principalis solutio.*

Deinde principalis solutio reijcitur: nã esto amor ille, quo Deus infundit gratiã, non sit actus amicitiæ pro prioriad illi⁹ infusionẽ, est tamẽ amor beneuolẽtiæ supernaturalis simpliciter, & absolutẽ talis: ergo falsũ est, quod prædict⁹ Auctor docet, nimirũ, nõ esse amorẽ specialẽ iustorũ, sed cõmunẽ illũ amorẽ, quo Deus diligit omnẽ rationalẽ naturã. Probo antecedens: eatenus Deus dicitur diligere hominẽ, quatenus vult illi bonũ: ergo volitio boni supernaturalis talis simpliciter non conuenientis nisi tantũ iustis, & amicis, est amor beneuolentiæ supernaturalis simpliciter talis, nõ communis omni rationali creaturæ, sed peculiaris iustorũ; sed Deus infundens gratiã habitualẽ, vult homini bonũ supernaturale, quod est tale simpliciter, & solũ conuenit iustis: ergo amor, quo vult hoc bonũ homini infundere, est beneuolentia simpliciter supernaturalis, nõ communis omni rationali creaturæ, sed specialis iustorum.

76 *Secũda solutio reijcitur*

Secũda etiã solutio, quã fusẽ impugnamus *Tract. de Volũt. Dei art. 3* agẽdo de cõstitutione actus liberi; breuiter in hunc modũ reijcitur: nã gratia habitualis est effectus Dei, vt *liberè* agẽtis; sed Deus agit *liberè* media volitione vt libera: ergo est effectus volitionis liberæ, vt liberæ; & consequenter volitio Dei, vt libera, in quantũ libera, est prior natura infusione gratiæ habitualis; sed non intelligitur volitio diuina, vt libera, nisi vt transiẽs ad obiectũ creatũ, & ad illud terminata: ergo volitio libera Dei, vt transiens ad personã dilectã, & ad illam terminata, præcedit prioritate naturæ infusionẽ gratiæ habitualis. Et ex his reiecta manet explicatio Recentioru: nã Deus sub ratione efficientis, & infundentis gratiã, supponit se ipsũ, vt liberẽ volentem infundere: ergo si vt efficiẽs præcedit infusionẽ gratiæ prioritate naturę, etiã vt liberẽ volens, præcedit gratiæ infusionẽ. Probo antecedens: Deus infundit gratiã volẽs voluntatenõ subsequente, aut concomitante, sed antecedente, & imperãte gratiæ infusionẽ; cũ infundat illã liberẽ, sed non vt volẽs volitione necessaria: ergo vt volẽs volitione libera; & consequenter Deus, vt infundens gratiam, supponit se ipsum, vt liberẽ, volentem infundere.

*Explicatio Recentiorũ impugnatur.*

Vnde his prætermissis solutionibus:

77 *Vera solutio 2. probationis maioris.*

Ad secundã maioris probationẽ respondeo, concesso antecedenti, & prima cõsequentia, distinguendo secundum consequens: esse dilectũ denominatione extrinseca, præcedit prioritate naturæ habitualis gratiæ infusionem, concedo consequentiam: denominatione intrinseca dilecti, hoc est, digni, vt diligatur, nego consequentiã, & minorẽ subsũptã, quod nempẽ, esse dilectũ denominatione extrinseca, & extrinsecẽ ordinatũ ad gloriã sufficiat ad rationẽ filij adoptiui: nã extrinseca denominatio dilecti, nec sufficit ad iustificãdũ, nec ad filiũ cõstituendũ, vt forma, sed solũ vt principium efficiẽs formã vtrumq; ipsum effectũ præstantẽ, ob rationes factas inter probandã nostrã cõclusionẽ, & ampli⁹ *concluſ. 4.* prosequendas; vnde etsi supponatur denominatio dilecti, nõ sequitur supponi pro illo priori filium adoptiuũ constitutũ *formaliter*, sed tantum modo *inchoatiuè*.

78 *Cõfirmatur solutio doctrina D. Thomæ.*

Quæ solutio traditur à D. Th. *q. 28. de Verit. art. 2. ad 11.* loquẽdo de remissione peccati, vbi cum sibi obiecisset: *Amor, quo Deus Christum diligit, & ei⁹ membra præcedit gratiæ infusionẽ, sed amor ille non est hominis in peccato existẽtis: ergo remissio culpæ præcedit gratiam ordine naturæ, & sic non requiritur gratia ad culpæ remissionẽ*: his verbis respõdet: *Ad 11. dicẽdũ, quod Deus suo amore, sicut causat in nobis donũ gratiæ, ita & remissionẽ culpæ; vnde nõ oportet, quod remissio culpæ gratiã præcedat.* Ac si apertius D. Tho dixisset, remissionẽ esse ab amore diuino, nõ *formaliter*, sed *effectiuè*, sicut & infusio gratiæ; ac proinde ex eo quod amor Dei, & esse amatũ ab ipso, præcedat infusionẽ gratiæ, non sequitur, culpã remissam præcedere, & non subsequi ad gratiæ infusionem.

79 *Tertio arg. et instatur cõtra solutionẽ dictam.*

Tertio arguitur, & instatur contra hanc solutionẽ: vt gratia, & non denominatio extrinseca dilecti hominẽ constitueret filiũ adoptiuũ Dei, deberet per donũ gratiæ constitui ad vitã æternã acceptus; sed non sic constituitur: ergo à

gratia nõ præstatur esse filiũ adoptiũ, sed ab extrinseca denominatione dilecti. Maior cõst at: nã adoptio est gratuita acceptatio, & assumptio vnius personæ ad alterius hæreditatẽ: ergo esse filiũ adoptivum, est, esse acceptũ ad hæreditatẽ adoptantis; & cõsequenter forma constituens filiũ adoptivum formaliter, debet dare denominationẽ accepti. Minor autẽ probatur: acceptatio nã quæ ad hæreditatẽ Dei dupliciter sumi potest, vt *in solut. præced. argum.* docuimus, nẽpẽ, in ordine intentionis, & in ordine executionis; at primo modo infusionẽ gratiæ præcedit; secundo autẽ modo, infusionẽ gratiæ supponit, & ab illa potest separari, vt ex *infra* dicendis constabit: ergo esse ad vitã æternã acceptum, nullo modo præstatur à gratia habituali formaliter.

80 *Respõdetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorẽ. Ad probationẽ, distinguo maiorẽ: acceptatio ad hæreditatẽ Dei actualis, vt actu infallibiliter habendam, concedo maiorẽ: omnis acceptatio ad illã, nego maiorẽ, & concessã minori, nego cõsequẽtiã. Nã præter acceptationẽ, vel ordinationẽ actualẽ ad gloriã, vt actu infallibiliter cõferẽdã, datur alius mod⁹ acceptationis, vel ordinationis ad illã, nẽpé, habitualis, & in iure, & dignitate intrinseca, vt ad gloriã quis admittatur, & hæc præstatur à gratia habituali, quæ est pignus gloriæ præbẽsius, & condignitatẽ ad gloriã consequẽdã; & hæc sufficit, vt gratia habitualis præbeat formaliter esse filium adoptivũ, vt *infra* amplius explicabimus.

81 *Instabis* Sed dices: sequi ex ista solutione, quod cum homo existens in gratia, acceptatur actu ad gloriã, non ordinetur ad illam, tanquam filius adoptivus, sed vt filius naturalis; consequens est falsũ: ergo, & tradita solutio. Probatur sequela: assumptio filij adoptiui petit esse personæ extraneæ, extraneitate iuris, idest, carentis iure ad hæreditatem, ad quam ordinatur; at iuxta istam solutionẽ homo existens in gratia habituali, habet ius intrinsecum ad hæreditatẽ Dei: ergo ordinatio illius ad gloriam, vt actu habendam, non est acceptatio filij adoptiui, sed naturalis. *Respõd.* Respondeo, negando sequelam. Ad probationem, distinguo maiorem: petit esse personæ extraneæ, & carentis iure ad hæreditatẽ ex vi suæ substantialis constitutionis, concedo maiorem: iure collato per gratiam superuenientem constitutioni substantiali illius, nego maiorẽ, & distinguo minorem: habet ius ex vi suę primæ, & substãtialis constitutionis, nego minorẽ: collatum per gratiam superuenientem, & accidentalem, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Quæ extraneitas in persona adoptanda requiratur.*

Denique contra secundam partem conclusionis arguitur: forma de facto iustificans, præbet effectum filiationis formaliter, vt constat *ex dictis*; sed charitas de facto iustificat: ergo præbet formaliter filiationis effectum. Probatur minor ex Tridentino *sessione 6. de iustific. cap. 7.* ibi: *Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atq; ipsis inhæret.* Ex quibus verbis minor argumenti probatur. Nã forma per quã Christi merita applicãtur, est formaliter sanctificans; sed mediante charitate merita Christi applicãtur: ergo charitas de facto iustificat.

82 *Vltimo arg. contra 2. partẽ cõclusionis.*

*Trid. Conc.*

*Cõfirmatur 1.* Cõfirmatur primo ex verbis immediatè sequẽtibus: *Vnae in ipsa iustificatione cũ remissione peccatorũ, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidẽ, spem, & charitatẽ:* ergo ex mẽte Cõcilij nõ accipit homo in iustificatione gratiã à charitate distinctã; & cõsequenter nõ per gratiam habitualem à charitate distinctam, sed per charitatem iustificatur formaliter.

83 *Cõfirmatur 2.* Confirmatur secundo ex D. Tho. ad Rom. 5. lect. 1. vbi explicans verba Pauli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Tũm, de dilectione, qua Deus diligit nos; tũm etiam, de dilectione, qua nos diligimus Deum, sic habet: *Vtraque autem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ Sanctum, qui datus est nobis; Spiritum enim Sanctum, qui est amor Patris, & Filij dari nobis, est nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus Sanctus, à qua quidem participatione efficimur Dei amatores, & hoc quod ipsum*

ama-

*amamus, signum est, quod ipse nos amat, iuxta illud Prouerbiorum 8. Ego diligentes me dilìgo.* Hæc D. Th. ex quibus sic infero: donum creatum intrinsecũ, ratione cuius nobis Spiritus Sanctus donatur, præstat effectum iustificationis formaliter; sed iuxta D. Thom. ratione charitatis nobis infusæ Spiritus Sanctus donatur, siquidem Spiritum Sanctum nobis dari, est, *Nos adduci ad participationem amoris, qua participatione efficimur Dei amatores*: ergo charitas, qua Dei amatores efficimur, est donũ ratione cuius Spiritus Sanctus datur.

84. *Cõfirmatur 3.* Confirmatur tertio ex Aug. 15. *de Trinitate cap.* 18. vbi docet, solam charitatem filios Regni à filijs perditionis diuidere; sed donum distinguens filios Dei à filijs Diaboli, cõstituit filios Dei formaliter; idem namque est constitutiuum, & distinctiuum: ergo charitas est forma, qua efficimur filij Dei. *Cõfirmatur 4.* Confirmatur quarto: donum perfectissimum ex his, quæ in iustificatione impenduntur præbet filiationem adoptiuam formaliter; sed donum omnium perfectissimum est charitas, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent charitas, fides, & spes, tria hæc, maior autem horum charitas*: ergo ipsa est, quæ constituit filium adoptivum formaliter. *Cõfirmatur 5.* Denique confirmatur: non enim plus requiritur ad rationem filij adoptiui, quam ad esse amicum Dei; sed charitas, vt à gratia distincta, formaliter constituit amicum Dei: ergo & filium adoptivum.

85. *Respõdetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: forma per quam primo, & principaliter applicantur, concedo maiorem: per quam ex consequẽti, & *completiuè* applicãtur, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam forma per quam primo, & principaliter merita Christi in iustificatione applicantur, nõ est charitas, sed gratia habitualis, ad quã tanquã ad radicẽ cætera dona consequuntur, licet media charitate secũdario, & *completiuè* merita Christi applicentur, quia gratiam iustificantẽ perficit, & cõplet, tanquã propria illius passio. Nec oppositum ex Concilio colligitur: non enim docet, per charitatem merita Christi applicari, sed applicari dum charitas diffunditur, quod verissimum est: nã dum charitas diffunditur, diffunditur etiam gratia, ad quã charitas consequitur, & per illã primo applicantur Christi merita, quæ applicatio per charitatem perficitur.

86. *Ad 1. cõfirmationem.* Ad primã confirmationẽ, nego cõsequentiã. Nam Concilium affirmans, accipi in iustificatione fidem, spem, & charitatẽ, nõ excludit gratiã habitualẽ à charitate distinctam, de qua in principio illius capitis dixerat, iustificationẽ fieri; *Per infusionem gratiæ, & donorum*, & canon 11. eiusdẽ sessionis, illã à charitate distinxerat, ibi: *Secluſa gratia & charitate.* Ad secundã, distinguo maiorẽ: donũ ratione cuius nobis datur Spiritus Sanctus *primordialiter*, & tanquam principio radicali amandi Deum, concedo maiorẽ: *completiuè*, & tanquam principio proximo amoris, nego maiorẽ: & sub eadẽ distinctione, & explicatione minoris, nego consequentiã nam dari nobis Spiritum Sanctum media iustificatione, iuxta D. Th. 1. *p. q.* 8. *art.* 3. & *q.* 43. *art. etiã* 3. consistit in eo quod præter generalẽ modũ essendi in omnibus rebus per essentiã, præsentiã, & potentiã, sit in iustis familiari modo, vt obiectũ amicabile, & fruibile; & quia ratione gratiæ habitualis redditur Deus obiectũ *radicaliter* amabile, & ratione charitatis redditur amabile *proximè*, ratione vtriusq; dicitur esse in nobis, nobisq; donari, ratione gratiæ *primordialiter*; ratione autẽ charitatis, nõ primario, sed secundario, tanquã ratione principij proximi amoris: forma autẽ iustificans, est illa, ratione cuius Spiritus Sanctus *primordialiter* nobis datur. *Ad secũdam.*

87. *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, Augustinum non contraposuisse charitatem ad gratiam habitualem, sed ad cæteras virtutes, vt ipsum legenti constabit, & sic verum est solam charitatem diuidere filios Regni à filijs perditionis, non *formaliter*; hoc enim præstat gratia, quæ est primum principium essendi, & causandi in ordine supernaturali, & diuino, sed *operatiuè*, quia est proximum principium operandi diuinas operationes. Ita Caietanus 1. 2. *q.* 110. *art.* 3. *in solut.* *Caiet.*

ad 1. vel *præsuppositiuè* loquendo de habitu charitatis, & *dispositiuè* loquendo de actu; ille namq; supponit gratiam, vt radicem, iste verò ad gratiam disponit. Vel secundo exponi potest de diuisione non facta, sed significata per charitatem, ex quo tantum sequitur charitatem esse signũ filiationis adoptiuæ, nõ autem, quod sit forma illam formaliter præstans.

88 *Ad quartam.* Ad quartã, concessa maiori, nego minorem: nec vrget probatio ex Paulo, qui solum cæteris virtutibus charitatẽ præposuit, nõ autem cõmuni omnium virtutum radici, quæ est gratia habitualis. *Ad quintam.* Ad vltimam, prætermissa maiori, & minori, nego consequentiam. Nam licet idem ad vtrumque sit necessarium, non tamen eodem modo, & ideò non infertur, quod si charitas est formalis amicitia, sit etiam formalis filiatio. Disparitas autem est: nam amicitia consistit in mutua redamatione: charitas autem dat vires proximas ad redamandũ Deum, & ideo est amicitia formaliter, tametsi non adæquatè, vt *Tractat. de Charitat. art.* 1. docuimus. Filiatio autem consistit in terminatione spiritualis generationis; & quia terminus formalis est natura, in qua genitus generanti assimilatur, quæ non est charitas, sed habitualis gratia, ad quã charitas vt propria passio consequitur: consequens fit, quod licet ad vtrumq; requirantur gratia, & charitas, non tamen eodem modo ad vtriusque constitutionem ingrediantur, sed ad amicitiam ingrediatur *constitutiuè* partialiter: ad filiationem vero adoptiuam ingrediatur solũ *consecutiuè*, vt propria passio naturæ illam præstantis formaliter.

*Charitas ad amicitiã cõcurrit cõstitutiuè partialiter: ad filiationẽ vero adoptiuã, tãtum consecutiuè.*

## §. V.

### *De modo, quo gratia præstat filiationem adoptiuam.*

89 *Tertia cõclusio.* TERTIA CONCLVSIO. *Gratia habitualis se ipsa* adæquatè, *nullo extrinseco fauore expectato, Filiũ Dei adoptiuum constituit.* Ita præter Auctores *supra* pro quarta sententia relatos, tenent Capreolus *in* 1. *dist.* 17. *q.* 1. *ad* 2 *argum. Gregorij.* Caietanus 1 2. *q.* 110. *art.* 3. & *q.* 114. *art.* 3. Choquetius *lib.* 1. *de gratia sanctificante disput.* 3. *cap.* 2. & Montesinos 1. 2. *disp.* 35. *q.* 7. *num.* 132. Quam probo primo ex D. Thoma 1. 2. *art.* 110. *art.* 3. *in corpore*, vbi docet, gratiam habitualem esse naturam diuinam participatam, & secundum acceptionem huiusmodi naturæ homines regenerari in filios Dei. Et *q.* 114. *art.* 3. *ad finem corporis*, illis verbis: *Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiæ, per quã homo consors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso iure adoptionis, secundum illud Romanorum* 8. *Si filij, & hæredes*: vbi quamuis D. Th. exclusiuam non expresserit acceptationis extrinsecæ Dei requisitæ ad esse filium, illam tamen implicitè apposuisse videtur; aliàs *diminutè* procederet agendo de forma constitutiua filij, & non explicando adæquatam, sed inadæquatam formam: cum ergo D. Thom. solum meminerit gratiæ, vt formæ filiationem præstantis, aperte sensisse videtur, gratiam se solã nullo extrinseco fauore expectato filiũ Dei adoptiuum constituere. *Capr. Caiet. Choq. Mõtes.* *Prob. 1. ex D. T.*

90 *Secundo prob. ratione ex doctrina D. Tho. desãpta.* Secundo probatur ratione *ex allegatis testimonijs* desumpta: forma constituens spiritualiter genitum, constituit filium adoptivum Dei pro fundamento relationis filij adoptiui; sed gratia habitualis se sola, nullo extrinseco fauore expectato, constituit spiritualiter genitum: ergo se sola absque vllo fauore extrinseco suæ entitati superaddito filium adoptivum constituit pro fundamento relationis filij adoptiui. Consequutio est legitima. Maior constat: nã esse spiritualiter genitum est fundamentum relationis filij adoptiui, sicut esse genitum naturaliter, est fundamentum relationis filij naturalis: ergo sicut forma, vel natura constituens naturaliter genitum, constituit filium naturalẽ pro fundamento relationis filij: ita forma constituens genitum spiritualiter constituit filium adoptiuum pro fundamẽ

to relationis filij. Minor autē probatur: sicut enim naturaliter genitum, cōstituitur per acceptionem naturæ eiusdem speciei cum natura generantis, ità genitum spiritualiter constituitur per acceptionē naturæ conuenientis *analogicè* cum natura Dei generantis spiritualiter; sed gratia se sola secundum suam entitatem intrinsecam, nullo extrinseco fauore expectato est participatio analoga naturæ Dei spiritualiter generantis, specialis, vel formalis, physica, vel moralis, iuxta varias Theologorum sententias 1 2. q. 110 *art.* 1. ergo ratione suæ intrinsecæ entitatis absque vllo fauore extrinseco reddit hominē diuinæ naturæ participem, Deoq; *analogicè* similem in natura sub conceptu naturæ; & consequenter spiritualiter genitum

91 *Minor Probatur.*

Explicatur vis argumenti: accipiens naturam generantis secundum conuenientiam vniuocam ex vi huius acceptionis, absque aliquo superaddito, constituitur filius naturalis: ergo ex vi acceptionis naturæ diuinæ secundum conuenientiam analogam, absque indigentia alicuius superadditi, constituitur spiritualiter filius; & consequenter filius adoptivus; sed gratia habitualis ratione suæ entitatis intrinsecæ, est participatio naturæ diuinæ secundum conuenientiam analogam; & consequenter illam accipiens est similis Deo *analogicè* in natura sub conceptu naturæ: ergo ex vi acceptionis illius nullo extrinseco fauore expectato constituitur accipiens, spiritualiter genitus; & consequenter filius adoptiuus Dei.

92 *Confirmatur, & explicatur.*

Respondebis, negando consequentiam, & rationem discriminis reddes Nam acceptioni naturæ per naturalem generationem, est annexum ius naturale ad hæreditatem Patris: secus autem acceptioni naturæ diuinæ secundū conuenientiam analogam iustis conueniēti per gratiam, nisi accedat acceptatio extrinseca ad gloriam, & diuina promissio, & ideo ex vi acceptionis naturæ secundum conuenientiam vniuocā, nullo extrinseco expectato, constituitur filius naturalis: ex vi autem acceptionis gratiæ, quæ est natura Dei secundum conuenientiam analogam, non datur filiatio adoptiua, nisi ordinatio extrinseca ad gloriam, diuinaque promissio accedat.

93 *Respōdebis.*

Sed contra primo: nam ius ad hæreditatem non constituit filium naturalem, vel adoptivum, sed filiationem consequitur constitutam ex vi acceptionis naturæ, vel secundum conuenientiam vniuocam, vt in filiatione naturali, vel secundum conuenientiam analogam, vt in filio adoptiuo contingit; nō enim, quia habet ius, est filius, sed quia filius est habet ius; filiatio autem ad participationem naturæ consequitur; sed ratione gratiæ habitualis habetur participatio naturæ diuinæ secundum conuenientiam analogam, absque vllo fauore extrinseco: ergo absque illo per sola intrinseca gratiæ filiatio adoptiua præstatur; & consequenter ius ad istam filiationem sufficiens, iuxtà illud Romanorum 8. *Si filij, & hæredes*. Secundo, filiatio adoptiua Dei in iustificatione fundata, non minus consequitur gratiā habitualem, quam filiatio Dei in creatione naturæ rationalis fundata consequitur ad naturam; sed hæc sequitur naturā absque vllo fauore extrinseco: ergo illa sequitur gratiam ratione suæ intrinsecæ entitatis, absque vllo fauore extrinseco expectato.

94 *Contra 1.*

*Secundo*

Tertio: ad rationem filij adoptiui sufficit ius connaturalitatis ad illius hæreditatem, & condignitatis quoad sufficientiam, ad acceptationem ad illam; sed vtrumque hoc ius præstatur à gratia habituali ratione suæ entitatis intrinsecæ, quin ad hoc indigeat fauore extrinseco Dei: ergo ratione suæ entitatis intrinsecæ, absque vllo extrinseco fauore, præstat filiationem Dei adoptiuam. Minor quoad primam partem ostenditur primo: naturæ namque proportionatæ ad aliquem finem, debetur connaturaliter assecutio illius; sed gratia habitualis est in ordine supernaturali natura proportionata cum visione clara Dei, quæ est illius hæreditas: ergo sub conditione perseuerantiæ finalis est debita gratiæ, debito connaturali assecutio hæreditatis diuinæ. Secundo: nam lumē gloriæ per modum principij proximi dat ius efficax connaturalitatis ad visionem beatificam: ergo gratia habi-

95 *Tertio.*

*Minor quoad 1. partem prob. 1.*

*Secundo*

tualis

tualis dabit per modum radicis ius connaturalitatis ad illam sub cõditione perseuerantiæ finalis. Deinde quoad secũdam partem probatur: nam gratia habitualis ratione suæ intrinsecæ entitatis constituit subiectum, gratum, & obiectum congruum diuinæ dilectionis simpliciter: ergo reddit dignum subiectum, cui Deus velit bonum *simpliciter* tale, quod est visio clara ipsius; & consequenter dat ius sufficientis condignitatis, vt ad hæreditatem diuinam acceptetur.

*Quoad secundã partem probatur.*

96 *Vltimo probatur minor quoad vtrãque partem.*

Denique quoad vtramque partem probatur minor: nam ius connaturalitatis ad gloriam, & condignitatis sufficientis ad illam, non implicat præstari ab aliqua forma creata ratione suæ intrinsecæ entitatis; cum nõ possit aliqua implicatio assignari; sed non est assignabilis forma creata aptior ad hoc ius præstandum, quam habitualis gratia, quæ est participatio specialis, aut formalis ipsius naturæ diuinæ consistentis in radice videndi; & amandi Deum: ergo gratia habitualis ratione suæ intrinsecæ entitatis, nullo extrinseco fauore expectato, dat ius connaturalitatis ad gloriam, & condignitatis sufficientis ad acceptationem efficacem ad illam; & consequenter ratione entitatis intrinsecæ cõstituit filium adoptiuum Dei.

97 *Deniq; probatur conclusio.*

Denique suadetur conclusio: forma namque se sola de facto iustificans, se sola absque vllo fauore extrinseco filium adoptiuum constituit; sed gratia habitualis se sola, est forma de facto iustificans: ergo se sola absque vllo fauore extrinseco constituit filium adoptiuum Dei. Illatio tenet. Maior constat ex Tridentino sessione 6. vbi iustificationẽ peccatoris diffiniens, ait: *Esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Saluatorem nostrum*: ergo forma se ipsa præstans iustificationis effectum, se ipsa transfert hominem ab statu filij primi Adæ ad statum filiationis adoptiuæ; & consequenter se ipsa filium adoptiuum cõstituit. Minor autem probatur ex Tridentino *sessione 6. relata cap.* 7. vbi docet, vnicam causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiam nobis inhærentem intrinsecé; sed idem est, esse vnicam causam formalem, atque esse adæquatam causam: ergo gratia habitualis, quæ est iustitia nobis inhærens, est adæquata causa nostræ iustificationis; & consequenter se sola præstat iustificationis effectum: nam forma, quæ cũ alterius consortio præbet aliquem effectum formalem, nec est vnica, nec adæquata causa formalis illius.

98 *Cõfirmatur 1.*

Et augetur difficultas primo: quia namque ex voluntate, & gratia conflatur adæquata causa efficiens operis salutaris, falso assereret, qui diceret voluntatem creatam esse causam adæquatam efficientem illius, & se opponeret Paulo dicenti: *Non ego solus, sed gratia Dei mecum*: ergo qui docent ex entitate intrinseca gratiæ, & acceptatione extrinseca Dei, aut ex valore accrescenti gratiæ ex illa, confiari adæquatam causam formalem nostræ iustificationis, filiationisque adoptiuæ, se opponunt Tridentino asserenti, gratiam, seu iustitiam nobis inhærentem esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis, & nostræ filiationis adoptiuæ.

99 *Cõfirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur secundo: si namque ex entitate intrinseca gratiæ, & valore resultante ex acceptatione extrinseca consurgeret adæquata causa formalis filiationis adoptiuæ, principalius præstaretur ab extrinseco fauore, quam à iustitia nobis inhærente: ergo diminutè processisset concilium dum assignans omnes causas nostræ iustificationis, non meminisset fauoris extrinseci, tanquam causæ illius formalis, sed tantum iustitiæ inhærentis, sicut si assignans causas operis salutaris, subticeret gratiam principaliter concurrentem, & solum mentionem faceret liberi arbitrij creati, minus principalem influxum præbentis. Probo antecedens: fauor extrinsecus Dei adstruitur à contrarijs auctoribus, vt præbens gratiæ dignitatem, & valorem ad præstandum effectum formalem, quem in se nõ continet ratione propriæ entitatis; sed forma præbens virtutem, & continentiam effectus, principalius concurrit ad illum, quam forma recipiens continentiam, & virtutem, quã ex se non habet: ergo principalius concurreret ad filiationem adoptiuam fauor extrinsecº Dei, quã iustitia nobis inherẽs.

Deni-

100 *Cōfirmatur 3.*

Denique confirmatur, & vrgetur difficultas: nemo enim negare potest maiori cum proprietate verba Concilij explicari concessa entitati intrinsecæ gratiæ vi ad constituendum se ipsa filium adoptiuum Dei, quam hac virtute negata, expectatoque fauore extrinseco Dei; sed in hac vi entitati gratiæ intrinseca, & adæquata, nulla repugnantia inuenitur, vt constat ex *supra* dictis, & amplius ex dicendis constabit: ergo cōcedenda est gratiæ; & consequenter dicendum, se ipsa ex vi suæ intrinsecæ entitatis, absque indigentia extrinsecæ acceptationis, præstare filiationem adoptiuam. Mitto plures solutiones, quibus posset argumento facto occurri. Tum; quia ex dictis manet præclusa. Tum etiam, quia fusius illarum examen pertinet *ad primam secundæ quæst.* 113. *art.* 2. vbi de efficacia intrinseca gratiæ ad expellendum peccatum tractatur.

## §. VI.

### *Tribus argumentis occurritur.*

101 *Arguitur 1.*

CONTRA istam conclusionem obijciunt Auctores oppositi primo: forma insufficiens de se ad excludendū peccatum, est etiam insufficiens ab intrinseco ad effectum filiationis adoptiuæ; sed gratia habitualis, ratione entitatis intrinsecæ, est insufficiens ad peccatum mortale expellendum: ergo nō præbet se ipsa filiationem adoptiuam. Maior constat. Nam filiatio Dei adoptiua non potest cum peccato mortali componi: ergo forma insufficiens ab intrinseco ad peccatum expellendum, est etiam ab intrinseco insufficiens ad præstandam ratione solius entitatis intrinsecæ filiationem adoptiuam. Minor autem probatur, peccatum mortale est grauitatis infinitæ simpliciter, vt cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus *supra disp.* 1. gratia autem habitualis est bonitatis, & valoris limitati & finiti; sed bonitas, aut valor finitus, non potest se ipso excludere infinitam malitiam, grauitatemque infinitam: ergo gratia habitualis est ab intrinseco insufficiens ad excludēdum peccatum ratione suæ intrinsecæ entitatis.

102 *Respōdetur 1. ad probationē minoris respondetur 1.*

Respondeo, concedo maiori, negando minorē. Ad illius probationē respōderi potest primo, concessa maiori, distinguendo minorem: per modum satisfactionis, & meriti concedo minorem: per modum formæ incompossibilis, nego minorem, & consequentiam. Gratia namque non excludit peccatū per modum condignæ satisfactionis, ad quem modum excludendi, necessaria erat æqualitas valoris cum grauitate offensæ, sed per modum formæ incompossibilis cum peccato mortali: quia nempe, tribuit effectus oppositos effectibus à peccato præditis, & ad excludēdum peccatum hoc modo, non est necessaria æqualitas, sed sufficit oppositio in rationibus formalibus, vt constat in actu dilectionis Dei finito, excludente peccatum odij actualis, quod in ratione offensę est infinitum. Et quidem condonatio extrinseca Dei tametsi *entitatiuè* sit infinita, in ratione formæ nobis vnitæ moraliter, infinita non est, sicut nec benevolētia extrinseca, per quam in sententia probabili possumus iustificari, est infinita formaliter in ratione formæ nobis vnitæ moraliter; alias præberet infinitum sanctitatis effectum, quod nullus asseruit; & tamen nemo negabit condonationem extrinsecam adiunctam habituali gratiæ, nos à peccato mundare: nō ergo petitur ad excludendum peccatū via incompatibilitatis formalis, infinitas in forma expellente.

*Aliquid finitū potest id quod infinitū est via incōpossibilitatis excludere.*

103 *Secundo respondetur ad probationē minoris. Et etiā via oppositionis mediatæ*

Vel secundo responderi potest, bonitatem finitam non posse excludere infinitam grauitatem per immediatam oppositionem, bene tamen per oppositionem mediatam: in peccato autem habituali, & est ratio maculæ, & malitiæ finita, & grauitas in ratione offensæ infinita, & gratia, quæ est finitæ, & limitatæ bonitatis non pugnat *immediatè* cū ratione offensæ infinitæ, sed cum malitia finita, qua exclusa, non potest ratio offensæ in peccato subsistere.

Secundo

104 *Secundo respondetur argumento.*

Secundo potest argumento facto occurri, prætermissa minori, negando maiorem. Ad illius probationem, nego antecedens. Sententia namque componens simul gratiam, & peccatum mortale de potentia absoluta, distinguit in gratia habituali effectum positiuum, & effectum negatiuum excludendi peccatum, & aiunt, posse effectum negatiuū; cum effectus secundarius sit, à positiuo effectu separari, vnde admittit idem subiectum esse dignum gloria ratione gratiæ habitualis; & indignum illa ratione peccati mortalis, cumque in dignitate per modum iuris sufficientis ad gloriā, & participatione naturæ diuinæ secundum conuenientiam analogam, adoptiua Dei filiatio consistat; admittunt præfatæ sententiæ Auctores, posse filiationem adoptiuam simul cum peccato mortali de potentia absoluta consistere. Nec mirum debet censeri: si namque possessionem hæreditatis diuinæ, nempe, visionem beatificam admittūt, posse in eodem subiecto cum mortali culpa componi, poterit ius condignum istius hæreditatis; & consequenter filiatio adoptiua Dei cum peccato mortali componi.

105 *Tertio responderi potest*

Tertio potest responderi, negando maiorem. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiā, vel distinguo consequens: non habet vim intrinsecam ad præstandam filiationem adoptiuam, supposita remissione peccati, nego consequentiam: non præsupposita remissione peccati, transeat consequens; sicut ista consequentia non tenet: *Ad rationem filij adoptiui requiritur extraneitas subiecti, & negatio iuris connaturalis ad hæreditatem adoptātis; sed gratia est de se insufficiens ad ponē dam extraneitatem subiecti, & tollendā negationem iuris connaturalis: ergo est de se insufficiens ad constituendum filium adoptiuum.* Nam præmissæ veræ sunt; consequens autem est falsum, & vel absolutè negandum, vel distinguendum, & concedi consequentia, non supposita extraneitate in subiecto, negari vero extraneitate supposita.

*Instatur argumētum 1.*

106 *Secundo*

Habeo etiam huius doctrinæ satis accommodatum exemplum in contēplatione altissima Dei conditoris naturæ, in qua constituendam fore naturalē beatitudinem possibilem in statu naturæ integræ, naturali tantum integritate, cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus in *speciali tractatu de beatitudine naturali*. Iuxta quam doctrinam consequenter est asserendum, actum illum contemplationis Dei conditoris naturæ esse sufficientem de se ad constituendum, & denominandum beatum; & tamen non haberet de se sufficiētiam ad peccatum mortale per modum formæ excludendum, sine cuius remissione beatum non constitueret. Pariter ergo in præsenti possumus gratiæ habituali concedere vim ad constituendum filium adoptiuum ratione propriæ entitatis, esto admittamus non habere vim ad excludendum peccatum, ratione suæ entitatis intrinsecæ, quod tamen absolutè falsum censemus.

107 *Replicabis 1.*

Sed oppones primo: non esse peccati mortalis, est medium necessarium ad esse filiationis adoptiuæ; sed insufficiens ponere media, non est sufficiens ad finē: ergo si gratia habitualis est de se insufficiens ad excludendum peccatum, erit etiam insufficiens ad præstandam ratione propriæ entitatis filiationem adoptiuam.

*Secundo*

Secundo: nam filiatio adoptiua est essentialiter cum peccato mortali incompossibilis: ergo habet vim ad expellendum peccatum, infertq; necessario, non esse, vel exclusionem illius; sed forma impotens de se ad effectū negatiuum secundarium necessario illatū ex effectu positiuo primario, est etiam de se insufficiens ad effectum positiuū inferentem negatiuum, sicut si calor esset ab intrinseco insufficiens ad expellēdam frigiditatem, non posset esse sufficiens ad constituendum calidum: ergo non stat cum insufficientia physica gratiæ ad expulsionem peccati, sufficientia illius intrinseca, ad præstandam filiationem adoptiuam.

108 *Ad primā replicā respōdetur 1. Resp. 2.*

Respondeo, ad primam instantiā, negando maiorem. Non enim est, nisi requisita conditio; stat autem sufficientia intrinseca ad aliquem effectum formalem cum intrinseca insufficientia ad conditionem requisitam ad illum, vt cōstat in *exemplis adductis*. Secundo respondeo, negando minorem loquendo

de

de causa formali. Gratia namque est medium necessarium ad gloriam; & tamen visio beatifica est potens beatificare formaliter, quin sit potens, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis, habitualem gratiam causare.

109 *Ad secundam.*

Ad secundam, distinguo antecedēs: incompossibilitate passiua, concedo antecedens: actiua, nego antecedens, & cōsequentiam. Solum enim forma cum alia incompossibilis, incompossibilitate actiua habet vim ad expellendum id, cū quo habet oppositionem, quod autem sola gaudet passiua incompossibilitate vim expulsiuam non habet, vt constat in peccato veniali incompossibili cum statu innocentiæ, non quia habeat vim destructiuam illius, sed quia status innocentiæ non permittit illud secum, sicut nec vnio hypostatica: ita in præsenti est dicendum iuxta sententiam suppositā, filiationem adoptiuam esse incompossibilem cum peccato mortali, non quia possit illud expellere; eo quod peccatū est infinitæ grauitatis, sed quia peccatū mortale non permittit secum filiationē adoptiuam.

*Differentia inter incompossibilitatē actiuā & passiuā duarum formarum, valdenotanda.*

110 *Secundo arguitur*

Secundo obijciunt: forma, quæ præstat filiationem adoptiuam, debet saltim ex consequenti præstare ius condignū, & connaturale hæreditatis diuinæ, scilicet, visionis beatificæ; sed gratia habitualis ratione suæ intrinsecæ entitatis hoc ius præstare non potest: ergo nec præbere filiationem adoptiuam. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primo: ius gloriæ condignum petit cum gloria adæquari; sed gratia habitualis nō adæquat perfectionem visionis beatificæ. Tum, quia hæc in actualitate excedit; & consequenter superat in perfectione. Tum etiam; quia est vltima actualitas lineæ supernaturalis: vltima autem actualitas perfectior est omnibus, quæ sunt in potentia ad illam. Tum denique: nam est vltimus finis etiam gratiæ habitualis: finis autem, & maximè vltimus, perfectior est omnibus ordinatis ad ipsum: ergo gratia habitualis, nequit ab intrinseco præstare ius condignum hæreditatis diuinæ, scilicet, visionis beatificæ.

*Minor probatur 1.*

111 *Secundo*

Secundo probatur minor: non est dabilis qualitas aliqua creata dans ius condignum, condignitate filij adoptiui, ad hæreditatem regis terreni ratione propriæ entitatis. ergo nec datur, nec dari potest forma aliqua creata, quæ ratione propriæ entitatis præbeat ius condignū filij adoptiui ad hæreditatem Dei. Tertio probatur: nam ea, quæ sunt propria Dei nulli creaturæ possunt esse connaturalia; sed beatitudo est propria naturæ diuinæ, propriaque Dei perfectio: ergo nulla forma creata potest dare ius condignum, & connaturale ad beatificam visionem.

*Tertio.*

112 *Respōdetur.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, concessa maiori, nego minorem; vt enim docet D. Thom. 1-2 *quæst.* 114. *art.* 3. *in corpore*, opera iustorum inæqualia gloriæ secundum propriam substantiam, redduntur gloria condigna, ratione dignitatis gratiæ: dat ergo gratia habitualis operationibus nostris valorem meritorium adæquātem moraliter gloriam; & consequenter subiecto dabit cōdignitatem ad illam per modum hæreditatis. Nec obstat, quod visio beatifica in actualitate gratiam habitualem excedat; est namque excessus *secundum quid*, sicut operatio naturalis actualior est substantia cuius est operatio, ex quo tantum obtinet excessum *secundum quid* in eius comparatione. Nec vltima actualitas petit excedere omnia actuabilia per ipsam; sed ad summum potentiam proximam per se ad illam ordinatam, vt in eodem exemplo conspicitur: gratia autem habitualis, non est potentia proxima, sed radicalis in ordine ad visionem beatam.

*Ad primā probationē minoris.*

*Visio beatifica solum secūdū quid excedit gratiam*

Nec denique vltimus finis vt *quo*, & per modum assecutionis petit excedere omnia ad ipsum ordinata, sed sufficit, vltimum finem *qui*, & per modum assequibilis obtinere istum excessum: visio autem beatifica non est finis vltimus *qui*, sed vltimus finis formalis *quo*, & per modum assecutionis; & ideo non est necessum, quod excedat simpliciter gratiam habitualem, imo gratia illam excedit, cum sit formalis participatio naturæ diuinæ: visio autem, non naturæ Dei, sed operationis ipsius sit participatio formalis. Et quidem beatitudo naturalis est vltimus finis formalis naturæ Angelicæ, & humanæ,

113 *Vltimus finis qui debet excedere omnia ad ipsum ordinata: secus finis quo.*

næ, & tamen neutram excedit, excessus simpliciter tali. An autem ad condignitatem meriti, vel filiationis adoptiuæ pectatur omnimoda æqualitas, an vero sufficiat æqualitas proportionis? *Tract. de merito* 1.2. q. 114. *art.* 1. disputatur.

114 *Ad secundam.* Ad secundam probationem minoris, prætermisso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas autem est: nam regis terreni natura non est ab alio participabilis, nisi in esse substantiali, & secundum conueuientiam vniuocam: ac proinde, nisi sic communicetur, qualiter communicata filium naturalem constituit, non potest haberi ius intrinsecum ad illius hæreditatem: cæterum natura diuina est participabilis secundum conceptum naturæ à qualitate creata: qualitas autem participans naturam diuinã dat ab intrinseco ius connaturale, & cõdignum ad operationes Dei; & consequẽter ad beatificam visionem, quę est omnium operationũ perfectissima, & in qua hæreditas diuina consistit.

115 *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem dicatur, quæ sunt propria Dei proprietate constitutiua, & essentiali, nullatenus posse communicari, quæ vero sũt propria Dei proprietate connaturalitatis, nulli creaturæ communicari possũt ratione formæ substantialis, possunt tamen ratione formæ accidentalis, quæ *eleuatiuè* det connaturalitatem ad illa: videre autem Dei essentiam, sicuti est, non est proprium Dei proprietate essentiali, sed proprietate connaturalitatis; ex quo solum sequitur, nulli substantiæ, posse esse connaturale absolute: non autem quod nequeat esse connaturale formæ accidentali eleuanti ad esse diuinum vt *quo*, & vt *quod* ratione illius, connaturalitate suppositionis substantiæ, cui tale accidens inhæret.

116 *Tertio arguitur.* Tertio obijciunt: licet ius ad gloriã per modum hæreditatis non constituat filium adoptiuum Dei; non tamen stat esse filium adoptiuum Dei absque iure hæreditario; sed hoc ius nequit subsistere absque promissione diuina, & illius ordinatione superaddita infusioni gratiæ habitualis: ergo absque promissione, quæ fauor extrinsecus sit, & superadditus gratiæ, non saluatur filiatio Dei adoptiua; & consequenter illam non præstat gratia habitualis ratione solius entitatis intrinsecæ. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non est minor proportio in operibus iustorum gratia, & charitate informatis cum gloria per modum coronæ, quam in gratia, vt subiectum informante, cum gloria, vt hæreditate; sed ista proportione non obstãte, non datur in operibus iustorum ius ad gloriam, vt coronam absque interuentu promissionis, & ordinationis diuinæ, illorum entitati extrinsecæ, & superadditæ, vt docet satis probabilis plurium Theologorum sententia 1. 2 *quæst.* 114. *art.* 1. ergo pariter non obstante proportione gratiæ habitualis cũ gloria, vt hæreditate, non saluabitur ius hæreditarium ad gloriam per solam entitatem gratiæ absque promissione, & ordinatione extrinseca Dei, quæ sit fauor nouus, & indebitus gratiæ habituali ratione suæ intrinsecæ entitatis.

117 *Respõdetur iuxta diuersas Theologorum sẽtẽtias primo.* Non desunt graues Theologi, qui hoc argumento conuicti, eodem modo Theologizandum existimant de iure filij adoptiui, ac de iure meritorio quoad indigentiam pacti, & promissionis diuinæ, qui tamen inter se diuiduntur, plures namque secuti Caietanum 1.2. q. 114. *art.* 3. docẽt ad ius meritoriũ non peti pactum superadditum gratiæ, & motioni diuinæ; sed sufficit pactum inclusum in illo, ex quo consequenter inferunt ad ius ad gloriam per modum hæreditatis, necessarium non esse pactũ superadditum entitati intrinsecæ gratiæ, sed sufficere pactum virtuale, & implicitum in infusione gratiæ habitualis inclusum. Iuxta quam doctrinam facile argumentum soluitur.

118 Alij per extremum affirmant, requiri ad ius meritorium pactum expressum, & superadditum gratiæ, & motioni diuinæ, nec pactum in illa inclusum sufficere ex quo censẽt, necessaria consecutione dicendum, etiam ad ius adoptionis ad gloriam per modum hæreditatis, pactum superadditum infusioni gratiæ requiri, non quidem per modum rationis formalis fundandi prædictum ius, sed per modum cõditionis sine qua nõ resultaret, quia nec ad ius meritoriũ ingreditur pactum Dei per modum ra-

tionis

tionis formalis, aliàs esset ius solius fidelitatis, sed per modum conditionis, vt valor operationum de se sufficiens ad gloriam per modum coronæ, de facto tale ius fundet.

119 *Secundo*

Iuxta quam doctrinam est argumento facto, occurrendum, concessa maiori, distinguendo minorem: sine pacto, & promissione per modum rationis formalis, neganda est consequentia: per modum conditionis requisitæ, concedo consequentiam. Ex quo non sequitur, gratiam non esse sufficientem ad cõstituendum filium adoptiuum ratione propriæ entitatis per modum rationis formalis, aliqua conditione requisita supposita; sed tantum, quod non sufficiat ratione propriæ entitatis per exclusionem omnis extrinseci requisiti, vt conditionis.

120 *Tertia, & vera solutio.*

Sed melius, & consequentius ad dicta inter nostram conclusionem probandam argumento facto occurritur, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, concessa maiori de proportione valoris, & perfectionis, & concessa minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam ius meritorium est ius, vel fidelitatis, vel iustitiæ, vel gratitudinis. Primum, certum est absque promissione non stare. Secundum etiam, & tertium nequeunt in pura creatura absque pacto Dei superadditio operum dignitati subsistere, eo quod iustorum opera sunt Deo multis titulis debita: ac proinde in vi illorum nõ possumus Deum ex iustitia obligare ad illa remuneranda, aut ex gratitudine ad illa gratificanda, nisi vel Deus pacificatur ex presse de remunerando merita, vel saltim alijs titulis, quibus potest illa exigere, cedat, quod est virtualiter de illis remunerandis, aut gratificandis pacisci.

*Ius meritoriũ ad gloriã, vt coronã, pactum, & promissionẽ diuinã requirit.*

*Secº ve rius fũdatũ in gratia ad gloriã, vt hæreditatem.*

Ius autem fundatum in gratia ad gloriã, vt hæreditatem, est ius solius connaturalitatis, quod est ius secundum quid, & potens competere absque promissione, vel pacto superadditis; sic enim iure connaturalitatis, tenetur Deus infundere species Angelo, illius creatione supposita, concurrere ad motum cæli supposita cæli existentia, & passionum hominis, vel cuiusuis alterius naturæ effluxum non impedire, supposito, quod natura producat; atque adeo, vt gratia habitualis hoc ius connaturalitatis præstat in ordine ad gloriam promissione Dei non indiget, nec diuina ordinatione illi entitati *extrinsecè* superadditis.

121 *Quarto arguitur*

Quarto arguitur: sola gratia habituali absque visione beatifica non subsistit perfecta, & completa filiatio adoptiua Dei: ergo saltim ad perfectam filiationem adoptiuam gratia ratione solius intrinsecæ entitatis non sufficit. Antecedens probatur: non subsistit perfecta filiatio adoptiua Dei absque imitatione perfecta filiationis naturalis Verbi diuini; sed hæc perfecta imitatio, non habetur ex vi gratiæ habitualis, absque visione beatifica: ergo nec perfecta filiatio adoptiua. Probatur minor: filiatio naturalis Verbi fundatur in assimilatione ad patrem generantem, tum naturali, tum intentionali; at ratione solius gratiæ habitualis solum habetur imitatio prioris similitudinis; secus autem posterioris; sed hæc habetur ratione visionis beatificæ, Deum, vt est in se repræsentantis, & intentionaliter continentis: ergo perfecta imitatio filiationis naturalis Verbi, non obtinetur ratione solius gratiæ habitualis seorsim à visione beatifica.

122 *Maior probatur 1.*

Maior probatur. Tum; quia Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis est similis suo principio in natura similitudine naturali; & tamen filius naturalis non est: ergo Verbum ideo est naturalis filius patris; quia habet ex vi suæ processionis vtramque similitudinem. Tũ etiam; quia ratio filij petit perfectam similitudinem; at assimilatio naturalis, & intentionalis perfectior est tota similitudine naturali: ergo filiatio naturalis Verbi vtramque similitudinem petit, & supra vtramque fundatur. Tum denique: nam ad rationem filij non sufficit similitudo cum patre in principio quasi generali generico, vel communi, sed petitur in principio *quo* specifico; at natura diuina vt radix attributorum est principium *quo* veluti commune, & genericum ad vtramque processionem diuinam, ipsa vero, vt gerens munus speciei *obiectiuè* concurrentis, & obiectum repræsentantis, est principium speciale, & particulare actionis intelligendi: ergo vt Verbum filius sit, non suffi-

*Secundo*

*Tertio*

cit

cit similitudo in natura, vt radicali principio, sed petitur similitudo in natura diuina, vt est species representans obiectum; at qui hæc similitudo Verbi cum Patre in natura est similitudo intentionalis, quatenus Verbum exprimit, & representat per modum speciei expressæ, quod natura, vt species est, repræsentat per modum principij: ergo Verbum ideo est filius naturalis, quia vtramque similitudinem habet; & consequenter ad perfectam filiationem adoptiuam, necessaria est vtraque similitudo.

123 *Respõd. Ad filiationẽ naturalem non requiritur assimilatio intẽtionalis*

Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem. Verbum enim diuinũ, non ideo est filius naturalis, nec ideo illius processio generatio est, quia assimilatur Patri intentionaliter; sed quia ex vi suæ processionis assimilatur Patri in natura, & in modo essendi naturali. Et ratio est manifesta: nam similitudo termini cũ principio, quæ involuta imperfectionibus constituit filium creatũ, depurata ab omni imperfectione filiũ increatum naturalem constituit; at similitudo procedentis cum principio, à quo procedit in natura, quæ est principium radicale generationis in modo essendi naturali, involuta imperfectionibus constituit filium naturalem creatum: ergo similitudo termini producti cum producente in natura, quæ est principium radicale generationis diuinæ in modo essendi naturali, depurata ab omni imperfectione, constituit filiũ naturalem increatum, quin ad hanc cõstitutionem ingrediatur formaliter similitudo in esse intentionali, licet ad illam sequatur; quandoquidem similitudo in modo essendi naturali prius intelligitur, quam similitudo intentionalis, si est inter illas similitudines in Dei natura distinctio; & consequenter præcedenter ad illam intelligitur depurata ab omni imperfectione.

124. *Ad primã probationẽ maioris. Ad secũdam.* Nec vrgent probationes maioris: nõ prima; nam falsum est Spiritum Sanctũ ex vi suæ processionis assimilari in natura principio producenti, vt multis ostẽdimus *Tract. de Trinitate 1. p. q. 27. art. 2. & 4.* Nec secunda: nam filius ex cõceptu filij non petit similitudinem perfectissimam in omni linea, sed in natura sub modo essendi naturali, quod si in diuinis vtraque similitudo intercedit, non tamen vtraque ingreditur *constitutiuè* ad rationem filij, sed naturalis *constitutiuè*, intentionalis verò *conjecutiuè*, si lineæ istæ attributaliter distinguuntur. Nec magis vrget tertia maioris probatio: nam licet natura diuina concurrat ad processionem Verbi per modũ principij radicalis, & etiã per modum principij proximi fecundantis intellectum prout gerit munus speciei, non tamen ad rationem filij requiritur similitudo in natura quæ est species secundum conditionem speciei; sed similitudo in eo, quod in specie repræsentatur secũdum modum essendi naturalem, etiam in specie repræsentatum, vt late *loco allegato* explicuimus. *Ad tertiam.*

125 *Replicis bis.* Sed obijcies: est enim sententia probabilis, & inter Thomistas frequentior, naturam diuinam in actuali intellectione consistere, non autem in radice intellectionis, & ideo processionem Verbi esse generationẽ, & Verbum Filium naturalem, quia formaliter procedit, vt intellectio diuina; at in hac sententia nõ saluatur perfecta imitatio filiationis naturalis Verbi, per solam gratiam habitualem: ergo iuxta illam non saluatur perfecta filiatio adoptiua ex vi solius gratiæ habitualis, sed necessario requiritur actualis visio Dei ad perfectam filiationem adoptiuã. Probatur minor: gratia habitualis non participat actualẽ Dei intellectionem, per cuius communicationem Verbum constituitur in ratione filij naturalis: ergo ratione solius gratiæ habitualis non habetur perfecta imitatio filiationis naturalis Verbi diuini.

126 *Respõdetur.* Respondeo, admissa maiori, negãdo minorẽ. Etenim in sententia illa probabili, eadẽ diuina intellectio absque virtuali distinctione per solam eminentialem, duplici munere gaudet, nempẽ, naturæ sub ratione eminentialis radicis, & actualis intellectionis eminenter radicatæ: gratia autem habitualis est participatio illius sub conceptu radicis eminentialis, sub quo rationem naturæ sortitur, etsi illam non participet sub munere intellectionis, & intellectio diuina

na non constituit Verbum filium naturalem Patris, vt communicata sub munere intellectionis, sed sub munere naturæ, & eminentialis radicis; ac per consequens ex vi gratiæ habitualis habetur perfecta imitatio naturalis filiationis. Ex quibus ad probationem minoris cōstat solutio.

127 *Instabis.* Sed instabis: perfectior est imitatio ad Verbum, vt constitutum per actualem intellectionem, quæ habetur ex vi gratiæ, & visionis beatificæ, quam quæ habetur ex vi gratiæ habitualis solius; sed filiatio adoptiua consistit in perfectissima imitatione filiationis naturalis: ergo filiatio adoptiua de facto non præstatur per solam habitualem gratiam, sed per illam, & visionem beatificam.

*Respond.* Respondeo, distinguendo maiorē: est perfectior imitatio intra, & extra lineam naturæ, concedo maiorem: cōtenta intra lineā imitationis naturæ, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiā. Vt enim fatētur Auctores sētētiæ admissæ, visio beatifica non est participatio naturæ Dei sub conceptu naturæ, etiā si participet conceptū intellectionis; ac per cōsequēs ex vi illius nō præstatur imitatio naturæ Dei sub conceptu naturæ; vnde licet perfectionem addat in ratione imitationis, est extra lineam filiationis adoptiuæ.

************************

## §. VII.

### *Vltimo argumēto occurritur, & explicatur, an possit Deus homini in gratia perseuerāti, gloriam in æternum negare?*

128 *Vltimo arguitur.* DENIQVE obijciunt: potest Deus de potentia absoluta homini existenti in gratia, gloriam in perpetuum negare; & consequenter illum ad gloriā non ordinare; sed homo sic exclusus à gloriæ cōsecutione filius adoptivus nō esset: ergo filiatio adoptiua non præstatur ex vi gratiæ habitualis ratione solius suæ entitatis intrinsecæ, sed aliquid illius entitati superadditum, necessarium est ad filiationem adoptiuam saluandam. Maior constat: nam inter gloriam, & gratiam, etiam vt perpetuo durantem, non est essentialis connexio: ergo potest Deus de sua potētia absoluta homini in gratia existenti, & in illa sine fine perseueranti gloriam in æternum negare. Minor autem ostenditur primo: nō stat filiatio adoptiua sine acceptatione ad hæreditatem adoptantis; sed tunc casus, homo in gratia habituali existens, non esset acceptus ad hæreditatem Dei consistentem in beatifica visione, sed potius ab illa exclusus: ergo filius adoptivus non esset. *Minor prob. 1.* Secundo: nam sine iure ad hæreditatē adoptātis non subsistit adoptiua filiatio; sed in casu præsuppositō, homo tametsi in habituali gratia existens, non haberet ius ad hæreditatē diuinam; cum esset ab illa exclusus per diuinam voluntatem: ergo filius adoptiuus non esset. *Secundo.*

129 *Prima aliquorū solutio.* Huic argumento, quitenent, requiri diuinam ordinationem, non vt rationem formalem iuris ad gloriam per modum hæreditatis, filiationisque adoptiuæ, sed tantum vt conditionem, facili negotio occurrunt, concessis maiori, & minori, distinguendo consequens: ex vi solius entitatis intrinsecæ per exclusionem extrinseci requisiti, tanquam rationis formalis, negant consequentiā: per exclusionem extrinseci requisiti, vt conditionis, concedunt consequentiā. Sicut enim deficiente promissione, aut ordinatione diuina, deficit meritum, non ex defectu rationis formalis meriti, sed ex defectu requisitæ conditionis; ita deficiente acceptatione actuali ad gloriam, vt hæreditatem, vel posita ordinatione contraria, deest filiatio adoptiua, nō ex defectu rationis formalis illius, sed tātū ex defectu conditionis requisitæ. Ex quo solū sequitur, gratiā se sola non præstare filiationē adoptiuam per exclusionē omnis cōditionis ad illā exhibendā exactæ; non autē quod se sola illam non præstet per exclusionem omnis extrinseci exacti per modum rationis formalis.

130 Sed cōtra istā solutionē facit primo: nā gratia habitualis absq; ordinatione

extrinseca superaddita, etiã tãquã cõditione, cõstituit spiritualiter genitũ; sed esse genitũ spiritualiter, est adæquatum fundamentũ filiationis adoptiuæ: ergo cõstituit filiũ adoptiuũ Dei absq; ordinatione extrinseca, etiãtanquã cõditione.

*Reijcitur primo.*

*Secundo.* Secũdo: nã ad rationẽ filij adoptiui sufficit ius cõnaturalitatis, & cõdignitatis sufficiẽtis ad gloriã, vt ex dicẽdis cõstabit; sed hoc ius præstatur à gratia habituali, nõ expectata extrinseca ordinatione, etiã tanquam conditione: ergo illa, vt à cõditione, nõ dependet in cõstituendo filium adoptivum.

**131** *Secundo respondet Capreol⁹ & alij.* Secunda solutio negat argumẽti maiorẽ. Nã licet Deus liber sit in infundẽda gratia, & in illa in perpetuũ conseruanda, suppositа tamẽ gratiæ infusione, & vsq; ad finẽ conseruatione, necessitatur ad cõferendã gloriã, ita vt nec etiã de potentia absoluta, illã possit denegare subiecto in gratia existenti, & vsq; ad finẽ in gratia perseueranti. Ita respondet Capreolus *in* 1. *dist.* 17. *ad* 2. *arg. Gregorij.* & Choquetius *lib.* 1. *de gratia iustificante disp.* 3. *cap.* 2. Referuntur etiã Aureol⁹ *in* 1. *dist.* 17. *p.* 1. *art.* 2. *propositione* 1. & Caietanus 1. 2. *q.* 114. *art.* 3. Caietanus tamen traditæ solutioni non fauet: nam licet doceat, Deum ex iustitia teneri ad remuneranda merita absq; ordinatione aliqua superaddita; *cum hoc tamẽ stat* (addit ibi Caietanus) *quod potest etiam omnes beatos annihilare de potentia absoluta, sed hoc est extra quæstionẽ præsentẽ.* Quib⁹ verbis apertè indicat Caietanus, posse Deũ de sua potẽtia absoluta gloriã meritam, & hæreditatis titulo debitã, negare homini existenti in gratia, & in illa perseueranti.

*Choquet. Aureol.*

*Caietan⁹*

*Caietan⁹*

**132** *Fundamentum Capreoli.* Fundamentũ Capreoli est: nã in operibus Dei, nihil potest esse frustra: gratia autẽ, cũ sit quædã inchoatio gloriæ, vt docet D. T. 2. 2. *q.* 24. *a.* 2. est dispositio præparans ad illã, vt docet S. Doctor *q.* 27. *de Verit. art.* 2. *ad* 7. frustra in perpetuũ duraret, si gloria denegaretur: ergo nõ potest Deus, etiã de potẽtia absoluta, homini in gratia existenti, & in illa perseuerãti gloriã in æternũ negare.

**133** *Fundamentum primum aliorum.* Alij autẽ ducuntur primo: nã gratia habitualis est adoptio filiorũ Dei; sed adoptio est hæreditatis promissio: ergo gratia habitualis est, saltim virtualis, & implicita promissio gloriæ; sed Deus de potẽtia absoluta, nõ potest nõ stare promissis; aliàs esset infidelis: ergo nõ potest hominẽ existẽtẽ in gratia, & in illa perseuerantẽ finaliter, gloria in æternũ priuare.

*Secũdũ.* Secũdo: nã gratia tribuit verũ ius ad gloriã per modũ hæreditatis, sub conditione perseuerãtiæ finalis; sed De⁹ etiã de potentia absoluta, non potest cõtra hoc ius agere: ergo cõditione perseuerantiæ finalis adimpleta, nõ potest de potẽtia absoluta hominẽ gloria priuare.

**134** *Minor prob.* 1. Minor ostẽditur primo: nã ius ad gloriã præstitũ à gratia formaliter, cõfertur à Deo efficiẽter; cõferẽs autẽ verũ ius ad aliquid cõsequẽdũ, virtualiter promittit illius cõsecutionẽ: ergo Deus infundens gratiã, virtualiter promittit gloriã sub cõditione perseuerãtiæ finalis, sed implicat Deũ opponi suæ promissioni, etiã virtuali: ergo implicat ius præstitũ à gratia violare.

*Secundo* Secundo: nã Deus nõ potest, etiã de potentia absoluta, efficere id, quod nullã honestatẽ habet; sed agere cõtra ius filij, gloria illũ in æternũ priuãdo, nullã habet honestatẽ: nã violare ius alteri⁹ inhonestũ, & vitiosũ est: Deũ autẽ vitiosũ aliquid agere, est omninò implicatoriũ: ergo tale debet cẽseri agere cõtra ius gratiæ.

*Tertio.* Deniq; quia nequit De⁹, etiã de potẽtia absoluta, agere cõtra leges veræ amicitiæ; at leges amicitiæ exigũt seruare i⁹ præstitũ à gratia in gloriã: ergo violare prædictũ ius, hominẽ gloria priuãdo, est omninò implicatorium.

**135** *Potest Deus de potentia absoluta hominem in gratia perseuerãti gloriã negare.* Hæc tamẽ solutio displicet frequentius Theologis cõmuniter asserentibus, posse Deum de potentia absoluta hominẽ in gratia existentẽ, gloria in æternũ priuare. Ita Gregor. *in* 1. *dist* 17. *q.* 1. Ochamus *in eadẽ dist. & q.* Rubion. *art.* 2. Gabriel *q.* 1 *art.* 3 *dub.* 4. Vazquez 1. 2. *disp.* 204. *cap.* 2. *corollar.* 3. *& cap* 4. *num.* 36. Suarez *lib* 7. *de gratia cap.* 4. *dict o.* 2. Tenẽt etiã ex nostris Thomistis Hispalẽsis *in* 1. *dist.* 17. *q.* 1. *ad argumẽta Gregorij.* Ill⁹. Araujo 1. 2. *q.* 110. *disp.* 3. *præambula de origine gratiæ lect.* 6. §. 3. *assertione* 4. refertur etiã Conradus 1. 2. *q.* 109. *art.* 5. *in notationib⁹ ad corp. art.* falsò tamen: nam loquitur, nõ de gratia respectu gloriæ per modum hæreditatis, sed de actu gratia, & charitate formato, quem docet indigere extrinseca

*Gregor. Ocham. Rubion. Gabriel. Vazq. Suar. Hispal. Araujo. Conrad⁹.*

ordi-

ordinatione Dei, vt meritum sit.

136 *Probant Recentiores primo.*

Ducũtur Recentiores quidã primo: nã Deus nõ potest ab aliquo extra se necessitari: ergo gratia nõ inducit Deo necessitatẽ cõferendi gloriã, aut illã homini sibi grato largiendi. Secundo: nã potest Deus de sua absoluta potentia anihilare hominẽ existentẽ in gratia: ergo etiã potest illũ gloria in æternũ priuare. Antecedens cõstat ex supremo Dei dominio. Consequentia autẽ probatur: nã anihilatio est maius malũ, quã carentia æterna gloriæ: ergo si potest Deus homini existenti in gratia maius illud malũ inferre, poterit à fortiori secundum. *Secundo.*

*Tertio.* Tertio: nã potest Deus hominem iam beatũ redigere in nihilũ: ergo potest ei auferre gratiã habitualẽ, & gloriam: ergo etiã poterit illi auferre gloriã, gratia perseuerante, & carentiã gloriæ, gratia præsupposita, in æternũ conseruare.

137 *Quarto.*

Quarto: quia non est minus cõtra leges amicitiæ, amicũ sine causa destruere, quã illi perseueranti bona specialia negare: ergo si potest Deus, iure amici non obstante, hominẽ sibi gratum sine causa anihilare, poterit etiã illũ conseruare cũ gratia, & nunquã speciale bonũ beatitudinis conferre. *Quinto.* Quinto: nã inter realiter distincta, essentialis cõnexio non est; & cõsequenter potest vnũ sine alio perpetuo existere de potentia absoluta; sed gratia, & gloria realiter distinguuntur: ergo potest Deus de sua potẽtia absoluta gratiã conseruare in homine, & nunquã illi beatitudinẽ conferre. *Sexto.* Denique; nam homini in gratia existenti cõfertur liberaliter gloria: ergo potest Deus de sua potentia absoluta homini in gratia existenti, in illaq; perseueranti gloriam in perpetuum negare.

138 *Hæc argumenta non vrgent.*

Hæc tamen argumenta, quæ ex Gregorio Recẽtiores mutuarũt, non vrgẽt. *Ad 1. respondetur. Deus potest ex suppositione aliqua, ab aliquo extra se necessitari.* Ad primũ nãq; facile potest occurri, distinguendo antecedens: necessitate absoluta, concedo antecedens: ex suppositione libera Deo, nego antecedẽs, & distinguo cõsequens distinctione antecedentis. Deus namq; liberabsolutè in simultaneo cõcursu exhibendo, necessitatur ad illũ, suppositio cõcursu præuio efficaci liberè ab ipso collato. Ad secũdũ, concesso antecedenti, nego consequentiã. Nã per anihilationẽ destruitur omne ius, quod est in homine ad gloriam: Deus autẽ nõ tenetur, nisi suppositio iure, quæ suppositio Deo necessaria nõ est, cũ possit illud destruere ratione supremi dominij.

*Ad secũdum.*

Et ex his ad tertiũ, concesso antecedenti, & prima cõsequentia, negando secundã. Nã destruendo subiectũ, vel gratiã, destruitur ius, quod homo habet ad gloriã: conseruata tamen gratia manet ius, quo remanẽte (inquiũt traditæ solutionis Auctores) nequit Deus ipsũ violare. Ad quartum, distinguo antecedẽs: contra leges amicitiæ excellẽtiæ, nego antecedens: æqualitatis, cõcedo antecedens, & nego consequentiã. Nã in amicitia excellentiæ supremæ, quæ inter Deum, & homines inuenitur amicꝰ excellens est supremus Dominus amici, & iuris, quod habet: ac proinde etsi teneatur iure amicitiæ suppositio, non tamen tenetur suppositionẽ non tollere per subiecti destructionem.

139 *Ad tertiũ*

*Ad quartum.*

Ad quintũ, nego maiorẽ vniuersaliter intellectam; auxiliũ enim efficax, & operatio realiter distinguũtur, & tamẽ separari nequeunt de potentia absoluta, quod multis alijs exẽplis ostendi poterat. Nõ ergo ex reali distinctione infertur separabilitas. Ad vltimũ, distinguo antecedẽs: liberaliter in radice, cõcedo antecedens: liberalitate formali, nego antecedens, & cõsequentiam. Eo enim modo gloria datur liberaliter, quo obtinet rationẽ gratiæ non autẽ est gratia formaliter, sed in radice respectu subiecti merentis, & in gratia perseuerantis.

140 *Ad quintum.*

*Ad sextũ*

Licet autem hæc argumenta nõ vrgeant, ab illa solutione, & doctrina recedo, ductus primo testimonio D. Tho. *in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad finẽ corp. & solut. ad 3.* illis verbis: *Ad tertium dicendum, quod damnare Petrũ, cui ex beneficio gratiæ sibi collatæ salus debetur, esset contrarium iustitiæ, vnde hoc Deus non potest loquendo de potentia ordinata*: vbi aduerto, nomine *contrarij ad iustitiam*, non iustitiam strictè, sed in lata significatione sumpsisse, prout extenditur ad omne debitum naturis rerum seruãdum: ergo sentit D. Th. loquendo de potentia absoluta, non repugnare, quod Deus non saluet, imo nec quod damnet hominem in gratia,

141 *Prob. 1. Deũ posse gloriã negare homini in gratia perseuerãti.*

& charitate existentem.

142 *Secundo.* Secundo: nam gratiæ non est debita gloria, nisi solum debito connaturalitatis, vel actiuæ, vel passiuæ, sed neutri connaturalitatis iura tenetur Deus de potentia absoluta, sed tantum de potentia ordinaria seruare; titulo namq; connaturalitatis actiuæ, debentur homini proprietates suæ, & titulo connaturalitatis passiuæ, debentur Angelis species, & cœlo motus circularis: potest autem Deus hominem creare sine suis proprietatibus, Angelum sine speciebus, & cœlū sine circulari motu, loquēdo de potētia absoluta: ergo potest etiam hominē in gratia existentem, & in illa perseuerantem, gloria in æternum priuare.

143 *Tertio.* Tertio: non enim est magis debita gloria gratiæ perseueranti, quam illi vt primo existenti debētur supernaturales virtutes; sed potest Deus de sua potentia absoluta gratiam in subiecto producere sine efluxu, aut infusione virtutum supernaturalium: ergo potest à gratia perseuerante separare visionē beatificam, vel illam nunquam conferre. Deniq; nō enim gratia disponit ad gloriā cum maiori connexione, quam grauitas disponit graue, vt occupet locum centri, vt exemplo vtar Capreoli; sed potest Deus de sua potentia absoluta graue extra centrum conseruare, illudq; loco sibi connaturaliter debito in perpetuum priuare: ergo quamuis gratia sit dispositio ad gloriam, illamq; connaturaliter perat, potest Deus de potentia absoluta homini existenti in gratia, in illaq; perseueranti gloriam in perpetuū negare.

*Quarto.*

144 *Ad fundamētū Capreoli resp.* Et ex his ad fundamentum Capreoli respondeo distinguendo maiorem: loquendo de potentia ordinata, concedo maiorem: loquendo de potentia absoluta, subdistinguo maiorem: frustratione omnis finis à Deo intenti, concedo maiorem: frustratione finis particularis operis à Deo producti, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Ad primum fundamētum aliorum, distinguo maiorem: est adoptio extrinseca, nego maiorem: adoptio intrinseca, cōcedo maiorē, & distinguo minorē: adoptio in extrinseca denominatione cōsistens, concedo minorē: cōsistens in intrinseca forma, subdistinguo minorē: est promissio hæreditatis *exactiuè*, idest, connaturaliter exigens hæreditatis promissionem, concedo minorem: *inclusiuè*, inclusione formali, aut virtuali, nego minorem, & consequentiam: & concessa minori subsumpta, nego secundam consequentiam

*Ad 1. fūdamētū aliorū.*

145 *Ad secūdum. Ad 1. probationē minoris* Ad secundum, concessa maiori nego minorem. Ad cuius primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: conferens ius infallibile, transeat minor: ius solius connaturalitatis, nego minorem, & consequentiam. Nā ius fundatum in gratia non est efficax efficacia infallibili, sed solū efficacia cō naturalitatis: ac proinde conferens prædictum ius, non promittit, etiam virtualiter, terminū iuris. *Ad 2. probationē.* Ad secundā probationem, cōcessa maiori, nego minorē. Nam ius meritorum est ius strictum iustitiæ, quod Deus non potest violare, iure conseruato; aliàs ageret contra iustitiam, quod implicat, vtpote contra rationem: ius autē filij adoptiui est solius connaturalitatis, ad quod seruandū nō adstringitur Deus, sua potentia absoluta attenta. *Ad tertiā.* Ad tertiā, concessa maiori, nego minorē. Nā potest Deus violationē iuris filij adoptiui ex pluribus finibus sibi notis honestare. *Ad quartam.* Ad quartam, distinguo maiorem: ius strictum, & rigorosū iustitiæ, concedo maiorem: ius connaturalitatis, nego maiorē, & concessa minori, nego consequentiam.

146 *Ad vltimam.* Ad vltimam minoris probationem, distinguo maiorem: contra leges veræ amicitiæ efficaciter obligantes, concedo maiorē: sufficienter solū mouentes, nego maiorē: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiā. Nā leges amicitiæ, quæ hominē efficaciter obligant, nō possunt Deum efficaciter obligare, sed in obiecto amicabili solū est sufficiens vis cū cōnaturali, nō cum essentiali exigentia, vt Deus, si velit ex cōplacentia in illo, bona velit, & cōmunicet, quam voluntatem homo ratione gratiæ habitualis connaturaliter exigit.

147 *Replicabis.* Sed dices: Deus potest efficaciter obligari legibus strictæ iustitiæ, ita vt cō seruato iure, non possit illud violare: ergo etiam potest obligari legibus amicitiæ efficaciter, ita vt iure conseruato, non possit contra illud agere. Respon

deo,

*Respõdetur.* deo, distinguendo antecedens: sine interuentu promissionis, aut pacti, nego antecedens: pacto, aut promissione interueniente, cõcedo antecedens: & sub eadem distinctione, concedo, & nego consequentiam. Itaque sicut Deus promittens sub conditione onerosa operis condigni, & æqualis subinduit obligationem, non solum fidelitatis, sed etiam strictæ iustiæ: ita, si promittat hominibus, qualiter de facto promisit gloria, vt hæreditatem, & vt bonum amicabile sub conditione gratiæ habitualis, & fidelitatis, & amicitiæ obligationem subinduit; si verò promissio non intercedat, nec iustitiæ, nec amicitiæ legibus potest efficaciter obligari. Obiter tamẽ aduerto, Deum nunquã legibus strictè obligari, obligatur tamẽ ex intrinseca suę volũtatis rectitudine. Tũ, ad stãdũ promissis: tum etiã, ad ius iustitiæ, & amicitiæ seruandum, suppositа promissione.

*Suppositо pacto aut promissione potest Deus ex iustitia, & fidelitate obligari.*

148 *Instabis.* Instabis: Deus obligatus fuit efficacicer ex iustitia ad remuneranda merita Christi absque pacto, aut promissione formali, solum ex suppositione collationis gratiæ efficacis ad opera meritoria efficienda, vt docuimus *Tract. de Merito Christi*: ergo potest efficaciter obligari ad seruandam amicitiam, cum homine absque pacto, & promissione expressis, solum ex suppositione liberæ infusionis gratiæ iustificantis. Patet consequentia: nam ideo obligationem illam, possibilem Deo absque imperfectione censuimus, quia est Deo libera, in voluntaria efficacis gratiæ collatione; sed etiam hæc obligatio esset Deo radicaliter libera in volũtaria gratiæ habitualis infusione: ergo erit Deo absque vlla imperfectione possibilis.

149 *Respondetur.* Respondeo, negando consequentiã: non quia talis obligatio non foret libera libertate sufficienti, vt sine imperfectione in Deo constitueretur, sed quia obligatio, aut necessitas ex suppositione gratiæ habitualis, non potest esse ad infallibiliter conferendam gloriam ex complacentia amicabili in ipsa; sed solum ad conferendam cõnaturaliter, id est, legibus connaturalitatis attentis, eo quod gratia cum visione beatifica solum connexionem istam sortitur; si autẽ connectitur cum gloria essentialiter, sed tantum connaturaliter non potest ex eius suppositione haberi necessitas ad infallibilẽ gloriæ consecutionẽ, sed solum ad illam consequendam legibus cõnaturalibus ordinis gratiæ attẽtis.

150 *Vrgebis.* Sed vrgebis adhuc: merita Christi non habent essentialem cum præmio connexionem; & tamen inducunt obligationem ad infallibilem præmij retributionem: ergo quamuis gratia non sit essentialiter cõnexa cum gloria, potest inducere obligationem ad gloriam infallibiliter conferendam. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam obligatio orta ex merito non nascitur ex connexione illius cum præmio: imo essentialis connexio obstat rationi meriti, & præmij in probabili sententia, sed oritur ex æquiualentia in morali æstimatione, quam respectu præmij habet; cum autem merita Christi æquiualeant omni præmio in morali æstimatione, imo & obligationi voluntatis diuinæ ad præmiandum; fit, quod absque essentiali connexione possint merita Christi fundare obliganem in Deo conferendi infallibiliter præmium. Cæterum obligatio orta ex gratia respectu gloriæ per modum hæreditatis conferendæ, fundatur in connexione gratiæ habitualis cum gloria, sicut obligatio orta ex natura rationali emanationis passionum, fundatur in connexione essentiæ cum proprietatibus, & ideò nequit obligatio limites connexionis excedere.

*Respõdetur.*

151 *Tertia solutio aliorum vltimi argumẽti num. 128. facti.* Tertio Recentiores quidam argumento facto occurrunt, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem distinguunt maiorem: illamque concedunt de filiatione adoptiua sumpta completè; negant autẽ de filiatione sumpta essentialiter: & concessa minori, distinguunt cõsequẽs distinctione maioris, & aiunt, tunc casus remansuram filiationẽ adoptiuam secũdũ essentiatialia filiationis, de cuius ratione tantum est assimilatio in natura accepta à Patre adoptante, & passiua acceptabilitas sine exigentia connaturali actualis acceptationis; non autem maneret filiatio sumpta cõplete, de cuius ratione est actualis acceptatio ad hæreditatem Patris.

Et ex his ad secundam probationē, distinguunt maiorem, quoad rationem completam filiationis, concedunt maiorem: negant autem quoad essentialia filiationis, & concessa minori, distinguunt consequens, & concedunt consequentiam de filiatione cōpleta: negāt autā illam de filiatione adoptiua quoad essentialia. Iuxta quam doctrinam filiatio sumpta essentialiter est intrinseca gratiæ adæquatè: sumpta vero completé constat ex intrinseco gratiæ, & extrinseca acceptatione, seu promissione diuina. Ita Ripalda *lib. 6. de ente supernaturali disp. vltim. sect. 10*

152 *Si illis obijciatur.* Quod si in contrarium opponas, nō stare filiationem adoptiuam sine iure ad hæreditatem Patris; at in tali casu nō datur in homine ius ad hæreditatē Dei: ergo nec filiatio adoptiua quoad essentiam filiationis. *Respondent.* Respondent, distinguēdo triplex ius: primum morale strictæ iustitiæ: secundum physicum exigentiæ naturalis, quale in suas proprietates conuenit cuiuis naturæ: tertium est ius solius capacitatis subiecti, quæ lata quadam significatione, potest appellari ius, inducitque debitum gloriæ non absolutum, sed comparatiuum, quatenus ex suppositione, quod gloria sit conferenda sine meritis, tribuenda est iusto, cui soli connaturaliter inest. Primum, & secundum ius ad essentiā filiationis adoptiuæ necessaria non sunt, sed solum ad filiationem adoptiuam cōpletam: tertium autem sufficit ad essentiam filiationis adoptiuæ, & hoc est intrinsecum gratiæ, manetque in homine iusto, etiam si à gloria sit in æternum exclusus.

153 *Hæc solutio reijcitur 1.* Hoc tamen solutio nimis deprimit, & diminutissimé saluat filiationē præstitam à gratia habituali, & reijcitur primo; vt enim præfati Recentiores, & ipse Ripalda *loc. alleg. num. 137.* tanquam certum fatentur: gratia habitualis secūdum sibi intrinseca tribuit ius ad gloriā, quod dicunt aperte colligi ex Paulo *ad Colossenses 1.* vbi ait: per gratiam nos eruto esse à potestate tenebrarum, & translatos in regnum filij dilectionis Dei. Et *ad Romanos 5.* vbi ait: per abundantiam iustitiæ, & gratiæ regnaturos in vitam. Et ex Ioanne *epist. 1. cap. 3.* vbi gratiam vocat semen gloriæ. Et *in Euangelio cap. 4.* appellat illam Christus fontem aquæ salientis in vitam æternam: ac denique ex Tridentino docente, per gratiam nos constitui filios, & hæredes Dei. Quæ omnia, vt ipsi testantur, nequeunt iure ad gloriam à gratia præstito saluari: ergo iuxta Apostolum, & Tridentinum, gratia tribuit ius ad gloriam ratione propriæ, & intrinsecæ entitatis; sed hæc doctrina proprié saluari non potest, vt debet, per ius solius capacitatis absque physica, & morali exigentia; ius enim hoc, vt ipsi expresé fatentur, solum latā significatione; & consequenter improprié nomenclaturam iuris meretur: ergo vt cum proprietate saluentur dicta Apostoli, & Concilij, necessario est asserendum, gratiam habitualem ratione propriæ entitatis tribuere ius physicum, aut morale, non solius capacitatis subiecti, verum etiam exigentiam, ita vt contra illius inclinationem, & exigentiam ageret Deus homini in gratia perseueranti gloriam in perpetuum negando.

154 *Secundo* Secundo: nam ius huius generis in gloriam per absolutam exigentiam connaturalem illius, non excedit limites formæ accidentalis creatæ, nec gloriæ destruit dignitatem, aut supernaturalitatem: ergo non est cur habituali gratiæ negetur; sed hoc iure illi ratione suæ intrinsecæ entitatis cōcesso, melius absque dubio allegata testimonia attribuētia gratiæ filiationem adoptiuam, & ius hæredis saluantur: ergo est gratiæ concedendum. *Tertio.* Tertio: nam ius absolutæ exigentiæ physicæ, & moralis in gloriā conuenit de facto iustis, vt *num. 145.* fatetur Ripalda; sed ius exigentiæ physicæ non potest illis competere ratione promissionis, vel acceptationis diuinæ, quæ cum extrinsecæ sint, in nullo immutare possunt physicam gratiæ entitatem; & consequenter nec physicam exigentiam conferre: ergo conuenit ratione entitatis intrinsecæ gratiæ

155 *Quarto.* Quarto: nā absolutè est dicendum, gratiam habitualem constituere nos filios, & hæredes Dei; sed ratione solius capacitatis subiecti, vt acceptetur ad gloriam absque absoluta exigentia, nequit

saluari absolutè, nos per gratiam habitualem constitui hæredes Dei: ergo cõcedenda est gratiæ absoluta exigentia gloriæ. Probo minorem: nam vnus homo ratione propriæ naturæ habet subiectiuam capacitatem, vt ab altero acceptetur ad ipsius hæreditatem; & tamen nemo dicet, talem hominem absolutè ratione propriæ naturæ esse hæredem alterius; eo quod non habet absolutam exigentiam acceptationis ad illius hæreditatem: ergo per solam capacitatem subiectiuam ad hæreditatem Dei, absque vlla absoluta exigentia, nõ saluatur absolutè denominatio hæredis.

156 *Respondebis 1.*

Respondebis primo; hominem adoptandum ab alio non habere ab illo naturam, & ideo non potest dici absolutè hæres illius: nos autem accipimus à Deo gratiam, quæ est natura diuina partipata, & idcirco per hoc solum, quod gratia tribuat subiectiuam capacitatem ad gloriam, saluatur, quod absolutè tribuat denominationem hæredis. Sed cõtra: nam licet hæc solutio discrimen aliquod quoad rationem, & denominationem filij constituat; non autẽ quoad denominationem absolutam hæredis: ergo argumentum non soluit. Probo antecedens: denominatio hæredis non conuertitur cum denominatione filij; sed potest non filijs competere, & ab alio non procedentibus: ergo si capacitas subiectiua absque vlla exigentia absoluta, sufficit ad absolutã denominationem hæredis, conueniret vni homini respectu alterius, etsi ab illo non accipiat naturam, dummodo subiectiuè capax sit acceptationis ad eius hæreditatem: vel si ratione huius capacitatis nõ consurgit absoluta hæredis denominatio, nec consurget in homine accipiente gratiam à Deo, solum tribuentem subiectiuam capacitatem ad gloriam.

*Contra.*

157 *Respõdebis 2.*

Respondebis secundo; quod vt à gratia constituamur hæredes gloriæ absolutè, sufficit, quod præbeat ius sufficienter mouens, vt homo acceptetur ad gloriam, etsi nullo modo sit efficax ad talem acceptationem. Sed contra: nam ius tantum sufficiens, in nullo alio consistit, quam in eo, quod possit diuina voluntas, si velit, ex complacentia in gratia acceptare hominem, cui inest, ad gloriam; sed hoc non sufficit ad absolutam denominationem hæredis hæreditatis diuinæ: ergo ius sufficienter mouens non sufficit, vt à gratia constituamur hæredes gloriæ absolutè. Probo minorem; vni homini ratione propriæ naturæ conuenit sufficiens bonitas, vt alter ex illa alectus, & ex complacentia in illa, eum acceptet ad propriam hæreditatem, & tamen ratione propriæ naturæ, non potest dici absolutè vnus homo hæres alterius: ergo quod nobis per gratiam bonitas supernaturalis conueniat, ratione cuius Deus possit, si velit, ex complacẽtia in gratia beatitudinem conferre, non sufficit, vt ab illa præferatur absoluta hæredis denominatio.

*Contra.*

Denique principalis solutio reijcitur: ius namq; à gratia respectu gloriæ tributum, nõ est capacitatis subiectiuæ obedientialis, sed capacitatis subiecti naturalis; at capacitas naturalis per exigẽtiam termini distinguitur à capacitate obedientiali: ergo est ius exigentiæ connaturalis ad gloriam. Maior est certa: nam ius capacitatis subiectiuæ obedientialis cõuenit homini ratione propriæ naturæ; sed ratione gratiæ habituãlis additur aliquod ius: ergo non capacitatis tantũ obedientialis. Minor autẽ probatur: nam inter vtrumq; ius est conuenientia in capacitate ad terminũ: ergo solum possunt differre per exigẽtiam, & non exigentiam illius, aut quod idẽ est per inclinationem, & negationem inclinationis ad illum.

158 *Quinto reijcitur principalis solutio.*

Respondebis: esse ius capacitatis cõ naturalis, non connaturalitate absoluta, sed conditionata, nempé, sub conditione voluntatis diuinæ: licet autem connaturalitas absoluta petat absolutam exigentiam formæ, conditionata tamen, absolutam exigentiam non postulat, sed solum conditionatam, nempé, sub conditione prædictæ volũtatis diuinæ. Sed contra: nam capacitas ad gratiam sub conditione voluntatis diuinæ competit homini ratione propriæ naturæ; & tamen capacitas ista naturalis nõ est: ergo vt capacitas sit naturalis, debet esse ad formam, non sub conditione liberæ voluntatis diuinæ, sed capacitas absoluta.

159 *Respõdebis.*

*Contra.*

160 *Respondebis.*

Respondebis, duplicem esse capacitatem conditionatam: vna petens possibilitatem conditionis, nempé, voluntatis liberæ Dei, & formæ, quam recipere potest, etsi nullius existentiam exposcat: altera non petens, nec existentiam, nec possibilitatem conditionis, nec termini, hæc secunda est capacitas obediẽtialis, & conuenit homini ratione propriæ naturæ: nam etiam si repugnaret gratia, & voluntas illam conferendi, nõ repugnaret natura secundum se: prima autem est capacitas naturalis, non absoluta, sed conditionata, & conuenit gratiæ habituali; si namque repugnaret gloria & voluntas cõferendi illã, etiam repugnaret gratia: ac per consequens gratia petit possibilitatem, vel non repugnantiam gloriæ, & voluntatis conferendi gloriam, licet illarum existentiam non petat.

161 *Cõtra 1*

Sed contra primo ad hominem cõtra huius solutionis Auctores: ipsi namque fatentur vim actiuam naturalẽ, quæ ad sui existentiam non petit, nec existentiam, nec possibilitatem effectus: ergo per exigentiam possibilitatis termini, vel conditionis, non distinguitur vis actiua naturalis à vi actiua obedientiali; & consequenter nec capacitas naturalis receptiua, à capacitate obedientiali poterit distingui per exigentiam possibilitatis termini, vel conditionis. Probo antecedens: nam in illorum sententia omnipotentia diuina, quæ est factiua possibilium, non connectitur necessario cum illorum possibilitate, sed maneret eadem omnipotentia, quamuis omnia possibilia implicantia redderentur; at vis productiua creaturarum cõpetens omnipotentiæ, non est vis obedientialis, sed naturalis: ergo fateri tenentur, vim actiuam naturalem non petentem vt existat, sui termini possibilitatem.

162 *Secũdo.*

Secundo: nam reddita impossibili gloria, nõ maneret humanitas eiusdem speciei, & rationis cum illa, quæ modo est: ergo humanitas modo possibilis, petit ad sui existentiam possibilitatem visionis beatificæ, & voluntatis collatiuæ illius; & consequenter capacitas obediẽtialis, à naturali non differt per exigentiã possibilitatis termini, & voluntatis diuinæ talis termini collatiuæ. Probo antecedẽs: humanitas potens *remotè* non solũ in actus naturales, sed etiã in actus supernaturales, eisdẽtialiter differt à natura actiua *remotè* solũ actuum naturalium, & adæquata cum illis, vt omnibus est manifestum; sed humanitas, quæ maneret, reddita impossibili visione beatifica, non haberet vim actiuam, etiam remotam actuum supernaturalium, sed tantum esset potẽs ad actũ ordinis naturalis, quæ vero de facto existit, habet vim *remotè* actiuã actuum supernaturalium: ergo reddita impossibili gloria, non maneret humanitas eiusdem speciei cũ illa, quæ modo existit. Minor probatur: sicut enim nõ stat actio sine termino existente, ita nõ stat actio possibilis sine termino possibili: ergo nec vis productiua actionis, sine actionis possibilitate; sed reddita impossibili gloria repugnaret visio Dei: ergo etiã repugnaret vis actiua remota, respectu talis visionis; & cõsequenter non cõueniret humanitati, quæ in illo casu maneret, vis *remotè* actiua visionis. Cumque idem argumentum fiat de alijs actibus supernaturalibus, non esset in humanitate, quæ in data hypotesi existeret, vis etiam *remotè* actiua actuum supernaturalium, sed adæquaretur cũ actibus ordinis naturalis. Sed de his plura *Tract. de Trinitate 1. p. quæst. 34.* vbi fusè reiecimus vires conditionatè tantum effectiuas.

*Si visio beata redderetur impossibilis, humanitas quæ modo est variaretur specificè*

His ergo extremis vitatis, & media via incedendo, ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, distinguo maiorem: sine acceptatione in re, vel in iure, concedo maiorem: sine acceptatione in re, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia licet in illo casu non maneret homo gratus, acceptus ad gloriam in re, esset tamẽ acceptus ad illam in iure, ideſt, haberet ius, vt acceptaretur ad illam, & hoc sufficit ad rationem filiationis adoptiuæ. Ad secundam, cõcessa maiori, nego minorẽ: licet enim homo esset excluſus à gloria actualiter recipienda, non tamẽ esset priuatus dignitate obtinendi gloriam & iure connaturali, vt ad illã acceptaretur: stat enim

163 *Vera vltimi argumenti solutio. Ad 1. probationẽ minoris.*

*Ad secũdam.*

ius

ius exigentiæ connaturalis sine actuali possessione termini prælati iuris, sicut casu, in quo Deus sua absoluta potentia vtens, humanitate producta, suspenderet passionum effluxum, actu careret humanitas passionibus sibi debitis, non tamen debito habendi illas, & pariter, casu in quo Deus Angelo creato non infunderet species, his speciebus careret, non tamen careret debito infusionis illarum.

164 Replica bis 1. Sed contra istam solutionem oppones primo: secluſa promissione diuina gloria non est debita exigentiæ physicæ gratiæ; at tunc casus promissio diuina non datur, imo opposita ordinatio: ergo non manet debitum habendi gloriam; & consequeter nec ius physicum ad illam. Maior ostenditur primo: gloria, vt corona, non est debita gratiæ, & operibus debito exigentiæ physicæ, secluſa promissione diuina; sed nō est magis debita soli gratiæ gloria, vt hæreditas, quam gratiæ, & operibus debeatur gloria, vt corona: ergo secluſa promissione diuina non est debita gloria exigētia physica gratiæ. Maior probatur 1.

Secundo: quod est debitum alicui debito exigentiæ physicæ, non potest proponi, vt præmium, quo circa proprietates naturales nequeunt, vt præmium proponi, quia sunt debitæ physica exigentia naturæ; sed prima gloria respondens primæ gratiæ, vt hæreditas, potest in præmium proponi, imo sic de facto promitti, est frequentior Theologorum sententia: ergo non debetur exigentia physica gratiæ.

165 Tertio. Tertio: nam excellentius donum est gloria æterna comparatione gratiæ, vt perseuerantis finaliter, quam perseuerantia comparatiué ad gratiam, vt cōmunicatam in via; sed perseuerantia excedit physicam exigentiam gratiæ existentis in via: ergo gloria æterna excedit physicam exigentiam gratiæ perseuerantis finaliter.

Quarto. Quarto: magis enim similis est homo homini per naturam sibi essentialem, quam Deo per gratiam accidentalem; at vnus homo ratione naturæ sibi essentialis, nō habet physicam exigentiam hæreditatis alterius; vnde sola gratiola acceptatione fit debita: ergo nec ratione gratiæ habet physicam exigentiam hæreditatis diuinæ, sed solū potest debitum illius consurgere ratione gratiosæ acceptationis à Deo.

Quinto. Denique: non enim est debita gloria gratiæ exigentia actiua, quia non dimanat à gratia per modum propriæ passionis, nec debito cōnaturalitatis passiuæ, qualiter debentur Angelo species infusæ à Deo: naturæ namque, vel actiué debentur potentiæ proximæ agendi, vel nullatenus debentur: ergo gloria nullo modo est debita gratiæ exigentia physica.

166 Replica bis 2. Secundo principaliter obijcies: esto enim admittamus in hypothesi suppositā manere ius connaturale ratione exigentiæ physicæ, hoc tamen ius ad rationem filij adoptiui non sufficit, sed necessario requiritur ius infallibile consequēdæ hæreditatis; sed hoc ius à gratia habituali non datur, secluſa extrinseca acceptatione, nec manet in casu admisso: ergo nec filiatio adoptiua. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostēditur primo: filiatio namque adoptiua dicitur per analogiam ad filiationem naturalem, & est imitatio illius; sed ius filij naturalis est infallibiliter efficax ad hæreditatem consequendam, nisi indignitas consecutionis illius intercedat; pater enim naturalis nō potest filium priuare hæreditate, nisi ratione delicti à filio in patrem commissi: ergo filiatio Dei non subsistit sine iure infallibili cōsequendi hæreditatem. Maior prob. 1.

Secundo probatur: nam filiatio adoptiua Dei perfectior est filiatione adoptiua ciuili vnius hominis ad alium; sed hæc importat ius infallibile ad hæreditatem patris: ergo etiam filiatio adoptiua Dei. Secundo prob.

Tertio: nā illud solum ius sufficit ad esse filiū, cuius virtute sine nouo beneficio potest quis hæreditatem consequi, vt constat in filiatione naturali, & adoptiua inter homines; sed ratione iuris solius connaturalis non efficaciter infallibilis, non potest quis consequi diuinam hæreditatē sine nouo beneficio: ergo hoc ius non sufficit ad filiationem adoptiuam Dei. Tertio.

167 Ad 1. replicā res pōdetur. Ad 1. probationē maioris. Respondeo ad primam ex his obiectionibus, negando maiorem. Ad primam probationem, concessa maiori, & permissa minori, nego consequentiam. Nam gloria, vt corona dicitur per comparationem ad merita in quantum merita, quæ prout sic non dicunt physicā,

sed

sed moralem tantum causalitatem in gloriam: ac proinde non fundant exigentiam physicam, seu moralem, quæ transeat, quod maior sit, quam physica gratiæ exigentia; eo quod strictiorem obligationem inducit, nec ex eo quod sit maior, sequitur, physicam esse, nec quod exigentia gratiæ non sit physica, quia minor: potest enim exigentia moralis esse maior, quam exigentia physica; eo quod cum maiori infallibilitate terminum exactum inferat; cum quo tamen stat, quod consideratis meritis subratione dispositionum ad augmentum gratiæ immediatè, & mediatè ad gloriæ augmentum, physicè postulent gloriam, sed prout sic non consideratur gloria, vt corona, sed vt hæreditas ratione augmenti gratiæ, ad quod merita immediatè disponunt physica dispositione in frequentiori Thomistarum sententia.

168 *Ad secundam.* Ad secundam, nego maiorem. Gloria enim corporis debetur animæ Christi, ex vi gloriæ animæ, debito physico, & tamen illam meruit Christus, vt docet D. Thom. *supra quæst. 19. art. 3. ad 3* non ergo obstat debitum physicum alicuius perfectionis, quominus possit tanquam præmium proponi, vt pluribus titulis debeatur: passio autem simul cum natura conueniens, ideo nequit esse præmium, nisi meritorié causantis naturam, quia fiunt ex vi eiusdem actionis: si autem passionis effluxus suspenderetur, posset proprietas, vt præmiũ operum naturæ proponi, sicut de facto, quia effluxus gloriæ corporis ex gloria animæ Christi in suspensus fuit, vt daretur locus passioni, terminauit Christi merita, quæ tamen gloriam animæ non attigerunt.

*Propria passio ex vi distinctæ actionis fiat, potest esse præmiũ operum naturæ ad quam consequitur.*

169 *Ad tertiam.* Ad tertiam nego suppositum maioris. Gloria namque non excedit, nec est donum excellentius gratia habituali, vt pote participãte naturam diuinam sub conceptu naturæ, cum tamen lumen gloriæ, & visio beatifica, non naturam, sed attributum intellectus, & intellectionis participent. Præterquamquod, etiã si excederet gratiam, posset deberi exigentiæ physicæ illius, sicut forma excedens dispositiones physice præparantes ad illam physicæ exigentiæ dispositionum debetur; gratia namque, vt docet D. Thom. *quæst. 27. de veritate art. 2. ad 7.* est dispositio ad gloriam, & quædam gloriæ inchoatio, vt docet idem D. Th. *2. 2. q. 24. art. 2.* Perseuerantia autem nõ ideo non est debita gratiæ viatoris, quia excedat, vel non excedat illam; sed quia gratia datur viatori, vt subiecta in conseruari fluxibilitati arbitrij: gratiæ autem, vt sic subiectæ, non est debita perseuerãtia.

*Perseuerãtia nõ est debita gratiæ viatoris*

Ad quartam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est: nam natura vnius hominis, etsi cum natura alterius specificè conueniat, non est formalis participatio illius, nec natura illorum in radice hæreditatis consistit; ac proinde ex tali conuenientia non sequitur, quod natura vnius hominis cum natura alterius cõueniens, habeat exigentiam physicam hæreditatis illius: gratia autem habitualis est formalis participatio naturæ diuinæ, quæ consistit in radice videndi, & amandi Deum: ac proinde gratia habitualis est radix visionis diuinæ, in qua Dei hæreditas consistit, & in hac radicatione consistit physica exigentia gloriæ.

170 *Ad quartam.*

Ad vltimam probationem dicatur, gloriam esse debitam gratiæ physica exigentia, vel actiua, vel passiua, in quo omnes Thomistæ conueniunt: in determinando autem modum exigentiæ dissident; quidam enim asserunt deberi exigentia actiua per modum proprietatis dimanantis à gratia, non in se, & ratione sui, sed ratione luminis gloriæ, à quo est inseparabilis, non ita quod ad gratiam in omni statu sequatur, sed solum in statu gloriæ, & ad gratiam consumatam. Quod fundamentum habet in doctrina Diui Thomæ *1. 2. q. 110 art. 4. ad 1.* vbi docet: *Quod sicut ab essentia animæ effluunt eius potentiæ, quæ sunt operationũ principia: ita etiam ab ipsa gratia effluũt virtutes in potentias.* Si autem charitas, & virtutes electiuæ à gratia, vt radice procedunt, videtur idem de lumine gloriæ dicendum.

171 *Ad vltimã probationẽ maioris.*

*Gloriã deberi gratiæ vt proprietatẽ: aliqui Thomistæ docẽt*

Sed oppones: si lumẽ gloriæ esset debitum gratiæ habituali per modum propriæ passionis, non posset sine miraculo gratia sine lumine gloriæ infundi;

172 *Oppones.*

conse-

consequens est falsũ, & à nullo Theologorũ assertũ: ergo lumẽ gloriæ non est propria passio gratiæ habitualis. Probatur sequela: essentiam existere sine passionibus, miraculum est: ergo si lumen debetur gratiæ, vt proprietas, & passio illius, non potest sine illo gratia existere connaturaliter; & consequenter erit miraculum, quod ad gratiã lumen non cõsequatur. Si dicatur: lumen esse proprietatem debitam gratiæ, non absolutè, & in omni statu, sed conditionatè, scilicet, sub conditione perseuerantiæ finalis, & in statu gloriæ, non autem in statu viæ. In contrarium arguitur: nam eo ipso quod lumen debeatur gratiæ, vt proprietas, non potest sine miraculo cum statu viatoris coniungi, sicut quia lumini debetur visio, non potest status viæ cũ lumine gloriæ coniungi, nisi interueniẽte miraculo, vt contigit in Christo: ergo eo ipso, quod lumen sit gratiæ proprietas debetur pro omni statu non miraculosè cum gratia habituali coniuncto. Probatur antecedens: non stat deberi connaturaliter lumen, & non deberi cõnaturaliter, id quod per lumen excluditur, sed status viæ per lumen excluditur: ergo eo ipso quod lumen debeatur, nõ potest non deberi exclusio status viatoris; & consequenter eo ipso quod lumẽ sit debitum gratiæ ad modum propriæ passionis, non potest sine miraculo status viæ cum gratia habituali componi.

*Respõdebis.*

*Contra.*

**173** *Respõdetur.*

Respondeo, distinguendo antecedens: si debeatur pro omni statu, concedo antecedens: si tantum pro aliquo statu, nego antecedens, & consequentiam. Quod autem possit esse passio debita, & non pro omni statu deberi, patet claré: nam gratiæ debetur fides, & ad illam *dimanatiuè* consequitur; & tamẽ non debetur pro omni statu, vt patet in statu gloriæ, fides, & spes debentur gratiæ existenti in homine puro, non autem in omni subiecto, iustitia commutatiua ad Deum debetur gratiæ existenti in humanitate Christi; non autem gratiæ existenti in nobis: sicut ergo stat proprietatem gratiæ deberi in vno, & non in alio subiecto: ita stare potest deberi in vno statu, & non in alio. Deinde; quia non minus est debitus effectus secundarius formæ, quam debeatur essentiæ proprietas; sed stat effectum formalem deberi formæ in vno subiecto, & non in alio: ergo idem de proprietate est dicendum; & consequenter stabit in vno, & non in alio statu deberi. Probatur minor: nam esse filium adoptiuum Dei est effectus secundarius gratiæ habitualis; & tamen non debetur illi adæquate conuertibiliter & in omni subiecto; aliàs gratia sine illo non existeret connaturaliter; & cõsequenter gratia habitualis inconnaturaliter existeret in Christo, quod nullus dixit: ergo pariter proprietas poterit deberi essentiæ in vno, & non in alio subiecto: ac proinde in vnõ, & non in alio statu. Et argumentum eandem vim habet, etiam si non sit debitum actiuum, sed tantum connaturalitatis passiuæ, vt consideranti constabit.

*Propria passionõ semper debetur pro omni statu, necomni subiecto*

**174** *Alij Thomistæ negant gloriam esse proprietatẽ gratiæ.*

Alij autem é contrario affirmant, lumen gloriæ non comparari cum gratia, vt radicali dimanationis principio, sed tantum vt cum principio connaturali receptiuo, eo quod; cum detur in præmium, petit speciali actione infundi, quod cum dimanatione à gratia, vt essẽtia non subsistit. Nam eo ipso quod à gratia sic dimanet, non fit per propriã actionem, sed consequitur ad actionem infundentem gratiam impedimentis sublatis. Quid autem tenendum sit, nõ est in præsenti determinandum: nam illius resolutio pertinet ad 1.2 *quæst.* 110. *art.* 3. & 4. & 1. p. q. 12 *art.* 5. Si autẽ primam sequamur sententiam, consequenter est asserendum, id quod dimanatiuè ad aliquam essentiam consequitur, non posse esse præmium operationum essentiæ, si statim à principio consequatur; si vero non statim fiat, sed in alio statu dimanet, posse esse præmium illarum, & quia lumen gloriæ non consequitur ad gratiam habitualem in sui prima infusione loquendo de puris viatoribus, sed in sui consummatione, & in statu termini, potest esse præmium operationum à gratia viatoris procedentiũ, ad quod necessarium non est, quod fiat per infusionem primario terminatam ad ipsum, sed sufficit, quod sequatur, vel ad modum positiuum consummationis gratiæ, quo posito lumen resultat, vel ad impedimentorum remotionem, qui

*Iuxta primã sẽtentiam respondetur ad vltimã probationem.*

bus

bus sublatis ab essentia gratiæ dimanat, iuxta ea, quæ diximus *sup. q. 19. de merito* agentes de merito Christi respectu gloriæ corporis.

175 *Ad secundã replicã respõdetur.*

Ad secundam obiectionem respõdeo, negando maiorem. Ad primam illius probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Nam filiatio adoptiua non est perfecta, sed imperfecta imitatio filiationis naturalis, & ideo non petitur, quod in omnibus cũ illa conueniat, sicut ob eandem causam ista consequentia non tenet. *Filiatio adoptiua est imitatio filiationis naturalis; sed hæc petit filium à patre procedere secundum conuenientiam vniuocam: ergo etiam filiatio adoptiua*: præmissæ nãque sunt veræ, consequens autem est falsum: nam filiatio adoptiua inter homines non petit, quod filius à patre procedat, & filiatio adoptiua diuina, etsi petat participationem naturæ, non tamen secundum conuenientiam vniuocam.

*Ad primã probationẽ maioris.*

176 *Paterna naturalis nõ potest priuare filiũ hæreditate: Deus autẽ potest iustis de negare gloriam.*

Ratio autem discriminis est: nam ius naturale, quod filius naturalis habet ad patris hæreditatem, non subditur patris dominio, & ideo contra illud pater agere non potest: ius autem connaturale, quod iustis ratione gratiæ conuenit ad hæreditatem Dei, est ipsius supremæ potestati subiectum, vtpote supremo domino; atque adeò quamuis de potentia ordinata non possit contra illud agere, potest tamen de potentia absoluta.

*Ad secũdam.*

Ad secundam, concessis maiori: & minori, nego consequentiam: stat enim prædictus excessus. Tum ratione excellentioris hæreditatis. Tum ratione formæ infrinsecæ, quæ in Dei filiatione intercedit, etiam si filiatio adoptiua Dei à filiatione ciuili in iuris infallibilitate excedatur.

177 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, distinguo maiorem: sine nouo beneficio nullatenus connexo cum forma dante filiationem adoptiuã, concedo maiorem: cum illa connexo connaturaliter, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam etsi collatio gloriæ, in qua cõsistit diuinæ hæreditatis additio, nouum beneficium sit à collatione gratiæ, & perseuerantiæ in illa, quia posset Deus sua vtens absoluta potentia vnum ab altero separare, est tamen inter illa cõ naturalis connexio, ob quam Deus illa separare non potest de sua potentia ordinata, & hoc sufficit ad filiationem adoptiuam diuinam. Nec exempla adducta nostram distinctionem euertunt: nã in filiatione naturali, ideo nouitas beneficij non est in hæreditatis possessione; quia pater communicans filio naturam Dominus naturæ non est; ac per consequens non potest iura naturæ violare. In filio autem adoptiuo per adoptionem ciuilem, ideo nouum beneficium non est, quia hæc cum non fiat per communicationem naturæ, sed per extrinsecam tantum acceptationem, & promissionem, qua posita nequit promittens à promissione recedere, non potest, qui alterum adoptauit, illi ad propriam hæreditatem additum denegare. Cæterum adoptio diuina fit per communicationem intrinsecam naturæ Dei secundũ conuenientiam analogam, ratione cuius ante Dei promissionẽ, vel extrinsecã acceptationẽ, habetur ius connaturale ad diuinã hæreditatẽ; ac per cõsequẽs suffi ciẽs vt ratio filij adoptiui saluetur, quod tamẽ infallibile nõ est, quia Deus simul cum paternitate adoptiua, retinet supremum dominium, non solum naturæ, sed etiam gratiæ, ob quod absolutus est à legibus gratiæ, & naturæ, potensque de sua potentia absoluta vtriusque iura violare.

## §. VIII.

### *Quid de potentia absoluta dicendum?*

178 *Quarta cõclusio*

QVARTA CONCLVSIO. *Implicat contradictionem esse filiũ Dei adoptiuum sine gratia habituali.* Conclusionem istam tuere tenentur omnes, qui negant, possibilem de potentia absoluta effectum sanctificationis sine gratia habituali, quam frequenter defendunt Discipuli D. Thom. 1 2 *quæst.* 113 *art.* 2. illam expresse docue-

cuerunt Lorca 1. 2. *disp. 37. conclus. 2.* licet concedat, posse hominem iustifi cari posito actu contritionis, & manere iustum denominatione extrinseca. Et Illustrissimus Araujo 1. 2. *q. 113. art. 2. dub. 3. conclus. 2. in 3. probatione 1. p. conclusionis.* Et videtur tradi ab Angelico Præceptore *in 2. dist. 26. q. 1. art. 4. ad 3. q. 27. de veritate art. 1. 1. 2. q. 110. & q. 114. art. 3.* ad Rom. 5. *lect 1. & cap. 8 lect. 3.* vbi docet, ideo homines esse filios Dei adoptiuos, quia regenerantur per gratiam: hæc autem regeneratio non potest intelligi sine gratia habituali, vt ex dicendis constabit. Suadeturque primo, supposita illa sententia, quæ docet, non posse remitti peccatum de potentia absoluta sine gratia habituali; sed existens in peccato mortali, nequit esse filius adoptiuus Dei, iuxta veriorem sentẽtiam: ergo sine gratia habituali implicat filiatio adoptiua Dei.

Lorca. Araujo. S. Tho. Probatur 1.

179 Secũdo.

Secundo probatur, supponendo aliã sententiam, quæ frequentior est apud Theologos, docẽtem, quod licet possit remitti peccatum, vel per actum charitatis, & perfectæ contritionis, vel per extrinsecam Dei condonationem; positiua tamen sanctificatio per formam accidentalem non potest, nisi à gratia habituali præstari. Qua sententia præsupposita, efficax argumentum conficitur: implicat filiatio adoptiua sine positiua sanctificatione accidentali; sed hæc implicat sine gratia habituali: ergo & filiatio adoptiua. Consequutio tenet. Minor supponitur. Maior autem probatur: implicat filiatio adoptiua sine iure ad hæreditatem Dei, & dignitate acceptationis ad illam; sed implicat ius ad hæreditatem Dei, & dignitas acceptationis ad illam, sine positiua sanctificatione: ergo implicat filiatio adoptiua sine positiua sanctitate; at cum sanctitate positiua substantiali non compatitur adoptiua filiatio, vt ex dicendis *disp. sequenti* constabit. ergo indispensabiliter petit positiuã sanctitatem à forma accidentali communicatam.

180 Tertio. probatur.

Tertio probatur, abstrahendo ab his sententijs: nam idem est esse filium Dei adoptiuum, quod esse spiritualiter genitum; sed implicat esse genitum spiritualiter, sine gratia habituali: ergo implicat sine illa esse filium adoptiuum. Maior constat paritate filiationis naturalis, in qua idem est, esse filium, ac esse naturaliter genitum, loquendo de filiatione pro fundamento: ergo pariter idem est, esse filium adoptiuum Dei, quod esse spiritualiter genitum. Minor autem probatur: esse genitum spiritualiter, est procedere viuens vita spirituali à Deo viuente in similitudinem naturæ, ad quod necessarium est viuere radicaliter vita spirituali, & diuina; sed implicat viuere vita spirituali, & diuina radicaliter sine gratia habituali; actus enim charitatis, & visio intuitiua Dei, alijque supernaturales actus non dant vitam radicalem, nec proximam, sed actualem consistentem in vitali operatione: lumen gloriæ, habitus charitatis, & aliæ supernaturales virtutes non dant vitam radicalem, sed proximam, Deitas vnita extrinsecé, & acceptatio diuina nullatenus possunt vitam radicalem, proximam, aut actualem præstare: nam ad quem libet ex his modis viuendi, requiritur, vel identitas formæ vitalis cum subiecto viuente, vel inhæsio, & informatio intrinseca, quorum quodlibet repugnat diuinitati respectu subiecti creati, & extrinsecæ acceptationi; & consequenter vita radicalis solum potest à gratia habituali præstari: ergo sine illa implicat esse spiritualiter genitum.

181 Quarto probatur.

Quarto suadetur conclusio: ad omnem filiationem requiritur conuenientia filij cum patre in natura, ad naturalẽ conuenientia per generationem acceptã, ad adoptiuam ciuilem, ante adoptionem suppositã, nisi enim vnus homo cũ altero conueniret in natura sub conceptu naturæ, non posset ab illo in filium adoptari: ergo ad filiationem spiritualẽ supernaturalem, qualis est filiatio adoptiua Dei, necessario exigitur conueniẽtia cum Deo in natura diuina sub conceptu supernaturalis naturæ. Patet consequentia à paritate rationis; sed implicat conuenientia creaturæ rationalis cũ Deo in natura sub conceptu naturæ supernaturalis sine gratia habituali: ergo implicat sine illa filiatio adoptiua Dei. Minor probatur: essentia gratiæ habitualis consistit in hoc, quod est, esse participationem formalem, vel specialem

naturæ Dei sub conceptu naturæ: ergo implicat forma istum conceptum participans, quæ habitualis gratia non sit; sed implicat conuenientia creaturæ rationalis cum Deo in natura sub conceptu naturæ, sine forma participante formaliter, aut specialiter naturam diuinã sub ratione, & conceptu naturæ: ergo implicat conuenientia creaturæ rationalis cum Deo in natura sub conceptu naturæ sine gratia habituali.

182 *Vltimo probatur conclusio*

Denique suadetur conclusio: implicat, Deum filium adoptiuum efficere sine affectu efficaci communicandi suã naturam sub conceptu naturæ; sed iste affectus implicat sine gratia habituali secuta: ergo implicat Deum, filium adoptiuum efficere sine gratia habituali. Minor est certa: nam voluntas efficax Dei infallibiliter infert effectum, ita vt implicet Deum efficaciter velle, & non effici, quod vult: ergo implicat efficaciter velle communicare suam naturam, quin de facto illam communicet. hæc autem communicatio implicat sine gratia habituali; & consequenter implicat affectus efficax Dei communicandi suam naturam sine gratia habituali.

183 *Maior ostenditur.*

Maior autem in hunc modum ostenditur: actio effectiua filij debet esse cõmunicatiua naturæ realiter, vel affectiuè. primum constat in actione efficiente filiationem naturalem, quæ realiter naturam generantis communicat: secũdum in filiatione adoptiua ciuili, quæ non saluatur in sola acceptatione vnius ad hæreditatem alterius, sed insuper requirit affectum communicandi naturã, si foret adoptanti possibile; vnde explicatur per aduerbium, *vtinam ejs meus filius*, ex parte adoptantis: ergo adoptio etiam diuina petit ex parte Dei affectũ communicandi naturam: at in Deo non sufficit affectus inefficax; homini namque in peccato mortali existenti, inefficaci affectu vult suam communicare naturam, qui tamen filius Dei adoptiuus non est: ergo requiritur affectus efficax.

## §. IX.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

CONTRA nostram conclusionem arguitur primo: non implicat hominem sanctificari sanctitate positiua sine gratia habituali; sed homo sanctus sanctitate positiua, necessario esset filius adoptiuus Dei: ergo non implicat filiatio adoptiua Dei sine gratia habituali. Maiorem docent non improbabiliter plures extra Scholam Diui Thomæ, & ex Thomistis Magister Medina 1. 2. q. 114. art. 4. vbi docet, posse hominem esse à Deo dilectum, ipsi charum, & ad vitam æternam acceptum per extrinsecã beneuolentiam diuinam sine alicuius doni infusione. Et Illustrissimus Arauio 1. 2. disp. 3. præambul. de origine gratiæ sect. 7. Minor autem probatur. nam homo sic sanctificatus, haberet ius ad gloriam per modum hæreditatis; sed ius ad gloriam per modum hæreditatis, vel supponit, vel constituit filium adoptiuũ Dei. ergo homo tunc casus sanctificatus sanctitate positiua sine gratia habituali, esset filius adoptiuus Dei.

184 *Arguitur primo.*

185 *Respondetur.*

Respondeo, permissa maiori, negãdo minorem. Ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: de facto, & secundum legem Dei ordinariam, concedo minorem: connexione essentiali, & de potentia absoluta, nego minorem, & consequentiam. Namlicet de facto ius ad gloriam per modum hæreditatis, vel constituat, vel ad minus supponat filiationem adoptiuam, eo quod sanctitas de facto præstatur à sola gratia habituali, quæ est natura diuina participata. & consequenter per participationem illius constituuntur homines in statu filiorum Dei: in sententia tamen admissa, quæ docet, esse posibilem sanctificationem positiuam per extrinsecã denominationem, aut per habitum, vel actum charitatis, non omne ius ad glo-

riam

riam per modum hæreditatis, conuerti tur essentialiter cũ filiatione adoptiua, aut illam essentialiter supponit, quia cũ ius existens in tali casu non fundaretur in participatione naturæ diuinæ, non supponeret, nec constitueret filiationẽ adoptiuam, sicut de facto ius ad gloriã supponit spiritualem subiecti generationem, quam tamen non supponeret in hypotesi supposita.

186 *Replica bisprimo*

Sed oppones primo: ideo gratia fundat ius filij, quia sanctificat subiectum; sed ius in prædicto casu existẽs, fundaretur in sanctificatione subiecti: ergo esset ius supponens filiationem adoptiuã.

*Secundo.*

Secundo: non minus est de ratione sanctitatis præstari à forma sub conceptu naturæ ordinis supernaturalis, quam de ratione filiationis fundari in communicatione naturæ: ergo admissa sanctitate positiua præstita à forma non participante naturam, admitti debet filiatio, non fundata in communicatione naturę.

*Tertio.*

Tertio: nam ius hominis sanctificati extrinsecè, esset ius amici Dei: ergo etiam esset ius filij.

187 *Ad primã replicã respondetur.*

Respondeo ad primam instãtiam, distinguendo maiorem: sanctitate intrinseca consistente in participatione naturæ, concedo maiorem: ex præciso sanctitatis conceptu, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

*Ad secundam.*

Ad secundam, distinguo antecedens: in communi, & vera sententia, concedo antecedens: in sẽtentia, quam in maiori supposuimus, nego antecedens, & consequentiam. Etenim in sententia illa supposita, conceptus sanctitatis, non conuertitur cum cõceptu naturæ, sed potest præstari à forma participante attributum, v. c. habitu, vel habitu charitatis, & à dilectione extrinseca Dei: ratio autem filij necessario præsupponit participationem naturæ, sicut etiam ratio geniti, & conuenientiam in illa cum principio generante.

*Ad tertiã*

Ad tertiam, distinguo antecedens: esset ius amici, amicitia sumpta *adæquatè* pro obiecto dilecto à Deo cum radicali, & proxima potentia ad redamationem ipsius, nego antecedens: sumpta amicitia *inadæquatè* pro obiecto dilecto à Deo, & illius beneuolentiam terminante, transeat antecedens, & nego consequentiam, ob rationem sæpé inculcatam.

188 *Secundo arguitur.*

Secundo arguitur: potest Deus de sua potentia absoluta velle homini efficaciter gloriam, absque voluntate efficaci conferendi gratiam habitualem; sed homo in isto casu esset filius adoptiuus Dei: ergo est possibilis de potentia Dei absoluta filiatio adoptiua Dei sine gratia habituali. Consequentia est bona. Maior constat: nam gloria non habet essentialẽ dependentiam à gratia habituali: ergo potest Deus illam efficaciter velle non volendo gratiam habitualem. Minor autem probatur ex diffinitione adoptionis; vt enim in principio disputationis notauimus: *Adoptio est gratuita, & liberalis assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem*; sed voluntas illa Dei, esset gratuita, & liberalis, vt patet, homo assumptus, persona extranea supponitur respectu hæreditatis diuinæ, & ad illam ordinaretur: ergo haberet, quidquid ad rationem filij adoptiui ex eius diffinitione petitur.

189 *Respondetur.*

Respondeo, prætermissa maiori, negando minorem. Ad illius probationem explico diffinitionem adoptionis: est assumptio communicans *affectiuè* naturam, concedo maiorem: naturam *affectiuè* non communicans, nego maiorẽ: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia licet in illo casu homo ordinaretur ad gloriam per extrinsecam ordinationem Dei; voluntas tamen ordinans Dei, non communicaret *affectiuè* naturam diuinam, & ideo nec prædictæ voluntati conueniret diffinitio adoptionis, nec homini sic ordinato diffinitio filij adoptiui.

190 *Replica bisprimo*

Sed oppones primo: explicationẽ istam esse omnino voluntariam; cur enim ad rationem adoptionis petitur voluntas *affectiuè* naturam communicans, & non sufficiet gratuita, & liberalis assumptio ad hæreditatem absque affectu communicandi naturam?

*Secundo.*

Secundo: nam licet illa ordinatio, non includat efficacem voluntatem communicandi naturam, includit tamen voluntatem inefficacem, vel potest illam includere, vel supponere; sed sufficit volũtas conditionata, & inefficax communicandi naturam, si alia requisita adsint, qualiter in prædicto casu concurrerent,

ad rationem adoptionis: ergo nihil tunc deesset, vt voluntati extrinsecæ Dei cõpeteret adoptionis diffinitio, & homini in illo casu *extrinsecè* ordinato ad gloriam filiatio adoptiua competeret. Minor probatur: nam homo, hominem adoptans, non vult efficaciter illi suam communicare naturam, sed tantum inefficaciter; & tamen cum hoc affectu illum ad suam hæreditatem assumit, & in filium adoptat: ergo sufficit ad rationẽ adoptionis assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem cum conditionato, & inefficaci affectu communicandi naturam.

191 *Ad 1. replicã respondetur.* *Adoptio includit affectum cõmunicandi naturam.*

Respondeo ad primam instantiam, negando antecedens: quod enim in adoptione includatur affectus communicandi naturam explicatus per illam exoptationem, *vtinam esses meus filius naturalis*, habetur in Concilio Francofordiensi, vt *Disp. sequenti* videbimus. Et insuper hac ratione: nam potest vnus homo alteri promittere hæreditatem, quin illum adoptet in filium, nec vt filio promittentis habeatur; & tamen sic promittens, liberaliter ad suam hæreditatẽ talem hominem assumit, extraneitate, hoc est carentia iuris ad hæreditatẽ supposita: ergo nõ sufficit adhuc ad humanam, & ciuilem adoptionem, quælibet ad hæreditatem assumptio, sed necessario requiritur, quod sit talis conditionis, quod includat affectum communicandi naturam; aliàs omnes instituti hæredes, essent instituentis filij.

192 *Ad secundam.*

Ad secundam, permissa maiori, distinguo minorem: ad rationem adoptionis humanæ, concedo minorem: ad rationem adoptionis diuinæ, nego minorem, & consequentiam. Ratio autem discriminis est. Tùm, quod in adoptione humana supponitur in persona adoptanda natura eiusdem speciei, & proportionata cum hæreditate adoptantis: secus autẽ in diuina. Tùm etiam, quia in homine adoptante, non est facultas communicandi naturam personæ adoptatæ, nec secũdum conuenientiã vniuocam, nec secundum participationẽ analogam; & ideò nõ requiritur, quod in effectu aliquo ex prædictis modis suam communicet naturã, sed sufficit affectus inefficax, & conditionatus.

*Duplex differẽtia inter adoptionem humanã, & diuinam.*

Cæterum in Deo inuenitur vis communicandi suam naturam creaturæ rationali secundum conuenientiam analogam, & ideo vt aliquem adoptet in filium, non sufficit conditionatus affectus, sed petitur voluntas efficaciter cõmunicans naturam Dei secundum conuenientiam analogam; adoptiua namque filiatio est imitatio filiationis naturalis quantum possibile est intra limites adoptionis; est autem possibilis imitatio filiationis naturalis diuinæ in participãdo naturam Dei adoptantis secundum conuenientiam analogam, non verò est possibilis in adoptione vnius hominis ab alio imitatio filiationis naturalis in prædicta participatione, & ideo ad humanam adoptionem non petitur adoptantem efficaciter communicare filio adoptiuo naturam, sed sufficit affectus inefficax. In diuina autẽ exigitur, quod Deus homini, quem adoptat in filium, efficaciter suam naturam communicet secundum conuenientiam analogam. 193

194 *Instabis.*

Sed instabis: volitioni Dei efficaci ordinanti hominem ad gloriam præsupposito inefficaci affectu erga gratiã competerent omnia, quæ in adoptione humana inueniuntur: ergo quamuis nõ esset adoptio omninò perfecta, qualis est illa, qua modo homines adoptantur in filios per communicationem naturæ, esset tamẽ adoptio imperfecta, & homo sic adoptatus haberet, quæ essentialiter requirũtur ad esse filiũ adoptivũ Dei, licet esset imperfectè filius. Patet consequentia: quia nomẽ filij adoptiui, trãslatũ est ex adoptione humana ad diuinam: ergo saluatur filiatio adoptiua Dei, per illa, quæ cõstituunt humanã.

195 *Respõd. primo.*

Respondeo primo, negando antecedens. Nam adoptio humana supponit in adoptato naturam proportionatam cum hæreditate patris, & ideo filium adoptivum constituit, quæ suppositio voluntati efficaci Dei hominem ad gloriã ordinanti non competit; & aliàs naturam diuinam non communicat secundum conuenientiam analogam, & idcirco non constituit filium adoptiuum: non enim stat filiatio hæc adoptiua sine suppositione, aut efficaci communicatione naturæ proportionatæ cum hæreditate adoptantis.

196 *Secundo.* Vel secundo, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego cõsequentiam. Nam licet nomen filiationis adoptiuæ translatum sit ad significandam diuinam ex adoptione humana; attamen filiatio Dei depuranda est ab imperfectionibus adoptionis humanæ, ex quibus ynа est, quod solum inefficaci, & conditionato affectu naturam adoptantis communicet, ob impotentiam cõmunicandi illam realiter: Deus autem potens est communicare realiter suam naturam secundum conueniẽtiam analogã; & ideò vt filium adoptivum efficiat, petitur affectus efficax huius communicationis.

197 *Tertio.* Vel tertio, concesso antecedenti, nego consequentiam Nam adoptio humana ideo cum inefficaci affectu cõmunicandi naturam, subsistit, quia illo supposito imitatur filiationem naturalem, quantum possibile est; cum inter homines non sit possibilis imitatio per realem communicationem naturæ secundum conuenientiam analogam: In Deo autem per solum inefficacem affectum communicandi naturam, non saluatur maior imitatio possibilis filiationis naturalis; cum sit possibilis efficax communicatio naturæ secundum conuenientiam analogam; cumque filiatio adoptiua consistat in maiori imitatione possibili filiationis naturalis; consequens fit, quod solus inefficax, & conditionatus affectus communicandi naturam cum efficaci assumptione ad alterius hæreditatem, constituat filiationẽ adoptiuam humanam; secus autem filiationem adoptiuam diuinam

198 *Vrgebis.* Sed dices: sequi ex ista solutione, non saluari filiationem adoptiuam Dei in sola infusione gratiæ sanctificãtis, sed requiri ordinationem extrinsecam efficacem ad gloriam, & illius promissionem; consequens est contra ea, quæ *in tertia conclusione* docuimus: ergo tradita solutio cum ibi traditis non cohæret. Probatur sequela; per solam gratiam habitualem non saluatur maior imitatio possibilis filiationis naturalis; cum non habeatur imitatio in efficacia infallibili iuris ad hæreditatem, quæ conuenit filiationi naturali; non autem habituali gratiæ, nisi addita promissione: ergo si ad rationem filiationis adoptiuæ petitur suprema imitatio possibilis filiationis naturalis, non saluatur filiatio adoptiua Dei per solam entitatem gratiæ, non adiuncta extrinseca promissione.

199 *Respond.* Respondeo, negando sequelã. Ad illius probationẽ, distinguo antecedens: maior imitatio possibilis, in eo quod imperfectionis est ex parte patris naturalis creati, & infinitatis in filiatione increata, cõcedo antecedẽs: in eo quod imperfectionem non dicit in patre naturali creato, nec infinitatem in filiatione naturali increata, nego antecedens, & consequentiam. Nam imitatio filiationis adoptiuæ diuinæ, non debet esse ad filiationem naturalem, in eo quod imperfectionis est ex parte patris creati, nec in eo quod dicit infinitatem in naturali increata; quod autem ius tributum filio creato per communicationem naturæ sit infallibile, nascitur, ex eo quod pater non est Dominus supremus naturæ: ac proinde non potest naturæ iura violare, quod imperfectionis est; quod autem ius tributum per communicationem naturæ increatæ Dei filio diuino increato, sit infallibiliter efficax, nascitur ex illius infinitate, & ideo in his nõ petitur imitatio filiationis adoptiuæ diuinæ respectu filiationis naturalis.

200 *Tertio arguitur.* Tertio arguitur: potest Deus de potentia absoluta hominem beatificare sine gratia habituali; sed homo in illo casu esset filius adoptivus Dei: ergo est possibilis de potentia absoluta filiatio adoptiua Dei sine gratia habituali. Maior patet: nam visio beatifica non depẽdet essentialiter à gratia habituali: ergo potest Deus sine illa hominem beatificare. Minor autem ostenditur primo: *Minor prob. 1.* homo namque in illo casu esset iustus per internam sanctitatem; sed sanctus, sanctitate intrinseca, necessario est filius Dei: nam præter sanctitatem intrinsecam, voluntariè aliud exigitur ad rationem filij adoptiui: ergo homo in præ dicto casu esset filius adoptiuus Dei. *Secundo.* Secundo probatur: forma præstans ius ad diuinam hæreditatem, constituit filium adoptivum Dei: ergo à fortiori ipsa hæreditas, qualis est visio beata, atq; istius hæreditatis possessio, constituere potest

*Tertio.* filium adoptivum Dei. Denique: nam est sententia probabilis naturam diuinam consistere, non in radice intellectionis, sed in ipsa intellectione actuali, iuxta quam consequenter est dicendum, Verbum Diuinum constitui in ratione filij per actualem intellectionem, vt à Patre communicatam, in quo ipsius beatitudo consistit: ergo participatio formalis actualis intellectionis diuinæ, & beatitudinis increatæ constituit filium adoptivum Dei; & consequenter cum visio beatifica sit formalis participatio actualis intellectionis diuinæ, poterit sine gratia habituali filiationē adoptiuam præstare.

201 *Respond. Ad 1. probationē minoris.* Respondeo, permissa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, prætermissa etiam maiori, distinguo minorem: sanctus sanctitate intrinseca participante naturam diuinam sub conceptu naturæ, concedo minorem: sanctitate intrinseca participante attributum, nego minorem, & consequentiam. Nam visio beata, esto posset sanctificare, non participat formaliter naturam sub conceptu naturæ, sed attributum diuinum, vel esto participet actualitatem constituentem naturam diuinā, non tamen sub munere, & eminentia naturæ, sed sub munere, & eminentia operationis, & ideo non præstat filiationem adoptiuam.

202 *Ad secūdam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: & insto in filiatione ciuili, quam non præstat ipsa hæreditas, nec hæreditatis possessio, sed forma, quæ præbet ius ad hæreditatem. Ratio autem in præsenti est: nam sola forma participans naturam diuinam, potest esse terminus formalis spiritualis generationis: ac per consequens illa sola potest filiationem adoptiuam fundare; visio autem, in qua hæreditas diuina consistit, non est participatio naturæ; benè verò habitualis gratia, quæ fundat ius ad ipsam hæreditatē, & ideo forma fundans ius filium adoptivum constituit; non autem ipsa hæreditas, nec hæreditatis possessio.

*Non hæreditas, sed ius ad hæreditatem, cōstituit filiū adoptiuū.*

203 *Ad tertiam.* Ad tertiam, admissa illa sententia, distinguendum est consequens: visio increata constituit Verbum in ratione filij naturalis, sub eminentia, & munere intellectionis, sub quo munere Verbum constituit beatum, nego antecedēs. sub munere, & eminentia naturæ, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam etiam in sententia admissa, in actualitate intellectionis, duplex distinguitur munus, etsi non duplex adæquata formalitas; aliud, actualis operationis, & aliud munus naturæ, sub conceptu primæ, & vltimæ actualitatis, & non constituit Verbum in ratione filij naturalis sub munere operationis, sed sub munere naturæ: visio autem beatifica nobis communicata, non est participatio formalis actualitatis diuinæ sub munere, & conceptu naturæ, sed sub munere actualis intellectionis; eo quod actualitas increatæ intellectionis, eatenus cōstituit naturam, quatenus est prima actualitas, nullam aliam supponens, & cæteras perfectiones radicans, sub qua ratione non participatur à visione nostra creata; cum supponat lumen gloriæ, & gratiam habitualem, & ideo non participat intellectionem diuinam, vt obtinentem rationē naturæ: ac proinde nec potest filium Dei adoptivum constituere.

204 *Deniq; arguitur.* Denique arguitur: Deitas potest nobiscum vniri media vnione accidentali de potentia absoluta; sed Deitas sic vnita, cōstitueret filium adoptivum Dei: ergo sine gratia habituali est possibilis de potentia absoluta filiatio adoptiua Dei. Consecutio est legitima. Minor constat: nam Deitas sic vnita Deificaret accidentaliter animam ratione propriæ entitatis immediatè animæ vnitæ: ergo si Deificatio animæ præstita non ab ipsa Deitate, sed ab eius participatione, nempé, à gratia habituali constituit filium adoptivum, à fortiori Deitas se ipsa animam Deificās, filiationem adoptiuam præstabit. Maiorem docet Carrafa 1. 2. *q.* 3. *art.* 4. *disp.* 2. *num.* 16. etsi fateatur à nemine illam accepisse, nec ab aliquo traditam reperijsse. Probatque primo: nam istius vnionis nequit implicatio assignari, Dei omnipotentiam commendat, nec vllam iniuriam diuinæ simplicitati irrogat: ergo illius possibilitas neganda non est.

*Carrafa.*

*Maior prob. 1.*

205 *Secundo.* Secundo: nam de facto datur vnio immediata substātialis hypostatica Verbi

bi cum humanitate, quæideo non repugnat, nec diuinæ immutabilitati præiudicium aliquod infert, quia *subiectiuè* adæquatè est in humanitate, & *terminatiuè* in hypostasi diuina: ergo etiam poterit dari vnio accidētalis diuinitatis ad animā subiectata in anima adæquatè, & *terminatiuè* solū diuinā essētiā respiciēs: ac per consequens absque vllo præiudicio immutabilitatis diuinæ. Tertio: nam est sententia probabilis, quod diuina essentia per se ipsam vnitur cum intelle ctu beati in ratione formæ intelligibilis, physica, & reali vnione adæquatè in illo recepta, & *terminatiuè* solum ad diuinam essentiam comparata: ergo nō implicat realis, & physica vnio accidētalis Deitatis ad animam, his conditionibus gaudens. Denique probari potest: non enim potest implicatio assignari in hoc, quod Spiritus Sanctus detur sine intermedia forma accidentali; sed tunc casus immediatè nobis vniretur media vnione, vel nexu accidentali: ergo talis vnio non implicat.

Tertio.

Quarto

206 *Respond. Ad 1. probationē maioris.*

Respondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, nego antecedens: implicatio autem est: nam vnio accidentalis per se ordinatur ad constituendum vnum accidentale compositum; ad hoc autem diuinitatem vniri, est omninò implicatorium; quia erat necessarium, quod diuinitas rationem formæ *physicè* informantis subiret, quod implicat, vt docet D Thomas *prima parte quæstione tertia artic. octauo. Primo Cōtra Gentes cap. 27. & lib. tertio cap. 51.* eo quod forma est in potentia respectu totius: Deo autem omnis potentialitas repugnat. Et quia forma habet esse in alio; & consequenter exceditur à toto, quod habet esse per se: Deo autem repugnat ab aliquo excedi.

*Deitas nō potest nobiscū vniri media vnione accidētali.*

207 *Ad secundam.*

Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia vnio substantialis est duplex, altera ex cuius extremis resultat vna natura, altera facta in persona, & ex qua resultat vna persona: prima repugnat diuinitati, vt docet D. Thom *supra quæstione secunda articulo primo*; secus autem secunda, vt docet *ibi articulo secundo*, eo quod vnio substantialis, ex qua vna resultat natura, petit transmutati onem, vel informationem; vnio autem in vna persona non ita, sed tantum quod natura, quæ vnitur, trahatur ad esse personæ per terminationem ab ipsa, quæ terminatio respectu naturæ creatæ, absque physica informatione non repugnat per sonalitati diuinæ. Vnio autem accidentalis non potest ad vnitatem personæ ordinari, sed ad vnitatem accidentalem naturæ: repugnat autem summæ actualitati diuinitatis; atque illius completioni, & omnimodæ independentiæ, ad vnam naturam, vel substantialem, vel accidentalem constituendam vniri.

S. Tho.

208 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, concesso etiam antecedenti, nego consequentiam: ob discrimen, quod statuit D. Thom. *tertio Contra Gentes cap. 51.* vbi docet: *Diuinam essentiam non posse esse formam alterius rei secundum esse naturale; sequeretur enim, quod simul cum aliquo vnita constitueret vnam naturam, quod esse non potest; cum essentia diuina in se perfecta sit in sui natura. Species autem intelligibilis vnita intellectui, non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ essentiæ non repugnat.* Ad vltimam probationem, nego maiorem. Nam Spiritum Sanctum dari, iuxta D. Thom. *prima parte quæstione 43. artic. tertio*, est speciali modo esse in homine supra illum, quo est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, qui modus in eo consistit, quod sit in illo, sicut cognitū in cognoscente, & amatum in amante, actualiter, habitualiter, vel radicaliter: implicat autem Deum esse in nobis aliquo ex prædictis modis, nisi medio actu, vel habitu, qui det posse proximum, vel gratia habituali, quæ det posse radicale; ac per consequens implicat, Spiritum Sanctum dari sine forma accidentali, nisi vniatur substantialiter, sicut fuit vnitum Verbum.

*Ad quartam.*

*Quomodo spiritus datur iustis.*

## §. X.

### *Quinque corollaria præcedentis doctrinæ.*

209 *Relatio filiationis adoptiuæ diuinæ, est realis. Probatur 1.*

EX DICTIS in discursu Disputationis, colligo primo: relationē filiationis adoptiuæ diuinæ esse relationem realem: quod patet primo: nam sequitur ad realem generationem spiritualem, per quam rationalis creatura accipit gratiam habitualem, illi inhærentē intrinsecē; sed relatio habens reale, & intrinsecum fundamentum, non est relatio rationis, sed realis: ergo relatio filiationis adoptiuæ est relatio realis. *Secundo.* Secundo: ideo filiatio adoptiua inter homines est relatio rationis, quia sequitur ad extrinsecam acceptationē vnius hominis ab alio ad illius hæreditatem, quæ nihil reale intrinsecum infert in subiecto acceptato; sed filiatio adoptiua diuina, non sequitur ad extrinsecam acceptationem, sed ad formam realem intrinsecam: ergo est relatio realis.

210 *Adoptare in filios est toti Trinitati cōmune.*

Colligo secundo: adoptare creaturam rationalem in filium non esse proprium alicuius ex diuinis personis, sed commune tribus, quod docet D. Tho. *in præsenti q. 23. art. 1.* & probatur: Deus enim eatenus adoptat creaturam rationalem in filium, quatenus infundit gratiam habitualem, per quam spiritualiter regeneratur; sed actio infundens gratiam est toti Trinitati communis, sicut de quavis operatione ad extra, docet commune Theologorum axioma; eo quod Deus operatur ad extra ratione naturæ, & virtutis proximē operatiuæ, quæ Deo vt Trino; & consequenter toti Trinitati conueniunt: ergo adoptare non est proprium alicuius personæ, sed tribus diuinis personis commune. Quia tamen filiatio adoptiua, est quædam similitudo filiationis æternæ, *appropriatiuè* attribuitur Filio, vt exemplari; & quia in humanis, solius Patris est adoptare, diuina adoptio appropriatur Patri, vt auctori, & quia adoptio fit per gratiam, quæ est opus diuini amoris, & idcirco specialiter appropriatur Spiritui Sancto, qui est amor, ideò adoptio *appropriatiuè* Spiritui Sancto attribuitur, vt imprimenti gratiam, quæ est forma, per quam adoptamur, Deoq; assimilamur. *Diuersimodè appropriantur singulis personis.*

211 *Oppones*

Sed dices: potest dari opus ad extra ab vna sola persona: ergo ex communitate inter diuinas personas in operibus ad extra, non rectē colligitur, adoptionē esse tribus personis communē. Probatur antecedens: potest de potentia absoluta vna persona sine alia videri, vt plures non improbabiliter docent; sed obiectum cognitum, in genere causæ efficientis simul cū potentia ad intellectionē concurrit, vt frequentius docetur à Theologis: ergo potest dari de potētia absoluta opus ad extra ab vna tantū persona causatū. Patet consequentia: nam ex duplici præmissa probabili cū recta dispositione, infertur conclusio probabilis; sed dispositio syllogismi facti est bona, & vtraq; præmissa probabilis: ergo conclusio est probabilis; ac per consequēs, saltim probabile est, posse opus ad extra factum, ab vna tantum persona procedere.

212 *Noua quædam sententia refertur, et impugnatur.*

Quo argumento conuictus Ripalda *tom. 1. de ente supernaturali disp. 41. à n. 59.* asserit stando rationi sibi nō improbabile videri, posse de potentia absoluta vnam ex diuinis personis opus efficere ad extra sine aliarum personarū consortio, licet id non audeat absolutē affirmare, quia destitutus omni Theologorum suffragio, & rectē quidem id affirmare non ausit, esset enim omni Theologorum cōcursui in re graui dissentire, quod absq; temeritatis nota nō licet, nec ratione graui, & vrgenti Theologi in tam communi asserto sunt destituti, nempē, diuinas personas agere ad extra, ratione omnipotentiæ, quæ omnibus est communis. Et quidem si hoc asserere Theologo permitteretur, posset etiam alius docere, non esse diuinas personas, ita in volendo, & intelligendo adunatas, vt non posset de potentia absoluta: vna velle, & intelligere: altera, nec volente, nec intelligente vnum, &

idem obiectum; quandoquidem virtus operandi ad extra, non minus communis est, quàm virtus intelligendi, & volendi: ergo si hoc non obstante concediture possibile opus ad extra ab vna persona, alijs non communicantibus in illius productione, etiam obstare non posset communitas intellectus, & voluntatis, quominus vna persona non possit, velle, & intelligere aliquid, quod aliæ personæ diuinæ, nec vellent, nec intelligerent, quo sanè nihil absurdius.

213 *Ad obiectionem respõd. 1.*

Ad argumentum ergo respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, prætermissa maiori, distinguo minorem: supposita veritate maioris, nego minorem: illa non suppositâ, concedo minorem, & nego cõsequentiam. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: ex duplici præmissa probabili *diuisiuè*, nego maiorẽ: ex duplici præmissa probabili *complexiuè*, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia licet sententiæ, quæ in maiori, & minori adducuntur, sint *diuisiuè* probabiles, hoc est, vna seorsim ab altera, nõ tamẽ sunt probabiles *complexiuè*, hoc est, vna simul cũ alia; vt autem ex illis posset conclusio probabilis colligi, necessaria erat probabilitas vtriusque præmissæ simul.

214 *Instatur argumẽtum.*

Et quidem plures iudicant probabile, Christum, in quantum hominem, esse filium Dei adoptiuum, & communiter docetur à Theologis, peti ad filiationem adoptiuam distinctionem suppositorum inter adoptantem, & adoptatũ: ex quibus præmissis colligitur, Christũ, in quantum hominem, esse personam à Diuino Verbo distinctam, quæ est hæresis Nestoriana. Sicut ergo ista consequentia non tenet, quia præmissæ ex quibus constant, etsi sint *diuisiuè* probabiles, non sunt probabiles *complexiuè*: ita in nostro casu ex præmissis argumenti, non sequitur intenta conclusio, quia licet vna seorsim ab alia sit probabilis, nõ tamen simul cum alia. *Respondetur 2.* Vel secundo quoad rem attinet, potest obiectioni facta occurri prætermittendo antecedẽs, quamuis falsissimum sit, in casu de potentia absoluta; negando autem de potentia, & lege ordinaria Dei, & negãdo consequentiam: ex eo namq; quod aliquid sit possibile de potentia absoluta, non sequitur, quod de facto contingat.

Tertio colligitur: solam creaturã rationalem esse capacem filiationis adoptiuæ Dei, quod docet D. Tho. *in præsenti art.* 3. & patet primo: nam sola rationalis creatura est capax gratiæ habitualis; quia illa sola est capax videndi, & amandi Deum, vt est in se, ad quod gratia habitualis præstat aptitudinem radicalem, & remotam; sed gratia habitualis est forma præbens filiationem adoptiuam: ergo sola rationalis creatura est capax filiationis adoptiuæ. Secundo: nam incapax hæreditatis non potest assumi ad illam, in qua assumptione filiatio adoptiua cõsistit; sed visionis beatificæ, in qua hæreditas Dei consistit omnis creatura, præter rationalem, est incapax: ergo sola rationalis creatura est capax filiationis adoptiuæ.

215 *Sola creatura rationalis est capax adoptionis diuinæ. Prob. primo.*

*Secundo.*

Denique: nam filiatio adoptiua supponit filiationem ad Deum in creatione fundatam, & illam perficit præstando ius ad diuinam hæreditatem; sed creatura irrationalis non est filius Dei ratione creationis: ergo non est capax filiationis adoptiuæ. Probatur minor: nam filiatio in creatione fundata petit similitudinem ad Deum in gradu intellectualitatis, qui est vltimus Deo cõueniens, vt à creaturis participabili; sed creatura irrationalis non assimilatur Deo in gradu intellectualitatis: ergo non est filius Dei ratione creationis.

216 *Tertio.*

Oppones: est probabilis sententia, quod de potentia absoluta possit gratia habitualis produci in lapide, & in quauis alia irrationali creatura; sed gratia est forma præstans filiationem adoptiuam: ergo eadem probabilitate est dicendum, posse irrationalem creaturam esse filium adoptiuum Dei.

217 *Opponesi.*

*Respond.*

Respondeo, sententiam in maiori cõtentam docere, posse gratiam poni in lapide sine suo effectu formali specifico: non autem cum illo, sed tantum cum effectu generico, quem præstat subratione qualitatis. Qua sententia sic admissa, & concessa minori, nego consequentiã: sola enim illa creatura est capax filiationis adoptiuæ, quæ capax est recipiendi gratiam habitualẽ, & effectum specificũ illius. Quomodo autem stare possit ca-

*Si gratia poneretur in lapide, non constitueret illũ filiũ adoptiuũ Dei.*

pacitas ad formam aliquam recipiendā cum incapacitate ad omnem effectum formalem, quem præstat secundum differentiam specificam, quod satis difficile videtur nostri negotij nō est, sed illorū, qui traditam sententiam defendunt.

218 *Angelos existentes in gratia esse filios Dei adoptiuos: probatur.*

Quarto colligitur, Angelos existentes in gratia esse filios Dei adoptiuos: quod patet: nam illis conuenit forma præstans filiationem adoptiuam, nempé, gratia habitualis; & aliàs sunt extranei à diuina hæreditate, idest, ratione propriæ naturæ carentes iure connaturalitatis ad illi: ergo habent quidquid ad filiationem adoptiuam requiritur; & consequenter sunt filij adoptiui Dei.

219 *Oppones. Ad Roman. c. 8.*

Si opponas: filius adoptiuus Dei est frater Christi per gratiam, iuxta illud Pauli ad Rom cap. 8 *Si autem filij, & hæredes hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi* Idem autem videtur esse cohæredem esse cum Christo, & esse fratrē illius; sed Angeli nō sunt fratres Christi: ergo nec filij adoptiui Dei. Minor probatur: nam iuxta D. Th. *in 4. dist. 49. q 4. art 4* dotes, quibus homines ditantur in beatitudine, Angelis non conueniunt secundum rationem dotis; quia Angeli non sunt Sponsæ Christi, quia non sunt ipsi conformes in natura secundum conceptum specificum, quæ conuenientia inter sponsum, & sponsam requiritur; sed non minus inter fratres petitur conuenientia specifica, quam inter sponsum, & sponsam: ergo non sunt fratres Christi.

220 *Respōd.*

*Angeli sunt fratres, et spōsæ Christi, licet minus propriè, quā homines.*

*Tenemur ex charitate illos vt proximos diligere.*

Respondeo, negando minorem. Ad illius probationem dicatur, D Tho nō negare absoluté, quod Angeli sint Sponsæ Christi, sed quod ratio sponsæ eis cōpetat cum tanta proprietate, atque conuenit hominibus, ob defectum conuenientiæ specificæ in natura rationali: ex quo solum sequitur, quod fratres Christi non sint cum tanta proprietate, atq; homines ob eiusdē conuenientiæ defectum, quod libenter fatemur: non autē quod fraternitas cum Christo illis absoluté non competat: sunt namque proximi hominum, ideoque ad illos ex charitate diligendos tenemur, vt docet Divus Thomas 2. 2. q. 25. art. 10 ex quo fit, quod etiam sint fratres nostri; ac proinde, & fratres Christi. Si dicas: ad minus sequi ex ista solutione, non esse filios adoptiuos Dei cum tanta proprietate, atque homines, quod falsum esse videtur; siquidē tanta proprietate sunt grati Deo, & ipsi amici. Respondeo, negando sequelam. Nam licet Christi fraternitas cōmitetur filiationem; hæc tamen non commensuratur cum illa, nec penes illam pensatur, sed penés assumptionem ad Dei hæreditatem per gratiam, cum extraneitate ad ipsam, quæ ita proprié conuenit Angelis, atque hominibus.

*Obijcies.*

*Respond.*

221 *Præscitū existentē in gratia esse filiū Dei adoptiuū: probatur.*

Quinto infertur, præscitum existentem in gratia, esse filium Dei adoptivū: cuius oppositum docuisse Gabrielem *in 3. dist. 10. q. vnica*, refert Medina *in præsenti q art. 3. q. 3.* vbi illius sententiā merito, vt temerariam, & hæreticā reijcit; & patet: quia opponitur communi Patrum, & Theologorū cōsensui; quod autem torrenti Doctorum in re graui, & Theologica opponitur, ad minus est temerarium Secundo probat ex Paulo ad Romanos 8. illis verbis: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Quæ propositio cum indefinita, & doctrinalis sit, æquivalet vniuersali; ac proinde omnes, qui Spiritu Dei aguntur, sunt filij adoptiui Dei; at præsciti in gratia, & charitate existentes, sub hac vniuersali continentur: idem enim est Spiritu Dei agi, ac specialiter ab ipso dirigi, quod cōuenit omnibus in gratia existentibus: gratiam autem cōmitantur dona Spiritus Sancti, per quæ fit hæc specialis directio: ergo de fide est præscitum existentē in gratia esse filium adoptiuum Dei; quando enim vniuersalis propositio est de fide, omnes singulares *immediatè* in illa contentæ, sunt etiam de fide *immediatè*. Deinde probatur: nam præsciti existentes in gratia habent in se formā filiationis adoptiuæ; & aliàs sunt huius filiationis capaces, vt pote extranei à diuina hæreditate: ergo sunt filij adoptiui Dei.

*Prob. 1.*

*Secundo.*

*Ad Roman. 8.*

*Tertio.*

222 *Oppones primo.*

Si opponas primo: Augustinum *lib. de correctione, & gratia cap 9* vbi de his, qui temporaliter gratiam recipiunt, in qua tamen perseueraturi non sunt, docet primo, dici à nobis filios Dei, non tamen Deo esse filios, his verbis: *Et sūt rursus quidam, qui filij Dei propter suscep-*

tam

tam (scilicet, temporaliter gratiam) dicuntur à nobis, non sunt tamen Deo. Quod probat ex Epist. 1. Ioannis cap. 1. ibi: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quod si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Et post pauca. *Non erant filij, etiam quando erant in professione, & nomine filiorum, non quia iustitiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt.* Secundo docet; iustos non perseuerantes in gratia, filios appellari à nobis, non tamen verè, quod probat ex illis verbis Ioannis cap. 8. *Si manseritis in Verbo meo, verè discipuli mei estis.* Quæ ita ponderat Augustinus. *Quia ergo non habuerunt perseuerantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita appellabantur; sed tũc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur: si autem perseuerantiam non habent, non verè appellantur, quod appellantur, & non sunt; apud eum enim hoc non sunt, cui notum est, quod futuri sunt.* Hæc Augustinus; sed si reprobi existentes in gratia essent filij Dei adoptiui, tales essent, non solũ nobis, sed Deo, vereq; filij Dei appellarẽtur; vnusquisque nãq; verè appellatur quod est: ergo iuxta Augustinum reprobus in gratia existens filius adoptiuus Dei non est.

1. Ioann. cap. 1.

Ioann. cap. 8.

223 Respond.

Respondeo: Augustinum non negare, reprobum existentem in gratia esse filium Dei secundum præsentem iustitiam, sed tantum esse filium Dei secundum præscientiam prædestinationis, & secundum electionem efficacem æternam: quod patet: nam eam filiationem negat reprobis in gratia existentibus, quam initio capitis concedit prædestinatis in gratia nõ existentibus; sed his non tribuit filiationem secundum præsentem iustitiam, sed tantum secundum prædiffinitionem æternam: ergo illis non negat filiationem adoptiuam secundum præsentem iustitiam, sed secundum electionem, & prædiffinitionem æternam.

224 Oppones secundo.

Si opponas secundo: nam filius adoptiuus est ordinatus ad patris hæreditatẽ; sed reprobus existens in gratia, non est ordinatus ad hæreditatem diuinam, sed potius ab illa exclusus æterna prædiffinitione Dei: ergo filius adoptiuus non est. Respondeo, distinguẽdo maiorem: vt in re absolutè efficaciter habendam, nego maiorem: vt in iure efficaciter, & in re absolutè sufficienter, & conditionatè efficaciter, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam reprobus existens in gratia, etsi non sit ordinatus ad gloriam, vt in re absolutè habẽdam ordinatione efficaci, sed potius ab illa per Dei prædiffinitionem, vt in re habenda exclusus; est tamen efficaciter ordinatus ad illam in iure; habet enim gratiam habitualem, per quam de facto habet ius, vt admittatur ad gloriam, & secundum præsentem iustitiam, est ordinatus sufficienter ad illam, vt in re habendam, & cõditionate efficaciter, quatenus ex vi gratiæ habet ius ad illam in re consequendam sub conditione, quod in gratia decedat, & obstaculũ gratiæ nõ ponat: & hoc sufficit ad rationem filij adoptiui, vt inter homines constat: nõ enim filius adoptiuus Petri, est ordinatus ad eius hæreditatem efficaciter habendam, nisi sub conditione, quod hæreditate Patris indignus non efficiatur.

Respond.

225 Instabis.

Sed dices: adoptio inter homines nõ subsistit sine voluntate absoluta admittẽdi adoptatũ ad hæreditatẽ adoptãtis: ergo pariter filiatio adoptiua Dei subsistere nequit sine voluntate absoluta dandi hæreditatẽ cęlestẽ. Respondeo, negãdo antecedens. Nã etiã si quis adoptaret aliquẽ in filiũ voluntate conditionata, nẽpé, cõferendi hæreditatẽ, nisi se indignũ efficiat, subsistit adoptio humana, imo quãuis regulariter fiat volũtate absoluta, semper conditio illa virtualiter subintelligitur. Duplex tamẽ quoad præsẽs inter humanã, & diuinã adoptionem versatur discrimen: primũ est, quod cũ homo, alteri⁹ indignitatis futuræ cõscius non sit, nec in sua manu habeat, quod permittat, vt fiat indignus, nec in illũ supremo, & absoluto domiñio gaudeat, nõ potest simul cũ voluntate conditionata conferẽdi hæreditatẽ, habere absolutam voluntatem excludẽdi ab illa adoptatum: Deus autem, quia manet supremus dominus gloriæ, & in sua manu habet permittere lapsum, & indignitatem futuram, potest, vel ante indignitatẽ præuisam, vel post eius præ-

Respond.

Duplex discrimẽ inter adoptionem humanã et diuinã. Primum.

uisionem, simul cum voluntate conditionata conferendi gloriam inclusa in voluntate conferendi gratiam, habere volutatem absolutam efficacem excludendi hominem à gloria.

226 *Secundū*

Secundum discrimen est, & ortum ducit ex primo: quod homo ex vi talis voluntatis taliter obligatur ad conferendam hæreditatem, quod nullo modo possit, nisi interueniente indignitate adoptati hæreditatem illi negare: Deus autem voluntate inclusa ingratia conferendi hæreditatem, etsi taliter obligetur, quod non possit illam negare cōnaturaliter perseuerantia in gratia præsuppositā, potest tamen illam negare de potentia absoluta ratione supremi dominij, vt constat ex dictis.

## §. Vltimus.

### *Alia tria corollaria ex dictis.*

227 *Prædestinat⁹ quādo in peccato mortali existit, nō est filiꝰ adoptiuus Dei. Probatur 1.*

SEXTO colligitur: prædestinatū existentem in peccato mortali pro tēpore, quo est in illo, non esse filiu adoptiuum Dei, nec esse dicendum absolutè filium Dei, benè tamen cum hoc addito, scilicet, secundum electionem æternam. Prima pars huius corollarij probatur primo: nam filiatio adoptiua Dei supra spiritualem generationem fundatur; sed prædestinatus pro tēpore, quo est in peccato mortali, non est spiritualiter genitus à Deo; cum careat gratia habituali, quæ est terminus spiritualis generationis: ergo non est filius adoptiuus Dei. *Secundo.* Secundo probatur. Nam pro isto tempore est filius Diaboli, caretq; iure ad hæreditatem diuinam; sed filiatio adoptiua Dei cum Diaboli filiatione non potest componi, nec cum negatione iuris ad Dei hæreditatem: ergo pro tempore, quo prædestinatus est in peccato mortali, non est filius adoptiuus Dei.

228 *Non esse dicēdum absolutè filiū Dei, probatur.*

Secunda pars eiusdem corollarij probatur: nam absoluta denominatio alicuius, sumitur à forma in actu, non à forma prout in potentia, vel vt in futurum habenda; sed prædestinatus existēs in peccato mortali, non habet formam dantem, aut fundantem filiationem in actu, sed tantum in potentia, & pro tempore futuro: ergo nō est absoluté filius adoptiuus Dei. Deniq; tertia pars eiusdem corollarij probatur: nam esse filium adoptiuum Dei secundum electionem æternam, nihil aliud est, quam esse ab æterno electum ad filiationem adoptiuam Dei; sed hoc verum est de prædestinato in peccato mortali existente: ergo est filius Dei adoptiuus secundum electionem æternam.

*Est tamē filius Dei secundū electionē æternā.*

229 *Cōtra 1. partē corollarij, oppones primo.*

Sed contra primam partem corollarij oppones primo: homo *extrinsecè* assumptus, & electus ad alterius hominis hæreditatem, pro quocumque tempore est filius adoptiuus illius: ergo *extrinsecè* ordinatus efficaciter à Deo ad suā hæreditatem, pro quocumque temporis differentia est filius adoptiuus Dei; & consequenter prædestinatus pro tempore, quo existit in peccato mortali, erit filius Dei adoptiuus. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam filiatio adoptiua ciuilis *adæquatè* consistit in ordinatione extrinseca, cessatque talis extrinseca ordinatio indignitate cōtracta ad eundi hæreditatem, ob crimen contra adoptantē commissum, & ideò semper, atque ordinatio extrinseca moraliter perseuerat, saluatur adoptio ciuilis: filiatio autem adoptiua Dei, non consistit in ordinatione extrinseca ad Dei hæreditatem; cū hæc nihil intrinsecum efficiat in sic ordinato, vt de prædestinatione docet D. Tho. 1. p. q. 23. art. 2. filiatio autē Dei adoptiua super intrinsecam formā fundatur, vt constat ex dictis; & alias cum mortali culpa non componitur; & ideò quamuis extet prædicta ordinatio extrinseca, non semper consurgit denominatio filij adoptiui.

*Respondetur.*

230 *Instabis.*

Sed obijcies: sequi ex ista solutione, Deum plus diligere iustum reprobum, quam peccatorē prædestinatum; cōsequēs est falsū ergo & solutionis doctrina. Minor probatur: nā Deum diligere aliquem, est velle illi bonum: ergo magis diligere est velle maius bonum, vt docet D. Th. 1. p. q. 20. art. 3. sed peccatori

catori prædestinato vult Deus maius bonum, quam reprobo existenti in gratia: illi namque vult Deus bonū gratiæ, & gloriæ, illi verò solum bonum gratiæ: maius autem bonum est gratia, & gloria simul, quam sola gratia: ergo magis diligit peccatorem prædestinatum, quā reprobum iustum. Sequela autem probatur: Deus magis diligit filium, quam non filium; sed iustus reprobus est filius Dei adoptiuus; peccator autem prædestinatus, filius adoptivus Dei non est: ergo magis diligit iustum reprobum, quam peccatorem prædestinatum.

231 *Respod.* Respondeo, distinguendo consequens: relato amore Dei ad *tunc* existētiæ reprobi in gratia, & prædestinati in peccato, concedo sequelam: relato amore Dei ad tempus perseuerantiæ finalis, nego consequentiam, nec probatio falsitatis consequentis obstat distinctioni traditæ: nam Deus non vult bonum gloriæ peccatori prædestinato pro tempore, quo est in peccato, sed pro tempore perseuerantiæ finalis: ac proinde ex eo quod Deum magis amare, sit velle maius bonum, non sequitur magis amare peccatorem prædestinatum, quam reprobum iustum pro tempore iustitiæ vnius, & peccati alterius, sed tantum pro tempore finalis perseuerantiæ; imo oppositum colligitur: nam iusto reprobo vult Deus bonum habitualis gratiæ pro tempore quo existit in illa: peccatori autem prædestinato pro tēpore, quo est in peccato, solum vult bonum naturæ, & aliqua gratiæ auxilia, nō verò gratiam habitualem; ac per cōsequens pro tunc temporis, magis diligit Deus iustū reprobum, quam peccatorem prædestinatum, quod docuit D. Th. *in 3. dist. 32. q. 1. art. 5. quæstiunc. 1. & 1. p. q. 20. art. 4. ad 5.* vbi Magister Bañez, Zumel, Nazarius, Albelda, & ex Patribus Societatis Molina in eo gradu certitudinis, vt oppositum censeant proximum errori Ioannis Ius, damnato in Concilio Constancienſe *ſeſ. 15.* asserentis, prædestinatum nunquam esse membrum Diaboli Medina vero *in præsenti art. 3. q. vnica*, censet esse dogma fidei.

*An Deus magis amet peccatorem prædestinatū quā reprobū iustum?*

S. Thom.

232 *Vrgebis.* Sed instabis: nam ad minus *ex 2. p. corollarij* sequitur, absolutè esse dicendum, Deum magis diligere iustum reprobum, quam peccatorem prædestinatum; consequens est falsum: ergo & solutio. Falsitas consequentis probatur: nam Deum absolutè diligere aliquem, est velle illi bonum: ergo magis absolutè diligere, est velle maius bonum absolutè; sed Deus vult peccatori prædestinato maius bonum absolutè, quam reprobo iusto: ergo absolutè magis diligit peccatorem prædestinatum, quam reprobum iustum. Sequela autem ita probatur: nam Deus absolutè diligit magis filium absolutè talem, quam nō filium absolutè, sed cum addito diminuente à locutione absoluta; sed peccator prædestinatus, non est absolutè filius, sed non filius absolutè; iustus autem reprobus absolutè filius est, vt *in 2. p.* nostri corollarij docuimus: ergo sequitur ex illa, Deum plus absolutè diligere iustum reprobum, quam peccatorem prædestinatum.

233 *Iudicium M. Bañez, & aliorum circa difficultatē propositi* Huic obiectioni diuersimodè respōdetur à Theologis, Bañez *vbi supra* tria docet. Primum est, absolutè esse dicendum, Deum magis diligere prædestinatū, quam non prædestinatum. Secundū est, absolutè esse dicendum, Deū magis diligere iustum, quā non iustū; quia fit sēsus relatus ad tēpus iniustitiæ, & iustitiæ, pro quo certum est, Deum magis diligere iustum, quam non iustum, quia vult illi maius bonum. Tertium est, istā propositionem: *Deus magis diligit peccatorem prædestinatum, quam iustum præscium*, absque distinctione concedendam non esse, sed potius negandā, quia secundum eius formam, fit sensus referens excessum amoris Dei ad tempus iustitiæ reprobi, & peccati prædestinati, quod fateri, erroneum est. Idem docent Zumel, Molina, & Albelda.

234 Iuxta quam doctrinam est obiectioni factæ occurrendum, concedendo sequelam, & negando minorem. Ad illius probationem, concesso antecedenti, distinguendum est consequens: absolutè plus diligere, est velle maius bonū absolutè, *ly absolutè* cadēte supra bonū tantum, nego consequentiam: determinante dilectionem diuinam, concedo consequentiam: & sub eadem distinctione minoris, neganda est secunda cōsequentia: quia licet Deus velit prædesti-

nato

nato peccatori bonum absolutè maius, quam reprobo in gratia existenti, non tamen absolutè vult illi maius bonum, quia in loquutione absoluta, iuxta præfatos Auctores, ex vi formæ propositionis refertur excessus amoris ad tempus iustitiæ, & iustitiæ.

235 *Si illis opponatur.*

Quod si in contrarium opponas: Deus absolute magis diligit prædestinatum, quam non prædestinatum; sed peccator prædestinatus est, iustus autem nō prædestinatus: ergo absolutè magis diligit peccatorem prædestinatum, quam reprobum iustum. Facile occurrere poterunt, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. nam variatur relatio amoris diuini ex vi formæ dictarū propositionum, propter diuersas conditiones positas ex parte obiecti: in maiori namque ponitur ex parte obiecti *prædestinatum, & non prædestinatum*; & ideo refertur excessus amoris ad instans finalis perseuerantiæ, inconsequenti ponitur ex parte obiecti conditio peccati, & gratiæ, & ideo refertur excessus amoris ad tempus gratiæ, & peccati. Ex eo autem quod Deus plus diligat pro instanti perseuerantiæ finalis, non sequitur plus diligere pro tempore gratiæ, & peccati, atque adeò consequentia facta est nulla ex vi terminorum.

*Respondebunt.*

236 *Prædicta doctrina impugnatur.*

Cæterum constra istam doctrinā obstat apertum Angelici Præceptoris testimonium *in 3 dist. 32. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 1.* illis verbis: *Dicendum ad primam quæstionem, quod Deus simpliciter loquendo maius bonum vult peccatori prædestinato, quam iusto præscito; sed vt nunc vult iusto præscito. Hæc autem determinatio, vt nunc, non cadit ex parte dilectionis, sed magis ex parte obiecti: quia dilectio Dei non variatur per tempora. Ab æterno enim isti prædestinato voluit maius bonum: vnde simpliciter concedendum est, quod magis diligit prædestinatum, quam præscitum.* Hæc D. Thomas: idem docuit ad Annibaldum *in eadem dist. quæst. vnica art. 4. ad finem.* Ex quibus manifeste colligitur, Deum absolute loquendo, magis diligere peccatorem prædestinatum, quam iustum præscitum. Tum; quia id absolutè est concedendum, quod simpliciter est verum; at D. Thom. docet simpliciter magis illum diligere: ergo absolutè. Tum etiam; nam ly *simpliciter* contraponit D. Thomas loquutioni cum addito *vt nūc*: ergo sumit *simpliciter* pro *absolute*.

*Deus absolute loquendo plus diligit peccatorē prædestinatū quā reprobū iustū.*

Tum denique: nam si absolute nō esset proferenda, maximè quia ex vi formæ propositionis referretur excessus dilectionis diuinæ ad *nunc* iustitiæ vnius, & iniustitiæ alterius; at hoc expresse negat D. Thom. & rationem efficacem reddit; quia nempè, dilectio diuina, quæ est prædicatum prædictæ propositionis, per tempora non variatur, sed ab æterno conuenit Deo; vnde hæc propositio est vera: *Deus ab æterno voluit prædestinato gloriam*, quæ est maius bonum, quam gratia, ac per consequens absolute prolata, nullum determinat tempus: ergo iuxta Diuum Thomam absolute est cōcedendum, Deum plus diligere peccatorem prædestinatum, quam iustū præscitum.

237

Quod amplius confirmare possumus: hæc namque propositio absolutè sumpta, est vera: *Deus ab æterno vult Petro peccatori gloriam*, quin ex hac sequatur referri amorē Dei ad tempus existentiæ peccati: ergo etiam hæc propositio, absolutè sumpta, est vera: *Deus ab æterno vult Petro peccatori maius bonum, quam iusto præscito*, quin ex forma propositionis referatur excessus amoris ad tempus iustitiæ vnius, & iniustitiæ alterius; sed Deum magis diligere, est velle maius bonum: ergo est absolutè asserendum, Deum plus diligere peccatorem prædestinatum, quam iustum præscitum, quin ex hoc prædictum inconueniens, vel determinatio inferatur. Et quidem Præfati Auctores trepidauerunt timore, vbi non erat timor; cum doctrina D. Thomæ, ita manifesta sit, vt omnem timorē pellat. Diuum Thomam sequitur Durādus *in 3. dist. 32. num. 7.* & Magister Medina *in præsenti art. 3. quæst. vnica.*

238 *Confirmatur.*

Vnde ad obiectionem factam respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, nego maiorem. Nam denominatio filij absolutè sumitur à forma præsenti: denominatio autem diligentis in Deo, non petit præsentem bonitatem causatam, sed præsentem, vel futuram, & quia in peccatore prædestinato datur bonitas futura maior quam illa, quæ in iusto reprobo de præsenti inueni-

239 *Vera solutio.*

nenitur: fit, quod quamuis ille non dicatur absolute filius, iste vero filius absolute dicatur, Deus absolute plus diligat peccatorem prædestinatum, quam iustum præscitum, quia sicut absoluta denominatio diligentis in Deo, non petit bonitatem præsentem, ita denominatio plus diligentis, præsentem excessum bonitatis causatæ non petit.

240 *Veteres Patres in gratia existētes, ue fuerūt filij adoptiui Dei.*

Septimo infertur ex dictis: Patres veteris testamenti in gratia, & charitate existentes veré fuisse filios adoptiuos Dei, quod Medina *in præsenti art. 3. quæst. 2 conclusione 1.* docet esse secundum fidem tenendum, & probat pluribus testimonijs scripturæ, quæ apud ipsum possunt videri, Nobis probare sufficiat primo; nam Patres Antiqui in charitate existentes, vere fuerunt iustificati; at iustificatio ex Tridentino sessione 6 de iustificatione cap. 4. *Est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum*: ergo Antiqui Patres ex vi iustificationis vere fuerunt translati in statum gratiæ, & adoptionis filiorum; & consequenter vere, & absoluté fuerunt filij adoptiui Dei.

*Probatur primo*

241 *Confirmatur.*

Et quidem quamuis lex Antiqua fuerit à nostra distincta, iustificatio tamen hominum illius legis eiusdem rationis fuit cum nostra iustificatione, vtpoté facta per formam eiusdem rationis, nempé, gratiam habitualem; at iustificatio nostra non solum delet peccata, sed etiam confert filiationem adoptiuā, vt constat ex Tridentino: ergo etiam iustificatio hominum veteris legis non solum delebat peccata, sed etiam conferebat filiationem adoptiuam.

242 *Secundo.*

Secundo probatur: nam gratia habitualis est forma præbens formaliter filiationem Dei adoptiuam; sed gratia Antiquorum Patrum fuit eiusdem rationis cum nostra: ergo illis contulit filiationem eiusdem rationis Tertio: nam esse filium adoptiuum Dei, est esse spiritualiter genitum cum iure ad cælestem hæreditatem; sed patres veteres vere fuerunt spiritualiter à Deo geniti per gratiam, iusque ad hæreditatem cœlestem consequenter habebant: ergo veré, & proprié fuerunt filij adoptiui Dei.

*Tertio.*

243 *Quarto.*

Denique: nam si veré, & proprié filij adoptiui nō fuissent, maximé quia vsque ad aduentum Christi non patebat illis aditus ad cœlestem hæreditatem; sed hæc ratio nulla est: ergo vere, & proprié fuerunt filij adoptiui Dei. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primo: nam de ratione filij non est actualis hæreditatis possessio, vt constat in filio naturali, in quo vera filiatio naturalis saluatur, quamuis aliquando à possessione hæreditatis deficiat, quia iure ad illam non caret. ergo ex eo quod iustis veteris testamenti non pateret aditus ad actualē possessionem hæreditatis vsque ad aduentum, & passionem Christi: non sequitur, veré filios adoptiuos non fuisse. Secundo: nam ex oppositio fieret, nec Beatissimam Virginem ante aduentum Christi Domini, nec Baptistam, aut Apostolos ante Christi passionem, & mortem veré fuisse filios adoptiuos Dei; cū expeditum hæreditatis cælestis aditum non haberent; consequens absurdum est: ergo fateri tenemur inexpeditionem aditus ad cælestem hæreditatem, minimé obstare posse, quominus Antiqui Patres veré fuerint filij Dei adoptiui.

*Minor prob. 1.*

*Secundo.*

Contrarium huius doctrinæ docuisse quosdam suæ ætatis innominatos Auctores, refert Medina *vbi supra*, idque tenuisse Alexandrum *3. p. quæst. 3. art. 5.* refert Vazquez *in præsenti disp. 88 cap. 2.* cui adiungit Magistrum Soto *in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. §. sexta subinde.* Sotus tamen ibi non negat fuisse filios adoptiuos adoptione eiusdem rationis cum nostra, sed solum cum eadem perfectione, & plenitudine, eo quod ad paternā hæreditatem ante Christum passum nō admittebantur. §. enim *sequenti* negat, gratiam illius status fuisse eiusdem perfectionis quoad facere amicos Dei cū nostra gratia habituali, quam tamen fatetur, fuisse eiusdem rationis, & eodem modo loquitur de filiatione, quare falsissimé, & sine vllo fundamento Magistro Soto attribuit tam absurdam sententiam Quidquid tamen de hoc sit

244 *Cōtraria sententia cum suis Auctoribus.*

Pro illa videntur facere, verba illa Pauli ad Galatas 4. ibi *Ita & nos cum essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes, at vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere,*

245 *Opponūt Apostoli testimonium.*

*factum*

*factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*: ergo iuxta Apostolum, Iudæi omnes, etiam in gratia, & charitate existentes, serui erant, & non filij. Patet consequentia primo: nam de seipso, & omnibus suæ gentis docet, quod cum essent parvuli, ideſt, sub statu legis antiquæ ante statum legis nouæ, erant sub elementis mundi seruientes: ergo sentit sub eo statu fuisse seruos, & non filios. Tùm etiam: nam asserit, Deum ad hoc misisse filium, vt adoptionem filiorum illi, qui sub statu legis seruiebant, reciperent: ergo ante Christi aduentum non fuit adoptio filiorum; & consequenter Patres Antiquæ legis in gratia, & charitate existentes, filij adoptiui non erant.

*Cõsequentia prob. primo.*

*Secundo.*

246 *Illis non fauet sed potiꝰ pro nobis stat.*

Respondeo, testimonium hoc in nullo traditæ doctrinæ aduersari, quin potius illi fauere, & illam valide confirmare: quod patet: nam Apostolus in principio illius capitis introducit parvulum hæredem, qui quanto tempore parvulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tẽpus à Patre, quod quidem de non discrimine à seruo in apparientia exteriori, necessario debet intelligi; aliàs componi non posset, quod omnium dominus esset; & huic æquiparat populum Iudaicum sub statu legis degentem, quia lex erat parvulorum: ergo cum addit: *Ita & nos, cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus seruientes, &c.* Non loquitur de seruitute reipsa, quæ cum filiatione opponitur, sed de seruitute apparenti, & quoad statum.

247 *Ad obiectionem respõd. 1. Ad 1. probationẽ consequẽtiæ.*

Ad argumentum ergo respondeo, negando consequentiam. Ad primam probationem dicatur, omnes Iudaicæ legis cultores seruos triplici ratione fuisse. Primo *negatiuè* ex vi legis, ideſt, vi legis attenta, quia hæc, vi ad iustificandum carebat; & consequenter ad filium Dei adoptivum faciendum, iuxta illud Pauli ad Galatas 3. *Hoc solum à vobis volo discere ex operibus legis spiritum accepistis; an ex auditu fidei?* Et infra: *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit.* Quia ergo lex scripta vim iustificandi non habebat; ac per consequens, nec præstandi filiationem adoptiuam, omnes cultores illius erant serui ex vi legis *negatiuè*, ideſt, non filij ex vi illius. Secundo, erant serui quoad statum, quia etiam sancti sub illa lege viuentes adito expedito ad Dei hæreditatem carebant; erat enim illis occlusa ianua cœlestis vsque ad Christi aduentum, Mortem, & Resurrectionem, & in Cœlos Ascensionem.

*Iudaicæ legis cultores dicebantur serui triplici ratione. Prima.*

*Secunda.*

Tertio: erant serui in exteriori apparientia, quia lex vetus temporalia promittebat, & temporales comminabatur pœnas, iuxta illud Isaiæ cap. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; quodsi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Et quia proprium est seruorum pœnas temporales timere, & ad commoditates temporales attendere, omnes illius legis cultores cæremonias legis seruantes, serui exterius apparebant; cum hoc tamẽ discrimine, inquit D. Th. *ibi lect. 2* quod aliqui erant simpliciter serui, illi nimirum, qui solo timore pœnarum, & temporalium amore, quæ lex promittebat, legi obediebant. Alij autem non erant serui simpliciter, sed quasi serui existentes, erant veré filij, & hæredes, quia licet exterius ad temporalia attenderent, & pœnas corporales legem obseruantes vitarent, in his finem non ponebant, sed accipiebant ea, vt figuram spiritualium bonorum; vnde licet exteriꝰ nihil à seruis differrent, in quantum cæremonias, & alia legis mãdata seruabant; erãt tamen veré domini, quia non ea intentione illis vtebantur, vt serui. Qua interpretatione adhibita verbis Pauli, neganda est consequentia: nam cum seruitute negatiua, ex vi legis; cum seruitute quoad statum, & exteriori apparientia, compatitur vera dominatio, & filiatio.

248 *Tertia.*

*Isai. c. 1.*

Et ex his ad secundam eiusdem consequentiæ probationem dicatur: Apostolum loqui de adoptione quoad illas perfectiones, quibus adoptio Sanctorũ Antiquæ legis carebat, & adoptio sic accepta post Christi aduentum fuit data; data enim est per Christum lex, quæ vim habet iustificandi, & filios adoptiuos faciendi, per quod fuit prima illa imperfectio ablata, fuit ianua cœlestis aperta,

249 *Ad secundam.*

ta, & per hoc ablata secunda, homines etiam non timore pœnarum corporalium, & amore temporalium bonorũ fuerunt ad legis obseruantiam inducti, sed spiritualium bonorum amore, & timore spiritualium pœnarum, per quod fuit triplex illa imperfectio exclusa.

250 *Secundo respondetur.*

Vel secundo responderi potest, iustos sub antiqua lege viuentes, considerari posse dupliciter. Primo, vt ritus, & cæremonias legis antiquæ obseruantes, & vt sic ad vetus testamẽtum pertinebant, nec erant sancti, nec filij, quia ex vi legis, non dabatur illis sanctitas, nec filiatio Dei adoptiua, sed potius serui apparebant. Secundo, vt in Christum fide viua credentes, & prout sic iusti erant, atque filij Dei adoptiui: iustitiam namque non ex operibus legis, sed ex auditu fidei accipiebant, iuxta illud Pauli ad Galatas 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et illud: *Ex fide iustificat gentes Deus*: vt sic autem non ad vetus testamentum, sed ad nouum pertinebant, vt ex Augustino *lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4.* docet D. Thom. *2. 2. quæst. 106. art. 1. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti, nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam. Per fidem autem Christi pertinet homo ad nouum testamentum, vnde quibuscumq; fuit lex gratiæ indita, secundum hoc ad nouum testamentum pertinebant.*

*Patres veteres vt in Christum credẽtes, ad nouũ testamentũ pertinebant.*

*Ad Galatas 3.*

S. Tho.

251 *Ad formã argumenti.*

*Ad primam probationẽ consequẽtiæ.*

Iuxta quam interpretationem acceptis verbis Pauli, neganda est consequentia. Ad primam probationem explico, & distinguo antecedens: erant serui, & non filij, quatenus ad vetus testamentum pertinebant, concedo antecedens: quatenus per fidem Christi ad nouum testamentum pertinebant, nego antecedens, & consequentiam. Ad secundam probationem, distinguo consequens: ante aduentum Christi nõ fuit adoptio filiorum per fidem Christi vẽturi, & intuitu meritorum illius vt præuisi in intentione, nego consequentiã: ex vi legis, & sine fide Christi, concedo consequentiam. Et quidem, etiam misit Deus filium suum, vt per ipsum iustitiam reciperemus, ex quo non licet colligere ante Christi aduentum nullum iustificatum fuisse, sed solũ, quod ex vi legis nullus fuerit iustificatus, sed ex meritis Christi venturi, & ex fide illius prout sic, per quam homines Antiquæ legis mente Christo iungebantur, & non ad vetus, sed ad nouum testamentum pertinebant.

*Ad secundam.*

Et ex his interpretanda veniunt verba Pauli ad Romanos 8. *Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Ex quibus videtur colligi Patres Antiquæ legis non habuisse spiritum adoptionis: ac per consequens, filios adoptiuos non fuisse. Sed illorum sensus ex dictis fit manifestus; intendit enim Paulus differentiam legis veteris, à noua lege explicare, per hoc, quod in noua per fidem spiritum filiationis Dei accipimus, quem lex vetus non præstabat, sed spiritum seruitutis, vnde, & cum tremore lex data est, vt explicat D. Thom. *ad Galatas 3. lect. 2. paulò ante finem*, per hoc tamen non excluditur, quin iustis Antiquæ legis datus fuerit spiritus adoptionis, non per legem, sed per fidem Iesu Christi, per quam, vt ex D. Thom. vidimus, ad nouum testamentum pertinebant, vtpotẽ Christo capiti incorporati, & vniti.

252 *Aliud testimoniũ Apostoli ponderatur, & explicatur.*

Hinc etiam interpretationem accipiunt verba illa Ioannis 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Deifieri.* Ex quibus videtur colligi cõtra doctrinam traditam huiusce modi potestatem nulli fuisse ante aduentum Christi datam; ac per consequens Patres veteres, & si in gratia, & charitate, filios Dei adoptiuos non fuisse. Hoc tamen minimè infertur, sed solum accepisse potestatem adoptionis cum illa perfectione, & plenitudine, quæ antiquæ legis cultoribus non conueniebat, iuxta primã solutionẽ, vel quod ante Christi aduẽtũ nulli ex vi legis ista potestas fuerit cõmunicata: non autẽ quod per fidẽ Christi vẽturi, per quã ipsi vniebãtur, vt capiti, & ad nouum testamentum pertinebant, hæc potestas iustis testamẽti veteris non competierit.

253 *Alio Ioannis testimonio occurritur.*

Deniq; ex dictis colligitur, quatuor esse gradus filiationis adoptiuæ. Primus, & imperfectissimus est, reproborum existentium in gratia. Secundus, iustorum, qui prædestinati erant ad legem veterem pertinentium. Tertius, prædestina-

254 *Quatuor gradus filiationis adoptiuæ assignantur, & inter se cõparantur.*

ſtinatorum in gratia exiſtentium, & ad nouam legem pertinentium. Quartus, & omnium perfectiſsimus eſt beatorũ, iam Deum videntium. Prima pars huius corollarij probatur: nam ius efficax, & infallibile cõſequendi hæreditatem, eſt magna filiationis adoptiuæ perfectio, ſed iſta perfectione carent reprobi in gratia exiſtentes, & illam habent cæteri filij adoptiui ad tres gradus enumeratos pertinentes: ergo gradus ille primus eſt minus perfectus alijs. Nec obſtat, prædeſtinatos ad antiquam legem ſpectantes, quatenus ſub illo ſtatu, imperfectiones aliquas habuiſſe, quibus carent reprobi ſub lege noua in gratia, & charitate exiſtentes: nam ius abſolutum, efficax, & infallibile conſequendi hæreditatem cœleſtem, eſt adeò magna filiationis adoptiuæ perfectio, quod per illam cæteri reſartiantur defectus, & abſolutè gradum illum filiationis excedat.

*Primus eſt omniũ imperfectiſsimus.*

*Cuidam obiectioni occurritur.*

**255** *Secundũ gradũ à tertio excedi probatur 1.*

Deinde ſecunda pars corollarij probatur: nam iuſtis Antiquæ legis non erat expeditũ aditus ad cœleſtem hæreditatem vſque ad Mortem, & Paſsionẽ Chriſti; benè tamen iuſtis prædeſtinatis ad legem nouam ſpectantibus; & aliàs in iure efficaci, & infallibili ad hæreditatem cõueniunt: ergo gradus iſte tertius, ſecundum in perfectione excedit.

**256** *Secundo*

Præterea: nam iuſtis præſentis ſtatus, apertius reuelata fuerunt arcana, & ſecreta cœleſtia, quam ſanctis veteris legis; cognitio autem manifeſtior ſecretorum Dei, qui eſt amicus, & pater, perfectio eſt filiationis, & amicitiæ diuinæ; vnde Chriſtus Ioannis 15. ad Apoſtolos aiebat: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*; ac ſi hæc plena, & aperta arcanorum reuelatio, illos ab ſtatu ſeruorum ad ſtatum filiationis, & amicitiæ tranſtulerit, ob quam cauſam, teſte Angelico Doctore *ad Galatas 4. lect 2.* Paulus ſtatum legis antiquæ cum ſtatu legis nouæ comparatum, aſsimilat parvulo, *propter imperfectionem cognitionis* (inquit D. Thom.) *in eius comparatione.*

*Ioan. 15.*

**257** *Tertio.*

Denique: nam iuſti præſentis ſtatus vniuntur Chriſto, vt capiti per influxum effectiuum, vtpote iam præexiſtẽti, & virtualiter permanenti; iuſti autẽ legis antiquæ vniebantur Chriſto, vt capiti per influxum, quaſi finalem præſtitum per ſui apprehenſionem, vt futuri, vt explicat D. Thom. *q. 29. de Veritate art. 4 ad 9.* vniri autem capiti, vt effectiuè influenti, eſt modus perfectior vnionis, quam per influxum finalem; & conſequenter aliquatenus filiationem adoptiuam perficit.

Tandem vltima pars noſtri corollarij probatur: nam in ſtatu beatitudinis filiatio adoptiua inamiſsibiliter poſſidetur, non ſolum eſt ius adeundi hæreditatem, ſed ipſius hæreditatis iucunda, & perẽnis poſſeſsio, eſt etiam aſsimilatio ad Deum, nedum per analogam cõuenientiam in natura, ſed etiam per actualem viſionem, iuxta illud 1. Ioannis 3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt.* Ac denique in illo ſtatu eſt perfectiſsima cognitionis plenitudo viſo Deo facie ad faciem, non per ſpeculum, & in ænigmate, qualiter in via cognoſcitur, quæ omnia valde perficiunt filiationem adoptiuam, & alijs ſtatibus non competunt: ergo gradus filiationis beatorum eſt omnium perfectiſsimus.

**258** *Quartus gradus filiationis Beatorũ omnes alios excedit, probatur ratione.*

Quod à Paulo ſatis inſinuatum videtur ad Romanos 8. illis verbis: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes*; nempé, filiationem gloriæ, quæ adeò excedit ſtatum adoptionis viæ, vt adoptio dicatur expectari ab his, qui ſunt in ſtatu viatorum, ac ſi adoptione carerent: & ob eundem exceſſum, teſte D. Thom. *ad Galatas 4. lect 2. in principio*; Paulus aliquando aſsimilat paruulo ſtatum antiquæ legis, nẽpé *in capite allegato*, aliquando ſtatum præſentis vitæ, ſcilicet 1. Corinth. 13. illis verbis: *Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, &c.* illum nimirum comparatione ad ſtatum legis gratiæ, & iſtum comparatum cum gloria.

**259** *Confirmatur ex Apoſtolo*

Cuius ratio eſt, inquit Divus Thomas: *Quia ſtatus veteris legis eſt ſicut paruulus propter imperfectionem cognitionis, in comparatione ad ſtatum gratiæ, & veritatis, quæ per Chriſtum facta eſt. ſic ſtatus præſentis vitæ, in qua videmus per ſpeculum*

**260** *S. Thom.*

in

M. Sent

*in ænigmatè, est sicut parvulus comparatus statui futuræ vitæ, in qua est perfecta Dei cognitio, quia videtur sicuti est.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in primo distinctione 17. §. 6.* ad illa verba: *Hoc solum est, quod diuidit inter filios Regni, & filios perditionis.* Et *in tertio distinctione decima §. tertio*, ad illa verba: *Sicut nos dicimur adoptiui filij, quia cum natura fuerimus ire filij, per gratiam facti sumus filij Dei.*

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA TERTIA.

## An Christus, in quantum homo, sit Filius adoptiuus Dei?

### §. I.

*Relatis sententijs, vera eligitur, & auctoritate probatur.*

Nu. 1. *Christus, vt Deus, Filius adoptiuus nō est.*

CHRISTVM, vt Deū, vel vt subsistētem in natura diuina Filium adoptivū nō esse, nemo ex catholicis negat; est enim veritas fidei, esse vt sic filiū naturalem Patris, ipsi consubstantialem, & coæternum; ac proinde incapacem filiationis adoptiuæ, quæ extraneitatem in persona adoptanda præexigit, hoc est, negationem filiationis naturalis, iurisque ad hæreditatem conuenientis ipsi ex vi suæ generationis. Secundo fatetur Durādus, & ni fallor omnes Theologi, non esse absoluté asserendū, Christum esse Filium adoptiuum Dei; cum enim absoluté de Christo enuntietur esse filium Dei naturalem, nequit filiatio adoptiua, naturali opposita, & quæ talis est secundum quid, de Christo absoluté prædicari. Vnde tota difficultas in eo posita est: an Christo, vt homini competat esse Filium adoptiuum Dei?

*Christus non debet dici absolutè, filius adoptiuus Dei.*

2 Prima sentētia *Baron.*

Qua in re duplex é regione opposita versatur sententia Prima, affirmans est, quam teste Baronio *tom. 8. ad annum 636. & tom. 9. ad annum 794.* Primus docuit in Hispania quidam Pseudo-Episcopus successor Diui Isidori, qui depositus, in Mauritanam sectam transijt, Therdiscus nomine natione Græcus. Hunc antesignanum sequuti sunt Felix Vrgelitanus Episcopus, & Elipādus Archiepiscopus Toletanus, qui vixere *ad annum Domini 783.* eo tempore, quo Hispania duro captiuitatis iugo

à Mauris opprimebatur. Eandem sententiam, & forsitan, in diuerso ab illis sensu, tenuerunt ex catholicis Durandus *in 3. dist. 4. q. 1. num. 5.* & Basolis, quamuis non sine formidine *in 3. dist. 10. q. 1. art. 2.* referuntur etiam pro illa Scotus *in eadem dist. q. 1.* & *in Reportatis in 3. dist. 10. q. etiam 1.* verum Scotus *in vtroque loco allegato, argumentatiuè* magis, quam *resolutiuè* procedit, magisque in negatiuam sententiam inclinat, quod in causa fuit, vt eius discipuli varié illū interpretentur, & vnusquisque in suam trahat sententiam. Scoto adiunguntur Tartaretus, Maior, Rubion, Richardus, & Hugo Cauelus, quos refert, sequitur que Franciscus del Castillo *in præsenti disput. 17. q. 1. p. 3.* totis viribus contendens, Scotum sententiā istam tenuisse.

*Durand. Basolis. Scotus. Castillo.*

**3** Secūda, & vera sententia.

Secunda sententia docet, Christum, in quantum hominem, filium Dei adoptiuum non esse, nec dici posse. Hanc tenent communiter Theologi. Mag. Sententiarum *in 3. dist. 10. § 2.* & *3.* pro illa referens Augustinum *tract. 74. in Ioā.* nem. Et *lib. de fide ad Petrum.* Hieronymum *super epistolam ad Ephesios.* Hilariū *lib. 3. de Trinit.* & Ambrosium *lib. 1. de Trinit.* quibus relatis, ita concludit Magister: *Ex his euidenter ostendetur, quod Christus non sit filius gratia adoptionis.* Magistrum, sequuntur Albertus Magnus *dist. relata art. 13.* Bonaventura *art. 2. q. 1.* Maior *quæst. vnica conclus. 2.* tametsi in tertia concedat, Christum habere adoptionem, ideſt, humanitatem adoptatā, quod etiam docuere Almainus, & Gabriel, teste Vazquio *vbi infra cap. 4.* Eandem sententiam sine hoc additamento docuere Capreolus *in 3. dist. 4. art. 1. conclusione 3.* & *art. 3. ad 2. contra 3. cōclus.* & Hispalensis *dist. 10. q. 2. art. 3.* & 4. In eadem sententia perpetuus fuit Diuus Thomas, eam docuit *ad Romanos 1. lect. 1. ad Hebræos 1. lect. 1. Matthæi 16.* ad illa verba: *Tu es Christus Filius Dei viui, q. 29. de Veritate art. 1. ad 4. in 3. dist. 4. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1.* Et *dist. 10. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in 3. ad Annibaldum dist. 4. q. vnica art. 2.* Et *dist. 10. q. vnica art. 3. in hac 3. part. supra q. 7. art. 1. ad 2. infra q. 32. art. 3. in corpore,* & *in præsenti q. 23. art. 4.* Vbi Caietanus, & Medina *in commentario articuli.* Aluarez *disp. 75.* Nazarius *controuersia 1.* Cabrera *disp. 1.* Vincentius *select. de Gratia Christi pag. 122.* Lorca *disp. 89. membro 4. conclus. 2.* Illustrissimus Arauio *dub. 4.* aliique Recentiores. Tenent etiam ex discipulis Scoti ex propria, suiq; Doctoris mente, Pitigianus *in 3. dist. sect. 10.* Philippus Faber *dis. 23. cap. 1.* & Radda *3. p. controuers. 5. a. 2.* eidem sententiæ adhærent ex Patribus Societatis Suarez *in præsenti dis. 49. sect. 2.* & *3.* Vazquez *disp. 89. cap. 6.* Beccanus *cap. 18. q. 4.* Granadus *de Incarnat. disp. 59. sect. 1.* Cardinalis Lugo *disp. 31. sect. 1.* Puente Hurtado *dis. 83. sect. 1.* & *seqq.* Omnesque Recentiores ex eadem familia.

*Aluar. Nazar. Cabrera. Vincent. Lorca. Araujo. Pitigian. Faber. Radda. Suar. Vazq. Beccan. Granad. Lugo. Hurt.*

**4** *Affirmatiua sententia diuersimodè censuratur.*

Licet autem omnes allegati Auctores in sententia conueniant, in censura oppositæ dissident. Antiquiores, quos Concilium Francofordiense latuit, nulla illam censura notarunt, post Concilium tamē hoc euulgatum, quidam sententiam oppositam cēsent hæreticam, & aperté à Cōcilio damnatam. Ita Vazquez, cui plures adhærent, & inter alios ex discipulis Scoti Philippus Faber *vbi supra*, & ex nostris Aluarez *loco allegato conclus. 3.* Alij per extremum nulla censura esse dignam in sensu, quo à Durando, & alijs catholicis Doctoribus præfata sententia defenditur. Ita Lorca *disp. allegata membro 3.* Alij, etsi hæreticam illam non censeant, docent tamen esse omninò improbabilem. Ita Medina *in Commentario articuli ad finem.* Et *q. 29.* & Suarez *disp. allegata sect. 4. conclus. 6.* Alij denique non solum improbabilē, & temerariam sententiam illam existimant, sed etiam errori proximam, & sapientem hæresim. Ita Illustrissimus Arauio *dub. 4. dist. 3.* de quo quid sentiendum sit, ex dicendis inferemus. Modò sit Nostra conclusio.

*Medina.*

**5** *Cōclusio.*

*Christus, in quantum homo, non est Filius adoptiuus Dei.* Probatur primo ex Concilio Francofordiense, Adriani Primi auctoritate cōgregato anno Domini 594. quod habetur *tom. 3. Conciliorum part. 2. pag. 411.* & licet generale non fuerit, sed nationale trecentorum Episcoporum ex Gallia, Germania, & Italia, quia tamen congregatum fuit auctoritate Adriani, & illius Legatis Præsidentibus celebratum, ac denique

*Prob. 1. ex Concilio Francofordiensi.*

ab ipso confirmatum plenæ, & perfectæ est auctoritatis. Igitur in præfato Concilio hæc propositio: *Christus fuit proprius Dei Filius, non adoptiuus*, non semel, aut iterum, sed multoties pronũtiatur. Ita expresse in epistola Adriani pagina 412. columna 1. ibi: *Nomen Paternum tunc manifestauit hominibus, cum se Patris Filium verum, & non putatiuum, proprium innotuit, & non adoptiuum.* Eadem propositio habetur *in libro Sacrosyllabo pag. 415. columna 2. & pag. 416. columna 1. & 2. & pag. 418. in principio, & post medium.* Et in epistola ad Episcopos Hispaniæ *pag. 419. columna 1.* his verbis: *Etsi verus Deus, etiam & verus Filius, etsi verus Filius nequaquam adoptiuus, quia adoptiuus, sicut in testimonio Sancti Hilarij positum est, non verè natura est Filius.* Et pag. 422. columna 1. in principio: *Vnitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis adoptionis tollit iniuriam.* Et columna 2. ad finem: *Adoptiuus siquidẽ non habet aliam significationem, nisi vt Iesus Christus non sit proprius Filius Dei.* Ergo ex mente huius Concilij asserendũ est, Christum, vt hominem, Filium Dei adoptiuum non esse, & oppositum asserere videtur ab Adriano, & Concilio Francofordiensi damnatum.

6 *Prima solutio de auctoritate Concilij dubitat.*

Huic argumento respondeti potest primo: dubiam esse allegati Concilij auctoritatem. Tum, quia diu latuit donec à Surio Cartusiano in lucem editum fuit anno 1567. Tùm etiam, quia stylus redolet eloquentiam fucatam, Parum Concilijs assuetam. Deinde, quia nimis acriter tractat Felicem, & Elipandum, & non solum in doctrinam, sed etiam in personas inuehitur, quod alienum videtur à paterna charitate, & Conciliorum consuetudine, maximé cum Felix iam eo tẽpore suum errorem retractasset, Elipandus autem, non fuisset omninò pertinax, sed potius iudicium Concilij postulasset.

7 Tum denique, & præcipué, quia in epistola ad Episcopos Hispaniæ, Eugenius, Ildephonsus, & Iulianus Sanctissimi Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopi irreuerenter tractantur, vt homines, qui male de diuinitate Christi sensissent. Nã cum Elipandus illos in sui Patrocinium adduxisset, respondet Concilium, his verbis: *Melius est testimonio Dei Patris, credere de suo Filio, quam Ildephonsi vestri qui tales vobis composuit preces in Missarum solemnis, quales vnùe salis, & sancta Dei non habet Ecclesia, nec vos in illis exaudiri putamus, etsi Ildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptiuum nominat, Noster verò Gregorius Pontifex Romanæ Sedis, & clarissimus toto Orbe Doctor in suis orationibus semper vnigenitum nominare non dubitauit.* Et antea de omnibus his Patribus, quasi irrisorié loquendo, dixerat, *vt videatis, quales habeatis Parentes:* sic autem prædictos Sanctos Patres, verum Concilium tractasse, incredibile est, & multo incredibilius admisisse, quod malé de Christo senserint, & contra id, quod vniuersalis sentiebat Ecclesia.

Hanc tamen euasionem sustineri minimé posse, nec absque ingenti temeritate de præfati Concilij auctoritate posse aliquem dubitare, docent cõmuniter Theologi. Tum, quia plures Antiqui Auctores multo tempore ante Surium, nempé, ad annum Domini 793. quos refert Vazquez *vbi supra cap. 7.* huius Concilij, & erroris ab ipso damnati meminere, quamuis Concilij nomine tacito, & solum nomine Elipandi expresso, ex quorum exemplaribus, inquit Vazquez huius acta Concilij trãscripsit. Tum etiã, quia Surius vir pius, & doctus, in Epistolis ad Philippum Regem Catholicum profitetur, se nihil Concilijs, aut numero Cõciliorũm adiungere, quod ex vetustissimis exemplaribus non sumpserit, cui fidem in hac parte negare, suspicando, mala fide Concilia collegisse, & illorum numerum multiplicasse, temeritate non vacat. Tum tertio: quia vt refert Vazquez *vbi supra cap. 7.* anno Domini 1592. epistola Adriani grauissimorum Doctorũm consilio inter Epistolas Decretales Pontificum *in 2. tomo*, cum alijs excusa fuit, quam fatentur ex prædicto Concilio sumpsisse: ergo non licet de illius auctoritate dubitare.

8 *Reijcitur & prædicti Concilij auctoritas defenditur 1.*

*Secundo.*

*Tertio.*

Et quidem alia Concilia non aliter in nostram notitiam veniunt, nobisque proponuntur credenda, nisi media historia humana sufficientis auctoritatis; at sic nobis prædictum Concilium pro-

9 *Cõfirmatur.*

ponitur: ergo sufficienti modo, vt fidei regula sit. Et sané quamuis hæc tantæ efficaciæ non sint, vt omninò nos conuincant, nihilominus nunquam auderē aliquid contra ea, quæ in ipso decernuntur, asserere, nec qui oppositum cēseret, ab ingenti temeritate excusare.

10 *Ad 1. motiuū respondetur*

Nec motiua in oppositum vrgent; non primum: nam quod diu latuerit, solum probat, tam inconcussæ auctoritatis, ac alia Concilia, quæ numquam latuerunt non esse, non tamen, quod post quam à Surio in lucem editum fuit, & ex Antiquis exemplaribus sumptum, sufficienti auctoritate nō gaudeat. Nec secundum; non enim omnia Concilia, & Pontifices, imo nec omnes Prophetæ eundem in scribendo stylum seruāt, sed modo elegantiorem, modo minus elegantē. Nec tertiū, quia vt inquit Vazquez, nimia Auctoris arrogantia, qui se putabat in rebus fidei aliorum regulam esse, suamque Ecclesiam omnibus æquiparabat, & Beatum, & Heterium, qui contra ipsum sanam doctrinam docebant, Episcopali sua auctoritate, vt hæreticos tractabat, digna fuit, tam acri reprehensione, erga quem in fine epistolæ paterna viscera ostēdit, si ab errore resipiscat. Quod autem Felix suum iam retractasset errorem, non obstat, quia vt refert Baronius *tomo 9. Annalium ad annum 794.* etsi Felix retractauerit, infelix tamen, vt canis reuersus ad vomitum eundem, quem damnauit errorē cum magno fidelium damno defendere aggressus est.

*Ad secundum.*

*Ad tertium.*

*Baronius*

11 *Ad 4. respond. 1.*

Nec denique quartum quod obijcitur, vrget; cum enim prædictorum Patrum auctoritas, tunc temporis tanta non esset, nec Concilij Patribus nota; & aliàs codices, quos allegabant, præmanibus illis non essent, vel nimis impostori credentes, vt *citato loco*, inquit Cardinalis Baronius, prædecessores illos, quos Elipandus in suum fauorem recensuit, modo quo Elipandum ipsum sunt detestati. Vel vt alijs placet, non loquitur Concilium *absolutè*, sed sub conditione, quod esset, vt hæreticus referebat, cuius veritatem examinare non poterant, quia nondum erant illorū scripta euulgata. Sanctos tamen illos Patres ab imposita ab Elipando calumnia eruditā vindicauit Baronius claré ostendens Ildephonsum catholicè de filiatione Christi sensisse, ab illoque adoptionem relegasse *lib. de Virginitate Mariæ cap. 6 & 11.*

*Secundo*

Quod verò ab alijs obijcitur, nimirum, damnatum fuisse à Concilio Francfordiensi Concilium secundum Nicenum circa cultum, & venerationem Imaginum, optimé dissoluit Baronius, notans longé esse diuersa, esse aliquid in Concilio damnatum, ac damnatum esse à Cōcilio: nam ad primum sufficit damnari ab aliquibus ex assistentibus Concilio, tametsi non accesserit consensus illorum, quorum est statuta firmare, & sine quo acta in Concilio, omni prorsu robore carent. Secundum autem petit, quod à Concilij Patribus dānatio procedat, accedente consensu illorum, ad quos pertinet statuta firmare. Quo prænotato, ait, verum quidem esse à Patribus illius Concilij fuisse damnatum secundum Concilium Nicenum, circa cultum, & venerationem Imaginum; cæterum huic censuræ Legatum Sedis Apostolicæ assensum non præbuisse, imo totis viribus ipsum, & Adrianum restitisse: ex quo solū sequitur, decreta quoad illud punctū, nullius roboris fuisse, quo circa nec in lucē cū alijs Cōcilij actis edita fuere, non verò, quod quantū ad alia, in quibus à Romana Ecclesia admittitur, approbataque à Legato, & Sūmo Pontifice fuere, suum robur amisserit

12 *Opponūt alij.*

*Respond.*

*Non est idem, aliquid dānari in Cōcilio, atque damnari à Cōcilio.*

## §. II.

### *Tres aliæ solutiones eiusdē argumenti reijciuntur, & examinatur error Felicis, & Elipandi.*

13 *Secundo resp. alij.*

Secvndo alij argumento facto occurrunt, asserendo, Concilium non diffinisse, Christum, vt hominem, Filiū adoptiuum non esse, adoptione in vna,

& eadem persona cum filiatione naturali composita, in quo sensu à Durādo, & alijs catholicis opposita sententia defenditur, sed adoptione pura, qualiter nos adoptamur, & quæ personas multiplicat, nec potest cum vnitate personæ, quam in Christo fides adstruit, saluari, in quo sensu à Felice, & Elipando in Christo adstruebatur adoptio. Ad quā explicationem mouentur: nam mens, & sensus Concilij venari debet ex opposito errore, quem sua diffinitione contendit damnare: Felix autem, & Elipandus Nestoriani fuere, vnde Christum, in sensu Nestoriano, filium adoptiuum adstruebant; nempé, adoptione pura, non coincidente cum filiatione naturali in vna Christi persona, sed personas in Christo multiplicante: ergo cum Concilium docet, Christum non fuisse Filium adoptiuum, solum negat istum modum adoptionis, non autem illum, quem Theologi pij, & catholici adstruunt, & in Christo cum vnitate personæ, & naturali filiatione componunt.

14 *Cōtra illā opponit Vazquez intendēs probare Felicē, et Elipādū, nō fuisse Nestorianos formaliter. Mouetur primo.*

Contra istam solutionem plura opponit Pater Vazquez *vbi supra cap. 7.* intendens Felicem, & Elipandum non fuisse Nestorianos *formaliter*, sed *illatiuè* tantum, quatenus ex illorum positione Concilium Francofordiense inferebat, non fuisse in Christo vnam Dei, & hominis personam, eo quod adoptio ex proprio conceptu non potest cum filiatione naturali in vna, & eadem persona componi. Quod probat primo. si namque Elipandus Nestorianus fuisset, & duas in Christo asseruisset personas, non adeò suæ sententiæ confideret, vt Carolum Magnum, quem sciebat catholicum Principē, solicitaret per litteras, vt conuocato Concilio, suam sententiam approbaret. Vnde namq; poterat sibi suadere, Latinos Patres in errorē Nestorij consensuros? Sed hoc fecit, vt cōstat ex epistola Caroli Magni, qua litteris ad ipsum missis ab Elipando respōdet: ergo Nestorianus nō fuit, nec duas in Christo personas posuit.

15 *Secundo.*

Secundo: nam Elipando interroganti, cur timerent nuncupare Christū Filium adoptiuum. Respondet pagina 422. colum. 2. *Dico tibi, quia nec Apostoli sic nominarunt, nec sancta Dei Ecclesia consuetudinē habuit sic eum appellare, imo nec credere eum adoptiuum esse, sed proprium filium*; at si Elipādus cū Nestorio adstrueret filiationem purē adoptiuam cu distinctione personarum, alia esset Patrū responsio, nimirum, quia iam olim fuerat ab Ecclesia damnatum: ergo Elipandus cum Nestorio non sentiebat.

16 *Tertio.*

Tertio: nam in epistola ad Episcopos Hispaniæ in principio, de libello Elipandi, sic dicitur: *Audiuimus in eo nouas quasdā assertiones exortas.* Et pag. 423. colum. 2. *Tenete vos intra terminum Sanctorum Patr, & nolite nouas versare quæstiunculas*; at hæresis Nestoriana noua non erat, sed antiqua: ergo Elipandi hæresis cum illa non coincidebat. Quarto: nam Concilium contra Elipandum arguens, non probat vnam in Christo personam, sed pro inconuenienti infert ex filiatione adoptiua, quā adstruebat Elipandus, duas personas esse in Christo cōstituendas; at ineptus esset modus iste argumentandi, si Elipandus distinctionē personarum adstrueret, non enim nisi inepté, & prorsus inefficaciter error aliquis impugnatur, ipsum pro inconuenienti inferendo: ergo error Elipandi non consistebat in eo quod vnitatem personæ negaret, sed in constituenda cum vnitate personæ filiationem adoptiuam secundum humanitatem.

*Quarto.*

17 *Quinto.*

Deniq; nā Elipādus in sua confessione manifestē fatetur Dei, & hominis in Christo vnā tantum fuisse personam: nā loquens de Filio Dei, ait: *Esse hominē factum, crucifixū, mortuum, & sepultū, &c.* ex quo patet agnouisse per idioma tum cōmunicationē dici de Filio Dei, quæ cōpetunt Christo, vt homini; hæc autem cōmunicatio non stat absque vnitate personæ cōpositæ ex humana, & diuina natura. Et insuper addit: Et *qui dicit, gloriam meam alteri non dabo, homo interior in vna, eademque Dei, & hominis persona deglomeratus, atque carnis vestimēto indutus*: ergo aperte fatebatur Elipandus vnam tantum in Christo personam.

18 *Felicem, & Elipādū Nestorianos fuisse, prob. 1.*

Verum, Felicem, & Elipandū Nestorianos fuisse, in Christo que personas multiplicasse, atque in sensu Nestoriano filiationem adoptiuam adstruisse: sentiunt communiter Theologi, ducti pri-

*In quæstionibus de facto, Historiographis stãdũ est.*

mo: quia in quæstionibus de facto, magis est historijs fidendum, quam leuibus coniecturis in oppositum inclinantibus; at Historiographi omnes, qui Felicianam, & Elipandi hæresim attigerunt, illam Nestorianam fuisse asseuerant: ergo ita tenendum est. Minor cõstat ex Alcuino Magistro Caroli Magni, ab ipsoque ad Concilium Francofordiense accersito *lib. 3. de Trinit. cap. 4.* vbi de Feliciana, & Elipandi hæresi loquẽs, sic ait: *Diuidens vnam personam Filij Dei cum Nestorio in duas personas verè Filij, & adoptiui*; id ipsum docent Ionas Aurelianensis *lib. 1. de Cultu Imaginum in principio.* Sanctus Antoninus *2. p. historiæ titulo 4. vel 14. cap. 1. §. 6.* Paulus Æmilius, Nauclerus, Sanderus, & alij relati à Suarez *vbi supra sect. 3. §. Sed nihilominus*, Mariana *lib. 7. de rebus Hispaniæ cap. 8.* Baronius *tom. 9. ad annum 783. 793. & 794.* qui omnes, & plures alij, quos referunt Commentatores Diui Thomæ in præsenti, aperte docent, Felicem, & Elipandum Nestoriana hæresi infectos, duas in Christo agnouisse personas.

*Conc. Franc.*

*Ionas Aurel.*

*S. Antoninus.*

*Marian. Baroni⁹.*

**19** *Secundo.*

Secundo: nam in libro *Sacrosyllabo pag. 15. columna 1. ad finem*, Elipandi hæresis veternosa appellatur illustrium fortium calcibus mirabiliter inculcata, & pag. 418. columna 1. sic dicitur: *Elipandum namque, & Felicem nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa fœce perfidiæ pollutos*; at assertio filiationis adoptiuæ in vna Christi persona cum filiatione naturali composita, non est veternosa, sed noua; assertio autem filiationis puré adoptiuæ non seruantes vnam in Christo personam, antiqua, & veternosa hæresis erat: ergo Elipandus sic adstruebat filiationem Christi adoptiuam.

**20** *Tertio.*

Tertio: nam in hoc eodem libro pag. 416. columna 1. in principio de Elipandi, & Felicis errore, sic dicitur: *Si igitur iuxta hæreticos adoptiuo nomine censetur, vt nos puri, & ingrati homines: quo ergo pacto Apostolus eum perhibet nomen super omne nomen habere?* Sentiebant ergo isti hæretici, Christum adoptiuũ Filiũ fuisse, modo quo puri homines sunt filij adoptiui Dei; ac per consequens filiatione puré adoptiua, sine vnitate substantiali personæ. Quod expressius in eadem columna habetur, his verbis: *Dei ergo Filius, qua ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine in vna persona coeunte vtraque natura, non duo Filij, alius Dei & alius hominis, vt sicut illi errando æstimant, adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione Filius Dei, sed in vna persona vnus, idemque Dei, & hominis filius.* Et in epistola ad Episcopos Hispaniæ *pag. 423. columna 1. in principio*, id ipsum expressé asseritur, his verbis: *Non ne eadem hæresis vestra in Nestorio ab vniuersa Sancta Ecclesia refutata est, & damnata?* Quo nihil clariùs, vt asseramus, Elipandum, & Felicem fuisse Nestoriana hæresi infectos.

Quarto: hoc ipsum constat ex illorum cõfessione, vbi post illa verba, quæ Vazquez in sui fauorem adduxit, hæc immediate sequuntur: *Quia non per illum, qui natus est de Virgine visibilia, & inuisibilia condidit, sed per illum, qui non ex adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura: ille* autem, & *ille*, distinctas personas significant: sentiebat ergo Elipandus, esse duas personas in Christo solo affectu, & accidentali vnione coniunctas.

**21** *Quarto.*

Denique ad idem facit coniectura, qua vtitur Lorca *vbi supra membro 2. n. 16.* nam cum primum Felix, & Elipandus adoptionem Christi docuerunt, tota Ecclesia scãdalizata fuit, & magna cũ diligentia, vt doctrinæ illi recenti occurrerent, Concilium fuit congregatũ ad Imperatoris instantiam, à quo fuit illorum doctrina, vt hæresis condemnata, & Felix, & Elipandus asperrimis verbis tractati; at quamuis Durandus, & alij, quos pro prima sententia retulim⁹, filiationem adoptiuam in Christo statuerint, nihil horum fuit subsecutum; non enim contra illos Concilium est congregatum, nec scãdalizata Ecclesia, sed quidam illorum sententiæ, vt probabiliori adhæsere, alij saltem, vt probabili, & plures illam ab omni censura eximunt: ergo signum manifestum est in sensu longé diuerso fuisse loquutos ab eo, in quo Felix, & Elipandus adoptionem Christo attribuebant; ac per consequens, non constituisse in Christo adoptionẽ cum filiatione naturali in eadem persona compositam, sed puram filiationem adoptiuam, & personarum

**22** *Quinto.*

diuer-

diuersitatem in Christo, vt Deo, & vt homine statuisse.

23 *Ad primum P. Vazq. respond.*

Nec motiua in oppositum vrgent. Non primum, cuius maior est neganda: tanta enim est hæreticorum superbia, vt sibi omnes sabijcere, & in suum errorē posse adduci, præsumant, & vt inquit Baronius: *Vorax est omnis iniquitas, multoque magis insatiabilis hæresis, vtpote, quæ ardentibus inferni caloribus æstuet, quo circa nullis terminis continetur, iuxta illud Iob 40. Absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius*: vnde Elipandus per angustos iudicans Hispaniarū latissimos terminos, Gallios, Germanosque sua hæresi laborabat, implere, neq; erubuit de illa ad Gallianos Episcopos, & catholicissimum Imperatorē epistolas scribere: hæresis namque, vt eleganter notat Baroni⁹, erubescere nescit, quod propheticé demonstratum existimat, *Apocalipsis 13.* vbi Babylon scribitur in fronte gestare blasphemiam: nil ergo mirum, quod quamuis Elipandus cū Nestorio de adoptione Christi sentiret, sibi tantum arrogaret, vt Gallianos Episcopos, Carolumque Imperatorem in suā existimaret trahere posse sententiā.

*Tertia ratio Elipandi.*

*Hæretici ēi arrogātia, et superbia*

24 *Ad secūdum.*

Nec secundum: Patres enim impugnantes Elipandum, quia ex illius positione multiplicabantur in Christo personæ, in quo Nestoriana hæresis consistebat, iam ab Ecclesia damnata, pro ratione non appellandi Christum filium adoptiuum, hoc inconueniens iam dederant, quod non semper oportebat repetere, vnde postea hac ratione præsuppositā, aliam dederunt, nimirum, *quia nec à Prophetis, nec Apostolis, &c.* non enim semper eandem erant tradituri, & inculcaturi rationem. Ad tertium dicatur; etiam in eodem Concilio Elipandi hæresim *veternosam*, & *antiquam* vocari, atque in Nestorio damnatam; vnde quando illam, nouam assertionem appellat, intelligendum est, vel quia tūc de nouo suscitatam, vel quia nouis terminis explicatam; vt enim *pag. 423. columna 1.* notatur à Sacra Synodo, quod Nestorius dicebat *copulationem*, Felix, & Elipandus dicebant *adoptionem*: verba Concilij hæc sunt: *Videtur enim Nestorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem*: hac ergo de causa, noua assertio, & quæstiuncula dicitur à Concilio, quia nempé, nouis terminis explicata, quamuis in re cū hæresi Nestorij coincidens, qua de causa *antiqua, & veternosa* ab eodem Concilio appellatur.

*Ad tertium.*

Ad quartum, nego maiorem quoad primam partem; vt enim legenti epistolam Adriani, librum Sacrosyllabum, & epistolam Concilij ad Episcopos Hispaniæ constabit, sæpé afferuntur testimonia Sacræ Scripturæ ad probandum vnam in Christo personam, & ex hoc inferebant, filium adoptiuum non fuisse; vt enim pluries repetit Concilium: *Vnitas personæ in Christo, adoptionis tollit iniuriam*: vnde falsum est, quod in prima parte maioris asseritur, nempé, nusquam à Concilio probari vnitatem personalem. Concessa autem secunda parte maioris, quod nempé, contra Elipandum inferretur à Concilio distinctio personarum in Christo, nego minorem. Ad cuius probationem dicatur: fore ineptum modum arguendi, inferre contra Elipandum, duas in Christo personas, si ipse aperté hoc fateretur; quia tamen quamuis re ipsa id doceret, verbis tamen dolosé negabat simulans se cum filiatione adoptiua vnam personam in Christo adstruere, vt ex vltima coniectura, qua ducitur Vazquez constat, ideo Concilium inferens ex ipsius positione pro maximo incōnenienti distinctionem personarum in Christo, aptissimé argumentabatur.

25 *Ad quartum respond. 1.*

Vel potest responderi secundo: non inepté, nec incongruè inferre pro inconuenienti ipsum Elipandi errorem, quia quando aliqua assertio de se absurdissima est, rectè pro absurdo eadē assertio infertur, probando, damnatam esse ab Ecclesia, vt assertionis defensor, ab illa defensanda, desistat, maximé cū Elipandus adeò in hac re cæcutiret, vt intenderet, congregari Concilium, sperās ab illo admittendam esse, & confirmandam suam de adoptione Christi assertionem, ad quem conuincēdum, aptius argumentum non erat, quam ostendere, esse olim ab Ecclesia damnatam.

26 *Secundo respond.*

Ad vltimam coniecturam, cui maximé fidit Vazquez, dicatur, Elipandū

27 *Ad quintum.*

illis verbis, nō veré, sed dolosé, & simulaté admisisse vnam in Christo personā, intelligens nō vnam per vnionem physicam substantialem, sed per vnionem moralem, quod etiam de Nestorio notauit Angelicus Doctor *supra q. 2. art. 6* illis verbis: *Etsi fiat vis in nomine personæ, considerandum est, quod etiam Nestorius vtebatur vnitate personæ propter dignitatem vnitatis, & honoris.* Quod autem in hoc sensu Elipandus vteretur nomine *vnitatis personæ*, vt fideles deciperet, ad modum, quo Lutherus, Patres Concilij Paleſtini fefellit, admittens neceſsitatē gratiæ, nomine *gratiæ* intelligens donū creationis: constat primo ex verbis Sacræ Synodi superius adductis, nempé: *Videtur enim Nestorium dicere copulationē, quod vos dicitis adoptionem.* Ex quibus aperte constat Concilium intellexisse Elipandum, & Felicem, non admittere vnitatem substantialem, sed accidentalē, aut moralem inter Verbi, & Christi personam, vel per inhabitationem, per vnitatem affectus dignitatis, & honoris.

*Hæretici vt fideles decipiāt, verbis, dolosis fatentur quod in re negāt.*

*Elipād⁹ nō admittebat vnitatē substātialē, sed tātū accidētalē, inter Verbi, et Christi personā.*

28

Secundo ex verbis, quibus vtebatur Elipandus ad vnitatem istam explicandam, scilicet, *Deglo neratus, atque carnis vestimento indutus*; quæ aperté indicant vnitatem non substantialem, sed accidētalem. Ac denique ex verbis Felicis, & Elipandi, quæ *in argumento 4.* ponderauimus, vnde quando fatebantur Filium Dei esse factum Filium Virginis, non id in rigoroso sensu concedebant, qualiter denotatur vnio naturarum substantialis in vna, eademque persona, sed in sensu omninò improprio, pro factione accidentali, & accidentali vnione. Maneat ergo Felicem, & Elipandum veré Nestorianos fuisse, & in sensu Nestoriano adstruxisse filiationem adoptiuam in Christo cum distinctione substantiali personarum, & sola vnione accidentali, aut morali propter vnitatem affectuū honoris, & dignitatis: ac proinde non rectè impugnare Vazquez solutionē, quam contrarij Auctores secundo loco adhibent nostro argumento.

29

*Aliter impugnatur 2. solutio 1.*

Vnde aliter est reijcienda primo: nam vt *supra* vidimus duo à Concilio diffiniūtur, nempé, Christum in natura assumpta esse Filium Dei propriū, & non esse Filium adoptiuum Dei; at si solum excluderet filiationem puré adoptiuam in Christo incompositā cum vna Verbi persona, superflueret negatiua propositio: ergo exclusit filiationem adoptiuam, non solum multiplicantem personas, sed etiam cum personæ vnitate compositam, vel censuit, hāc compositionē esse impossibilem Probatur minor, eo ipso, quod Christus sit Filius proprius, & naturalis Dei, non est Filius, filiatione puré adoptiua: ergo filiatio puré adoptiua excluditur formaliter per filiationem propriam, vel naturalem; ac per consequens ad illius exclusionem affirmata filiatione naturali, superfluit assertio negans filiationem puré adoptiuam.

30

*Secundo.*

Secundo: nam Patres docent, Christum nequaquam esse Filium adoptiuum Dei, quod idem est ac docere, nullo modo esse filium adoptiuum; at filiatio adoptiua cum personæ vnitate in humanitate Christi composita, est aliquis modus filiationis adoptiuæ: ergo excluditur à Patribus Concilij Francofordiensis iste modus adoptionis. Et augetur difficultas: Nam *Christum nullo modo esse Filium adoptiuum, & Christum aliquo modo esse filium adoptiuum*, sunt propositiones contradictorié oppositæ; & consequenter non possunt esse simul veræ, at negatiua vera est, vtpote à Concilio asserta verbis *superius* relatis: ergo affirmatiua est falsa; sed Christum, in quantum hominem, esse Filium adoptiuum adoptione composita cum vna Christi persona, vt subsistentis in humana, & diuina natura, est Christum, aliquo modo esse Filium adoptiuum Dei, vt per se est manifestum: ergo Christū, in quantum hominē, esse Filium Dei adoptiuum isto modo filiationis, falsum est, & à Concilio damnatum.

*Confirmatur.*

31

*Tertiò.*

Denique: nam vt constat ex verbis *supra relatis in epistola ad Episcopos Hispaniæ pag. 422. columna 2. ad finem*, ideo excluditur à Cōcilio filiatio adoptiua in Christo, quia *adoptiuus* aliam significationem nō habet, nisi vt Christus non sit proprius Filius Dei: si autem esset dabilis adoptio cum propria filiatione in vna persona composita, *filius adoptiuus* aliam significationem haberet; siquidem iam saluaretur affirmatio filia-

tio.

tionis adoptiuæ sine negatione filiationis propriæ, aut naturalis; & consequenter aliqua significatio adoptionis propriam filiationem non negaret: ergo ex mente Concilij non est posibilis filiatio adoptiua Dei in vna Christi persona, cum propria, & naturali filiatione composita; & consequenter omnem filiationem adoptiuam à Christo, vt homine, excludit.

32 *Ad motiuũ prædicte solutionis resp.*

Nec obstat ratio, qua vtuntur huius solutionis Auctores. Tùm, quia falsum est, mentem Concilij adæquatè esse ex opposito errore venandam, imo potius debet colligi ex illius verbis propriè, & rigorosè acceptis; verba autem Concilij adducta, si in rigore accipiantur, vt debent, omnem modum adoptionis excludunt, vt modo argumentabamur: ac proinde quamuis Elipandus in sensu Nestoriano adoptionem Christo concesserit ratione personæ creatæ; Durandus autem non ita, sed in sensu longè diuerso, non sequitur, solum à Cõcilio damnari adoptionem assertam ab Elipando; non autem, prout à Durando constitutam.

*Mens Cõciliorum magis ex illorum verbis, quam ex opposito errore est venãda.*

33 *Instatur obiectio.*

Et quidẽ si aliquis auderet asserere, nostrã iustificationẽ à duab⁹ formis intrinsecis adæquatè præstari de facto, pro culdubio Tridentino aduersaretur *sessione 6. de iustificatione cap. 7.* asserenti: *Iustitiam nobis intrinsecam esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis*; & tamen scopus Concilij non erat, istum errorem damnare; sed hæreticos docentes nos iustificari formaliter per solam meritorum Christi imputationem: ergo quamuis præcipuus scopus Concilij Francofordiensis non fuerit damnare adoptionem cum vnitate personæ, qualiter asseritur à Durando, sed adoptionẽ puram ratione personæ creatæ, quã Elipandus adstruebat, quia tamen verba Concilij sinceré, & cum proprietate accepta omnem modum filiationis excludunt, quivis modus adoptionis reijciendus est, vt à Concilio damnatus.

34 *Nõ solũ illum errorẽ dãnant, sed omnẽ alium cẽ priori cõnexum.*

Tùm etiam, quia Concilia contra aliquem congregata, nõ semper solum illius errorem damnant, sed etiam omnem alium cum tali errore connexum, vt benè ad rem nostram notauit Illustrissimus Arauio *vbi supra num. 19.* Cõcilium autem, vt constat ex eius verbis, censuit coniunctam cum omni modo adoptionis distinctionem personarum in Christo, quo circa multoties repetit, *vnitas personæ in Christo adoptionis tollit iniuriam*, & quod adoptio nullam habet significationem, nisi quod Christus Filius proprius, vel naturalis non sit: ergo non solum damnauit adoptionem prout ab Elipando assertam ratione personæ creatæ, sed etiam omnem adoptionis modum, quia ex quolibet modo adoptionis sequitur iuxta Concilij mentem duplex in Christo persona.

35 *Tertia solutio, seu explicatio Concilij.*

Tertio alij argumento facto occurrunt, non diffiniri à Concilio, Christũ secũdum humanitatem, vel Christum, vt homo est, Filium adoptivum non esse, sed quod Christus absolutè Filius adoptiuus non sit, quæ longè diuersa sũt; nam cum adoptio importet negationem filiationis naturalis, vt Christus absolutè Filius adoptiuus dicatur, petitur, quod de Christo absolutè negetur, esse Filium naturalem: negare autem absolutè Christum esse Filium naturalem Dei, est negare, Christum absolutè esse Deum, quod absque dubio est hæreticum: vt autem cum illo addito, nempé, addendo *secundum humanitatem, vel quatenus homo est*, de Christo affirmetur adoptio, sufficit negare de Christo cum eodem addito filiationem naturalem, in quo modo negandi de Christo filiationem naturalem, nec hæresis, nec erroris periculum est; cum plures non ignobiles Theologi negationem illam filiationis naturalis admittant, vt *Disp. sequenti* videbimus.

36 *Reijcitur primo.*

Sed contra istam solutionem obstant primo: verba illa libri Sacrosyllabi pag. 415. columna 2. *Secundum carnem, videlicet, Dauid filius dictus est, non secundum diuinitatem: habes igitur quomodo de quo supra dixerat, quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius: de eo subiecit, dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, &c.* vbi aperte constat, Concilium loqui de Christo secundum carnem, quod idem est ac de Christo, vt homine, vel secundum humanitatẽ; & de illo prout sic, affirmat, non esse adoptivum, sed verum, non alienum fi-

lium, sed proprium: ergo sentit non solum de Christo absolutè, sed etiam cū illo addito negandam esse filiationem adoptiuam. Idipsum docetur in epistola Adriani, illis verbis: *Illum, nimirum, qui traditus est, ideſt, hominē ipsum, Apostolus propriū Dei filiū protestatur.* Quod colligit Adrianus ex illis verbis Pauli: *Qui proprio filio suo non pepercit.* Quæ doctrina Pauli in epistola Adriani, in libro sacrosyllabo, & in epistola Concilij ad Episcopos Hispaniæ habetur.

37 *Secundo.* Secundo obstat contra eandem solutionem; vt enim superius vidimus *ex allegato Concilio*, adoptio nullam aliam habet significationem, nisi vt Christus nō sit filius proprius Dei; at iuxta istam solutionem, aliam significationem habet, nempé, quod Christus non absolutè, sed Christus secundum humanitatē Filius Dei proprius, aut naturalis non sit: ergo tradita solutio menti Concilij aduersatur.

38 *Tertio.* Denique reijcitur: nam iuxta Adrianum Primum, & Concilium Francofordiēse, Christus nullo modo est Filius adoptivus Dei; at si secundum quod homo, esset Filius Dei adoptivus, falsū esset dicere, nullo modo esse filiū adoptiuum: ergo asserere, Christum secundum quod homo, esse Filium adoptivum Dei, est à Concilio damnatum. Maior constat ex verbis *supra* adductis *ex epistola ad Episcopos Hispaniæ pag. 422. colum. 2.* Minor autem ostenditur primo: nam Christum secundum humanitatem esse Filium Dei adoptivum, est, esse aliqua ratione adoptivum: ergo est esse adoptivū aliquomodo; sed Christum esse aliquomodo adoptivū, reddit fallam propositionem illam, qua asseritur, Christum nullo modo esse filium adoptivū; cum inter istas propositiones sit cōtradictoria oppositio: ergo si Christus, quatenus homo, est Filius Dei adoptivus, falsum esset dicere nullo modo esse filium adoptivum.

*Minor prob. 1.*

39 *Secundo.* Secundo probatur minor: nam licet iuxta Divum Thomam *supra q. 16. art. 8.* hæc propositio sit falsa: *Christus est creatura*; & consequenter negatiua sit vera, nempé: *Christus non est creatura absolutè*: quia tamen, vt docet D. Thom. *ibidem art. 10.* hæc propositio est vera: *Christus secundum quod homo est creatura*, falsa esset hæc propositio: *Christus nullo modo, aut nulla ratione est creatura*: ergo si Christus, vt homo, esset Filius adoptivus Dei, quamuis verum possit esse absolutè, Christum Filium adoptivum nō esse, falsum tamen erit dicere, nullo modo esse Filium adoptiuum.

40 *Oppones.* Sed oppones: ex veritate huius propositionis: *Christus nullo modo est Filius adoptiuus*, non sequitur, Christum, vt hominem, Filium adoptivum non esse: ergo hæc tertia obiectio contra tertiā solutionem non vrget. Probatur antecedens, hæc propositio: *Christus non est Filius adoptiuus Dei*, æquipollet isti propositioni: *Christus nullo modo est Filius adoptiuus Dei*; sed ex veritate primæ, non sequitur, Christum, vt hominem, Filium adoptivum non esse: ergo nec colligitur ex veritate secundæ Minor constat: nā ex veritate istius propositionis: *Christus non est creatura*, non sequitur, Christum non esse creaturam secundum humanitatem; cum antecedens sit verum in doctrina D. Thomæ; & consequens falsum in omnium Theologorum sententia: ergo pariter ex negatione filiationis adoptiuæ de Christo, sumpto absolutè, non sequitur negatio filiationis adoptiuæ de Christo, quatenō homine. Maior autem probatur ex natura negationis, quæ malignantis est conditionis, & vt Dialectici docent, quidquid post se invenit, destruit, & eius oppositum ponit, & vniuersalitatem includit: ergo idem est dicere: *Christus absolutè nō est Filius adoptiuus*, ac dicere: *Christus nullo modo est Filius adoptiuus*: ac proinde æquipollent prædictæ propositiones, sicut istæ æquipollentes censentur: *Petrus non currit*: *Petrus nullo modo currit*: *Petrus non est albus*: *Petrus nullo modo est albus*.

41 *Rspond.* Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Nam quando subiectum alicuius propositionis conflatur ex pluribus, secundū quæ potest prædicatum competere, licet negatio excludat ab illo prædicatum, vt absolutè enuntiabile, non tamen excludit prædicatum ab illo subiecto, vt enuntiabile de illo cum addito specificante aliquam ex illis rationibus; cum verò non

ponitur negatio absolutè, sed explicata per ly *nullo modo*, excludit à subiecto prædicatum, non solum vt absolutè enũtiabile de illo, sed etiam vt enuntiabile cum addito determinante aliquam peculiarem rationem, & ideo non æquiualet respectu talis subiecti propositio negatiua cu simplici negatione, propositioni negatiuæ cõstanti ex ly *nullo modo*.

42 *Instatur argumentum.* Cuius rei exemplũ manifestum habemus in hac propositione: *Petrus nõ est albus*, quæ vera est, quamuis dentes albos habeat, si cæteræ partes sint nigræ; & tamen in tali casu, hæc propositio: *Petrus nullo modo est albus*, est falsa: ac proinde non æquiualent, quia prima solum excludit albedinem, vt absolutè enuntiabilem, in quo sensu verè negatur de Petro: secunda autem excludit illam non solum vt absolutè enuntiabilem, sed etiam vt potentem enuntiari cum addito diminuente, & designante vnam partem, nempè, dentes, in quibus albedo residet. Quia ergo in Christo duplex natura inuenitur, secundum quarũ quamlibet potest enuntiari filiatio; consequens sit, qnod propositio negatiua constans ex particula *non*, æquiualere non possit propositioni negatiuæ constanti ex particula *nullo modo*: ac proinde, quod ex veritate primæ non excludatur, attenta vi terminorum, adoptio attribuenda Christo secundum naturam humanam; benè tamen ex veritate secundæ.

## §. III.

### *Variæ rationes pro nostra conclusione expenduntur.*

43 *Ratio M. Sent.* LICET in nostra sententia ferè omnes Theologi conueniant, in illa probanda dissident. Magister Sententiarum vbi *supra* §. 3. illam suadet: nam ad adoptionem petitur transitus de filio iræ ad esse Filium per gratiam, quo circa homines adoptantur in filios, quia cum essent filij iræ ex propria natiuitate, per gratiam facti sunt Filij Dei; sed Christus nunquam fuit Filius iræ ergo quamuis habeat gratiam, non est Filius Dei adoptiuus. Quæ ratio alijs terminis solet explicari, & proponi, nempè, quod adoptio est personæ extraneæ (extraneitate sumpta contrariè) ad hæreditatem assumptio: Christus autẽ extraneus contrarie non fuit: nam extraneitas sic sumpta, est effectus peccati, quod in Christo nunquam fuit: ergo adoptiuus filius non est.

44 *Displicet Theologis, et reijtur 1.* Hæc tamen ratio displicet omnibus Theologis primo: nam Angeli, & primus Parens verè fuerunt filij adoptiui Dei; & tamen nunquam fuerunt filij iræ, nec extranei, extraneitate sumpta cõtrariè: ergo extraneitas sic sumpta, ad adoptionem non petitur, nec quod filius adoptiuus transeat de filio iræ ad esse filium per gratiam. *Secundo.* Secundo: non enim est vnde colligatur ex diffinitione adoptionis conditio peccati: ergo sine fundamento petitur ad adoptionẽ. Probo antecedens; si namque ex aliquo posset inferri, maxime ex illa particula *assumptio personæ extraneæ*; sed extraneitas est duplex, negatiua scilicet, & positiua, prima consistens in carentia iuris ad hæreditatem, filiationisque naturalis ex vi primæ constitutionis. Secunda consistẽs in positiua indignitate hæreditatis, nec est cur prima non sit ad adoptionẽ sufficiens, sed requiratur secunda: ergo cõditio peccati non est vnde colligatur ex diffinitione adoptionis. *Extranei tas, alia positiua, alia negatiua.*

45 *Tertio.* Denique: nam vel necessaria esset ad adoptionem diuinam ex conceptu communi adoptionis, vel ex conceptu peculiari, & differentiali; non ex communi conceptu: nam adoptio in humanis subsistit, quin adoptandus, inimicus sit adoptantis, & positiuè indignus acceptationis ad eius hæreditatem, nec ex conceptu diuinæ. Tùm, quia si conditio illa ad omnem adoptionem non petitur, voluntariè prorsus, ad diuinam, quia diuina postulatur. Tùm etiam: nã sine hac conditione sufficienter ex alijs prædicatis diuina adoptio à ciuili, & humana distinguitur. Tùm denique: nam cum adoptio diuina ex peculiari conceptu adoptionem humanam excedat,

non

non est cur imperfectionem istam exposcat, quam humana adoptio non petit: ergo conditio peccati, & extraneitas sumpta contrarié, ad adoptionem necessaria non est; ac per consequens ex illius negatione, non colligitur negatio adoptionis in Christo.

46 *Secunda ratio aliorũ, etiam à Mag. insinuata*

Et ex his reiecta manet ratio, qua alij ducuntur, & à Magistro insinuatur, nempe, quia ad adoptionem requiritur, quod adoptandus prius sit, & post modum adoptetur in filium; Christus autem non prius fuit, quam esset filius; numquam enim fuit non filius: ergo adoptiuus filius non est. Quæ ratio instatur in Angelis, & in primo parente Adamo; non enim prius fuerunt, & post modum sunt adoptati, sed in primo suæ formationis instanti gratiam acceperũt, iuxta communem sententiam; & tamẽ veré, & proprié fuerunt filij adoptiui Dei: ergo præexistentia adoptandi sine filiatione, ad adoptionem non petitur. Deinde: quia hæc conditio non est vnde colligatur ex diffinitione adoptionis: ergo voluntariè adstruitur. Denique: non enim potest ostendi implicatio, vt Deus, hominem in primo creationis instanti filium adoptiuum constituat: ergo conditio ista, necessaria ad adoptionem non est.

*Impugnatur 1.*

*Secundo.*

*Tertio.*

47 *Tertia ratio D. Bonauenturæ.*

Tertia ratio est Bonauenturæ *vbi supra art. 2. quæst 1.* qui rationem Magistri sic temperat: persona adoptabilis petitur, quod sit filius iræ, vel quod ex sua natiuitate indifferens sit ad filiationem iræ, & ad filiationem gratiæ; sed Christus, etiam vt in natura humana subsistens non fuit filius iræ, nec ex vi suæ primæ constitutionis, indifferens ad filiationem iræ, & ad filiationem gratiæ; fuit enim incapax culpæ, à qua esse filiũ iræ præstatur: ergo licet fuerit per gratiam ad Dei hæreditatem admissus, filius tamen adoptiuus non est. Hæc tamen ratio, nisi ad illas, quas ex Diuo Thoma adducemus reducatur, non placet; ad filiationem namque adoptiuam sufficit extraneitas consistens in negatione filiationis naturalis, iurisque ad hæreditatẽ ex vi primæ constitutionis personæ adoptandæ in filium; cum præcisè per has conditiones adæquata adoptionis diffinitio saluetur; & cõsequenter quid quid illis superadditur, omnino voluntariè petatur: ergo vel indifferentia personæ ad filiationem iræ, & ad filiationẽ gratiæ, in illis includitur, & sic ratio Bonauenturæ ad rationes Diui Thomæ reducitur, vel necessaria non est ad rationem filij adoptiui; & consequenter ex illius negatione malè infertur incapacitas adoptionis in Christo.

*Reijcitur*

48 *Quarta ratio Scotistarum.*

Quarta ratio est Scoti, & discipulorum eius: nam ad extraneitatem personæ adoptandæ in filium, requiritur, quod ex vi suæ generationis non competat ipsi ius ad hæreditatem adoptantis, nec dispositio exigens de congruo hoc ius, vel formam illud præstantem; sed naturæ assumptæ à Verbo ex vi suæ formationis, licet non competat ius ad hæreditatem Dei, quod à sola gratia habituali præstatur, conuenit tamen dispositio petens de congruo hoc ius, nempé, hypostatica vnio, quæ de congruo petit gratiam, à qua præstatur ius ad diuinam hæreditatem: ergo Christus, vt in natura humana subsistens, filius adoptiuus non est.

49 *Si opponas.*

Si opponas: prius natura fuit humanitas Christi formata, quam à Diuino Verbo assumpta; sed humanitati pro illo priori naturæ, non conueniebat ius ad hæreditatem diuinam, nec dispositio exigens de congruo hoc ius: ergo fuit sufficienter extranea ad rationem filij adoptiui. Minor probatur: ideo pro illo priori non fuit in humanitate ius ad Dei hæreditatem, quia pro illo priori non intelligitur gratia habitualis in illa, quæ præstat prædictum ius; sed nec pro ducta intelligitur vnio humanitatis ad Verbum, à qua prouenit congruitas iuris ad hæreditatem: ergo humanitati pro illo tunc primæ suæ constitutionis, non conueniebat congruitas iuris. nil aliud respondet Scotus, *nisi quæ solutionem.* Quam Vazquez *disput. allegata cap. 12* ait, se numquam inuenisse, nec ab aliquo posse inueniri.

*Subtilis Scoti responsio.*

50 *Respõdẽt Scotistæ.*

Cæterum discipuli Scoti respondent huic obiectioni, pro illo priori naturæ, non esse humanitatem capacem, nec iuris, nec etiam extraneitatis; quia cum ius, & extraneitas sint accidẽtia naturæ, debẽt illã substantialiter completã supponere: pro illo autem priori non

intelli-

intelligitur humanitas subſtantialiter completa, vt pote cum pro illo tunc, nō ſit terminata ſubſiſtentia: ac proinde pro illo priori, nec habet ius ad hæreditatem Dei, nec extraneitatem iuris: pro alio autem poſteriori immediatè ad illud prius, intelligitur vnita; & conſequenter cum congruitate ad hoc ius, vnde nunquam fuit extranea illa extraneitate, quæ petitur ad eſſe filij adoptiui.

51 *Reijcitur illorum ſolutio primo.*

Licet autem ratio iſta obiectione facta non infirmetur; diſplicet tamen ex alijs capitibus primo: nam in homine contrito, reperitur diſpoſitio de congruo exigens gratiam, & ius quod ab illa in ordine ad gloriā præſtatur; & tamē non ſolum homo ſecundum ſe, ſed etiā vt contritus eſt, conſtituitur per gratiā habitualem filius adoptiuus Dei: ergo quod perſonæ, vel naturæ adoptandæ competat ex vi ſuæ generationis, vel primæ conſtitutionis, diſpoſitio petens de congruo ius ad Dei hæreditatem, non obſtat, quominus per gratiam habitualem filius adoptivus fiat. *Secundo*: non enim negari poteſt eſſe in nepote congruentiam, vt ab avo, cui deſunt filij naturales, admittatur loco filij ad eius hæreditatem; & tamen non eſt in illo incapacitas, vt ab avo adoptetur in filium: ergo congruitas iuris ad hæreditatem cōpetens alicui ab intrinſeco, non reddit illum incapacem filiationis adoptiuæ.

52 *Tertio.*

Tertio: nam duo exiguntur ad rationem filij adoptiui, nempe, gratioſa aſſumptio ad hæreditatem, & quod perſona extranea ſit; at ratio gratiæ, & liberalis aſſumptionis, non tollitur ex congruentia iuris ad hæreditatem concomitante inſtans formationis ſubiecti: ergo nec extraneitas ad adoptionē petita ex illa congruitate impeditur. *Quarto*: Denique: nam iuxta Scotum, & Auctores hoc argumento vtentes, Chriſto, vt homini, non conuenit ius ad Dei hæreditatem, nec filiatio Dei per gratiam ſubſtantialem vnionis; ſed vtrumque Chriſto, vt homini, à gratia habituali præſtatur; ſed ex hoc, quod gratiam habitualem congruitas illa præcedat, concomitans generationem, non redditur ipſa gratia habilis ad conſtituendum filiū naturalem Dei: ergo ex illa congruitate non redditur inhabilis ad filiationem adoptiuam præſtandam; & conſequenter illam de facto præſtabit, niſi ex alijs principijs repugnet.

53 *Quinta ratio P. Vazq.*

Vazquez *diſput. allegata*, poſtquam *cap.* 12. rationem Diui Thomæ impugnauit, & plures alias reiecit, ex eo ſolum, vel potiſsimē, noſtram concluſionem ſuaderi poſſe contendit, quia nempe, ille, qui adoptatur in filium, non ſecundum naturam, ſed ſolo affectu coniungitur adoptanti, quod ipſa vox *adoptio* ſignificare videtur; eſt enim deſiderantis; vnde aliquem in filium adoptare, nihil aliud eſt, quam deſiderio, & voluntate illum loco filij naturalis ſubrogare, qui alioqui ſecundum naturam ipſi coniunctus non eſt; ſed humanitas Chriſti non fuit Deo ſolo affectu coniuncta, ſed re ipſa per phyſicam, & realem vnionem: ergo ex via aſſumptionis non potuit à Deo adoptari; ac proinde Chriſtus, nec abſolutē, nec ſecundum humanitatem eſſe potuit Filius adoptivus Dei. Quod aliter vrget, & explicat: ille namque, qui adoptatur in filium, nō ſolum ante, ſed etiam poſt adoptionē, debet extraneus manere; ſed humanitas Chriſti, licet ſit ex natura ſua extranea, non manſit extranea poſt aſſumptionem, ſed manſit re ipſa, & ſecundum veritatem *phyſicè* coniuncta Verbo in vnitatem perſonæ, quæ vnio extraneitatem non patitur: ergo per aſſumptionem non fuit adoptata humanitas: ac proinde Chriſtus, etiam ſecundum humanitatem, Filius adoptiuus non fuit.

*Cōfirmat & explicat.*

54 *Aliter illā explicant quidā Recentiores 1.*

Eandem rationem Patris Vazquez Recentiores ita proponunt, & explicāt primo: nullus filius adoptiuus eſt *phyſicè* Patri coniunctus, ſed ab illo ſeparatus, & ſolo affectu vnitus; ſed Chriſtus, vt homo, eſt *phyſicè* vnitus Deo, & pluſquam affectu coniunctus: ergo filius adoptiuus non eſt. Explicant, & confirmant ſecundo: Pater adoptans nihil ſui formaliter inuenit in adoptato; ſed omnia in illo reperta ſunt aliena ab adoptante, vt conſtat in vno homine, alium adoptante in filium, in quo nihil ſui reperit; ſed Deus in Chriſto homine reperit aliquid ſui, nempe, hypoſtaſim Verbi vnitam humanitati *formaliter*, & Deitatem illi vnitam *identicè*: ergo non poteſt Chriſtum, vt hominem,

*Confirmant ſecundo.*

sibi in filium adoptare, nec in Christo, vt homine, est ad adoptionē capacitas.

55 *Impugnatur.*

Hæc tamen ratio, nisi aliunde iuuetur, & ad illas, quas ex Diuo Thoma deducemus reducatur, non suadet conclusionem: nam ad rationem filiij adoptiui sufficit extraneitas per negationem filiationis naturalis, iurisque ad hæreditatem ex vi primæ constitutionis subiecti adoptādi: ergo quamuis detur physica, & realis coniunctio adoptandi cū adoptato, dummodo ex hac coniunctione non resultet naturalis filiatio, & ius ad hæreditatem Dei, non excluditur filiatio adoptiua, nec capacitas ad illam: ac proinde, quod in Christo capacitas adoptionis non sit, nec ad esse filij adoptiui, non est probandum ex sola physica coniunctione Christi, vt hominis ad Deum, sed quia coniunctio ista talis conditionis est, quod ex vnione extremorum consurgit naturalis filiatio, & ius ad diuinam hæreditatem.

56 *Cōfirmatur 1.*

Quod amplius confirmare possumus: nepos namque aliqua ratione est coniunctus *physicè* auo, nempé coniunctione mediata, per participationē substantiæ ipsum generātis, qui ab auo *physicè* productus fuit, & cum illo medio semine coniunctus; & tamen, quia ex hac coniunctione non consurgit naturalis filiatio, nec ius filij ad hæreditatem aui, potest nepos ab auo adoptari in filium: ergo sola physica duarum personarum coniunctio non excludit adoptionem, nec inducit incapacitatem ad illam. Cōfirmatur, & vrgetur secundo: Adamus namque cum Heua erat *physicè* coniunctus media costa Adami, ex qua Heua fuit formata, Adamusque in illa propriā substantiam cernebat; & tamen Heua nō erat ex vi huius coniunctionis incapax, vt ab Adamo in filiam adoptaretur, eo quod ex vi illius non surrexit naturalis filiatio, nec ius ab intrinseco ad hæreditatem Adami: ergo sola physica duorum coniunctio, & quod vnus in alio propriā attendat substantiam, non inducit adoptionis repugnantiam.

*Cōfirmatur secundo.*

57 *Argumēto P. Vazquez occurrere possunt contrarij*

Et ex his facile erit Auctoribus cōtrariæ sententiæ argumento facto, occurrere, distinguendo maiorem: solo affectu respectiué ad hæreditatem adoptantis, concedo maiorem: solo affectu per exclusionem coniunctionis physicæ entitatiuæ, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, negabunt consequentiam. Nam licet humanitas ex vi assumptionis fuerit Verbo coniuncta, quia tamen ex hac coniunctione, non fuit filiatio naturalis Dei secuta, nec cū iure ad eius hæreditatem, fuit solo affectu Deo coniuncta respectu hæreditatis diuinæ, etsi non solo affectu per exclusionem coniunctionis physicæ entitatiuæ. Ex quibus ad explicationem constat solutio, distinguendo maiorem: extraneitate per negationem filiationis naturalis, iurisque ad hæreditatem, concedo maiorem: extraneitate entitatiua, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam.

*Ad explicationem*

58 *Ad primā cōfirmationē.*

Ad primam confirmationem, negabunt aduersarij maiorem. Nam dicent, Christus vt homo filius adoptiuus est, & tamen *physicè* Deo coniunctus. Quod si inter homines exemplum non inuenitur, est, quia vnus homo non potest alterius terminare naturam, & cum illo *physicè* coniungi, quamuis tamē *physicè* coniungeretur, incapax adoptionis non esset. Ad secundam similiter, negabunt maiorem, ob easdem rationes, vel claritatis gratia distinguent: nihil præbens naturalem filiationem, & ius ad eius hæreditatem, concedent maiorem: nihil sine his conditionibus, negabunt maiorem: & sub eadem distinctione, negabunt consequentiam. Vnde vt contrarij Auctores vrgeantur, probandum est, coniunctionem humanitatis ad Verbum fuisse talis conditionis, quod ex illa surrexerit naturalis filiatio, quod erit ad rationes, quas ex Diuo Thoma adducemus, confugere.

*Ad secundam.*

## §. IV.

### *Duplici ratione Angelici Præceptoris communis sententia probatur.*

59 *Probatur conclusio duplici ratione D. Thom.*

RELICTIS igitur huiusce modi rationibus, vel ad illas, quas ex Diuo Thoma trademus reductis, suadenda est nostra, & communis sententia duplici ratione ex Angelico Præceptore desumpta. Prima habetur *in 3 dist. 10. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 3.* illis verbis: *Ad tertiam quæstionem dicendum, quod Christus nullo modo dicendus est filius adoptionis, quia ei competit ex sua natura secundum quam æternaliter à Patre nascitur, habere ius in hæreditate paterna, quia omnia, quæ habet Pater sua sunt, vt dicitur Ioannis 16. vnde hoc ius non acquiritur ei per gratiam aduenientem, vt possit dici filius adoptiuus.* Qua ratione vsus est etiam Divus Thomas *ad Annibaldum in eadem dist. inct. q. vnica art. 3.* illamque insinuat *in hac q. art. 4. ad 2.* quam possumus ad hanc formam reducere. Filio adoptiuo nō conuenit hæreditas adoptantis, nec ius ad illam per naturam, sed per gratiam, vt constat ex diffinitione adoptionis, qua petitur, quod subiectum adoptandum sit persona extranea gratiose ad hæreditatem adoptantis assumpta; sed Christo ratione propriæ naturæ secundum quā à Patre æternaliter procedit, conuenit habere ius ad diuinam hæreditatem: ergo filius adoptiuus non est.

60 *Respondebis.*

Respondebis, Christo ratione diuinæ naturæ competere ius ad hæreditatē increatam consistentem in visione cōprehensiua Dei, illique conuenientem, vt subsistit in natura diuina: ac proinde ad istam hæreditatem adoptari non potest: non autem illi competere, ratione naturæ diuinæ, ius ad hæreditatem participatam consistentem in cognitione creata Dei, qua ipsum, vt homo videt, & per quam vt homo beatificatur, vnde ad istam hæreditatem assumi potest gratiose; ac per consequens adoptari. Et quod in priori sensu locutus sit Diuus Thomas, constans videtur ex ipso *supra quæst. 7. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Dicendū, quod Christo in quantum est naturalis filius Dei, debetur hæreditas æterna, quæ est ipsa beatitudo increata per increatum actum cognitionis, & amoris Dei, cuius actus anima capax non erat propter differentiam naturæ. Vnde oportebat, quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum, quiquidem esse nō potest, nisi per gratiam.* Quam doctrinam tradit *in hac 3. p. quæst. 19. art. 3. ad 2. & quæst. 29. de veritate art. 1. ad 4.* ergo iuxta Diuum Thomam hæreditas debita Christo ratione naturæ diuinæ, est hæreditas increata, qua beatificatur vt Deus: non autem creata, qua beatificatur vt homo; & consequenter solum est incapax adoptionis respectu hæreditatis illi conuenientis, vt Deo: non autem respectu hæreditatis creatæ, Christo vt homini competentis.

S. THO.

Hæc tamen solutio nec est ad mentem Diui Thomæ, nec vera. Primum patet ex Diuo Thoma *supra quæst. 19. art. 3. ad 2* ibi: *Christo secundum quod est Deus, & Dei filius per naturam, debetur gloria diuina, & Dominium omnium, sicut primo, & supremo Domino. Nihilominus tamen debetur ei gloria sicut homini beato.* Quod etiam docuit *in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 1. ad 5.* illis verbis: *Quamuis ex hoc ipso, quod est Deus sibi gloria debeatur, tamē oportuit, quod esset aliquid perficiens ad actū gloriæ, & hæc fuit gratia*: ergo iuxta D. Thomam, Christo non solum est debita hæreditas increata, qua beatificatur, vt Deus, sed etiam hæreditas creata, qua beatificatur, vt homo.

61 *Hanc solutionem nō esse de mente D. Tho. probatur 1.*

62 *Secundo.*

Secundo: ex eodem D. Thom. *in hac quæst. art. 4. ad 2.* ibi: *Gratia autem habitualis in Christo, non facit de non filio, filium adoptiuum, sed est quidam effectus filiationis in anima Christi secundum illud Ioannis primo: vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*: ergo sentit D. Thom. Christo ratione filiationis naturalis deberi, non solum visionem increatam, per quam beatificatur, vt subsistit in natura diuina, sed etiam

crea-

creatam, qua beatificatur, prout in humana subsistit. Patet consequētia. Nam iuxta Diuum Thomam gratia habitualis est effectus consequens filiationem naturalem in Christo: ergo debetur gratia habitualis Christo ratione filiationis naturalis; sed gratia dat ius physicum, & connaturale ad gloriam: ergo debetur Christo ratione filiationis naturalis gloria, qua beatificatur vt homo, saltim debito mediato.

63 *Tertio.* Tertio id ipsum constat ex testimonio adducto, ex quo Nostram dessumpsimus rationem: nam ibi ex eo quod Christo deberur hæreditas Dei, quia est filius naturalis, infert Diuus Thomas, ius ad hæreditatem non cōpetere Christo ratione gratiæ habitualis, quod intelligendum est de iure radicali, & primario; at si Diuus Thomas sentiret ratione filiationis naturalis solum deberi Christo hæreditatem increatam, qua beatificatur, vt Deus, non bene intulisset, ius ad Dei hæreditatem, qua beatificatur, vt homo, non conuenire Christo radicaliter, & primo per gratiam habitualem: ergo sentit ius Christo competens, ratione filiationis naturalis, non solum esse respectu hæreditatis increatæ, qua beatificatur, vt Deus, sed etiam respectu hæreditatis creatæ, qua beatificatur, vt homo.

64 *Quarto.* Denique: nam mens Diui Thomæ erat probare, Christum vt hominē non esse filium adoptiuum Dei; ex eo quod ius ad diuinam hæreditatem illi competit per naturam: filio autem adoptiuo non per naturam, sed per gratiam competit ius ad Patris hæreditatem; at ex iure per naturam ad hæreditatem increatam sine iure ad hæreditatem creatam, non rectè inferretur, Christum vt hominem filium adoptiuum non esse: ergo iuxta D. Thom. non solum ius ad hæreditatem increatam, qua Christus beatificatur, vt Deus, sed etiam ius ad hæreditatem creatam, qua beatificatur, vt homo, Christo conuenit per naturam. Probatur minor: si Christo vt homini non debetur ratione filiationis naturalis hæreditas creata, qua beatificatur, vt homo, omnino gratis assumetur ad illam: ergo quamuis hæreditas increata, qua beatificatur, vt Deus, sit illi debita per naturam, non probatur, Christum, vt hominem, filium adoptiuum nō esse respectu hæreditatis creatæ, prout assumitur ad illam, ex debito hæreditatis; esset enim manifesta æquiuocatio ex debito increatæ hæreditatis arguere negationem filiationis adoptiuæ per respectum ad hæreditatem creatam, titulo naturali non debitam. Nec Diuus Thomas vb. in contrarium adducitur, fauet traditæ solutioni: nam etsi affirmet, deberi hæreditatem increatam Christo, vt filio naturali prout subsistit in natura diuina; non tamen negat ratione filiationis naturalis, ipsi deberi, vt subsistenti in natura humana hæreditatem creatam, debito saltim morali.

Deinde, quod doctrina solutionis sit falsa ostenditur primo: nam Verbo, quia filio Dei naturali deberi, vt quæcumque natura, quam terminet, & cui *physicè* vniatur, ditetur hæreditate diuina iuxta suam capacitatem, nullam dicit repugnantiam, imo est valde conforme illius summæ dignitati, & perfectioni: ergo asserere debemus, Christo, quia filio naturali Dei deberi quod humanitas, quam terminat eleuetur ad visionē beatificam, in qua Dei hæreditas consistit; & consequenter non solum ius ad hæreditatem increatam, qua beatificatur, vt Deus, sed etiam ius ad hæreditatem creatā cōuenit Christo secundum naturam, quia est filius naturalis Dei. 65 *Falsa esse solutionis doctrinā: probatur 1.*

Secundo nam homini iustificato, & ad consortium Deitatis aucto, debetur ratione gratiæ hæreditas Dei consistens in eius visione debito morali, & physico: ergo humanitati Christi mediante vnione hypostatica Deitati substantialiter coniunctæ in vnitate personæ, debetur saltim debito morali visio Dei intuitiua creata. Patet consequentia: nam quod præstat participatio accidentalis diuinitatis, melius potest Deitas se ipsa præstare, nisi talis conditionis sit, quod petat physicam informationē; sed debitum morale hæreditatis diuinæ physicam informationem diuinitatis non petit: ergo si à gratia habituali, quæ est participatio accidentalis diuinitatis præstatur, melius poterit præstari à Deitate, se ipsa substantialiter vnita. 66 *Secundo.*

Tertio:

67 Tertio. Tertio; vt enim multis ostendimus *supra Disput. 21. num. 208.* Deitas vnita substantialiter humanitati media subsistentia Verbi, reddit illam sanctam formaliter sanctitate substantiali; sed sanctitas nequit stare absque debito, saltim morali hæreditatis diuinæ. ergo humanitati Christi ratione diuinitatis vnitæ media subsistentia Verbi debetur diuina hæreditas. Denique: nam quod sine miraculo nequit alicui negari ratione alicuius perfectionis intrinsecæ, debetur ratione illius; sed humanitatem Deitati substantialiter vniri, & non eleuari ad diuinam hæreditatem, esset absque dubio miraculum: ergo humanitati ratione istius vnionis debetur diuina hæreditas; & consequenter ius ad illam conuenit Christo, vt homini, non per gratiam, sed per naturam, quia est Filius naturalis Dei.

Quarto.

68 Oppones. Si opponas: Deitas se ipsa nequit præstare formaliter ius ad hæreditatem creatam, qua sola potest humanitas beatificari: ergo Christo ratione filiationis naturalis non debetur ex sua natura, nisi tantum hæreditas increata. Antecedens ostenditur primo: ius præstitum formaliter ab aliqua forma, aut natura, solum potest terminari ad hæreditatem proportionatam tali formæ, vel naturæ; sed hæreditas creata non est proportionata Deitati: ergo ius ad illam non potest à Deitate præstari. Secundo: nã idem est dare ius ad hæreditatem creatam, quod radicare visionem creatam Dei, sed Deitas se ipsa formaliter nequit radicare visionem creatam Dei: ergo nec præbere ius ad creatam hæreditatem. Probatur minor: etenim nulla natura potest radicaliter præbere, nisi tantum illam operationem, in ordine ad quam constituitur in ratione naturæ; sed Deitas in ratione naturæ non cõstituitur per connexionem, vel ordinẽ ad visionem Dei creatam, sed tantum per connexionem virtualiter radicantis increatam Dei cognitionem: ergo nequit radicaliter præstare visionem creatam Dei, aut esse radix illius, sed tantum increatæ cognitionis, ad quam est in humanitate incapacitas.

*Antecedens probatur 1.*

*Secundo.*

69 Respõd. Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: ius præstitum à forma, aut natura subiecto sibi connaturali, concedo maiorem: ius præstitum extraneo subiecto, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam humanitas Christi non est subiectum connaturale Deitatis, vt præstantis ius ad hæreditatem, sed subiectum sibi extraneum: Deus autem est subiectum connaturale Deitatis, cui conuenit per identitatem; ac proinde Deo, cui essentialiter conuenit Deitas, præstat ius ad hæreditatem increatam, quæ cum Deitate proportionatur: humanitati verò, cui vt subiecto extraneo vnitur, non ad increatam, sed ad creatam hæreditatem ius præbet, quamuis cum Deitate sit *entitatiuè* improportionata. Ad secundã probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: radicaliter *physicè*, omitto maiorem: radicaliter *moraliter*, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Radicatio namque moralis in nullo alio consistit, quam in eo quod ratione diuinitatis substantialiter *mediatè* vnitæ humanitati, debeantur humanitati visio beatifica Dei, & physica principia illius proxima, & radicale, in quo debito morali, nulla repugnantia inuenitur.

*Ad 1 probationẽ antecedẽtis.*

*Ad secundam.*

Secundo probatur conclusio alia ratione D. Thomæ: filiatio namque nõ conuenit naturæ, sed hypostasi, aut personæ; sed persona, aut hypostasis Christi, Filius adoptiuus non est: ergo Christus, in quantum homo, non est Filius Dei adoptiuus. Consecutio est bona. Præmissæ autem indigent probatione. Maior ostenditur primo: illi conuenit filiatio, cui conuenit denominatio filij; sed natura non dicitur filia, benè tamen persona: ergo filiatio non conuenit naturæ, sed personæ. Secundo: nam est possibilis aliqua denominatio, vel forma petens non naturæ, sed hypostasi conuenire, vt per se primo subiecto, & ratione sui inspecto; sed hac possibilitate suppositа, nulla est ratio assignabilis, cur filiatio huius conditionis non sit, imo hac conditione gaudere, suadet communis modus loquendi, iuxta quem natura non dicitur filia, sed suppo

70 *Secundo probatur conclusio alia ratione D. Th.*

*Maior prob. 1.*

*Secundo.*

situm in natura subsistens: ergo filiatio, non naturæ, sed soli suppositi cõuenit.

*Tertio.* Tertio: nam esse filium est perfectissimum, quod in linea procedentium per generationem inuenitur: ergo petit cõuenire soli genito secundum perfectam denominationem geniti; at licet natura dicatur aliquo modo genita, non tamẽ dicitur genita secundũ perfectam geniti denominationem; sed sic esse genitũ soli suppositi conuenit: ergo filiatio, non naturæ, sed soli suppositi conuenit.

71 *Deinde minor prob. 1.* Deinde minor argumenti suadetur primo à Diuo Thoma *in præsenti art. 4. in corpore*; persona, aut hypostasis Verbi est Filius Dei naturalis: ergo Filius adoptiuus non est. Patet consequentia: id namque quod *per se* dicitur, non potest etiã *participatiuè* dici; filiatio autem adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis: ergo si persona Christi Filius naturalis est, non est Filius adoptiuus.

*Secundo.* Secundo: illam probat Diuꝰ Thomas *infra q. 32. art. 3.* nam id, quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non potest dici de eodem secundum imperfectam rationem; sicut quia sortes dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, non potest dici homo secundum significationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini; sed persona Christi est Filius Dei secundum perfectam filiationis rationem, nempé, filiationem naturalem: ergo nequit dici filius secundũ imperfectam, & impropriã filiationis rationem, qualis est filiatio adoptiua.

72 *Confirmatur.* Quæ ratio vrgeri, & explicari potest: esse Filium adoptiuum, est esse Filium *imitatiuè*; sed quod est *propriè* tale, nequit dici tale *imitatiuè*, sicut quia Petrus est proprié homo, nequit dici homo pictus, quia esse hominem pictum, est esse *imitatiuè* hominẽ: ergo de illo, de quo prædicatur, esse Filium naturalem, nequit prædicari adoptio, seu adoptiua filiatio; at persona Christi est Filius Dei naturalis: ergo nequit esse adoptivus. Tertio probatur: nã filiatio adoptiua est gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem; sed suppositum Christi persona extranea non est, sicut nec persona finita: ergo suppositum Christi Filius adoptiuus non est.

## §. V.

### *Triplex contrariorum solutio reijcitur.*

HVic argumento tripliciter potest occurri ex doctrina contrariorum. Primo, asserendo, filiationem conuenire supposito, vel personæ, non ratione sui, sed ratione naturæ, cui conuenit, vt per se primo subiecto: ac proinde ad adoptionem non peti extraneitatem suppositi, sed sufficere extraneitatem naturæ. In Christo autem quamuis personalitas extranea non sit à Deo, vtpote cum ipso identificata: natura autem est extranea, vtpote limitata, & finita, & cui ratione sui non debetur, nec assumptio ad esse Verbi, nec ad Dei hæreditatem; ac per consequens Christus ratione humanitatis filius adoptius est.

73 *Huicresponsioni D. Tho. respõderipotest primo.*

Secundo respondeti potest, admissa maiori, negando minorem. Nam licet Christus, vt subsistens in diuinitate filius naturalis sit: ac proinde prout sic, adoptiuus esse nequeat, prout tamen in humanitate subsistens, qualiter persona humana dicitur, non est *formaliter* Filius naturalis Dei, sed solum *identicè*, & *materialiter*; ac proinde potest de Christo, prout sic dici adoptiua filiatio; licet enim opponantur esse filium naturalem, & esse filium adoptiuum *formaliter*, non tamen opponuntur esse Filium naturalem *identicè*, & *formaliter* adoptiuum. Vt sic etiam Christus dici potest persona extranea, extraneitate formali, & negatiua, ideſt, non filius naturalis formaliter, nec prout sic habens ius ad diuinam hæreditatem: ex quibus ad probationes minoris occurritur.

74 *Secundo.*

Vel tertio respondeti potest, concessa etiam maiori, negando minorem. Nec obstant eius probationes: potest

75 *Tertio.*

enim

enim filius naturalis esse filius adoptiuus, vt constat ex lege *qui liberatus* 2. *ff. de adoptionibus*, vbi dicitur: *Quod qui liberatus patria potestate est, postea in potestatem honestè reuerti non potest, nisi adoptione. &c.* Potest ergo filius naturalis à patria potestate emancipatus, sub illa per adoptionem redigi: ac proinde non opponuntur in vno, & eodem subiecto, adoptio, & naturalis filiatio. Nec obstat triplex minoris probatio: nam extraneitas ad adoptionem petita, non est extraneitas entitatiua, sed extraneitas à iure; licet autem persona Christi, vt subsistens in humana natura, non sit entitatiuè extranea à Deo, est tamen extranea ab ipso, per negationem iuris ad illius hæreditatem; non enim, prout sic est illi debita hæreditas increata, ad quam est in humanitate incapacitas, nec hæreditas creata, cuius persona Verbi est ratione sui incapax, & solum est capax ratione naturæ humanæ: ac proinde illi ratione sui non debetur; cumque ratione humanitatis illi deberi non possit, personæ Christi formaliter, vt in humanitate subsistenti, hæreditas Dei, nulla ratione debetur: ac per consequens est extranea extraneitate iuris ad hæreditatem, licet non entitatiué, nec per negationem filiationis naturalis.

76 *Prima solutio reijcitur* 1.

Nulla tamen ex his solutionibus argumento facto satisfacit, & contra primam faciunt primo, quæ in minoris probationem adduximus; est enim possibilis aliqua forma petens conuenire suppositò ratione sui, vt per se primo subiecto; sed data ista possibilitate, id est, filiationi concedendum: ergo filiatio est huius conditionis. Secundo; illam reijcit Divus Thomas *quodlibeto nono quæstione secunda art. quarto circa finem corporis*, illis verbis: *Non enim potest dici, quod subiectum filiationis sit suppositum æternum ratione humanæ naturæ, vel alicuius partis eius, sicut dicitur suppositum mortis, vel passionis: quia sic ipsa humana natura, vel pars eius, esset primum subiectum filiationis, & denominaretur per ipsam, sicut contingit de alijs accidentibus, quæ attribuuntur Christo, ratione humanæ naturæ; filiatio verò numquam denominat, nisi ipsum suppositum, nec potest aliud pro subiecto habere.*

*Filiatio conuenit supposito immediatè, & ratione sui.*

*Secundo.*

S. Tho.

Hæc Divus Thomas, ex quibus tale argumentum conficitur: forma competens suppositò ratione naturæ, respicit naturam, vt per se primum subiectum, vt constat in passione, morte, alijsque passionibus, & actionibus, quæ quia suppositò ratione naturæ conueniunt, naturam respiciunt, vt per se primo subiectum; sed filiatio non respicit naturam, vt primum subiectum sui: ergo non conuenit suppositò ratione naturæ, sed immediatè respicit suppositum. Probatur minor: forma respiciens naturam, vt per se primum subiectum, denominat primo naturam, & ratione illius suppositum, vt in eisdem exemplis, passionis, mortis, actionum, & passionum conspicitur, quæ quia primario comparantur ad naturã, & ratione illius comparantur ad suppositum, denominant per se primo naturam, mortuam, passam, crucifixam, volentem, aut intelligentem; sed filiatio non denominat naturam; hæc namq; nec Filia, nec Pater dicitur: ergo natura non est primum filiationis subiectum.

77

78 *Hurtado intendit probare naturam posse dici filiam.*

Hæc ratio Angelici Præceptoris displicuit Petro Hurtado de Mendoza *disputatione* 83. ait enim, falsum esse, naturam non dici filiam: si namque humanitas produceretur ab aliquo homine sine vlla subsistentia (quod plures cẽsent possibile) vera esset hominis producentis filia. ergo filiatio potest denominare, denominatque naturam. Probat antecedens: nam humanitas tunc casus esset per generationem producta; cum illius productio esset origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ: ergo veré esset genita: ergo veré esset gignentis hominis filia. Confirmat primo; quia tunc talis humanitas esset principium actionum intelligendi, & volendi, colloquendi, contrahendi cum alijs, posset que à suis progenitoribus iure genitæ alimenta exigere: ergo id posset iure filiæ; ac proinde filia esset. Secundo: nam humanitas, sic producta, posset esse principium actionum supernaturalium credendi, & sperandi, & amandi Deum: ergo posset adoptari in Filiam Dei; & consequẽ

*Cõfirmat primo.*

*Cõfirmat secundo.*

ter filiatio adoptiua potest denominare naturam. Tertio: nam anima separata, esto persona non sit, iure filiæ recipit gloriam: ergo est veré filia adoptiua.

*Cõfirmat tertiò.*

79 *Cõtra eã solutionẽ opponũt Recentiores. Primo.*

Contra quam solutionem alij Recentiores opponunt primo; quia innititur suppositioni impossibili, nempé, quod humanitas possit sine vlla subsistentia produci. Secundo: nam illo admisso, humanitas sic producta non posset dici homo; quia *homo* est concretum, *humanitas* autem abstractum; sed *filius*, & *filia*, non minus sunt concreta, quam *homo*: ergo humanitas sine subsistentia producta non esset filia naturalis hominis producentis; & consequenter nullius posset esse filia adoptiua. Tùm; quia filius adoptiuus non abstractum, sed concretum est. Tum etiam; quia filius adoptiuus loco filij naturalis habetur; & cõsequenter, quod incapax est filiationis naturalis, etiam est incapax filiationis adoptiuæ. Vnde in illo casu (inquiunt) sicut humanitas non esset homo, sed humanitas, ita non esset filia, sed filieitas, & quatenus similis suis progenitoribus in natura esset filieitas naturalis, & hoc iure posset à suis progenitoribus alimenta petere, & per gratiam habitualem non esset filia adoptiua, sed adoptiua filieitas, admitteturque ad gloriam, non iure filiæ adoptiuæ, sed iure adoptiuæ filieitatis.

*Secundo.*

80 *Impugnationes istæ, non vrgent: nõ prima*

Hæc tamen parum vrgent: non primum; quia esto impossibile sit, humanitatem sine subsistentia existere, negari tamen non potest, animam rationalem existere sine personalitate; aliàs separata esset persona; & consequenter de illa potest Auctor traditæ solutionis asserere, esse filiam Dei adoptiuam, nisi alia conuincatur ratione. Nec magis vrget secundum: nam etiam esse crucifixum, mortuum, intelligens, & volens sunt concreta; & tamen de humanitate *abstractè* sumpta affirmantur: ergo ex eo quod *filius*, & *filia* concreta sint, non colligitur non posse de humanitate affirmari; ac proinde nõ præcisé ex ratione communi concreti, *homo* de *humanitate* negatur, sed ex ratione talis concreti, quia nimirum, pro completé subsistente supponit: humanitas autem sine personalitate, completé subsistens non est.

*Nec secũda, et reijcitur 1.*

Deinde falsum est id, quod infert, nimirum, humanitatem sine subsistentia productam, sicut non esset homo, sed humanitas non esse filium, sed filieitatem. Ideò namque humanitas talis dicitur, quia est homini ratio vt sit homo; at humanitas non est homini ratio formalis vt sit filius; aliàs filiatio diceretur de supposito ratione naturæ, quod est contra Diuum Thomam, & falsum propter eius rationem: ergo nec esset filius, nec filieitas.

81 *Secundo. Humanitas sine subsistentia producta, nec esset filia nec filieitas.*

Quare his omissis aliter est reijcienda præfata Auctoris solutio: primo ex communi modo loquendi, secundum quem humanitas, nec pater, nec filia dicitur, quod Divus Thomas, vt per se notum absque probatione reliquit: non autem licet à communi modo loquendi recedere in rerum denominationibus. Secundo: nam si licet contra istũ communem modum loquendi asserere humanitatem veré esse, & dici filiam, liceret etiam docere, humanitatem esse personam; hoc autem absurdum est: ergo & illud ex quo sequitur. Patet sequela: non enim alia ratione id affirmare non licet, nisi quia diffinitio personæ, scilicet: *Rationalis naturæ, indiuidua substantia*, cõmuniter explicatur de indiuidua substantia completa; at communi illo modo circa filiationis denominationem sentiendi, & loquendi relicto, etiam liceret relinquere istam communem explicationem diffinitionis personæ: ergo illo admisso, posset etiam eadem ratione admitti humanitatem esse personam.

82 *Solutio P. Hurt. reijcitur primo.*

*Secundo.*

Tertio: quia vt *superius* arguebamus, est possibilis aliqua denominatio, præter denominationem personæ, soli personæ, non autem humanitati, vel naturæ in abstracto sumptæ competẽs: hac autem possibilitate admissa, non est cur id negetur de filij, aut patris denominatione: ergo est ita sentiendum de illa. Deniq; nam si humanitas sine subsistentia producta, posset esse filius, aut filia, etiam coniuncta supposito, eadem denominatione gauderet, sicut quia separata, potest denominationem

83 *Tertio.*

*Quarto.*

intelli-

intelligentis subire, eiusdem capax est in proprio existens supposito; hoc autem absurdum est: ergo humanitas incapax est denominationis filij. Probo minorem: si humanitas in proprio supposito existens, denominaretur filia, etiam in supposito alieno, nempé, in supposito Verbi, eandem denominationem subiret: hoc autem affirmari nō potest; aliàs essent duo filij in Christo realiter inter se distincti, contra sanam, & catholicam doctrinam: ergo humanitas in proprio existens supposito, non potest denominationem filiæ subire.

84 *Respōdebis.* Si dicas: concedere duos filios *completè* in Christo, esse contra fidem: non autem fidei aduersari, concedere duos filios: vnum *completè*, & alterum *incompletè*, & quorum vnus in altero, vt ipsum componens claudatur, qualiter humanitas in Christo, vt ipsum componens includitur. In contrarium obstat primo à Concilijs, & Patribus, duos filios in Christo absolutè negari: ergo quia sentiunt filium posse solum denominare personam.

*Cōtra 1.*

*Secundo.* Secundo: nam si hæc explicatio admittatur, etiam poterit sine fidei præiudicio affirmari, esse in Christo duas personas; consequens est hæreticum: ergo absurdum est asserere, esse in Christo duos filios. Patet sequela: nam in Concilio Francofordiensi, & in alijs passim habetur: *Christum duos filios non esse*, & eodem tenore verborum, quo in Christo duæ negantur personæ: ergo si hoc non obstante, licet Concilia explicare de duobus filijs *completè*: non autem, quod negent duos filios vnum inclusum in alio, licebit eadem explicatione duas in Christo constituere personas, quod absurdum, & hæreticum est.

85 *Ad motiuum P. Hurtad. respond.* Nec iuvant, quæ in sui fauorem prædictus Auctor adducit: non enim filiatio omne genitum denominat, sed genitum *perfectè*, & *completè*: humanitas autem sine subsistentia producta, non esset genita secundum perfectam denominationem geniti, sed secundum imperfectam; & ideò non esset filia.

*Ad 1. cōfirmationem* Et ex his ad primam confirmatio nem constat solutio: posset enim alimenta exigere iure genitæ *incompletè*, & *imperfectè*, ex quo non sequitur posse illa exigere iure filiæ. Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam. Sicut enim filiatio naturalis, non sequitur ad quamcumque geniti denominationem, sed tantum ad perfectam, & completam, idest, ad genitum *completè*, & *perfectè* subsistens: ita filiatio adoptiua, non sequitur ad quodcūque subiectum gratum, & operans operationes diuinas, sed ad gratum, & operans *perfectè*, & *completè* subsistens. Ad tertiam, distinguo antecedens: iure filij, filiatione ipsam animam denominante, nego antecedens: iure filiationis viæ denominantis suppositum, cui in via coniuncta erat, concedo antecedens, & nego consequentiam: quod si numquam fuisset supposito, vel personæ coniuncta, non reciperet gloriam iure filiæ, sed iure gratæ, & genitæ spiritualiter per gratiam generatione secundum imperfectam denominationem: ex quo non sequitur, illam iure filiæ recipere.

*Ad secundam.*

*Ad tertiam.*

86 *Secunda solutio reijcitur primo.* Deinde secunda solutio reijcitur primo: quia est contra Scotum, cuius doctrinam Auctor illius solutionis defendit: quod patet: nam Scotus *locis vbi supra relatis*, expressé affirmat, quod si ratio filij, non naturæ competat, sed personæ, Christus esse nequit Filius adoptiuus Dei; quia tamen censet rationem filij, personæ ratione naturæ competere, in oppositam sententiam inclinare videtur; at secunda solutio contendit, Christum, in quantum hominem, esse Filium adoptivum Dei; licet denominatio filij, non naturæ competat, sed personæ: ergo menti Doctoris Subtilis repugnat.

*Secundo.* Secundo: nam Christum, in quantum hominem ly *in quantum* determinante suppositum, esse Filium naturalem Dei ex *infra* dicendis constabit; at Christus, in quantum homo, ly *in quantum* determinante naturam, nullius filiationis est capax, vt constat ex dictis: ergo ea ratione, qua est in Christo ad filiationem capacitas, est Filius naturalis Dei; & consequenter est incapax filiationis adoptiuæ.

87 *Tertio*

Denique: nam licet verũ sit, Christum, in quantum hominem, esse naturæ extraneæ, & suppositum in natura extranea subsistens, falsum tamen est, esse personam extraneam; sed ad adoptionem petitur persona extranea, vt cõstat ex eius diffinitione: ergo Christus, in quantum homo, Filius adoptiuus nõ est. Maior probatur; licet Christus, in quantum homo, sit suppositum naturæ finitæ, & in natura finita subsistens, non tamen est persona finita, nec id potest Catholicé dici: ergo pariter licet Christus, in quantum homo, sit suppositum naturæ extraneæ, & in natura extranea subsistat; non est, nec potest dici, etiam, vt homo, quod sit extranea persona. Et augetur difficultas: Christus, in quantũ homo, est persona per subsistentiam infinitam, Deoque consubstantialem, & ipsi identificatam; sed subsistentia infinita Deo consubstantialis, & ipsi identificata, à Deo extranea non est: ergo persona constituta per illam, extranea à Deo esse nequit.

*Cõfirmatur.*

88 *Respondebis.*

Si dicas: personam constitutam per subsistentiam Deo consubstantialem, ipsique identificatam, non posse esse extraneam à Deo, extraneitate illi⁹, quod in persona importatur in recto, videlicet subsistentiæ, posse tamen extraneitatẽ habere ratione illius, quod importat in obliquo, nempé, ratione naturæ, & hoc ad filiationem sufficere. In contrarium obstat; vt enim ex diffinitione adoptionis constat, vt quis adoptetur in filium, requiritur, quod persona extranea sit; at extraneitas naturæ, non sufficit, vt persona in illa subsistens, persona extranea dicatur: ergo nec sufficit vt sit capax adoptionis. Probo minorem: finitudo, aut limitatio naturæ, nõ sufficit, vt persona in illa subsistens, dicatur persona finita; aliàs Christus, vt homo, persona finita posset absoluté dici: ergo pariter extraneitas naturæ non sufficit, vt persona in illa subsistens, persona extranea dicatur.

*Contra.*

89 *Tertia solutio reijcitur 1.*

Tandem vltima solutio reijcienda venit primo: quia pugnat cum mente Scoti, cuius doctrinam Auctor illius solutionis defendit: ergo ab ipso sustinenda non est. Antecedens constat ex dictis contra secundam solutionem. Secundo nam filiatio adoptiua est quædam participatio, & imitatio filiationis naturalis; sed id, quod dicitur de aliquo secundum perfectam rationem, ne quid de illo dici *imitatiuè*, & secundum rationem imperfectã, vt ex D Thoma vidimus, & illius exemplo monstrauimus: ergo non stat de eodem secundũ eandem rationem prædicari rationem filij naturalis, & rationẽ filij adoptiui.

*Secundo.*

Tertio: vt enim ex Concilio Francofordiensi vidimus, filius adoptiuus, nullam aliam significationem habet, nisi quod ille, qui adoptatur, verus, & proprius filius adoptantis non sit: ergo filiatio adoptiua dicit negationem filiationis naturalis; & consequenter non stat de eodem secundum eandem rationem vtramque filiationem prædicari.

*Tertio.*

90 *Quarto.*

Quarto: nam ad filiationem adoptiuam, præter negationem iuris ad hæreditatem, alia extraneitas in persona adoptanda requiritur; at hæc extraneitas in nullo alio potest consistere, nisi in negatione filiationis naturalis, & cõsubstantialis adoptati cum adoptante: ergo cum filiatione naturali, adoptiua non componitur. Probo maiorem ex diffinitione adoptionis, qua dicitur, *adoptio est gratuita, & liberalis assumptio personæ extraneæ ad alterius hereditatẽ*: duo ergo ad adoptionem petuntur, nimirum, quod adoptans, non ex debito, sed gratiosé, & liberaliter assumat adoptatum ad propriam hæreditatem, & quod adoptatus persona extranea sit; at extraneitas in negatione iuris cõsistẽs, sufficienter explicatur per illam primã particulam, *gratuita, & liberalis assumptio*: ergo præter hanc extraneitatem, alia ad adoptionem requiritur.

91 *Quinto.*

Denique: nam falsum est id, quod in eadem solutione asseritur, nimirum, Christum vt subsistentẽ in humanitate, non habere ius ad diuinã hæreditatẽ; vt enim primam rationem prosequentes, ostendimus, nõ stat personam Verbi in natura rationali subsistere, quin illi debeatur omnis supernaturalis perfectio; & consequenter hæreditas, ad quã est in tali natura capacitas. ergo cum terminatione humanitatis per subsistentiã Verbi, nõ stat extraneitas consistens in

nega-

negatione iuris ad diuinā hæreditatē. Nec obstat ius ciuile, quod in sui fauorem Auctor tertiæ solutionis adducit: nam iure Romanorum ciuili, filius extra Patriam potestatē existens, omni iure pribatur ad Patriam hæreditatem, & quia solum hoc ius attendit ciuilis consideratio; fit, vt in consideratione ciuili, filius naturalis non esset; ac per consequens capax existeret ciuilis adoptionis; filius tamen naturalis Dei semper est in consideratione Theologica filius proprius, naturalis, & verus, cum quo non compatitur esse filiū adoptiuum, quia vt sæpé iam ex Concilio Francofordiensi notauimus, adoptiua filiatio dicit negationem filiationis veræ, naturalis, & propriæ.

*Instātiæ, qua vtitur Auctor 3. solutionis respond.*

*Secundū ius ciuile ille, qui filius naturalis fuit adoptari potest à Patre.*

## §. VI.

### *Obiectionibus contra istam rationem occurritur.*

92 *Cōtra rationē D. Tho. arguitur 1.*

PRIMO arguitur: etenim ex illa sequitur, casu in quo Spiritus Sāctus humanitatē assumeret, fore Filiū Dei adoptiuum; consequens est falsum, & contra omnes Auctores nostræ sententiæ: ergo ratio D. Thom. est insufficiēs. Probatur sequela: ratio, qua excludimus à Christo, vt in humanitate subsistente, rationem Filij adoptiui, est, quia est Filius naturalis, & non stat de eodē prædicari filiationem naturalem, & filiationem adoptiuam; at Spiritus Sanctus humanitatem assumens, filius naturalis non esset, vt ex dicendis constabit: ergo esset Filius adoptivus Dei.

93 *Respond.*

Respondeo, distinguendo consequens: hac sola ratione attenta, transeat consequens: absolutè, & attenta prima ratione Angelici Præceptoris, nego consequentiam. Nec sequitur, rationem Diui Thomæ deficere; est enim efficax ad probandum, Christum, in quantum hominem, Filium adoptivum non esse: quia nempé, est Filius naturalis Dei, & non stat simul esse Filium naturalem, & adoptiuum, licet non probet in casu illo metaphysicé possibili de assumptione humanitatis à tertia Trinitatis persona, Filium adoptivum non fore: nam filiatio naturalis competens Christo, vt in humanitate subsistenti, est ratio sufficiens excludendi filiationem adoptiuam, non tamen est necessaria, sed potest filiatio adoptiua ob alias rationes à Spiritu Sancto excludi. Tùm, quia persona extranea non esset. Tùm etiam, quia ex vi assumptionis humanitatis ab ipso, ei competeret ius ad Dei hæreditatem in humanitate assumpta, cum quo iure non compatitur filiatio adoptiua.

*Si Spiritus Sanctus carnē assumeret, nō esset Filius adoptiuus Dei*

Et quidē nemo potest inficiari, Diuinū Verbū optima ratione excludi à ratione filij adoptiui, quia est Filius Dei naturalis per essentiā; & tamen ratio hæc in Spiritu Sancto nō militat, cum Filius naturalis non sit. Pariter ergo in præsenti, ex eo quod ratio Diui Thomæ in Spiritu Sancto non probet, casu in quo humanitatē assumeret, neutiquam potest inferri, efficacem ad intentum de Christo conuincendum non esse.

94 *Instatur argumentum.*

95 *Secundo arguitur.*

Secundo arguitur: humanitas Christi Domini est sancta sanctitate substantiali à diuinitate substantialiter vnita, & à sanctitate accidentali per gratiam habitualem; & tamen sanctitas accidentalis, est sanctitas imperfecta respectu sanctitatis substantialis: ergo stat dici aliquid de eodem secūdum perfectam, & imperfectam rationem: ac proinde nō obstante, quod filiatio adoptiua sit imperfecta filiatio, poterit affirmari de Christo, vt subsistente in humanitate, tametsi de illo enuntietur filiatio Dei naturalis, in qua perfecta ratio filiationis reperitur.

96 *Respond.*

Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: sanctitas accidentalis est sanctitas imperfecta respectu substantialis, imperfectione formali, & negatiua, concedo minorem: imperfectione subiectiua, & priuatiua, nego minorem: & sub eadem distinctione primi consequentis, nego secundam consequentiam. Nam sanctitas accidentalis est imperfecta respectu substantialis, imperfectione negatiua, & formali, hoc

*Sanctitas substantialis et accidentalis possint eidem subiecto conuenire.*

est, sanctitas minus perfecta, quam illa, non tamen imperfectione subiectiua, & priuatiua, hoc est, dicens ex parte subiecti oppositionem aliquam cum sanctitate substantiali, nec dicens priuationem illius in subiecto, in quo reperitur; cum non petat in subiecto rationem aliquam incompatibilem cum capacitate recipiendi sanctitatem substantialem. Potest enim idē subiectum duplici forma, altera perfectiori, & altera minus perfecta actuari, vt constat in intellectu Christi, simul actuato scientia beata, per se infusa, & naturali, quarum prima, secundam, & secunda, tertiam superat in perfectione: ac proinde possunt simul sanctitas substantialis, & sanctitas accidentalis in eodem subiecto inueniri

97 *Nō sic filiatio adoptiua, et naturalis.*

Secus in filiatione adoptiua respectu naturalis cōtingit. Nā opponūtur *subiectiuè* & *priuatiuè*: primū quia petunt ex parte subiecti conditiones repugnātes, nēpe, intraneitatē vna, & extraneitatē alia: secundum, quia filiatio adoptiua dicitur per analogiam ad filiationem naturalem, & imitationē illius; cum autem de aliquo principale extremū *analogicè* prædicatur, nequit de eodem minus principale, illiusque imitatiuum affirmari, vt constat in homine viuo, & picto; quia namque homo pictus dicitur per analogiam ad viuum, & illius imitationem, ille, de quo ratio hominis viui enuntiatur, nequit ratio hominis picti enuntiari, & ideò filiatio adoptiua est *priuatiuè* imperfecta respectu filiationis naturalis, & de hoc genere imperfectionis loquutus est Diuus Thom. cum docuit, de quo aliquid affirmatur secundum rationem perfectam, nō posse idem enuntiari secundum imperfectam rationem.

98 *Replicabis.*

Sed dices: sanctitas accidentalis, etiam dicitur sanctitas per analogiam ad sanctitatem substantialem diuinam, & imitationem illius; & tamen potest conuenire subiecto, in quo sanctitas substantialis diuina inuenitur, nempe, in Christi humanitate: ergo id, quod dicitur *analogicè*, & *imitatiuè* tale, non opponitur *priuatiuè*, & *subiectiuè* extremo principali analogiæ, nec repugnat, aliquid dici de eodem secundum perfectam, & imperfectam rationem imperfectione analoga *participatiua*, & *imitatiua*. Respondeo, distinguendo maiorem: per analogiam ad sanctitatem substantialem diuinam, vt Deo essentialiter conuenientem, concedo maiorem: vt in extraneo subiecto existentem, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam extremum principale analogiæ, quæ inter sanctitatem diuinam, & accidentalem creatam inueniri tur, non est sanctitas diuina, vt existens in alieno subiecto, sed vt existēs in Deo, cui conuenit per essentiam: ex quo solum sequitur, sanctitatem accidentalē opponi *subiectiuè* sanctitati diuinæ, vt existenti in Deo; non autem quod *subiectiuè* opponatur eidem substātiali sanctitati diuinæ, quatenus in humanitate Christi existit.

*Respond.*

*Sanctitas creata dicitur analogicè in ordine ad diuinam, vt Deo in se ipso conuenientē.*

99 *Instabis primo.*

Sed vrgebis contra istam solutionē primo: de sanctitate diuina, vt sanctificatiua humanitatis Christi, & de gratia habituali prædicatur ratio sanctitatis, sed non prædicatur *vniuocè*; cum respectu nullius formalitatis diuinæ possit dari prædicatum vniuocum cum formalitate creata: ergo *analogicè* prædicatur de illis; & consequenter sanctitas accidentalis creata dicitur talis per analogiam ad sanctitatem increatam diuinā, non solum vt Deum sanctificantem, sed etiam vt sanctificat humanitatem Christi. Secundo: nam si verum est, sanctitatem creatam non dici talem per analogiam ad sanctitatem diuinam, vt sanctificantem humanitatē, sed vt Deū sanctificantem, etiam filiatio adoptiua dicetur filiatio per analogiam ad filiationem naturalem Dei, vt constituentē Verbum essentialiter Filiū: nō autem vt constituentē Christum Filium naturalem Dei; cum par sit in vtroque casu ratio: ergo sicut ob hanc causam cōpatiuntur simul in humanitate Christi, sanctitas accidentalis, & sanctitas substātialis, etiam compatientur in Christo filiatio naturalis, & filiatio adoptiua.

*Secundo.*

100 *Ad 1. instantiam respond.*

Respondeo ad primam instantiam: sanctitatem diuinam, vt sanctificantem ad intra, non differre à se ipsa, vt sanctificatiua ad extra, secundum aliquid importatum in recto, sed solum pro obliquo, nempe, pro subiecto connotato,

vnde

vnde eadem analogia, qua dicitur sanctitas de sanctitate accidentali, & diuina, vt sanctificante ad intra, dicitur etiã de illa, vt sanctificante ad extra, ly *vt* reduplicante rectum formæ sanctificatiuæ: non autem reduplicante obliquum, hoc est, subiectum sanctificandum: nam sic non analogantur sanctitas accidentalis, & sanctitas substantialis diuina, imo in eodem numero subiecto conueniunt. Nec analogia desumitur ex comparatione ad extra, sed ex comparatione ad intra, nempé, ad Deum ipsum sanctificandum, in quo sanctitas diuina exiſtit, vt in causa finali, exemplari, & effectiua sanctitatis creatæ.

*Sanctitas substantialis, et accidentalis cõpatiũtur in Christo.*

101 *Ad secundam.* Ad secundam, nego sequelam: disparitas autem est; nam respectu sanctitatis diuinæ variantur, & multiplicantur subiecta suscipientia sanctitatem, nempé, Deus, cui conuenit per essentiam, & humanitas, cui conuenit per gratiosam communicationem: ac proinde datur locus, vt sanctitas accidentalis creata dicatur talis per analogiam ad sanctitatem diuinam, vt comparatam cum vno subiecto, non autem vt comparatam cum alio. Cæterum respectu filiationis naturalis diuinæ, non multiplicantur subiecta, sed est idem Verbũ, quod in vtraque natura dicitur Filius naturalis Dei; cum hoc tamen discrimine, quod vt in diuinitate subsistens, est filius naturalis ab æterno; vt tamen in humanitate subsistens, est Filius naturalis Dei in tempore per gratiam vnionis humanitati factam, vnde filiatio adoptiua dicitur per analogiam ad filiationem naturalem Verbi ipsi conuenientem, vt subsistenti in humanitate.

*Nõ sic filiatio adoptiua, & naturalis.*

102 *Secundo resp. ad 2. argumentum.* Secundo responderi potest ad secundum argumentum: sanctitatem increatam, licet sanctitas perfecta sit, non tamen dici de humanitate Christi secundum perfectam sanctitatis increatæ rationem; hoc enim modo solum prædicatur de Deo, cui conuenit per essentiam, non autem de humanitate, cui conuenit per gratiosam communicationem; ac proinde non obstante, quod humanitatem sanctificet, relinquit locum sanctitati accidentali; forma namque perfecta, solum perfectè communicata, formam imperfectam excludit. Iuxta quam doctrinam ad argumentũ in forma, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Solum enim sequitur, quod humanitas sit sancta à sanctitate substantiali, quæ perfectior est, & ab accidentali, quæ est sanctitas minus perfecta: ac proinde, quod dicatur sancta secundum magis, & minus perfectam formam sanctitatis: non autem quod sanctitas dicatur de illa secundum perfectam, & imperfectam rationem. Ad hoc enim requirebatur, quod sanctitas substantialis diuina diceretur de humanitate secundum perfectam rationem sanctitatis diuinæ, quod tamen falsum est, vt constat ex dictis.

*Forma perfecta, perfectè cõmunicata, excludit formam imperfectã, aliàs nõ.*

Sed dices; etiam filiatio naturalis, quamuis in se sit perfecta, non dicitur de Christo, vt homine, secundum perfectam rationem filiationis naturalis diuinæ: ergo potest secum compati filiationem adoptiuam, licet sit filiatio imperfecta. Consequentia tenet ex doctrina traditæ solutionis. Antecedens autem probatur; ideò sanctitas increata non conuenit humanitati Christi secundum perfectam rationem sanctitatis increatæ, quia non conuenit per essentiam, sed per liberalem, & gratiosam communicationem; sed etiam filiatio naturalis diuina conuenit Christo, vt homini, non per essentiam, sed per liberalem, & gratiosam communicationẽ; est enim Filius Dei naturalis per gratiam vnionis, vt ex dicendis constabit: ergo non conuenit illi secundum perfectam rationem.

103 *Instabis.*

Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: non per essentiam, sed per gratiam factam humanitati, cõcedo minorem: per gratiam factam supposito Verbi subsistenti in humanitate, nego minorem, & consequentiã. Nam respectu sanctitatis fit gratia subiecto suscipienti denominationem sancti, nempé, humanitati, quæ sanctificatur à Verbo; & ideò sanctitas non conuenit tali subiecto secundum perfectam rationẽ sãctitatis increatæ. Cæterũ gratia, quæ interuenit, vt Christus, quatenus homo, Filius naturalis sit, non fit subiecto denominato filio; hoc enim est suppositum Verbi in humanitate subsistens,

104 *Respond.*

*Alia differentia notanda inter sanctitatẽ, et filiationẽ*

quod ratione sui incapax est recipiendi gratiam à Deo, sed fit humanitati, per hoc, quod filiatio Verbi, illam terminat, & ipsi communicatur: ac proinde subiectum recipiens denominationem filij naturalis plenissimé, & perfectissimé filius naturalis est.

105 *Tertio arguitur, et replicatur contra dicta.*

Tertio arguitur, & replicatur contra dicta: non minus opponuntur esse sanctum per essentiam, & esse sanctum per participationem, quam esse filium naturalem, & esse filium adoptiuum; sed quamuis in Christo vna tantum reperiatur persona; quia tamen duas terminat naturas, est sanctus per essẽtiam, vt subsistit in natura diuina, & sanctus per participationem, quatenus subsistit in humana: ergo pariter non obstante vnitate personæ, quia in duabus naturis subsistit, poterit esse Filius Dei naturalis, vt subsistit in natura diuina, & Filius adoptiuus, vt in humana subsistens. Minor cum consequentia tenet. Maior autem non minus nota videtur: nam esse sanctum per participationem, est esse sanctum secundum imperfectam rationem, & *imitatiuè* ad sanctitatem per essentiam; sed hac de causa opponitur filiatio adoptiua cum filiatione naturali, vt ex D. Thoma vidimus: ergo non minus opponuntur esse sanctum per essentiam, & esse sanctum per participationem, quam esse filium naturalem, & adoptiuum.

106 *Respond.*

Respondeo, distinguẽdo maiorẽ: seruata comparatione ad vnum, & idẽ subiectum secundũ eandẽ rationem, concedo maiorem: non seruata ista comparatione, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Itaque esse sanctum per essentiam, & esse sanctum per participationem vnum, & idem subiectum secundum eandem rationem, non minus repugnat in terminis, quam esse Filium naturalem, & filium adoptiuum; est tamen hoc inter sanctitatem, & filiationem discrimen, quod sanctitas conuenit suppositò, non *immediatè*, sed mediante natura, & ratione naturæ, vnde cum in Christo sint duæ naturæ in vno, & eodem supposito; fit, quod ratione vnius, nempẽ naturæ diuinæ, sanctus per essentiam sit, & ratione alterius, scilicet, naturæ humanæ sit sanctus sãctitate per participationẽ. Cæterum filiatio non conuenit suppositò mediante natura, & ratione naturæ, sed *immediatè*, & ratione sui, vt ex Diuo Thoma monstrauimus, & cum in Christo vnum tantum suppositum sit, quod est filius naturalis; consequens fit, quod adoptiuus esse non possit.

107 *Retorquetur arg. contra illo vtentes.*

Ex quibus argumentum factum in contrarios retorqueri potest: si namq; sanctitas cõueniret *immediatè* suppositò, & non mediante natura, non posset suppositum Verbi, etiam vt in humanitate subsistens, esse sanctum sanctitate participata, & accidentali, quia sanctũ per essentiam est; sed non minus opponuntur adoptiua, & naturalis filiatio, quam sanctitas per essentiam, & sanctitas per participationem; & aliàs filiatio conuenit *immediatè* suppósito: ergo suppositum Christi, quod est Filius naturalis, nequit esse Filius adoptiuus, etiam vt in humanitate subsistens. Ita Divus Thomas *in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. ad 1. quæstione 29. de Veritate art. 1. ad 1. & in præsenti quæstione 23. art. 4 ad 1. & 3.* S. Tho.

108 *Instabis primo.*

Sed contra istam solutionem obijcet aliquis primo: non minus personaliter dicitur ratio personæ, quam dicatur ratio filij, nec minus opponuntur compositio, & simpliciras, quam filiatio adoptiua, & naturalis; cum simplicitas dicat negationem compositionis, sicut adoptio negationem filiationis naturalis; sed non obstante vnitate personæ in Christo, dicitur persona simplex, vt in Deitate subsistens, & persona cõposita prout subsistit in duabus naturis, humana, scilicet, & diuina: ergo pariter non obstante eadem personæ vnitate, poterit dici Filius naturalis Dei, prout subsistit in natura diuina, & filius adoptiuus, vt subsistit in humana. Secundo: non minus opponuntur filiatio temporalis, & æterna, quam filiatio adoptiua, & naturalis; sed quamuis filiatio *immediatè* subijciatur in persona, Christus est Filius Æternus Dei, & Filius Virginis temporaliter: ergo pariter quamuis filiatio immediatè de persona dicatur, & in Christo sit vna tantum persona, poterit dici Filius naturalis, & adoptiuus.

*Secundo.*

109 *Tertio.*

Tertio: nam filiatio non conuenit *immediatè* ſuppoſito, ſed mediante natura, & ratione illius: ergo quamuis in Chriſto ſit tantum vna perſona, quia tamen duas terminat naturas, poterit ratione vnius eſſe filius naturalis, & ratione alterius eſſe filius adoptiuus. Conſequentia ex dictis tenet. Antecedens autem probatur: generatio, vt docet D. Tho. *infra q. 35. art. 1.* non conuenit *immediatè* ſuppoſito, ſed mediante natura, & ratione illius: quo circa duplicē realem generationem, vnam æternā, aliam temporalem admittit Angelicus Præceptor in Chriſto: ergo filiatio non cōuenit *immediatè* ſuppoſito, ſed mediante natura. Patet conſequentia primo: nam filiatio ſupra generationem fundatur; ſed relatio, & fundamentum, idem reſpiciunt ſubiectum: ergo ſi generatio non recipitur *immediatè* in ſuppoſito, ſed mediante natura, filiatio non *immediatè*, ſed mediante natura recipietur in perſona. *Prob. cōſequentia primo.*

*Secundo.*

Secundo: nam ſicut eſſe filium eſt tantum ſubſiſtentis, ita etiam eſſe genitum, tantum ſubſiſtentis eſt; & tamen hoc non obſtante generatio mediante natura recipitur in perſona: ergo pariter filiatio, quāuis tantū ſit ſubſiſtentis nō conueniet *immediatè* perſonæ, ſed mediante natura.

*Tertio.*

Tertio: quia ſicut natura non dicitur filia, ita nec dicitur genita; ſed hoc non obſtante eſt medium ratione cuius, conuenit generatio perſonæ: ergo id nō obſtabit, quominus, etiam ſit medium ratione cuius filiatio perſonæ conueniat.

110 *Cōfirmatur.*

Et confirmatur: ſi namque ob aliquam rationem filiatio non competeret ſuppoſito ratione naturæ, maximè quia naturæ nullam tribuit denominationem; ſed hoc eſt falſum; & licet verum ſit non concludit: ergo non conuenit immediatè perſonæ, ſed mediante natura. Prima pars minoris probatur: natura dicitur aliquo modo genita; aliàs non eſſet immediatum ſubiectum generationis in principijs Diui Thom. cui autem aliquo modo conuenit fundamentum relationis, etiam relatio ipſa aliquo modo conuenit; ſed genitum eſſe, & fundamentum filiationis, & natura dicitur aliqua ratione genita: ergo etiam dicitur aliqua ratione filia. Deinde pro ſecunda parte probatur: Verbo Diuino conuenit eſſe genitum ratione naturæ, & Patri etiam conuenit eſſe generantem ratione naturæ; & tamen natura in Verbo nullo modo dicitur genita, nec in Patre dicitur generans, ſicut nec producens, nec producta: ergo ex eo quod natura, nullo modo dicatur filia non probatur filiationem, non competere ſuppoſito ratione naturæ. *Minor pro 1. parte prob.* *Proz par te prob.*

Reſpondeo ad primam inſtantiam, negando ſecūdam partē maioris. Nam compoſitio totius, etſi opponatur ipſius ſimplicitati; non tamen opponitur ſimplicitati partium; ac proinde cū compoſitione Chriſti ex humana, & diuina natura ſtat ſimplicitas Verbi, vt ſubſiſtentis in diuina natura, quod prout ſic eſt vnum extremum compoſitionis Chriſti, vt eſt humana perſona. Adoptio autem opponitur filiationi naturali, ex quocumque capite conuenientē perſonæ; quia eo ipſo, quod perſona ex vno capite ſit intranea, vel ratione filiationis naturalis, vel conſubſtantialitatis, vel iuris connaturalis, abſolutē intranea dicitur, quamuis habeat aliquam ſui partem extraneam; & ideò cum filiatione naturali, cum conſubſtantialitate, & iure connaturali ad hæreditatem diuinam conuenientē perſonæ Chriſti, vt in humanitate ſubſiſtenti ex capite ſubſiſtentiæ perſonalis, quamuis humanitas ex qua, & Verbi ſubſiſtētia perſona Chriſti componitur, ſit ratione ſui extranea, non ſtat in Chriſto ad adoptionem capacitas. 111. *Ad 1. replicam reſpond.* *Cōpoſitio perſonæ Chriſti Verbi ſimplicitati non opponitur.*

Et ex his ad ſecundam obiectionē, nego maiorem. Nam incept.o, aut nouitas filiationis, tametſi opponatur æternitati totius, quod Filius de nouo denominatur, non tamen pugnat cum æternitate omnium partium: nam eo ipſo, quod vnum ex componentibus incipiat de nouo exiſtere, quāuis aliud ſit æternum de nouo exiſtit compoſitum: ac proinde vt Chriſtus ſit, & dicatur Filius Virginis temporaliter, ſufficit, quod de nouo inceperit terminare humanitatem ex Virginis viſceribus ſumptam, quamuis in diuinitate extiterit ab æterno. Cæterum filiatio adoptiua opponitur intraneitati, conſubſtantialitati, & connaturalitati iuris cuiuſ- 112 *Ad ſecundam.* *Nec quod tēporaliter incœperit eſſe Filius Virginis, cū eiuſdem Verbi æternitate pugnat.*

vis

vis ex componentibus subiectum adoptandum in filium. Tùm, quia eo ipso, quod in illo reperiatur intraneitas, quã uis ex vno tantum principio, non potest absolutè extraneum dici, quod ad adoptionem requiritur, vt ex eius diffinitione cõstat. Tum etiá, quia vt multoties in Cõcilio Francofordiẽsi docetur, Filius adoptiuus solo affectu adoptanti coniungitur; eo autem ipso, quod ex vno capite filius naturalis sit, non potest solo affectu coniungi: ac proinde filiatio adoptiua pugnat cum naturalitate, vel consubstantialitate totius, quãuis ex vno tantum principio conueniat.

113 *Ad tertiam.* S. Thom.

Ad tertiam, nego antecedens: filiationẽ nãque immediatè, & ratione sui conuenire suppositio, docuit D. Thom. *Opusc. 2. cap. 212. quodlibet. 1. art. 2. quodlibet. 9. q. 2. art. 4. In 3. dist. 13. q. 1. art. 1. ad 1. infra q. 35. art. 5.* & pluribus alijs in locis, & Nos ex ipso *q. precedenti* mõstrauimus. Ad antecedentis probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: fundatur supra generationem, vt perfectè denominantem genitum, concedo maiorem: secundum imperfectam geniti denominationem, nego maiorem, & distinguo minorem: idem subiectum denominationis à relatione petitæ, concedo minorem: idem subiectum inhæsionis, nego minorem, & cõsequentiam. Nam licet generatio passiua immediatè inhæreat naturæ, illamque denominet aliquo modo genitam, scilicet, *terminatiuè*, & *transmutatiuè*, quatenus aliqua pars naturæ per generationem transmutatur, nempè, materia: non tamen tribuit illi perfectam geniti denominationem, & quia filiatio supra generationem fundatur, vt perfectè denominantem, quam denominationem soli supposito tribuit; fit consequens, quod non inhæreat, nec conueniat *immediatè* naturæ, sed soli supposito. Et quidem generatio actiua in frequentiori, & veriori sententia non inhæret agenti, sed passo; quia tamen actiuè sumpta non denominat passum, sed agẽs: Paternitas supra generationem actiuè sumptam, in probabili sententia fundata, nõ inhæret passo, sed agenti, nec passum denominat Patrem, sed agens, quia nempè, fundatur supra generationem, vt tribuentem denominationem generantis.

*Ad 1. probationẽ consequentiæ.*

Ad secundam, distinguo maiorẽ: esse genitum denominatione perfecta geniti, concedo maiorem: esse genitum denominatione imperfecta, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam denominatio filij, non æquiparatur cum quacumque geniti denominatione, sed cum denominatione perfecta, quæ soli supposito conuenit, & ideò relatio filij soli supposito inhæret. Ad tertiam, nego maiorem: natura namque nullo modo dicitur filia: dicitur autem aliquomodo genita: ac proinde non eodem modo negatur de natura esse genitam, quo negatur esse filiam.

114 *Ad secundam.*

*Ad tertiam.*

Quod si rationem huius discriminis petas, respondeo triplicem esse. Prima est: quia à nullo fuit aliquando denominata *filia*, quod si Recentior aliquis hãc denominationẽ admittat, audiẽdus nõ est, & Antiquiores sequendi; cũ tamen *genita* ab omnibus appelletur natura, sicut & natura Christi *passa* denominatur, & *mortua*. Secunda est, quia cum generatio sit via ad esse, speciem accipit à termino formali, quod est natura; & consequenter conuenit composito, aut supposito ratione naturæ: filiatio autem non est via ad esse, sed completũ esse supponit, & in illo immediatè recipitur: cumque subsistẽtia compleat naturam in ordine ad esse, in supposito immediatè recipitur, & illud solum denominat. Tertia est; quia generatio est processio viuẽtis à viuẽte: & quia natura est aliquo modo viuens, est etiam aliquo modo genita: filiatio autem non est relatio aliquo modo geniti, sed geniti secundum perfectam geniti denominationem; eo quod est perfectissimum in linea procedentium per generationem, vnde sicut ob hanc causam natura non potest denominari vlla ratione *personæ*, ob eandem nequit vllo modo denominari *filia*.

115 *Natura dicitur aliquomodo genita, nullo autẽ modo filia, triplici ratione. Prima.* *Secunda* *Tertia.*

Ad confirmationem, concessa maiori, nego vtramque partem minoris. Ad primæ partis probationem constat

116 *Ad cõfirmationẽ.*

ex

ex dictis: nam fundamentum filiationis est generatio non sub quauis denominatione, sed sub perfecta, qualiter naturæ non conuenit, sed soli supposito. Ad secundæ partis probationem cõcessa maiori; nego minorem. Natura namque in filio dicitur producta vt *quo*, & vt *quod* communicata, & in patre dicitur producens, vt *quo* radicaliter, & cõmunicans vt *quod*: ac proinde aliquo modo dicitur genita in filio, & aliquomodo dicitur in patre generans, quamuis neutrum cum proprietate, & absolutè dicatur.

*Natura diuina in filio dicitur aliquo modo genita, & in Patre, produces scilicet vt quo.*

## §. VII.

### *Soluitur primum contrariæ sententiæ argumentum, & explicatur, an Christus, vt homo, sit seruus?*

**117** *Arguitur primo cõtra cõclusionem.*

ARGVITVR primo: Christus, vt homo, vere, & propriè est seruus Dei: ergo etiam quatenus homo est filius Dei adoptiuus. Patet consequentia primo: nam Christus quatenus seruus, aliqua ratione est filius; sed vt seruꝰ, non est filius naturalis: pugnat enim in eodem supposito sub eadem ratione seruitus, & filiatio naturalis: ergo est filius adoptiuus. Secundo: quia non minus pugnant, & inter se incompatiuntur supremum dominium: & seruitus, quam filiatio adoptiua, & naturalis; sed quãuis personaChristi sit vna, & sit dominus supremus, vt subsistẽs in natura diuina, est seruus Dei vt subsistens in natura humana: ergo pariter nõobstãte, quod persona Christi sit vna, & sit filiꝰ Dei naturalis, quatenus in diuina natura subsistit, erit filius adoptiuus, vt subsistens in humanitate.

*Conſequẽtia probatur primo*

*Secundo.*

**118** *Tertio.*

Tertio: nam seruitus, & supremũ dominium, non minus pugnant in vna persona vnam tantum terminante naturam, quam naturalis, & adoptiua filiatio; & tamen compatiuntur simul quãuis sit vna persona si duas terminet naturas: ergo pariter, etsi filiatio adoptiua, & naturalis repugnent simul in vna persona terminante vnam tantum naturam; in vna tamen persona duas naturas terminante, poterunt simul cõponi. Denique: nam ab Adriano Primo *in epistola ad Episcopos Hispaniæ*, & à Concilio Francofordiensi, non minus de Christo, vt homine negatur seruitꝰ, quam filiatio adoptiua: ergo si hoc nõ obstante, Christum vt hominem seruũ cum proprietate defendimus, Conciliũ interpretantes, possumus etiam Christo, vt homini, salua auctoritatẽ Concilij, filiationem adoptiuam tribuere.

*Quarto.*

**119** *Respõdet aliquis negando veritatẽ, & propriam seruitutẽ in Christo. Vazq. Beccan. Hurtad. Lugo.*

Huic argumento facili negotio occurritur in sententia illorum, qui verã, & propriam seruitutem relegant à Christo, vt homine, & solum in sensu allegorico, & metaphorico, Christum fuisse seruum tuentur. Ita Vazquez *in hac 3. p disp. 80.* Beccanus *cap. 16. q. 2.* Hurtadus Complutensis *disp. 15. num. 10* & Salmanticensis *dip. 78. sect. 2 subsect. 1.* Cardinalis Lugo *disp. 88. sect. 3. & 4.* quos pauci Recentiores ex eadem familia sequuntur.

**120** *Mouentur primo*

Ducti primo, & potissimé auctoritate Adriani 1. in epistola ad Episcopos Hispaniæ ad medium Epistolæ illis verbis: *Tanta nimirum vos tenebrarum dementia deludit, vt adoptiuum cum filium, quasi purum hominem calamitati humanæ subiectum (& quod pudet dicere) seruum cum iniqui, & ingrati tantis beneficijs liberatorẽ nostrum non pertimescatis venenosa fauce susurrare.* Quod pluries repetit Adrianus in eadem Epistola, & Synodus Francofordiensis probantes, non posse cum vnitate personæ rationem serui propriã in humanitate Christi componi. ergo iuxta Adrianum, & Concilium Francofordiense, Christus in quantum homo seruus propria, & stricta seruitute non est. Quod argumentum adeò efficax visum est Petro Hurtado, vt asserere ausus fuerit sententiam negantem Christo, vt homini, veram, propriamque seruitutẽ diffinitam esse ab Ecclesia.

**121** *Secundo.*

Secundo: ex Patribus seruitutem Christo, etiam vt homini, negantibus

Ita

Athan. Chrysost. Euseb. Cyrillus. Theodor. Leo Ip.

Ita Athanasius *oratione 3. contra Arrianos.* Chrysostomus *homil. 13. in epistolam ad Hebræos.* Eusebius Emisenus *homilia 6. de Paschate* Cyrillus *in expositione Symboli Niseni.* Theodoretus *in epistola ad Euoptium*, ac demum Leo Primus *serm. 3. de Natiuitate*, illis verbis: *Assumpta est de Matre hominis natura non culpa, creata est forma serui sine conditione seruili*: ergo seruit⁹ rigorosé, & strictè accepta, Christo, vt homini, non competit

122 Tertio.

Tertio hac ratione: constat enim ex serui diffinitione esse de ratione illius, ita sub alterius potestate constitui, vt cum illo non communicet, in bonis, fede, & honore; sed Christus, etiam vt homo, cum Deo in his omnibus communicat; habet enim hypostasim Verbi sibi *physice* coniunctam, Dei sanctitate est sanctus, adoratione Latriæ adoratur, sedetque ad dexteram Patris: ergo seruus cum proprietate non est. Maior, in qua est difficultas, ostenditur primo: seruus enim est alterius (scilicet Domini) sed cum hoc non stat communicare cum illo in bonis, fede, & honore: ergo est de ratione serui negatio communicationis cum Domino in bonis, fede, & honore. Secundo ex Aristotele *lib. 8. Ethic. cap. 11.* asserente, inter seruum, & Dominum nihil commune esse posse: ergo nequit seruus communicare cum Domino in bonis, fede, & honore. Tertio: quia namque Filius communicat cum Patre, in bonis, fede, & honore, seruus Patris esse nequit: ergo idem quod prius. Quarto: ancilla namque eo ipso quod fiat vxor, exuit seruitutis rationem, quia vxor cum marito in bonis, honore, & fede communicat: ergo prædicta negatio est de ratione serui.

Maiorē probant primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

123 Denique Petrus Hurtado arguit.

Denique Petrus Hurtado parū huic rationi fidens, sic arguit: nullares *physicè* coniuncta Domino est seruus illius; sed Christus, vt homo, est *physicè* Deo coniunctus: ergo Dei seruus non est. Maiorem, in qua sola est posita difficultas, probat ex Philosopho lib 1. Politic. cap 3 illis verbis: *Alterius autem homo est, qui possidetur, homo existens, res possessa verò, instrumentum ad acquirendum, actiuum, & separabile.* Ex quibus verbis D. Thom. ibi lect. 3. sic seruum diffinit:

Maiorē probat 1.

*Seruus est organum animatum, actiuum, separatum alterius homo existens*: ergo iuxta Aristotelem, & Angelicum Præceptorem, nulla res *physicè* coniuncta Domino, esse potest eius seruus. Secūdo probat maiorē ex Adriano Primo, & Concilio Francofordiensi, docentibus, seruitutem in humanitate Christi non posse cum vnitate personæ componi; at si res *physicè* coniuncta Domino posset esse illius seruus, non esset cur vnitas personæ in Christo serui rationem excluderet: ergo maior facti discursus est vera.

Diffinitio serui.

Secundo.

124 Christū, vt hominē, esse verè, et propriè seruum Dei seruitute naturali, est frequētior, et verior sentētia.

Oppositā tamē sentētia asserēs: Christū, vt hominē, esse verè, & propriè seruū, non quidē seruitute legali, sed seruitute naturali fūdata in ratione creaturæ, à nobis est amplectēda, quā docent frequenter Theologi. D. Thom. *in 3. dist. 10. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. ad 3. et dist. 11. q. 1. art. 1 ad 2. 3. ad Annibaldū dist. 10. q. vnic. art. 3. ad 2 in hac 3. p. q. 20. art. 1 & 2. & in præsenti q. 23. art. 4. ad 3.* Angelicum Doctorem sequuntur communiter Theologi. Caietanus, & Medina *q. 20. art. 1. & 2.* Cabrera *disp. vnica*, Lorca *disp. 78.* Aluarez *disp. 79.* Nazarius *controu. 2.* vbi sententiam oppositam censet temerariam, aut periculosam in fide, aut erroneam. Et Illustrissimus Arauio *dub. vnico.* Tenent etiam ex Patribus Societatis, Valentia *disp. 1. q. 20. puncto vnico* Suarez *disp. 44.* Raguſa *disp. 26.* & alij Recentiores frequentius.

Caiet. Medina. Cabrera. Lorca. Aluar. Nazar. Arauio. Valentia Suar. Raguſa.

125 Prob. 1.

Ducti primo pluribus testimonijs Scripturæ. Isaiæ 42. *Ecce seruus meus suscipiam eum.* Quem locum intelligendū esse de Christo, conuincit: tùm communis Patrum expositio: tùm etiam Matthæus *cap. 12.* vbi testimonium hoc interpretatur de Christo, etsi non *serui*, sed *pueri* nomine vtens. Idem habetur *Ezechielis 34. Zachariæ 3. & alibi passim* in veteri testamento. Id ipsum in nouo traditur. Tùm *Matthæi. cap. 12.* vbi locum Isaiæ interpretatur de Christo. Et cap. 11. illis verbis: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ*, vbi nomine *Cœli*, & *Terræ* omne, quod à Deo factum est, & Christum, in quantum hominem, comprehendi, docet Athanasius *lib. 3. contra Arianos*, cuius verba referunt Re-

Ezech. 34. Zach. 3. Matth. cap. 12.

cen-

Ioannis cap. 20.

centiores, & Ioannis 20. illis verbis: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum* Sed idem est, Deum esse, Deum nostrum, & esse Dominum nostrum: ergo Deus est Dominus Christi, vt hominis. Quem locū ad rem præsentem interpretatur Diuus Thomas *supra q. 20. art. 2.*

126 *Respondebis.*

Dices: hæc, & alia testimonia esse in metaphorico sensu accipienda, illaq; sic Concilium Francofordiense accepisse. Sed contra primo: nā verba scripturæ sunt rigorosè accipienda, quando nullum sequitur inconueniens; sed in præsenti, nullum sequitur inconueniens ex rigorosa acceptione: ergo sic accipi debent. Secundo: nam Patres ex quibus est sensus scripturæ venandus, illa in rigore acceperunt: ergo non sunt ad metophoricum sensum trahenda. Demente concilij Francofordiensis inferius constabit.

*Cōtra 1.*

*Secundo.*

127 *Secundo probatur Athan.*

Secundo mouentur ex Patrum auctoritate, Christo, vt homini, verā, propriamque seruitutem attribuentium: ita expresè Athanasius *sermone 3. contra Arrianos*, vbi voces, *geniti, facti, conditi, serui, filij, & ancillæ*, referens, sic habet: *Omnes istius modi voculæ ratione humanitatis, verè, & propriè competunt, illaque omnia non substantiam Verbi, sed hominem ipsum factum esse demonstrant.* Chrisostomus ad Philippenses 2. homilia 7. ad illa verba, *formam serui accipiens*, de Christo loquens, sic ait: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus: ita in forma serui perfectus est seruus.* In eadem sunt sententia Cyrillus *libro 2. thesauri cap. 15.* Hilarius *lib. 11. de trinitate*, Hieronymus, ad illa verba Isaiæ 42. *Ecce seruus meus suscipiam eum.* Ambrosius *Epistola 47. & lib. 5. de fide cap. 6.* ac tandem Augustinus *Epist. 178. prope finem*, illis verbis: *In quæ infirmitate humanitatis, non solum subditum, sed etiam seruum, euidentissimè constituitur ipso dicente: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* At horum Patrum testimonia in sensu metaphorico accipi, non permittunt illa verba, *verè, & propriè*, quibus vtitur Athanasius, *perfectus seruus*, quibus vsus est Chrysostomus, & Verbum *euidentissimè*, quo vsus est Augustinus: nec enim proprié, nec perfectè conuenit, quod solum *metaphoricè* conuenit, nec quod sic conuenit, *euidentissimè* solet dici conuenire: ergo iuxta Ecclesiæ Patres Christus quatenus homo, est seruus Dei, seruitute naturali proprié, & rigorosè accepta.

*Cyrillus. Hilarius Hieron. Ambros. Augustin.*

*Chrisost.*

128 *Veritas probatur.*

Tandem mouentur hac efficaci ratione desumpta ex Diuo Thoma *supra quæst. 20. art. 1.* & ad hanc formam redacta. Habenti aliquam naturam conueniunt ea, quæ sunt propria illi naturæ; sed Christo verè, & proprié conuenit natura humana: est enim perfectus homo, & in ratione hominis eiusdem speciei nobiscum: ergo conueniunt Christo ea, quæ sunt humanæ naturæ propria; sed natura humana ex sui conditione habet triplicem subiectionem ad Deum, vnam secundum gradum bonitatis competentis Deo per essentiam, naturæ autem humanæ per participationem: aliam quantum ad Dei potestatē, prout scilicet, subiacet operationi diuinæ dispositionis: & tertiā quātū ad operationē, prout, scilicet illius mādatis obtēperat: ergo Christo, vt homini, hæc triplex subiectio competit; & consequēter vera, & propria seruitus, quæ in secunda subiectione consistit. Quam rationem explico, & in hunc modum confirmo: seruitus naturalis ad Deum fundatur in dependentia creaturæ rationalis ab ipso in esse, fieri, & conseruari, & in ordinatione ad ipsum, tanquam ad vltimum finem; sed Christus quatenus homo, verè, & proprié est creatura rationalis dependens à Deo in esse, fieri, & conseruari, & ad ipsum ordinata tanquam ad vltimum finē: ergo est verè, & propriè seruus Dei, seruitute naturali.

*Triplex seruitus naturæ rationalis ad Deum.*

*Confirmatur.*

129 *Respondebis primo*

Respondebis primo ex doctrina Patris Vazquez, *vbi supra*, rationē creaturæ Deo subordinatæ, & à Deo dependentis, non esse fundamentum adæquatum seruitutis veræ, & propriæ, sed adiuncta negatione communicationis cū Deo in bonis, honore, & fede, quæ negatio humanitati Christi non conuenit, & ideo Christus, vt homo, seruus Dei cum proprietate non est. Vel secūdo respondebis cum Petro Hurtado *vbi supra*, dependentiam creaturæ rationalis ad Deum in esse, fieri, & conseruari, non fundare veram, & propriam seruitutem, nisi adiungatur negatio physicæ

*Respondebis secūdo*

con-

coniunctionis ad Deum, & quia hæc negatio humanitati Christi non conuenit, ideo Christus, vt in illa subsistens, seruus Dei seruitute propria non est.

130 *Contra vtrãque solutionem facit.*

Sed neutra solutio argumento facto satisfacit, & contra vtramque facit; quia per hoc solum quod creatura rationalis sit Dei, ita vt possit illa vti in quoscumque vsus, absque iniuria alterius, saluatur quidquid ad rationem seruitutis naturalis requiritur; at per hoc, quod dependeat à Deo in esse, fieri, & conseruari, Deoque subordinetur, & ad ipsum, vt finẽ ordinetur, saluatur taliter esse Dei, quod possit de illa facere, quid quid sibi placuerit absq; vlla iniuria creaturæ: ergo saluatur ex parte Dei ratio propria, & perfecta dominij, & ex parte creaturæ rationalis propria ratio seruitutis, siue cum Deo communicet in bonis, honore, & fede, siue sit ipsi physica coniunctione coniuncta. Minor cum consequentia tenet. Maior autem non minus nota videtur: nam seruitus vera, & propria saluatur in esse alteri, & quid quid supra hoc additur omnino voluntariẽ exigitur.

131 *Deinde prima solutio impugnatur*

Deinde prima solutio impugnatur: nam licet ad rationem seruitutis ex communi conceptu petatur, non communicare ad æqualitatem cum Domino in bonis, honore, & fede; quod autẽ rationi seruitutis repugnet communicare cum Domino, licet in eisdem bonis, dum modo inferiori communicet, non est vnde possit probari; sed humanitas Christi, licet cum Deo in eisdem bonis communicet, non adæquatur cũ Deo, sed multo inferiori modo participat bona, honorem, & sedem Dei. ergo nõ est vnde possit excludi à ratione vera, & propria seruitutis naturalis Illatio probatione non indiget. Minor est certissima: nam bona illa Deo competũt per essentiam: humanitati autem Christi per gratiosam communicationem, quo circa semper remanet Deo in bonitate, & perfectione subiecta, qui est primus modus subiectionis à Diuo Thoma explicatus: ergo non communicat ad æqualitatem cum Deo in bonis, fede, & honore. Maior autem, in qua sola est posita difficultas, probatur: si namq; negatio communicationis cum Domino in bonis, honore, & sede ex aliquo principio inferretur, maxime quia talis negatio requisita est ad seruitutem legalem à Philosopho cognitã; sed ex hoc non bene infertur, peti ad rationem seruitutis in communi abstrahentis à naturali, & legali: ergo non est vnde probetur. Maior constat ex contrarij auctoris ratione.

132 *Minor probatur primo.*

Minor autem ostenditur primo: quia in bona Metaphysica, & Legica, ex eo quod aliquid requiratur ad inferius sub aliqua ratione superiori contentũ, non licet inferre, id *positiuè* peti à ratione superiori, & communi, vt omnibus est manifestum: nã ad esse hominis necessaria est rationalitas, & ad esse equũ requiritur hinnibilitas, quorum neutrũ petit animal *positiuè*, sed ab vtroque abstrahit; at seruitus legalis est species quædam seruitutis vt sic, abstrahentis à legali, & naturali: ergo ex eo quod ad seruitutem legalem petatur negatio communicationis cum Domino in bonis, honore, & fede, perperã infertur huiuscemodi negationem *positiuè* exigi ad rationem seruitutis vt sic.

133 *Secundo.*

Secundo probatur: nã seruitus legalis, & quæ ab Aristotele fuit diffinita, non solum petit negationem communicationis in eisdem bonis, in eadem fede, eodemque honore, sed omnem bonorum communicationem excludit, vt constat ex verbis Philosophi à contrarijs adductis; & tamen ex hoc non infertur, seruitutem vt sic, aut seruitutẽ naturalẽ ad Deũ, omnẽ bonorũ cõmunicationẽ excludere: ergo ex eo quod seruitus à Philosopho cognita, petat negationẽ cõmunicationis cum Domino in bonis, honore, & fede, male infertur prædictam negationem requiri ad rationem seruitutis vt sic.

134 *Tertio.*

Tertio: nam seruitus à Philosopho diffinita, excludit amicitiam cum Domino, filiationem adoptiuam, & ius ad Domini hæreditatem, nihil enim istorum potest seruo seruitute legali cõpetere; & tamen seruitus naturalis ad Deum, cum amicitia ad ipsum, cum filiatione adoptiua, iureque ad diuinam hæreditatem compatitur: ergo pariter quæuis seruitus legalis petat negatio-

nem

nem communicationis cum Domino in bonis, sede, & honore; seruitus tamē vt sic, huiusce modi negationem non petit, sed prædictam cōmunicationem seruitus naturalis admittit. Denique: nā cum seruitute legali à Philosopho diffinita, certum est, quod non compatitur relatio maternitatis; mater enim esse nequit serua filij, seruitute legali; & tamen seruitus naturalis ad Deum, cum diuina maternitate compatitur; etenim Beatissima Virgo Mater est Christi, & simul illius serua, seruitute naturali, vt ipsa de se profitetur illis verbis: *Ecce ancilla domini*: ergo idem quod prius.

*Quarto.*

135 *Secunda solutione ijcitur 1.*

Et ex his secunda solutio reijcitur primo: nam licet negatio physicæ coniunctionis cum domino petatur ad seruitutem legalem à Philosopho diffinitam: ex hoc tamen non infertur, peti ad omnem seruitutem. Tum; quia argumentamur ab exacto ad inferiori, ad exactum à superiori, qui est ineptus modus arguendi. Tum etiam; quia ex eo quod seruitus diffinita à Philosopho petat negationem cuiusuis communicationis in bonis, amicitiæ ad Dominum, filiationis adoptiuæ, maternitatis, iurisque ad Domini hæreditatē, nō infertur similem negationem ad omnem seruitutem requiri; & consequenter nec ex eo quod seruitus legalis à Philosopho diffinita petat negationem physicæ cōiunctionis cum Domino, licet inferre, negationem istam peti ad rationem seruitutis vt sic, & ad omnem speciem illius; sed aliud principium vnde inferatur non adest, nec à contrarijs adstruitur: ergo prædicta negatio falso, & sine fundamento ad omnem seruitutem exigitur.

136 *Secundo.*

Deinde: nam si rationem naturalē sequamur, quam solam Aristoteles potuit attendere in seruitutis diffinitione, non solum non inueniemus seruum *physicè* coniunctum cum Domino, sed nec etiam creaturam *physicè* cum creatore coniunctam, nec subditum *physicè* coniunctum cum suo legislatore; & tamen hoc non obstante altiori lumine instructi, fatemur, Christum in quantū hominem esse creaturam, Deoque, vt legislatori subiectum, licet *physicè* coniungatur cum illo: ergo pariter quamuis ratio naturalis, qua sola ducebatur Philosophus, seruum *physicè* coniunctum cum domino non assequatur, altiori lumine ducti tenemur fateri, seruum vera seruitute, tali coniunctione gaudentem.

137 *Tertio.*

Denique: nam iustitia sumpta *philosophicè* ex conceptu æqualitatis petit esse ad alterum, non solum alietate naturæ, sed etiam alietate suppositi, vt docet Diuus Thomas 2. 2. q. 58. art. 2. *in corpore*, illis verbis: *Iustitia ergo proprie dicta requirit diuersitatem suppositorum, & ideo nō est, nisi vnius hominis ad alium*; & tamen hoc non obstante admittimus in Christo iustitiam, solum ratione diuersarum naturarum, cum vnitate suppositi, vel saltim ex hoc principio ab ipso non relegamus strictam, & rigorosam iustitiā, conditionem illam prout extenditur ad distinctionem suppositorum limitantes inter puras creaturas: ergo pariter quamuis seruitus *physicè* sumpta, *philosophicèque* diffinita petat negationem coniunctionis physicæ inter seruum, & dominum, possumus, & tenemur admittere veram seruitutē naturalem ad Deū, etsi prædicta negatio non adsit, Philosophumque interpretari de seruitute inter puras creaturas. Maneat ergo firmū, Christum, vt hominem, esse seruū Dei seruitute naturali proprié, & in rigore accepta.

138 *Pro solutione primi motiui notādum primo.*

Nec motiua in oppositum vrgent. Ad primum ex Adriano, & Concilio Francofordiensi sumptum, respondeo notando primo, præter seruitutem sūptam pro minoritate, de qua D. Thom. supra in primo subiectionis modo, & quam Christ⁹ de se ipso respectu patris, fatetur Ioannis 14. illis verbis: *Et pater maior me est*, & sumptam pro subiectione obedientiæ superiori, vt præcipienti, quam nullus Theologorum à Christo, vt homine relegat, cum sit expressa in Scriptura, iuxta illud Pauli: *Factus obediens vsque ad mortem*, & illud: *Factum ex muliere, factum sub lege*: ac denique iuxta illud: *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; præter seruitutem inquam in his duabus acceptionibus, quæ large seruitus dicitur, dari aliam seruitutis strictā, rigorosamque acceptionem, iuxta quā seruus dicitur, qui alterius est, illique

quo ad

quoad suas actiones subijcitur.

139 *Notãdũ secundo.*

Notando secundo; seruitutem sic acceptam diuidi in naturalem, & legalem. Prima est, quæ competit creaturæ rationali, ex vi conditionis suæ naturæ, & solum respectu Dei: nulla enim creatura rationalis, est alterius, nisi Dei, ex vi cõditionis suæ naturæ, nec ad alium, quam ad Deum, vt ad finem ordinatur. Secunda est seruitus legalis, sic dicta, quia non à natura ipsa, sed per legem sit inducta, iuxta quam homo captus, manet sub dominio alterius, morte, qua capiens poterat ipsum punire, commutata in perpetuam captiuitatem, libertatisque priuationem, quæ seruitus ex peccato traxit originem: si namq; peccatum non fuisset, nec fuissent lites, nec bella; ex bellis autẽ seruitus secuta est, iuxta illud Iustiniani §. *Ius autem*, Institutade iure naturali: *Bella orta sunt, & captiuitates secutæ, & seruitutes*, quibus superaddi solet: alius modus seruitutis, quæ improprié seruitus est, nempé, seruitus peccati, & Dæmonis, iuxta illud: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.*

*Seruitus naturalis, quid.*

*Seruitus legalis.*

*Seruitus peccati.*

140 *Notandum 3.*

Tertio est aduertendum: hoc inter seruitutes istas versari discrimen, quod seruitus naturalis ad Deum, vilem conditionem non dicit: imo maximam perfectionem, & ingenuitatem importat, eo quod, quamuis Deo sit subiectus, iure libertatis gaudet, & suorum bonorũ dominio, vt notauit D Thomas *in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 2.* quod seruo seruitute legali non competit, vnde bona seruiDei, licet sint Dei *positiuè*, non sunt Dei *priuatiuè*, hoc est, excludendo peculiare creaturæ rationalis dominium. Seruitus autem legalis, vilis cõditionis est, vnde vilia reputantur mancipia, nec Reipublicæ dignatum capacia. Seruitus etiam peccati vilissimæ est cõditionis; cum creatura rationalis ex natura sua ad Deum, vt ad finem vltimum ordinata, finem vltimum in abiectissimis rebus peccando constituat, plurimisque pœnis maneat subiecta.

*Seruitus naturalis ad Deũ, ingenuitas est.*

*Seruitus legalis, vilis conditionis est, & seruitus peccati, vilissima.*

141 *Notandum 4.*

Denique aduertendum est, quod ex dictis *supra* colligitur, errorem Felicis, & Elipandi in eo positum fuisse, quod Christum seruum Dei esse asserebant seruitute pura, cum distinctione, & pluralitate suppositorum, sequentes Nestorij errorem, vnde illi seruitutem peccati attribuebant, asserentes, fuisse leprosum, quod cum non possit de lepra corporali intelligi, est de lepra peccati accipiendum. Nec mirum: nam si purum hominem esse asserebant, quid mirum, quod non solum eĩ potentiam peccandi attribuerent, sed etiam actuale, vel originale peccatum?

*Felicis, et El. pãdi blasphemia in Christũ.*

His positis, ad primum argumentum respondeo, Adrianum, & Concilium Francofordiense, cum à Christo, vt homine, relegant seruitutem, loqui de seruitute pura, multiplicante suppositа, qualiter Elipandus, & Felix, seruitutem Christo attribuebant. Tùm etiã de seruitute peccati. Tum denique de seruitute legali ad Angelos, vel ad homines. Primum probant ex vnitate personæ, qua Christus iuxta fidem gaudebat; ac proinde incapax erat seruitutis puræ multiplicantis suppositа. Secundum probat Concilium exemplo primi Parentis, qui in sui prima conditione seruus peccati non fuit, sed ingenuus, factus seruus per peccatum; vnde sic arguit Concilium: *Vnde Adam seruus factus est, nisi ex peccato?* Christus autem non fecit peccatum, ex quo benè infertur, peccati seruũ non fuisse. Quod autem seruus hominis non fuerit, colligit ex illo Pauli: *Omnia subiecit sub pedibus eius. Quod si Dominus omnium* (infert Concilium) *non alicuius seruus.* Ac denique, quod Angelorum seruus non fuerit, probat ex illis verbis: *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Quod si Angelis adorandus proponitur, non fuit Angelorum seruus, sed Dominus. Ex quibus omnibus constat relegar ex mente Cõcilij à Christo, quatenus homine, seruitutem puram ratione creati suppositi, seruitutem peccati, & seruitutem legalem; non autem seruitutem naturalem ad Deum ratione solius naturæ cum vnitate suppositi.

142 *Adi motiuũ contrariorũ respond.*

Cæterum contra hanc solutionem obijciunt Contrarij Auctores: etenim postquam Cõcilium excluserat à Christo, vt homine, seruitutem peccati, & seruitutem ad homines, & ad Angelos, hæc verba subiecit: *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in baptismo, & in transfiguratione, quæ facta est in monte, filium nominauit,*

143 *Obijciũt contrarij Auctores*

*uit, non seruum?* Ergo iuxta Concilium, non sola peccati seruitus, & seruitus legalis ad homines, & Angelos, sed etiã seruitus ad Deum, Christo, vt homini non conuenit; at seruitus ad Deum est seruitus naturalis: ergo Christus, etiam vt homo, seruus Dei naturalis non est.

144 *Respondetur primo.* Respondeo primo, respectu Dei nõ solum dari seruitutẽ naturalem in creatione, & dependentia creaturarum ab ipso fundatam, sed etiam seruitutem ex peccato contractã, etenim ratione peccati homo nouo titulo Deo, vt iudici manet subiectus, Deusque ius nouum contra peccatorem acquirit, illum in peccati pęnã puniẽdi, imo & ipsum annihilãdi; cũ ipsa annihilatio creaturæ, peccati, vt est Dei offensa grauitatẽ nõ adæquet: cum ergo Concilium negat, Christo, vt homini, seruitutẽ ad Deum, non est intelligendũ de seruitute naturali supra creationẽ fundata, sed de seruitute ad Deum titulo peccati contracta.

145 *Cuidã obiectioni occurritur.* Nec obstat, rationem, qua excluditur à Christo seruitus respectu Dei, non sumi ex negatione peccati, sed quia Pater illum Filium nominauit, non seruũ, cum tamen si de seruitute ex peccato esset sermo, potius ad negationem peccati, quam ad nomen Filij recurrendũ esset. Non, inquam, obstat; nam cum esse Filium Dei, maximé filiatione propria, & naturali essentialiter cum peccato repugnet, vt probaret Concilium, non esse, nec esse posse seruum Dei, hoc genere seruitutis profundissimé recurrit ad filiationẽ naturalẽ Christi, & non ad carentiã peccati; cum stet peccato carere, & adesse ad peccatum potentiam.

146 *Respondetur 2.* Vel secundo responderi potest, Cõcilium dum negat Christo, vt homini, seruitutem ad Deum, loqui de seruitute ratione suppositi incompatibili cum vnitate personæ in Christo, vt homine Deo; non autẽ de seruitute naturali, ratione solius naturæ, non multiplicante supposita; quod recté probat, ex eo quod Pater in Baptismo, & in Transfiguratione, illum Filium nominauit (intellige naturalem) quia cum hac filiatione, non stat seruitus ratione suppositi repugnans cum vnitate personæ.

147 *Contra* Sed contra vtramque solutionem duplex restat difficultas. Prima est; si nã que Cõciliũ relegans seruitutẽ à Christo, explicamus, vel de seruitute ratione creati suppositi, vel de seruitute legali, aut peccati: ergo etiam cum relegat filiationem adoptiuam à Christo, poterit absq; vllo inconuenienti explicari, vel de filiatione adoptiua per peccatũ amissibili, vel de adoptione ratione creati suppositi personas in Christo multiplicante; at explicationẽ istam nõ permittimus cõtrarijs adstruẽtibus in Christo adoptionem: ergo nec nostra explicatio debet ab alijs sustineri. Probatur sequela primo à paritate rationis. Secũdo: nã ideo nos vtimur prædicta interpretatione, quia Felix, & Elipandus, ad quos dãnandos Conciliũ fuit congregatũ, cum attribuebant Christo seruitutẽ, non de naturali ad Deum ratione solius naturæ loquebãtur, sed de seruitute peccati, & de naturali ratione suppositi multiplicante personas; sed etiã dum adoptionẽ Christo attribuebant, non loquebãtur de adoptione ratione solius naturæ, sed ratione creati suppositi, & de filiatione adoptiua per peccatũ amissibili: ergo si licet nobis Conciliũ interpretari de seruitute legali, aut de seruitute peccati, vel de naturali multiplicante personas, licebit etiam adstruentibus adoptionem in Christo Concilium interpretari aliquo ex prædictis modis.

*vtramq; solutionẽ instabis primo.*

*Sequela prob. 1. à paritate.*

*Secundo.*

148 *Secundo.* Secũda difficultas est: nã si Christus, quãuis non sit seruus peccati, nec legali seruitute, nec naturali ratione personæ creatæ, est tamen seruus ratione naturæ humanæ aliqua specie seruitutis, quæ proprié seruitus sit, ad explicanda testimonia Scripturæ seruitutẽ Christo attribuentia, necessariũ nõ erit recurrere ad seruitutẽ impropriã, & allegoricã; at Cõciliũ, quia Christo seruitutẽ negauerat omnia testimonia Scripturæ seruitutẽ Christo attribuentia, ab Hæreticis obiecta, vt Christũ seruũ cõuincerẽt, necessariũ censuit recurrere ad seruitutem impropriã, & allegoricã illa interpretãdo in sensu allegorico, & improprio, sicuti cũ *vitis* dicitur, aut *leo* appellatur, vel *lapis*: ergo quia existimauit, Christum, vt hominem, nullatenus esse seruum seruitute, quæ proprié seruitus sit.

149 *Ad 1. in-* Ad primã ex his obiectionibus, nego sequelã, & paritatẽ rationis: dispari-

stantiam resp. Ad 1 probationē, prima discriminis ratio.

tas autē est duplex: prima, quia pro seruitute naturali, & propria Christi, stāt ferē omnes PP. Ecclesiæ illā adstruētes in Christo, vnde coarctare cogimur verba Cōcilij, vt non omnē seruitutē propriē talē negauerit; non enim est casus dabilis, quod legitimū Cōciliū aliquid diffiniat, cōtra vnanimē Patrū sentētiā, & ideò verba Cōcilij, taliter accipī debēt, vt nō excludāt à Christo omnē propriā seruitutē: filiationem verò adoptiuā, nullus ex Ecclesiæ Patribus adstruit in Christo, vt Cōciliū ipsū aperte fatetur in epistola ad Episcopos Hispaniæ, respōdēs hæreticis inquirentib⁹, cur timerent Patres Cōcilij, Christū nuncupare Filiū adoptiuū, cui interrogationi respondent: *Quia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Doctores Ecclesiæ sic illū appellauerūt*; & ideò nullū est fundamētū ad coarctanda verba Cōcilij ad aliquē peculiarē modū filiationis adoptiuæ: ita vt nō omnē à Christo, quatenus homine, excluserint.

150 Secunda.

Secūda discriminis ratio est: quia dū loquitur Cōciliū de filiatione adoptiua vtitur propositionibus omnē modū adoptionis excludētibus asserēs: *Nullo modo esse Filiū adoptiuū, & adoptiuū nullā aliā significationē habere, nisi vt Filius proprius, & naturalis non sit*; quæ si in rigore accipiantur, omnē filiationē adoptiuā excludunt. Dum autē seruitutē à Christo, vt homine, relegat, modo isto loquendi nō vtitur, sed propositionibus simplicibus negatiuis, quæ nō ita vniuersaliter petūt accipi, vt omnē modum seruitutis excludant, vt *superius* pōderauimus.

151 Ad 2. probationē sequelæ.

Ad secūdā probationē dicatur, dupliciter posse aliquid ab aliquo Concilio dānari, nēpé, ex primaria intētione, vel per quandā extensionem, quia scilicet, existimatur cū principali errore cōnexū, mens Cōcilij quoad ea, quæ priori modo dānat, venāda est ex errore hæreticorū, ad quē anathematizādū est congregatū, quoad ea verò, quæ damnat secūdo modo, nō ex illo principio, sed ex alijs est accipēda: Ratio ergo cur ex primaria intētione seruitus ratione suppositi creati, seruitusq; peccati, & legalis fuerint à Cōcilio dānatæ, & nō seruitus naturalis ratione solius naturæ, est: quia hæretici, cōtra quos fuit congregatū in illis seruitutibus attribuēdis errabāt, nō verò in seruitute naturali, ratione solius naturæ. Ratio verò, cur hic modus seruitutis, nec per extensionē fuerit à Cōcilio dānatus, non est, quia in illa adstruēda hæretici non errabant, sed illæ, quas nuper dedimus, quæ respectu adoptionis non militant.

152 Ad 2. instantiam resp.

Ad secundā obiectionē, distinguo maiorē. Ad explicanda prædicta testimonia absolutē, cōcedo maiorē: ad explicanda illa cū restrictione ad eos modos seruitutis, quos hæretici adstruebāt, & ex illis testimonijs probabāt, nego maiorē: & sub eadem distinctione minoris, nego cōsequētiā: quia Cōciliū nō ideò ad allegoricā seruitutē recurrit, quia cē fuerit absolutē necessariū prædicta testimonia sic accipi, sed solū illa explicādo de seruitute, quā hæretici Christo attribuebāt, nēpé, vel de seruitute pura rationē suppositi creati, vel de seruitute legali, aut peccati. Sic autē prædicta testimonia accipiēdo, non aliter possūt accipi, nisi in allegorico, & metaphorico sēsu.

153 Vrgebis.

Sed dices: eo ipso, quod in Christo admittatur aliqua species seruitutis propriē talis, melius testimonia Scripturæ seruitutē Christi exprimētia, pro seruo illa seruitute accipiuntur, quā in metaphorico, & allegorico sensu: ergo vel dicēdū est, Cōciliū nō ita benē illa testimonia explicuisse, ac potuit explicare, quod incōueniens videtur, vel nullum dum seruitutis propriæ cōuenire Christo, vt homini.

154 Respond.

Respondeo: suppositō, quod testimonia Scripturæ duplicē sēsum admittant, nēpé, allegoricū, & propriū, posse in vtroq; explicari, nec Cōcilium illa explicās in allegorico sensu excludere sensum proprium, & licet rei veritate attenta melius sit illa in proprio, quam in allegorico sensu accipere; aliqua tamen vtilitate consulta conuenientius esse potest, quod in metaphorico sensu, quam proprio, hunc tamen non excludendo, accipiantur: & hoc ita in re nostra contigisse, colligunt Recentiores, & benè, ex eo quod tunc tēporis Hispanis, ad quos præcipuē Cōcilium dirigebatur, nomen serui erat exosum, propter durā seruitutē, qua à Mauris opprimebātur; & ideò attenta illorum vtilita-

te,

te, consultius censuit Concilium testimonia illa Scripturæ accipere in allegorico sensu, abstinendo à seruitute naturali Dei propria, quam propriè accepta referebant, quam in sensu proprio, & rigoroso, pro seruo, seruitute naturali, quia forsan ex ista acceptione terrerentur, aut scandalizarentur Hispani.

155 *Ad 2. argumentũ ex Patrũ auctoritate desũptũ resp.*

Et ex his ad secundũ argumentum desumptum ex Patrũ auctoritate dicatur, loqui de seruitute peccati, vel de seruitute legali, vel de seruitute naturali ratione creati suppositi multiplicante in Christo personas. Et hoc modo esse accipiendos Cyrillum, & Damascenũ, & primã Synodum Ephesinam congregatã cõtra Nestorium, cui præfuit Sanctꝰ Cyrillus, docet D. Th. *supra q. 2. art. 2. in corp.* & ad primũ argumentũ his verbis: *Dicẽdũ, quod Cyrillꝰ, & Damascenus negãt Christũ esse Dñm sui ipsius. secundũ quod per hoc importatur pluralitas suppositorũ.*

S. Tho.

156 *Ad 3. & quartũ.*

Ad tertium, & quartũ argumentũ à ratione desumpta constat ex dictis inter nostrã confirmandã sententiam, nẽpé, Philosophum in illis diffinitionibus, & conditionibus seruitutis locutũ fuisse de seruo legali, vel de seruo inter puras creaturas, quia cum tenuerit Deũ agere ex necessitate naturæ, forte non cognouit seruitutẽ naturalẽ ad Deũ in libera creatione fundatam, & in subiectione ad ipsum, per dependentiã quoad esse, & non esse, vel si seruitutẽ istã cognouit, & seruitutẽ in cõmuni diffiniuit, egit de illa *Philosophicè*, & sub ea ratione, qua potest lumine naturali cognosci; quia autem lumen naturale non assequitur possibilitatẽ coniunctionis naturæ creatæ ad Deum in vnitate personæ: ideò asseruit seruũ esse instrumentũ separatum, quia nulla seruitus sine separatione à Dño reperitur, nisi interueniẽte vnione substantiali, & personali creaturæ rationalis ad Deum, quæ captu superat Philosophiæ naturalis

157 *Cuidã obiectioni occurritur.*

Nec obstat, D. Tho. eadẽ diffinitione, qua Philosophus vsũ fuisse, qui tamẽ huius vnionis possibilitatẽ optimẽ cognoscebat: nã ibi morẽ Phylosopho gessit, & *Philosophicè* seruitutẽ diffiniuit: seruitus autẽ sumpta *Philosophicè*, prout scilicet, ex principijs naturalibꝰ est cognoscibilis, ad vnionẽ istã non peruenit, sicut *supra* arguentes, ex eodem D. Th. notauimus de iustitia, quod scilicet *Philosophicè* sũpta est ad alterũ alietate naturæ, & suppositi; cũ tamen sũpta *Theologicè*, solũ petat alietatem naturarum.

Hac ergo præsupposita doctrina, ad primũ illud argumentũ factum contra principalẽ conclusionẽ respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiã. Ad primi illius probationẽ, nego maiorẽ. Christus enim, quatenꝰ homo, & ratione humanitatis, est seruus Dei ratione autẽ humanitatis nullo modo est Filius Dei, vt partim constat ex dictis, & plenius ex dicendis constabit; ac per cõsequens est seruus, & nullo modo est Filius adoptiuus Dei.

158 *Ad 1. & principale arg. positũ num. 217. resp. Ad 1. cõsequẽtiæ pr. batiõnem.*

Ad secundã probationẽ D. Th. 3. *ad Annibaldũ dist. 10. q. vnic. art. 3. ad 2.* negat maiorẽ, & rationẽ discriminis reddit: quia seruitus nõ dicit implicationẽ ad aliquod attributũ Filij Dei; benẽ tamen adoptiua filiatio: hæc enim essentialiter importat, quod sit filius, nõ natura, sed gratia, quod essentialiter repugnat Filio Dei naturali. Quam doctrinã clariùs explicuit *in 3 dist. 10. q. 2. art. 2. quæstiunc. 5. ad 3.* illis verbis: *Dicẽdũ, quod Christus cũ dicitur seruus importat subiectionẽ tantũ, vnde Christus secundũ quod homo, dicitur seruus, sicut minor Patre, nõ auẽ importat acquisitionẽ per gratiã eius, quod ei cõuenit per naturã, sicut filius adoptiuꝰ.* Quod sic accipiẽdũ est, quod seruitus dicta de Christo, prout in humanitate subsistit, solũ dicit dependentiã à Deo in esse, fieri, & conseruari, & subiectionẽ ad ipsũ, quæ omnia Christo, vt homini, conueniũt, nõ autẽ dicit negationẽ in supposito terminante humanã naturã alicuius prædicati diuini; & ideò Verbo, vt in humanitate subsistẽti, potest seruitus cõuenire: filiatio autẽ adoptiua dicit negationem filiationis naturalis in eodem supposito, quæ negatio supposito Christi repugnat.

159 *Ad 2 respond. 1.*

S. Tho.

Secundo responderi potest, negando maiorem. Nam seruitus solum pugnat cum supremo dominio, vt formaliter conueniente supposito, vt terminãti naturam, non verò cum supremo dominio tali supposito materialiter conueniente. Adoptio autem incompatitur cum filiatione naturali supposito

160 *Respondetur secũdo*

conueniente, etsi solum materialiter. Et ratio differentiæ est: nam seruitus solum petit dependentiam à Deo in esse, fieri, & conseruari; hæc autem dependẽtia ab humanitate non tollitur per inde pendentiam conuenientem supposito ipsam terminanti, prout in Deitate subsistit, & ideò seruitus non repugnat cũ supremo dominio materialiter conueniente supposito. Adoptio autem petit negationem iuris ad hæreditatem conuenientis ab intrinseco, & quia filiatio naturalis Verbi, esto materialiter conueniat ipsi, vt terminanti humanitatem, præstat illi ius intrinsecum ad hæreditatem diuinã; fit consequens, quod adoptio repugnet cum filiatione naturali, etsi materialiter communicetur.

161 *Quarto respond.*

Denique responderi potest, distinguendo maiorem: seruata identitate comparationis ad idem sub eadem ratione, concedo maiorem: non seruata, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: quia seruitus, & dominium dicuntur de supposito ratione naturæ, vt docet Diuus Thomas *supra q. 20 art. 1. ad 2.* & quia in Christo cum vnitate personæ duplex reperitur natura, potest ratione vnius, esse Dominus supremus, & ratione alterius, seruus, sicut ratione vnius est creator, & ratione alterius, creatura, ratione diuinæ, creditor, & ratione humanæ, debitor, & satisfactor; quia hæc omnia prædicata de supposito ratione naturæ dicuntur; filiatio autem non dicitur de natura, nec de supposito ratione naturæ, sed immediatẽ ad suppositum comparatur, & quia in Christo vnum tantum est suppositũ, & vna tantum persona, & hæc persona extranea nõ est, sed intranea, atq; Filius naturalis, non potest esse Filius adoptiuus. Quæ solutio est D. Thom. *in præsenti q. 23. art. 4. ad 3.* Et ex his ad tertiam probationem constat solutio.

162 *Instabis.*

Sed dices: inde inferebamus *supra*, filiationem immediatè comparari ad personam, & non mediante natura, quia hæc non dicitur filia, sed nec etiam dicitur serua: non enim est maior ratio, cur serua dicatur, quam filia: ergo etiam seruitus immediatè comparatur ad personam, & non mediante natura. Respondeo, negando minorem. Natura enim rationalẽ dici seruam, quamuis improprié, docet D. Tho. *supra q. 20. art. 1. ad 2.* Et *in hac q. art. 4. ad 3.* inter filiationem, & seruitutem statuit discrimen, quod seruitus, non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod filiationi non conuenit: & constat primo: nam seruitus sumpta pro minoritate, non solum dicitur de persona, sed etiam de natura, & de supposito ratione illius; sũpta etiam pro subiectione ad Deum Legislatorem, de natura, & non solum de persona prædicatur, imo de persona ratione naturæ dicitur, vnde Christus minor Patre, & illius legibus subiectus est, nullo Theologorum in hoc dissentiente; est enim veritas fidei; quod tamen esse non posset, nisi minoritas, & subiectio ad Legislatorem ratione naturæ, & in illa conueniret supposito: ergo pariter seruitus in tertia, & stricta acceptione pro eo, quod est alicuius, naturæ immediatè competit, & illa mediante personæ.

S. Tho.

*Natura dici seruã, nõ autem filiã, prob. 1.*

163 *Secundo.*

Secundo: nã seruitus, de qua loquimur, sequitur cõditionẽ creaturæ rationalis ab intrinseco, & c. denominatione creaturæ à Deo dependentis in esse, fieri, & cõseruari, illiq; subordinatæ, & subiectæ in suis operationibus cõmensuratur: ratio autẽ creaturæ conuenit immediatè naturæ, & illa mediãte supposito; vnde Christum, vt hominẽ, esse creaturam, salua fide negari non potest, dependentia à Deo in esse, fieri, & conseruari, atq; etiam in operari, de natura prædicatur, & secũdũ illam, vel ratione illius de supposito dicitur: ergo seruitus de natura aliqua ratione enũtiatur, & secundum illam, vel ratione illius, prædicatur de supposito.

164 *Tertio.*

Denique: nam dominium dicitur de persona ratione naturæ, vnde tres diuinæ personæ ratione vnius naturæ, vna gaudent ratione dominij, sicut etiam vna omnipotentia dicuntur omnipotentes: ergo etiam seruitus immediatè comparatur ad naturam, & illa mediante ad personam: ac proinde de natura prædicatur, naturaque serua dicitur, etsi non cum omni proprietate, vt docet Divus Thomas, vbi *nuper* allegatus; filiatio autem, nec proprié, nec improprié dicitur de natura, vnde supposito

*Dominiũ dicitur de persona ratione naturæ.*

*Respondetur.*

non

non conuenit ratione naturæ, sed ad ipsum ratione sui immediatè comparatur ob rationes *supra* assignatas, & insuper: nam paternitas, & filiatio in diuinis personaliter dicuntur, & nullatenus de natura enuntiantur, sed de personis ratione sui immediate, cuius oppositū in dominio contingere, vidimus: ergo etiam filiatio, & paternitas creatæ, immediatè de persona dicuntur, & non mediante natura, nec ratione illius.

165 *Oppones*

Sed dices: ideo per nos seruitus immediatè dicitur de natura, & secundū illam de supposito enuntiatur, quia dependentia creaturæ rationalis à Deo in esse, fieri, conseruari, & operari, supra quam fundatur seruitus, immediatè comparatur ad naturam, & illa mediante ad suppositum; sed etiam generatio passiua, supra quam fundatur filiatio, immediatè ad naturam refertur, & illa mediante ad suppositum: ergo pariter filiatio.

166 *Respond.*

Respondeo, seruitutem sequi ad rationem dependentis à Deo in esse, fieri, conseruari, & operari, etiam secundū improriam, & imperfectam denominationem dependentis, & operantis, & quia natura dicitur dependens à Deo, in esse, fieri, & conseruari, & etiam dicitur operans, quamuis non omninò proprié: fit consequens, quod seruitus nō solum personæ competat, sed etiam conueniat naturæ, & de persona ratione naturæ dicatur, sicut ratio creaturæ, ratio dependentis à Deo, & ratio agentis, vel operantis, immediatè de natura dicuntur, & ratione naturæ de supposito prædicantur: filiatio autem in sui esse, & in suo denominare, nō fundatur supra rationem geniti abstrahentem à perfecta, & imperfecta, vel à propria, & impropria, sed ad denominationem geniti propriam, & perfectam quæ immediatè ad personam refertur, & non ad naturam; & ideò esse filium soli personæ conuenit. Si autem rationem huius discriminis petas, respondeo, eam esse: quia argumenta, quibus hoc de filiatione probauimus, de seruitute non militant. Ad vltimam probationem consequentiæ desumptam ex auctoritate Adriani, & Concilij Francofordiensis, constat ex dictis.

*Ad vltimā probationē consequētiæ.*

## §. VIII.

### *Cætera argumēta diluuntur.*

167 *Secundo arg. testimonijs Scripturæ.*

SECVNDO arguitur, ex duplici testimonio Ioannis cap. 14. *Ego, & Pater vnum sumus: Et Pater maior meest;* sed quia in primo ly *Ego* ponitur per correlationem ad Patrem, fit sensus: *Ego Filius, & Pater vnum sumus*, ex eo colligitur naturalis in Christo filiatio, secundū quam adæquetur cum Patre: ergo in secundo ly *me*, positum per correlationē ad Patrem, faciet istum sensum: *Pater est maior me Filio*; & consequenter dabitur filiatio in Christo, secundum quā non adæquetur cum Patre, sed sit minor illo; at secundū filiationē naturalē Christus non est minor Patre: ergo est in ipso constituenda filiatio adoptiua.

168 *Cōfirmatur 1.*

Confirmatur primo ex Paulo ad Rom. 8. illis verbis: *Si autem Filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi*: ergo Christus est cohæres noster, ac per consequens confrater; sed nō est confrater noster secundum diuinā naturam: ergo secundum humanam: ex quo vlterius sequitur esse Filium Dei secundum humanitatem: nam omnes confratres sunt eiusdem Patris Filij.

169 *Cōfirmatur 2.*

*Glossa Ordin.*

Confirmatur, & vrgetur secundo: nam in eodē capite vocatur Christus primogenitus in multis fratribus: ergo est primus inter filios adoptiuos; & consequēter Filius adoptiuus est. Patet cōsequētia nā vt explicat Glos. Ordin. *Christus secundū quod vnigenitus, non habet fratres; secundū autē quod primogenitus fratres dignatus est vocare omnes, qui per eius primatū in Dei gratia renascuntur*: ergo Christus per gratiā est genitus, & vt sic primogenitus dicitur; at genitus spiritualiter per gratiā, est Filius adoptiuus: ergo Christus ratione gratiæ habitualis est Filius adoptiuus Dei.

170 *Confirmatur 3.*

Confirmatur, & vrgetur tertio ex Paulo ad Hebræos 1. illis verbis: *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per*

*quem fecit, & sæcula*; sed Christum, vt Deum, qua ratione est Filius naturalis, non constituit Deus hæredem vniuersorum: nam constituere, est libero decreto statuere: hæreditas autem omnium Christo, vt Deo, ex libero decreto non competit: ergo Christum, vt hominē; & consequenter Christus, vt homo, vel secundum humanitatem, est Filius, vniuersorum hæres constitutus, cumque secundum humanitatem filius naturalis non sit, erit filius adoptiuus

171 *Respond.* Respondeo, distinguendo consequens, fiet sensus: *Pater est maior me Filio*, ruduplicatiué, vt filio, nego consequentiam: materialiter, vt filio, & formaliter, atque *reduplicatiuè*, vt homine, concedo consequentiam. Ex quo non sequitur, dari in Christo filiationem rationecuius à Patris perfectione deficiat; ac per consequens, nec filiatio adoptiua, sed tantū, quod naturalis Christi filiatio sit communicata, & vnita naturæ humanæ, ratione cuius deficiat à perfectione Patris, & sit m nor illo. Quæ explicatio est Concilij Francofordiensis, vbi obijcienti Elipando illa verba: *Et Pater maior me est*: ex quibus adoptionem colligebat in Christo, respondit non fuisse à Christo propter adoptionem dicta, sed propter humanitatem. Verba Concilij hæc sunt: *Nam Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat ego, & Pater vnum sumus, & secundum hominem, Pater maior me est.* *S. Aug.* Et Augustini tract. 78. in Ioannem, illis verbis: *Agnoscamus igitur geminam substantiā Christi, diuinam, scilicet, qua æqualis est Patri; & humanam, qua maior est Pater, vtraque autem simul, non duo, sed vnus est Christus* Et Diui Thomæ Ioannis 14. lect. 8. illis verbis: *Sic ergo hoc, quod dicit Pater maior me est, non dicit in quantum Filius Dei, sed in quantum Filius hominis, secundum quod, non solum est minor Patre, & Spiritu Sancto, sed etiam ipsis Angelis.* *S. Tho.*

172 *Ad 1. cōfirmationem.* Ad primam confirmationem dicatur: Christum non solum esse Filium naturalem Dei, vt subsistit in diuina natura, sed etiam vt subsistit in humana, non reduplicata, vel specificata natura, sed specificato suppositō. Primo modo est Filius naturalis per essentiam. Secundo modo, est Filius naturalis per gratiā vnionis; & quia hoc secundo modo, subsistit in natura nobis simili specificé, quod ad fraternitatem requiritur: fit, vt quatenus Filius naturalis per gratiam vnionis, sit Christus confrater noster, & nos ipsi cohæredes.

*Quomodo Christus sit frater noster explicatur.*

173 *Ad 2. cōfirmationem.* Et ex his ad secundam confirmationem dicatur: Christum secundum generationem æternam, & filiationem naturalem, vt per essentiam ipsi conuenientem vnigenitum esse, nec fratres habere, prout verò Filius Dei naturalis per gratiā vnionis factam humanitati, & Primogenitus, quatenus in humanitate subsistens voluit conformitatē suæ filiationis alijs communicari; vnde Primogenitus dicitur, vt explicat D. Thomas *ad allegata verba lect. 6* secundum collationem gratiæ, per quam illam recipientes, filiationi Christi assimilantur, non similitudine specifica, sed analoga; quia Christus est Filius naturalis per gratiam substantialem vnionis, vt explicat Diuus Thomas *quæstione sequenti artic. tertio ad tertium.*

*Qua ratione dicitur primogenitus.*

174 *Ad 3 cōfirmationem.* Ex eisdem etiam ad tertiam confirmationem dicatur: Christum non solū esse Filium Dei naturalem secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam, non *abstractè*, sed *concretiuè* sumptam: *Secundum diuinam* (inquit Divus Thomas ad Hebræos primo lectione 1. nō procul à fine) *sicut non est constitutus filius; cum sit filius naturalis ab æterno: ita nec est constitutus hæres, secundum verò naturam humanam sicut est factus Filius Dei, Romanorum primo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, ita & factus est hæres vniuersorum, & quantum ad hoc dicit, quem constituit hæredem, &c.* Hæc Divus Thomas. Ex quibus aperte constat, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem, & sic cōstitutum hæredem vniuersorum; ac per consequens ex prædictis verbis Pauli, nullatenus colligi filiationem adoptiuam.

S. Tho.

175 *Tertio arguitur ratione.* Tertio arguitur: cui conuenit forma adæquata, & vnica alicuius effectus, conuenit, & ipse effectus, sed Christo, vt homini, conuenit adæquata, & vnica causa formalis adoptiuæ filiationis: ergo & filiatio adoptiua. Minor cōstat; vt enim *Disp. præcedenti* docuimus, gratia

habi-

habitualis est vnica, & adæquata causa formalis filiationis adoptiuæ; sed Christo, vt homini, conuenit gratia habitualis, vt *supra Q. 7 Disp. 21.* cum communi sententia docuimus: ergo Christo, vt homini, conuenit causa vnica adæquata, & formalis filiationis adoptiuæ. Maior autem probatur: nam effectus formalis alicuius formæ nihil aliud est, quam ipsa forma communicata subiecto: ergo implicat conuenire subiecto vnicam, & adæquatam causam formalem alicuius effectus, quin ipse effectus conueniat.

176 *Respõdebis.* Si respondeatur, effectum formalẽ formæ esse ipsam formam communicatam, non cuiuis, sed subiecto talis effectus capaci: Christus autem, quatenus homo, non est subiectum capax filiationis adoptiuæ, & ideo quamuis illi gratia habitualis conueniat, filius adoptiuus non est. In contrarium arguunt Recentiores primo: vel capacitas subiecti, videlicet extraneitas personæ, est pars filiationis adoptiuæ, vel non, sed solum connotatum à gratia, quæ est adæquata forma: si primum, gratia nõ est adæquata causa formalis filiationis adoptiuæ: si secundum, implicat gratiam conuenire subiecto, & non conuenire filiationem adoptiuam; cum effectus formalis sit adæquata illius forma subiecto communicata.

*Cõtra opponunt quidã Recentiores. Primo.*

177 *Secundo.* Secundo: quia non stat capacitas in subiecto ad formam, cum incapacitate ad illius effectum formalẽ: ergo si gratia est adæquata forma filiationis adoptiuæ, non stat in Christo incapacitas adoptionis cum capacitate ad gratiam habitualem. Probatur antecedens: nõ stat in subiecto capacitas ad calorem, albedinem, vel quantitatem, cum incapacitate ad esse calidum, album, & quantum: quia calor est adæquata forma calidi, albedo albi, & quãtitas quanti: vnde quia in Angelo est incapacitas ad prædictos effectus, non potest tales formas recipere: ergo in vniuersum est verum, non stare cum capacitate ad formã adæquatam alicuius effectus formalis, incapacitatem ad ipsum effectũ formalẽ.

178 *Cõfirmatur.* Quod amplius vrgere possumus: nam esto demus, stare de potentia absoluta capacitatem ad formam sine capacitate ad illius effectum formalem, vt aliqui sentiunt de Angelo, nimirum, esse de potentia absoluta receptiuum accidentium materialium, non tamen effectuum illorum formalium; nõ tamen stat capacitas ad formam receptam connaturaliter sine capacitate ad illius effectum formalem: nam forma, vt connaturaliter in subiecto aliquo sit, petit, se in illo explicare in omnem suum effectum formalem; sed gratia habitualis non fuit in Christo inconnaturaliter, sed potius vt in suo connaturali subiecto: ergo si est adæquata causa formalis filiationis adoptiuæ, illam præbet Christo, vt homini; ac per consequens, Christus, vt homo, Filius adoptiuus est.

179 *Recentiorum solutio.* Quibus præfati Recentiores obiecti, ad argumentum respondent, concessa maiori, negando minorem: licet enim gratia habitualis sit forma filiationis Dei adoptiuæ non tamen est forma adæquata, sed hæc ex gratia habituali, & ex libero diuinæ voluntatis affectu coalescit: affectus autẽ adoptiuus, licet in hominem purum feratur, in hominem Deum non fertur; quia affect⁹ adoptiuus, vt talis, essentialiter petit personam extraneam, qualis non est homo Deus: & ideo quamuis in Christo sit gratia habitualis, filius adoptiuus nõ est.

180 *Eorum solutio reijcitur.* Sed præter illa, quibus *Disp. præcedenti* ostendimus: gratiam habitualem se sola, & omni extrinseco actu diuinæ voluntatis secluso, Filiũ Dei adoptiuũ constituere: obstat cõtra hanc solutionẽ eadẽ difficultate, qua nostra sentẽtia præmi: nã iuxta illã gratia, & affectus diuinus est adæquata filiationis adoptiuæ causa, quin ad illã persona extranea ingrediatur, vt forma; sed Christo, vt homini, conueniunt gratia habitualis, & affectus voluntatis diuinæ conferendi hæreditatem: ergo conuenit adæquata forma filiationis adoptiuæ; & consequenter Christus, in quantum homo, filius adoptiuus est, vel non est necessarium, quod cui conuenit forma adæquata effectus, & effectus ipse conueniat.

181 *Respondebis.* Dices: affectum coniunctum gratiæ, quo Dei voluntas fertur in humanitatem Christi, esse diuersum ab illo,

quo fertur in purum hominem: non autem quilibet affectus Dei est partialis forma filiationis adoptiuæ; sed ille, quo in hominem purum fertur, & ideo non reperitur in Christo adæquata forma filiationis adoptiuæ. Sed contra: nam in sententia horum Auctorum, affectus liberi Dei non differunt penés rectum, sed penés connotatum in obliquo; at affectus voluntatis diuinæ erga Christū, & affectus eius erga purum hominem, vel Angelum, non differunt penés obiectum vt *quod* volitum, & concupitū: nam in omnibus terminatur ad gloriā: ergo solum differunt penés personas, quibus tale bonum diligitur, quarum aliæ sunt extraneæ, non autem persona Christi; at affectus erga purum hominem, vt distinctus ab affectu erga Christum, adoptiuus est, & filium adoptiuū constituit: ergo in ratione formæ adoptionis cōstituitur per extraneitatē personæ, & negationem coniunctionis substantialis ad Deum, quod renuunt præfacti Auctores concedere. Patet consequentia: est namque forma adoptionis, prout distinctus ab affectu erga Christum; sed in ratione distincti constituitur per extraneitatem personæ, & negationem coniunctionis substantialis ad Deum: ergo in ratione formæ filiationis adoptiuæ, per hoc ipsum constituitur.

*Contra.*

182 *Vera argumenti solutio.*

Hac igitur solutione prætermissa, ad argumentum respondeo primo iuxta solutionem datam, distinguēdo maiorem: si effectus primarius est, transeat maior: si secundarius, & connotatiuus sit, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Ad probationē maioris, quatenus solutioni traditæ obstare potest, dicatur: effectum connotatiuum dicere in recto entitatem formæ adæquatē, & aliud importare in obliquo, vt omninò necessarium, vt talis effectus, & denominatio præstetur, vnde connotato cessante, quamuis forma adæquata secundum totam suam entitatem existat, non consurgit denominatio, aut effectus.

*Defectu connotatiextrinseci, deficit effectus formæ adæquatè.*

183 *Primum exēplū.*

Quam doctrinam plurimis exemplis confirmare possemus; duo tamen breuitatis causa sufficiant: primum in spēcibus Angelicis, concessis Angelis ab initio, quæ sunt adæquatē formæ repræsentationis indiuidui existentis; & tamen quoadvsque existat, de facto nō repræsentat ex defectu connotati. Relatio etiam paternitatis, qua pater ad plures filios refertur, adæquata forma est omnes illos respiciendi; & tamen quamuis existat relatio, pater non refertur per illam ad filium non existentem, quia nempé, ad denominationem, & exercitium relati, extremum coexistēs petitur de connotato. Ita in præsenti cōtingit, quāuis gratia habitualis adæquata forma sit filiationis adoptiuæ; effectus tamen, vel denominatio ista importat de connotato, quod persona extranea sit, aut negationē intraneitatis personæ; cumque hoc connotatum in persona Christi deficiat; fit, quod quamuis Christo gratia habitualis *entitatiuè* conueniat, non conueniat ipsi *denominatiuè* in ratione formæ adoptionis: ac per consequens, quod non constituat Christum filium adoptiuum Dei. Et ex his ad primam impugnationem cōstat solutio.

*Secundū.*

*Ad 1. impugnationem.*

184 *Ad secundam.*

Ad secundam, distinguo antecedēs: cum incapacitate ad effectum formalem primarium, transeat antecedens: ad effectum secūdarium, nego antecedēs, & consequentiam. Nam effectus adoptionis non est primarius in gratia, sed effectus secundarius: tribuit namque humanitati suum effectum primarium; & tamen effectum, seu denominationē filij non tribuit; & cum aliàs iste effectus cōnotatiuus sit, vt iam explicuimus, potest forma existere sine illo, & in subiecto ad formam capacitas, cum incapacitate ad hunc effectum formalem; exēpla autem in antecedentis probationē inducta de primario effectu cōuincunt, si forté conuincunt.

*Stat in aliquo subiecto capacitas ad formā cū incapacitate ad eius effectu secūdariū.*

185 *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem, distinguo maiorem: si effectus sit formæ adæquatus, cum illa convertibilis, & ab illa in omni subiecto, & in omni statu exactus, prætermitto maiorē: si nec adæquatus sit, nec cum illa conuertibilis, nec in omni subiecto petitus, nego maiorē: & concessa minori, nego consequentiam: quia effectus, aut denominatio filij, nō conuertitur cum gratia, nec ab illa in omni subiecto petitur, sed gratia est de

se indifferens ad esse in persona extranea, & in persona diuina, primæ tribuit denominationem filij: secus autem personæ non extraneæ, sed intraneæ. Et quidem non minus est effectus habitualis gratiæ radicare supernaturales virtutes, imo, & ipsum lumen gloriæ, quã fundare filiationem adoptiuam; & tamen existit in nobis absque vlla inconnaturalitate, quin radicet iustitiam commutatiuam ad Deum, quam in anima Christi radicat, & in Christo, quin radicet fidem, & spem, quas tamen radicat in nobis, & similiter in hominibus viatoribus, quin radicet lumen gloriæ, & in statu beatitudinis, absque eo, quod radicet fidem, & spem. Quorum omnium ratio est; quia illa radicatio virtutum, non est effectus conuertibilis cum gratia, nec ab ea *adæquatè* in omni statu, & in omni subiecto petitus. Quam doctrinam aliquanto fusius prosecuti sumus *supra q. 7 disp. 21. num. 70. & 71. & disp. 22 num. 39.*

*Instatur confirmatio.*

186 *Secundo respondetur ad argumẽtũ.*

Secundo ad argumentum respondeo, permissa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: gratia habitualis, vt habita per spiritualem generationem, concedo maiorem. vt spiritualem generationem non terminans, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum enim *disp. precedenti* docuimus, gratiam habitualem esse formam adæquatam filiationis adoptiuæ, locuti sumus de illa, vt habita per spiritualem generationem, sicut natura non aliter, quam vt generationem terminans est forma pro fundamento filiationis naturalis, quo circa licet Spiritui Sancto natura diuina non minus, quam Verbo conueniat, quia tamen Spiritui Sancto non conuenit ex vi processionis, quæ vere sit generatio, filiationem naturalem non fundat, nec Spiritum Sanctũ filium Dei naturalem pro fundamento filiationis constituit. Licet autem gratia habitualis humanitati Christi conueniat, infusio tamen illius, spiritualis generatio non est, quia licet ad naturam Dei participatam terminetur, non terminatur ad illam secundum modum naturæ, sed ad modum proprietatis consequentis gratiam vnionis, vel *physicè*, vel *moraliter*, & ad illam vt ad finem ordinatæ; cum tamen de ratione generationis sit ad naturam terminari sub conceptu naturæ & ad modum naturæ primario in executione, & etiam in intentione, & ideo in Christo filiationem adoptiuam non fundat.

*Gratia habitualis vt habita per spiritualem generationem constituit filium adoptiuũ & nõ aliter.*

187 *Oppones.*

Si dicas: gratia prima collata à Sacramento Eucharistiæ in aliquo casu per accidens, cõstituit subiectum, cui infunditur spiritualiter genitum, & tamen non intenditur per se, cum solum per accidens possit prima gratia conferri à Sacramentis viuorum: ergo vt gratia terminet spiritualem generationem, reddatque subiectum spiritualiter genitũ, non exigitur, esse primo, & per se intentam; & consequenter, nec ad modum naturæ produci. Respondeo tripliciter: primo, distinguendo minorem: non intenditur per se, ex vi significationis Sacramenti, concedo minorem: ex vi eleuationis, qua hic, & nunc Sacramentum eleuatur, nego minorem, & consequentiam. Vel secundo, distinguo minorem: non intenditur per se à Sacramẽto, concedo minorem: à Deo gratiam infundente, nego minorem, & consequentiam. Vel tertio, distinguo minorem: non intenditur per se *positiuè*, transeat minor: *negatiuè*, nego minorem, & consequentiam: per se *negatiuè* intenditur, quia ad aliud non ordinatur: in Christo autem, nec *positiuè*, nec *negatiuè* intẽditur per se primo; ordinatur enim ad gratiam substantialem vnionis, tãquam dispositio consequens, & exornans, vt docet Diuus Thomas *supra q. 6. art. 6. in corpore.*

*Respondetur primo*

*Respondetur secũdo*

*Respondetur tertio.*

188 *Oppones secundo.*

Si opponas secundo: infusio gratiæ habitualis in anima Christi Domini, est eiusdem speciei cum infusione, qua infunditur in animabus iustorum; sed hæc est spiritualis generatio: ergo etiam illa, qua fuit in anima Christi infusa. Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: quia, quod actio causans gratiam in animabus iustorum sit spiritualis generatio, non habet ex sola specie, sed insuper, quia non est ad aliud in eodem subiecto, vt ad finem ordinata, nec ad illud consecuta, & quia istæ negationes infusioni gratiæ in anima Christi non competunt: fit, quod quam

*Respondetur.*

uis

nis, *specifice* cum infusione gratiæ in animabus iustorum conueniat, spiritualis generatio non sit.

189 *Quarto arguitur.*

Quarto arguitur: ad rationem filij adoptiui sufficit extraneitas naturæ, sed Christus in quantum homo, est persona extraneæ naturæ à Deo: ergo est capax filiationis adoptiuæ, & consequenter per gratiam habitualem constituitur filius adoptiuus Dei. Consequutio tenet. Minor constat; etenim natura humana Christi est eiusdem rationis cum nostra, & creata, & finita, & à Dei natura distincta, & ratione sui carens iure ad diuinam hæreditatem: ergo est extranea natura; & consequenter Christus in illa subsistens est persona extraneæ naturæ. *Maior probatur primo.* Maior autem ostenditur primo; nã persona non solum subsistentiam importat, sed etiam naturam; est enim cõposita ex subsistentia, & natura: ergo vt persona sit capax filiationis adoptiuæ, sufficit, quod sit in natura extranea subsistens.

190 *Secundo.*

Secundo: quia namque persona ex subsistẽtia, & natura componitur; Christus est persona humana, quia subsistit, in illa: ergo vt persona extranea dicatur, sufficit, quod in natura extranea subsistat. *Tertio.* Tertio: licet namque filiatio immediate comparetur ad suppositum, & non mediante natura possint aliqua à filiatione petita, supposito ratione naturæ competere, vt patet in temporaneitate à filiatione temporali petita, quæ conuenit supposito Christi, non ratione sui, sed ratione humanæ naturæ: ergo extraneitas postulata à filiatione adoptiua sufficiet, quod personæ Christi conueniat ratione naturæ, quamuis filiatio immediate de supposito dicatur, & non mediante natura.

191 *Quarto.*

Quarto: nam eo modo requiritur extraneitas ad filiationem adoptiuam, quo intraneitas ad naturalem; sed ad filiationem naturalem sufficit intraneitas naturæ: ergo ad adoptiuam sufficit naturæ extraneitas. *Minor probatur primo.* Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo: nam Christus, vt homo, est filius naturalis Beatissimæ Virginis, vt fides docet; & tamen non est cum illa intraneus ratione suppositi, sed tantum ratione naturæ: subsistentia enim Christi, cũ subsistentia Beatissimæ Virginis solum *analogicè* conuenit: ergo ad filiationem naturalem sufficit intraneitas solius naturæ. *Secundo.* Secundo: nam ius connaturale ad hæreditatem Dei, non conuenit Verbo ratione suæ subsistentiæ, sed ratione naturæ diuinæ; cum ratione illius radicet virtualiter, aut eminenter increatam intellectionem, in qua radicatione consistit prædictum ius; & tamen est filius naturalis æterni patris per essentiam: ergo sufficit intraneitas ratione solius naturæ ad filiationem naturalem.

192 *Confirmatur.*

Quod amplius confirmare possumus: intraneitas namque naturæ sufficit ad excludendam filiationem adoptiuam: ergo extraneitas naturæ ad illam inducendam sufficiet. Patet consequentia à paritate rationis. Antecedens autẽ probatur: si per impossibile subsistentia creata, diuinam terminaret naturam, persona ex natura diuina, & subsistentia creata resultans, filius adoptiuus non esset; cum deberetur illi ex vi suæ constitutionis increata Dei hæreditas; & tamen intraneitas huius personæ, non personalitatis, sed tantum naturæ esset: ergo intraneitas naturæ sufficit ad excludendã filiationem adoptiuam.

193 *Respondetur primo*

Huic argumento respondeti potest primo, prætermissa maiori, negando minorem. Extraneitas namque non solum dicit negationem identitatis cum Deo, sed etiam negationem coniunctionis substantialis ad ipsum, & licet humanitas Christi sit, & semper maneat realiter à Deo distincta, supposita tamen vnione ad Verbum, non manet cum negatione coniunctionis substãtialis ad Deum, & ideo extranea nõ manet, quod requirebatur, vt Christus quatenus homo esset, & diceretur suppositum extraneæ naturæ, cum non componatur ex illa, nisi vt sibi substantialiter coniuncta; vnde Christus, quatenus homo, non solũ nõ potest persona extranea dici, sed nec etiam suppositum, vel persona in extranea subsistens natura, vel suppositum extraneæ naturæ.

*Christus, vt homo, nec est persona extranea, nec dici potest persona in extranea natura subsistens.*

194 *Replicabis primo*

Sed oppones primo: Christus, vt homo, est persona subsistens in natura creata, & finita, & suppositum naturæ finitæ, & creatæ: ergo etiam est persona subsistens in natura extranea à Deo. Patet

conse-

consequentia. Tum à paritate rationis Tum etiam: nam si esset persona finita, esset persona extranea: ergo si est persona subsistēs in natura finita, est subsistēs in natura extranea. Secundo, natura humana ex se est natura extranea à Deo: ergo etiam Verbo coniuncta manet extranea natura; cum ea, quæ naturæ humanæ ex se competunt, in omni statu prædicentur de illa. Antecedens probatur: natura humana ex se non est natura intranea Deo: ergo ex se est non intranea; & consequenter est natura extranea ex se.

*Consequētia probatur dupliciter.*

*Secundo replicabis.*

Tertio: adhuc suppositā vnione humanitatis ad Verbum, est subiectum capax gratiæ; cum Christus, vt subsistens in humanitate, sit subiectum prædestinationis proprié; & consequenter terminus prædestinationis, gratia sit respectu illius, quatenus sic subsistentis: ac proinde respectu naturæ sit gratia; at si hac vnione suppositā natura extranea non esset, capax gratiæ esse non posset: ergo adhuc suppositā vnione humanitatis ad Verbum, manet extranea natura. Denique: nam Diuus Thomas ex eo probat, Christum vt hominem non esse filium adoptiuum, quia filiatio non dicitur de natura, sed immediate ad personam comparatur, & hæc in Christo non est extranea; at si humanitas diuino Verbo coniuncta, natura extranea nō esset, non esset necessarium recurrere ad hoc quod filiatio non conuenit naturæ, sed immediate personæ: ergo sentit Diuus Thomas. humanitatem adhuc vnione ad Verbum suppositā manere extraneā naturam.

**195** *Replicabis tertio.*

*Replicabis quarto.*

Respondeo ad primam ex his obiectionibus, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad primā probationem, nego paritatem rationis: disparitas autem est: nam finitudo, & ratio creaturæ, non dicit negationem coniūctionis subsistantialis ad Deum, sed solum negationem identitatis cum ipso, & quia humanitas, etsi coniuncta, manet non identificata cum Deo, manet natura creata, & finita. Extraneitas autem naturæ non solum dicit negationem identitatis cum Deo, sed etiam negationem coniunctionis subsistantialis ad ipsum, ex vnione autem ad Verbum tollitur negatio coniunctionis subsistantialis ad Deū, & ideo ex tali vnione tollitur extraneitas naturæ. Ad secundam probationē, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam si esset persona finita, non esset Deo subsistantialiter coniuncta; cum personalitati creatæ repugnet assumi à persona diuina, & diuinam terminare naturam, & ideo esset extranea persona. Humanitas autem, etsi sit natura finita, est tamen Deo subsistantialiter coniuncta, ex qua coniunctione tollitur extraneitas naturæ.

**196** *Ad primā replicā respondetur.*

*Ad primā probationē consequētiæ.*

*Ad secundā probationem.*

Ad secundam obiectionem, nego antecedens. Ad probationem, nego cōsequentiam: sicut ista consequentia non tenet: *Homo ex se non est albus: ergo homo ex se est non albus*: nam in antecedenti fit sensus, quod homini non est essentialis albedo, & in consequenti denotatur, quod negatio albedinis conuenit homini essentialiter: licet autem albedo essētialis non sit homini, non sequitur illius negationem esse homini essentialē, sed homo secūdū suā essentiā, nec est albus, nec nō albus; si nāque esset essētialiter, albus negatio albedinis repugnaret illi essentialiter, et si esset essentialiter nō albus, essentialiter illi repugnaret albedo. Idem in præsenti contingit: nam in antecedenti fit sensus, quod intraneitas cū Deo non conuenit essentialiter humanitati, quod verissimum est, & in consequenti fit sensus, quod negatio intraneitatis est humanitati essentialis, quod est falsum; alias numquam posset esse intranea, hoc est cum Deo subsistantialiter coniuncta. Ad tertiam, quid sit dicendum *dsp. sequenti* constabit.

**197** *Ad secundā replicam.*

*Ad tertiā*

Ad quartam, concessa maiori, distinguo minorem: non esset necessariū *simpliciter*, concedo minorem: *secundum quid*, id est, ad melius esse, nego minorē, & consequentiam. Negatio enim extraneitatis, clarior in persona Christi, quā in illius natura elucescit, & quia in re ita verum est, & tale à Diuo Thoma cēsetur, quod filiatio non dicitur de natura, sed de persona immediate, ideo hac via vsus est D. Thom non vt necessaria *simpliciter*, sed vt clariori, illo principio supposito.

**198** *Ad quartam.*

Secundo respondeo ad principale argumentum, negando maiorē, vt enim

**199**

constat

*Secundo respõd. ad principale argumentum.*

constat ex diffinitione adoptionis, ad illam petitur, quod persona extranea sit, hoc est, non filius naturalis, nõ coniuncta adoptanti substantialiter, & non habens ius de se ad hæreditatem adoptantis; ex eo autem, quod natura extranea sit, id est, de se non filia naturalis Dei, nõ coniuncta substantialiter ipsi, nec habens ius ad diuinã hæreditatẽ, de persona Christi, vt composita ex subsistentia Verbi, & humana, atque diuina natura, non prædicantur huiusce modi negationes: licet enim, quæ affirmantur de partibus, aut extremis cõponentibus, etiã de toto cõposito ex illis dicantur, quæ tamen negantur de extremis, vel de partibus componentibus, non negantur de toto ex illis composito, si ratione alterius ex componentibus illi conueniant: nam de anima rationali negatur, quod sit corporea; & tamen de homine non potest veré negari, quia ratione alterius partis corporeitas conuenit homini. Animali etiam conuenit, quod de se rationale non sit; & tamen de homine, irrationalitas, vel negatio rationalitatis enuntiari veré non potest. De qualibet etiam ex partibus cõponentibus potest compositio negari, & affirmari simplicitas, & tamen de toto, falsò negatur compositio, & simplicitas affirmatur.

*Ea, quæ de partibus affirmãtur dicuntur, etiam de toto ex illis cõposito, secus ea quæ de partibus negatur.*

200 Quamuis ergo de humanitate enuntietur negatio iuris ad hæreditatẽ Dei, negatio filiationis naturalis, & coniunctionis substantialis cum Deo, vt illi ab intrinseco conuenientis, in quibus negationib⁹ extraneitas ad adoptionẽ exacta consistit, non sequitur posse de persona Christi absolutè negari: ac proinde ex eo quod sit persona extraneæ naturæ non ideò potest de illa affirmari absolutè, quod persona extranea sit, etiã ratione naturæ: nam ad hoc requirebatur, quod natura in personam hoc prædicatum transferret: ac per consequens ad hoc, quod Christus sit capax filiationis adoptiuæ non sufficit, quod vt homo sit suppositum extraneæ naturæ.

201 Et ex his ad primam probationem constat solutio. Quod enim Christus, quatenus persona humana, sit ex subsistentia Verbi, & humanitate compositus, non sequitur, quod si humanitas est extranea, Christus ratione illius extranea persona sit, quod necessarium erat, vt esset capax filiationis adoptiuæ. Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia esse personam humanam est prædicatum affirmatiuum: ac proinde potest de toto ratione vnius extremi enuntiari: extraneitas autem in negatione consistit, & ideò ex eo quod de parte, aut extremo componente enuntietur, non sequitur enuntiari de composito, cui ratione alterius partis oppositum prædicatum conuenit.

*Ad primã probationẽ maioris.*

*Ad secundam.*

Ad tertiam, concesso antecedenti, nego suppositum consequentis: quod nempé extraneitas conueniat personæ Christi ratione naturæ humanæ: nam licet personæ Christi conueniat, quod sit persona extraneæ naturæ, non tamen ratione naturæ ipsi conuenit, quod sit extranea persona, sicut licet personæ Christi conueniat, quod quatenus homo sit persona naturæ finitæ, non tamen conuenit ipsi, quod sit persona finita, nec vllus vnquam hoc dixit, nec esse eandem rationem de temporaneitate ad filiationem temporalem exacta, ac de extraneitate ad filiationem adoptiuam petita, constat ex dictis inter soluenda argumenta contra secundam rationẽ Angelici Præceptoris.

202 *Ad tertiam.*

Ad quartam probationem maioris, nego maiorem: licet namque in hoc conuenientia sit, quod ad filiationem naturalem requiratur, quod persona intranea sit, & ad adoptiuã, quod persona sit extranea, est tamen inter ista prædicata hoc discrimen, quod cum extraneitas in negationibus explicatis consistat, vt de persona enuntetur, non sufficit, quod conueniat vni ex partibus, vel extremis componentibus, si alterum intraneum sit, sed requiritur ad hoc, quod nulla pars, vel extremum intraneum sit adoptanti. Intraneitas autem, cum consistat in affirmatione iuris ad hæreditatem, vel conuenientia cum alio, eo ipso, quod vni parti conueniat, absolutè de composito affirmatur, atque adeò, vt Christus sit, & dicatur intraneus respectu Virginis, sufficit quod in natura intranea subsistat: ac proinde hoc etiam sufficit, vt sit filius naturalis illius. Cæterum, vt Christus dicatur persona extranea per comparationem ad Deum,

203 *Ad quartam.*

non

non sufficit in natura extranea subsistere; ac per consequens non sufficit, vt sit filius adoptiuus. Et ex his ad confirmationem constat solutio.

*Ad cõfirmationẽ.*

Sed dices: ex his tantũ haberi, quod Christus ratione humanæ naturæ, non sit, nec dicatur persona extranea absolutè: non autem, quod non dicatur persona extranea cũ addito, nempé, ratione naturæ; sed vt sit quatenus homo capax filiationis adoptiuæ, non est cur non sufficiat extraneitas personæ cum illa limitatione: ergo Christus, quatenus homo, est subiectum capax adoptionis. Probatur maior: extraneitas consistit in negatione coniunctionis substantialis ad Deum, filiationis naturalis, iurisq; ad hæreditatem; sed licet personæ Christi non conueniant absolutè negationes istæ, illi tamen ratione naturæ competunt: ergo licet non sit persona extranea absolutè, est tamen persona extranea cum addito, nempé, ratione naturæ. Probatur minor: Christus ratione naturæ humanæ non est Deo substantialiter coniunctus, nec filius naturalis ipsius, nec ratione illius habet ius ad hæreditatem Dei: ergo quamuis negationes explicatæ non conueniãt personæ Christi absolutè, conueniunt tamen illi cum addito diminuente, nempé, ratione humanæ naturæ.

204 *Instabis.*

Respondeo primo: permissa maiori, negando minorem. Cum enim in diffinitione adoptionis dicatur, quod *est personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio*, debet intelligi de propria extraneitate personæ: extraneitas autem cum illo addito diminuente, non est proprié extraneitas personæ, & ideo ad adoptionem non sufficit.

205 *Respondetur primo*

Secundo respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: sicut non sequitur: *Christus ratione humanæ naturæ non est persona infinita: ergo ratione naturæ humanæ est persona non infinita, vel finita*; nec similiter ista consequentia tenet: *Homo ratione materiæ non est rationalis: ergo ratione materiæ est irrationalis, vel non rationalis*: nec similiter ex eo quod homo ratione animalitatis non sit discursiuus, sequitur esse ratione animalitatis, non discursiuum. Et horum ratio est; quia vt Christus ratione humanitatis non sit infinitus, sufficit, quod ab illa infinitatem non habeat: vt autem ratione humanitatis diceretur non infinitus, vel finitus, necessarium erat, quod humanitas non solum non daret infinitatem, sed quod etiam impediret, vel aufferret infinitatem conuenientem ex alio principio; & idem de alijs exemplis.

206 *Respondetur secũdo.*

Pariter ergo in præsenti, vt verificetur, Christum non esse Deo consubstantialiter coniunctum, filium Dei naturalem ratione humanæ naturæ, nec ratione illius ius ad hæreditatem habere, sufficit, quod humanitas illi non præbeat coniunctionem substantialem ad Deum, filiationem naturalem illi, nec ius ad diuinam hæreditatem: vt autem diceretur, non coniunctus substantialiter Deo, non filius naturalis, carens iure ad hæreditatem Dei ratione humanæ naturæ, necessarium erat quod non solũ humanitas illos effectus non daret, sed quod illis repugnaret, vt habitis ex alio principio; hoc autem humanitati non conuenit, & ideo ex eo quod Christus non sit Deo coniunctus substantialiter ratione humanæ naturæ: non sequitur, esse non coniunctum ipsi ratione naturæ humanæ. Sicut ista consequentia nõ tenet: *Homo ratione sui, non est albus: ergo homo ratione sui est non albus.* Quia ad primum sufficit, quod essentia hominis nõ præstet illi esse album; ad secundum vero exigebatur, quod essentia hominis non solum non præberet effectum albedinis, sed etiam quod illi repugnaret cõuenienti ex alijs principijs.

207

Quinto arguit: licet Christus quatenus persona humana formaliter, non sit extraneus à Deo extraneitate entitatiua, est tamen extraneus à Deo extraneitate iuris ad hæreditatem creatam, ad quam vt homo ordinatur; sed sufficit extraneitas in negatione iuris ad hæreditatem consistens, vt filius adoptiuus dicatur, prout ordinatur ad hæreditatẽ creatam: ergo est filius adoptiuus, quatenus ad illam assumitur. Maior probatur: Christus, vt persona humana, non habet ius ad diuinam hæreditatem ratione humanitatis, vt constat, nec ratione personali-

208 *Quinto arguitur*

*Maior quoad secũdã partẽ probatur primo*

nalitatis. Tum; quia personalitas non sanctificat humanitatem Christi; & consequenter non dat illi ius ad hæreditatē diuinam. Tum etiam; quia non dat ius humanitati ad hæreditatem increatam, ad quam non est in humanitate capacitas, nec ad hæreditatem creatam: nam diuina personalitas non habet ius ad talem hæreditatem; & consequenter non potest tale ius alteri præstare: ergo nec ratione vtriusque ius habet; & consequenter quatenus persona humana, est extraneus, etsi non extraneitate diuina, bene tamē extraneitate, quæ in carentia iuris ad hæreditatem consistit. Deinde minor argumenti suadetur: eo ipso quod Christus quatenus persona humana, careat iure ad hæreditatem creatam, ordinatio illius ad talem hæreditatē est gratuita, & liberalis assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem Dei, sed adoptio in hoc consistit, vt cōstat ex eius diffinitione: ergo eo ipso, quod prædicto iure careat est adoptatus in filium; & consequenter est filius adoptiuus.

*Secundo.*

*Minor probatur*

**209** *Respondetur primo*

Respondeo primo, iuxta primam rationem Diui Thomæ negando maiorem. Ad illius probationem, nego antecedens pro secunda parte. Ad cuius primam probationem, nego antecedens. Vt enim pluribus monstrauimus *supra quæst. 7. art. 1. disp. 21.* personalitas Verbi, etsi non sanctificet humanitatē Christi ratione illius, quod explicat, & addit ad essentiam diuinam, sanctificat tamen illam ratione naturæ inclusæ. Ad secundam, nego antecedens pro secunda parte. Nam licet persona Verbi, quia in se ipsa non est capax hæreditatis creatæ, non habeat ius ad illam in se recipiēdam, habet tamen ius ad hæreditatem creatam in natura terminata, quia in tali natura capacitas ad hæreditatem creatam inuenitur. Et quidem negare nequeunt Scotistæ, personam Verbi, terminando humanitatem, illam complere in ordine ad operationes humanitatis; cum natura sine suppositō, completum illarum principium non sit; & tamen naturam diuinam in ordine ad prædictas operationes non complet: ergo pariter potest humanitati præstare ius ad hæreditatem creatam, quamuis ius ad illam in se recipiendam non habeat. Cætera, quæ contra istam solutionem possunt opponi, soluta manent ex dictis *supra* inter defendendam Angelici Doctoris primam rationem.

*Ad primā probationē secundæ partis maioris.*

*Ad secundam.*

**210** *Respondetur secundo.*

Quia tamen non est omnino improbabile, personam Verbi, nec ratione illius, quod explicat, nec ratione diuinitatis inclusæ humanitatem Christi sanctificare formaliter, ne sententiam, quam in præsenti defendimus, quæ certa censetur communiter, & opposita improbabilis, sententiæ non ita certæ alligemus: potest responderi secundo prætermissa maiori, negando minorem. Cum enim ex diffinitione adoptionis habeatur duo ad illam desiderari, nempe, quod assumptio sit gratiosa, & insuper extraneitas personæ, & extraneitas iuris, in priori requisito, scilicet, liberali, & gratiosa assumptione ad hæreditatē consistat: fit consequens, quod vlterior extraneitas ad illam desideretur, quæ in nullo alio consistere potest, quam in negatione filiationis naturalis ad Deū, & coniunctionis substantialis ad ipsum, cumque hæc duplex negatio personæ Christi repugnet; est enim filius naturalis Dei, etiam prout in humanitate subsistit, ipsique substantialiter coniunctus: fit consequens, quod quamuis gratiose in humanitate assumpta ad hæreditatē creatam ordinetur, filius adoptiuus nō sit.

**211** *Replicabis primo*

Sed oppones aduersus istam solutionem primo: dato, Christo, prout in humanitate subsistit, non deberi hæreditatem creatam, necessario est dicendum, esse hæredem adoptiuum illius; at hæres adoptiuus, & filius adoptiuus sunt idē: ergo illo admisso, est dicendum esse filium adoptiuum. Minor constat ex Paulo ad Romanos 8. illis verbis: *Quod si filij, & hæredes.* Quibus aperte indicatur, hæredem, & filium conuerti; & consequenter hæres adoptiuus, & filius adoptiuus, ad conuertentiam dicuntur. Maior autem probatur: nam persona Christi ex vi ordinationis ad hæreditatem creatam est hæres; sed si illi non debeatur non est hæres naturalis: ergo est hęres adoptiuus: non enim datur medium inter hęredem adoptiuum, & hæredem naturalem.

**212** *Secundo*

Secundo: nam illa doctrina admis-

sa,

sa, Christus per gratiam habitualem cō stituitur filius Dei; at non filius naturalis; cum gratia ad hoc vim non habeat: ergo filius adoptiuus. Probatur maior primo: nam ideo iuxta D. Thom. *in p. sentiquæst. 23. art. 4. ad 2.* gratia habitualis in Christo non facit de non filio, filiū adoptiuū, quia est quidā effectus filiationis in anima Christi; sed si hæreditas creata nō debeatur Christo, vt est persona humana in humanitate subsistens, gratia habitualis nō erit effectus in anima Christi cōsequens filiationē naturalem, cum *physicè* non sequatur ad illam, nec etiam sequatur *moraliter*, cum supponamus *moraliter* non deberi: ergo faciet Christum, vt hominem de non filio filium adoptiuum.

*Maior probatur primo.*

213 *Secundo.* Secundo: nam illa doctrina admissa, Christus, vt homo, erit per gratiam habitualem spiritualiter genitus: cum illi, vt sic, infundatur vt natura, & per modum naturæ spiritualis, quod ad spiritualem generationem sufficit: ergo erit filius adoptiuus. *Tertio.* Tertio; quia illa doctrina admissa, primum ius ad hæreditatem creatam conuenit personæ Christi per gratiam habitualem; sed filiatio non saluatur sine iure ad patris hæreditatē, iuxta verba illa Pauli: *Quod si filij, & hæredes.* Ergo ante gratiam habitualem, Christus, vt subsistens in humanitate, non erit aliqua ratione filius; & consequenter filius per gratiam habitualem constituetur.

214 *Ad primā replicā respondetur.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus, negando maiorem. Adoptio enim proprié solum cum filio coniungitur, iuxta communem Theologorum acceptionem: ac proinde cum hærede, qui prout sic, filius non est, non nisi improprié construitur. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem; sed illa sententia admissa, diceretur Christus, vt homo, hæres voluntarij hæreditatis creatæ, quia liberaliter assumeretur ad illam: vnde constituendum est medium inter hæredem naturalem, & adoptiuum, nempe, hæres voluntarius, id est, voluntarié, & liberaliter ad hæreditatem assumptus, & ordinatus, qui filius adoptiuus non est, quia non est persona extranea, hoc est, non filius naturalis Dei, nec ipsi substantialiter coniunctus. Vt enim multoties repetit Cōcilium Francofordiense: *Adoptiuus nullam aliam significationem habet, nisi vt Christus filius naturalis non sit.* Nec sequitur esse filium voluntarium: non enim conuertuntur esse filium, & esse hæredem: nam Spiritus Sanctus est hæres naturalis hæreditatis diuinæ; & tamen filius naturalis non est. Consanguinei etiam, sibi mutuo sunt in defectu filiorum hæredes; & tamen filij ad inuicem non sunt, nec naturales, nec adoptiui. Et vn' homo potest alterum sui hæredem instituere, quin ipsum constituat filium, si nimirū, tametsi hæredem constituat, hoc filiali affectu non faciat, ipsum loco filij naturalis habendo.

*Inter hæredē naturalem, et adoptiuū datur medium.*

*Filius, et hæres, nō conuertūtur mutuo*

Ad secundam, nego maiorem. Ad primam probationem, admissā, vt iacet, Angelici Præceptoris doctrina, nego minorem. Nam etiam in sententia asserente, personalitatem Verbi non sanctificare humanitatem Christi, gratia habitualis consequitur moraliter ad filiationem naturalem, quatenus ex quadam congruentia, & condecentia morali debetur, quod anima Verbo coniuncta, omni dono spirituali ditetur, quod tamen debitum morale non est in illorum Auctorum sententia ad humanitatem sanctificandam sufficiens: nam ad hoc requiritur, quod natura diuina vniatur per modum naturæ, & radicis physicæ videndi, & amandi Deum, qualiter non vnitur cum humanitate Christi. Et ex his ad secundam probationem dicatur, non infundi gratiam, vt naturam, & ad modum naturæ sufficienti modo ad constituendum spiritualiter genitum; cum ex hoc debito infunditur, quia cū hoc debitum adest, supponitur persona aliam terminans generationem, & cum alia filiatione

215 *Ad secūdam.*

*Ad primāprobationē maioris.*

*Ad secūdā probationem.*

Ad tertiam, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Nam licet Christo, vt subsistenti in humanitate, non conueniat ante gratiam habitualē ius ad hæreditatem creatam, conuenit illi etiam, vt sic subsistenti, ius ad hæreditatem increatam ratione filiationis naturalis, quia vt sic subsistens, filius naturalis est, & ratione istius filiationis, & iuris, etsi non reddatur incapax ad hæreditatem creatam, per quam beatificetur

216 *Ad tertiam.*

huma-

humanitas, redditur tamen incapax filiationis adoptiuæ, quia hæc dicit negationem filiationis naturalis in persona, quæ adoptatur, vt sæpé iam vidimus, & petit extraneitatem personæ consistentem in negatione filiationis naturalis Dei, & coniunctionis substantialis ad ipsum.

217 *Instabis*

Sed dices: sequi ex ista solutione, casu in quo Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, fore filium Dei adoptiuum; consequens falsum videtur; cum omnes Auctores nostræ sententiæ eodem modo, quo de Christo quoad adoptionem loquuntur, de Spiritu Sancto discurrant, in casu quod humanitatem assumeret: ergo tradita solutio vera nō est. *Sequela probatur primo.* Sequela probatur primo: Spiritus Sanctus in humanitate subsistens non esset filius naturalis Dei, nec vt terminans humanitatem haberet ius ad hæreditatem creatam, cuius capax est humanitas: ergo assumptio illius ad talem hæreditatem esset in omni rigore adoptio. *Secundo.* Secundo: nam gratia habitualis illum vt in humanitate subsistentem rederet spiritualiter genitum; cum non supponeretur ad infusionem gratiæ alia generatio suppositi terminantis humanitatem: ergo illum constitueret filiū adoptiuum Dei.

218 *Respondetur. Ad primā probationem sequelæ.*

Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia adoptio non solum dicit negationem filiationis naturalis, sed etiam coniunctionis substantialis personæ cum adoptante: Spiritus autem Sanctus in suppositione facta, etsi filius naturalis non esset, gauderet tamen coniunctione substantiali cum Deo: ac proinde esset incapax adoptionis. *Ad secundam.* Ad secundam, nego antecedens. Nam licet infusio gratiæ non supponeret aliam generationem suppositi terminantis humanitatem, supponeret tamen vnionem substantialem humanitatis cum persona diuina, ratione cuius esset debita debito condecentiæ moralis, & ad quam ordinaretur, vt dispositio concomitans, & exornans, & ideo non causaretur, vt natura, & ad modum naturæ, quod necessarium erat, vt subiectum; cui infunderetur, redderet spiritualiter genitum.

219

Hæc dixerim, sententia illa præsupposita, consultius tamen iudico oppositæ sententiæ adhærere: consequenter enim ad illam melius saluatur negatio adoptionis in Christo. Obiter tamen aduerto iuxta illius sententiæ principia, quam proximé admittebamus, si per impossibile humanitas vnius hominis vniretur alteri in vnitate personæ, etsi non esset filius naturalis illius, esse incapacem filiationis adoptiuæ, quamuis assumeretur ad eius hæreditatem, eo quod non esset extranea persona ab ipso, & cum illo esset substantialiter coniunctus.

220 *Denique arguitur*

Denique arguitur argumento Durandi: nā filius Dei nō naturalis formaliter, per gratiam ordinatus ad diuinam hæreditatem, est veré, & proprie filius adoptiuus ipsius; sed Christus, vt homo, non est filius Dei naturalis formaliter; cum non sit filius Dei per naturam, nec per naturalem generationem, quod necessarium erat, vt esset filius naturalis Dei, & per gratiam ordinatur ad diuinam hæreditatem: ergo est filius adoptiuus.

221 *Respondetur 1.*

Huic argumento respondeti potest primo, negando maiorem. Tum; quia filiationi adoptiuæ non solum opponitur filiatio naturalis prædicata formaliter; sed etiam identica; cum ratione illius competat ab intrinseco ius ad diuinam hæreditatem, quod filiatio adoptiua non patitur. Tum etiam: nam coniunctio substantialis, quamuis naturalē filiationem non præstet, dummodo ius ad hæreditatem diuinam præbeat, filiationem adoptiuam excludit, vt constat in Spiritu Sancto, cuius in quo, naturam aliquam intellectualem assumeret; tūc enim filius naturalis non esset, vt ex dicendis, *disp. sequenti* constabit, & tamen non posset filius adoptiuus dici, vt communiter docetur à Theologis: Christo autem, vt homini ratione coniunctionis humanitatis ad Verbum, conuenire ius ab intrinseco ad hæreditatem diuinam, constat ex dictis. Secundo respondeti potest, concessa maiori, negando minorem. *Respondetur 2.* Qualiter autem Christo, vt homini, conueniat esse filium naturalem Dei, *disputatione sequenti* constabit.

Et

222 *Humanitatē Christi nō esse adoptatā, probatur 1.*

Ex dictis sequitur primo: humanitatem Christi, etsi gratiosé assumpta fuerit ad esse personale Verbi; adoptiuam tamen, vel adoptatam non esse. Quod patet primo ex Concilio Francofordiensi in libro Sacrosyllabo, ibi: *De Beata Virgine inenarrabiliter assumpsit, non adoptauit carnem*: ergo caro, idest, humanitas, iuxta Concilium adoptiua, vel adoptata non fuit. Secundo: nā idem est adoptari, & esse Filium adoptiuum; sed filiatio non denominat naturam, sed tantum personam, vt ex Diuo Thoma vidimus: ergo nec adoptio potest naturam denominare; & consequenter humanitas, adoptiua, vel adoptata non est. Tertio: nam adoptio, nō solum petit extraneitatem in subiecto adoptando, sed etiam conseruatam in illo; at quamuis humanitas ex se extranea sit à Deo, ex vi tamen assumptionis fuit ipsi substantialiter coniuncta; & cōsequenter non mansit extranea post assumptionem: ergo assumptio humanitatis à Verbo adoptionis rationem non habet; & consequenter humanitas ex vi illius adoptata non est. Denique: quia adoptata non fuit per gratiam habitualem; cum hæc fuerit proprietas consequens gratiam substatialem vnionis, & ex vi illius debita, nec etiam per gratiam vnionis. Tum, quia per illam fuit Deo substantialiter coniuncta, quod gratiæ adoptionis repugnat. Tū etiā, quia ex vi gratiæ vnionis fuit humanitas vnita ad esse personale Filij naturalis Dei, quod nequit cum adoptione componi: ergo adoptata non fuit.

*Secundo.* *Tertio.* *Quarto.*

223 *Oppones*

Sed dices: probabile est, humanitatem prius natura fuisse gratam per gratiam habitualem, quam à Diuino Verbo assumptam; sed ista sententia admissa, adoptata fuit à Deo per gratiam habitualem; cum gratia pro illo priori omninò expedita esset ad tribuendum adoptionis effectum: ergo consequenter ad illam asserendum est, humanitatē fuisse adoptatam.

224 *Respond.*

Respondeo, prætermissa maiori, negando minorem. Tum, quia iuxta primam rationē, humanitas capax non esset. Tùm etiam: nam esto admittamus esse adoptionis capacem, quia tamen cum prioritate naturæ habitualis gratiæ respectu gratiæ vnionis in genere causæ dispositiuæ, quæ in sententia data adstruitur, simul fuit posterior in alio genere causæ, iam supponebat substantialem coniunctionem humanitatis ad Verbum: ac per consequens non erat in humanitate capacitas filiationis adoptiuæ, quæ petit negationem substantialis coniunctionis pro omni priori naturæ.

Tertio: nam esto admittamus, gratiam habitualem nō oriri à gratia vnionis, ordinaretur tamen ad illam, tanquā dispositio ad formam; & consequenter illius infusio non esset spiritualis generatio, vtpote non terminata ad naturam per modum naturæ; cum modus naturæ sit, esse finem generationis: ergo humanitas non esset genita spiritualiter, ac per consequens nec filia. Denique; nam gratia habitualis, esto vnionis gratiam *dispositiuè* præcederet, non ordinaret ad gloriam immediatè humanitatem, sed immediatè ad vnionem ad Verbum, vtpote ad illam disponens; sed interueniente hac vnione adstruitur debitum gloriæ; ac proinde impeditur adoptio: ergo etiam si *dispositiuè* præcederet gratiam substantialem vnionis, non constitueret humanitatem filiam adoptiuam Dei.

225 *Quid de censura oppositæ sentētiæ dicēdū?*

Secundo colligitur, quod si contraria sententia adstruens adoptionem in Christo, non est hæretica, vel erronea, aut errori proxima, non est temeritate, nec improbabilitate notanda: quod patet: nam illa propositio est temeraria, quæ licet nō opponatur *immediatè*, nec *mediatè* reuelationi, pugnat cum omnium Doctorum, vel feré omnium sententia in re Theologica, & graui, & illa est improbabilis, quæ auctoritate, & ratione prorsus est destituta; at sententia adstruens adoptionem in Christo, quatenus homo, huius conditionis non est; habet enim pro se graues aliquos Auctores, nititurque non leuibus argumentis: ergo si non est hæretica propter diffinitionem Concilij Francofordiensis, & Adriani Primi, vel erronea, quia opponitur conclusioni per bonam consequentiam deductæ, & altera lumine naturali euidēte, vel errori proxima, quia pugnet cum conclusione per bonam

consequentiam illata, ex vna de fide, & altera efficaci argumento monstrabili, non facilem solutionem habēte, nec temeritate, nec improbabilitate est notanda. An autem aliqua ex his censuris notari debeat? diffinire non audeo. Et hæc de ista Disput. applicanda litteræ Mag. *in 3. dist. 4. §. 2.* ad illa verba: *Cum filius nullo modo sit Spiritus Sancti.* Et *dist. 10. § 4. & 5.* M. Sent.

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVARTA.

## An Christus, in quantum homo, sit formaliter Filius naturalis Dei?

### §. I.

*Relatis sententijs prima reijcitur.*

Nu. 1.

*De fide est Christū, vt hominem, esse Filium Dei naturalē in sē su materiali, & identico.*

VIdimvs *Disput præcedenti*, Christū, etiā vt hominem, nō esse Filium adoptivum Dei, non tamen ex hoc colligitur esse vt hominem formaliter Filium Dei naturalem; stat enim vtriusq; filiationis negatio, vt dicebamus soluētes argumentum Durandi, & ideo *in præsenti* examinamus, an Christus, in quantum homo, sit Filius Dei naturalis formaliter? Qua in re omnes Theologi conueniunt, & vnanimi consensu fatentur in sensu materiali, & idētico, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem Dei, nec ab aliquo potest negari; est enim veritas fidei, & eadem certitudine tenenda, qua credimus Incarnationis Mysterium consistens in vnione duarum naturarum in vna Christi persona, quæ est Filius Dei naturalis, etenim Christum, vt hominem, in sensu materiali, & identico esse Filium naturalem Dei, nihil aliud est, quam personā Verbi terminantem humanitatem, esse Filium naturalem Dei; sed de fide est, personam Verbi terminantem humanitatem esse Filium Dei naturalem, filiatione fundata in generatione æterna: ergo Christum, vt hominem, esse Filium naturalem Dei in sensu materiali, & identico, est certa fide tenendum, constatque ex illo Ioannis cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ioā. 1. c.

Licet autem omnes Theologi in hac veritate conueniant, in eo grauiter dissentiunt, an scilicet, in sensu formali sit verum, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem Dei? Et in plures 2

diui-

diuidantur sententias. Prima ex illis negat, Christum, vt hominem, siue ly *vt*, vel *in quantum* determinãte naturam, siue determinante *specificatiuè*, aut *reduplicatiuè* suppositum, vt in humanitate subsistit, esse in sensu formali Filium Dei naturalem. Hanc tenet Franciscus del Castillo *in præsenti disputatione 17. quæstione prima part. 4.* pro illa referens omnes illos, qui in Christo, vt homine, rerenta vnitate suppositi, filiationẽ adoptiuam admittunt. Secunda sententia docet, Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem, ly *vt* reduplicante naturam Verbo substantialiter coniunctam, vt fundamentum filiationis naturalis. Hanc tenet Petrus Hurtado *disputatione 83. sect. 5. subsect. 11.* Tertia docet, Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem, ly *vt* non reduplicante naturam, vt fundamentum filiationis naturalis, sed specificante illam, vt subiectum sanctificationis moralis à persona Verbi vnita, ex qua sanctificatione consurgit naturalis filiatio. Ita Suarez *disput. 19. sect. 1.* Vazquez *disput. 89. cap. 14.* Beccanus *cap. 18. quæstione 5.* & Gaspar Hurtado *de Incarnatione disp. 17. difficultate 3.* Quarta sententia docet, Christum, vt hominẽ, non esse Filium naturalem Dei formaliter, nec specificato supposito, nec determinata natura; esse tamen Filium proprium filiatione fundata in vnione humanitatis ad Verbum. Hanc sine duce tenet Bernal *disputatione 66. sectione 3.*

Prima sẽtẽtia. — Castillo. — Secũda — Pet. Hur. — Tertia. — Suar. Vazq. Beccan. Hurt. — Quarta. — Bernal.

Vltima, & vera sententia defendit, Christum, vt hominem, ly *vt* reduplicante, vel specificante naturam, non esse Filium Dei vllo modo: specificante tamen suppositum terminans humanitatem, esse Filium Dei naturalem filiatione fundata in generatione æterna, & per gratiam vnionis humanitati communicata. Hanc tenent Albertus, Bonauentura, Paludanus, Capreolus, & Hispalensis locis *Disputatione præcedenti* relatis, Caietanus *supra quæstione 16. art. 12.* & *in præsenti quæstione 24. art. 2. §. In responsione ad 1.* Medina *in eadem quæstione art. 1. dubitatione 3.* Et expressius *solutione ad 1.* Lorca *disp. 84. membro 4.* Aluarez *disputatione 75.* Nazarius *in præsenti quæstione 23. art. 4. controuersia prima* Curiel *lib. 1. controuersiarum, controuersia 2.* Illustrissimus Araujo *dubio 4.* Cabrera *art. 1 disp. 1.* & Basilius *1. p. variarum disputationum tract. 4.* Tenet etiam ex Discipulis Scoti Faber *in 3. disp. 23.* Et ex Patribus Societatis Ragusa *disput. 28. §. 1.* Cardinalis Lugo *disputatione 31. sect. 2. & 3* quos aliqui Recentiores ex eadem familia sequuntur. Pro cuius sententiæ explicatione sit

3 Quinta, & vera sententia. — Albert. Bonav. Palud. Capreol. Hispal. Caiet. Midin. Lorca. Aluar. Nazar. — Curiel. Araujo. Cabrera. Basil. Faber. Ragusa. Lugo.

PRIMA CONCLVSIO. *Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, ly* in quantum *reduplicante humanitatem, vt fundamentum filiationis.* Hæc conclusio communis est apud Theologos, nullo quem viderim dissentiente, præter Hurtadum, quem prosecuta sententia retulimus: & ostenditur primo ex D. Thom. *infra quæst. 32. art. 3.* vbi docet, Christum, nec ratione creationis, nec ratione sanctificationis esse Filium Dei, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius solius Patris: ergo sentit Divus Thom. Christum non esse Filium Dei naturalem ratione humanitatis, vt terminantis creationem, nec actionem vnitiuam humanitatis ad Verbum. Patet consequentia primo: quia docet solum esse Filium Dei ratione generationis æternæ; creatio autem, & vnio humanitatis ad Verbum sunt actiones temporales. Tum etiam, quia docet esse Filium naturalem solius Patris Æterni: filiatio autem naturalis fundata in creatione, vel in vnione humanitatis ad Verbum, Christum, vt hominẽ, redderet Filium totius Trinitatis, vt Auctor contrariæ sententiæ fatetur, & ex dicendis constabit: ergo Christus, vt homo, non est Filius Dei naturalis, ly *vt* reduplicante humanitatem vnitam, vt fundamentum filiationis naturalis.

4 Prima cõclusio. — Prob. 1. ex D. Th.

Secundo probatur: Christus, vt homo, nec est, nec dici potest Filius naturalis Trinitatis; at si esset Filius naturalis Dei, filiatione fundata in humanitate, quarẽ vnita Verbo, esset Filius naturalis Trinitatis: ergo hoc genere filiationis, Filius naturalis nõ est. Illatio est in forma. Maior ex dicendis constabit. Mi-

5 Secundo prob.

nor autem à contrario Auctore conceditur, & est per se manifesta: relatio enim super aliquam actionem fundata habet pro termino id ipsum, quod est talis actionis principium: vnde relatio creaturæ ad Deum, quia super creationem fundatur, quæ Deum, vt Tribus personis communem, vt sui principium respicit, ad Deum vt sic communem refertur; sed actio vnitiua humanitatis ad Verbum, est à tota Trinitate efficienter: ergo naturalis filiatio super istam actionem fundata, ad totam Trinitatem refertur; & consequenter Christus, quatenus homo, hoc genere filiationis erit, non solius Patris Filius, sed totius Trinitatis.

6 *Ter in probatur*

Tertio probatur: filiatio naturalis petit super naturalem actionem; non autem super liberam, & voluntariam fundari; sed actio productiua humanitatis, & actio vnitiua eiusdem humanitatis ad Verbum, non sunt Deo naturales, sed liberæ, & voluntariæ: ergo super illas nequit filiatio naturalis fundari; & consequenter Christus, vt homo, Filius naturalis non est, filiatione fundata in humanitate, quatenus Verbo vnita. Minor cum consequentia tenet. Maior autem est omnium Philosophorum, & Theologorum sententia: omnes enim Theologi 1. *p. q.* 27. *art.* 4. docent, quod si Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non naturali actione, sed libera, & voluntaria procederet, à ratione filij naturalis deficeret, quia de ratione Filij naturalis est procedere à Patre, non per actionem liberam, & voluntariam, sed necessariam, & naturalem.

7 *Respondebis.*

Si dicas: veram esse maiorem de filiatione naturali stricta: secus autem de illa, quæ lata significatione, filiatio naturalis dicitur: ex quo solum sequitur, Christum, vt hominem, non esse Filium naturalem Dei filiatione omninò stricta; non verò, quod non sit Filius filiatione naturali latiori.

*Cõtra* 1.

In contrarium obstat primo: nam Auctor, quem impugnamus, ex eo relicta ex parte sententia, quam tertio loco retulimus, ad singularem modum istum dicendi confugit, quia deserenda non est communis ratio, quam Philosophi recognoscunt in Filio: tertia autem sententia rationem istam non saluat, eo quod adstruit Filium naturalem non procedentem à Patre in similitudinem naturæ, quod iuxta communem Philosophorum, & Theologorum sententiam, debet Filio naturali competere; at Philosophi, & Theologi, non minus communiter docent, debere Filium naturalem actione naturali produci, quam quod debeat assimilari producenti in natura, & à principio coniuncto procedere: ergo vt in Christo, vt homine, saluetur, esse Filium naturalem Dei, debet naturalitas actionis fundantis filiationem saluari, vel sine vlla necessitate tertiam sententiam relinquens, est singularem, & à nemine tritam aggressus

8 *Cõtra* 2.

Secundo, & explicatur magis hoc ipsum: quia Philosophi petunt ad rationem filij naturalis, quod per generationem à suo principio procedat, quæ est *origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ*, censet Auctor sententiæ, quam impugnamus, non saluari filiationem naturalē in Christo, quatenus homine, per sanctificationem humanitatis à Verbo, quia ratione huius sanctificationis, non saluatur de Christo, quod procedat viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ; sed Philosophi, & Theologi petunt ad rationem Filij naturalis, quod non liberè, & voluntariè, sed necessario, & naturaliter à Patre procedat, & nomine *originis* positæ in diffinitione generationis viuentium, actionem necessariam, & naturalem intelligunt, quod prædictus Auctor non saluat in Christo, vt homine: ergo non saluat filiationem naturalem in Christo.

9 *Vltimo probatur cõclusio.*

Denique probatur conclusio: nam iuxta omnium Philosophorū, & Theologorum cõsensum, Filius naturalis est, qui à Patre per generationem naturalē procedit; sed Christus, quatenus homo, ratione naturæ humanæ non procedit à Deo per naturalem generationem: ergo vt homo non est Filius naturalis Dei filiatione fundata in humanitate, quatenus Verbo vnita. Maior concedi tur ab Auctore contrariæ sententiæ. Minor autē probatur: generatio, vt cõmu-

niter

niter docetur à Philosophis, & Theologis, est *origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ*; sed Christus, quatenus homo, non procedit à Deo, vt viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ: ergo vt homo, & ratione humanæ naturæ, per generationem non procedit à Deo.

10 *Respondebis.* Respondebis ex contrario Auctore, negando minorem. Deus namque est coniunctus substantialiter Christo, vt homini, magis quã Pater creatus cu Filio à se procedente: iste namque solum cõiungitur filio medio semine deciso, quod est de substantia ipsius, & proli communicatur: Deus autem coniungitur Christo, vt homini, media substistentia Verbi, quæ substantialiter est identificata cum Deo. Deinde natura humana, etsi non sit similis naturæ diuinæ *specificè a thomè*, est tamen similis illi similitudine analoga, vel generica, & ad rationem generationis viuentium, sufficit, vel identitas naturæ, quæ reperitur in Verbo, quatenus Deo, vel conuenientia specifica a thoma naturæ procedentis cum natura generantis, qualiter contingit in generatione creata vnius hominis ab alio, vel similitudo generica, vt constat in mulo genito ex cõgressu asinæ, & equi, vel ex congressu asini, & belluæ, qui filius est naturalis, etsi natura muli non sit eadem numericé, nec similis specificé cum natura generãtis, sed similitudine tantum generica, vnde omnes particulæ positæ in diffinitione generationis viuentium, conueniunt productioni Christi, vt hominis, à Deo.

11 *Reijcitur primo.* Hæc tamen solutio omninò insufficiens est, & in primis, quod Christus, quatenus homo, non sit à Deo, vt à principio coniuncto, coniunctione sufficiẽte ad rationem generationis naturalis, ostenditur primo: nam ad generationẽ naturalem requiritur, quod sit à principio coniũcto, cõiũctione per se causante, vel communicante similitudinem in natura. Tùm, quia ita docet communis Doctorum sententia, à qua recedendum non est. Tùm etiam, quia generatio est *origo viuentis à viuente cõiuncto, in similitudinem naturæ*. Et quia est origo à viuente, petitur, quod viuens

*Christus, vt homo, nõ est sufficienter Deo coniũctus, vt sit Filius eius naturalis.*

causet, vel communicet similitudinem in natura: ergo quia est origo à viuente coniuncto, petitur quod coniunctio non per accidens se habeat, sed per se causet, vel det naturæ similitudinem; at personalitas Verbi, qua Christus, vt homo, cõiungitur substantialiter Deo, non dat formaliter naturæ similitudinem, vt per se est manifestum, nec illam causat per se: humanitas namque non efficitur per se à Deo, quatenus Trino, sed solum quatenus vno, sicut quilibet alius effectus creatus; & consequenter nec à persona Verbi per se efficienter causatur: ergo Christus, quatenus homo, non est à Deo, vt à principio coniuncto coniunctione sufficiente ad rationem generationis naturalis.

12 *Secundo.* Secundo: nam ea coniunctio petitur in principio viuente cum termino à se producto, quæ sufficiat, vt dicatur, gigni, & esse de substantia illius; sed coniunctio Christi, vt hominis, cum Deo media substistentia Verbi, non sufficit, vt dicatur Christum, vt hominem, esse de substantia Dei, vel de illa produci, aut gigni: ergo sufficiens non est, vt dicatur genitus à Deo naturali generatione. Maior expresse traditur à Damasceno relato à Diuo Thoma *prima parte quæstione 119 articulo secundo in 1. argumento*, asserente, quod *generatio est opus naturæ ex substantia generantis producens, quod generatur.* Est etiam expressa Diui Thomæ *prima parte quæstione 41. articulo tertio*, vbi docet, Filium dici, quod est de substantia Patris, quia ab illo per generationem procedit: *Hoc autem differt* (inquit Divus Thomas) *inter generationem veram, & factionem, quod faciens, facit aliquid de exteriori materia: homo autem generat Filium de se ipso.*

*Damas.*

S. Tho.

13 Minor autẽ probatur; vt enim docet D. Tho. *art. relato ad 2.* esse vnũ de substantia alterius, denotat cõsubstantialitatẽ, vndenõ dicimus, quod domus sit de ædificatore, vel de substãtia eius; quia ædificator non est causa cõsubstantialis respectu domus; at Christus, quatenus homo, vel ratione humanitatis, non est Deo cõsubstantialis: ergo de substantia Dei, nec generatur, nec est. Quã ratio-

nē dedit D. Tho. 4. *Contra Gentes cap.* 47 illis verbis: *Spiritus Sanctus non potest dici Pater Christi secundū generationē humanam, sicut Virgo dicitur Mater eius: Spiritus enim Sanctus non produxit humanam Christi naturam ex sua substantia.*

S. Tho.

Denique probatur: si namq; cōiunctio humanitatis ad Verbū sufficiēs esset vt Christus, quatenus homo, diceretur naturaliter genitus, & filius; sequeretur, esse magis Filiū naturalē sui, quā Patris, vel Spiritus Sancti; consequens absurdū videtur; cum omnis effectio ad extra toti Trinitati, absque vlla inæqualitate attribuatur: ergo talis coniunctio non sufficit. Patet sequela: humanitas est magis cōiuncta Verbo, quam Patri, aut Spiritui Sancto, vtpote cum ab illis personaliter distinguatur: Verbo autē sit in vnitate personæ coniuncta: ergo si ratione huius coniunctionis dicitur Christus, vt homo, genitus à Deo per naturalē generationē, & Filius naturalis ipsius, erit magis Filius Verbi, quam Patris, vel Spiritus Sancti.

14. *Tertio.*

Deinde, quod Christus, quatenus homo, non procedat à Deo cum illa similitudine, quæ ad generationē naturalem requiritur, probatur: generatio nāque viuentium, est *Origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ*, saltim specificam; sed Christus, vt homo, nō est eiusdē formæ, vel speciei cū Deo: ergo non habet illam similitudinē, quæ ad generationē viuentium requiritur. Maior, in qua sola dubitat Auctor cōtrarius, est expressa Aristotelis 8. *Ethic. c.* 12. 1. *de generatione animalium cap.* 1. & 2. 7. *Metaphysicæ cap.* 8. D. Tho. *ibi lect.* 7. 4. *Cōtra Gentes c.* 11. & 1. *p. q.* 27. *art* 2. Quem omnes expositores sequuntur, à quibus recedendū nō est in rerum diffinitionibus. Et ostēditur primo: vermes namq; generati ex humore putrido in homine, licet viuentes sint, & à principio viuente coniuncto vitali actione procedant, nō dicuntur geniti generatione viuentiū, nec similiter capilli dicuntur geniti naturali generatione; at non ob aliā causam, nisi quia non assimilantur *specificè athomè* cum principio à quo procedunt: ergo similitudo specifica est de ratione generationis viuentium. Quæ ratio traditur à D. Thoma *infra q.* 32. *art.* 3. *in corp.* & *solutione ad* 1.

15 *Probatur non esse filiū defectu similitudinis vel.*

Aristot.

S. Tho.

16 *Maior probatur primo.*

Secundo: nam similitudo generica, vel analoga explicatur in diffinitione generationis per primas illas particulas, *origo viuentis à viuente*; eo namque ipso, quod sit viuens, & viuens conueniunt *genericè*, vel *analogicè*: ergo vel superflué additur *in naturæ similitudinem*, quod dicendum non est, vel asserendum non sufficere analogicam, nec genericam similitudinem. *Secundo.*

Tertio; quia aliàs Spiritus Sanctus procederet à Patre, & Filio per veram, & naturalem generationem; cōsequēs admittendum non est: ergo necessario est dicendum peti ad generationem naturalem, quod terminus per illam procedens, sit similis suo principio, similitudine specifica athoma. Probatur sequela: Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis assimilatur suo principio similitudine, saltim analoga, cum omne agens, vel producens, aliquam similitudinem intēdat in sui effectu, vel termino: ergo si hæc similitudo sufficit ad generationem naturalem, processio Spiritus Sancti erit naturalis generatio. 17 *Tertio.*

Quarto probatur, ex opposito fieret, quod nō solum Christus, vt homo, sed etiam cæteri homines essent geniti à Deo generatione viuentium; & consequenter essent Filij Dei naturales; consequens absurdum est: ergo necessario est asserendum, non sufficere ad generationem viuentium analogicam similitudinem cum principio generante. Probatur sequela: non minus assimilantur cum Deo alij homines, quam Christus, vt homo, cum sit eiusdem speciei nobiscum: ergo si Christus, vt homo, ratione huius similitudinis generatur à Deo generatione viuentium, & est Filius naturalis Dei, id etiam alijs hominibus competet. 18 *Quarto.*

Dices: homines puros non ideò nō esse genitos à Deo generatione viuentium, quia illi non assimilentur, sed quia non sunt ab ipso, vt à principio substantialiter coniuncto; Christus autem, vt homo, à Deo, vt à principio substantialiter coniunctio procedit. Sed contra primo: nam vel ad generationem viuentium requiritur similitudo specifica, vel non petitur substantialis coniun- 19 *Respondebis.* *Contra* 1.

ctio

ctio termini cum generante; sed iuxta Auctorem contrarium, non requiritur similitudo specifica: ergo nec physica, & substantialis coniunctio; & consequenter ex defectu illius relegandus nō est purus homo à ratione geniti à Deo, & Filij naturalis illius. Probo maiorē: inde solum potest substantialis coniunctio termini cum principio requiri ad generationem viuentium; quia in eius diffinitione, vt à Philosophis explicata importatur; sed etiam importatur similitudo specifica, iuxta Philosophorum explicationem: ergo hæc desideratur, vel illa necessaria non est.

20 *Secundo.* Secundo: nā licet Deus non sit coniunctus cum puris hominibus coniunctione substantiali formali per aliquid, quod prius fuerit de substantia diuinitatis, est tamen illis coniunctus coniunctione virtuali, & eminentiali, quatenus forma illorum constitutiua, eminenter continetur in Deo; sed hæc eminentialis coniunctio sufficiens erit ad generationem viuentium gratiosam, qualiter à prædicto Auctore appellatur generatio Christi a Deo: ergo erunt geniti ab ipso, & Filij naturales illi. Probo minorē: licet ad generationē naturalē viuentiū requiratur similitudo specifica termini cum generante, ad generationem viuentium liberalem, & gratiosam talis conuenientia non petitur, sed sufficit analogica: ergo pariter licet ad generationem naturalem viuentium petatur cōiunctio substantialis formalis; ad gratiosam tamen nō exigetur, sed sufficiet coniunctio virtualis, aut eminentialis principij cum termino: si namque quia non est naturalis, sed gratiosa generatio, contenta est cum similitudine analoga, quamuis similitudo specifica ad naturalem generationē sit necessaria; cur etiam ex eadem ratione, contenta non erit cum eminentiali coniunctione inter principium, & terminum, licet ad illam, quæ generatio naturalis est non sufficiat, sed petatur coniunctio substantialis formalis?

21 *Quinto probatur maior principalis.* Denique probatur maior: si namq; non requiritur similitudo specifica, sed sufficit analogica, sequitur, Christum, vt hominē, esse Filium naturalem Dei, non solū ratione humanitatis, sed etiā ratione gratiæ habitualis; consequens est falsum: ergo falsum etiam est similitudinem specificam ad generationem naturalem viuentium non requiri. Probatur sequela; Christus ratione gratiæ habitualis procedit, vt viuens à Deo viuente coniuncto; cum gratia habitualis media humanitate sit *physicè* Verbo cōiuncta; & aliàs ratione gratiæ assimilatur *analogicè* Deo in natura sub conceptu naturæ, nempé, radicis videndi, & amandi Deum: ergo si hæc similitudo ad generationem viuentium sufficit, Christus ratione gratiæ habitualis erit genitus à Deo generatione viuentium; & consequenter Filius naturalis Dei, quod nemo quem viderim docuit.

## §. II.

### *Argumentum contrariæ sententiæ diluitur.*

EX his facile erit leui fundamento cōtrarij Auctoris occurrere, quod in hunc modum proponit. Christus generatur à Deo generatione propria viuentium: ergo vt homo, est Filius naturalis Dei. Antecedens probatur: Christus, vt homo, humanitate reduplicata, procedit viuens à viuente, vt omnibus est manifestum, itē à principio coniuncto: Deitas nāq; est magis Christo homini cōiuncta, quā Pater creatus est coniunctus Filio per semen; cū hoc realiter à Patre differat; Verbum autē medio quo Deitas Christo coniungitur, sit realiter ab ipsa indistinctum, procedit etiā in similitudinē naturæ: homo nāq; est similis Deo in natura intellectuali, vt cōstat ex illis verbis: *Faciamus hominē ad imaginē, & similitudinē nostram.* Quod iuxta Augustinū, & alios Ecclesiæ PP. accipiendū est de similitudine ad Deū, nō solū ratione gratiæ, sed etiā ratione naturæ: ergo processioni Christi, vt hominis à Deo, conuenit adæquata diffinitio generationis viuētiū; & consequēter est genitus ab ipso viuentium generatione: ac proinde Filius naturalis Dei.

22 *Arguit Hurtado* *Gen. 1. c.*

23 *Respondetur primo.* Huic argumento respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationē triplex potest adhiberi solutio. Prima, distinguendo antecedens: procedit per actionem naturalem, nego antecedens: per actionem voluntariam, & gratiosā, concedo antecedens: & permissis alijs, quæ in antecedenti assumūtur, negando consequentiam: quia ad generationem viuentium fundantem filiationem naturalem, requiritur, quod sit actio naturalis *Secundo.* Secundo, distinguendo secundam, & tertiam partem antecedentis: cōiunctione substantiali dante, vel per se causante termini similitudinem, nego antededens: concomitanter se habente ad prædictam similitudinem, transeat antecedens, & nego consequentiā: quia ad generationē viuentium primus modus coniunctionis requiritur, vt constat ex dictis. *Tertio.* Vel tertio responderi potest, distinguendo quartam partem antecedentis: in similitudinem specificam athomam, nego antecedens: in similitudinem analogam cum Deo in ratione naturæ, transeat antecedens, & nego cōsequentiam: quia prima similitudo petitur ad generationem propriam viuentium fundātem filiationem naturalem, vt constat ex dictis.

24 *Opponit Hurtado* Sed contra hanc solutionem arguit Hurtado: mulus genitus ex congressu asini, & belluæ, sit generatione propria viuentium; & tamen non est similis generanti, similitudine specifica athoma; mul⁹ enim genitus, & asinus generans, sunt diuersæ speciei in genere animalis: ergo generatio propria viuentium non petit similitudinem specificam athomam termini cum principio generante. *Respond.* Respondeo ex Aristotele 7. *Metaphisic textu* 8 & ex D. Thom. *ibi lect.* 7. distinguendo maiorem: generatione propria connaturali viuētium, nego maiorem: generatione mōstruosa, & præternaturali, concedo maiorē: & concessa minori, distinguo consequens: generatio connaturalis, nego consequentiam: generatio monstruosa, & præternaturalis, concedo consequētiam. Vt enim *ibi* ex Aristotele explicat D. Thomas, generatio ex se tendit ad similitudinē specificam athomā geniti cum generante, & semper ita cōtingit, nisi accidat aliquid præter naturā, qualiter in generatione muli ex equa, & asino cōtingit: semen namque asini ex se ad asinum generandum tendebat, cum quo conuenit *specificè athomè*, quia tamen equa recipiens, improportionata est ad asinum generandum, fit, quod ex congressu vtriusque impediatur asini generatio similis generanti *specificè athomè*, & nascatur mulus genere proximo cum asino generante, & cum bellua conueniens.

25 *Vrgebis.* Sed vrgebis: generatio illa, estonō sit connaturalis, sed monstruosa, habet essentiam generationis propriæ viuentium; & tamen non terminatur ad similem *specificè athomè*, sed tantum *genericè*: ergo de essentia generationis propriæ viuentium non est terminari ad similem *specificè athomè*; & consequenter ex defectu huius similitudinis, malè colligitur Christum, vt hominem, non procedere à Deo per veram, & propriā viuentium generationem. *Respond.* Respōdeo, distinguendo maiorem: habet essentiā generationis connaturalis viuentium, nego maiorem: generationis abstrahētis à monstruosa, & naturali, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo primum consequens distinctione maioris, & nego secundam consequentiam. Quia si Christus, vt homo, fieret à Deo generatione viuentium, non foret generatio illa monstruosa, sed connaturalis: nam monstruosa dicitur generatio, quia præter intentionem agentis particularis tendentis de se ad similitudinem specificam accidit, ex impedimēto occurrente similitudo tantum generica, quod respectu Dei contingere nequit, præter cuius intentionem nihil accidere potest; & ideò deberet esse Deo similis similitudine specifica athoma.

26 *Instabis.* Sed instabis adhuc: licet Christus per generationem procedens, non terminet generationem monstruosam, terminat tamē generationem gratiosam; at iuxta nostram doctrinam licet de ratione generationis connaturalis sit similitudo specifica termini cum principio, id non petit generatio monstruosa, sed saluatur cum similitudine tantum generica: ergo pariter generatio viuentium gratiosa non exposcet similitudi-

nem

nem specificam termini cum generante, sed saluari poterit cum similitudine generica, vel analoga, quam Christus ratione humanitatis habet cum Deo.

27 *Respondetur.*

Respondeo, generationem eo ipso, quod gratiosa sit, non esse propriè generationem viuentium nec sufficientem ad fundandam filiationem naturalem, sed ad summum ad optiuam, qualis fundatur in generatione spirituali hominum à Deo per gratiam, vel filiationem impropriam, qualis est quæ fundatur in creatione naturæ rationalis à Deo, nec hucusque à Theologis est audita generatio gratiosa, quæ propriè generatio sit, & sufficiens fundamentum filiationis naturalis; aliàs, vt supra arguebamus, Angeli, & homines essent filij Dei naturales filiatione in creatione fundata, quod absurdum est concedere. Generatio autem naturalis monstruosa, non importat repugnantiam terminorum, estque à Philosophis cõcessa, & à Theologis admissa, per hoc, quod licet tendat de se ad similitudinem specificam athomam, ex impedimento occurrẽte, præter intentionem agentis particularis nascatur terminus similis generanti similitudine tantum generica, vnde ex vna ad aliam inefficax fit argumentum. Præterquamquod Christus vt homo, nec *genericè* conuenit cum Deo, sed tantum analoga conuenientia; vnde cum ad omnem generationem viuentium fundantem filiationem naturalem hucusque à Theologis cognitam, requiratur similitudo specifica, vel generica termini cum principio generante, & hæc in Christo, vt homine, ad Deũ non reperiatur; fit, quod nequeat dici Christũ vt hominem à Deo procedere per generationem propriam viuentium fundãtem filiationem naturalem, nisi omnino voluntariè, & absque vllo fundamento.

*Generatio naturalis cur monstruosa euadat.*

## §. III.

### *Secunda sententia reijcitur.*

28 *Secunda conclusio*

SECVNDA CONCLVSIO. *Christus, vt homo, non est filius naturalis Dei filiatione fundata in sanctificatione humanitatis à Verbo, ly vt specificante humanitatem.* Hãc statuo contra Auctores tertiæ sententiæ, & illam probo primo ex D. Thom. *infra quæst. 32. art. 3. ad finem corporis*, illis verbis: *Christus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis: vnde quamuis secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus, non tamen debet dici filius Dei, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est filius patris soli*: Ergo iuxta D. Thom. in Christo respectu Dei nulla est filiatio fundata in sanctificatione humanitatis à Verbo, sed solum filiatio fundata in generatione æterna; ac per consequens Christus, vt homo, non est filius Dei naturalis, ly *vt* determinante humanitatem in concreto, & reduplicante vnionem humanitatis ad Verbum, illiusque sanctificationem à Verbo, vt fundamentum filiationis.

*Probatur primo ex D. Th.*

*Confirmatur 1.*

Confirmatur primo: nam iuxta Diuum Thomam, Christus, vt homo, non est filius Dei ratione iustificationis; sed filiatio in vnione fundata conueniret Christo, vt homini, ratione iustificationis à Diuinitate vnita: ergo talis filiatio non datur in Christo, vt homine.

29 *Confirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur secundo: Christus, vt homo, non est filius Dei ratione sanctificationis per gratiam habitualem, quia hæc est quædam imperfecta, & imitatiua filiatio, ac per consequens repugnans cum filiatione perfecta, quæ reperitur in Christo; at filiatio naturalis ratione sanctificationis à diuinitate vnita, est imperfectè filiatio, & per quamdam imitationem filiationis naturalis, vt illius Auctores fatentur: ergo persona Christi, qui est filius Dei secundum perfectam rationem, incapax est filiationis fundatæ in iustificatione

huma-

*Confirmatur 3.*

humanitas a diuinitate vnita. Confirmatur & vrgetur tertio: vt enim ex dictis *disp. præcedenti* constat, iuxta D. Thom. filiatio non comparatur ad suppositum mediante natura, sed *immediatè*; at persona Christi non est capax susceptiuum immediatum filiationis naturalis fundatæ in sanctificatione humanitatis à diuinitate vnita: ergo Christus in quantum homo non est filius hoc genere filiationis. Probo minorem, persona Christi non est capax immediatè sanctificationis moralis per diuinitatem humanitati vnitam; quia est sanctus sanctitate per essentiam à diuinitate illi conueniente essentialiter; sed etiam est filius naturalis Dei filiatione ipsi essentiali: ergo non est capax immediatè suscipiendi denominationem filiationis fundatæ in sanctificatione humanitatis à diuinitate substantialiter vnita.

**30** *Secundo probatur conclusio*

Secundo probatur conclusio: nam forma fundans filiationem naturalem, debet esse naturalis, & non gratiosa filiationis subiecto; sed diuinitas sanctificans Christum vt hominem, non est Christo, vt homini naturalis, ly *vt* determinante naturam, sed per gratiam illi conuenit: ergo Christus, vt homo, ly *vt* specificante naturam, non est filius Dei naturalis, filiatione fundata in sanctificatione humanitatis à Verbo. Si dicas; esse naturalem coniuncto ex Verbo, & humanitate, licet non humanitati. In contrarium obstat; etiam coniuncto ex natura, & gratia habituali est naturalis, vel connaturalis gratia; & tamen quia non est naturalis subiecto sanctificato per gratiam, filiatio in gratia fundata, non est naturalis, sed gratiosa, & adoptiua: ergo connaturalitas formæ fundantis filiationem ad conflatum ex ipsa, & subiecto, non est sufficiens ad rationem filiationis naturalis.

*Respondebis.*

*Contra.*

**31** *Respõdebis.*

Si dicas: licet subiecto immediato non sit connaturalis diuinitas, scilicet, humanitati, mediato tamen, scilicet; Verbo in illa subsistenti, connaturaliter conuenire, & hoc ad naturalitatem filiationis sufficere. In contrarium obstat: nam filiatio non conuenit subiecto immediato ratione mediati, sed mediato ratione immediati: ergo connaturalitas formæ fundantis filiationem non est pensanda penes ordinem ad subiectum mediatum, sed penes respectum ad immediatum filiationis subiectum; & consequenter si subiecto immediato connaturalis non est, filiatio super illam fundata nequit esse naturalis.

*Contra.*

**32** *Tertio probatur conclusio*

Tertio probatur: nam filiatio naturalis petit pro fundamento naturalem generationem; sed Christus, vt homo, ratione diuinitatis sanctificantis humanitatem non est genitus à Deo naturali generatione: ergo vt homo non est filius Dei naturalis filiatione fundata in vnione humanitatis ad Verbum, & illius sanctificatione à diuinitate vnita. Consequentia est bona. Maior constat ex diffinitione filij naturalis tradita à Philosophis, & à Theologis admissa, nempé, filius naturalis, *est viuens procedens a principio viuente coniuncto in naturæ similitudinem*. Quæ diffinitio traditur pro fundamento, sicut communiter solent relationes diffiniri: ergo filiatio naturalis petit pro fundamento generationem propriam viuentium. Minor autē non minus constans videtur: nam humanitas non viuit per diuinitatem sibi *hypostaticè* vnitam, vt contrarij Auctores fatentur: ergo Christus, vt homo, ratione diuinitatis vnitæ non procedit viuens à viuente; & consequenter, vt homo non est genitus à Deo ratione diuinitatis naturali generatione viuentium.

**33** *Respõdet Suarez.*

Respondet Suarez, & ex ipso cæteri suæ sententiæ defensores, filiationem, quæ stricté, & proprié est, & dicitur naturalis, petere pro fundamento naturalem generationem: secus autem filiationem naturalem non rigorosam, & strictam, sed quæ talis dicitur per analogiā ad veram, & strictam filiationem naturalem, & illius imperfectam imitationē, ex quo tantum sequitur, Christum, vt hominem, ratione sanctificationis à diuinitate vnita, non esse filium Dei naturalem primo filiationis genere, non vero quod filius naturalis non sit filiatione naturali analoga, & imperfecta.

**34** *Reijcitur primo.*

Sed contra primo: nam quia adoptiua filiatio est talis secundum imperfectam rationem, & analogam conueniētiam cum filiatione naturali, non potest personæ Christi competere, vt ex Diuo

Thoma

Thoma vidimus, & illius ratione probauimus: ergo si filiatio fundata in sanctificatione humanitatis à diuinitate vnita, est *imperfectè, analogicè* & *imitatiuè* naturalis, non potest de persona Christi, vt hominis, prædicari.

35 *Secundo.* Secundo: nam Adrianus primus, & Concilium Francofordiense dum attribuunt Christo vt homini filiationem naturalem, loquuntur de filiatione, quæ propriè est naturalis filiatio; sed filiatio, quam Theologi tuentur in Christo, vt homine, est illa, quam Adrianus, & Cõcilium statuerunt: ergo non est filiatio fundata in sanctificatione humanitatis à Verbo. Maior, in qua sola potest esse difficultas, probatur primo: nam loquũtur de filiatione, quæ absolute prædicatur de Christo, sed filiatio *imperfectè*, & *imitatiuè*, talis non potest absolute de illo enuntiari, sed cum addito diminuente: ergo loquuntur de filiatione, quæ sit propriè naturalis. Secundo: nam loquuntur de filiatione naturali excludẽte adoptiuam filiationem; sed filiatio naturalis *impropriè*, & *immitatiuè* talis, non est cur adoptiuam filiationem excludat; cum hæc etiam sit imperfecta quædam imitatio filiationis naturalis: ergo loquuntur de filiatione naturali propria.

36 *Tertio.* Tertio reijcitur: nam ad disputandũ, an Christo vt homini competat esse filium naturalem, supponi debet diffinitio filiationis naturalis communiter acceptata, & filiationi Christi adaptari; alias disputationi locus non datur, sicut quando de alijs rationibus similis quæstio mouetur, an scilicet reperiantur in Deo, vel in Christo quatenus homine disputantes, namque, an Christus satisfecerit de rigore iustitiæ, & an Deus ex rigore iustitiæ acceptauerit illius satisfactionem, supponunt diffinitiones, tum iustitiæ rigorosæ, tum etiam satisfactionis ex perfecta, & rigorosa iustitia, & inquirunt, an satisfactioni Christi, & Dei acceptationi conueniãt, & similiter disputantes, an in Christo reperiantur fides, pœnitentia, & spes, istarum virtutũ diffinitiones supponunt, illisque suppositis inquirunt, an repugnẽt, vel non repugnẽt subiecto: ergo pariter supponi debet diffinitio filiationis naturalis, & Christo, vt homini, accommodari ad saluandam in Christo, quatenus homine, naturalem Dei filiationem. At diffinitio filiationis naturalis à Theologis communiter acceptata, Christo, vt homini, non conuenit ratione sanctificationis humanitatis à Verbo: ergo dicendus non est filius Dei naturalis filiatione in hac sanctificatione fundata.

37 *Quarto reijcitur.* Quarto reijcitur: sequitur namque ex tradita solutione, Christum, vt hominem, posse dici filium Dei adoptiuum ratione sanctificationis humanitatis à Verbo; cõsequens non admittunt huius solutionis Auctores: ergo tenentur à solutione tradita recedere. Probo sequelam, ex eo iuxta allegatos Auctores, Christus, vt homo, est filius naturalis Dei ratione sanctificationis humanitatis à Verbo, quia licet illi non conueniat adæquata diffinitio filiationis naturalis; filiatio tamen in prædicta sanctificatione fundata imitatur naturalem in consubstantialitate formæ filiationẽ fundantis, & connaturalitate iuris ad patris hæreditatem; sed etiam quamuis integra diffinitio filiationis adoptiuæ, nõ conueniat filiationi prædictæ, imitatur tamẽ adoptiuam filiationem in aliquo prædicato, nempe, in extraneitate naturæ, & in negatione connaturalitatis formæ filiationem fundantis ad subiectum immediatum, scilicet, humanitatẽ, quæ in istorum Auctorum sententia est subiectum immediatum huiusce modi filiationis: ergo si prædicta filiatio dicitur naturalis, quia imitatur naturalẽ in aliquo prædicato, etiam debet dici adoptiua ob imitationẽ filiationis adoptiuæ.

38 *Respõdes Suarez.* Respondebis cum Patre Suarez *vbi supra in solutione ad primum*, filiationem istam fundatam in sanctificatione humanitas à Verbo, medium locum tenere inter filiationem naturalem per essẽtiam, & filiationem adoptiuam; ac per consequens vtramque imitari in aliquo prædicato, debere tamen naturalem, & non adoptiuam dici, quia in filiatione magis attenditur ad formam, quæ est proximum filiationis fundamentum, & iuris ad hæreditatem, quam ad ius ipsũ, & modum obtinendi hæreditatẽ. Quia ergo forma fundans ius hæreditarium

in

in Christo quatenus homine, & filiationem illi, prout sic, conuenientem, est ipsa, & vna diuini Verbi filiatio per gratiã vnionis vnita substantialiter humanitati; fit consequens, quod ista filiatio imitetur naturalem, in eo quod magis ad filiationem attenditur, nempe, in forma ius, & filiationem fundante, vnde quamuis adoptiuam magis imitetur in ipso iure, & in modo adeundi hæreditatem, quæ humanitati non competunt per naturam, sed per gratiam vnionis, merito dicenda est hæc filiatio naturalis, & nullo modo adoptiua.

39 *Contra 1.*

Hæc tamen solutio argumentum factum in suo robore relinquit, primo: nam ex eo quod hæc filiatio magis imitetur naturalem, quam adoptiuam, non sequitur nullo modo esse adoptiuam, sed esse magis naturalem, quam adoptiuam dicendam: ergo solutione ista argumentum factum non soluitur. Probo antecedens primo: nam quod de aliquo subiecto dicitur *imitatiuè*, non petit, vt enuntietur, perfectissimam imitationem, sed aliqua imitatio est sufficiẽs: ergo ex eo quod hæc filiatio magis imitetur filiationem naturalem, quã adoptiuam, si tamen istam in aliquo prædicato imitatur, non sequitur, nullo modo debere dici adoptiuam, sed quod magis debeat dici naturalis.

*Antecedẽs probatur primo*

40 *Secundo probatur antecedẽs*

Secundo: nam imitatio fundat enuntiationem prædicati imitati, & enuntiati: ergo maior vnius, quam alterius imitatio, si tamen imitationem alterius, quamuis minorem relinquat, infert quidem principaliorem illius, quam istius prædicationem, non autem omnino excludet, quin hoc secundum prædicatum de forma ipsum aliqua ratione imitante dicatur, licet minus principaliter. Denique probatur antecedens: nam licet demus, Christum magis imitari Leonem, quam vitem, quia tamen vtrumq; imitatur, dicitur Leo, & Vitis *imitatiuè*: ergo si filiatio ista imitatur filiationem naturalem, filiationemque adoptiuam, quamuis magis naturalem, quam adoptiuam imitetur, dicetur naturalis, & adoptiua filiatio, licet magis naturalis, quam adoptiua dicatur.

*Tertio probatur.*

41 *Secundo*

Secundo reijcitur: non enim assignare possunt prædicti Auctores rationẽ, cur ad rationem filiationis magis debeat attendi ad formam filiationem fundantem, quam ad modum iuris, & adeundi hæreditatem, maximé, cũ in hoc iure esset constituta filiatio; at filiatio de qua loquimur non in alio à suis defensoribus constituitur, nec aliunde, quam ex hoc iure probatur: ergo si in iure, & modo adeundi hæreditatem, magis imitatur filiationem adoptiuam, quam filiationem naturalem per essentiam, potiùs adoptiua est dicenda, quam naturalis filiatio.

*reijcitur solutio.*

42 *Si respondeatur.*

Si forte dicatur: ideo non vocari adoptiuam, quia habet aliquod prædicatum pugnans cum filiatione adoptiua, nempe, fundari in coniunctione substantiali ad adoptantem, & in iure intrinseco ad eius hæreditatem. Incontrarium ita obijcio; etiam habet prædicatum cum filiatione naturali, quæ proprie est naturalis filiatio pugnans, nempe, non fundari in generatione naturali, quæ est propria viuentium, & tamen hoc non obstante dicitur à suis Auctoribus filiatio naturalis, non *propriè*, sed *imitatiuè* talis, quia in aliquo imitatur naturalem filiationem: ergo pariter quamuis habeat prædicatum pugnans cum filiatione adoptiua, quæ est cum proprietate talis, dicetur adoptiua filiatio, non cum omni proprietate, sed *impropriè*, & *imitatiuè*.

*Contra.*

43 *Tertio reijcitur principalis solutio.*

Denique principalis solutio reijcitur: sequitur namque ex illa, Spiritum Sanctum esse dicendum in vero, & catholico sensu, filium naturalem Dei. cõsequens absurdum est: ergo tradita solutio insufficiens. Probo sequelam: Christus, vt homo, est ratione diuinitatis filius Dei naturalis, licet non procedat à Deo per generationem viuentiũ; quia ratione deitatis habet ius connaturale, ad bona Dei, & illius hæreditatem; sed Spiritus Sanctus, licet non procedat per propriam generationem, habet ratione diuinitatis sibi essentialiter conuenientis ius connaturale ad hæreditatem Dei, scilicet, ad visionem diuinam ipsi essentialiter conuenientem: ergo si hoc sufficit ad rationem filij naturalis, dicendus erit Spiritus Sanctus, qui est tertia Trinitatis persona filius naturalis Dei in aliquo sensu catholico.

Respon-

44 Respodet Hurtado

Respondebis ex Hurtado *vbi supra sect. 5. subsect. 9.* Spiritum Sanctum non posse dici filium naturalem Dei. Tum; quia non habet persona ex dono, sicut habet humanitas Christi; donum enim est liberum beneficium. Tum etiã; quia non est hæres; hæreditas enim est de his, quæ dari, & auferri possunt, nec item habet ius, hoc enim præter condignitatem personæ importat titulum ad rem, quæ potest libere donari: visio autem beatifica, in qua Dei hæreditas consistit, non donatur Spiritui Sancto libere, sed necessario, & naturaliter: ac proinde ex hoc quod Christus, vt homo fit filius Dei naturalis, non sequitur, Spiritum Sanctum posse in aliquo vero sensu dici filium naturalem Dei.

45 Reijcitur primo.

Hæc tamen solutio omnino insufficiens est, & reijcitur primo: nam haberi personam, ex dono non iuuat, sed potius officit naturali filiationi, illamque habere non ex dono, sed naturaliter, nõ officit, sed potius iuuat ad rationem filij naturalis: ergo quod humanitati cõueniat persona ex dono, non autem Spiritui Sancto, non infert, Christum, vt hominem, esse filium Dei naturalem, non vero Spiritum Sanctum, sed potius infert oppositum.

46 Secundo.

Secundo: nam licet Verbo non conueniat patris hæreditas liberé, sed naturaliter, non tollit quominus Verbum sit, & dicatur hæres Patris æterni; & cõsequenter ius habens ad illius hæreditatem: ergo de ratione hæredis, iurisque ad hæreditatem, non est, quod liberé cõferatur hæreditas, darique possit, & auferri. Probo antecedens ex D. Thoma ad Hæbreos 1. lect. 1. vbi explicans verba illa Pauli: *Quem constituit hæredem vniuersorum, &c.* sic ait: *Sciendum est autem, quod in Christo sunt duæ naturæ, diuina scilicet, & humana; sed secundũ diuinã naturam, sicut non est constitutus filius; cum sit filius naturalis ab æterno: ita necesse constitutus hæres; sed ab æterno est hæres naturalis, secundũ verò naturam humanam sicut est factus filius Dei, Romanorum 1. qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem: ita & factus est hæres vniuersorum, & quantum ad hoc dicit, quem constituit hæredem, id est, Dominum vniuersorum.* Ergo iuxta Diuum Thomam, Verbum, prout in diuinitate

S. Tho.

subsistens, qua ratione est filius æternus Patris, est etiam hæres, non adoptiuus, nec voluntarius, sed naturalis illius.

Et augetur difficultas ex Paulo ad Roman. 8. illis verbis: *Si filij, & hæredes.* Quibus, ex filiatione colligit hæreditatem, cum ergo Verbum vt in diuinitate subsistens, sit filius naturalis Dei, est etiam hæres naturalis illius: ac proinde de ratione hæredis, iurisque ad hæreditatem, non est, quod hæreditas possit conferri, & auferri.

47 Confirmatur.

Denique tradita solutio reijcitur: nam ius competens Christo, vt homini, ad hæreditatem Dei, ideo in contrariorum sententia constituit illum filium Dei naturalem, etsi filiatione non propria, quia eo ipso, quod habeat ius ab intrinseco, imitatur filiationem propriã naturalem; at quamuis concedamus tertiam Trinitatis personam non habere proprium ius ad hæreditatem Dei, nec proprié esse hæredem illius; eo quod hæreditas non donatur voluntarié, nec taliter quod possit dari, & auferri, magis tamen imitatur filiationem naturalẽ Verbi, quam Christus, vt homo, ratione humanitatis: ergo quamuis hoc admittamus, dicendus erit filius naturalis Dei potiori iure, & ratione, quam Christus, vt homo, ratione diuinitatis. Probo minorem: ius competens Verbo, vt subsistit in diuinitate, ideo iuxta istum Auctorem non est proprié ius, quia non cõnotat liberam voluntatem in patre, scilicet potestatem auferendi, conferendi que hæreditatem, sed illi ab intrinseco omnia bona patris per identitatem conueniunt; at huic iuri magis assimilatur ius competens Spiritui Sancto, quam ius competens humanitati, ratione diuinitatis; cum illud sit ius identicum ad bona Dei per idẽtitatem ab intrinseco, & necessario conuenientia: hoc autem sit ius ad bona, & hæreditatem Dei conuenientia Christo, vt in humanitate subsistenti ex libera voluntate diuina: ergo ius Spiritui Sancto competens ad bona Dei, esto non sit proprié ius, magis imitatur ius competens Verbo Dei ratione filiationis naturalis, quam ius conueniẽs humanitati ratione diuinitatis: ac proinde si ob istam imitationem Christus, vt homo, ratione diuinitatis vnitæ est filiꝰ

48 Tertio reijcitur.

Dei

Dei naturalis in aliquo sensu catholico, poterit etiam Spiritus Sanctus in sensu catholico dici filius naturalis Dei.

49 *Respondebis secundo ad tertiũ argumentum.*

Secundo, & melius potest ad tertiũ argumentum occuri, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, distinguendo antecedens: non viuit *physicè* ratione diuinitatis, concedo antecedens: non viuit *moraliter*, nego antecedens: & sub eadem distinctione primi consequentis, distinguendo secundum: illudque concedendo de generatione naturali physica, negando autem de generatione naturali morali. Vt enim *supra disp.* 21. §. 9. cum communi sententia docuimus, humanitas Christi sanctificata est substantialiter à diuinitate vnita, cum autem sanctitas consistat in esse obiectum congruum diuinæ dilectionis amicabilis, vt communicetur subiecto, debet illud constituere potens *physicè*, aut *moraliter* redamare; ac per consequens viuens radicaliter, *physicè*, vel *moraliter*, vnde vt diuinitas humanitatem Christi sanctificet, debet illam viuentẽ constituere, saltim radicaliter, *moraliter*. Ex quo vlterius fieret, quod humanitas ratione diuinitatis sanctificantis illam *moraliter*, procedat viuens *moraliter* à viuente sibi coniuncto, & cum alias illi communicetur natura diuina sub conceptu sanctitatis, qui est ipsissimus conceptus naturæ Dei, procedit in similitudinem naturæ, vel in naturæ vnitatẽ; ac per consequens talis processio est generatio naturalis, non physica, sed moralis, & supra illam fundari poterit filiatio naturalis moralis. Nec ex hoc sequitur Spiritum Sanctum esse filium Dei naturalem: nam illi ex vi processionis non communicatur natura sub conceptu naturæ, bene autem humanitati, vt constat ex dictis.

50 *Cõtra 1.*

Sed contra istam solutionem obstat primò; quod generatio naturalis, non physica, sed moralis inaudita est apud Theologos: non autem licet contra cõmunem Theologorum consensum nouos terminos, & diffinitiones inducere.

*Secundo.*

Secundo: nam communicatio Deitatis ad humanitatem, vt sanctificans illam moraliter, non est actio naturalis Deo, sed libera, & voluntaria: nihil autem repugnantius cum generatione naturali, quam esse actionem liberam, & voluntariam generanti. Tertio: nam filiatio ista moralis, non est naturalis *univocè* cum filiatione naturali physica, sed ad summum *analogicè*, quia illam aliqua ratione imitatur; sed etiam imitatur in aliquo filiationem adoptiuam, vt *supra* argumentabamur: ergo non erit, cur magis naturalis, quam adoptiua dicatur.

*Tertio.*

Denique: nam hæc filiatio non potest immediate denominare naturam, sed tantum personam Christi; sed hæc incapax est, vt ab illa denominationem filij suscipiat: ergo talis filiatio non est in Christo admittenda. Maior constat ex dictis præcedenti disputatione. Minor etiam ex dictis habetur: nam propterea filiatio adoptiua nequit personæ Christi competere, illamque denominare, quia est filiatio *secundum quid*, & *imitatiuè* talis: persona autem Christi est filius naturalis perfectè, & non stat aliquod prædicatum dici de eodem subiecto secundum perfectam, veramque rationem, & secundum imperfectam, & *imitatiuè* talem; at hæc ratio excludit etiam à persona Christi Domini filiationem naturalem moralem; cum etiam sit imperfecta filiatio, & talis *imitatiuè*: ergo Christus, vt homo, istius filiationis est incapax.

51 *Quarto.*

## §. IV.

### *Obiectionibus in contrarium occurritur.*

ET ex his facile erit argumentum contrariorum diluere. Ducuntur ad suam sententiam suadẽdam, eo quod Christus, vt homo, ratione diuinitatis sanctificantis humanitatem, est filius Dei, sed non adoptiuus: ergo est filius Dei naturalis. Maior probatur, ratione diuinitatis est hæres bonorum, & hæreditatis diuinæ, aliàs per illam non sanctificaretur humanitas; sed idem est esse hæredem, atque filium: ergo ratione

52 *Arguunt oppositæ sententiæ Auctores*

diui-

diuinitatis, vt sanctificantis humanitatē est filius Dei Minor ostenditur primo ex Paulo ad Rom. 8. illis verbis: *si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*: ergo iuxta Paulum esse filium, & hæredem conuertuntur: ac proinde si Christus, vt homo, ratione diuinitatis, vt sanctificantis humanitatem est hæres bonorum Dei, ratione illius, vt sic, est aliqua ratione filius. Secundo: hæres adoptiuus, & filius adoptiuus dicuntur ad conuertentiam: ergo pariter hæres naturalis, & filius naturalis se habent conuertibiliter; sed Christus, vt homo, ratione diuinitatis, vt sanctificantis humanitatem, est hæres naturalis hæreditatis diuinæ; cum sit hæres, & non adoptiuus. ergo ratione illius est etiam filius naturalis Dei. Denique: non enim alia ratione gratia habitualis sanctificans, præbet filiationem Dei, nisi quia præstat ius ad diuinam hæreditatem, & hominem, quem sanctificat, constituit hæredem bonorum Dei: ergo omne constituens hæredem, constituit aliqua ratione filium; ac proinde hæreditas, & filiatio dicuntur ad conuertentiam.

*Minor probatur primo.*

*Secundo.*

*Tertio.*

Respondeo, negando maiorem. Ad probationem, concessa maiori, nego minorē. Ad cuius primā probationē, concessis verbis Pauli, vt iacent, nego consequentiam. Nam ex illis non infertur omnem alicuius hæredem, esse etiam illius filium, sed tantum omnem filium esse hæredē, quod longe diuersum est. Et quidem Spiritus Sanctus est hæres naturalis hæreditatis diuinæ, & tamen filius naturalis non est. Omnes etiam consanguinei sibi inuicē sunt hæredes; & tamen non omnes sunt sibi inuicem filij. Nepos etiam est hæres naturalis aui; & tamen filius non est: non ergo ratio hæredis, & filiatio ad conuertentiā dicuntur: ac proinde ex eo quod Christo, vt homini, conueniat ratione diuinitatis ius ad Dei hæreditatem; non sequitur, esse filium ratione diuinitatis, vt sanctificantis humanitatem.

**53** *Respondetur. Ad primam probationē minoris.*

*Omnis filius est hæres, sed nō è conuerso.*

Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia esse hæredem naturalem potest aliunde, quam ex filiatione competere, ratio autem hæredis adoptiui, non nisi ex adoptione potest consurgere. Si tamen non fiat vis in Verbo *adoptionis*, hæres voluntarius imitatur in hoc naturalem hæredē, quod sicut ius naturale adeundi hæreditatem, latius patet quam naturalis filiatio, ita ius voluntarium ad hæreditatem alterius, non conuertitur cum filiatione adoptiua: nam si quis alteri hæreditatem promittat præbet illi voluntariē ius ad eius hæreditatem, & tamen filius adoptiuus non est.

**54** *Ad secundam.*

Ad vltimam probationem, nego causalem antecedentis. Non enim præcise, quia præbet ius, præstat filiationem adoptiuam; Christo namque præstat ius & tamen illum, vt hominem, non constituit filium adoptiuum Dei, sed ideo præstat filiationem adoptiuā, quia præstat ius fundatum in spirituali generatione: homo namque per gratiam est spiritualiter genitus, terminans autem spiritualem generationem, filius adoptiuus est Christus vero in quantum homo ratione diuinitatis, vt ipsum sanctificantis, non est spiritualiter genitus, & ideo etsi habeat ius ad diuinam hæreditatem, filius naturalis non est.

**55** *Ad tertiā*

Sed dices: ideo homo per gratiam habitualem est spiritualiter genitus, quia ratione illius participat Dei naturā; sed humanitati Christi ratione vnionis ad Verbum communicatur ipsa natura diuina sub conceptu naturæ; cum illi communicetur sub conceptu sanctitatis, qui pertinet ad conceptū naturæ: ergo ex vi vnionis ad Verbum, & Deitatis, vt sanctificantis humanitatem, Christus, vt homo, spiritualiter generatur. Et augetur difficultas. nam ex eo quod deitatis participatio per gratiam habitualem sit sufficiens ad sanctificandam humanitatem, intullimus cum communi sententia *supra disp.* 21. à fortiori deitatem substantialiter vnitam posse ipsam sanctificare: ergo pariter ex eo quod formalis participatio naturæ diuinæ sub cōceptu naturæ sufficiat ad constituendū spiritualiter genitum, consequens debet censeri substantialem vnionem, & communicationem naturæ diuinæ, spiritualiter genitum constituere.

**56** *Instabis.*

*Cōfirmatur.*

Respondeo primo, distinguendo maiorem: non supponendo in persona naturam communicatam per naturalē generationem, concedo maiorem: præ-

**57** *Respondetur 1.*

cisé

cisé ex ratione participationis naturæ, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia deitas, vt sanctificans Christi humanitatem supponit in persona Christi naturam diuinam communicatam per generationem æternam: ac proinde filiationem naturalem simpliciter, & ideò nō constituit Christum vt hominem, nec genitum, nec filium. Quod autem gratia habitualis, non ex eo solum, quod Dei naturam participet, constituat spiritualiter genitum, constat in Christo, quem vt hominem non reddit spiritualiter genitum, etsi illius humanitati præbeat, esse diuinæ naturæ participem.

58 *Respondetur secundo.*

Respondeo secundo, distinguendo etiam maiorem: quia participat physica participatione, concedo maiorem: participatione tantum morali, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia Deitas sub conceptu naturæ non communicatur *physicè*, sed tantum *moraliter* humanitati Christi, & ideo licet illam sanctificet, non constituit spiritualiter genitam. *Ad cōfirmationē* Ad confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: & ratio discriminis est: nam sanctificatio, ex communi Theologorum sententia, abstrahit à physica, & morali: ac proinde ex eo, quod gratia habitualis participans Dei naturam, sit ad sanctificandū sufficiens, rectè infertur posse Deitatem se ipsa præstare sanctificationis effectū. Cæterum generatio naturalis tantum moralis, incōsueta est, & inaudita apud Theologos, sicut & filiatio naturalis moralis cumque si diuinitas, vt humanitatem sanctificans præstaret esse spiritualiter genitum, deberet esse genitum naturali generatione: fit quod quamuis gratia, quia Dei naturam participat, cōstituat Spiritualiter genitum, non inferatur Deitatem substantialiter vnitam posse spiritualiter genitum constituere.

59 *Instabis primo.*

Sed instabis primo: ergo saltim poterit constituere spiritualiter genitum, generatione fundante filiationem adoptiuam. Patet consequentia: nam ideo non constituit genitum naturali generatione, quia hæc apud Theologos solum pro physica communicatione naturæ vsurpatur; at generatio fundans filiationem adoptiuam apud plures solū petit moralem naturæ communicationem; plures enim docent, gratiam habitualem non physicé, sed moraliter participare naturam diuinam, qui tamen negare nequeunt constituere subiectū, cui infunditur, filium adoptiuum Dei: ergo Deitas, vt sanctificans humanitatē, Christum, vt hominem, constituet, spiritualiter genitum generatione adoptiua. *Secundo.* Secundo: non enim minus est de ratione obiecti amicabilis posse amantem redamare, quam de ratione geniti viuens à viuente procedere; sed communicatio solum moralis naturæ præstans posse radicaliter moraliter redamare, est sufficiens constituere obiectum dilectū amicabiliter: ergo communicatio moralis naturæ præstans esse viuens radicaliter moraliter, sufficiet ad constituendum viuens à viuente procedens; & cōsequenter sufficiet ad constituendum genitum.

60 *Ad primā instantiam respondetur.*

Respondeo ad primā instantiā, negādo sequelā. Ad illius probationē, cōcessa maiori, & prætermissa minori, negando cōsequētiā: quia quod diuinitas Christū, vt hominē, filium adoptiuū constituat, non componitur cum filiatione naturali, vel cum substantiali coniunctione cū Deo, quam necessario supponit, vt humanitatem sanctificet: physica namque coniunctio adoptati ad adoptantem, filiationi adoptiuæ repugnat: ac proinde forma, quæ vt sanctificet, physicam coniunctionem exposcit, nequit esse apta ad constituendum spiritualiter genitum, neque filium adoptiuum.

61 *Ad secundam.*

Ad secundam, nego maiorem. Licet enim in diffinitione amicitiæ ponatur, *potentia ad redamandum*, & in diffinitione filij naturalis, quod *viuens à viuente procedat in naturæ similitudinem*; aliter tamen, & aliter accepta est ratio viuentis in diffinitione filij naturalis, & potentia ad redamandum in diffinitione amicitiæ: nam illud communi sapientum interpretatione, iuxta quam sunt diffinitiones rerum accipiendę, explicatum est de viuente vita physica in physicam naturæ similitudinem: potentia autem redamandi in diffinitione amicitiæ pro physica, vel morali. Possumus etiam ra-

tionem

tionem aliam discriminis constituere, in qua hæc differentia acceptionis fundetur, nimirum, quod filiatio naturalis petit pro fundamento naturalem generationem; amicitia autem, vt contrahatur actionem aliquam naturalem dantem potentiam ad redamādum nō petit: generatio autem naturalis; cum actio physica sit, & nullatenus moralis, vitam physicam petit communicare: actio autem ex qua amicitia contrahitur, quia moralis actio est, potest sine physica potentia redamatiua saluari.

62 *Vrgebis.* Sed vrgebis adhuc: nam sequitur ex his solutionibus diuinitatem, vt sanctificantem humanitatē, constituere Christum, vt hominem, Filium Dei, etsi non filiatione naturali, nec filiatione adoptiua; bene tamen filiatione alterius rationis, quam appellare possumus filiationē connaturalem; consequens non admittemus: ergo nec doctrinam traditam. Patet sequela: si daretur substantia super naturalis creata foret Filia Dei, non filiatione adoptiua, nec naturali; benè tamen filiatione connaturali, vt diximus *Disp. 52. §. 2. in solutione ad 2. argumentum*: quia illi ex vi suæ cōstitutionis conueniret ab intrinseco ius ad Dei hæreditatem; & tamen non fieret per actionem naturalem à Deo, sed per actionē liberam, & voluntariam: ergo filiationi non naturali, sed connaturali, non obstat super actionem voluntariam, & non naturalem fundari, dummodo per illam ius intrinsecum, & connaturale ad hæreditatem tribuatur. Ex quo vlterius sequitur, Deitatem sub conceptu naturæ vnitam humanitati, & illam sanctificantem, eique ius intrinsecum ad diuinam hæreditatem tribuentem, fundare posse in Christo, quatenus homine, filiationem non naturalem, sed connaturalem ad Deum. Patet consequentia; quia huic filiationi, nec repugnat, quod actio diuinitatem communicans, non sit naturalis, sed libera, nec est, cur illi obstet supra communicationem naturæ non physicam, sed moralem fundari: ergo ex nullo principio repugnat.

63 *Respōd.* Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, & prima consequentia, nego secundam. Nam licet ex illis capitibus nō repugnet fundare filiationem connaturalem, repugnat ex alio, quia nempé, hæc filiatio non est filiatio *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, & *analogicè* talis: Christus autem, cum ratione suppositi, secundum quod solum est capax susceptiuum filiationis, sit filius naturalis *simpliciter*, est incapax denominationis filij, filiatione *secundum quid*, & *analogicè* tali: vnde sicut hac ratione, non est filius ratione creationis, nec ratione iustificationis per gratiam habitualem, vt docet Divus Thomas *infra quæstione 32. articulo tertio*. ita etiam incapax est denominationis filij, filiatione fundata in sanctificatione humanitatis à Verbi diuinitate.

64 *Replicabis adhuc primo.* Sed insistes adhuc primo: ergo saltim in sententia asserentium, filiationem non compari immediatè cum persona, sed solum media natura, Christus ratione diuinitatis, vt sanctificantis humanitatem erit Filius Dei filiatione connaturali; consequens autem est falsum; aliàs esset Filius Trinitatis, cuius falsitas ex dicendis constabit: ergo. Secundo: nam ad minus sequitur, quod si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, esset Filius Dei hoc genere filiationis; consequens videtur falsum; omnes namque eodem modo censent discurrendum de Spiritu Sancto, casu in quo humanitatem assumeret, quantum ad rationem filij, sicut de Verbo incarnato: ergo & tradita solutio. Patet sequela: persona Spiritus Sancti, vt in diuinitate subsistens, non est Filius naturalis Dei; ac per consequens non est filius filiatione tali *simpliciter*; at ratio adæquata, & vnica ob quam Christus, vt homo, non est filius, hoc filiationis genere, est, quia vt subsistit in Deitate est Filius naturalis simpliciter: ergo Spiritus Sanctus tunc casus foret Filius Dei filiatione connaturali fundata in sanctificatione humanitatis à Deitate. *Secundo.*

65 *Ad 1. replicam respondetur.* Respondeo ad primam instantiam, vel permittendo consequens, vel negando sequelam. Ratio autem illam negandi esse potest: nam in prædicta sententia, immediatum susceptiuum filiatio-

nis non est persona, sed natura: ac proinde ad constituendam filiationem con naturalem requiritur, quod naturæ sit ab intrinseco debita, quod tamen saluari nequit: Deitas namque humanitatē sanctificans, non debetur naturæ ratione sui. Si verò consequens admittatur, dicendum est ad minorem, id, quod infertur, inconueniēs esse apud Nos: à cōtrarijs autem Auctoribus inconueniēs non censeri, quia tamen quod sit inconueniens ex *infra* dicendis constabit; cōsequenter est asserendum, filiationem non ad naturam, sed ad personā *immediatè* comparari, & ex hoc inconueniente inter alia argumenta probandum.

66 *Ad secūdam.* Ad secundam respondeo admittēdo sequelam, & negando minorem. Ad cuius probationē dicatur, Theologos eodem modo discurrere de Spiritu Sācto tunc casus, ac modo de Verbo incarnato, quoad rationem filij adoptiui, quia hæc cum vtriusque personæ naturā assumente repugnat, quia petit negationem substantialis cōiunctionis cū Deo, quæ negatio, tam Spiritui Sancto, quam Verbo subsistēti in natura creata repugnat. Filiatio autem connaturalis moralis extraneitatem per negationem coniunctionis substantialis non petit, sed solum per negationem filiationis naturalis, quæ Spiritui Sancto humanitatem assumenti competeret: non autem Verbo, vt naturam termināti; & ideo quoad hanc filiationem non est eadem ratio de Verbo subsistente in natura rationali, ac de Spiritu Sancto talem assumēte naturam. Et quidem Spiritus Sāctus humanitatē assumēs, foret Filius Dei filiatione fundata in creatione rationalis naturæ; cū à Christo, vt homine, ea sola ratione ab Angelico Præceptore excludatur, quia est filius filiatione tali *simpliciter*, quæ quidem de Spiritu Sācto non militat: ergo non est inconueniēs quoad aliquem modum filiationis, aliter de Spiritu Sancto tunc casus, ac de Verbo Incarnato discurrere.

67 *Oppones.* Sed dices: non minus opponuntur ius morale, & ius physicum, & essentiale, quam filiatio physica, & filiatio moralis connaturalis; sed licet in Spiritu Sācto nō inueniatur naturalis, & physica filiatio, inuenitur tamen ius physicū essentiale ad hæreditatē Dei: ergo est incapax iuris moralis; & consequenter est incapax filiationis moralis cōnaturalis; vel si hoc non obstāte potest ius morale suscipere ratione diuinitatis, vt sanctificātis humanitatē moraliter, poterit etiā Verbū suscipere, vt subsistens in humanitate denominationē filij filiatione morali connaturali.

*Respond.* Respondeo, negando maiorem. Nā immediatū susceptiuū iuris ad hæreditatē, nō est persona, sed natura, cumq; in Spiritu Sancto tunc casus duplex reperiretur natura, poset duplex ius habere, aliud essentiale ad hæreditatē increatā, & alterū morale ad creatam hæreditatem recipiendam in humanitate. Cæterū denominatio filij immediatē ad personam comparatur: ac proinde in persona, quæ est filius naturalis *physicè*, non est capacitas ad filiationē connaturalē moralē, quæ est *secūdū quid* filiatio.

68 *Vrgebis.* Sed vrgebis: nam sequitur ex hac solutione, non posse dici illud ius connaturale; & consequenter nec filiatio, supra quam fundatur diceretur connaturalis; consequens est contra dicta: ergo tradita solutio nō subsistit. Patet sequela, ex eo *supra* dicebamus in sententia admittente denominationem filij immediatē comparari cum natura, non posse in Christo dari filiationem connaturalem fundatam in sanctificatione humanitatis à Deitate, quia immediato susceptiuo non est connaturalis prædicta sanctificatio; sed nec etiam immediato susceptiuo iuris ad hæreditatem, est connaturale ius, scilicet, humanitati: ergo tale ius nequit dici connaturale.

*Respond.* Respōdeo, negando sequelam. Ad illius probationē, cōcessa maiori, distinguo minorem: immediato susceptiuo *quod*, nego minorem: immediato susceptiuo *quo* iuris, concedo minorem, & nego cōsequentiam: cum enim ius prædictum sit filij, & in nostra sententia ratio filij immediatē de persona dicatur, non de natura; fit consequens, vt immediatum susceptiuum *quod*, talis iuris, nō natura, sed persona sit: ac proinde, vt illud ius connaturale dicatur, sufficit, deberi personæ, & ratione illius naturæ: sē tētia autem à Nobis *num.* 31. impugna

ta

ta statuit pro susceptiuo *quod* immediato filiationis, non personam, sed naturam: ac proinde vt filiatio naturalis dicatur, est necessarium, vt sit debita ab intrinseco naturæ ratione sui.

## §. V.

### *Tertia sententia refellitur.*

69 *Tertia cõclusio.*

TERTIA CONCLVSIO. *Christus, in quantum homo, non est Filius Dei proprius, ly* in quantum *reduplicante humanitatem Diuino Verbo coniunctam.* Hanc statuo contra tertiam sententiam, esseque expressam Angelici Præceptoris, constat primo, vt enim ex ipso vidimus, nulla est in Christo filiatio respectu Dei, nisi quæ in æterna generatione fundatur: hæc autẽ filiatio propria à naturali, & adoptiua distincta nõ in æterna generatione, sed in temporali productione humanitatis, & illius vnione ad Verbum fundatur: ergo contra D. Th. in Christo, vt homine, adstruitur Secũdo: nam hæc filiatio prius denominat naturam, & ratione illius personã; at iuxta D. Th. filiatio non ad naturam, sed ad personam immediatè comparatur: ergo hæc filiatio illius menti repugnat. Tertio: nã iuxta D. Thom. *infra q.* 32. *art* 3. Christus, vt homo, non est Filius Dei ratione creationis, nec vllo modo est, aut dici potest filius Spiritus Sancti; at filiatio hæc propria supra creationẽ humanitatis fundatur, & ad totam Trinitatem refertur, vt illius Auctor fatetur, & ex dicendis constabit: ergo in Christo, vt homine, iuxta Divum Thomam constituenda non est.

*Prob. 1. ex D. Th.*

70 *Secundo prob. ratione.*

Deinde suadetur conclusio: nam filius proprius, & filius naturalis idem sunt; sed Christus, vt homo, ly *vt* reduplicante naturam, non est Filius naturalis Dei, vt Auctor contrarius fatetur: ergo non est Filius proprius. Maior probatur primo: nam omnes Theologi, tam Veteres, quam Recentes pro eodem semper tenuerunt filiationem propriam, & naturalem, nec vllus inter filiationes istas distinxit; at in re tam graui, & Theologica, non licet cõtra vnanimem Theologorum consensum, nouas rerum diffinitiones, & distinctiones statuere: ergo pro eodem accipi debent. Quod amplius cõfirmare possumus, nam Auctor, quẽ impugnamus, inde contra secundam sententiã ducitur, ad relegandam filiationem naturalem à Christo supra sanctificationem humanitatis à Deitate fundatam, quia omnes Theologi, & Philosophi filium naturalem diffiniunt, quod sit, *Viuens procedens à viuente coniuncto in naturæ similitudinem*: non autem licet nouas rerũ diffinitiones statuere; sed etiã omnes Theologi pro eodem, filiationem propriam, & filiationem naturalem vsurpant: ergo non licet inter vtramque distinguere.

*Maior prob. 1.*

*Cõfirmatur.*

Secundo probatur maior: nam de fide est, & ex Concilio Francofordiensi deducitur, Christum, vt hominem, in sensu materiali, & identico esse Filium naturalem Dei, vt contrarius Auctor fatetur; at nisi filiatio naturalis, & filiatio propria in Concilij sensu sint idem, nõ potest ex illo veritas prædicta deduci: ergo ex mente Concilij idem est filius naturalis, & proprius. Probatur minor; vt enim legenti epistolam Adriani Primi, librum Sacrosyllabum, & epistolam Concilij ad Episcopos Hispaniæ, euidenter constabit, nusquam Christus Filius naturalis, sed tantum proprius asseritur; at si filiatio propria sit à filiatione naturali distincta ex assertione filiationis propriæ non infertur naturalis: ergo nisi iuxta Concilij mentem sint idẽ, inferri nequit ex illo, Christum, vt hominem, esse filium naturalem Dei in sensu specificatiuo, identico & materiali

71 *Secundo prob. maior.*

Respondebis, colligi ex prædicto Concilio, Christum hominem, esse filium naturalẽ, non ex eo quod ipsum, proprium Dei Filium asserat, sed ex eo quod ipsum, verum Dei Filiũ constituat: verus autẽ filius, idem est, quod naturalis Sed contra primo: nã Filius proprius, non est filius adumbratus, vel fictus: ergo filius proprius non contraponitur vero, sed est veré ver⁹ filius; &

72 *Respondebis.*

*Cõtra 1.*

consequenter si verus, idem est, quod naturalis, filius proprius, & naturalis sūt idem Contra secundo ex libro Sacrosyl labo, ibi: *Habes quomodo, de quo dixerat supra, quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius.* Quibus verbis ad idem referuntur in Christo, esse Filiū verum, & proprium; at si non sumerentur pro eodem, non possent referri ad idē: ergo pro eodem sumūtur. Probatur minor: nā si filiatio propria sit à vera filiatione distincta, sitque naturalis filiatio, non potest cadere supra Christi humanitatē, nec filiatio propria à naturali, & vera distincta potest dici de Christo, quatenus Deo: ergo non possunt ad Christū sub eadē ratione referri, si vera, & propria filiatio à Cōcilio distinguuntur.

*Secundo.*

73 *Respondebis.*

Respondebis à Concilio in allegatis verbis, pro eodem vsurpari verū, & proprium filium, cæterū verum filium nō sumi pro naturali, sed pro filio proprio ab adoptiuo distincto. Tum, quia mēs Concilij non erat, Christum, vt hominem, diffinire filiū naturalem Dei; si nā que, hoc fuisset intentū Concilij, debuisset adhibere vocē ad signficādū aptissimam, & quæ omnem ambiguitatem excluderet, nempé, vocem *naturalis*; at hoc non fecit Cōciliū, vt cōstat ipsum legenti: ergo mens eius nō erat Christum, vt hominē Filium Dei naturalem diffinire, sed proprium, & non adoptiuum; ac proinde verū filium, non pro naturali accepit, sed pro filio proprio à filio adptiuo distincto. Tū etiā: nam si nomine *veri Filij*, naturalem intelligeret, ineptè Concilium diceret, *vocabitur Filius Dei, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius*: si nam q; verus idē est, ac naturalis, postquā dictus esset verus, ideſt, naturalis filius, decresceret oratio asserendo, *nō alienus, sed proprius*; cum naturalitas filiationis expressius adoptionem excludat, quam filiationis proprietas: ac proinde ineptè superadderet Concilium prædicta verba.

*Primum motiuū solutionis.*

*Secundū motiuū.*

74 *Reijcitur solutio.*

Sed contra hāc solutionem obstat: nā si Concilium, nec nomine *veri*, nec nomine *Filij proprij* naturalē intellexit: ergo ex ipso non deducitur, Christum hominē sumptum *specificatiuè* esse filiū naturalem Dei, cuius cōtrariū Auctor, quem impugnamus supponit. Patet cō sequentia. nam nusquā vocauit Christū Filium Dei naturalem, sed tantum verum, & proprium; at nec filiatio propria, nec vera, sunt idem quod naturalis filiatio: ergo ex ipso non deducitur, Christum hominem sumptum *specificatiuè* esse filium naturalem Dei.

75 *Si respondeatur.*

Si dicas; hoc inconueniens non esse; non enim necessarium erat præcipuo intento Concilij, scilicet, vt contra Elipādum statueret, Christū, vt hominē, Filium adoptivum nō esse, diffinire Christū, vt hominē sumptum *specificatiuè* esse naturalem filium Dei, sed sufficere diffinire Christum, vt hominē, *reduplicatiuè* esse Filiū Dei proprium. Obstat contra hanc solutionē: sequi ex illa, nec ex Sacra Scriptura deduci, Christum, vt hominē, esse Filium naturalem Di in sensu materiali, & identico; consequens absurdum est: ergo & tradita solutio. Probo sequelā: in Scriptura nusquā asseritur Christus Filius naturalis Dei, sed Filius proprius, & verus 1. Ioannis 5. *Vt simus in vero Filio eius.* Romanorum 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit*, & alibi; at iuxta hanc solutionem, verus Filius non est idem, quod naturalis: ergo ex Scriptura non colligitur, Christum hominem sumptum *specificatiuè* esse Filium naturalem Dei.

*In contrarium obstat.*

1. Ioā: 5. Rom. 8.

76 *Respondebis.*

Dices: verū filium aliquando accipi pro naturali, aliquando nō pro filio naturali, sed pro proprio contrapositō adoptiuo, & in Scriptura pro naturali vsurpari: in Concilio autem nō pro naturali, sed pro proprio. Sed contra primo: nam si verus filius vtramque acceptionem habet, volūtariè omninò asseritur vnam in Scriptura habere, & alteram in Concilio, maximè cum verba Concilio rum in suis diffinitionibus verba Scripturæ imitētur, imo & ex illis sumantur. Secundo: nā Conciliū ad probandum Christum esse Filium verū, & proprium Dei, non autē adoptivum, & alienum, vtitur testimonijs Scripturæ, nempé, illa Petri confessione: *Tu es Christus Filius Dei viui*, & illis, *quæ proximè* allegabamus; sed sumendo filiationē veram in diuersa acceptione ab ea, qua in Scriptu-

*Cōtra 1.*

*Secundo.*

ra vsurpatur, inepté prorsus ex Scriptu ræ testimonijs vera in Christo homine colligeretur filiatio: ergo Filius verus, & proprius in eodem sensu vsurpatur à Concilio, & Scriptura.

77 *Tertio.*

Tertio: quia non aliunde ex Scriptura filiatio naturalis infertur in Christo, vt homine, nisi quia illius verba, quibus Christus verus, & proprius filius asseritur, cõmuni sensu Doctorum pro filio naturali accipiuntur; at verba Concilij exprimentia veram, & propriam filiationẽ in Christo, quatenus homine, cõmuni omnium Scholasticorum consensu pro naturali filiatione vsurpãtur: ita vt nullus ante oppositum Auctorẽ aliter illa vsurpauerit: ergo sic sunt accipienda Patet consequentia: nã sicut verba Scripturæ accipienda sunt iuxta communem Doctorum expositionẽ, ita verba Conciliorum, iuxta cõmunẽ intelligentiam Doctorum, qui post Cõcilium scripserunt; aliàs nihil firmum poterit ex illis deduci, si cuivis pro suo cerebro liceat Cõciliorum verba explicare, & ad hunc, vel illum sensum extorquere.

78 *Ad 1. motiuũ solutionis respondetur.*

Nec motiua, quibus solutio firmatur alicuius ponderis sunt: non primũ; aliàs eadem reprehẽsione posset Scriptura vrgeri; cum nusquam Christum Filium Dei naturalẽ expresserit. Et quidẽ intentum Petricõfitentis Christum hominem, esse Filium Dei viui, erat, Christum Filium Dei naturalẽ declarare; & tamen voce *naturalis*, non fuit vsus, & similiter mẽs Scripturæ in alijs locis erat eandem veritatẽ docere; & tamen voce *naturalis* non vtitur: ergo ex eo quod Concilium hac voce non fuerit vsum, non sequitur, non intendisse, Christum hominẽ diffinire Filium naturalẽ Dei, nec ex eo quod hoc intenderit, & voce *naturalis* non vtatur, est aliqua animadversione dignum, nisi velimus, non solum Concilij stylum, sed etiam Scripturæ corrigere, quod intẽdere, nefas erit.

79 *Retorquetur argumentum.*

Imo potius ex doctrina istius Auctoris argumentum in ipsum retorqueo: Scriptura Sacra intendit, Christum, vt hominem, Filium Dei naturalẽ docere; & tamen voce *naturalis* non vtitur, sed voce *veri, & proprij Filij*: ergo quia sentit, veram, propriamq; filiationem, idẽ esse ac naturalẽ, nec in hoc aliquã ambiguitatem esse. Patet consequentia; vt enim prædictus Auctor fatetur, absonũ esset, Concilium intendens Christũ diffinire Filiũ naturalẽ Dei, vti vocibus ambiguis: ergo idẽ in Scriptura absonũ debet censeri, & consequenter, cũ intendens diffinire Christũ Filiũ naturalẽ Dei, nõ vtatur voce *naturalis*, sed *veri, proprijq; Filij*, necessario est asserendum, vocẽ *Filij veri, & proprij*, non esse ambiguã, sed propriam filiationis naturalis. Nec magis vrget secũdũ; cũ enim in Filio naturali vtraq; ratio inueniatur, nẽpé, veri, & proprij Filij, & per vtramq; cũ filiatione adoptiua opponatur, voluit Cõciliũ ex vtraq; filiationẽ adoptiuã à Christo homine excludere absq; vllo orationis decremento, nec rhetoricæ obseruationis detrimento.

*Ad secundam.*

80 *Tertio probatur conclusio.*

Tertio suadetur conclusio; vt enim prædictus Auctor fatetur, de fide est, Christũ, vt hominẽ, esse Filiũ Dei filiatione cõtrapositã adoptiuæ; sed esse Christũ, vt hominẽ, Filiũ Dei propriu filiatione propria à naturali distincta, asseri de fide nõ potest: ergo filiatio ista propria à naturali, & adoptiua distincta, per perã ex Cõcilio colligitur, & illius auctoritate probatur. Probo minorẽ; vt aliquid sit de fide ex Cõcilij auctoritate, necessariũ est, quod vel in ipso exprimatur, vel cõmunis Doctorũ cõsensus, sic Concilij verba accipiat; sed filiatio Dei propria cõtrapositã adoptiuæ, & à naturali distincta, à Cõcilio nõ exprimitur, nec cõmunis Doctorũ cõsensus verba Cõcilij pro isto genere filiationis accipit, imo nullus præter Auctorẽ cõtrariũ, istius filiationis meminit: ergo Christũ, in quantũ hominẽ, esse Filium Dei filiatione propria contrapositã adoptiuæ, & à naturali distincta, asseri de fide nequit.

81 *Quarto prob. conclusio.*

Quarto probatur conclusio: nã filiatio propria, vt à contrario Auctore explicatur, cõsistit in relatione supra creationẽ humanitatis fundata, & in cõiunctione humanitatis ad Verbũ, quorũ primũ cõmune est omni homini: secundũ autẽ peculiare in humanitate Christi; sed Christus, vt homo, nõ est Filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis: ergo non est Filius Dei isto gene-

re filiationis. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur primo ex D.T. *infra q. 32. art. 3. in corp.* vbi expresse docet, Christū, vt hominē, non esse Filiū Dei, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis: ergo iuxta D.Th. nō est Filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis. Secūdo probatur ratione D.Th. *loc. alleg.* quod enim de aliquo *simpliciter* dicitur, non potest de eodem dici secundum rationem imperfectam, & talem *secundum quid*; sed de Christo, vt homine, prædicatur filiatio talis *simpliciter*, nēpe, naturalis Dei filiatio; est enim Filius Dei, filiatione fundata in generatione æterna: ergo nequit dici Filius Dei secundū imperfectā rationē, & talē *secundū quid*, qualis est filiatio fundata in creatione humanitatis.

*Minor prob. 1.*

*Secundo.*

82 *Respondebis.* Respondebis, D.Tho. non negare, Christū, vt hominē, esse filiū Dei, filiatione fūdata in creatione humanitatis, sed solū quod absolutē dici debeat Filius Dei hoc genere filiationis, eo quod hæc filiatio est talis *secūdum quid*; ac proinde non potest de Christo, vt homine, *simpliciter* affirmari, quod sit Filius Dei ratione huius filiationis. Sed cōtra primo: nā D.Th. quia hoc genus filiationis est tale *secundū quid*, infert, non esse constituendā in Christo, de quo filiatio, quæ simpliciter, & perfectē talis est enūtiatur, sicut de quo prædicatur esse hominē verū, enuntiari nequit, quod sit homo pictus; eo quod pictura hominis non est *simpliciter* homo, sed *secundum quid*, & imperfectē; sed ille, qui est homo verus, nulla ratione esse potest, nec dici homo pictus: ergo iuxta D. Tho. Christus, qui est Filius Dei secundū perfectam rationem filiationis, nulla ratione est, vel dici potest Filius Dei filiatione ista *secundum quid*.

*Cōtra 1.*

*Secundo.* Secundo: nā D. Thom. eodem modo loquitur de filiatione ratione creationis, ac de filiatione ratione iustificationis per gratiam habitualē; at filiationē supra iustificationē fundatam excludit à Christo, vt homine, nō solū quoad enuntiari de Christo absolutē, sed etiā quoad esse in illo: Christus enim nullo modo est Filius Dei per gratiā habitualē: ergo pariter filiationē ratione creationis, non solum excludit, quoad enuntiari de Christo absolutē, sed etiam quoad esse in illo.

Et augetur difficultas: si nāq; Christus, vt homo, esset Filius Dei proprius filiatione fundata in creatione humanitatis, & vnione illius ad Verbū; sequitur, esse Filiū Dei propriū filiatione fundata in infusione gratiæ habitualis, & illius vnione mediata ad Verbū; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Falsitas cōsequentis constat. Tùm; quia hic Auctor filiationē fundatā in iustificatione per gratiā habitualē nō recognoscit in Christo, sed potius illam excludit. Tùm etiā: nā gratia habitualis non potest aliā filiationē præter adoptiuā fundare, ad quā in Christo, vt homine, non inuenitur capacitas. Sequelā autem sic probo; ex eo in Christo, vt homine, filiatio propria statuitur, quia humanitas ratione sui fundat filiationē ad Deum; & aliàs diuino Verbo cōiungitur: vndē ex creatione humanitatis resultat, quod sit filiatio, & ex cōiunctione ad Verbū, quod filiatio propria sit; sed etiam gratia habitualis fundat de se filiationē, & de facto ad illā sequitur in puris creaturis: ergo fundabit in Christo filiationē propriā: ita vt relatio fundata sit filiatio, quia consequitur ad gratiā ex conceptu cōmuni Christo, & aliis puris hominibus, & quod sit filiatio propria ex ratione coniunctionis gratiæ habitualis ad Verbum.

83 *Cōfirmatur.*

84 *Respondebis.* Dices: filiationē à gratia habituali præstandā, esse adoptiuam, huic autē repugnat coniunctio substantialis personæ adoptandæ cū adoptante; & ideò nō habet locū in Christo, qui est Deo substantialiter cōiunctus. Filiatio autē fundata supra creationē naturæ rationalis ad Deum, negationē cōiunctionis substantialis cum ipso nō dicit: ac proinde non repugnat conuenire humanitati substantialiter Diuino Verbo cōiunctæ.

85 *Contra.* Sed contra: nam productio creaturæ rationalis, inde habet fundare filiationem ad Deum, quia terminatur ad similē in natura cum ipso in gradu intellectualitatis, etsi nō perfecta, sed analoga similitudine; sed etiā infusio gratiæ habitualis terminatur ad simile in natura cum Deo in gradu intellectualitatis, multo perfectiori modo; gratia namque habitualis participat naturam diui-

nam

nam secundum conceptū radicis videndi, & amandi Deum: ergo habebit ex se fundare relationem filiationis, quæ si in persona extranea sit, erit filiatio adoptiua consecuta ex capite filiationis ad similitudinē in natura cum Deo, & ex capite adoptiuæ ad negationem coniunctionis substantialis ad ipsum: si autem in persona Deo substantialiter coniuncta inueniatur, fundabit relationem filiationis, cui competat filiationis conceptus, quia consequitur ad similitudinem in natura cum Deo, & conceptus proprietatis ex capite cōiunctionis substantialis humanitatis cum ipso: ac proinde gratia habitualis ex se poterit vtramque filiationem fundare, nēpé, adoptiuam, & propriam: primam, sibi, & suæ naturæ relicta: secundā, ratione cōiunctionis immediatæ humanitatis, & mediatæ ipsius gratiæ cum aliqua ex diuinis personis.

86 *Quinto prob. conclusio.*

Quinto probatur conclusio: nam sequitur ex contraria sentētia, Christū, vt hominem, esse Filium proprium solius Diuini Verbi; consequens est in se falsum, & ex dicendis constabit, & à cōtrario Auctore negatur: ergo etiam sententia est falsa. Probatur sequela: ratio proprietatis Filij, vt ab isto Auctore explicatur, consistit in coniunctione cum Patre; sed hæc coniunctio physica, iuxte prædicti Auctoris principia non conuenit humanitati, nisi tantum cum secunda persona: ergo Christus, vt homo, solum secundæ personæ est Filius proprius. Probo minorē ex doctrina istius Auctoris, qui *Disp. alleg. num.* 110. sententiam asserentem, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem totius Trinitatis, quia procedit à principio cōiuncto in similitudinē naturæ, impugnat, ex eo quod Christus, vt homo, non est physicé toti Trinitati cōiunctus, sed soli personæ Verbi, cum qua humanitas Christi vnam cōstituit personam: ergo iuxta illius principia, Christus, vt homo, non est toti Trinitati coniunctus; & consequenter si in hac coniunctione proprietas filiationis consistit, non est Filius proprius Patris, sed tantum secundæ personæ.

87 *Vltimo prob.*

Denique probatur conclusio: nam sequitur ex cōtraria sententia, Christū, vt hominem, esse Filiū Trinitatis; consequens est falsum: ergo contraria sententia vera esse non potest. Sequela patet: nam filiatio super aliquam actionem fundata respicit pro termino principiū actionis fundantis, vt omnibus est exploratum; sed filiatio Christo, vt homini, reduplicata humanitate conueniens, fundatur supra actionem toti Trinitati communem, nempé, supra actionem producētem humanitatem, & actionem, qua humanitas Verbo vnitur, quarum vtraque à tota Trinitate procedit; cum operationes ad extra indiuisæ sint, & tribus personis communes: ergo si Christus, vt homo, reduplicata humanitate, est Filius, erit Filius totius Trininitatis. Falsitas autem consequentis probatur ex Augustino *in Enchiridione cap. 38. & lib. 2 de Trinitate cap. 10.* vbi probat, vocem illam: *Tu es Filius meus dilectus*, etsi à tota Trinitate sit formata, solam Patris denotare personam, & rationē reddit: *Necenim Iesus, etiam Spiritus Sancti Filius, aut etiā suus Filius credi, aut intelligi potest.* Ex quo Concilium Toletanum 11. in confessione fidei cap. 10. diffinitionē sumpsit, & verba sic dicens: *Nam Christus Iesus nullo modo Spiritus Sancti Filius credi, aut intelligi potest.* Et addit, *ne duos Patres Filij videamur concedere, quod nefas est dictu.* Id ipsum expressé docet Angelicus Doctor 4. *Contra Gentes cap. 47. & infra q. 32. art. 3.* ergo asserere Christum, vt hominem, esse Filiū Trinitatis, Concilio Toletano, Augustino, & Angelico Præceptori aduersatur. S. Aug.

88 *Prima solutio Patris Vazquez.*

Hoc argumentū, non solā tertiā sententiā impugnat, sed etiā contra primā, & secundā procedit, & variē a contrarijs Auctoribus soluitur: Vazquez *loco vbi supra cap. 14. n. 83.* explicat de Christo ratione filiationis æternæ, secundū quā nullo modo credi, aut intelligi potest Filius, nisi tantū Patris. Suarez *sect. 2. vers. Qua propter addo*, respondet, ideo negari, Christū, in quantū hominē, esse Filiū sui, aut Spiritus Sancti, nō quia in re non ita sit, sed quia nō est proferēdū absolutè, quia in huiusmodi absoluta locutione denotatur, Christū esse personā distinctam à Verbo, & esse Spiritus Sancti Filium secundum diuinitatem. *Secunda Suarij.*

*Tertia aliorum.*

Tertio alij respondent; Christum, in quantum hominē, negari ab Augustino, & Concilio Toletano esse Filiū sui, aut Spiritus Sancti per seminum commixtionem generatum, non vero, quod Filius sit sui, & Spiritus Sācti alio filiationis genere. Tandē, Auctor tertiæ sententiæ respondet, ideò negari Christum, vt hominem, esse Filium Trinitatis, quia non est Filius illius filiatione naturali, quæ sola simpliciter est filiatio; & consequenter sola potest de Christo, vt homine, absolutè enuntiari.

*Quarta solutio.*

89 *Prima solutio reijcitur primo.*

Sed nulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit: & contra primā facit primo: nam de eo quod Christo, vt homini, conuenit, falsum est nullo modo posse de Christo affirmari, sicut quia Christo, vt homini, cōuenit, quod sit creatura, falsum est rationem creaturæ, nullo modo posse prædicari de Christo, quāuis illi repugnet, quatenus Deo; sed Augustinus, & Concilium Toletanum asserunt, Christum nullo modo posse credi, vel intelligi Filium sui, vel Spiritus Sancti: ergo Christo, quatenus homini, nō cōuenit esse Filium sui, vel Spiritus Sancti. Secundo: nam si hæc explicatio sufficeret, etiam cum Concilium Francofordiense diffinit, Christū nullo modo esse Filium adoptiuum, posset eadem interpretatione explicari, nimirum, loqui de Christo, quatenus Deo, & ratione filiationis æternæ; at hoc nō admittit Vazquez; cum doceat esse de fide certum ex allegato Concilio, Christum etiam, quatenus hominem, Filium adoptiuum non esse: ergo nec potest prædicta explicatio admitti.

*Secundo.*

90 *Secunda solutio impugnatur primo*

Deinde secunda solutio reijcitur; quod enim potest de Christo, cum reduplicatione humanitatis veré affirmari, falsum est nullo modo posse enuntiari de Christo; sed Concilium, & Augustinus docent, Christum nullo modo posse credi, vel intelligi Filium sui, vel Spiritus Sancti: ergo non solum excludūt absolutam loquutionē, sed etiam cum addito, & reduplicatione humanitatis assumptæ. Secundo: nam si hæc explicatio admittatur, etiam cum Concilia, & Patres docent, Christum non esse Filium adoptiuum Dei, poterunt eadē interpretatione explicari, nimirum, tātum excludere adoptionem, vt absolutē enuntiatam: non autem in re ipsa Christo, vt homini, conuenientem, & de ipso prædicabilem cum addito, *in quantum homo*; sed hoc non admittit Suarez, cum doceat, esse ad minus improbabile, & temerarium, adoptionē Christo attribuere propter auctoritatem Cōciliorum, & Patrum, Christo adoptionem negantium: ergo nec illius explicatio potest, vt sufficiens admitti.

*Secundo.*

91 *Tertia solutio refellitur.*

Et ex his tertia solutio refellitur: si namque Concilium, & Augustinus solum relegassent à Christo filiationē Trinitatis ex seminum commixtione, non esset necessarium, vocem illam à tota Trinitate formatam: *Hic est Filius meus dilectus*, sic accipere, vt denotet solius Patris personam; cum posset verū, & catholicum sensum habere denotando Trinitatem; sed Augustinus prædictam acceptionem necessariam iudicauit illis verbis: *Ibi enim cogimur, non nisi Patris personam accipere, vbi dictum est, hic est Filius meus dilectus; nec enim etiam Spiritus Sancti Filius, aut etiam Iuus Filius credi, vel intelligi potest*: ergo censuit Augustinus, Christum, vt hominem, nullo genere filiationis posse Filium Trinitatis dici.

92 *Contra quartam solutionē facit 1.*

Tandem vltima solutio reijcitur primo ad hominem; Auctor enim vltimæ solutionis, adductis testimonijs impugnat sententiam docentem, Christū, quatenus hominem, *reduplicatiuè* esse Filium naturalem Dei, quia nempē, ex hoc sequeretur, esse Filium naturalem Trinitatis, quod censet ab Augustino, à Concilio Toletano, & à D. Thom. negatum; at si illius solutio subsisteret, nulla efficacia hæc impugnatio gauderet: ergo cum traditis ab ipso cohærere nō potest. Probo minorem: nam ideò hic Auctor existimat, filiationem propriā non excludi à Christo, vt homine, etsi ab Augustino asseratur, nullo modo esse Spiritus Sancti Filium, quia hæc filiatio est filiatio *secundum quid*, & negatio solum excludit filiationem talem *simpliciter*; at etiam iuxta Auctores asserētes, Christum, vt hominem, esse Filium naturalem Dei, filiatio ista naturalis, non est filiatio *simpliciter*, sed tantum *secundū quid*: ergo poterunt non minus, quam

ipse

ipse asserere, non excludi à Christo, vt homine, quamuis filiatio cum particula *nullo modo* remoueatur ab ipso.

93 Secundo

Secundo reijcitur: nam filiatio ista propria in Christo, vt homine, à cõtrario Auctore adstruitur propter testimonia Scripturæ, & conciliorum, in quibus Christus dicitur filius Dei secundũ humanitatem; sed Scriptura, & Patres absoluté loquuntur, cum docent, Christũ esse filium Dei: ergo est talis conditionis huiusce modi filiatio, quod absolute enuntietur de Christo quatenus homine; & consequenter talis conditionis erit, vt falso ab Augustino asseratur, Christum nullo modo posse credi, vel intelligi filium Spiritus Sancti. Et augetur ad hominem difficultas: nam hic Auctor § 6 *num.* 109. ex eo contrarios Auctores asserentes, Christum, vt hominem, esse filium Dei naturalem filiatione non *absolutè*, & *simpliciter*, sed *secundum quid*, & *analogicè* tali impugnat; quia incredibile videtur Adrianum Pontificẽ, & Concilium Francofordiense in eo laborasse, vt decerneret, aut ex professo docerent, Christum, vt hominem, *reduplicatiuè* esse filium naturalem *impropriè*, & *analogicè*, aut secundum imperfectam similitudinem; at non minus incredibile debet censeri, suum laborem impendisse in adstruenda, & diffinienda filiatione ista propria, quæ secundum quid est filiatio, & talis conditionis, vt non veniat sub nomine filiationis absoluté, & ideo non remoueatur à Christo; cũ filiatio absoluté de ipso negatur: ergo vel debet fateri inefficaciter contra illos Auctores arguere, vel filiationem propriam, quam ipse recognoscit in Christo, eodem argumento impugnari.

Cõfirmatur.

94 Tertio.

Deniq; reijcitur: nam istæ duæ propositiones: *Christus nullo modo est filius Spiritus Sancti*: *Christus aliquomodo est filius Spiritus Sancti*, pugnant contradictorié inter se: ac proinde esse nequeunt simul veræ; at si Christus, quatenus homo, esset filius proprius Spiritus Sancti, hæc esset vera. *Christus aliquomodo est filius Spiritus Sancti*: ergo si est filius proprius Spiritus Sancti, propositio negatiua ab Augustino, & Concilio Toletano asserta esset falsa. Probo minorem: nam hæc consequentia est bona: *Esse filium proprium Spiritus Sancti, est esse aliquomodo Spiritus Sancti filium*; *sed Christus quatenus homo est filius proprius Spiritus Sancti*: *ergo Christus aliquomodo est Spiritus Sancti filius*; at præmissæ veræ sunt, maior ex terminis nota, & minor à contrario Auctore affirmata: ergo & consequens est verum: ac proinde sequitur ex contraria sententia contradictoriam propositionis Augustini, & Concilij Toletani esse veram.

Cõfirmatur.

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum. nam homo habens solũ dentes albos, non potest dici quod sit simpliciter albus, sed solum secundum quid, & tamen falso de tali homine dicetur, quod nullo modo sit albus: ergo si Christus est filius Spiritus Sancti, et si solum secundum quid, falso dicetur de ipso, nullo modo esse, credi, vel intelligi posse, quod sit filius Spiritus Sancti.

## §. VI.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

95 Arguitur primo.

CONTRA istam conclusionem arguitur primo: Christus, vt homo, in sacris litteris, & Concilijs appellatur filius proprius Dei; sed ita vocatur, vt homo, non solum *specificatiuè*, sed etiam *reduplicatiuè*: ergo Christus, vt homo, *reduplicatiuè* est filius proprius Dei. Maior constat ex cap 21. Matthæi: *Verebuntur forte filium meum*. Ioannis 17. *Pater clarifica filium tuum*. Matthæi 3. *Hic est filius meus dilectus*. Romanorum 8. *Qui proprio filio suo non pepercit*; & alibi passim. Constat etiam ex Adriano in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, ibi: *Illum, nimirum, qui traditus est, id est, hominem ipsum Apostolus proprium Dei filium protestatur*. Et ibi. *Quia nihil vobis restat vt secundum diuinitatem tantummodo credatis, dixisse patrem, hic est filius meus, sed potius secundum humanitatem super quem Spiritus Sanctus dicitur, descendisse*. Idipsum sæpé repetunt Adrianus,

Matth. cap. 21. Ioannis cap 17. Mat. 3. Rom. 8. Adrian.

nus, & Concilium Francofordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & in libro Sacrosyllabo: ergo Christus, vt homo, est filius Dei, cumque naturalis non sit, erit filius proprius filiatione à naturali distincta.

*Minor probatur* Minor etiam ex eisdem testimonijs colligitur, in quibus Christus dicitur filius Dei secundum humanitatem, super quam Spiritus Sanctus descendit; sed esse secundum humanitatem filium, si presè, & rigorosè accipiatur, vt debet, significat esse filium proprium Dei *reduplicatiuè*, vt hominem: ergo Christus, vt homo, reduplicata humanitate, est proprius filius Dei.

96 *Cõfirmatur 1.* Quod amplius confirmatur primo: nam sub ea ratione dicitur filiꝰ, sub qua illi non pepercit Deus, vt constat ex illis verbis, *qui proprio filio suo non pepercit*; sed non illi non pepercit, vt Deo, nec illum, vt Deum tradidit morti, & passioni, sed *reduplicatiuè*, vt homini, non pepercit, mortique, & passioni tradidit: ergo est filius non solum vt Deus, sed etiã *reduplicatiuè*, vt homo.

97 *Cõfirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo ex illis verbis Pauli ad Hebræos 1. *Loquens Deus olim patribus in prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorũ, per quẽ fecit, & sæcula.* Quæ verba esse accipienda de Christo, vt homine, ly *vt* reduplicante humanitatem, constat primo: nã dicitur filius sub ea ratione, sub qua in illo loquutus est Deus: Deus autem loquutus est in tempore in Christo quatenus homine: ergo vt homo, & non solum vt Deus, dicitur filius. Secundo ex illis verbis: *Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula*: ergo sub ea ratione Christus asseritur filiꝰ, sub qua est constitutus hæres vniuersorum; at non est constitutus vniuersorum hæres, vt Deus; constitutio namque denotat decretum liberum; Verbum autem, vt Deus, non est hæres Dei ex voluntate libera constitutus, sed solum est constitutus, vt homo, hæres vniuersorum: ergo, vt homo, dicitur filius.

98 *Respondetur.* Respondeo, hoc argumentum non magis filiationem propriam à naturali distinctam, quam naturalem suadere, imo hanc solam suadet, si aliquid ex ipso efficaciter colligitur, cæterum nec vna, nec altera infertur in Christo quatenus homine, ly *in quantum* reduplicante, vel specificante humanitatem in recto; vt enim sæpé vidimus ex D. Thom. filiatio non conuenit media natura supposito, sed immediate ad illud comparatur. Vnde in forma, concessa maiori, nego minorẽ: vel claritatis gratia distinguo: vt homo, ly *vt* determinante naturam humanam, nego minorem: ly *vt* determinante suppositum, concedo minorem, & distinguo consequens: Christus, vt homo, ly *vt* reduplicante, vel specificante naturam, nego consequentiã: determinante suppositum Verbi in humanitate subsistens, concedo consequẽtiam.

99 *Adprobationẽ minoris.* Ad minoris probationem, distinguo, vel explico maiorem: secundum humanitatem in abstracto, nego maiorem: secundum humanitatem in concreto, subdistinguo maiorem: ly *secundum* determinante suppositum talis concreti, concedo maiorem: determinante naturam, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum enim *homo* in concreto, & suppositum, & naturam importet, ly *secundum* supra hoc concretum cadens, potest determinare naturam, & potest determinare suppositum: ac proinde ex eo, quod Christus, in quantum homo, filius naturalis Dei, vel proprius dicatur, non sequitur, filiationem illi ratione humanitatis competere.

100 Quod autem ly *secundum humanitatem*, prout asseritur ab Adriano, non cadat supra humanitatem in abstracto, sed supra concretum *homo*, constat euidenter ex verbis ab ipso relatis. ait enim, *secundum humanitatem, super quem Spiritus Sanctus dicitur, descendisse*; at si ly *secundũ humanitatem* caderet supra humanitatẽ in abstracto, & non in concreto, non deberet dicere *super quem masculinè*, sed *super quam* in genere fœmenino, calebat enim optimè latinitatis regulas Adrianus: ergo ly *secundum* non cadit supra humanitatem in abstracto, sed in concreto; ita vt sensus Adriani sit: *Secundum hominem super quem Spiritus Sanctus dicitur descendisse.*

101 Ad primam confirmationem, nego

maio-

*Ad primã confirmationẽ.*

maiorem, nec colligitur ex verbis Apostoli: nam ly *parcere*, vel *non parcere*, non est terminus appellatiuus, nec reduplicatiuus: ergo ex eo quod dicat Apostol⁹ Deum proprio filio non pepercisse, sed pro nobis tradidisse; non sequitur, fuisse traditum *reduplicatiuè*, vt filium, sed quod tradiderit illum, qui vere erat filius, etsi sub alia ratione ab ea, qua traditus fuit ad mortem. Quam doctrinam velit nolit, tenetur contrarius Auctor admittere: nam, vt ipse fatetur, forma à qua Christus, vt homo, filius proprius constituitur, non est humanitas, sed illius ad Verbum coniunctio: hæc autem non fuit forma, vel ratio formalis ob quam fuit ad mortem traditus; sed humanitas, vt ratio formalis Christum constituit passibilem: ergo non est filius proprius Dei sub eadem ratione, sub qua fuit traditus Christus ad mortem. Id ipsum fateri tenentur, qui Christum vt hominem filium Dei naturalem cõstituunt filiatione fundata in sanctificatione humanitatis à Verbo; fuit enim vt homo traditus, ly *vt* reduplicante humanitatem, vt formam passibilitatis: non est autem filius ratione humanitatis, vt formæ, sed ratione deitatis, vt illã sanctificantis: omnes ergo tenentur, explicationem nostram amplecti.

**102** *Ad secũdã confirmationẽ.*

Et ex his ad secundam confirmationem, nego antecedens, quod nempe, loquatur Paulus de Christo, quatenus homine, humanitate reduplicata. Ad primam probationem, nego antecedẽs ob rationem nuper traditam, quia nẽpe, Verbum *loqui* non reduplicat proprium conceptum, seu formale significatum termini super quem fertur: ac proinde ex eo quod Deus dicatur, loquutus in filio: non sequitur, loquutũ in filio *reduplicatiuè*, vt filio, sed *specificatiuè*, vt filio, & *reduplicatiuè*, vt homine. Ad secundam probationem, nego maiorem. Nam vis relatiui, non est reduplicatiua, sed tantum specificatiua; vnde ex eo quod referat filium: non sequitur, ipsum referre *reduplicatiuè* vt filium: ac proinde ex eo quod dicatur constitutus hæres, non colligitur *reduplicatiuè*, vt filium, esse hæredem constitutum, sed *specificatiuè*, vt filium, & vt hominem *reduplicatiuè*.

**103** *Instabis.*

Sed dices: sub ea ratione tribuit Adrianus Christo, vt homini, filiationem naturalem, vel propriam, sub qua ab illo filiationem adoptiuam excludit; sed excludit adoptiuam non solum à Christo, vt homine, ly *vt* determinante suppositum, sed etiam à Christo, vt homine, ly *vt* determinante naturam: ergo tribuit Christo vt homini filiationem propriam, ly *vt* determinante naturam. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: excludit namq; adoptionem à Christo, quia filius est naturalis, vel proprius, cum quo non stat, quod sit filius adoptiuus; sed filiatio propria, vel naturalis, non excludit adoptionem à Christo, nisi sub ea ratione sub qua de Christo affirmatur: nam sub diuersis rationibus vtraque affirmari potest: ergo tribuit Adrianus filiationem propriam, vel naturalem Christo sub ea ratione sub qua ab illo remouet adoptiuam.

**104** *Respondetur 1.*

Respondeo primo, negando maiorem. Vt enim *dispp. antecedenti* docuim⁹, filiatio naturalis, etsi solum materialiter Christo, vt homini conueniret, sufficienter adoptiuam excluderet; eo quod materialiter solum conueniens præbet ius ab intrinseco ad diuinam hæreditatem, cum quo adoptio non componitur. Respondeo secundo, concessa maiori, distinguendo minorem: excludit adoptiuam filiationem à Christo, vt homine, ly *vt* determinante naturam, quia cum tali determinatione non est in Christo ad adoptionem capacitas, cõcedo minorem: supposita capacitate filiationis cum illa determinatione, nego minorem, & consequentiam. Adrianus namque supponebat, filiationis essentiam, quæ non est apta conuenire naturæ, sed tantum suppositi: ac proinde concessa Christo, vt homini, filiatione naturali, ly *vt* determinante suppositũ, excluditur ab illo filiatio adoptiua ex parte suppositi, quia filius naturalis est, & ex parte naturæ, quia filiatio siue naturalis, siue adoptiua apta non est naturã denominare, vel naturæ conuenire, aut personæ ratione illius.

*Respondetur 2.*

**105** *Secundo arguitur.*

Secundo arguitur ex Hugone de sancto Victore tom 3. in Apologia de Verbo incarnato cap. seu quæst. 2. illis verbis: *Filius tribus modis dicitur, adoptione,*

*ne, vt nos per ſidem, ſcilicet, viuam, ſuſceptione, vt mediator, ſcilicet, homo aſsumptus natura, vt Verbum, quod eadem natura eſt cum patre, non perſona, & eadem perſona cum mediatore, non ſubſtantia.* Ergo præter filiationem naturalem, & adoptiuam alia eſt admittenda filiatio, quæ media inter vtramque ſit: ac proinde filiatio propria, quæ nec naturalis, nec adoptiua eſt, admitti debet in Chriſto quatenus homine.

106 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando conſequentiam: Hugo namque non diſtinguit triplicem filiationem, ſed duplicem, nempe adoptiuam, & naturalem, huiuſque duos conueniendi modos, ſcilicet, per æternam generationem qualiter conuenit Verbo prout in diuinitate ſubſiſtit, & per ſuſceptionem humanitatis, & illius vnionem ad Verbum. Qua ratione conuenit Chriſto, vt ſubſiſtit in humanitate. Et quidem ſi propter verba allegata licuit Auctori contrario profua sententia Hugonem connumerare, poſſet etiam omnes Theologos in ſuum patrocinium adducere; cum omnes fateantur Chriſtum vt hominem eſſe filium Dei per gratiam vnionis.

107 *Hug.* Quod autem Hugo non diſtinxerit tres filiationes, nec quod Chriſto aliã, quam naturalem adſcripſerit, manifeſte ipſum legenti conſtabit; ait enim: *Nã ex quo homo eſse cœpit, non aliud eſse cœpit, quam filius, & hic vnicus.* Loquitur ergo de filiatione, qua Chriſtus eſt vnicus Dei filius: filiatio autem propria, quam contrarius Auctor in Chriſto, vt homine ſtatuit, non facit Chriſtum vnicum filium Dei, ſed filium filiatione nobis communi. Non ergo loquitur Hugo de huiuſcemodi filiatione, ſed de naturali, & æterna ſuſceptione, vel vnione humanitati communicata, & ratione huiꝰ communicationis ait, Chriſtum, vt hominem, eſſe filium ſuſceptione, non quia ſuſceptio ſit fundamentum nouæ filiationis ad Deum, ſed tantum conditio, applicatio, vel vnio filiationis ad humanitatem, ex qua factum eſt, quod filiatio, quæ ab æterno dicebatur de diuino Verbo in ſe ipſo, in tempore enuntiaretur de Chriſto quatenus homine. Et in eodem ſenſu explicandus venit Albertus *loco vbi ſupra*, quem Auctores ſecundæ ſententiæ in ſui vocant patrocinium.

108 *Tertio arguitur.* Tertio arguitur; Chriſtus *reduplicatiuè*, vt homo, eſt filius Dei filiatione nobis communi, & eiuſdem rationis cum illa, qua omnes creaturæ rationales filiæ Dei ſpecialiter præ alijs creaturis dicuntur, & aliàs humanitas eſt diuino Verbo coniuncta: ergo vt homo *reduplicatiuè* eſt filius proprius Dei. Conſequentia patet: nam filiatio hæc propria à contrario Auctore conſtituitur in filiatione fundata ſupra humanitatẽ, quatenus à Deo creatam, & phyſicé Deo propriam, id eſt, phyſicé coniunctam. Minor eſt certa, & maior probatur: nam Chriſtus quatenus homo habet patrem, Deum ea ratione, qua Deꝰ, pater dicitur rationalium creaturarum; ſed pater relatiué dicitur ad filium: ergo Chriſtus, quatenus homo, eſt filius Dei, filiatione omni creaturæ rationali communi.

109 *Maior probatur auctoritate Hilarij* Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur ex Hylario libro 11. de Trinitate, vbi Chriſti diuinitatem contra hæreticos propugnans, illis obijcientibus verba illa Chriſti Domini: *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrũ, Deũ meum, & Deum veſtrum*: ex quibus colligebant, Deum eſſe patrem Chriſti, non natiuitate in eadem patris natura, ſed creatione, ſicut aliarum creaturarum eſt pater: ac proinde Chriſtum non eſſe eiuſdem naturæ cum patre, nec Deum, ſed puram creaturam: reſpondet Hilarius, Deum quidem eſſe patrem Chriſti, qua homo eſt, eadem ratione, qua eſt pater creaturarum rationabilium, nempé, creatione; ex quo non colligitur Chriſti, qua ratione eſt Deus, non eſſe patrem natiuitate, & origine: ac proinde non infertur, Chriſtum non eſſe eiuſdem naturæ cum patre: nam humanitas, quam aſſumpſit, non deſtruxit illius diuinitatem. Verba Hylarij ſunt hæc: *Hylariꝰ* *Pater igitur ſibi ita vt hominibus pater eſt, & Deus ſibi, ita vt ſeruis Deus eſt. Et cum hæc omnia ad homines ſeruus homo in ſerui forma Ieſus Chriſtus loquatur, non ambigitur, quin pater ſibi, vt cæteris ſit ex ea parte, qua homo eſt, & Deus ſibi, vt cunctis ſit ex ea natura, qua ſeruus eſt.* Et poſt pauca: *Secũdum id ergo eſt in multis fratribꝰ primogenitus,*

*nitus, secundum quod est primogenitus ex mortuis. Et cum Sacramentum mortis in corpore sit, Sacramentum quoque fraternitatis in carne est, fratres itaque ex carne sunt Deo, quia & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Cæterum vnigenitus Deus in vnigeniti exceptione sine fratribus est: ipse autem vniuersitatis nostræ in se continens ex carnis assumptione naturam, erat quod nos sumus, neque amisserat esse, quod manserat, habens ex natiuitate, tunc patrem tantum ex constitutione, nunc Deum, quia ex patre Deo omnia. Omnibus enim Deus, pater est, cum ab eo, & in eo omnia sunt. Sed vnigenito Deo, quia Verbum caro factum est, non hinc tantum pater est. Pater enim est ad id, quod in principio apud Deum erat Deus Verbum. Sed cum Verbum caro factum est, manet, & in Verbi Dei natiuitate, & in carnis constitutione, quod pater est. Pater enim omnis carnis est Deus, sed non secundum quod Verbo Deo pater est. Verbum autem Deus, neque Verbum esse desijt, neque caro non fuit.* Hæc Hylarius *libro* 11. *de Trinitate folio* 67. *columna* 3 & 4. Ex quibus aperte constat, Deum duplici ratione esse patrem Christi hominis, natiuitate, nempe, Christi, vt Deus est, & constitutione, aut creatione Christi, qua ratione est homo, & istam paternitatem esse Christo cum cæteris creaturis rationalibus communem. ergo etiam duplex filiatio est in Christo constituenda, vna æterna in natiuitate fundata, alia temporalis fundata supra creationem.

**110** *Hoc argumẽtum non probat filiationẽ propriã in Christo*

Respondeo, hoc argumentum si quid probat, ad summum conuincere, Christum, vt hominem, esse Filiũ Dei creatione, non autem filiationem propriã, quæ Christo peculiaris est. Quod patet: nam Hylarius loquitur de paternitate Christo, & alijs rationalibus creaturis communi; sed ex paternitate communi, non colligitur propria, & peculiaris, sed tantum communis filiatio: ergo ex Hylarij auctoritate non infertur in Christo, quatenus homine, peculiaris filiatio, sed tantum, quæ generalis sit ad Christum quatenus hominem, & ad cæteras rationales creaturas. Probat etiam filiationem adoptiuam in Christo, quod patet: nã docet Hylarius, Deum Christo, vt homini, esse patrem, sicut nobis; at nobis in gratia existenti bus Deus est pater adoptiuus: ergo si verba Hylarij cum omni rigore accipiãtur, colligitur ex illis, Deum esse patrẽ adoptiuum Christi, qua ratione est homo; ac per consequens Christum, vt hominem esse filium Dei adoptiuum.

*Probatetiã filiationẽ adoptiuã in Christo*

Deinde respondeo primo, Hylariũ sumere *patrem* pro auctore & causa, cui correspondet effectus: non autem pro patre, cui in termino correspondet relatio filij à relatione effectus distincta, & quæ non naturam, sed personam immediate denominat. sic autem sumpta paternitate, vera sunt omnia, quæ docet Hylarius, nempe, Deum esse patrẽ, Christo, vt homini, sicut cæteris creaturis; Christo autem, vt Deo esse patrem, id est Auctorem peculiari ratione, scilicet natiuitate, esse patrem Christi natiuitate, & constitutione; ex hoc tamen nõ colligitur, Christum, vt hominem, esse filium Dei, loquendo de filiatione, à relatione effectus distincta, quæ sit ipsi cũ cæteris creaturis rationalibus communis. Quod autẽ sic sumat Hylarius *patrẽ*, constat ex ipso pagina 434. illis verbis: *Quod autem non disposit in genere, det quidem auctori causam natiuitatis suæ, naturam tamen ex seno n amisit Auctoris, quia natiuitas Dei neque aliunde, neque aliud est, quæ si aliunde esset, non natiuitas esset. si vero aliud est, non Deus est, cum autem ex Deo, Deus est, per id Deus pater, Deo filio, & natiuitatis eius Deus est, & naturæ pater, quia Dei natiuitas, & ex Deo est, & in ea generis natura, qua Deus est.* Vbi vt clare constat pro eodem sumit Hylarius *patrem*, & *Auctorem*, vel *causam*.

**111** *Ad illud respondetur primo*

**67**

Respondeo secundo, Hylarium verba allegata non ex propria mente protulisse, sed quasi per modum *transeat*, vt hæreticorum occurreret argumento, quasi ita responderet, etiam si Deus, pater Christi sit, eodem modo, quo alijs rationalibus creaturis: non sequitur esse patrem Christi solum per constitutionem, & non per natiuitatem: nam cum Christus, & Deus, & homo sit, quamuis Christo, vt homini, Deus sit pater creatione: nõ sequitur Christo, vt Deo, non esse patrem natiuitate, & generatione; ac proinde non colligitur, Christum non esse eiusdem cum patre naturæ.

**112** *Secundo respondetur.*

113 *Tertio respondetur*

Vel tertio responderi potest, loqui Hylarium de paternitate Dei supra generationem æternam fundata constitutione, aut creatione humanitatis, & illius vnione ad Verbum, non vt fundamento, sed vt conditione ingrediente, vt filiatio ad Deum patrem, quæ de Verbo vt Deus est, ab æterno dicebatur, de Christo quatenus homine in tempore prædicetur, & hæc paternitas Dei ad Christum, & filiatio Christi ad Deum dicuntur ab Hylario, Christo cum cæteris creaturis rationalibus communes, non communitate vniuoca sed analogica tantum, nec ex parte fundamenti, sed ex parte conditionis, nempe, creationis humanitatis, quæ non fuit huius filiationis fundamentum, sed tantum conditio, vt filiatio ab æterno de diuino Verbo enuntiata, de Christo, vt homine, in tempore diceretur.

114 *Solutio est ex mente D. Hylarij.*

Et quod hæc sit mens Hylarij, videtur constans ex his, quæ docet pag. 237. & ibi: *Deus eius est, non id circo, vt diuersi ab eo genere Deus sit sed quia ex patre Deo natus est, & ex dispensatione seruus est, habeat & patrem Deum, dum ex eo Deus est, & Deum suum Deum ex virgine carnem est, quod breui, atque absoluto sermone Apostolus consignat, dicens, commemorans in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater claritatis det vobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis; vbi enim Iesus Christus est, illi Deus eius est, vbi vero claritas est, ibi pater est, qui itaque Christo secundum claritatem est pater, idem Christo secundum Iesum Deus est.* Vbi claritatis nomine diuinitatem intelligit. Sentit ergo Hylarius, Deum non esse patrem Christi, nisi paternitate in deitatis communicatione per generationem fundata; & consequenter, Christum non esse eius filium filiatione fundata in creatione humanitatis, sed solum filiatione fundata in generatione æterna, cum asserat, *vbi claritas est, Deum illi patrem esse, vbi vero Iesus est*, id est, homo, vel ratione humanitatis *patrem illi esse verum Deum*: quando ergo verbis in contrarium adductis docet, Deum esse Christo patrem constitutione, vel dispensatione humanitatis, non intelligitur de constitutione fundante, sed communicante, vel vniente filiationem Verbi cum humanitate, ex qua factum est, quod Christus, vt homo esset filius naturalis Dei: ac proinde Deus, pater Christi, vt hominis diceretur.

*Quomodo Deus sit Pater naturalis Christi*

Duo tamen contra interpretationem istam obstant Primum est. nam Hylarius probat, Deum esse Christo patrem, qua ratione homo est, quia Deus omnibus pater est, Deum ex Deo, & in eo omnia sunt. ergo loquitur de paternitate respiciente filiationem sequutam ad dependentiam creaturæ rationalis à Deo: & consequenter de filiatione supra creationem naturæ rationalis fundata. Secundum est: nam docet Christum ea ratione habere Deum, patrem nobis communem, qua nos fratres eius sumus: nos autem non esse fratres Christi ea ratione, qua Deus est, sed ea ratione, qua homo est: ergo loquitur de filiatione ipsi conueniente ea parte, qua homo est; & consequenter de filiatione sequuta ad creationem humanitatis.

115 *Instabis primo.*

*Secundo.*

Respondeo ad primam instantiam, Hylarium non assignare pro causa, vel fundamento paternitatis Dei per comparationem ad Christum communem rerum creationem, sed pro causa communi prædictæ paternitatis; vt enim paternitas sit Christo, & creaturis communis, requiritur, quod etiam creaturarum sit pater, & quia huius, quod est esse creaturarum patrem ratio, & fundamentum est dependentia creaturarum à Deo, hinc est, quod huiusmodi dependentia sit causa non paternitatis Dei ad Christum quatenus hominem, sed communitatis paternitatis, & communitatis.

116 *Ad primam instantiam respondetur.*

Ad secundam dicatur, duo ad fraternitatem requiri, nempe, filiationem communem conuenientiamque in natura: quia ergo homines cum Verbo, vt Deo non conueniunt in natura, non sunt illius fratres prout sic, bene tamen Christi, vt hominis, quia cum ipso in humanitate conueniunt: non est autem necessarium, quod filiatio Christo vt homini, conueniat ratione humanitatis, in qua conuenit nobiscum sed sufficit, quod Christus in illa, etsi non ratione illius filius naturalis sit Dei, cuius nos sumus filij adoptiui; vnde cum docet Hylarius, ea ratione habere patrem communem, quia nos sumus fratres Christi, non intelligitur de ea ratione, vt funda-

117 *Ad secundam.*

*Homines sunt fratres Christi, vt homo est, non vero vt Deus est.*

mento

mẽto filiationis Christi ad Deũ, sed tanquã extremo, cuĩ filiatio Verbi est vnita.

118 *Denique arguitur.* Denique arguitur; Christus, vt homo, est filius Dei filiatione fundata in creatione, & dependentia naturæ rationalis à Deo, & aliàs illius humanitas fundans filiationem prædictam, est Dei propria ratione coniunctionis ad Verbum: ergo Christus *reduplicatiuè*, vt homo, est filius proprius Dei. Minor cum consequentia tenet Maior autem ostenditur: homo purus, & Angelus sunt filij Dei filiatione fundata in creatione, quia cũ sint naturæ intellectualis, assimilantur Deo in conceptu naturæ; sed etiã Christus, vt homo, est naturæ intellectualis: ergo est filius Dei filiatione fundata in creatione rationalis naturæ. Secundo, quia vt docet D. Tom. *supra q. 20 art. 1* quæ sunt propria alicuius naturæ, conueniunt omni, cui competit talis natura; sed filiatio ista est propria rationalis naturæ, vt docet D. Thom. *infra quæst. 32. art. 3.* eo quod præ alijs habet imitari Deum in gradu intellectualis, in quo Dei natura consistit, & Christo vere, & proprie competit natura humana: ergo, vt homo, est filius Dei, filiatione fundata in creatione.

*Maior probatur primo.*

*Secundo.*

119 *Tertio.* Tertio: quia namque seruitus consequitur dependentiam creaturæ rationalis à Deo in esse, fieri, & conseruari, & hæc dependentia in humanitate Christi inuenitur, diximus *disp. præcedenti*, Christum, vt hominem, esse verè, & propriè seruum Dei; sed filiatio ista consequitur ad creationem naturæ rationalis à Deo, & humanitas in Christo terminat istã actionem: ergo Christus, vt homo, est filius hoc genere filiationis. Denique: nam Christus, vt homo est factus ad imaginem, & similitudinem Dei: ergo est genitus à Deo, ea ratione, qua cæteri homines; sed ad istum modum generationis consequitur hæc filiatio: ergo reperitur in Christo.

*Quarto.*

120 *Respondetur.* Respondeo, negando maiorem cũ D. Thom. *infra quæst. 32. art 3.* Ad cuius primam probationem distinguo maiorem: Iy *quia* dicente causam adæquatã, nego maiorem: partialem, vel inadæquatam, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam Angeli, & puri homines, non ideo solum sunt filij Dei hoc genere filiationis, quia Deo assimilantur in gradu intellectualitatis: sed insuper, quia nõ sunt filij naturales Dei, quæ filiatio est talis *simpliciter*, & id circo sunt capaces huius generis filiationis, quæ *secundum quid* est filiatio. Christus autem, etiam vt homo, est filius naturalis Dei, & quia de quo prædicatur aliquid secundum perfectã rationem, non potest idem prædicari secundum rationem imperfectam, & analogam, ideo quamuis, vt homo sit naturæ intellectualis, Deoque similis in gradu intellectualitatis, non est filius Dei filiatione sequuta ad creationem rationalis creaturæ, quæ est imperfecta filiatio, & talis *secundum quid*.

*Ad primã probationẽ maioris.*

121 *Ad secundam.* Ad secundam explico, & distinguo maiorem: quæ sunt propria alicuius naturæ absolutè, concedo maiorem: quæ sunt propria respectiuè ad hoc, vel illud suppositum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum enim natura humana sit apta de se ad existendum, non solum in supposito proprio, & creato, sed etiã in increato supposito, quod sit filius naturalis, & cum hac filiatione non componatur filiatio *secundum quid*, qualis est, quæ ad creationem consequitur: fit, quod huiusmodi filiatio non sit propria naturæ rationalis absolutè, sed solum respectiue ad proprium & connaturale suppositum, in quo nihil incompossibile cum hac filiatione inuenitur. ac proinde, quod non debeat, Christo, vt homini conuenire.

122 *Ad tertiã* Et ex his ad tertiam probationem, distinguo maiorem: quia sequitur depẽdentiam illam absolutè, concedo maiorem, quia sequitur respectiuè nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ratio autem cur seruitus sequitur ad dependentiam prædictam absolutè, & generaliter, est; quia pris naturæ cõuenit, quã personæ, & huic competit ratione naturæ, & id circo vbicumque talis natura inuenitur adest ad seruitutem capacitas: secus in filiatione, opposita de causa contingit. Ad vltimam, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguo minorem sub sumptam: in subiecto istius filiationis capaci, concedo minorem: in

*Ad quartam.*

sub-

ſubiecto incapaci, nego minorē: & cōſequentiam: quia in Chriſto non eſt ad illam filiationem capacitas ob rationem ſæpè inculcatam.

## §. VII.

### *Vera ſententia explicatur.*

123 *Quarta concluſio*

QVARTA CONCLVSIO. *Chriſtus, in quantum homo, per gratiam vnionis eſt Filius Dei naturalis formaliter, ly* in quantum *determinante in recto, non naturam, ſed ſuppoſitum, vt in illa ſubſiſtens, non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè.* Prima pars concluſionis oſtenditur primo: nam Chriſtus, in quantum homo, eſt Filius Dei naturalis, vt multoties aſſeritur ab Adriano Primo *in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, ſub nomine propriij Filij; ſed hoc verificari non poteſt in ſenſu materiali, & identico: ergo Chriſtus, in quantum homo, eſt Filius Dei naturalis formaliter. Probatur minor: Chriſtum, in quantum hominem, eſſe Filium naturalem, aliquid addit ad hoc, quòd eſt Chriſtum hominem eſſe Filium naturalem, ſine particula *in quantum*; ſed hæc ſecunda propoſitio petit ad ſui veritatē, Chriſtum hominem eſſe Filium naturalem Dei, ſaltim in ſenſu materiali, & identico: ergo prima ad ſui veritatem deſiderat, eſſe Filium Dei naturalem in aliquo ſenſu formali. Secundo probatur: nā Chriſtus, vt homo, eſt ſubiectum prædeſtinationis ad eſſe Filij naturalis Dei, vt *Diſp. ſequenti* ex D. Thoma oſtendimus; ſed terminus huius prædeſtinationis, eſt eſſe Filium naturalem Dei formaliter, vt ex ibi dicendis conſtabit: ergo Chriſtus, in quantum homo, eſt Filius Dei naturalis formaliter. Patet conſequentia: nam ſubiecto prædeſtinationis debet conuenire prædeſtinationis terminus.

*Prima pars probatur* 1.

*Secundo.*

124 *Tertio.*

Tertio probatur: id conuenit Chriſto, vt homini, per gratiam vnionis formaliter, quod per ſe, & formaliter petitur ab vnione hypoſtatica humanitatis ad Verbum; ſed per ſe, & formaliter petitur ab hac vnione, Verbum, vt eſt Filius naturalis Dei: ergo Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei naturalis formaliter per gratiam vnionis. Minor oſtenditur primo: nam vnio hæc humanitatis per ſe petit illam vnire Verbo Dei, vt ſubſiſtenti in natura diuina per generationē ipſi communicata; ſed Verbum, vt ſic ſubſiſtens, eſt Filius Dei naturalis formaliter: ergo vnio humanitatis ad Verbū per ſe, & formaliter petit Verbum, vt eſt filiꝰ naturalis Dei. Secundo: nam licet vnio non fuerit facta in natura, nec immediatè ad naturam, mediatè tamē ad illam fuit terminata; ſed non ad naturam, vt tribus perſonis communem: ergo ad illam, vt in ſecunda perſona; at natura, vt in ſecunda perſona per generationem habetur: ergo per ſe petitur ab vnione hypoſtatica, quod humanitas vniatur mediatè cum natura diuina, vt Verbo communicata per generationem; & conſequenter per ſe petit vnio hypoſtatica Verbum, vt eſt Filius naturalis Dei.

*Minor probatur primo.*

*Secundo.*

125 *Tertio.*

Tertio: nā Chriſtus eſt perſona compoſita, non ſolum ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, ſed etiam ex Verbo, & humanitate, & ex natura diuina, & humana, vt cum D. uo Thoma oſtendimus *ſupra Diſp. 10. num. 36. & ſeqq.* at non eſt perſona compoſita ex diuina natura, vt omnibus perſonis communi: ergo eſt compoſita ex illa, vt determinata ad Verbum; & conſequenter ex illa, vt per generationem communicata, ſed tota hæc compoſitio per ſe petitur ab vnione hypoſtatica: ergo per ſe ab illa petitur, quod humanitas vniatur Verbo, vt genito, & vt Filio naturali Dei. Denique probatur minor: nam vnio hypoſtatica id petit per ſe, & formaliter, quod per ſe intentum fuit ex vi Incarnationis, vel actionis vnitiuæ humanitatis ad Verbum; ſed ex vi huius actionis, non ſolum fuit per ſe intētum, quod Verbum Dei eſſet homo, ſed etiam quod hic homo eſſet Deus: ergo vnio hypoſtatica, hoc etiam petit per ſe; at non quod eſſet Deus tribus perſonis cōmunis: ergo quod eſſet Deus Deitate prout in Verbo per generationē habita;

*Quarto.*

& consequenter per se petitur ab vnione hypostatica, Verbum prout est Filius naturalis Dei.

126 *Secunda pars conclusionis prob.*

Deinde secunda pars conclusionis probatur: nã denominatio filij non conuenit in recto naturæ, sed personæ, vt sæpé ex D. Thoma monstrauimus: ergo, Christus, in quãtum homo, non est Filius Dei naturalis, ly *in quantum* determinãte naturam in recto, sed ly *in quantum* determinante in recto suppositũ, vt in humanitate subsistens, & in obliquo naturam. Quod autẽ non sit Filius Dei naturalis, vt subsistens in humanitate, ly *vt* sũpto *reduplicatiuè*, suadetur sic primo: nam Christum, vt in humanitate subsistentem esse *reduplicatiuè* Filium Dei naturalem, est, esse Filium Dei naturalem, quia in humanitate subsistit; at quamuis sit Filius naturalis Dei, hoc non habet, quia in humanitate subsistit, sed quia subsistit in Deitate, vt communicata Verbo per æternam generationem: ergo vt subsistens in humanitate, non est Filius Dei naturalis formaliter, ly *vt* sumpto *reduplicatiuè*.

*Tertia pars probatur 1.*

*Secundo.*

Secundo: nam quod Christus, vt subsistens in humanitate sit Filius Dei naturalis, habet ex vi prædestinationis, vt ex dicendis constabit; sed si vt sic subsistens, esset Filius Dei naturalis *reduplicatiuè*, non posset filiationem naturalem ex vi prædestinationis habere, vt ex *ibi* dicendis apparebit: ergo vt subsistens in humanitate non est Filius naturalis Dei, ly *vt* sumpto *reduplicatiuè*.

127 *Vltima pars conclusionis prob. 1.*

Tandem vltima pars conclusionis ostenditur primo: est enim Filius Dei naturalis formaliter, in quantum persona humana; sed non ly, *in quantum* sumpto *reduplicatiuè*: ergo est Filius Dei naturalis formaliter, in quantum in humanitate subsistens, ly *in quantum* sumpto *specificatiuè*.

*Secundo.*

Secundo: nam Christum, vt personam humanam, esse Filium Dei naturalem, ly *vt* sumpto *specificatiuè*, nihil aliud est, quam quod vt persona humana sit capax susceptiuum denominationis filij Dei naturalis formaliter, sicut Petrum, in quãtum capillatum esse crispum in sensu specificatiuo, est, quod secundum capillos sit subiectum capax suscipiendi crispitudinem, vt docet Divus Thomas in simili *quæstione 24. articulo secundo ad tertium*; sed Christus, vt subsistens in humanitate, est subiectum capax denominationis Filij Dei naturalis formaliter, vt ex argumẽtorum solutione constabit: ergo est Filius naturalis Dei in quantum in humanitate subsistens, ly *in quantum* sumpto *specificatiuè*.

## §. VIII.

### *Obiectionibus contra istam conclusionem occurritur.*

128 *Arg. 1. contra 1. part. conclusionis.*

CONTRA primam partem conclusionis arguitur primo: vt enim docet Divus Thomas, *supra q. 16 art. 11. & 12.* Christus, in quantum homo, non est Deus, nec persona diuina; sed in quantum Filius naturalis, est Deus, & persona diuina: ergo in quantum homo, non est Filius naturalis Dei.

*Respond.*

Respondeo, explicando maiorem: ly *in quantum* determinante, & reduplicante naturam, concedo maiorem: ly *in quantum homo* determinante *specificatiuè* suppositum Verbi, vt subsistens in humana natura, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris, & concedo consequentiam: si ly *in quantum* naturam reduplicet, nego autem consequentiam: si ly *in quantum*, non reduplicet naturam, sed determinet *specificatiuè* suppositum. Nam cum hac determinatione esse Deum, & personam diuinam, *ibidem* à Diuo Thoma affirmatur.

129 *Replicabis.*

Sed dices: iuxta D. Thomam ibi, hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est Deus*, magis est neganda, quam concedenda: ergo pariter hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est Filius naturalis Dei*, magis erit neganda, quam concedenda; sed propositio in sensu formali vera, magis est concedenda, quam neganda: ergo Christus, *in*

*quantum homo*, non est Filius Dei naturalis formaliter.

*Respond.* Respondeo cum Caietano *quæstione 24. articulo secundo circa solutionem ad primum*, distinguendo, vel explicando antecedens: si nihil subintelligatur in illa propositione, concedo antecedens: subintellecto hoc addito, scilicet, *per gratiam vnionis*, nego antecedens: & sub eadem distinctione, concedo, & nego consequentiam. Nam subintellecto hoc addito, scilicet, *per gratiam vnionis*, vtraque propositio est vera; eo quod fit iste sensus: Christus, *in quantum homo*, per gratiam vnionis factam humanitati ad esse personale Filij Dei, est Filius Dei naturalis, per quam superadditionē trahitur particula *in quantum* ad determinandum suppositum, vt cui conuenit esse Filium naturalem, & Deum, quæ sine illa, non suppositum, sed naturam reduplicaret, ob rationem ibi ab Angelico Præceptore assignatam.

130 *Instabis.* Sed instabis: Adrianus Primus, & Concilium Francofordiense absolutè concesserunt, Christum, vt hominem, esse Filium proprium Dei; sed iuxta hanc solutionem filiatio naturalis Dei Christo, vt homini, competens ratione suppositi, non potest absolutè de Christo, vt homine, prædicari: ergo loquuntur de alio genere filiationis Christo, vt homini, conueniente ratione humanæ naturæ.

*Respond.* Respondeo, distinguendo maiorē: absolutè per exclusionem additionis explicitæ, concedo maiorem: per exclusionem additionis subintellectæ, & implicitæ, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet Adrianus non expresserit, Christum esse Filium Dei per gratiam vnionis, id subintelligebatur, loquendo de Christo, vt homine.

131 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur: filius naturalis est, qui à Patre procedit per generationem naturalem; sed Christus, vt homo, non procedit à Patre naturali generatione: ergo in quantum homo, Filius Dei naturalis non est. Maior est diffinitio filij naturalis. Minor autem probatur: nam Christus, in quantum homo, fit à Deo per actionem temporalem liberam, & toti Trinitati communem; sed naturalis generatio à Deo, æterna est, & necessaria, soliique Patri conueniens: ergo Christus, vt homo, non procedit à Deo per naturalem generationem.

132 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo, vel explicando maiorem: Filius naturalis, qui talis est naturaliter, concedo maiorem: Filius naturalis vnione, vel assumptione, aut gratiosa communicatione filiationis naturalis, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Nam licet filiatio naturalis petat, quod subiectum, quod Filium naturalem naturaliter cōstituit, à Patre procedat per generationem naturalem; semel tamen iam producta, & in naturali generatione fundata, potest alteri naturæ vniri, & ex tali vnione Filius naturalis consurget, quin à Patre per generationem naturalem procedat. Quæ doctrina est Alberti Magni *in 3. dist. 10. art. 3.* Vbi tres modos filiationis distinguit, scilicet, generatione, adoptione, & vnione ad illum, qui Filius naturalis est naturaliter; & Hugonis de Sancto-Victore *tom. 3. in Apologia de Verbo Incarnato quæst. 2.* ibi: *Filius tribus modis dicitur, adoptione, vt nos per fidem, scilicet, viuam: susceptione, vt mediator, natura vt Verbum, quod eadem natura est cum Patre, non persona, & eadem persona cum mediatore, non eadem substantia, id est, natura.* Quod etiam docuit D. Thomas *q. 24. art. 1. & 2. & infra q. 32. art. 3* vbi ait: Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem filiatione in æterna generatione fundata, & per gratiam vnionis in tempore humanitati vnita.

*Tres filiationis modi explicantur.*

Sed dices: non stat de aliquo subiecto prædicari diffinitum, quin etiam diffinitio veré de tali subiecto affirmetur; sed de Christo, vt homine, non prædicatur veré diffinitio filiationis naturalis: ergo nec naturalis filiatio. Probatur minor: diffinitio filij naturalis est, *viuens procedens à viuente naturali generatione*; sed de Christo, vt homine, nō enūtiatur veré, quod sit viuens procedens à Deo naturali generatione: ergo diffinitio filiationis naturalis, non prædicatur veré de Christo, quatenus homine.

133 *Replicabis.*

Pro-

Probatur minor: nam benè valet: *Christus, vt homo, est viuens procedens à Deo naturali generatione: ergo Christus, vt homo, à Deo per generationem naturalem procedit*; sed hæc propositio est falsa: ergo etiam illa ex qua sequitur.

134 *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Nam eo modo, quo Christo, vt homini, cõuenit esse filium naturalem Dei: ita ipsi conuenit diffinitio naturalis filiationis: sicut autem Christo, vt homini, non conuenit naturaliter esse filium naturalem, sed per gratiam vnionis trahentem humanitatem ad esse personale Filij Dei: ita conuenit ipsi, vt homini, esse viuens procedens à Deo naturali generatione, non naturaliter, sed per gratiam vnionis nectentis humanitatem cum persona Verbi à Deo per generationem naturalem procedente. Ad minoris probationẽ dicatur: quod licet Christus, vt homo, ly *vt* reduplicante naturam, non sit viuens à Deo procedens per naturalem generationem, determinante tamen suppositum Verbi, cui per gratiam humanitas est vnita, est viuens procedens à Deo naturali, & æterna generatione in tempore vnita humanitati; hoc enim nihil aliud est, quam Christum, vt in humanitate subsistentem, esse personam Verbi diuinam à Deo Patre Æternaliter procedentem.

135 Nec consequentia facta in minoris probationem est bona: nam in antecedenti fit sensus, Christus, vt homo, est suppositum Verbi viuens, & à Deo generatione æterna procedens, quod totum verissimum est: in consequenti autem processio non cadit immediatè supra suppositum Verbi de Christo homine enuntiatum, sed supra cõcretum hominis: licet autem Christus, vt homo, sit suppositum à Deo procedens naturali generatione; hoc tamen concretum homo ex humanitate, & subsistentia Verbi resultans, non fit à Deo per generationem naturalem; concretum enim ex duobus extremis resultans nõ fit actione, qua producuntur extrema, sed qua vniuntur inter se: ac proinde quamuis suppositum Christi, vt hominis, producatur naturali generatione, quia non per actionem naturalem vnitur humanitati, sed actione Deo libera non verificatur de concreto hominis Christi, quod à Deo per naturalem generationem procedat.

136 *Instabis.* Sed instabis: hæc propositio: *Christus, vt homo, est viuens procedens à Deo naturali generatione*, solum est vera, ly *vt* determinante suppositum; sed cum hac determinatione, etiam ista propositio est vera: *Christus, vt homo, procedit à Deo naturali generatione*: ergo hæc ex prima colligitur; & consequenter, vel ista debet concedi, vel prima debet negari. Probatur minor: Christum, vt hominem, à Deo procedere naturali generatione, ly *vt* cadente supra suppositum, nihil aliud est, quam suppositum Christi hominis procedere à Deo per naturalem generationem; sed hoc verum est: ergo hæc propositio: *Christus, vt homo, procedit à Deo naturali generatione*, vera est, ly *vt* determinante suppositum.

137 *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad illius probationẽ, distinguo maiorem: suppositum Christi hominis, vt terminantis humanitatem, concedo maiorem: secundum se sumptum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet suppositũ Christi hominis, secundum se sumptum sit à Deo Patre per æternam generationem, prout tamen humanitatem terminans, non est à Deo per æternam generationem, sed per actionem, ipsi vnientem humanitatem; & ideò hæc propositio: *Christus, vt homo est à Deo per naturalem generationem*, vera non est, ly *vt* determinante suppositum, quia facit hunc sensum, suppositum Christi hominis, habet terminare actu humanitatem ex vi generationis æternæ. Nec est eadem ratio de ista propositione: *Verbum, vt subsistens in humanitate, est persona diuina, à Deo Patre procedens per æternam generationem*; nam in hac, processio à Deo per æternam generationem, non cadit immediatè supra suppositum Verbi, vt humanitatem terminans, sed supra personam diuinam enuntiatam de suppositio Verbi, vt terminante humanitatem. Sicut autem

ista consequentia non valet : *Verbum, vt terminans humanitatem, est persona diuina, & æterna. ergo vt sic terminans, est æterna* : quia variatur appellatio : ita hæc consequentia non valet : *Verbum, vt terminans humanitatem, est persona procedens à Deo per æternam generationem : ergo Verbum, vt sic terminans, procedit per æternam generationem* ; quia in prima, processio æterna cadit supra prædicatum : in secunda autem immediatè circa subiectum.

138 *Aliter responderi potest.*

Vel secundo responderi potest argumento secundo, concessa maiori, distinguendo minorem : ly *vt* determinante suppositum Christi hominis, nego minorem : ly *vt* reduplicante naturam, concedo minorem : & sub eadem distinctione, concedo, & nego consequentiam. Ad minoris probationem, distinguo maiorem : Christus, vt homo, ly *vt* reduplicante naturam, & illius vnionem ad Verbum, concedo maiorem : ly *vt* determinante suppositum, nego maiorem : & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris ; sicut namque Christus, vt homo, ly *vt* determinante suppositum, est in tempore Filius naturalis Dei per gratiam vnionis : ita per eandem gratiam est vnigenitus Dei ; & consequenter est genitus à Deo ; nam sicut prima propositio est vera, quia per gratiam vnionis est factum, quod humanitas traheretur ad vnitatem personæ cum Filio naturali Dei ; cum etiam factum sit, quod humanitas trahatur ad vnitatem personalem cum Verbo, vt genito à Deo, etiam secunda propositio erit vera ; eo autem ipso, quod Christus, in quantum homo, sit genitus à Deo, Christus, in quantum homo, procedit à Deo per naturalem generationem.

139 *Displicet ista solutio, et reijcitur.*

Sed non placet ista solutio : nam Christus, in quantum homo, nec procedit à Deo per generationem æternam in tempore, nec procedit ab æterno : ergo, vt homo, non procedit à Deo per æternam generationem. Antecedens quoad primam partem probatur : nam si in tempore procederet, in tempore generaretur ; sed in tempore non generatur ; aliàs generatio diceretur in tempore incipere : ergo non procedit, vt homo, à Deo per generationem æternam in tempore. Deinde : nam si in tempore generaretur, iste homo Christus in tempore inciperet esse Deus ; sed secundum Divum Thomam *supra quæst. 16. articulo septimo in corpore*, non potest dici, quod iste homo incœpit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus : ergo idem quod prius. Pro secunda etiam parte probatur : nam quod ab æterno procedit, ab æterno existit ; sed Christus, vt homo, non existit ab æterno : ergo, vt homo, non procedit ab æterno per æternam generationem. Præterea ; nam si Christus, vt homo, ab æterno à Deo procederet, esset Filius naturalis ab æterno ; sed Christus, vt homo, non est Filius naturalis ab æterno, vt enim docet Divus Thomas *quæst. sequenti articulo primo ad tertium*, in tempore incœpit esse, vt Verbum in humana existens natura, esset Filius Dei : ergo Christus, vt homo, non procedit à Deo per æternam generationem ab æterno.

140 *Tertio arguitur.*

Tertiò arguitur : vt de Christo, in quantum homine, ly *in quantum* determinante suppositum, verificaretur esse Filium Dei naturalem formaliter, petitur, quod hypostasis Verbi sub cõceptu filiationis formaliter vniatur humanitati ; sed hypostasis Verbi non vnitur humanitati formaliter sub conceptu filiationis : ergo Christus, vt homo, nõ est Filius Dei naturalis formaliter. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo : filiatio, vt filiatio, est formaliter relatio ; sed hypostasis Verbi non vnitur humanitati formaliter sub conceptu relationis ; aliàs illam constitueret relatam : ergo non vnitur illi formaliter, vt filiatio. Secundo : hypostasis Verbi, vt filiatio, non solum relationem importat, sed etiam de connotato naturam diuinam, vt per generationem communicatam ; sed humanitati non fuit vnita diuina natura formaliter, nec hypostasis Verbi, quatenus subsistit in illa, sed solum sub conceptu subsistentis absolutè, & supplentis vices subsistentiæ creatæ : ergo non vnitur humanitati formaliter sub conceptu filiationis.

*Minor prob. 1.*

*Secundo.*

141 *Tertio.*

Tertiò : nam sub ea ratione solum

vnitur

vnitur humanitati formaliter, sub qua ab humanitate petitur, vt existat, & sub sistat; sed ab humanitate non petitur sub conceptu filiationis subsistentis in diuina natura, vt referentis Verbum ad Patrem, sed solum sub munere terminanti naturam creatam, & vices subsistentiæ creatæ supplentis: ergo solum sub hoc munere, non autem sub munere filiationis vnitur humanitati formaliter.

*Quarto.* Quarto: nam hypostasis Verbi, non solum est personalitas, & filiatio formaliter, sed etiam est formaliter relatio, qua Verbum refertur ad Patrem relatione Verbi ad dicentem; & tamen non vnitur humanitati formaliter sub munere constituentis Verbum in ratione Verbi: ergo quamuis in hypostasi Verbi diuini, ratio personalitatis, & ratio filiationis formaliter reperiantur, solum vnitur humanitati formaliter sub conceptu, & munere personalitatis, non autem sub conceptu filiationis.

142. *Quinto.* Quinto: si Verbum naturam irrationalem assumeret, non vniretur illi sub ratione filij formaliter; alias vt in illa subsistens, esset formaliter Filius naturalis Dei, quod est falsum; cum prout sic, non esset persona; ac per consequens incapax filiationis naturalis diuinæ: ergo pariter assumens humanitatē, non vnitur illi sub ratione filij formaliter, sed solum *identicè*, & *materialiter*.

*Sexto.* Sexto: si Pater humanitatem assumeret, non vniretur formaliter humanitati assumptæ sub conceptu Patris formaliter; alias, vt homo, esset Pater, quod est falsum; cum vt homo nullum filium generaret: ergo Verbum humanitatem assumens, non vnitur illi sub ratione Filij formaliter.

143. *Denique prob. minor.* Denique: nam cui non vnitur fundamentum filiationis formaliter, nec formaliter vnitur relatio; sed fundamētum hypostasis Verbi sub conceptu relationis non vnitur humanitati formaliter: ergo hypostasis Verbi non vnitur humanitati formaliter sub conceptu relationis. *Minor probatur primo.* Minor ostenditur primo: fundamentum filiationis Verbi Diuini est natura Dei, vt habita per generationē; sed natura diuina sub conceptu naturæ non vnitur humanitati formaliter; est enim prout sic vitalis, & non potest humanitati vniri sub conceptu vitæ formaliter; alias constitueret illam viuentem vita Dei: ergo fundamentum filiationis diuinæ nō vnitur humanitati formaliter.

*Secundo.* Secundo probatur: nam fundamentum proximum filiationis Verbi Diuini, est illius generatio; sed humanitati Christi non vnitur passiua Verbi generatio; alias illam genitam constitueret generatione diuina: ergo proximum fundamentum filiationis Verbi Diuini non vnitur humanitati Christi formaliter.

144. *Respond. Ad primā prob. minoris.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, cōcessa maiori, nego minorē: nec sequitur, quod constituat humanitatem relatā relatione Filij ad Patrem; est enim humanitas incapax huius effectus, vel quasi effectus, sicut nec sequitur, quod filiatio Verbi constituat Deitatem relatam, quamuis illi vniatur formaliter sub conceptu relationis, quia huius effectus, vel quasi effectus Deitas capax non est. *Instabis.* Sed dices: vt vniatur humanitati filiatio sub conceptu filiationis, saltim est necessarium, quod Verbum, vt in humanitate subsistens, constituat relatū ad Patrem, sed hoc non præstat diuina Verbi filiatio: ergo non vnitur humanitati Christi sub conceptu filiationis formaliter. Probatur minor: relatio non minus petit determinatum subiectum, quam determinatum terminum; sed filiatio diuina non potest alium terminum, quam æternum Patrem respicere: ergo nō potest novum, & distinctum subiectum constituere relatum; & consequenter Verbum, vt in humanitate subsistens, per illam nequit referri.

145. *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem dicatur. Verbum, vt in humanitate subsistens, non esse diuersum subiectum secundum id, quod importat in recto à se ipso, vt est in se, sed est ipsum Verbum de nouo communicatum: vnde potest absque variatione subiecti per diuinam filiationem referri, solum per hoc, quod filiatio sub conceptu filiationis de nouo communicetur. Nec se-

quitur in relatione mutatio, sed solum in extremo, cui vnitur; sicut nec ex eo quod subsistentia Verbi, Christum, vt hominem, subsistentem, & personam constituat, sequitur variari subsistentiæ Verbi subiectum pro recto, nec sequitur in illa mutatio, sed solum in extremo, cui vnitur.

146 *Ad 2 probationem minoris.*

Ad secundam probationem minoris, concessa maiori, distinguo minorē: formaliter *immediatè*, concedo minorem: formaliter *mediatè*, nego minorem, & distinguo consequens distinctione minoris. Nam licet vnio humanitatis ad Verbum *immediatè* solum fuerit ad ipsius subsistentiam, vt gerentem vices subsistentiæ creatæ, & constituentis Christum, vt hominem, in ratione humanæ personæ; *mediatè* tamen, etiam fuit terminata formaliter ad diuinam Verbi naturam, vt personæ Verbi propriam; & consequenter ad eandem subsistentiam, vt in diuinitate subsistentē *mediatè* formaliter terminatur.

147 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego maiorem. Non enim ex humanitatis dependentia sumendum est extremum formale vnionis ex parte Verbi, sed ex ipsa vnionis natura: vnio autem hypostatica humanitatis ad Verbum per se ab intrinseco petit, non solum vnire humanitatem cum Verbo, secundum exercitium terminandi naturam creatam *immediatè*, sed etiam illam cum natura, vt in Verbo existente, *mediatè* petit vnire in vnitatem personæ; eo quod per se ab intrinseco petit Christum, vt personam compositam ex subsistentia Verbi, & humanitate, ex Verbo, & humanitate, atque ex diuina, & humana natura, & ad id per se ordinabatur, vt non solum Deus esset homo, sed etiam homo esset Deus.

148 *Ad quartam.*

Ad quartam, concessa maiori, nego minorem: Christus enim vt homo, est Filius naturalis Dei formaliter, quia humanitas ex vi vnionis trahitur ad esse personale secundæ personæ, quod est Filius Dei naturalis formaliter. Cum ergo secunda persona sit, etiam formaliter Verbum, non est cur de Christo, vt homine, non prædicetur formaliter, esse per gratiam vnionis Verbum, & imago Patris, nec in hoc aliquod inconueniens reperio.

149 *Ad 5. solet responderi primo. Prima ratio discriminis.*

Ad quintam responderi solet, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio autem discriminis potest esse triplex. Prima, quia ex natura irrationali, & persona Verbi assumēte, non consurgeret persona: sola autem persona est capax denominationis filij, & ideò Verbum naturam irrationalem assumens, non vniretur illi sub ratione filij formaliter: ex humanitate vero, & Verbo illam assumente, consurgit persona humana; & ideo est in concreto resultante capacitas subiectiua ad denominationem formalem filij naturalis. Secunda, quia subiectum denominabile *filius naturalis formaliter*, debet esse capax operandi honestē, iurisque ad hæreditatem: Verbum autem, vt subsistens in natura irrationali, non est capax operandi honeste, nec iuris ad diuinam hæreditatem; & ideò Verbum vt subsistēs in natura irrationali, etsi *identicè*, & *materialiter* esset Filius naturalis Dei, *formaliter* tamen filius naturalis non esset, cuius oppositum in Verbo, vt subsistente in natura rationali, opposita de causa contingit. Tertia: quia duplex tantum est modus habendi filiationem naturalem *formaliter*, scilicet, aut per naturam, aut per gratiam vnionis: primo modo solum, vt in diuinitate subsistēs, est Verbum capax filiationis naturalis: secūdo autem modo est in Verbo, vt in humanitate subsistente, quia humanitas capax est gratiæ: in Verbo autem, vt subsistente in natura irrationali, capacitas ad essendum filium naturalem Dei per gratiam vnionis non esset; cum natura irrationalis capax gratiæ suscipiendæ non sit.

*Secunda.*

*Tertia.*

150 *Secundo respondet alij.*

Secundo respondetur ab alijs, negando antecedens. Ratio namque cur de Christo, vt homine, ly *vt* determinante suppositum, prædicatur esse Filium naturalem Dei, est, quia humanitas ex vi vnionis trahitur ad esse Verbi in vnitatē personæ, quod est Filius naturalis Dei, & quia Verbum, non solum in humanitate subsistit, sed etiam, vt subsistit in illa, subsistit in tempore in Deitate Verbo communicata per generationem æternam; sed casu, in quo Verbum equi naturam assumeret, & ex vi vnionis trahe-

retur

retur ad esse Verbi in vnitatem suppositi, quod suppositum est Filius naturalis Dei, & vt in equi natura subsistens, etiã subsisteret in diuinitate, vt habita ab ipso Verbo per æternam generationem: ergo in illo casu Verbum, in quantum equus, ly *in quantum* determinate suppositum, esset Filius naturalis Dei formaliter.

151 *Ad 1. im probationem.*

Nec obstat prima ratio in contrarium: nam licet Verbum tunc casus, vt subsistens in natura equi, non esset persona per connotationem naturæ creatæ, esset tamen persona diuina prout in illa subsisteret; & consequenter Filius naturalis Dei ratione personalitatis diuinæ *implicitè* inclusa in subsistentia Verbi, vt terminante naturam equi. *Ad secundam.* Nec secunda: nam licet Verbum, vt subsistens in natura equi, non esset capax operandi operationes honestas creatas, nec iuris ad creatam hæreditatem, operationes tamen increatas haberet, vt subsistens in diuinitate, & ius ad increatam hæreditatem, sicut de Christo homine, vt Filio naturali Dei, docet D. Thom. S. Tho. *supra quæst. 7. art. 1 ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod Christo, in quantum est naturalis Filius Dei, debetur hæreditas æterna, quæ est ipsa beatitudo increata per increatum actum cognitionis, & amoris Dei, eiusdem, scilicet, quo Pater cognoscit, & amat se ipsum, cuius actus anima capax non erat propter differentiam naturæ; vnde oportebat, quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum, quiquidem esse non potest, nisi per gratiam.*

152 Vbi Divus Thomas duplicem hæreditatem assignat debitã Christo, quia Filio naturali Dei, nempé, increatam prout in Deitate subsistit, & creatam, vt anima illius beatificaretur: non autem est Filius naturalis propter debitum secundæ hæreditatis, sed primæ. cum ergo prima Verbo assumenti irrationalem naturam deberetur; fit consequens, quod vt in illa subsistens, esset Filius Dei naturalis. *Ad tertiã* Nec denique tertia ratio conuincit: nam falsum est, esse tantum duplicem illum modum essendi Filium naturalem Dei; restat enim alius, scilicet, per vnionem ad Verbum, quantumvis gratia nõ sit: natura autem irrationalis capax est vnionis ad Verbum, quamuis non gratiosæ vnionis.

Hæc tamen lis breuiter componi potest, notando primo: filiationem Dei naturalem dupliciter prædicari posse de Christo homine: primo absolutè, dicẽdo: *Homo est Filius Dei naturalis.* Secundo cum particula *in quãtum*, nempé, asserendo: *Christus in quantum homo, est Filius Dei naturalis.* Notãdo secũdo ly *in quantũ* determinare posse naturam, vel suppositum, & in primo sensu esse falsã, vt de hac propositione: *Christus, in quantum homo, est Deus*, docuit Divus Thom. *supra q. 16. art. 11.* In secundo autẽ sensu esse veram, vt *ibidem* docuit D. Tho. Notãdo tertio ex D. Thom. *loco proximè allegato*, propositionem istam: *Christus, in quantum homo, est Deus* idemque iudicum est de hac: *Christus in quantum homo est Filius naturalis Dei*, magis esse falsam, quam veram, eo quod particula *in quantum* facit terminum, supra quẽ fertur, magis teneri pro natura, quam pro supposito, quod intelligendum est, nisi in illa aliud expresse, vel implicite subintelligatur: nam si addamus, *per gratiam vnionis*, asserendo: *Christus, in quantum homo, est Filius naturalis Dei per gratiam vnionis*, vera est ista propositio, quia addẽdo *per gratiã vnionis*, fit sensus: *Christus per gratiã vnionis humanitatis ad Verbum, est Filius Dei naturalis*, in quo iam denotatur filiationem conuenire Christo, vt homini, non ratione naturæ, sed ratione suppositi.

153 *Pro resolutione difficultatis nota primo.* *secundo.* *Tertio.*

Denique aduertendum est, propositionem istam: *Homo est Filius Dei naturalis*, solum esse veram per communicationem idiomatum; hanc autẽ: *Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis per gratiam vnionis*, esse veram per communicationẽ idiomatum partim, & partim in sensu formali specificante naturam: primum, attenta filiatione in prædicato importata: secundum, attenta ratione gratiæ, quæ ex parte prædicati importatur: totum hoc vnica ratione probatur: nam iuxta Divum Thomam *supra q. 16. art. 4. & 5.* quæ conueniũt supposito, in quo humanitas subsistit ratione solius diuinæ naturæ, vt esse omnipotentem, immortalem, Deum, &c. solum dicuntur de homine per communicationem idiomatum; sed filiatio

154 *Quarto notandũ est.*

diuina quoad esse, solum conuenit supposito Verbi, in quo subsistit humanitas ratione diuinitatis; quoad rationem tamen gratiæ, quæ importatur in gratia vnionis, non conuenit ratione diuinitatis, sed ratione humanitatis: ergo prædicatio ista: *Homo est Filius Dei naturalis*, solum est vera per communicationem idiomatum: hæc autem: *Christus, in quãtum homo, est Filius Dei naturalis per gratiam vnionis*, partim per communicationem idiomatum, & partim in sensu specificatiuo humanitatis, vera est in sensu formali.

155 *Si Verbũ naturæ equi vniretur, esset Filius Dei naturalis per cõmunicationem idiomatum.*

His positis asserendum existimo, casu in quo Verbum naturæ equi vniretur, fore Filium Dei naturalem per cõmunicationem idiomatum, eo modo, quo homo, Filius Dei naturalis dicitur per hanc communicationem: non tamen posse tunc casus dici, Christum in quãtum equum, Filium Dei naturalem per gratiam vnionis. Primum, ratione facta pro secunda solutione conuincitur, nec ab aliquo potest negari. Secundum patet: nam natura equi non est capax suscipiendi gratiam, sicut nec gratiarum actionis, si verò adderetur, Christus, in quãtum equus, per vnionẽ est filius naturalis Dei, etiam esset verũ in sensu formali specificatiuo naturæ creatæ: nam licet capax gratiæ suscipiẽdæ non sit, est tamen capax vnionis.

156 *Ad sextam prob. minoris.*

Ad sextam minoris probationem, nego antecedens: esset enim in illo casu Pater, vt homo, Pater Æterni Verbi per gratiam vnionis, sicut modo Christus, vt homo, est per gratiam vnionis filius Æterni Patris, & sicut Christus, vt homo, est genitus à Deo Patre per generationem æternam, in tempore humanitati vnitam, sicut statim explicabimus: ita in hypotesi admissa, Pater vt homo, esset generans filium per æternã generationem in tempore vnitam humanitati.

157 *Ad vltimã respõdet Mag. Curiel.*

Ad vltimã probationẽ Curiel *contro. 2. art. 3. circa 3. concl. & solut. ad 2. argum. ex factis pro prima sententia*, respondet, fundamentum filiationis naturalis Christi, vt hominis, non esse aliud, quam ipsam filiationem æternam vnitam humanitati, à qua Christus, vt homo, nedum formaliter, sed etiam fundamentaliter constituitur Filius Dei naturalis, non *relatiuè*, sed *terminatiuè*; sicut enim Filiatio Verbi vnitur humanitati, quin illam ad Patrem referat: ita Christum, vt hominem, constituit Filium naturalem Dei, quin illum ad Patrem referat: dicitur autem a prædicta relatione constitui Christum vt hominem, fundamentaliter filium, non *positiuè*, quia fundet relationem aliquam dantem esse filium formaliter, sed *negatiuè*, quia nempé, vt illum in ratione filij naturalis constituat, nullum fundamentum supponit.

158 *Reijcitur primo.*

Hæc tamen doctrina non placet, & refellitur primo: nam iuxta Diuum Thomam *infra quæst. 32. art. 3.* Christus dicitur Filius Dei non ratione creationis, nec ratione iustificationis, sed ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius Patris solius, sed non est Filius per generationem æternam formaliter; est enim alia ratio geniti à ratione filij, saltim per nostros conceptus, & distinctione rationis: ergo est filius fundamentaliter ratione generationis æternæ; & consequenter non ratione filiationis. Secundo: nam cui conueniunt ratio geniti, & ratio filij, hæc supra illam fundatur, vt omnibus est in confesso; sed Christo, vt homini, conuenit ratio geniti à Patre, & etiam conuenit ratio filij: ergo non est à filiatione, sed à generatione filius Dei fundamentaliter. *Secundo.*

159 *Minor prob. 1.*

Minor ostenditur primo ex Aug. *lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. in principio*, illis verbis: *Respondeant, quæso, ille homo, vt à Verbo patri coæterno in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset: vnde hoc meruit? Quod eius bonum qualecumque præcessit?* Ergo ex mente Augustini de hoc homine Christo, vel de Christo quatenus homine, non solũ prædicatur, esse filium, sed etiam esse vnigenitum à patre; & consequenter Christus, vt homo, non solum est filius æterni patris, sed etiam, ab ipso genitus. Secundo probatur: nam Christus, vt homo, est filius, quia ex vi vnionis, humanitas est assumpta à Verbo in vnitatẽ personæ, quæ est filius naturalis Dei, sed etiam persona Verbi, in cuius vnitatem fuit humanitas assumpta, est à Deo *Secundo prob. minor.*

Patre

patre genita: ergo Christus, vt homo, est per gratiam vnionis, non solum filius naturalis patris, sed etiam ab ipso genitus.

160 *Tertio probatur minor.*

Tertio: non enim stat, Christum, vt hominem, esse filium naturalem Dei per gratiam vnionis, quin ex vi eiusdem gratiæ de ipso verificetur diffinitio filij naturalis; sed non potest de Christo, vt homine, verificari diffinitio filij naturalis, nisi verum sit de ipso, esse genitum à Deo: ergo Christus, vt homo, est per gratiam vnionis genitus à Deo patre. Maior omnibus est nota: diffinitio nāque, & diffinitum ad conuertentiam dicuntur: ac per consequens de quo prædicatur diffinitum essentialiter, etiam diffinitio debet essentialiter prædicari, & de quo accidentaliter, vel per gratiā prædicatur diffinitum, eodem modo prædicari debet diffinitio. Minor autē probatur: nam sicut pater est, qui genuit filium, ita filius naturalis est ille, qui genitus est a patre, naturali generatione: ergo si de Christo, vt homine nō prædicatur, quod sit à patre æterno genitus, non potest de illo verificari diffinitio filij naturalis Dei.

161 *Denique reijcitur solutio.*

Denique eadem doctrina reijcitur: non enim stat, Christum, vt hominem, esse filium naturalem Dei, quin ad patrem referatur relatione filiationis: ergo falsum est, quod dictus Magister asserit, scilicet, Christum, vt hominem, esse filium naturalem Dei, quin referatur ad ipsum relatione filiationis. Antecedens ostenditur primo: sicut enim in patre æterno, alia est ratio patris, & ratio primæ personæ; siue distinctione rationis ratiocinatæ, siue distinctione rationis ratiocinantis, siue eminentiali, siue virtuali inadæquata distinctione, quo circa vt prima persona generationem præcedit, & vt pater intelligitur ad generationem subsequi: ita in forma constituente Verbum, alia est ratio hypostasis, & alia ratio filiationis, vel relationis; sed si Christus, vt homo, non referatur ad patrem, non conuenit ipsi formaliter sub conceptu relationis, sed solum sub conceptu, & munere formæ hypostaticæ Verbum constituentis personam: ergo nisi referatur, non erit formaliter filius, sed solū secunda persona.

*Antecedens probatur 1.*

Secundo, & explicatur magis hoc ipsum: filiatio non constituit filium formaliter, nisi sub munere referentis: ergo cui non conuenit sub munere referentis, non constituit filiū formaliter. Tertio: quia namque paternitas non conuenit primæ personæ pro priori ad generationem sub munere referentis, pro illo priori non intelligitur sub ratione patris formaliter: ergo si pro signo equē-ti non conueniret sub munere referentis, nec pro vno, nec pro altero signo esset formaliter pater. ergo si filiatio Verbi non vnitur Christo, vt homini, sub munere referentis, Christus vt homo non erit, nec dici poterit filius Dei naturalis formaliter. Ex quo vlterius etiam fieret, nec posse dici fundamentaliter filiū Dei naturalem. Quod patet: nam cui repugnat formalis denominatio relationis, etiam repugnat fundamentum relationis, vt tale: ergo si Christo quatenus homini repugnat esse filium Dei naturalem *relatiuè formaliter*, etiam repugnat esse filium Dei naturalem *fundamentaliter*.

162 *Secundo.* *Tertio.*

Quare prætermissa hac solutione ad vltimam minoris probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: non vnitur humanitati formaliter immediate, & tanquam subiecto per diuinitatem viuenti, concedo minorem: in eadem persona nego minorem, & consequentia. Nec sequitur, quod diuinitas vnita constituat humanitatem radicaliter viuentem, sed sufficit, quod personam Verbi in cuius vnitate cum natura humana vnitur, & quæ in humanitate subsistit sit viuens vita diuina. Ad secundam concessa maiori, nego minorem: nec sequitur, quod generatio Verbi passiua constituat genitam humanitatē, sed solum, quod Verbum, vt personaliter vnitum humanitati, & in illa subsistens sit genitū à patre æterna generatione, sicut nec ex eo quod filiatio cum natura humana vniatur, sequitur, illam constituere relatam. Nec ex eo quod filiatio Verbi, vt passiue terminans generationem vniatur diuinitati: sequitur, illam genitam constituere.

163 *Vera solutio vltimæ probationis minoris.* *Ad primā probationē.* *Ad secūdam.*

Sed dices: vt passiua generatio vnia-

164 *Instabis.*

tur

tur humanitati formaliter, saltim necessarium est, quod Christus, vt subsistens in humanitate, sit à patre genitus æterna generatione; sed Christus, vt homo, vel vt in humanitate subsistens, nō est genitus à patre æterna generatione: ergo generatio Verbi passiua non vnitur humanitati formaliter. Maior constat ex dictis. Minor autem probatur; Christus, vt homo, non est genitus æterna generatione ab æterno, nec est genitus in tempore æterna generatione: ergo, vt homo, nullo modo potest dici in sensu formali genitus à Deo æterna generatione. Antecedens pro prima parte probatur: tum, quia Christus, vt homo, non est Deus ab æterno, sed in tempore incœpit verificari Christum, vt hominē esse Deum, & filium naturalem Dei, vt docet Diuus Thomas *quæst. sequenti art. 1. ad 3.* ergo vt homo, non est genitus à Deo generatione æterna ab æterno. Tū etiam; quia quod ab æterno est genitū, ab æterno etiam existit; sed Christus, vt homo, non existit ab æterno: ergo vt homo non est genitus à Deo æterna generatione. Deinde pro secunda parte probatur: nam si, vt homo, esset genitus in tempore æterna generatione, vt homo, incœpisset generari in tempore; sed non potest hoc concedi; aliàs Christus, vt homo, in tempore incœpisset, esse Deus, & in tempore Deus fieret, quod est falsum, & contra Diuum Thomam *supra q. 16 art 9.* vbi docet, non posse de Christo dici, *hic homo incœpit esse*, & *art. 7.* vbi negat, hanc propositionem, *hic homo*, demonstrato Christo, *factus est Deus*: ergo Christus in quantum homo non est genitus à Deo in tempore æterna generatione.

165 *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negādo minorem. Ad probationem distinguo primam partem antecedentis: non est vnigenitus in tempore, ly *in tempore* determinante generationem, concedo antecedens. ly *in tempore* cadente supra complexum ex humanitate, & Verbo, quod genitum est ab æterno, nego antecedens, & consequentiam. Nam sicut Christus, vt homo, in tempore subsistit per subsistentiam æternam, in tempore vnitam humanitati, & in tempore Christus, vt homo, est Deus, & filius Dei per deiratem, & filiationem æternam, humanitati in tempore vnitam; ita vt homo, in tempore est genitus per generationem æternam temporaliter vnitam: & sicut ad veritatem istius propositionis, *Christus, vt homo, in tempore, est filius naturalis Dei*, non requiritur, quod hæc propositio sit vera, *Christus incœpit esse Deus*; sed quod Verbum, vt filius Dei naturalis fuerit in tempore vnitum humanitati, & quod factum sit quod Verbū, vt subsistens in humanitate sit Deus, & filius naturalis Dei: ita vt hæc propositio sit vera, *Christus, vt homo, est genitus in tempore à Deo* non est necessarium, quod Christi generatio, in tempore incipiat existere, sed quod in tempore facta sit vnio humanitatis ad Verbum quatenus genitum, & quod vt in humanitate subsistens, sit genitum. Nec sequitur, quod vt homo in tempore incœperit generari: nam hoc denotat mutationem ex parte generationis æternæ, sicut ex eo quod hæc propositio, *homo est Deus*, incœperit esse vera: non sequitur, quod hic homo Christus in tempore incœperit esse Deus, nec quod sit factus Deus, sed solum, quod in tempore sit factum, vt hic homo esset Deus; nam primum, importat inceptionem, & mutationem ex parte diuinitatis: secundum autem solum inceptionem complexi ex Deo, & humanitate, atque istius mutationem.

## §. Vltimus.

### *Corollaria præcedentis doctrinæ.*

EX dictis in discursu huius, & præcedentis disputationis colligo primo, quod si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, non esset filius naturalis, nec filius adoptiuus Dei, bene tamen esset filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis. Prima pars huius corollarij probatur: nam Christus in quantum homo, ideo solum est filius naturalis

166 *Si Spiritus Sanctus humanitatē assumeret, nō esset filius naturalis Dei.*

lis Dei, quia humanitas ex vi vnionis trahitur ad vnitatem personæ cum Verbo, quod est filius naturalis, vt ex dictis in tota hac disput. constat; sed humanitas à Spiritu Sancto assumpta, non vnitur filio Dei naturali in vnitate personæ; cum Spiritus Sanctus filius Dei naturalis non sit: ergo Spiritus Sanctus tunc cassus non esset, vt homo, filius naturalis Dei.

167 *Nec filio adoptiuo*

Deinde secunda pars corollarij probatur: nam adoptio petit extraneam personam, hoc est non habentem ab intrinseco ius ad patris hæreditatem; sed Spiritus Sanctus, etiam vt homo, non esset extranea persona à Deo; cum non esset persona distincta ab ipso, vt in deitate subsistente, iusque intrinsecum haberet ad hæreditatem diuinam, non minus, quam Verbum vt in humanitate subsistens: ergo vt homo filius adoptiuus non esset.

168 *Esset tamen filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis.*

Denique tertia pars eiusdem corollarij probatur: nam iuxta D. Thomam *infra quæst. 32. art. 3.* ideo solum Christus, vt homo, non est filius Dei ratione creationis, quia est per se, & perfectè filius: id autem, quod dicitur tale secundum perfectam rationem, non potest dici tale secundum rationem imperfectam, & analogam; sed hæc ratio in Spiritu Sancto non militat; cum non sit, nec esset in illo casu filius Dei naturalis: ergo si humanitatem assumeret, esset filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis.

169 *Oppones*

Oppones: iuxta Diuum Thomam *in 3. dist. 10. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in corpore*, ideo creatura rationalis per gratiam adoptatur à Deo, quia ex vi creationis est similis Deo imperfectè, & filia iure creationis, & per gratiam illi datur ius ad Dei hæreditatem; sed Spiritui Sancto, vt homini, conueniret per gratiam habitualem ius ad Dei hæreditatē: ergo si esset, vt homo, filius Dei ratione creationis, esset filius Dei adoptiuus per gratiam habitualem. Respondeo primo, rationem Diui Thomæ probare suppositā, vt de facto supponitur in creatura rationali extraneitas, & quia in Spiritu Sancto ista extraneitas non datur; ideo non sequitur, fore, vt hominem constituendum filium adoptiuum Dei per gratiam habitualem. Vel secundo respondetur, gratiam ideo rationali creaturæ adoptionem tribuere, quia dat illi primum ius: Spiritui autem Sancto, non conferret primum ius, sed ius illi à diuinitate præstitum supponeret, ad illudque sequeretur, & ideo Spiritum Sanctum vt hominem, non constitueret filium adoptiuum Dei.

*Respondetur 1.*

*Respondetur 2.*

Instabis: solum ius filij ab intrinseco conueniens obstat adoptioni in filium; sed quamuis Spiritus Sanctus non esset persona extranea per carentiam omnis iuris ab intrinseco, esset tamen extranea per carentiam iuris filij naturalis Dei; cum filius naturalis non esset: ergo ex vi gratiæ habitualis euaderet filius adoptiuus Dei. Maior probatur: in nepote datur ius intrinsecū ab intrinseco ipsi competens ad hæreditatem aui; & tamen quia ius nepotis, non est ius filij naturalis, potest ab auo adoptari, & ex vi adoptionis fieri filius adoptiuus illius: ergo non omne ius ab intrinseco conueniens, sed solum ius filij naturalis obstat adoptioni in filium. Respō deo, maiorem esse veram inter personas creatas, in quibus nullum ius connaturale potest ius filij adæquare; & ideo nepos licet habeat ius ab intrinseco ad hæreditatem aui, potest adoptari in filiū, quia ius nepotis est iure filiationis naturalis inferius. Ius autem Spiritui Sancto, vel in se ipso, vel in humanitate, quam assumere potest conueniens, adæquat ius Verbi in se ipso, & in assumpta humanitate: ac per consequens si Verbū ratione prædicti iuris nequit adoptari in filium, nec etiam Spiritus Sanctus, casu, in quo humanitatem assumeret, capax esset adoptionis.

170 *Instabis.*

*Respondetur.*

171 *Christū vt hominē non esse filiū naturalē sui, aut Spiritus Sancti, sed solius Patris æterni, probatur 1.*

Secundo ex dictis infertur, Christum, vt hominem, non esse filium naturalem sui, vel Spiritus Sancti, sed solius patris æterni. Quod patet primo: nam est filius naturalis Dei per filiationem æternam; sed hæc nequit alium terminum, quam æternum Patrem respicere: ergo solius Patris æterni filius naturalis est. Secundo nam filiatio super aliquam actionem fundata, solum respicit pro termino, talis actionis principiū; sed filiatio per quam Christus vt homo est filius naturalis Dei fundatur super age-

neratio-

nerationem æternam, vt constat ex dictis, docuitque Angelicus Doctor *infra quæst. 32. art. 3.* hæc autem est actio solius æterni Patris: ergo Christus, quatenus homo, nec sui, nec Spiritus Sancti est filius, sed solius Patris æterni.

172 *Oppones.* Sed dices: Christus, vt homo, est filius naturalis Dei per gratiam vnionis. ergo est filius naturalis ex vi actionis vnitiuæ humanitatis ad Verbum; sed hæc actio est toti Trinitati communis: ergo filiatio ex vi illius communicata totam respicit Trinitatem; & consequenter Christus est totius Trinitatis filius.

*Respondetur.* Respondeo, distinguendo primum cõsequens. ex vi actionis vnitiuæ, vt fundãtis filiationem Christi, vt hominis, nego consequentiam: vt applicantis, vnientisque filiationem in æterna generatione fundatam, concedo consequentiã: & concessa minori subsumpta, nego consequentiam. Nam filiatio non respicit pro termino principium actionis applicantis, vnientisque illam, sed principium actionis fundantis, & quia actio fundans filiationem, à qua Christus, vt homo, filius naturalis dicitur, non est toti Trinitati communis, sed solius Patris æterni; fit consequens, quod quamuis actio illam vniens, & communicans, humanitati, à tota Trinitate procedat, Christus, vt homo, non totius Trinitatis sit filius, sed solius Patris æterni.

173 *Relatio filiationis Christi ad B. Virginẽ, nõ est realis, sed rationis.* Denique ex dictis infertur, filiationem, qua Christus, vt homo, est filius Beatissimæ Virginis, non realem, sed rationis esse, quod docuit Diuus Thomas *infra quæst. 35. art. 5. in 3. dist. 8. quæst. vnica art. 5. ad Annibaldum in eadem dist. q. vnica art. 4. quodlibet. 1. art. 2. & quodlibeto 9. quæst. 2. art. 3. & opusculo 2. cap. 212.* Et probatur; vt enim constat ex dictis, & citatis locis, docet Angelicus doctor, filiatio etsi supra natiuitatem fundetur, non ad naturam, sed ad suppositum immediate comparatur, vt subiectum immediatum denominationis, & inhæsionis; sed suppositum Christi Domini; cum sit aliquid increatum, capax susceptiuum accidentis realis non est, siue absoluti, siue relatiui; alias realiter intrinsece mutaretur. ergo filiatio, qua filius Virginis dicitur, non realis, sed rationis est.

Sed oppones primo: Christus, vt homo, est filius Virginis eiusdem rationis nobiscum, sed nos sumus filij per relationem realem filiationis: ergo Christus, vt homo, est filius B. Virginis per relationem realem. Respondeo, distinguendo maiorẽ: sumpto filio fundamẽtaliter & absolute, concedo maiorem: sumpto filio formaliter relatiue, nego maiorem: & concessa minori, nego cõsequentiam. Itaque dupliciter dicitur filius, vno modo fundamentaliter, scilicet, ratione naturæ per generationem communicatæ, alio modo formaliter relatiue: sumpto filio primo modo, Christus vniuocé conuenit nobiscum in ratione filij, quia natura Christi est eiusdem speciei cum nostra, & similiter passiua generatio Christi ex Virgine, & nostra generatio passiua prout ad matrem comparatur, sunt eiusdem speciei; sumpto vero filio relatiué, non est filius filiatione eiusdem speciei, & rationis cum illa, qua nos filij constituimur, quia filiatio nostra est realis, filiatio vero Christi est rationis ob rationem D. Thomæ.

174 *Oppones primo.* *Respondetur.* *Christus est filius B. Virginis filiatione eiusdẽ rationis cũ nostra sũpta fundamentaliter, secus vero sũpta formaliter relatiue.*

Instabis primo: absolutè est verum, Christum esse filium vniuoce cum alijs hominibus, sed si sumpto filio relatiué non conueniret vniuoce, falsum esset hoc absolute affirmare: ergo etiam relatiué sumpto filio, Christus conuenit vniuocé nobiscum in ratione filij. Maior constat. Tum; quia nullus id negauit. Tum; quia Beatissima Virgo absoluté dicitur Mater Christi eiusdem rationis cum matribus aliorum hominum: ergo & Christus absolute est dicendus filius eiusdem rationis nobiscum. Minor autem probatur. nam absoluta rei denominatio sumitur ab eo quod est formale. ergo absoluta conuenientia, aut disconuenientia est pensanda inter extrema, secundum id per quod formaliter constituuntur; sed filius constituitur formaliter per relationem: ergo vt absolute enuntietur conuenientia vniuoca inter filios, requiritur vniuoca conuenientia inter illos in ratione relationis; & consequenter, vt Christus dicatur, absolute vniuocé filius nobiscum, requiritur inter relationes vniuoca conuenientia.

175 *Instabis primo.*

Ad

176 *Secundo.*

Secundo: Beatissima Virgo est Mater Christi, sumpta matre relatiué, eiusdem rationis vniuoce cum alijs fœminis, vt ad proprios filios comparatis: ergo Christus est filius relatiué eiusdem rationis nobiscum. Consequentia patet: nam relatio specificatur à termino non absoluto, sed relatiuo in sententia Thomistarum: ergo relatio maternitatis à relatione filiationis; sed non stat conuenient a specifica in relationibus, absque conuenientia specifica terminorum: ergo si relatio maternitatis B. Virginis est eiusdem speciei cum relationibus maternitatis aliarum mulierum, relatio filiationis in Christo est eiusdē speciei cum relatione filij cuiusuis personæ creatæ; & consequēter est realis: nam inter relationem realem, & rationis specifica conuenientia dari non potest. Antecedens autem probatur: nam relatio maternitatis in B. Virgine est realis, & sequitur ad fundamentum eiusdem speciei cū illo, quod in alijs fœminis per se relationem matris fundat, scilicet, concursu passiuo, & ministrante materiam: ergo dicitur mater relatiué vniuocé cum alijs mulieribus.

177 *Ad primā instātiam respondetur*

*Absoluta denominatio in relatiuis sumitur à fundamēto.*

Respondeo ad primam replicam, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem dicatur, verum esse antecedens in denominationibus absolutis: falsum autem in relatiuis, in quibus hoc peculiare inuenitur, quod quamuis relatio non existat, existente proximo fundamento, absoluta denominatio consurgat. Vnde quamuis signum in sententia probabili per relationem prædicamentalem constituatur, & hæc in imagine, mortuo prototypo, non existat, nihilominus imago Imperatoris iam mortui absolutè dicitur signum illius propter aptitudinem ad ipsū repræsentandum, quæ est proximum fundamentum relationis. Et defunto patre Petri, dicitur Petrus absolute filius illius, quamuis relatio prædicamentalis filij mortuo patre non existat. Et vt D. Thomas *oppuſc. citato* notauit, Deus dicitur realiter Dominus creaturarum, propter reale fundamentum Dominij, quamuis relatio, qua Dominꝰ relatiué constituitur, non realis sit, sed rationis, & Christus dicitur realiter filius B. Virginis, quamuis relatio filij non sit realis, sed rationis in ipso, quia fundamentum proximum, & remotum filiationis est reale: cum ergo absoluta denominatio, non existente forma, ex solo fundamento in relatiuis consurgat: fit consequens, quod vt inter duo absoluta cōuenientia asseratur, sufficiat in fundamēto proximo relationis conuenire, quāuis in relationibus conuenientia vniuoca inter illa non detur.

178 *Ad secūdā occurri poterat primo.*

Ad secundam, si doctrina Caietani est vera, nempe, relationem rationis posse in ratione relationis cum relatione reali vniuocé conuenire, facilis esset solutio asserendo, filiationem Christi terminantem relationem maternitatis B. Virginis licet in ordine ad esse, & in genere entis differat specificé à filiatione reali, in ratione relationis vniuocé conuenire, & hoc sufficere, vt maternitas B. Virginis vniuocé, & specificé conueniat cum alijs maternitatibus. Quia tamen sententiam istam minus veram existimamus; enti namque reali, & rationis in nullo prædicato ad lineam entis spectante, potest dari aliquid commune vniuocum, & conceptus relationis ad genus entis spectat, & intra illud continetur: ideo aliter est factæ obiectioni occurrendum.

*Deseritur ista solutio.*

179 *Poterat occurri secundo.*

Poterat respondēri secundo filiationem Christi, etsi in ratione referentis differat specificé, & genericé à filiatione reali, qua pura creatura in ratione filij relatiué constituitur; in ratione tamen termini specificantis relationem matris ad Christum specificé cum relatione reali filiationis cōuenire, & hoc sufficere, vt maternitas B. Virginis esset eiusdem speciei cum alijs maternitatibus: nam specifica ratio relationis sumitur à relatiuo sub ratione terminantis. Sed nec placet ista solutio; tum, quia in relatione terminare, & referre sunt duo inadæquati conceptus differentiales; sed non stat in vltima rei differentia cōueniētia specifica, & specifica distinctio, vt omnibus est in confesso: ergo si filiatio Christi differt specificé, imo & genericé ab alijs relationibus in ratione referendi, non potest cum illis in munere, & ratione terminandi specificé conuenire. Secundo: nam etiam munus

*Displicet etiā ista solutio et impugnatur primo*

*Secundo*

termi-

terminandi est intra genus entis; sed nō ob aliam rationem Caietani sententia statuens vniuocam conuenientiam inter relationem realem, & rationis quoad conceptum referendi, reijcitur, nisi quia hoc munus intra genus entis continetur: ergo debet ex eodem fundamento negari possibilis conuenientia specifica inter relationem realem, & rationis in ratione, & munere terminandi.

180 *Vera secundæ instātiæ solutio.*

Quare his modis dicendi omissis, ad secundam instantiam respondeo, negando antecedens. Nam licet relatio maternitatis, quæ attenta vi fundamenti resultaret in B. Virgine foret eiusdem speciei cum alijs maternitatibus, quæ tamen de facto resultat eiusdem speciei, non est propter differentiam relationis terminantis, quæ illi in Christo correspondet, & à qua suam speciem desumit, & consequenter sumpta matre relatiuè non est mater eiusdem speciei cum matre filij creati. Ad antecedentis probationem, concesso antecedenti, nego cōsequentiam. Nam realitas relationis sumitur à fundamento: species autem à termino, vnde quamuis conuenientia inter fundamenta detur, si non adest cō uenientia inter terminos formales, non potest dari inter duas relationes specifica conuenientia.

*Maternitas B. Virginis sumpta relatiuè est diuersæ speciei ab alijs maternitatibus.*

181 *Secundo principaliter oppones.*

Secundo principaliter obijcies; posito reali fundamento, & reali termino, realis consurgit relatio; sed in Christo est reale fundamentum remotum, & proximum relationis, nempè, natura humana, quæ remote fundat relationē filiationis, & passiua generatio, quæ proximè illam fundat, esseque realem in Christo, docet Diuus Thomas *infra* q. 35 art. 2. & alias terminus realis existit, nempe, B. Virgo: ergo consurgit in Christo realis filiationis relatio.

182 *Respondetur ex D. Thom.*

Respondeo ex Diuo Thoma *infra quæst.* 35. *art.* 5. *ad* 1. distinguendo maiorem: in subiecto relationis realis capaci, concedo maiorem: si subiectum incapax sit, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam suppositum Christi, in quo recipi debet immediate filiatio, cum increatum sit, est incapax accidentis realis; ac proinde quāuis natiuitas Christi de se sufficeret realem filiationem inducere, non causat illam ob subiecti incapacitatem.

183 *Replicatio.*

Sed dices: non stat in aliquo subiecto capacitas fundamenti relationis, cū incapacitate ad relationem fundatam: nam cui repugnat ab intrinseco actus, etiam repugnat potentia; fundamentū autem est potentia causatiua relationis; sed per nos datur in Christo capacitas realis ad realem generationem, quæ est proximum fundamentum relationis filiationis: ergo etiam ad filiationē realem est in illo capacitas admittenda.

184 *Cōfirmatur.*

Et augetur difficultas; quia namq; relegamus à Christo relationem filij adoptiui, etiam remouemus ab ipso fundamentum proximum talis relationis, scilicet, passiuam spiritualem generationem per gratiam habitualem, vt constat ex dictis: ergo si admittimus in Christo capacitatem ad esse genitum realiter à B. Virgine, quod est fundamentum proximum filiationis realis ad Virginem, debemus in ipso admittere capacitatem realis relationis filij ad B. Virginem.

185 *Respondetur.*

Respondeo, distinguendo maiorē: capacitas fundamenti sub ratione fundamenti actu relationem realem fundantis, concedo maiorem fundamēti sumpti *entitatiuè*, vel quantum est de se fundatiui, nego minorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia nos non ponimus in Christo capacitatem ad realem generationem, vt actu relationē realē fundantē, vel vt fundatiuā in actu primo expedite, sed solū ad generationē realem quantum est de se fundatiuam; ex quo non sequitur, quod actu inferat talem relationem in Christo, sicut nec ex eo quod in supposito Verbi admittatur capacitas susceptiua naturæ quantum est de se fundantis potentiam expeditam peccandi; sequitur, quod talis natura præbeat supposito Verbi denominationem potentis expeditè peccare.

186 *Ad cōfirmationē.*

Ad confirmationem dicatur ad esse genitum realiter, necessario consequi realem denominationem filij, & esse filium *relatiuè*, si terminus adsit relatione reali aut rationis, quod vero realis relatio consurgat, non sumitur præcisè ex eo quod fundamentum sit reale, sed in super est necessaria capacitas in subiecto; vnde si in subiecto aliquo nulla est

capaci-

capacitas ad realem denominationem filij, nec ad relationem filiationis, neque rationis, nec realem, non potest esse capacitas ad denominationem geniti: quia ergo in Christo non inuenitur capacitas ad denominationē realem filij adoptiui, nec ad relationē adoptionis, neq; realē, neque rationis, rectè ab ipso remouem⁹ denominationē geniti generatione spirituali per gratiā habitualem. Oppositum in re præsenti opposita de causa contingit. Nam licet Christo negemus realem relationem filiationis; non tamen negamus illi, esse realiter filium B. Virginis, nec quod ad ipsam per relationem rationis tanquam filius referatur.

187 *Obijcies tertio.* Tertio principaliter obijcies: nam iuxta Diuum Thomam *infra q. 35. art. 1.* non solum filiatio, sed etiam generatio passiua, & natiuitas, est proprié suppositorum, quorum, & non naturarum est proprié, esse, fieri, pati, & agere; sed non obstante, quod suppositum in Christo sit vnum, & sit aliquid increatū, est in illo realis natiuitas, & passiua generatio ex Virgine, vt docet Diuus Thomas *quæst. allegata art. 1.* ergo pariter non obstante, quod filiatio sit tantum suppositi, & hoc in Christo sit vnum, & increatum, erit in illo capacitas ad relationem realem filiationis.

188 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo secundā partem maioris: natiuitas est suppositi, vt subiecti denominationis perfectæ, cōcedo maiorē: vt subiecti denominationis adæquati, & immediati inhæsionis, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet natiuitas, & filiatio in eo conueniant, quod vtraque ad suppositū comparetur, vt ad subiectum denominationis; differunt tamen in hoc, quod natiuitas, vel passiua generatio, non comparatur ad illud, vt ad subiectum inhæsionis immediatum, sed immediatè inhæret naturæ, & mediante hac inhæsione denominat suppositum genitum; in hoc enim pati, & agere æquiparantur: actio autem, etsi solū suppositō tribuat denominationē agentis, non inhæret immediate suppositō, sed naturæ; & consequenter idem de passiua generatione, & natiuitate est dicendum; & hac ratione, quamuis suppositū Verbi sit vnum, & aliquid increatum, potest esse capax realis natiuitatis, & generationis ex B. Virgine; non enim est incapax denominationis realis; bene tamen realis immediatæ inhæsionis, quia ex hac, non ex illa sequeretur realis intrinseca mutatio. Filiatio vero non ita, sed immediate comparatur ad suppositum, vt subiectum inhæsionis; suppositum autem Verbi non est capax immediatæ realis inhæsionis, sicut nec realis intrinsecæ mutationis, quæ sequitur ex reali inhæsione immediata, & ideo capax relationis realis filiationis non est.

*Differentia inter natiuitatē, & filiationē respectu suppositi.*

*Actio denominat sclū suppositū, inhæret verò naturæ.*

189 *Replicabis primo.* Sed replicabis primo; non ob aliam rationem filiatio compararetur immediatè ad suppositum, vt subiectum inhæsionis, nisi quia illum respicit, vt subiectum denominationis; sed hæc ratio est nulla; cum generatio passiua ad illud comparetur, vt ad subiectum denominationis, non autem vt ad subiectum inhæsionis: ergo suppositum, vel persona non est subiectum immediatum filiationis inhæsiué. *Secundo.* Secundo: nam relatio fundata idem respicit subiectum, quod respicit fundamentum, ad quod sequitur; sed generatio passiua, ad quam sequitur filiatio, non respicit, vt subiectum inhæsionis immediatè suppositum, sed naturam: ergo nec relatio fundata. *Tertio.* Tertio: nam esto immediatè comparetur ad suppositum, vt subiectum inhæsionis, non est cur nequeat suppositō Verbi realis relatio inhærere: ergo esto hoc admittatur, filiatio erit realis relatio. Probatur antecedens; potuit Verbum absque sui mutatione esse immediatum subiectum suscipiens humanitatē, quæ est forma concreti resultantis ex suppositō, & natura: ergo etiam absque reali mutatione intrinseca sui per solam accidentis realem mutationem, poterit *immediatè* subesse accidenti reali relatiuo, & absoluto.

190 *Ad primā replicā respondetur.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo maiorem: quia comparatur ad suppositum, vt subiectum denominationis adæquatæ, concedo maiorem: non adæquatæ, nego maiorem: & sic intellecta maiori, nego minorem. Nam licet generatio respiciat suppositum, vt subiectum denominationis geniti secundum perfectam, & completā

rationē, & istam denominationem nequeat præstare naturæ, tribuit tamen illi aliquam geniti denominationem; denominat enim illam genitam *terminatiuè* & *intrinsecè* transmutatam, & ideò potest immediatè inhærere naturæ; vt enim docet D Thomas *quodlib. 9. relato, & ad Annibaldu n in 3. dist. 8. quæst vnica art. 4. in corpore*, omnis forma immediatè inhærens naturæ, & mediante illa suppositō, tribuit naturæ aliquā denominationem, vt constat in passione, & morte; non enim solum Christus dicitur mortuus denominatione sumpta à natura, sed etiam ipsa natura: quia ergo natiuitas aliquam tribuit denominationem naturæ: filiatio autem nullam tribuit, sed omnem præstat suppositō; fit, quod natiuitas, non suppositum, sed naturam respiciat, vt subiectū immediatæ inhæsionis: filiatio autem comparetur ad ipsum, vt subiectum denominationis immediatum, & inhæsionis.

191 *Ad secūdam.*

Ad secundam, nego maiorem, loquendo de subiecto inhæsionis: nam paternitas, non genito inhæret, sed Patri generanti; & tamen generatio actiua supra quam fundatur paternitas, non inest generanti, sed genito; cum sit actio transiens formaliter, quam non in agente, sed in passo recipi, probabilius 2 *Physicorum* censuimus: sicut ergo paternitas inhæret, non genito, in quo intrinsecè recipitur generatio, sed generanti, cui præbet suam denominationē: ita quāuis generatio passiua inhæreat *immediatè* naturæ, filiatio non ipsi inhæret, sed suppositō, cui passiua generatio præbet denominationem geniti *perfectè*, & *completè*.

*Relatio fundata non respicit idem subiectū inhæsionis, quod respicit fundamētum.*

192 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego antecedens. Ad illius probationem, concesso antecedē ti, nego consequentiam: disparitas autem est: nam humanitas non comparatur ad suppositum, vt subiectum inhæsionis, aut physicæ informationis, sed vt ad terminum terminantem, & complētem, vnde vt ex suppositō Verbi, & humana natura resultet concretum *homo*, non requiritur, quod Verbum intrinsecè ab humanitate informetur, aut *passiuè* illam recipiat, sed solum, quod intrinsece terminet, & compleat humanitatem: ac per consequens, nec petitur, quod intrinsecè mutetur: nam solum contingit in aliquo subiecto mutatio, cum nouam, realem, atque intrinsecā recipit denominationem, ratione potentiæ passiuæ, & receptiuæ: accidens autem comparatur ad subiectum, non vt terminabile ad terminum, sed vt forma ad subiectum inhæsionis, & intrinsecæ receptionis, & ideo non potest accidens de nouo inhærere absque intrinsēca mutatione subiecti, cumque suppositō Verbi omnis intrinseca mutatio repugnet: fit consequens, quod non sit in illo capacitas immediatè susceptiua alicuius realis accidentis.

*Suppositum Verbi absq; mutatione terminat humanitatē: si autem accidēs reale reciperet, mutaretur.*

193 *Denique obijcies.*

Deniq; principaliter obijcies: relatio, qua humanitas Christi refertur ad B. Virginem, tāquam effectus ad causam, est vera, & realis relatio; sed hæc relatio est filiatio: ergo datur in humanitate Christi filiatio realis ad Virginem; & consequenter ab illa Christus, vt homo, constituitur filius realiter *relatiuè*. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur; quæ namque *immediatè* inhæret, & denominant naturam, *mediatè* denominant suppositum in illa subsistens, vt cōstat in actione, & passione, quæ quia *immediatè* inhærent naturæ denominant *mediatè* suppositum: ergo si datur in humanitate Christi filiatio realis respectu B. Virginis, denominabit *mediatè* suppositum Christi Filium. Prima ex præmissis infertur Maior est certa: nam supra realem dependentiam realis fundatur relatio: vnde quia humanitas Christi realiter dependet à Deo, realiter ad ipsum refertur relatione effectus ad ipsum, relationeque seruitutis; sed humanitas Christi realē habuit dependentiam à B. Virgine in fieri: ergo refertur reali relatione ad ipsam.

194 *Minor prob. 1.*

Minor autem ostenditur primo: filiatio namque *est relatio viuentis à viuente procedentis naturali generatione*; sed relatio, qua humanitas Christi refertur ad B. Virginem, est relatio humanitatis viuentis, ab ipsaque procedentis naturali generatione: ergo ista relatio est filiatio. Secundo probatur: relatio effectus humanitatis ad Virginem, est distinctæ speciei à relatione effectus, non procedentis ab alio naturali generatione viuen-

*Secundo.*

uentium, sed per aliud genus actionis: ergo est veré, & proprie filiatio. Tertio: relatio ista est eiusdem speciei cum relatione, qua humanitas Petri ad suam Matrem refertur; sed relatio ista est filiatio: ergo relatio, qua humanitas Christi refertur ad B. Virginem, est veré, & proprié filiatio. Probatur maior: species relationis sumitur ex termino, & fundamento; sed fundamentum, & terminus relationis humanitatis ad Virginem sunt eiusdem speciei cum termino, & fundamento relationis, qua humanitas Petri ad suam matrē refertur: ergo etiam inter relationes specifica cōuenientia inuenitur.

*Tertio.*

195 *Respond. Ad 1 probationē.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationē, distinguo, & explico maiorem: est relatio viuentis completi, & perfecti, concedo maiorem: viuentis incompleti, & imperfecti, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam humanitas non est viuens perfectum, & completum ratione sui, sed imperfectum, & incompletū, & ideo relatio, qua refertur ad B. Virginē non est filiatio, sed relatio effectus ad causam, sicut ista consequentia non tenet: *Persona est rationalis naturæ individua substantia; sed humanitas rationalis est rationalis naturæ individua substantia: ergo est persona, vel repotest relatione personæ.* Cuius ratio est; quia maior intelligenda est de individua substantia completa, & minor solum est vera de substantia individua incompleta: ita in præsenti, quia filiatio petit, quod sit relatio viuentis, & geniti secundum cōpletā viuentis, & geniti denominationem: relatio autem, qua humanitas refertur ad B. Virginem, non est viuentis, & geniti completi, & perfecti, non est relatio filiationis, sed effectus ad suam causam.

196 *Ad secūdam.*

Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: vt enim distinguatur hæc relatio ab alijs, quæ non funditur in generatione naturali, sufficit fundamenti, & termini differentia, quæ in prædicta relatione inuenitur; hoc tamen solum ad rationem filiationis non sufficit; sed insuper est necessarium, quod viuens, quod *immediatè* denominat, sit *completè* viuens, & genitū, quod humanitati non conuenit. Ad tertiam, concessa maiori, nego minorē. Nam in Petro respectu Matris duplex reperitur relatio. Alia *immediatè* inhærens naturæ: & alia *immediatè* inhærens suppositō, & vtraque realis. Prima est eiusdem speciei cum illa, qua humanitas Christi refertur ad B. Virginem, cæterum filiatio non est. Secunda est filiatio, sed non est eiusdem speciei cum illa, qua Christus, vt homo, relatione filij refertur; quia hæc in Christo est rationis: in Petro autem est realis.

*Ad tertiam.*

Instabis primo; vt humanitas, & homo referantur, vna relatio est sufficiens: ergo superfluē in Christo, & alijs hominibus relationes distinguuntur, quarum vna referatur suppositum, & alia referatur natura. Antecedens probatur; vt humanitas, & homo patiantur, & agant, sufficiunt vna actio, & passio: ergo pariter, vt referantur vna relatio sufficiet.

197 *Instabis primo.*

Secundo: in Matrē non datur duplex relatio, quarum vna referatur ad suppositum filij, vt terminans *immediatè*, & altera ad humanitatem; sed vna, eademque relatione ad vtrumque refertur: ergo in filio non datur duplex relatio, alia filij referens *immediatè* suppositum: & alia effectus *immediatè* referēs humanitatē. Consequentia patet nam omni relationi existenti in effectu, correspondet in causa relatio pro termino: ergo vel multiplicandæ sunt relationes in Matre, vel non sunt in Filio multiplicandæ. Antecedens autem probatur; in Deo, vt prima causa, & Patre rationalis creaturæ, non datur duplex relatio, quarum vna referatur ad suppositum, rationale, vt terminans *immediatè*, & altera ad naturam rationalē, nec aliquis duas istas relationes constituit: ergo pariter in Patre, & Matre creatis, non est duplex constituenda relatio, quarum vna referatur ad suppositum, vt terminans *immediatè*, & altera ad humanitatem, vt immediatè terminantem.

198 *Secundo.*

Tertio: relatione illa, qua humanitas refertur ad Matrem, refertur etiam suppositum, vt in humanitate subsistēs; sed huic relationi, quatenus per illā refertur Christus vt homo, conuenit dif-

199 *Tertio.*

finitio filiationis: ergo relatio, qua humanitas Christi refertur ad B. Virginē, est vera, & propria filiatio. Maior constat; nam prædicta relatio est effectus ad causam; sed eadem relatione, qua refertur humanitas ad suam causam creatam, refertur etiam ad illam Christus, vt homo, vel vt in humanitate subsistēs, sicut eadem relatione effectus, & serui, qua humanitas refertur ad Deum; refertur etiam ad ipsum Christus, quatenus in humanitate subsistens: ergo eadem relatio, qua humanitas refertur immediaté ad Beatissimam Virginem relatione genitæ ab ipsa, refert mediaté suppositum Christi, prout in humanitate subsistit. Minor autem probatur; relatio hæc prout refert *mediatè* suppositum, est relatio viuentis completé, & geniti secundum perfectam, & completam rationem; sed vt *proximè* dicebamus, filiatio est relatio viuentis completé procedentis à viuente naturali generatione secundum perfectam denominationem geniti: ergo relationi huic vt referenti suppositum Christi, vt hominis, conuenit adæquata diffinitio filiationis.

200 *Quarto.* Denique replicabis; relatio, qua refertur humanitas Petri ad Matrem relatione genitæ ab ipsa, est eiusdem speciei cū relatione, qua refertur suppositum Petri ad eandem; sed hæc relatio est filiatio: ergo & illa. Probatur maior: fundamentum, & terminus vtriusque relationis, specificé conueniunt; sed specifica vnitas, vel diuersitas relationis sumitur ex termino, & fundamento: ergo relatio referens humanitatem Petri est eiusdem speciei cum illa, quæ refert suppositum, aut personam Petri ad suum Patrem, vel Matrem.

201 *Ad 1. instantiam respond.* Respondeo ad primam instantiam, distinguendo antecedens: vt referantur humanitas *immediatè*, & suppositum Petri *mediatè*, concedo antecedens: vtrumque *immediatè*, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Et ratio discriminis est: nam suppositum non est capax susceptiuum immediatum actionis, neque passionis; vt autem *mediatè* agat, & patiatur, & natura *immediatè*, vna actio, & vna passio sufficiunt: in ordine autem ad referri non ita; potest namque suppositum *immediatè* referri, & etiam *mediatè* per relationem *immediatè* referentem naturam; & ideo vt *immediatè* referatur suppositum, petitur distincta relatio ab ea, qua immediate refertur natura, & suppositum illa mediante, sicuti vt anima, & potentiæ efficiant, & agant, vnica actio est sufficiens; quia natura non immediaté, sed medijs potentijs agit, vt verò eleuentur ad agendum non sufficit vna qualitas, sed diuersæ constituuntur pro eleuandis potentijs, & anima, habitus nempé *proximè* operatiui in potentijs, & gratia habitualis in anima, quia tam anima, quam potentiæ sunt *immediatè* eleuabiles, licet non eleuetur anima ad agendum *immediatè*, sed *mediatè*.

*Suppositū, et natura vna actione*

*agunt diuersis vero relationibus referūtur.*

202 *Ad secundam.* Ad secundam, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego etiam antecedens nec mirum debet censeri; si nāque relatio domini diuersa est à relatione primæ causæ, & creatoris; cum nullus neget Deum ad Christum, vt hominem, referri relatione causæ primæ, plures autē negant referri ad Christum, vt hominem, relatione dominij, quid mirum, quod nos distinguamus in Deo relationem causæ, qua ad omnes creaturas refertur, & ad naturam rationalem, illaque mediante ad suppositum à relatione, qua vt Pater ad suppositum rationalis creaturæ, *immediatè* comparatur?

*Relatio Dñij, & Patris in Deo, diuersa est à relatione 1. causæ.*

203 *Ad tertiā* Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: est relatio viuentis, & geniti *completè immediatè*, nego maiorem: *mediatè*, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam filiatio non est relatio geniti completi vtcumque, sed relatio *immediatè* afficiens genitum secundum perfectam geniti denominationem: relatio autem, qua *immediatè* refertur natura, & *mediatè* suppositum, non afficit, nec *immediatè* determinat genitum secundū perfectam geniti denominationē, sed *mediatè* tantum, & ideò non conuenit illi filiationis diffinitio.

Ad vltimam, nego maiorem. Ad illius probationem, nego vtramque par

tem maioris. Fundamentum namque filiationis est passiua generatio, vt denominans perfectè, & terminus est relatio fundata in generatione actiua, vt tribuēte denominationem perfectam generantis; relatio verò, qua refertur humanitas, fundatur immediatè in generatione passiua, vt dante denominationem geniti *imperfectè*, & *incompletè*, & idem est dicendum de relatione ipsam terminante: licet autem generatio, tam actiua, quam passiua, vt tribuentes perfectam, & completam denominationem geniti, & generantis, non distinguantur specificé à se ipsis in genere entitatiuo, vt tribuentibus imperfectas denominationes: in ratione tamen fundantium, *specificè* distinguuntur, quod à posteriori colligitur, ex eo quod relationes fundatæ oppositas conditiones exposcunt, nempé, inhærere *immediatè* supposito, & non *immediatè* inhærere. Et hæc de *hac Disput.* applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 4. §. 3.* ad illa verba *Cum Filius nullo modo sit Spiritus Sancti*, & *distinctione 10. §. 4.* ad illa verba: *Si verò quæritur.* *M. Sent.*



# TRACTATVS QVARTVSDECIMVS.

## De Prædestinatione Christi.

DE QVO D. Thomas in 3. dist. 10. q. 3. art. vnic. quæstiunculis tribus. Ad Annibaldum in eadem dist. q. vnica art. 4. Ad Rom. 1. lect. 3. & in hac 3. p. q. 24. quam diuisit in quatuor Articulos. Docens in primo: *Conuenire Christo prædestinatum esse, quod probat in argumento Sed contra, ex Paulo ad Roman. 1. vbi de Christo loquens, ait: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*: Deinde id ipsum probat in corpore art. *nam prædestinatio propriè accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore; sed hoc in tempore factum est per gratiam vnionis à Deo, vt homo esset Deus, & Deus esset homo; & consequenter est ab æterno præordinatum à Deo; aliàs diuinæ menti aliquid de nouo accideret: ergo ipsa vnio naturarum in persona Christi cadit sub æterna Dei prædestinatione, & ratione istius vnionis Christus dicitur esse prædestinatus.* Articulus primus.

In secundo Articulo docet: *Hanc propositionem esse veram, Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei*: quod probat primo *ex Augustino lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. vbi ait, ipsum dominum gloriæ, in quantum homo, factus est Dei Filius, prædestinatum esse dicimus.* Secundo id probat ratione. *Nam quæ sunt de ratione prædestinationis, nempè, antecessio, & terminatio ad donum gratuitum, conueniunt Christo ratione humanæ naturæ; non enim fuit semper* Articulus secundus.

*Verbo Dei vnita; illique hoc per gratiam est collatum, vt Filio Dei in persona vniretur: ergo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo; & consequenter Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei.*

Articulus tertius. In tertio Articulo præmissa duplici consideratione prædestinationis, nempè, secundum actum prędestinantis, & secundum terminum, ad quem aliquis prædestinatur, docet Angelicus Doctor, *prædestinationem Christi ex parte actus, non esse exemplar nostræ prædestinationis; vno enim, & eodem actu æterno prædestinauit Deus nos, & Christum*; & consequenter nō potest inter prædestinationē Christi, & nostram ex parte actus causalitas intercedere. *Ex parte autem termini fuit exemplar nostræ prædestinationis; Christus enim prædestinatus est esse Filius Dei naturalis; nos autem prædestinamur ad filiationem adoptiuam, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis.*

Articulus quartus. Et eadem distinctione præmissa docet articulo quarto, *Considerata prædestinatione secundum ipsum prædestinationis actum, prædestinationem Christi non esse causam nostræ prædestinationis, quia est vnus, & idem actus; si autem consideretur prædestinatio secundum terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis; sic enim Deus præordinauit nostram salutem ab æterno prædestinando, vt per Iesum Christum compleretur; sub prædestinatione enim æterna, non solum cadit id, quod est fiendum in tempore, sed etiam modus, & ordo, secundum quem est complendum in tempore.* Quæ Doctrina accipienda est de causalitate meritoria, vt inferius explicabimus, probaturque â Diuo Thoma in argumento Sed contra *ex Paulo ad Ephesios primo, illis verbis*: Prædestinauit in adoptionem filiorum per Iesum Christum.

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVINTA.

## An Christus, vt homo, prædestinatus sit esse Filius naturalis Dei?

### §. I.

*Quibusdam præsuppositis, ratio dubitandi proponitur, & vera sententia eligitur.*

Nu. 1. *Multiplex prædestinationis acceptio.*

SVPPOSITIS, quæ de prædestinatione in cõmuni 1. p. quæst. 23. tractantur, vt ad difficultatis punctum veniamus, breuiter est aduertendum, prædestinationem posse dupliciter accipi. Primo, pro ordinatione æterna rei in tempore exequendæ, siué ad ordinẽ naturæ, siué ad ordinem gratiæ pertineat, qua ratione omne, quod in tempore fit, sicut est de fide, esse à Deo ab æterno ordinatum, ita extra controuersiam est, esse ab æterno prædestinatum à Deo. Secundo, pro ordinatione æterna rei in tempore exequendæ, non ad ordinem naturæ, sed ad ordinem gratiæ expectantis, & sic non omne, quod in tempore fit, est à Deo prædestinatum, sed solum illa, quæ ordinem naturæ excedunt, & ordinem gratiæ attingunt, in illoque continentur.

2 *Prædestinatio alia absoluta, alia respectiua.*

Secundo est aduertendũ: prædestinationẽ sic sumptã, adhuc dupliciter accipi. Primo, pro ordinatione rei, quoad eius constitutionem, quæ vocari solet prædestinatio absoluta, & an sit proprié prædestinatio, ex dicendis in Disputationis discursu constabit. Secundo, pro ordinatione rei iam constitutæ ad aliquem finem, vel terminum, quo dici solet prædestinatio respectiua, & in omnium sententia, est prædestinatio proprié.

3 *Quatuor conditiones prædestinationis proprię.*

Tertio supponendum est, ad prædestinationem hoc vltimo modo acceptã requiri primo, quod obiectum, vel subiectum, quod prædestinari dicitur, sit prædestinante inferior, illique subordinatum. Secundo, quod aliqua ratione à termino distinguatur. Tertio, quod terminum aliqua ratione præcedat. Quarto, quod terminũ ad quem dirigitur non includat; ac deniq; quod terminus ex gratia illi competat, quæ conditiones qualiter sint accipiẽdæ, ex dicendis apparebit.

4 *De fide est Christum*

His positis, omnes Theologi conueniunt, in eo quod Christus aliqua ratione fuerit prædestinatus, quod esse de

*fuisse aliqua ratione prædestinat.*

fide constabit ex testimonio Pauli verbis *infra* referendis, & patet euidenti ratione, qua vsus est Divus Thomas *in hac quæst. art.* 1. omne enim, quod in tẽpore fit, est à Deo præordinatum ab æterno; cum ordinatio diuina nequeat in tempore incipere iure immutabilitatis; sed in tempore per gratiam vnionis est factum, quod & Deus esset homo, & homo esset Deus, ac Filius Dei naturalis: ergo est à Deo ab æterno ordinatum; sed diuina præordinatio eorum, quæ in tempore fiunt per gratiam, dicitur prædestinatio: ergo Christus, qui simul est Deus, & homo, Deique Filius naturalis, est aliqua ratione à Deo prædestinatus.

5 *Ratio dubitandi proponitur.*

Quod ergo in examen in præsenti vocamus est, an Christus, quatenus homo, aut hic homo sit proprié prædestinatus ad esse Filium Dei naturalem? Ratio dubitandi, ad quam aliæ reducuntur, eaque satis efficax, & difficilis est; nam prædestinatio subiecti ad aliquem terminũ, petit, quod terminus ad quem ex vi prædestinationis ordinatur, non contineatur intrinsecé in subiecto prædestinato; sed filiatio Dei naturalis intrinsecé continetur in Christo, quatenus homine: ergo Christus, quatenus homo, non potest proprié esse prædestinatus ad Filiationem Dei naturalem. Maior constat: nam subiectum ex vi prædestinationis ordinatum ad terminum, debet esse termino prius, illique ex gratia conuenit terminus, ad quem ordinatur, & ad ipsum peruenit ex vi prædestinationis; sed si includat in se terminum nequit terminum præcedere, nec illum ex vi prædestinationis habere; cum supponatur iam habitus, nec terminus potest tali subiecto per gratiam conuenire; cum ad eius constitutionem pertineat: ergo ad rationem prædestinationis exigitur, quod terminus illius in subiecto non includatur. Minor autem sic ostenditur; Christus, vt homo est compositus ex subsistentia Verbi, & humanitate; sed subsistentia Verbi est Filiatio: ergo est compositus ex natura humana, & filiatione diuina; & consequenter includit filiationem Dei naturalem.

6 Prima sentẽtia Durãdi.

Hac ratione conuictus Durandus *in* 3. *dist.* 7. *q.* 3. *num.* 9. negauit, Christum, vt hominem, posse proprié dici prædestinatum, vt esset Filius Dei naturalis, imo addit, minus propriam esse istam propositionem: *Hic homo* (signato Christo) *prædestinatus est, esse Filius naturalis Dei*, quam ista, *Filius Dei prædestinatus est, esse homo*; eo quod ista secunda, licet deficiat à proprietate sermonis, quia esse hominem non conuenit Filio Dei per gratiam, potuit tamen humanitas Filio Dei non conuenire: huic tamen homini Christo non fit gratia in hoc, quod sit Filius Dei naturalis, nec potest non esse Filius naturalis Dei. Eidem sententiæ adhæsit Lorca *in præsenti disp.* 85. *membro* 3. vbi docet, hanc propositionem: *Christus, in quantum homo, est prædestinatus, esse Filius Dei*, admittendam esse vt veram, non tamen vt propriam, pro qua refert Scotum *in* 3. *dist.* 7. *q.* 3. Bonauenturã *art.* 2. *quæst.* 3. Richardum *in eadem dist. q. & art.* Gabrielẽ *in* 3. *dist.* 10. *q. vnica art.* 3. Alensem 3. *p. q.* 3. *membro* 4. Qui omnes eatenus docent, dictam propositionem esse veram, quatenus in ea fit sensus, scilicet, prædestinatum esse, vt hic homo, (signato Christo) esset Filius Dei naturalis in tempore per gratiam vnionis humanitatis ad Verbum. In illamque connãtur Angelicum Doctorem adducere *in hac quæst. art.* 1. & 2. cuius veritatem inferius examinabimus.

*Lorca.*

*Scot. Bonav. Richar. Gabriel. Alens.*

Secunda, & probabilior sententia affirmat, propositionem istam: *Christus, in quantum homo, est prædestinatus Filius Dei naturalis*, non solum esse veram, sed propriam; ac per cõsequens Christum, in quantum hominem, proprié fuisse prædestinatum esse Filium Dei naturalem. Hanc tenet Angelicus Doctor *ad Rom.* 1. *lect.* 3. *in* 1. *dist.* 40. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 5. *in* 3. *dist.* 7. *q.* 3. *art.* 1. *ad Annibaldum in eadem dist. q. vnica art.* 4. & *in præsenti q.* 24. *art.* 1. & 2. vbi Caietanus dicẽs, D. Thomam in hac proprietate asserenda, & defendenda magnam assumpsisse prouinciam, Medina *in commentario art.* 1. *q.* 1. Vincentius *de gratia Christi q.* 7. *dub.* 1. & 2. *pag.* 933. & 949 Aluarez *in præsenti disp.* 77. Cabrera *art.* 1. *huius quæst. disp.* 1. & *art.* 2. *disp. vnica* Nazarius *contro.* 1. 6. *part.* & *contro.* 2. &

7 Secũda sentẽtia

3. Thc.

*Caiet.*

*Medina Vincent. Aluar. Cabrera. Nazar.*

Illustris-

Araujo. Suarez. Vazq. Gran. Merat. Beccan. Lugo. Cornel.

Illustrissimus Araujo *art. 2. dub. vnico.* Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *in præsenti disp. 50 sect. 2.* Vazquez *disp. 91. cap. 2.* Granadus *contro. 1. de Incarnatione disp. 2.* Meratius *disp. 52. concluſ. 2.* & probabile reputat Beccanus *cap. 19. q. 2.* Lugo *disp. 32 sect. 2.* & Cornelius *in 1. caput epistolæ ad Romanos.*

8 Cõclusio.

Quæ sententia à nobis pro conclusione statuitur, & ostenditur primo ex Paulo ad Romanos cap. 1. vbi de Christo loquens, sic ait: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* Super quæ verba Divus Thomas ibi lect. 3. sic ait: *Prædestinatio potest attribui personæ Christi secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuatur ipsi secundum quod in diuina subsistit; vnde, & Apostolus prius Filium Dei incarnatum esse præmisserat, & postea ei prædestinationem attribuit, vt intelligatur, prædestinatus esse, secundum quod factus est ex semine Dauid secundum carnem:* ergo ex verbis Pauli iuxta explicationem Angelici Præceptoris, Christus secundum quod homo (ideſt, vt in natura humana subsistens) proprié est prædestinatus, esse Filius Dei naturalis.

Prob. 1. ex Paul.

S. Tho.

9 Respondebis.

Respondebis, testimonium Pauli varias interpretationes habere ab ea, qua vtitur D. Thomas: nam Patres Græci loco verbi *prædestinatus*, legunt *declaratus*, ita vt sensus fiat declaratus est Filius Dei in virtute hominibus. Ita Chrisostomus, Theophilatus, Eucherius, Origenes, Theodoretus apud Cornelium *in cap. 1. relatum num. 16.* Origenes iuxta D. Thomam *in præsenti art. 1. ad 3.* pro *prædestinatus*, vertit *destinatus*, ita vt nulla anteceſsio importetur, & sic verũ est Christum destinatum esse, vt qui in se Filius Dei erat, Spiritus Sancti filiationem alijs concederet. Tertia expositio est Ambrosij, & aliorum, quos supresso nomine refert D. Thomas *lect. 3. relata, & in præsenti art. 1. ad 3.* admittẽtium cum Vulgata verbum *prædestinatum*, in rigore, cæterum pro termino assignant, non filiationem Dei naturalẽ, sed eius declarationem: ita vt Christus prædestinatus fuerit, non ad esse, sed ad manifestari Filium Dei naturalem hominibus. Alij autem, quos secutus est Caietanus super verba Pauli allegata, pro termino prædestinationis Christi constituunt non filiationem Dei naturalem, sed virtutem miraculorum: ita vt sensus sit, Christum fuisse prædestinatum ad virtutem miraculorum secundum spiritum sanctificationis: cum ergo interpretationes istæ probabiles sint ob Patrum auctoritatem, & iuxta illas Christus, vt homo, non sit proprié prædestinatus ad filiationem naturalẽ Dei; fit consequens, quod Pauli testimonio nostra conclusio non probetur.

10 Reijcitur solutio.

Sed contra: nam esto negari nequeat ob Patrum auctoritatẽ interpretationes relatas esse probabiles, probabilior tamen est expositio Diui Thom. sed iuxta illam Christus, in quantum homo, proprié est prædestinatus Filius Dei naturalis: ergo licet ex Paulo non colligatur, vt de fide nostra conclusio, vt tamen probabilior ex illius testimonio deducitur. Minor ex dicendis constabit. Maior autem ostenditur primo: expositio Diui Thomæ est conformior nostræ Vulgatæ lectioni, iuxta quam Christus non declaratus, nec destinatus, sed prædestinatus dicitur: verbum autẽ *prædestino* in vsu linguæ Latinæ, & omnium Scholasticorum, non declarationem, sed præordinationem significat; sed post Concilium Tridentinum Vulgatæ lectioni stare debemus: ergo probabilior est Diui Thomæ expositio. Secundo probatur; quia nulla ex his interpretationibus saluat in proprietate sermonis verba Pauli; benè autem expositio Diui Thomæ; sed verba Scripturæ sunt in rigore accipienda, cum nullum absurdum sequitur, vt in præsenti contingere, ex argumentorum solutione constabit: ergo præferenda est expositio Diui Thomæ, vt omnibus probabilior.

11 Prima, et 2. expositio, nõ saluãt cum proprietate verba Apostoli.

Maior probatur per singulas discurrendo: prima namque, & secunda interpretatio non saluant anteceſsionem, & rationẽ practicæ ordinationis; sed verbum *prædestino* in proprietate sermonis linguæ Latinæ, & anteceſsionẽ, & practicam ordinationem rei in tempore exequendæ significat: ergo prima, & secunda interpretatio non saluãt verba Pauli in proprietate sermonis. Nec ob hoc, vt benè notauit Lorca, reproban-

daeſt Græcorum PP. expoſitio: nã cum ille locus Sacræ Scripturæ duos ſenſus poſsit admittere, quando vox illos habet, & contextui non repugnat, eſt in vtroque ſenſu accipiendus, & ita accipienda ſunt verba Pauli, vt Chriſtus declaratus dicatur, & prædeſtinatus Filius Dei naturalis Primum, iuxta expoſitionem Græcorum Secundum, iuxta lectionem Vulgatam.

12 *Nec tertia prob. primo.*

Deinde; quod tertia expoſitio non ſaluet verba Pauli in rigore, probatur primo: quia rem fieri, vel eſſe, cum declaratur, eſt impropria, & figurata loquutio: ergo Chriſtum prædeſtinari ad manifeſtationem filiationis naturalis, non eſt proprié prædeſtinari Filiũ Dei naturalem. *Secundo.* Secundo: nam prædeſtinatio proprié, & in rigore accepta, eſt in ordine ad terminum, qui gratia ſit ſubiecto prædeſtinato, non alijs, ſed manifeſtatio filiationis naturalis, non eſt gratia facta Chriſto, ſed nobis. ergo Chriſtus non poteſt proprie dici prædeſtinatus ad hanc manifeſtationem. *Tertio.* Tertio: nam prædeſtinatio proprié ſumpta dicitur per ordinem ad finem vltimo per illam intentum; ſed manifeſtatio filiationis naturalis, non fuit finis vltimo intentus per ordinationem diuinam, qua ab æterno fuit ſtatutum, vt Deus fieret homo, & homo fieret Deus; aliàs hoc ipſum ſui manifeſtationem haberet pro fine: ergo Chriſtus non dicitur ad ſui manifeſtationem prædeſtinatus in proprietate ſermonis.

13 *Nec deinde vltima explicatio verborũ Apoſtoli proprietatẽ ſaluat.*

Et ex his etiam probatur vltimam expoſitionẽ, verborum Pauli proprietatem non ſaluare. Tum etiam, quia virtus miraculorum, cum ſit gratia gratis data, non ſubiecti cui datur, ſed aliorum reſpicit vtilitatem, vt docet Divus Thomas 1 2. q. 111. *art.* 1 ſed nullus proprié dicitur prædeſtinari ex ordinatione ad aliorum vtilitatem, ſed ex ordine ad finem ipſum perficientem ſubiectũ: ergo Chriſtus non dicitur proprié prædeſtinatus ad virtutem miraculorum. Secundo: nam licet hæc virtus Chriſto fuerit ab æterno præparata, non tamen ad illã fuit ordinatus, vt ad finem vltimo per Chriſti prædeſtinationem intẽtum; aliàs ipſa Verbi incarnatio fuiſſet ad hanc virtutem, vt ad finem ordinata: ergo ex ordinatione ad virtutem miraculorum, non poteſt Chriſtus dici in rigore prædeſtinatus. Denique maior probatur: nam expoſitio D. Thom. eſt expreſſa Auguſtini locis *infra* referendis: ergo eſt alijs probabilior.

14 *Secundo reſpõdet Lorca.*

Reſpondebis ſecundo cum Lorca *diſp.* 85. *memb.* 1. *num.* 9. expoſitionem D. Thom. & omnium Scholaſticorum verbum *prædeſtinatus* accipiẽtium in rigore, & pro termino filiationem naturalem quoad eſſe, & non quoad manifeſtari, & hominibus declarari, eſſe omnium probabiliſsimã, cæterum ex hoc non deduci, quod hæc propoſitio: *Chriſtus, in quatum homo, vel iſte homo Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis*, ſit propria, ſed tantum quod vera ſit: nam ad eius veritatem ſufficit, quod prædeſtinatum ſit ab æterno hunc hominem, ſignato Chriſto, eſſe Filium naturalem Dei. Ad proprietatem autẽ dictæ propoſitionis requiritur præter hoc, quod huic homini, Chriſto ſignato, vel quod Chriſto, in quãtum homini, conueniat per gratiam ex vi prædeſtinationis filiatio Dei naturalis, & quia primum verũ eſt; ſecundum autem eſt falſum, ideò admittenda eſt ex vi teſtimonij Pauli dicta propoſitio vt vera, non vero admitti debet vt propria.

15 *Impugnatur 1.*

Sed contra primo: nam iuxta hanc ſolutionem tametſi ſaluetur veritas præ dictæ propoſitionis, non tamen ſaluatur proprietas; ſed D. Thomas, non ſolum veritatem, ſed etiam proprietatem dictæ propoſitionis defendit: ergo tradita ſolutio menti D. Thom. quem pro ſua ſententia adducit Lorca, aduerſatur. Probo minorem, primo ex D. Thom. *in præſenti art.* 2. *ad* 3. illis verbis: *Magis propriè poteſt dici, quod Chriſtus ſecundũ quod homo eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei, quam quod Chriſtus ſecundum quod Filius Dei ſit prædeſtinatus eſſe homo.* Vbi vel ly *magis* ſumitur *aduerſatiuè*, & ſic prima propoſitio eſt propria; ſecunda verò nõ ita: vel ſumitur *comparatiuè*, & ſic vtraque propoſitio eſt propria: ergo Divus Thomas in Pauli propoſitione, non ſolum veritatem, ſed etiam proprietatẽ agnoſcit.

*Minor probatur primo.*

16 *Secundo S. Tho.*

Secundo ex eodem D. Thom. *art.* 1. *ad* 2. illis verbis: *Quidam dixerunt, prædeſtina-*

*destinationem Christi intelligendam esse de natura, non de persona, quia, scilicet, humanæ naturæ facta est hæc gratia, vt vniretur Filio Dei in vnitate personæ. Sed secundum hoc, loquutio Apostoli esset impropria, propter duo, &c.* Sed si D. Thomas in propositione Pauli veritatem, non autem proprietatem defenderet, inepté argumentaretur contra Auctores allegatos, ex eo quod iuxta illorum intelligentiá non esset loquutio Apostoli propria; cum etiam in illius sententia, impropria esset Pauli loquutio: ergo D. Tho. non solum veritatem, sed etiam proprietatē propositionis Pauli defendit.

17 *Secundo impugnatur.* S. Tho. Secundo tradita solutio reijcitur ex eodem D. Thoma *lect. 3. relata*, illis verbis: *Quidam alij prædestinationem ad ipsam vnionem referentes, non attribuerunt eam personæ, sed naturæ, vt sit sensus, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, idest, cuius natura prædestinata est, vt sit ei vnita, qui est Filius Dei in virtute. Sed hæc etiam expositio impropria est & extorta.* Quod repetit Angelicus Doctor *in hac quæst. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Nisi forte quis velit exponere, extorta expositione, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, idest, prædestinatum est, vt humana natura vniretur Filio Dei in persona.* Ex quibus habemus duo. Primum est, Angelicum Præceptorem, non solum veritatem loquutionis Pauli, sed etiam proprietatem illius propositionis tueri. Secundum est, expositionem Lorcæ esse à Diuo Thoma excluſam, vt impropriam, & extortā.

18 *Expositio Lorcæ vt impropria, & extorta excluditur à D. Thoma. Prob 1. Secundo.* Quod probo primo nā idem est dicere, *prædestinatum est hunc hominem esse Deum*, in quo solo sensu admittitur propositio Pauli à Lorca, ac dicere. *Prædestinatum est, vt natura humana vniretur Deo, vel Filio Dei*; sed hanc interpretationem reijcit D. Thomas, vt impropriam, & extortam: ergo primam, vt extortā, & impropriam excluſit. Secundo: nam expositionem illam ideò reijcit Divus Thomas, quia prædestinationem, quā Paulus de Christo, vt homine, enuntiat, ad vnionem referebat; sed iuxta Lorcam, etiam ad vnionem solum refertur; cum vnione præsupposita locus prædestinationi Christi, vt hominis, non detur, sed adæquatè sistat in illius vnione humanitatis ad Verbum: ergo interpretatio Lorcæ est à D. Thoma excluſa.

19 *Tertio.* Tertio: nam ideo expositio illa excluditur ab Angelico Doctore; quia esse Filium Dei naturalem, ad quod Paulus, Christum, vt hominem, enuntiat prædestinatum, non conuenit humanæ naturæ, sed personæ Christi, vt in illa subsistenti; sed iuxta Lorcam prædestinatio, quam Paulus de Christo, vt homine, enuntiat, non verificatur de Christo posito ex parte subiecti in ordine ad filiationem ex parte prædicati se habentem, sed de toto hoc complexo: *Christus Filius naturalis* tanquā de subiecto prædestinatum esse, enuntiatur: ergo eadē ratione, qua expositio illa à Diuo Thoma reijcitur, etiam expositio Lorcæ excluditur.

20 *Denique impugnatur.* Denique tradita solutio impugnatur; licet enim iuxta illam saluetur proprietas verbi *prædestinatus*, quo vtitur nostra Vulgata, non tamen saluatur proprietas propositionis, prout à Diuo Paulo statuitur; sed non minus inconueniens est, propositionem Pauli in sensu improprio explicare, quam in sensu improprio accipere verbum *prædestino*: ergo vtrumque est in sermonis proprietate accipiendum. Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; etenim verba Scripturæ sunt in toto rigore accipienda, nisi ex illo aliquod inconueniens sequatur; sed ex eo quod propositio Apostoli in sensu rigoroso, & proprio accipiatur, nullum inconueniens sequitur, vt ex dicendis cōstabit: ergo est in rigore, & proprietate accipienda.

*Cōfirmatur 1.*

21 *Cōfirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo; nisi propositio Pauli, non solum vt vera, sed etiam vt propria admittatur, non potest verbum *prædestino*, quo nostra Vulgata vtitur, rigorosam significationem habere; sed iuxta Lorcam, verbū illud *prædestinatus* est in rigore accipiēdum: ergo Pauli propositio est, non solum vt vera, sed etiam vt propria accipienda. Probo maiorem; non stat propria prædestinatio sine termino, qui sit propriè gratia respectu subiecti, quod sit propriæ prædestinationis capax; sed eo ipso, quod detur terminus, qui propriè sit gratia respectu subiecti cū proprietate prædestinabilis, debet propo-

sitio

sitio Pauli esse propria: ergo non stat proprietas verbi *prædestino*, quo vtitur lectio Vulgata, sine proprietate propositionis Pauli. Maior cōstat: sicut enim non stat possibilitas prædestinationis sine possibilitate subiecti prædestinabilis ita non stat possibilitas prædestinationis propriæ sine possibilitate subiecti propriè prædestinabilis: ac proinde nec sine possibilitate termini, qui cum proprietate sit gratia respectu subiecti prædestinabilis.

22 *Minor prob.* Minor autem probatur; eo ipso quod subiectum prædestinationis Christi sit Christus, quatenus homo, respectu filiationis naturalis Dei, propositio Pauli est non solum vera, sed propria; sed si subiectum dictæ propositionis nō sit Christus, quatenus homo, non saluatur subiectum, quod sit propriè prædestinabile ad esse Filium Dei naturalem: ergo eo ipso, quod saluetur subiectum propriè prædestinabile respectu prædicti termini, est vera, & propria propositio Pauli. Maior est certa. Minor autē probatur; nisi Christus, vt homo, sit prædictæ prædestinationis subiectum, solū restat humanitas Christi, quæ illi subiici possit; sed hæc non est subiectum propriè prædestinabile ad esse Filium Dei naturalem; cum non possit terminus cum proprietate prædicari de illa: ergo nisi pro subiecto istius prædestinationis constituatur Christus, vt homo, non assignatur subiectum proprium ad illum terminum prædestinabile.

23 *Secunda prob. cōclusio ex D. Aug.* Secundo probatur conclusio ex August. *in Enchiridione cap. 4. & lib. de prædest. Sanctorum cap. 15.* illis verbis: *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus*: ergo sentit Augustinus conuenire ex Dei gratia huic homini esse Christum; & consequenter ex vi prædestinationis. Et paulò inferi⁹, Pauli testimonio relato, sic infert: *Prædestinatus est ergo Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem Filius Dauid, esset tamen in virtute Filius Dei.* Sentit ergo Augustinus, Iesum, vt Filium Dauid, quod idem est ac Christum, vt hominem, fuisse prædestinatum, vt esset Filius naturalis Dei; & cōsequenter, Christum, vt hominem, ex vi prædestinationis prius obtinuisse filiationem Dei naturalem.

24 *Respōdet Vazq. primo.* Respondet Vazquez, testimonijs Augustini non posse nostram confirmari sententiam; eo quod Augustinus sæpé concreta pro abstractis vsurpat, hominem pro humanitate accipiendo, vt cum docet, Verbum assumpsisse hominem, & hominem assumptum in Incarnatione à Verbo, quæ verificari nequeunt, nisi concretum vsurpetur pro abstracto, quæ est impropria loquutio. Quod autem *loco allegato ex lib. de prædestinatione Sanctorum*, concretum pro abstracto accepisse; cum docuit, Christum, vt hominem, fuisse prædestinatū, probat; nam capite illo 15. de Christo loquens, sic ait: *Qui vt hoc esset, nempè, Deus, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei, præcedentibus meritis, humana natura, quæ in illo est comparauit? Respondeatur, quæso, ille homo, vtà Verbo in vnitate personæ assumptus Filius Dei Vnigenitus esset, vnde hoc meruit?* Vbi vt manifestè cōstat, hominem, quem dicit sine meritis prædestinatum, vocat hominem assūptum; sed Verbum non assumpsit hominem in concreto, sed humanitatem in abstracto, vt cum D. Thoma *supra q. 4. art. 3.* docent vniformiter Theologi: ergo cum docet, hunc hominem, nempé Christum, fuisse prædestinatum, vt esset Filius Dei naturalis, concretū pro abstracto vsurpat, hominem pro humanitate: ac proinde ex Augustino non potest efficaciter deduci hunc hominē in concreto, aut Christum, quatenus hominem, fuisse prædestinatum Filium Dei naturalem.

*Motiuū solutionis.*

Sed contra primo: nam hæc propositio est falsa: *Humanitas facta est Christus*, sicut hæc ab omnibus debet negari: *Humanitas Christi est Christus*. ergo si homo pro humanitate sumatur, accipiendo concretum pro abstracto, falsa esset hæc propositio: *Homo factus est Christus*; sed Augustinus prioribus verbis relatis docet: *Gratia, hominem factū Christum*: ergo non accipit concretum pro abstracto. Secundo: nam verbis vltimo adductis ex lib. de prædestinatione Sanctorum, non potest expositio tradita accōmodari, quod probo: nam docet: *Iesum prædestinatum esse, vt qui futu-*

25 *Cōtra 1.*

*Secundo.*

*futurus erat secundum carnem Filius Dauid esse in virtute Filius Dei*; sed his verbis non potest Augustinus vti cõcreto pro abstracto: ergo expositio huius Auctoris verbis Augustini non congruit. Probo minorem: si Augustinus vsurpasset concretum pro abstracto in illa propositione, hic sensus in illa fieret: *Prædestinatus est ergo Iesus, vt caro, quæ futura erat filia Dauid, esset in virtute Filia Dei*; sed in hoc sensu dicta propositio est falsa; falso enim de carne Christi enuntiatur, esse Filiam Dauid & Filiam Dei: ergo si Augustinus in illa propositione vsurpasset concretum pro abstracto, falsa esset Augustini propositio.

26 *Tertio.* Et ex his tertio contra solutionem datam, arguitur: tunc enim solum modus ille loquendi accipiendo concretum pro abstracto, attribuendus est Augustino, cum id, quod docet, non potest in alio sensu esse verum, sicut de illa propositione: *Verbum assumpsit hominem*, cõmuniter docetur à Theologis, nõ posse verificari, nisi concretum pro abstracto, impropria loquutione accipiẽdo: non autem, quando si concretum pro abstracto accipiatur, propositio redditur falsa; sed si Augustinus *in testimonio allegato* concretum pro abstracto vsurpasset, falsa esset illius propositio; falsũ enim est, humanitatem fuisse ex gratia factam Christum, & prædestinatam, vt esset Filia Dei naturalis. ergo malé, & falso exponitur in illa impropria, metaphoricaque loquutione, qua concretũ solet pro abstracto accipi. Nec obstat id, quod Vazquez in suæ interpretationis subsidium adducit: nam cum Augustinus vocat assumptum hominem, quem dicit prædestinatum, non sumit concretum pro abstracto; aliàs, vt diximus, illius propositio esset falsa, sed hominem sumptum in concreto, dicit assumptum, quia humanitas fuit assumpta, nomen causæ effectui attribuendo; homo namque in concreto est humanitatis effectus in genere causæ formalis; nomen autẽ causæ per synedochen attribui solet effectui; & ideo vocat Christum hominem assumptum *impropriè* loquendo.

*Ad motiuum P. Vazq. respond.*

27 *Secundo respondet Lorca.* Secundo respondet Lorca *vbi supra membr. 3. num. 28.* verum esse Augustinum propositionem illam concessisse, sed non curasse de loquutionis proprietate: quod probat: nam indifferenter loquitur de prædestinatione humanæ naturæ, & huius hominis Christi: humanitas autem improprié solum potest prædestinata dici: ergo cum Christo, vt homini, prædestinationem tribuit, non cogimur ipsum accipere in sermonis proprietate. Deinde: nam in tantum dicit prædestinatum, in quantũ homo, factus est Dei Filius; vnde non aliter sentit de hac propositione: *Hic homo prædestinatus est Filius Dei*; ac de ista: *Hic homo factus est Deus*: cum ergo hæc secunda propositio non sit vera in sermonis proprietate, pariter nec prima in proprietate sermonis ab Augustino conceditur.

*Duplex solutionis motium.*

Sed contra hanc solutionem obstat, sic explicare Augustinum esse parum de illius auctoritate curare. Et quidem tunc solum Augustinus interpretãdus est in improprietate sermonis; cum ex propria loquutione aliqua in illius dictis sequitur contradictio, vel aliquod inconueniens: in præsenti autem nihil istorum sequitur: ac proinde non est cur ipsum asseramus, improprié fuisse loquutum. Nec obstant, quæ in sui fauorem adducit prædictus Magister: non primum; nam falsum est indifferenter naturæ, & concreto prædestinationem tribuere; *locis enim allegatis* determinatẽ loquitur de hoc homine in concreto. Quod si alicubi naturæ prædestinationem attribuit, interpretandus est de prædestinatione, quæ omnino propria non est. tùm, quia ilium sic explicat D. Thomas, cuius interpretationi est standum, vt ipsi Augustini mẽti. Tum etiam, quia terminus prædestinationis, non potest proprié de natura prædicari. Et ex his secundæ coniecturæ occurritur: nam licet eisdem verbis de factione, & prædestinatione loquatur, non tamen eodem sensu: diuersitas autem sensus in vtroque dicto, ex Diuo Thoma colligitur.

28 *Reijcitur eius solutio.*

*Ad motiua solutionis respond.*

Tertio probatur conclusio ex Diuo Thoma *in hac q. 24. art. 2. in corpore, & solutione ad 3. & art. 1. solutione ad 2.* illis verbis: *Relinquitur ergo, quod prædestinatio attribuatur personæ Christi non quidem*

29 *Tertio Prob. cõclusio ex D. Tho.*

*dem secundum se, vel secundum quod subsistit in diuina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Vnde cum prædixisset Apostolus, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, sui tunxit, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, vt daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine Dauid secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute. Quamuis enim sit naturale illi personæ secundum se considerate, quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi conuenit per gratiam vnionis.* Hæc D. Thom. quibus non solum nostram conclusionem expressit, sed etiam rationem dedit: quam doctrinam repetit *solutione ad 3. Ad Romanos 1. lectione 3.* & locis omnibus *supra* citatis.

30 *Respõdet Lorca.*

Respondet Lorca, Diuum Thomã fuisse de prædestinatione non *strictè*, sed *largè* sumpta loquutũ, prout cadit non supra Christum vt hominem, positum ex parte subiecti in ordine ad filiũ enuntiatum vt prædicatum, sed supra totum complexum; ita vt fiat iste sensus, quasi modalis compositus *prædestinatus est, vt homo, esset Filius Dei in virtute.*

*Impugnatur solutio 1.*

Hæc tamẽ explicatio est omnino voluntaria, imo & violẽta contextui; vt enim *supra* arguebam⁹ D. Tho totus fuit in exponenda loquutione Pauli vt propria; aliàs quorsum illos impugnaret, qui prædestinationem Christi humanæ naturæ attribuebant, ex capite improprietatis, & illos, qui pro termino assignabant, non filiationem naturalem, sed eius declarationem, ex eodem inconuenienti reijceret, si Angelicus Doctor in eadem damnatione maneret?

31 *Secundo.*

Deinde: nam D. Thomas *art. 1. in solut. ad 3.* discrimen statuit inter has propositiones: *Christus factus est Filius Dei, & Christus prædestinatus est Filius Dei,* & asserit secundam esse magis veram, quam primam, quod an comparatiué, an aduersatiué loquatur, inferius examinabimus; sed iuxta Lorcæ explicationem, nullum est inter prædictas propositiones discrimen; sicut enim ista propositio est vera: *Prædestinatum est Christum esse Filium Dei*: ita etiam, & eadem proprietate, ista propositio est vera: *Factũ est quod Christus sit Filius Dei naturalis*, vt expressé fatetur Lorca *memb. 3. num. 26.* & ab omnibus admittitur: ergo tradita solutio menti Angelici Præceptoris non congruit, sed est omninò voluntaria, imo & violenta contextui.

32 *Vltimo prob. conclusio ratione D. Thomæ.*

Denique probatur conclusio ratione ex allegato testimonio Angelici Præceptoris desumpta, & ad hanc formam redacta: ad id, quod Christo, vt homini, conuenit in tempore ex gratia, prædestinatus est ab æterno; sed Christo, vt homini, conuenit per gratiam vnionis, esse in tẽpore Filium naturalẽ Dei: ergo Christus vt homo, vel vt subsistens in humana natura, prædestinatus est ab æterno, vt esset Filius Dei naturalis. Consequutio tenet ex forma. Maior cõstat: nam iuxta Augustinum & communem Theologorum sententiam, prædestinatio *est præparatio gratiæ*; sed gratia Christo vt homini, communicata in tempore, est illi præparata à Deo, prædispositaque ab æterno: ergo ad id quod Christo, vt homini, conuenit in tempore ex gratia, prædestinatus est ab æterno. Minor autem, præterquam quod ex argumentorum solutione cõstabit, probatur: nam licet personæ Christi, vt in diuina natura subsistenti, & secundum naturam diuinam, sit naturale, esse Filium naturalem Dei, non tamen est ei naturale, secundum naturam humanam, vel vt in humanitate subsistenti: ergo esse Filium Dei naturalem, vt in humanitate subsistentem, conuenit Christo, vt homini, per gratiam; & consequenter, vt homo, est proprié prædestinatus, esse Filius naturalis Dei.

## §. II.

### *Quatuor solutiones rationis dubitandi excluduntur.*

33 *Prima solutio Caietani ad rationẽ dubitãdi.*

RATIO dubitandi in limine disputationis proposita, ob sui ingentem difficultatem, in varios modos dicendi Auctores nostræ sentẽtiæ diuisit. Prima solutio, primusque modus dicẽdi, est Caietani *in præsenti art.* 1. vers. *Secunda conditio*, vbi Christum vt hominẽ docet meditari posse dupliciter. Primo, vt incarnatum abstrahendo à modo vero incarnationis per vnionem personalem, & à modo ab hæreticis conficto per vnionem accidentalem. Secundo, vt incarnatum per vnionẽ personalem, ideſt, humanitatis substantialiter vnitæ Verbo Dei in vnitate personæ; & quia inter Verbum, vt incarnatũ, abstrahendo à modo speciali Incarnationis, & idem Verbum, vt taliter incarnatum, scilicet, per vnionem substantialem personalem, intercedit distinctio rationis, vt inter commune, & propriũ: fit, quod Verbum à nobis conceptum vt incarnatum, dicatur prædestinari ad specialem modum Incarnationis per vnionem personalem. Iuxta quem modum dicendi, occurritur rationi dubitãdi, negando minorẽ. Nam filiatio Dei naturalis, etsi includatur in Verbo, vt Incarnato per vnionem personalẽ, qualiter non est subiectum, sed terminus prædestinationis, non tamen includitur in Verbo, vt Incarnato sub illa communi ratione, qualiter est prædestinationis subiectum. Nam nisi cõtraheretur hæc communis ratio Incarnationis per illũ specialem modũ Incarnationis per vnionem personalem, Verbum vt Incarnatum Filius Dei naturalis non esset

34 *Reijcitur primo.*

Hæc tamen Caietani subtilitas displicet, non solum exteris, sed etiam nostris Thomistis. Primo, quia ratio cõmunis, non nisi nimis improprié potest dici prædestinari, vt contrahatur per rationem differentialem. Tum, quia prædestinatio ex ratione prouidentiæ petit erga singularia, tam *subiectiuè*, quam *terminatiuè* versari. Tum etiam, quia ratio cõmunis capax gratiæ propriè suscipiendæ non est: ergo adhuc illa distinctione admissa, non saluatur prædestinationis Christi proprietas, quam teste Caietano, D. Thomas defensandam suscepit.

35 *Secundo.*

Secundo; nam vt hæc propositio sit vera in proprietate sermonis: *Verbum vt Incarnatum, vel vt homo prædestinatus est Filius Dei naturalis*, non solum debet terminus prædestinationis propriè conuenire subiecto, sed etiam humanitas ex parte subiecti vnita media copula implicationis, propriè debet prædicari de Verbo; sed de Verbo vt Incarnato Incarnatione abstrahente ab vnione personali substantiali vera, & accidentali conficta, non prædicatur propriè esse hominem: ergo assignato pro subiecto Verbo vt Incarnato sub ea ratione communi, non saluatur proprietas propositionis Apostoli, Augustini, & D. Thom. Minor est certa; tum, quia prædicatum, quod propriè de ratione superiori enũtiatur, propriè etiam dicitur de omni inferiori; at de Verbo vt Incarnato per vnionem solum accidentalem ab hæreticis cõfictam non prædicatur cũ proprietate esse hominẽ: ergo nec de Verbo Incarnato Incarnatione sũpta in illa cõmuni ratione. Tum etiã; nã de Verbo nõ prædicatur esse propriè hominẽ, nisi media propria Incarnatione; at Incarnatio prout à Caietano sumitur, *propriè* Incarnatio nõ est, sed *æquiuocè*, vel ad summum *analogicè*, analogia omninò impropria, Incarnatio nuncupatur: ergo media Incarnatione sic sumpta nõ potest de Verbo enuntiari cum proprietate esse hominem, nec in humanitate subsistens.

36 *Maior probatur.*

Maior autem probatur & explicatur; vt enim hæc propositio sit vera: *Homo vt albus dispergat visum*, requiritur, quod homini conueniat albedo, verẽque ratione illius dispergeret visum. Et ratio manifesta est; nam in hac propositione, & alijs eiusdem modis, duo de

subie-

subiecto enuntiatur, scilicet, prædicatū, media principali copula affirmatum de subiecto, & id quod ex parte subiecti ponitur cum copula implicationis; vnde propositio ista: *Homo, vt albus, disgregat visum*, ita resoluitur: *Homo est albus, & homo disgregat visum*: ergo pariter, & eadē ratione, vt hæc propositio sit vera: *Christus, vt homo, vel vt in humanitate subsistens, est prædestinatus esse Filius Dei naturalis*, requiritur, quod vtrumq; veré, & proprié Christo conueniat, nēpé, esse hominem, aut subsistentem in humanitate, & esse Filium naturalem Dei; secundum, quia principaliter de Christo in illa propositione enūtiatur; & primum, quia enuntiatur humanitas, & subsistentia in illa de Christo media copula implicationis.

37 *Secundo respōdet Cornelius*

Secundus modus dicendi est Cornelij *super epistolā ad Romanos cap.* 1. vbi ait: subiectum prædestinationis Christi esse Christum, vt hominē, vel hunc hominem, signato Christo, vt concretum existentiæ, non verò vt concretum ex subsistentia Verbi, & humanitate, fuisseque prædestinatum ad Diuini Verbi subsistentiam, per quam ex vi prædestinationis Filius Dei naturalis constituitur. Iuxta quem modum dicendi occurritur rationi dubitandi initio disputationis propositæ, negando minorē. Nam Christus est prædestinationis subiectum, vt homo existens, non autem vt homo subsistens; licet autem in homine, vt subsistente subsistentia Verbi, includatur filiatio Dei naturalis, non tamen includitur in hoc homine, vt existente.

38 *Impugnatur* 1.

Hic tamen modus dicendi, & à veritate est alienus, & à mente Diui Thomæ. Primo: quia humanitas non existit mediante propria existentia, sed per existentiam diuinam media hypostasi Verbi illi vnita, vt docet Divus Thom. *supra q.* 17. *art* 2. sed existentia naturæ diuinæ non communicatur humanitati Christi immediatē, sed mediante personalitate Verbi relatiua; alias fuisset immediatē vnita naturæ diuinæ secundum aliquod prædicatum absolutum, contra communem Theologorum sententiam *supra q.* 2. *art.* 2. & 3. ergo prius intelligitur, hic homo Christus subsistēs, quam intelligatur existēs; & consequenter vt concretum existentiæ, non fuit subiectum prædestinationis ordinatum ad vnionem cum subsistentia Verbi sub ratione subsistentiæ.

39 *Secundo.*

Secundo; nam subiectum prædestinationis est Verbum, quatenus hic homo, aut hic homo: ergo est Verbum prout de illo humanitas enuntiatur; sed humanitas non enuntiatur de Verbo, nisi vt ipsi personaliter vnito: ergo subiectum huius prædestinationis est Verbum, vt personaliter vnitum humanitati; sed Verbum vnitur humanitati, media propria subsistentia: ergo ex parte subiecti includitur, non solum existentia humanitatis, sed etiam personalis Verbi subsistentia.

40 *Tertio.*

Denique: nam dato humanitatem Christi propriam in ipso existentiam retinere, & illa mediante existere, vt extra Scholam Diui Thomæ communiter circumfertur, adhuc affirmari non potest subiectū prædestinationis Christi esse concretum ex humanitate, & existentia; sed necessario est dicendum esse concretum ex subsistentia Verbi, & humanitate: ergo adhuc præfata sententia admissa, secundus modus dicendi deficit à veritate. Probo antecedens: subiectum prædestinationis est hic homo, signato Christo; sed concretum ex humanitate, & propria existentia non est, nec potest dici hic homo: ergo hoc concretum non est prædestinationis Christi subiectum.

41 *Minor prob.* 1.

Minor ostenditur primo: si namq; humanitas existeret sine omni suppositō, quod pluresdocent de potentia Dei absoluta factibile, non posset dici hic homo, sicut nec persona humana; & tamen esset concretum ex humanitate, & existentia: ergo concretum hoc, nō potest dici hic homo. *Secundo*: nam in sententia suppositā, Verbum assumpsit humanitatem propria existentia existētem: ergo assumpsit concretum ex humanitate, & existentia; & tamen non assumpsit hominē, & multo minus hunc hominem, vt communiter docetur à Theologis cum Diuo Thoma *supra q.* 4. *art.* 3. ergo concretum ex humanitate, & existentia, non potest dici hic homo.

Tertius

42 Tertio respondet Suarez.

Tertius modus dicendi, & tertia rationis dubitandi solutio est Patris Suarez vbi *supra sectione secunda, vers. Quo circa veris, ac proprius, &c.* vbi docet subiectum prædestinationis esse hunc hominem singularem: non tamen conflatur ex hac subsistentia determinatè, & natura humana vnita, sed ex subsistentia hac, vel illa *vagè* sumpta, vt abstrahit ab humana, & diuina, & hac numero humanitate; vnde subiectum prædestinationis est subsistēs *vagè* hac, vel illa subsistentia in hac numero humanitate, quod dicitur, & est hic homo, quia vt talis sit, & dicatur sufficit singularitas humanitatis: terminus autem est subsistens, hac determinata subsistentia Verbi, vnde terminus non includitur in subiecto, sed gratiosè, & accidentaliter illi conuenit ex vi prædestinationis. Per quod ad rationem dubitandi constat solutio.

43 Reijcitur primo.

Hic tamen modus dicendi principijs Diui Thomæ non consonat, & reijcitur primo: nam iuxta Divum Thomam hic homo est prædestinationis subiectum, vt hæc humana persona; sed hæc humana persona dicit hanc numero subsistentiam personalem: ergo subiectum prædestinationis Christi non est hic homo, vt conflatus ex subsistentia vaga, & communi, singularique humanitate. Minor constat; nam significatum formale, & pro quo in recto supponit persona humana, est subsistentia personalis connotata humanitate: ergo hæc persona humana hanc singularem personalitatem importat, quo circa tres personæ diuinæ non possunt hæc persona, aut vna persona dici, quia licet in vna Deitate conueniant, gaudent subsistentijs personalibus distinctis. Maior autem sic probatur; subiectum prædestinationis Christi est hic homo, vt denominabilis Filius naturalis Dei; sed vt sæpé ex Diuo Thoma monstrauimus, subiectum ad quod immediatè comparatur filiatio, non est natura, sed persona connotata in obliquo natura: ergo hic homo, vt à Diuo Thoma statuitur prædestinationis subiectum, est hæc humana persona.

44 Secundo.

Secundo reijcitur ex Diuo Thoma *quæstione 16. articul. 11. ad tertium*, illis verbis: *Dicendum, quod cum dicitur iste homo pronomen demonstrationis hoc, nomen homo trahit ad suppositum, & ideo magis est hæc vera, Christus secundum quod ille homo est Deus, quam ista, Christus secundum quod homo est Deus*; quod etiam docuit *in tertio distinctione 10. quæstione prima articulo primo quæstiuncula secunda in corpore*: ergo iuxta D. Thomam, homo ex vi pronominis demonstratiui trahitur, vt stet pro subsistente subsistentia determinata: & consequenter hic homo, signato Christo, vt est prædestinationis Christi subiectum, non dicit solam singularem humanitatem, sed etiam singularem, determinatamq; subsistentiam.

S. Tho.

45 Tertio.

Tertio; vt enim docet hic Auctor *supra disputatione 11. sectione quinta dicto secundo*, Deus nihil aliud significat quā subsistens in Deitate: ergo *homo* significat subsistens in humanitate; & consequenter *hic homo* nō significabit subsistens hac, vel illa subsistentia in hac numero humanitate, sed hoc subsistēs in hac humanitate. Prima cōsequentia ex antecedenti colligitur: secunda autē probatur; nam determinatio pronominis demonstratiui cadit supra significatum *hominis*: ergo si *homo* significat subsistens in humanitate, *hic homo* significare debet hoc subsistens in hac humanitate.

46 Quarto.

Denique impugnatur; nam *hic homo*, vel significat subsistens in humanitate, vel pro illo supponit; sed subsistens per subsistentiam communem nō potest proprié prædestinari ad subsistendum in illa hac subsistentia determinatè: ergo *hic homo*, vt à prædicto Auctore constituitur, nequit esse subiectum prædestinationis Christi habentis pro termino filiationem naturalem Dei. Probatur minor primo: subsistens in humanitate subsistentia diuina, non potest prædestinari ad subsistendum, hac determinata subsistentia diuina, Patris scilicet, aut Filij: ergo subsistens in humanitate absolutè, non potest prædestinari ad subsistendum in humanitate subsistentia, quæ est filiatio. Secundo Verbum Incarnatum abstrahendo à modo Incarnationis substantialis, vel

Minor probatur primo.

Secundo.

accidentali, non poteſt prædeſtinari ad modum Incarnationis per vnionem ſubſtantialem: ergo pariter ſubſiſtens *vagè* in hac humanitate prædeſtinari non poteſt ad ſubſiſtendum in hac numero ſubſiſtentia. Tertio: nam prædeſtinatio, vtpoté pars prouidentiæ, non circa vniuerſalia, ſed circa ſingularia verſatur, quo circa nec animal vt ſit homo, nec homo, vt ad eſſe Petri contrahatur, poteſt proprié dici per naturalem prouidentiam ordinari, nec homo gratus vt ſic, ad hanc, vel illam gratitudinem habendam proprié prædeſtinari poteſt: ergo nec ſubſiſtens *vagè* hac, vel illa ſubſiſtentia in hac numero humanitate, poteſt dici proprié prædeſtinari ad ſubſiſtendum in illa per ſubſiſtentiam determinatam Verbi, quæ filiatio eſt.

*Tertio.*

47 *Quarto reſpondet Vazq.*

Quartus modus dicendi cum præcedenti conuenit in eo quod ex parte ſubiecti prædeſtinationis Chriſti non importatur determinaté hæc numero ſubſiſtentia, ſed ſolum ſubſiſtentia *vagè* in hac numero humanitate; diſidet tamen ab illo, quod aſsignat pro ſubiecto prædeſtinationis Chriſti hunc hominem in concreto importata in recto natura, & connotata in obliquo ſubſiſtentia, non *determinate* accepta, ſed *vagè*, in quo ſic accepto, non includitur filiatio Dei naturalis, ſed illi ex gratia coniungitur. Ita Vazquez *diſputatione citata cap. tertio numero 21. & ſequentibus*: quod probat ex his, quæ prædictus Auctor docuerat *1. p. diſput.* 157. & *in hac 3. part. diſput.* 36 nempé, concreta ſubſtantiua naturarum, v.c. *homo*, directé ſignificare, & ſupponere pro natura: connotare autem ſuppoſitum indirectè, & conſequenter: ex quo infert, etiã addito pronomine *hic*, vel *iſte*, ſcilicet dicendo, *hic homo*, non trahi ad ſtandum pro ſingulari ſuppoſito, ſed pro ſingulari natura cum connotatione ſuppoſiti *vagè* ſumpti. Ex quo vlterius infert, hunc hominem ſingularem fuiſſe prædeſtinationis ſubiectum, importando de connotato ſuppoſitum *vagè* acceptum: non autem ſuppoſitum Filij Dei; ac proinde huic ſubiecto ex gratia, & per prædeſtinationem conuenire eſſe Filium Dei naturalem.

*Motiuũ ſolutionis.*

Modum iſtum dicendi, improbabilem cenſet Illuſtriſsimus Arauio *vbi ſupra* verſ. *Sed hæc ſolutio*: illumque reijciunt aliqui: nam hic homo idem eſt, quod hæc perſona; ſed hæc perſona, determinatam, & ſingularem ſubſiſtentiam importat: ergo hic homo determinatam, & ſingularem connotat ſubſiſtentiam. Probant maiorem; perſona *eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia*; ſed hic homo eſt individua ſubſtantia rationalis naturæ: ergo hic homo idem eſt, quod hæc perſona. Hæc tamen impugnatio non vrget. Primo: nam individua ſubſtantia dupliciter ſumitur: primo, pro ſubſtantia ſingulari: ſecundo, pro ſubſtantia incommunicabili. Primo modo importatur, per hic homo: ſecundo modo, in diffinitione perſonæ; vnde non ſequitur, idem eſſe hic homo; atque hæc ſingularis perſona.

48 *Aliquorum impugnatio*

*Ineficax eſt 1.*

Secundo: nam hic Deus non eſt idem, quod hæc perſona diuina; aliàs cum hic Deus ſit communis tribus perſonis diuinis, illis eſſet communis vna perſona, quod eſt hæreticum: ergo pariter hic homo, non eſt idem, quod hæc perſona humana.

*Secundo.*

Reſpondebis, negando conſequentiam. Nam in Deo datur ſubſiſtentia abſoluta ſingularis, realiter communis tribus perſonis diuinis, quæ perſonalis non eſt, & hæc importatur ab hoc Deo ſingulari tribus perſonis communi, quin ab illo ſignificetur perſonalitas diuina. Cæterum reſpectu humanitatis non datur hæc diſtincta ſubſiſtentia, nõ habens perſonalitatis rationem; & quia pronomen *hoc ſingulare* importat ſingularem ſubſiſtentiam; fit conſequens, quod homini adiunctum deſignet ſingularem perſonam.

49 *Reſpondebis.*

Sed contra primo; nam de fide eſt, tres Diuinas Perſonas eſſe hunc numero Deum; & tamen non eſt de fide, dari ſubſiſtentiam abſolutam realiter illis communem: ergo nomen commune determinatum pronomine ſingulari, non connotat ſubſiſtentiam determinatam in ſingulari. Secundo: nam de fide eſt, Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti, vt cũ Diuo Thoma *prima parte quæſtione* 36.

50 *Contra 1.*

*Secundo.*

*articulo quarto*, docent communiter Theologi ex Concilio Lugdunensi *in cap. fideli sexto*: ergo sunt hoc principiũ Spiritus Sancti; & tamen non dari aliquid spirans vt *quod* singulare illis cõmune per realem communitatem, cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus *loco allegato*: ergo *hic Deus*, vel *hic homo*, non connotant ex vi terminorum singularem subsistentiam, vel singularem personalitatem.

51 *Tertio.* Tertio reijcitur; nam casu, in quo tres diuinæ personæ eandem humanitatem assumerent, fore non tres homines, sed vnum hominem dicendas, docuit Divus Thomas *supra quæstione tertia articulo sexto ad primum*; sed non dicerentur esse vnum hominem *vagè*: ergo dicerentur vnus singularis homo; & consequenter hic homo; & tamen non daretur aliqua singularis subsistentia communis tribus Diuinis Personis, vt humanitatem terminantibus. Tùm, quia probabile est non dari in Deo hãc communem subsistentiam absolutam. Tùm etiam; nam esto detur vt probabilius censuimus *Tractatu de Trinitate*; non tamen primo, & per se terminaret humanitatem, posset enim vnio fieri immediatè ad subsistentias personales trium diuinarum personarum; & sic fieri supponebat Divus Thomas, quo in casu pro priori ad vnionem cum hac subsistentia communi, dicerentur vnus homo singularis; ergo ab hoc homine, non connotatur determinata, singularisque subsistentia, aut personalitas; & consequenter non sunt idem, hic homo, & hæc singularis persona.

52 *Secundo impugnatur ab aliis.* Secundo impugnari solet: nam esto *hic homo* in recto pro natura humana supponat, & in obliquo tantum, vel de connotato subsistentiam importet, nihilominus ex vi pronominis singularis demonstratiui, determinata, & singularis subsistentia importatur: ergo fundamentum Auctoris contrarij deficit. *Antecedens probatur primo.* Antecedens probatur primo; potentia generatiua non nisi in obliquo, & de connotato relationem importat; & tamen denotat determinatam, singularemque relationem, scilicet paternitatem: ergo quamuis *hic homo* de connotato solum, & in obliquo importet suppositum, illud tamen non *vagè*, sed *determinatè*, & in singulari designat.

*Secundo.* Secundo: nam actus liber solum de connotato importat obiectum creatum; & tamen hoc liberum Dei decretum, quatenus ab alio distinctum, non potest intelligi sine hoc numero obiecto: ergo idem quod prius. *Tertio.* Tertio, & redditur omnium ratio; nam quando aliquid importatur, non vt determinabile, sed vt determinans, esto in obliquo, & de connotato ingrediatur, non in confuso, sed determinatè, & in singulari connotatur; at subsistentia importatur per pronomen demonstratiuum *hic* additum isti termino *homo*; vt determinans: ergo estò in obliquo, determinatè tamen ingreditur, & connotatur. Probant minorem: nam proprium munus subsistentiæ est terminare, & determinare naturam: ergo non vt determinabilis, sed vt determinans importatur.

53 *Non vrget hoc argumentum.* Sed non vrget hoc argumentum; nam instatur, sicut primum, & facili negotio poterit à contrario Auctore illi occurri, negando antecedens. *Ad 1. & 2. probationem.* Ad primam, & secundam probationem, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Aliud enim est, quod importari aliquid in obliquo *positiuè* inferat, peratque non importari determinatè; aliud verò, quod permittat: duæ antecedentis probationes, primum probant: non autem secundum; ex eo nãque, quod ingrediens in obliquo aliquando determinatè importetur, solum probatur, determinationi non obstare, quod id, quod in obliquo importatur designetur determinatè, & singulariter, non verò, quod semper necessarium sit, ita importari: differentiam autem constituet; nam potentia generatiua talis conditionis est, quod non possit intelligi, nisi vt in Patre determinatè, & decretum hoc liberum; cum pro recto nullam ab alio distinctionem importet, vt distinctum intelligatur, petit distinctum obiectum: cæterum concretum substantiæ, quia vnitatem accipit à forma; fit, quod ad hoc, quod vnum, & singulare in-

telligatur, non requirat ſingulare ſuppoſitum.

54. *Ad tertiã* Et ex hoc ad tertiam probationem conſtat ſolutio. Nam ſuppoſitum non importatur per pronomen ecceitatis, vt determinans, danſque ſingularitatem, vel vnitatem concreto; cum illam à forma habeat, nec munus illius eſt determinare indiuiduationem concreti ſubſtantialis, ſed determinare ad eſſe ſingularem perſonam: ex quo tãtũ ſequitur, quod cum additur iſti termino *perſona*, dicendo ſcilicet: *Hæc perſona*, ſingularem perſonalitatem deſignet: non autem quod cum additur huic termino *homo*, qui eſt concretum de formali dicens non perſonalitatem, ſed naturam.

55 *Tertio impugnatur à Lorca.* Tertio impugnatur à Lorca *membro ſecundo numero* 19. & ab aliis Recentioribus: nam eſto *hic homo* non importet de connotato hanc determinatam ſubſiſtentiam ex vi ſignificationis, ſed hanc, vel illam *vagè*, & inconfuſo acceptam, in re tamen *hic homo*, ſignato Chriſto, determinatam ſubſiſtentiam importat; at terminus prædeſtinationis comparatur, vt ad ſubiectum, ad hunc hominem prout in re: ergo comparatur ad illum, vt hac determinata Verbi ſubſiſtentia terminatum; & conſequenter hic homo, prout eſt ſubiectum prædeſtinationis Chriſti, filiationem includit.

56 *Cõfirmãt primo.* Confirmant primo; nam Chriſtus non eſt ſubiectum prædeſtinationis, vt exiſtit in noſtro intellectu, ſed prout in diuino exiſtit; at licet prout obijcitur noſtro intellectui, ſubſiſtentiam non determinatè, ſed vagè, & in confuſo importet, prout tamen obijcitur menti Dei, hanc confuſionem non habet. Tùm, quia Deus omnia vt in re ſunt, cognoſcit. Tùm etiam, quia nihil poteſt confuſè intelligere. Tùm denique: nam huiuſmodi confuſio non ſtat abſque diſtinctione rationis inter ſubſiſtentiam *vagè*, & *determinatè* acceptam: Deus autem diſtinctionem rationis non facit: ergo hic homo connotata ſubſiſtentia in communi, non poteſt eſſe ſubiectum prædeſtinationis Chriſti.

57 *Cõfirmãt ſecundo.* Confirmant ſecundo: nam eſto admitteremus *hunc hominem* poſſe habere ſuppoſitionem vagam reſpectu cognitionis ſpeculatiuæ Dei, reſpectu tamen cognitionis practicæ, qualis eſt prædeſtinatio, non poteſt illam habere: ergo nequit eſſe vt *confuſè*, aut *vagè* connotat ſubſiſtentiam, prædeſtinationis Chriſti ſubiectum. Conſequentia patet. Antecedens autem probatur: nam cognitio practica, qualis eſt prædeſtinatio, diſponit res, & earum executionem ſecundum realem exiſtentiam: ergo attingit res, vt realiter exiſtentes; ſed hic homo vt exiſtens realiter hanc determinatam ſubſiſtentiam importat: ergo vt obijcitur prædeſtinationi diuinæ, ſuppoſitionem vagam, & indeterminatam non habet.

Hoc tamen argumentum non vrget, & inſtatur euidenter in ſententia Lorcæ, & Noſrorum Thomiſtarum, qui hoc argumento vtuntur; Lorca namque *membro ſecundo numero* 14. fatetur, hanc propoſitionem eſſe veram: *Homo prædeſtinatus eſt Filius Dei*: termino ſupponente immobiliter, ſicut ſupponit in hac propoſitione: *Homo eſt ſpecies*: quod etiam noſtri Recentiores fatentur; ſed homo, vt eſt iſtius prædeſtinationis ſubiectum, non diſtinguitur realiter ab hoc homine Chriſto, ſed tantum ratione noſtra ratiocinata: ergo diſtinctio rationis non à Deo, ſed à nobis facta, ſufficit ad eſſe obiectum prædeſtinationis diuinæ, quantumvis practica ſit, & rem vt exiſtentem reſpiciat, & diſtinctionem rationis non faciat. Præterea in ſententia noſtrorum Thomiſtarum inſtatur; ipſi namque fatentur Chriſtum, vt ſubſiſtentem in natura humana eſſe prædeſtinationis ſubiectum: vt autem ſubſiſtentem in diuina, & Filium Dei naturalem, eſſe eiuſdem prædeſtinationis terminum; ſed inter hoc ſubiectum *quod*, & terminum illum *qui* non interuenit, niſi diſtinctio ſola rationis: ergo hæc diſtinctio, quamuis non à Deo, ſed à nobis facta, ſufficit ad ſaluandum ſubiectum prædeſtinationis Chriſti, quantumvis practica ſit, tendens ad rem, vt eſt in ſe, & diſtinctionem rationis non formans.

58 *Nec hoc argumentum conuincit, et inſtatur in ſententia Lorcæ.*

*Inſtatur in ſententia Thomiſtarũ, illo vtentium.*

Et

59 *Cõfirmatur.*

Et augeo difficultatem; terminus prædestinationis cõfertur subiecto prædestinato, non vt est in nostro intellectu, sed quatenus est in re. Christus autem vt in humanitate subsistens, non distinguitur in re a seipso, vt subsistente in Deitate, Deique Filio naturali; & tamen propter distinctionem rationis à nobis inter ipsum vt hominem, & ipsum vt Deum, vel vt in Deitate subsistentem formatam, constituitur ab ipsis pro subiecto Christus vt in humanitate subsistens, & pro termino idem Christus, vt subsistens in Deitate: ergo quamuis terminus prædestinationis non conueniat subiecto, quatenus in nostro intellectu sed quatenus in diuino, & quatenus est in re, vbi cõfusam suppositionem non habet sufficiet suppositio confusa, quam hic homo habet in nostro intellectu, vt constituatur pro subiecto prædestinationis hic homo, vt subsistens *vagè* in hac numero humanitate, & pro termino subsistentia filij determinata.

60 *Instatur tertio.*

Deinde idem argumentum instatur: nam inter actualitatem, & deformitatem peccati non est realis, sed rationis distinctio, & tamen quamuis causalitas diuina non tendat ad actualitatem illam, prout in nostro intellectu, sed quatenus in diuino, & quatenus est in re, terminatur ad actualitatem, & non ad deformitatem, quin Deus distinctionem rationis efficiat: ergo pariter quãuis diuina prædestinatio sit de rebus prout in re, & prout in diuino intellectu, & inter subiectum prædestinationis, & terminum, realis distinctio non sit, sed solum distinctio rationis, poterit absque eo quod illam formet respicere Christum sub vna ratione vt subiectum, & sub altera, vt terminum sui. Et omnium ratio est; nam quamuis Deus distinctionem rationis non formet, attingit tamẽ obiecta vt in seipsis virtualiter distincta, & à nobis distinguibilia formaliter, & ideo vnum ab altero realiter indistinctum, potest ad illud virtualiter ordinare quæ ordinatio à nobis, vt formalis concipitur, quia distinctio illa, quæ in re virtualis est: fit in nostro intellectu formalis, & de obiectis, & diuina prædestinatione loquendo, prout à nobis concipiuntur, dicimus, hoc esse subiectum, & illud prædestinationis terminum.

*Sola distinctio rationis à nostro intellectu facta sufficit, vt Deus omnẽ ad alterum virtualiter ordinet.*

His igitur argumentis, vt parum efficacibus relictis, reijcitur modus iste dicendi primo: nam *hic homo* non supponit in recto pro natura connotato suppositi, sed pro supposito connotata natura, ideſt, prout in natura singulari subsistit; sed sic supponendo nõ potest hic homo, signato Christo, vt *vagè* hac, vel illa subsistentia subsistens, esse prædestinationis Christi subiectum in ordine ad filiationem Dei naturalem: ergo hic homo connotata *vagè* hac, vel illa subsistentia, subiectum prædestinationis Christi non est. Minor à contrario Auctore admittitur, & à nobis fuit probata contra tertium modum dicendi.

61 *Aliter impugnatur quartus modus dicendi 1.*

Maior autem est Diui Thomæ *supra quæst. 16. articulo septimo, & octauo*, vbi negat, hanc propositionem: *Iste homo* (signato Christo) *incœpit esse*, quia terminus ex parte subiecti positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito: & *in eadem quæstione articulo quarto*, vbi probat, ea quæ conueniunt filio hominis posse prædicari de Filio Dei, & é conuerso, & rationem reddit: *Quia cum sit eadem hypostasis vtriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ*: ergo nomen *Deus*, & nomen *homo*, etsi de formali naturas significent, non tamen pro illis, sed pro habentibus tales naturas, in recto supponunt. Et ratio est; non enim est idem, quod nomen significat, & pro quo supponit; vnde album significat albedinem, & non supponit pro illa, sed pro subiecto albedinem in se habente: ergo quãuis homo humanitatem in recto significet, non pro humanitate in recto, sed pro subsistente in humanitate supponit: ergo *hic homo*, non supponit in recto pro humanitate, sed pro illo, quod in humanitate subsistit; aliàs sicut hæc est falsa: *Hic Deus est hæc humanitas*; ita etiam ista propositio esset falsa: *Hic Deus* (signato Christo) *est hic homo*.

62

*Nomen concretiũ, naturã de formali, et in recto significat, supponit tamẽ pro supposito illam habente.*

Secundo reijcitur: nã subiectũ prædestinationis Christi est, cui conuenit, & de quo prædicatur terminus prædestinationis, & illud prædestinationis terminum.

63 *Secundo reijcitur.*

ſtinationis; ſed terminus prædeſtinatio nis non conuenit huic homini, vt importanti in recto naturam, & ſuppoſitum in obliquo. ergo hic homo ſic acceptus, ſubiectū prædeſtinationis Chriſti non eſt. *Minor prob. 1.* Minor oſtenditur primo; terminus prædeſtinationis eſt filiatio naturalis Dei; ſed filiatio non prædicatur de natura in recto, ſed de perſona connotata natura, vt ex Diuo Thoma vidimus, & ſæpé in diſcurſu huius Tractatus oſtendimus: ergo terminus prædeſtinationis Chriſti non prædicatur de hoc homine, vt in recto importante naturam, & in obliquo ſuppoſitum, ſed é conuerſo, vt importat in recto ſuppoſitum, & naturam in obliquo. *Secundo.* Secundo: nam de hoc homine importata in recto natura, non prædicatur veré eſſe Deum, vel perſonam diuinam; ſed eſſe Filium naturalem Dei, quod eſt terminus prædeſtinationis Chriſti, eſt eſſe Deum, & perſonam Diuinam: ergo terminus prædeſtinationis Chriſti, non conuenit huic homini, vt importanti in recto naturam.

64 *Reſpondebis.* Reſpondebis, ex doctrina contrarij Auctoris, *vbi ſupra cap. 3. num. 24.* terminum prædeſtinationis Chriſti non eſſe proprietatem perſonalem Verbi, quæ eſt filiatio, & de hoc homine Chriſto prædicatur per communicationem idiomatum, ſed ipſa humanitatis ſanctificatio, quæ humanitati à Deitate præſtatur, ratione cuius Chriſto vt homini, conuenit ius ad diuinam hæreditatem, & Chriſtus vt homo Filius Dei naturalis conſtituitur: licet autem prima filiatio non conueniat huic homini, in recto importata natura, ſecūda illi prout ſic conuenit: ac proinde fuit ad illam prædeſtinatus.

65 *Contra 1.* Sed contra primo: nam huiuſcemodi filiationem naturalem *Diſput. præcedenti* reiecimus. ergo non ad illam, ſed ad filiationem, quæ eſt proprietas perſonalis, & de Chriſto vt homine, prædicatur per communicationem idiomatum, fuit Chriſtus vt homo, vel hic homo prædeſtinatus. *Secundo.* Secundo, quia vt ex D. Thoma vidimus *præced. Diſput.* nulla eſt filiatio, quæ *immediatè* comparetur ad naturam, ſed omnis filiatio *immediatè* prædicatur de ſuppoſito: ergo ſi datur huiuſcemodi filiatio non conuenit huic homini, importata in recto natura, ſed vt importat in recto ſuppoſitum.

66 *Tertio.* Tertio: nam iuxta hanc ſolutionē, ipſa humanitas poſſet dici prædeſtinata ad filiationem Dei naturalem; ſed hoc non admittit Vazquez: ergo nec eius ſolutio debet admitti. Probo ſequelā; idem eſt in doctrina traditæ ſolutionis, prædeſtinari hunc hominem ad filiationem Dei naturalem, ac prædeſtinari ad ſanctificationem prouenientem à Deitate; ſed ad hanc ſanctificationem poteſt dici prædeſtinata humanitas in abſtracto, non minus quam ad gloriā, & viſionem beatificam, ad quæ propriè prædeſtinatam fuiſſe humanitatem prædictus Auctor admittit: ergo ſic explicata filiatione naturali prædeſtinationem terminante, humanitas in abſtracto poterit dici ad illam prædeſtinata.

*Quarto.* Denique reijcitur; nam iuxta Diuū Thomam *in hac q. art. 1.* non ſolum eſt verum dicere: *Hic homo prædeſtinatus eſt Filius Dei*, ſed etiam *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*; ſed Chriſtus non dicit ſuppoſitum *vagè* acceptum, creatum, vel increatum, ſed determinatè ſuppoſitum increatum importat: ergo incluſio ſuppoſiti increati ex parte ſubiecti, non obſtat prædeſtinationi huius hominis in Filium Dei naturalem.

## §. III.

### *Examinantur duo alij modi dicendi.*

67 *Quintus modus dicendi.* QVINTVS modus dicendi, & occurrendi rationi dubitandi, eſt quorumdam Recentiorum, qui diſtinguunt duos prædeſtinationis modos: alterum prædeſtinatio-

nis

nis absolutæ, qua res aliqua per gratiã extra causas constituitur: & alteri prædestinationis respectiuæ, nempé, rem iam constitutam præintellectam, ordinantem ad aliquem finem, qui gratiosus sit, & supra exigẽtiam subiecti. Qua distinctione posita docent, Christum esse prædestinatum Filium Dei naturalem, non prædestinatione ordinatiua ad finem ex gratia ipsi conuenientem, sed prædestinatione absoluta, Christo præparante existentiam. Et ad rationem dubitandi respondent, veram esse maiorem de prædestinatione respectiua, & ordinatiua: falsam autem de prædestinatione absoluta disponente circa rei cõstitutionem; & concessa minori, distinguunt consequens, & concedunt consequentiam de primo prædestinationis genere: negant autem de secundo, ad quẽ non requiritur subiectum distinctum à termino, nec qui in illo non includatur, sed terminus, & subiectum sunt idem.

63 *Hic modus dicendi nõ saluat proprietatẽ prædestinationis Christi. Prob. 1. ex D. Th.*

Hic tamen modus dicendi, propriè tatem prædestinationis Christi non saluat: quod probo primo ex D. Thoma ad *Rom.* 1 lect. 3. illis verbis: *Secundum hoc igitur prædestinare, nihil aliud est, quam ante in corde disponere, quid sit de re aliqua faciendum; potest tamen aliquis de futura re, seu operatione disponere: vno modo, quantũ ad ipsam rei constitutionem; sicut artifex disponit, qualiter debeat facere domum. Secundo modo, quantum ad ipsum vsum, vel gubernationem rei, sicut aliquis disponit, qualiter debeat vti suo equo, & ad hanc secundam prædispositionem pertinet prædestinatio, non ad primã: id enim, quo aliquis vtitur, refert in finem, quia vt Augustinus dicit in libro de Doctrina Christiana, vti est referre aliquid in finem, quo fruendum est; sed cum res in seipsa constituitur, non dirigitur ex hoc ipso in aliud, vnde prædispositio constitutionis rei propriè prædestinatio dici non potest.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur; vt enim in allegatis verbis docet Divus Thomas, prædispositio constitutionis rei, propriè prædestinatio dici non potest: ergo prædispositio constitutionis Christi, non est prædestinatio. Sed præordinatio, quam adstruit modus iste dicendi nomine *prædestinationis absolutæ*, est prædispositio constitutionis Christi: ergo propriè prædestinatio non est; & consequenter iuxta hunc modum dicendi non saluatur, Christũ fuisse propriè prædestinatum.

Dices: loqui Divum Thomam de prædestinatione constitutionis rei ad ordinem naturæ spectantis, & de hac verum est, prædestinationem propriam non esse, quia prædestinatio est præordinatio rei exequendæ per gratiam: nõ autem loqui de prædispositione constitutionis rei includentis summam gratiam, qualis est constitutio Christi, quæ fit per gratiam vnionis, quæ est suprema omnium gratiarum; & ideò prædispositio constitutionis Christi propriè potest prædestinatio dici. Sed contra; nam ratio, qua Divus Thomas probat, prædispositionem cõstitutionis rei, propriè prædestinationem non esse, est, quia prædestinatio consistit in ordinatione ad finem: rei autem constitutio non exprimit ordinationem ad finem; at hæc ratio pari efficacia militat in re constituta per gratiam, atque in re constituta spectante ad ordinem naturæ: ergo prædispositio constitutionis rei, quæ per gratiam fit, prædestinatio propriè non est.

69 *Respondebis.*

*Contra.*

Dices: disparem esse rationem: nam constitutum naturale habet finem extra se, & ideo non potest dici propriè prædestinari ex sola ordinatione constitutionis illius: constitutum autem per gratiam vnionis, nequit ad aliquid extra se, vt ad finem ordinari; atque adeò licet non ordinetur ad aliud, tanquam ad finem ratione solius prædispositionis constitutionis sui, dicitur propriè prædestinatum. Sed contra; nam quia prædestinatio est præparatio gratiæ, vt diffinit Augustinus, subiectum incapax gratiæ est incapax propriæ prædestinationis; sed prædestinatio, vt constat ex Diuo Thoma, est prædispositio ordinatiua ad finem: ergo subiectum incapax ordinationis ad finem, est incapax prædestinationis propriæ.

70 *Respondebis.*

*Contra.*

Confirmatur: licet actus, quo Deus ab æterno disposuit gratiam producere in tempore, sit prædispositio gratiæ ordinans illam ad finem, quia tamen gratiæ in illius productione non fit pro-

*Confirmatur.*

priè gratia; eſt enim incapax gratiam recipiendi, ſicut & gratias agendi, prædiſpoſitio cõſtitutiua illius proprié prę deſtinatio non eſt: ergo ſi Chriſtus capax non eſt, in doctrina traditæ ſolutionis, vt ordinetur ad aliquid extra ſe tanquam ad finem, quamuis prædiſpoſitio cõſtitutionis eius ſit æterna gratiæ præparatio, proprié prædeſtinatio non eſt.

71 *Secũdo prob. ratione.*

Et ex his probatur ſecundo ratione; nam prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ; ſed prouidentia conſiſtit in ordinatione rerum in finem vniuerſalem: ergo prædeſtinatio conſiſtit in ordinatione rei ad finem gratiæ ſpecialem; & conſequenter non intellecta huiuſcemodi ordinatione, non intelligitur ratio prædeſtinationis; ſed prædiſpoſitio conſtitutionis Chriſti nõ explicat ex hoc præciſo conceptu ordinationem in finem: ergo vt ſic prædeſtinatio proprié non eſt. Denique id ipſum oſtenditur; nam prædeſtinatio proprié accepta eſt præparatio gratiæ, quæ proprié gratia ſit ſubiecto prædeſtinato; ſed idem reſpectu ſui ipſius, abſque diſtinctione reali formali, vel virtuali, aut diſtinctione rationis, nequit rationem gratiæ cum proprietate ſortiri: ergo modus iſte dicendi ſtatuens prædeſtinationẽ Chriſti abſolutã abſq; diſtinctione vlla inter ſubiectum, & terminum, prædeſtinationem Chriſti cũ proprietate non ſaluat.

*Tertio probatur*

72 *Sextus modus dicendi.*

Sextus modus dicendi pro ſubiecto prædeſtinationis Chriſti conſtituit ipſum Chriſtum vt poſsibilem, & pro termino Chriſtum, vt exiſtentem. Et quia exiſtentia Chriſti, vt hominis non includitur in Chriſto poſsibili, nec eſt de ratione illius; ſed per gratiam ipſi conuenit: ad rationem dubitandi reſpondet, conceſſa maiori, negando minorem: potuit enim Chriſtus non exiſtere; & conſequenter Filius Dei naturalis non eſſe, ly *eſt* dicendo exiſtentiam. Ita Medina, & Aluarez *locis vbi ſupra relatis*. Hic tamen modus dicendi nec eſt conformis Auguſtino, nec D. Thomæ, nec verus. Primum probo ex Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. illis verbis: *Prædeſtinatus eſt Ieſus, vt qui ſecundum carnem futurus erat Filius Dauid, eſſet in virtute Filius Dei*; ſed non eſt ſubiectum prædeſtinationis Ieſus, & terminus eſſe filium Dauid, & Filium Dei; alias prædeſtinatio Chriſti pro termino haberet eſſe hominem, & eſſe Deum, cuius contrarium docet Divus Thomas *in præſenti art.* 1. & 2. ergo ſubiectum eſt Chriſtus, vt futurus filius Dauid; & conſequenter vt futurus homo, & terminus eſt filiatio naturalis Dei: ergo ſubiectum prædeſtinationis, non eſt Chriſtus vt poſsibilis.

*Modus iſte dicendi non eſt Auguſtino, conformis.*

Secundum oſtendo primo ex Diuo Thom. in 3. diſt. 7. q. 3. art. 1. ad 5. quod ita procedebat: *Prædeſtinatio etiam ſecundum nomen importat directionem in finem; ſed non poteſt aliquid dirigi in finem, niſi ad minus ſecundum intellectum ſit ante finem illum; cum igitur ſecundum ſecundam opinionem, etiam ſecundum intellectum, Chriſtus non prius intelligatur homo, quam Filius Dei, videtur, quod ille homo non poſsit dici prædeſtinatus eſſe Filius Dei.* Cui argumento ita reſpondet: *Ad quintum dicendum, quod licet homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione ſuppoſiti, præintelligitur tamen ratione naturæ.* Hæc Divus Thomas: ex quibus aperté conſtat inter ſubiectum, & terminum prædeſtinationis Chriſti, nec agnoſcere realẽ præcedentiam, nec realem diſtinctionem, ſed ſolum diſtinctionem rationis, & præcedentiam ſecundum intellectum; ſed ſi ſubiectum eſſet Chriſtus vt poſsibilis, & terminus Chriſtus vt exiſtens, eſſet inter ſubiectum, & terminum prædeſtinationis Chriſti realis præcedẽtia, & diſtinctio; cui iuxta D. Tho. exiſtentia rei creatæ realiter diſtinguatur ab illa, & res vt poſsibilis, realiter præcedat ſe ipſam vt exiſtentem. res enim eſt realiter ab æterno poſsibilis, & in tempore incipit exiſtentiam habere: ergo iuxta D. Thomam, Chriſtus vt poſsibilis non eſt ſubiectum prædeſtinationis ſui.

73 *Nec D. Thomæ prob. 1.*

*Secundo.*

Secundo probatur; nam iuxta hunc modum dicẽdi, prædeſtinatio ſumitur pro decreto productionis Chriſti, cuius ſubiectũ aſsignatur Chriſtus vt poſsibilis, & terminus Chriſtus vt exiſtens; ſed vt vidimus contra quintum modum dicẽdi, prædeſtinatio proprié accepta, de qua in præſenti loquitur D. Thom. nõ eſt prædiſpoſitio conſtitutionis Chriſti, quæ idem eſt, ac decretum productionis illius: ergo prædeſtinationis, quam

D. Thomas *in præsenti* attribuit Christo vt homini, Christus vt posſibilis, ſubiectum non eſt.

74 *Tertio.* Tertio probatur; nam Christus vt posſibilis, ſi eſt ſubiectum prædeſtinationis, & terminus, Christus exiſtens, dicetur prædeſtinatus, non ſolum vt exiſtat Filius Dei, ſed etiam vt exiſtat homo; cum ad vtrumque fuerit ordinatus per æternum Dei decretum; ſed iuxta D. Thom. prædeſtinatio Christi propriè accepta non eſt, vt Christus ſit homo; ſed vt in humanitate ſubſiſtens, ſit Filius naturalis Dei: ergo iuxta illius mentem, Christus vt posſibilis non eſt ſubiectum prædeſtinationis ſui. Denique probatur; nam obiectum, quod vocamus ſubiectum prædeſtinationis, eſt ſubiectum receptiuum termini prædeſtinationis; ſed iuxta D. Thom. Christus vt posſibilis, non eſt ſubiectum receptiuum exiſtentiæ: ergo Christus vt posſibilis non eſt obiectum prædeſtinationis, etiam vt ſumitur pro prædiſpoſitione exiſtentiæ. Probatur minor; nam iuxta D. Thomam exiſtentia rei creatæ realiter *poſitiuè* ab eſſentia diſtinguitur, in illaque non vt intra cauſas, qualiter eſt vt posſibilis, ſed vt extra cauſas conſtituta recipitur: ergo Christus vt posſibilis, eſto ſit in potentia obiectiua ad exiſtendum, non tamen eſt in potentia ſubiectiua, & receptiua exiſtentiæ. *Quarto.*

75 *Quod ſit falſus probatur ab aliquibus, primo.* Quod autem iſte modus explicandi ſubiectum, & terminum prædeſtinationis Christi veritati non conſentiat, oſtenditur ab aliquibus primo, iuxta D. Thom. Christus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis; ſed in noſtra ſubiectū non eſt Petrus v. g. vt posſibilis: ergo Christus vt posſibilis ſubiectum propriæ prædeſtinationis non eſt. *Secundo.* Secundo; nam gratia prædeſtinationis, iuxta eundem D. Thomam eſt facta ſoli humanitati; ſed gratia exiſtentiæ facta eſt toti compoſito: ergo terminus non eſt exiſtentia; & conſequenter ſubiectum non eſt Christus vt posſibilis. *Tertio.* Tertio; humanitas vt posſibilis, non conſtituit ſubiectum prædeſtinationis Christi: ergo Christus vt posſibilis ſubiectum propriæ prædeſtinationis non eſt. Antecedens oſtendunt primo; humanitas conſtituit ſubiectum prædeſtinationis, non vt omninò ſimilis alijs humanitatibus; ſed vt posſibilis vniri Verbo, alijs eſt omninò ſimilis; omnes enim humanitates ſunt vnibiles posſibiliter Verbo: ergo non conſtituit ſubiectum prædeſtinationis Christi vt posſibilis. Secundo; nam humanitas Christi, vt conſtituit ſubiectum prædeſtinationis adoratur vt *quod* adoratione Latriæ, vt docet Divus Thomas *infra q. 2. ar. 2. in corpore*; ſed humanitas Christi, vt posſibilis vniri, hanc adorationem non terminat; alias omnes humanitates poſſent adorari Latria; cum omnes ſint posſibiliter vnibiles: ergo non conſtituit ſubiectum prædeſtinationis Christi vt posſibilis. *Quarto.* Quarto ſic arguunt; nam ſubiecto prædeſtinationis Christi ſunt debita gratia, & gloria; & ideo non prædeſtinatur ad illa; ſed Chriſto vt posſibili non debetur; vnde alijs Christis posſibilibus abſque vlla iniuria non dantur: ergo vt posſibilis, non eſt ſubiectum propriæ prædeſtinationis.

76 *Hæc argumenta non vrgent: non primum.* Hæc tamen argumenta nō vrgēt: non primum, quia vt docet D. Thomas *in hac q. art. 3. ad 3.* non eſt neceſſarium, quod exemplatum exemplari quantū ad omnia cōformetur, ſed ſufficit, quod exēplatum aliqualiter imitetur ſuum exemplar; vnde ſicut ob hanc cauſam poſſunt diſcōuenire in termino prædeſtinationis; nam in Chriſto eſt filiatio naturalis, & in nobis adoptiua, vt conſūmata per gloriam: ita etiam poſſunt diſcordare in prædeſtinationis ſubiecto; ac per conſequens ex eo quod in noſtra ſubiectum ſit res intellectualis exiſtens, non ſequitur idem de Chriſto reſpectu propriæ prædeſtinationis dicendum. Et ratio diſcriminis poteſt manifeſte aſſignari; nam noſtra prædeſtinatio eſt ad terminum, qui eſt accidens, & in operatione conſiſtit: accidēs autem & operatio ſubſtantiam conſtitutam ſupponunt, & in illa, vt ſic ſubiectantur, & ideò ſubiectum noſtræ prædeſtinationis debet eſſe Petrus v. c. vt apprehenſus exiſtens: terminus autem prædeſtinationis Christi eſt aliquid ſubſtantiale, & ideò non petens ſupponere rem conſtitutam, ſed potius illam conſtituens; ac proinde Christus vt posſibi-

lis,

lis potest esse obiectum, vel subiectum prædestinationis sui de hoc termino disponentis.

77 *Nec secundum.*

Nec magis vrget secundum, cuius minor falsa est; nam licet Verbo, vt possibiliter terminanti humanitatem, non sit debita actualis terminatio, nec quod existat in illa, non tamen ex hoc deducitur, quod existere in humanitate sit gratia respectu Verbi, aliàs hæc propositio esset propria, *Verbum, vel filius Dei prædestinatus est esse homo*, non minus, quã ista; *hic homo*, signato Christo, *prædestinatus est filius Dei*, cuius contrarium docet Diuus Thomas in præsenti art. 2 ad 3. *quia gratia non est facta filio Dei, vt esset homo*: & ratio est, nam ad rationem gratiæ non sufficit posse citra iniuriam negari; sed insuper est necessarium, quod subiectum, respectu cuius est gratia perficiatur per illam, & ipsi, non per propriã virtutem, sed ab extrinseco competat: Christus autem, vt possibilis non perficitur per existentiam humanitatis rationem subsistentiæ, sed tantum ratione humanitatis: & insuper ex parte suppositi illam accipit à se, atque adeò existentia non est gratia huic composito secundum omnia quæ importat, sed tantum secundum humanitatem.

*Vt alicui subiecto fiat gratia debet per illam perfici.*

78 *Nec tertium.*

Nec tertium difficultatem auget, cuius antecedens potest facile negari; quod non conuincit prima antecedentis probatio; humanitas namque eatenus constituit subiectum prædestinationis Christi, quatenus est capax gratiæ, & antecessionis, vt docet Diuus Thomas *in hac quæst. art.* 1. & 2. hoc autem habet prout conuenit cum alijs humanitatibus non prout ab illis distincta; distinguitur namque ab illis per suppositationem diuinam, ratione cuius non redditur capax gratiæ, sed potius illi sunt omnia debita Nec magis vrget secunda antecedentis probatio; nam D. Thomas loco in argumento relato, nec Verbum habet, ex quo possit inferri loqui de humanitate, vt constituit prædestinationis Christi subiectum. Ad quartum facile potest occurri; prædicta dona non deberi Christo, vt est prædestinationis subiectum, sed quatenꝰ est in termino, quia tamen prius debebat in termino hoc constitui, quam ad illa dona dirigi, ideò non fuit prædestinatus ad illa.

*Nec deinque quartũ argumentũ cõuincit.*

Denique docti Recentiores cum Vincentio *vbi sup. a* ex eo impugnant modum istum dicendi, quia terminus *ad quem*, Christus, vt homo, prædestinatus fuit, est esse filium naturalem Dei; sed gratia, quæ potest fieri Christo, vt possibili, non est, esse filium Dei naturalem; quia hæc in illo etiam, vt possibili includitur, vt pote cum in illo vt possibili includatur suppositum filij Dei, sed tantum, quod actu existat: ergo subiectum prædestinationis Christi non est Christus, vt possibilis. Sed nec vrget hoc argumentum; nam licet esse filium Dei naturalem, ly *esse* dicente essentiam, cõnexionemque essentialem includatur in Christo considerato, vt possibili, sicut in homine in statu possibilitatis, omnia illius prædicata essentialia includũtur, non tamen includitur in Christo, vt possibili esse filium Dei naturalem, ly *esse* dicente existentiam. vnde ad esse existentialiter filium Dei naturalem bene potuit prædestinari, imo sic prædestinatũ fuisse, quidquid sit de prædestinationis subiecto ab omnibus est concedendum, cum enim prædestinatio rei executionem, & existentiam respiciat, non terminatur ad filiationem Dei naturalem, vt enuntiatam de Christo, quatenus homine, mediante copula *est*, vt dicente cõnexionem essentialem, qualiter à tempore absoluitur, sed prout dicit existentiam, qualiter constituit propositionẽ contingentem, & accidentalem.

79 *Denique modus istũ dicẽdi, impugnant Recentiores ex Vincentio.*

*Nec hoc argumentũ vrget.*

Quare his argumentis relictis probatur assumptum primo; nam subiectũ prædestinationis prout à termino distinctum, terminat amorem diuinum; cum Deus ei vellit prædestinationis terminum; sed Christus, vt purè possibilis nõ est capax terminandi amorem Dei, vt de omni creatura possibili ex D. Thom. cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus *1. p. quæst. 19. art. 2.* ergo Christus, vt possibilis, non est subiectũ propriæ prædestinationis. Secundo: nã subiectũ prædestinationis, est cui Deus præparat gratiam; sed Christus, vt possibilis non est capax *proximè* gratiæ suscipiendæ: ergo nec est prædestinationis Christi subiectum. Maior cum consequentia probatione nõ indiget. Minor

80 *Falsitas sextimodi dicẽdi, probatur primo.*

*Secundo.*

autem

autem probatur: nam sicut incapax gratiarum actionis est incapax gratiæ suscipiendæ, ita incapax *proximè* actionis gratiarum, non est capax *proximè* gratiæ suscipiendæ; sed Christus, vt possibilis, non est capax *proximè* gratiarum actionis: ergo nec est susceptiuum proximum gratiæ.

81 *Tertio.* Tertio probatur; nam subiectum prædestinationis, vt à termino distinctum, nō potest per terminum destrui, sed potius petit sub illo perseuerare; sed Christus, quatenus est possibilis, à se ipso vt existente distinctus, per terminum prædestinationis Christi destruitur: ergo vt sic possibilis, subiectum prædestinationis propriæ non est. Maior constat; nam subiectum prædestinationis prout à termino distinctum, à termino prædestinationis perficitur; sed nihil potest per id à quo perficitur, destrui: ergo subiectum prædestinationis non potest ab illius termino destrui, sed petit sub illo perseuerare. Minor autem probatur; Christus, vt possibilis a se ipso vt existente distinguitur solum per esse intra causas; sed per existentiam destruitur iste status; cum per illam extra causas constituatur: ergo per terminū prædestinationis assignatum ab auctoribus huius sententiæ, destruitur Christus, quatenus in ratione possibilis à se ipso, vt existente distinguitur.

82 *Quarto.* Denique probatur, subiectum omnino indifferens ad terminum prædestinationis, etiã est reprobationis capax; sed Christus, vt possibilis, est de se indifferens ad existentiam, & nō est capax subiectum reprobationis, quæ proprié sit reprobatio: ergo nec est capax subiectum prædestinationis, quæ proprié sit prædestinatio. Illatio est in forma. Maior videtur certa: nam id, quod affirmatum, & præparatum à Deo, est termin⁹ prædestinationis, negatum per positiuum actum voluntatis diuinæ est terminus reprobationis, vt constat in gloria, quæ quia alicui præparata efficaciter, terminat prædestinationem, per actum positiuum negata terminat reprobationem; sed subiectum prædestinatiõnis ex omni capite indifferens ad terminum, potest subesse negationi termini, vt per actum positiuum volitæ: ergo subiectum prædestinationis omnino indifferens ad eius terminum, est etiam capax reprobationis, quæ proprié sit reprobatio. Minor autem probatur; si Christus, vt possibilis, esset subiectum capax reprobationis, quæ proprié sit reprobatio, omnes Christi modo possibiles, quibus Deus decreuit actualem existentiam negare, dicerentur simpliciter reprobi; consequens est falsum, & apud Theologos inauditum: ergo Christus, vt possibilis, non est subiectum capax reprobationis, quæ simpliciter sit reprobatio.

*Christus vt possibilis non est capax prædestinationis, aut reprobationis.*

Et augetur difficultas; idem est Christus possibilis, quod Verbum, vt possibiliter in humanitate subsistens; sed Verbum, vt possibiliter in humanitate subsistens, non est proprié prædestinatum filius Dei naturalis: ergo nec Christus possibilis. Probo minorem; pater, vt possibiliter in humanitate subsistens, non est proprié reprobatus; & tamen est illi vt homini, in esse possibili, & per actum positiuum volita negatio existentiæ: ergo ex volita existentia Verbo, vt homini possibili, Christus vt possibilis proprie prædestinatus non est.

83 *Confirmatur.*

Sed opponunt istius sententiæ Auctores; idem est subiectum, idemque terminus prædestinationis Christi, quod est subiectum, & terminus decreti productiui; sed subiectum decreti productiui Christi, est Christus possibilis, & terminus Christus existens: ergo subiectũ prædestinationis Christi, est Christus possibilis, & terminus Christus existens. Minor constat: nam id est subiectum decreti productiui Christi, quod ad tale decretum in diuina mente supponitur, & ex vi decreti ad existendum dirigitur; sed Christo vt possibili conditiones istæ conueniunt; supponitur enim in mente diuina ad decretum productiuum, & ex vi illius ordinatur ad existendum: ergo Christus vt possibilis est subiectum decreti productiui sui. Maior autem probatur; vt enim dicitur in epistola quinque Episcoporum ad Innocentium: *Quadam nõ improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus*; quod etiam docent Hieronymus *dialogo contra Pelagianos propè initium*, & Augustinus *lib. de Spiritu, & littera cap. 35.*

84 *Opponũt contrarij*

vbi

vbi liberum arbitrium nostrum, Dei gratiam appellat; & consequenter decretum creandi præparatio gratiæ est; sed iuxta Augustinum, prædestinatio est gratiæ præparatio: ergo decretum producendi veré, & proprié est prædestinatio: nec per consequens subiectum, & terminus decreti producendi Christum, & illi dandi existentiam, erunt subiectum, & terminus prædestinationis Christi.

85 *Cõfirmat* Et augent difficultatem; si namque esset possibilis substantia supernaturalis, decretum de illius productione vere, & proprie esset decretum prædestinatiuum, cuius subiectum esset substantia supernaturalis possibilis, terminus autem eadem substantia, vt existens: ergo pariter in Christo est dicendũ, quod decretum illi præparans existentiam, veré, & proprié prædestinatio sit, & quod illius subiectum est Christus possibilis, & terminus Christus existens.

86 *Respondetur 1.* Respondeo primo, prætermissa minori, negando maiorem. Ad illius probationem dicatur, Patres loquutos fuisse de gratia non *strictè* sumpta, sed *largè*; vt autem decretum productiuum esset proprié prædestinatio, deberet pro termino habere gratiam *propriè*, vt gratia, quod autem non de gratia *strictè*, sed *largè* accepta loquantur, constat; tum ex modo illo loquendi, scilicet, *non improbanda quadam ratione*, quo satis indicatur, non improbari, quod donum creationis gratia dicatur, sed nec etiam omnino approbari; ac proinde non *strictè*, sed *latè* esse gratiam. Tum etiam; modus loquendi Augustini loco citato, vbi ait: *Confiteborpossepeer Dei gratiam, & liberum eius arbitrium, ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens*. Quibus verbis satis explicuit liberum arbitrium esse gratiam prout omne donum à Deo liberaliter concessum gratia vocatur: gratia autem prout cum dono conuertitur non *strictè*, sed *largè* est gratia. Tum denique: nam loquuntur de dono creationis rerum ad ordinem naturæ spectãtium: res autem ad naturæ ordinem pertinentes nõ possunt gratia *strictè* appellari, vt enim multoties repetit Augustinus, *alia est gratia Dei, qua creati sumus, & alia, qua sumus iustificati*, & hæc secunda est, quæ apud Patres gratia *strictè*, & *rigorosè* appellatur.

87 *Ad cõfirmationẽ* Iuxta quam solutionem ad confirmationem dicatur (illo impossibili admisso) decretum producendi substantiam supernaturalem, non fore proprié prædestinationem, imo nec essentiam prædestinationis habiturum; hæc namquæ dicitur ex ordinatione ad finem, non ex prædispositione constitutionis rei, vt ex Diuo Thoma vidimus: in illo autem casu decretum producendi substantiam supernaturalem non esset ordinatiuum rei constitutæ ad finem ipsi gratiosum, sed tantum dispositiuum de illius constitutione extra causas, & ideò prædestinatio non est. Imo nec talis substantia foret prædestinabilis; esset enim illi debita visio beata: ac proinde quamuis ordinaretur ad illam non esset ex vi prædestinationis, & decretum illam sic ordinans, prædestinatio non foret; quia prædestinatio est transmissio, vel ordinatio ad finem excedentem naturam, quæ ad illum dirigitur: visio autem beatifica esset prædictæ substantiæ debita: ac per consequens ex directione ad visionẽ, non diceretur proprie esse prædestinatam. Quod si aliud impossibile admittatur, nempé, substantia supernaturalis, cui beatifica visio non debeatur ab intrinseco, sed ad illius assecutionem, gratia adiuuante, vel eleuante indigeret, tunc talis substantia prædestinari esset capax, non tamen prædestinari diceretur ex vi decreti creatiui illi dantis existentiam; sed ex vi alterius decreti illam dirigentis ad obtinendam visionem.

*Si daretur substãtia supernaturalis creata, non esset prædestinabilis.*

88 *Instabis primo.* Sed oppones primo; prædestinatio *propriè* est præparatio gratiæ, quæ *propriè* est gratia; sed decretum producendi Christum est præparatio gratiæ *propriè* talis: ergo est proprié prædestinatio Probatur minor; est præparatio gratiæ vnionis; sed hæc est *propriè* gratia, imo & omnium gratiarum excellẽtissima: ergo est præparatio gratiæ, quæ cum proprietate est gratia. Secundo; nam decretum productiuum Christi pertinet ad diuinam prouidentiam; sed non ad prouidentiam naturalem, nec supernaturalem generalem, vt per se est manifestum:

*Secundo.*

nifestum: ergo ad specialem, imo ad specialissimam; & consequenter proprié est prædestinatio; nã hæc in nullo alio, quam in specialissima prouidentia consistit.

89 *Ad primã instãtiã respondetur.*

Respondeo ad primam instantiam, distinguendo maiorem: quæ proprié gratia est respectu subiecti prædestinati, concedo maiorem: respectu alterius, quod prædestinationis subiectum non est, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam gratia vnionis Verbi ad humanitatem prout præcisé constituit Verbum personam humanam, est quidem gratia proprié humanitatis, quæ prædestinationis Christi subiectum non est: non autem respectu Christi, vt hominis, quẽ prout sic non supponit, sed constituit, & quia Christus, vt homo, est prædestinationis Christi subiectum; fit consequẽs, quod proprié gratia non sit respectu subiecti prædestinabilis: ac proinde, quod prout sic propriam prædestinatiõnem non terminet.

90 *Cuidã obiectioni occurritur.*

Nec obstat contra hanc solutionẽ, quod saltim distinguitur à Christo, vt posibili, etsi non à Christo existente: ac proinde, quod respectu Christi vt posibilis rationem gratiæ cum proprietate sortitur. Nam Christus vt posibilis non est subiectũ capax gratiæ, quæ proprié dicatur gratia, vt ostendimus: Christũ autem, vt existentem, non supponit, quod vt esset proprié gratia requirebatur. Nec obstat secundo; Christum pro gratia vnionis teneri reddere gratiarum actiones Deo. solum autem beneficium, & gratia est gratiarum actionis obiectum. Non inquam obstat. Tum; quia gratiarum actio non solum respicit gratiam, quæ stricté sit gratia, sed quodlibet beneficium, quamuis stricté gratia non sit, vt constat in beneficio creationis pro quo gratias Deo debemus; & tamen gratia stricté non est. Tum etiam; quia sufficit, quod sit gratia humanitatis, quamuis gratia stricté respectu Christi non sit, vt Christus pro illa gratias agere teneatur.

*Alia obiectio solui tur.*

91 *Ad secundã instantiã respõdetur.*

Ad secundam respondeo, decretum productionis Christi, si pro actu voluntatis sumatur, prouidentiam non esse. Nam prouidentia, vt docet Diuus Thomas 1 *p. quæst. 22. art. 1. quæst. 23. art. etiã 1. quæst. 5. de veritate art. 1. & quæst. 6 art 1.* actus est intellectus: si autem sumatur pro actu diuini intellectus regulante productionem Christi, sic non esse prouidentiam, sed artem, quia vt docet D. Thomas quæst. 5 de veritate art. 1. ad 9. *Prouidentia diuina differt ab arte, & dispositione, quia ars diuina dicitur respectu productionis rerum, sed dispositio respectu ordinis productorum: prouidentia autem dicit ordinem in finem artificiati.* Vnde decretum productionis Christi sumptum pro actu practico intellectus regulante, & disponente de illius constitutione, prouidentia non est: ac per consequens nec prædestinatio, sed rationem prouidentiæ specialis, & prædestinationis sortitur, secundum quod Christum vt hominem, præintellectum, vt existentem ordinat ad proprium finem, nempé, ad esse filium naturalem Dei, & sic quamuis concedamus, Christum vt posibilẽ esse subiectum decreti productiui illi⁹, & terminum huius decreti Christum, vt existentem, non sequitur terminum prædestinationis Christi esse Christum, vt existentem, & subiectum Christum, vt posibilem.

*Prouidentia, ars, & dispositio differunt inter se.*

92 *Vrgebis.*

Sed dices: eo ipso quod Christus vt posibilis sit subiectum decreti productiui, & actus practici intellectus, hoc decretum regulantis, debet etiam pro subiecto prædestinationis propriæ constitui: ergo ruit nostra solutio. Probatur antecedens; vt enim docet Diuus Thomas, loco nuper allegato: *Quia ex fine artificiati colligitur, quid quid est in artificiato: ordo autem ad finem est fini proprinquior, quam ordo partium ad inuicem, & quodammodo causa eius, ideo prouidentia quodammodo est dispositionis causa, & propterhoc dispositionis actus frequenter prouidentiæ attribuitur.* Hæc Diuus Thomas: ex quibus aperte constat dispositionem, quæ respicit ordinem partium artificiati inter se, esse posteriorem prouidentia respiciente ordinem ad finem, & effectum illius: ergo ars diuina, quæ immediate respicit rei productionem est prouidentia, posterior, & quodam modo effectus illius. Ex quo vlterius per euidentem consequentiam deducitur, decretũ voluntatis diuinæ de Christo extra cau-

sas

sas constituendo, esse à prouidentia prædestinatiua Christi imperatum, & quodammodo effectum illius. Qua doctrina præsupposita, probo antecedēs; ideò Christus vt possibilis est subiectum decreti productiui sui, quia ad tale decretum supponitur Christus possibilis: non autem Christus existens, sed etiam ad prouidentiam prædestinatiuam Christi supponitur Christus possibilis: non autem Christus existens; cum Christum existere sit effectus propriæ prædestinationis: ergo eo ipso, quod admittatur, Christum vt possibilem esse subiectum decreti productiui, debet idem Christus, vt possibilis, subiectum decreti prædestinatiui constitui.

93 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, admissa doctrina Angelici præceptoris, vt iacet, & admisso omni, quod ex illa infertur, concessa maiori, nego minorem. Nec obstat, existentiam Christi esse effectū propriæ prædestinationis, vt ad illam subiectiue supponatur in genere causæ materialis; vt enim ostendimus 1. *p. quæst.* 23. *art.* 2. substantia prædestinati est effectus propriæ prædestinationis; & tamē illam præcedit in genere causæ materialis: & ratio est; quia mutua inter duo causalitas in diuerso genere causæ nō repugnat: mutua autem causalitas, quam *in præsenti* concedimus, non est in eodem, sed in diuerso genere causæ, nempé, materialis ex parte existentiæ subiecti, & finalis ex parte prædestinationis, atque adeo non repugnat.

94 *Instabis adhuc.* Sed instabis: nam sequitur ex hac solutione, Christum vt existentem etiam præsupponi ad decretum productiuum sui; & consequenter non Christum, vt possibilem, sed Christum vt existentem esse istius decreti subiectum; sed hoc nō potest admitti iuxta traditam doctrinā: ergo solutio est nulla. Probatur sequela; quamuis decretum prædestinatiuum sit causa existentiæ Christi, supponitur, vt admisimus, Christus vt existens ad illud: ergo pariter quamuis decretū productiuum Christi sit causa existentiæ ipsius poterit, vt existens, huic decreto præsupponi.

95 *Respondetur.* Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discrimin is est; nam ordo inter Dei decreta ex ordine obiectorum, vel terminorum est sumendus. Christus autem vt existens, qui est terminus decreti productiui, non est prius se ipso vt existente: esse autem filium naturalem Dei, quod est terminus decreti prædestinatiui est posterius Christo vt homine existente veluti in genere causæ materialis, & subiectiuæ, & ideo decretum prædestinatiuum Christi ipsum vt existentem in humanitate supponit: decretum autem productiuum, in nullo genere causæ potest Christum vt existentem supponere.

96 *Secundo respondetur principali argumento.* Secundo respondeti potest ad principale argumentum, prætermissa maiori, negando minorem. Terminus enim decreti productiui Christi, non est existentia illius vt hominis, sed hunc hominem subsistentē in humanitate, subsistere in diuinitate, & esse filium naturalem Dei. Et ratio est; quia eodem decreto fuit factum, vt Deus esset homo, & homo esset Deus: primo tamen intentum non fuit illud primum, sed hoc secundum, & ideo decretum productiuū Christi non terminatur per hoc quod est Deum existere hominem, sed per hoc, quod est hominem in diuinitate subsistere, & esse filium naturalem Dei, & quia immediatum susceptiuum huius denominationis, non est Christus vt possibilis, sed vt existens homo: fit consequens, quod subiectum decreti productiui Christi non sit Christus, vt possibilis, sed vt actu in humanitate subsistens. Per quod ad minoris probationē constat solutio, & in forma respondetur, distinguendo maiorem: subiectum decreti est, quod ad decretum supponitur, vt subiectum susceptiuum termini terminantis decretum, concedo maiorem: si subiectum susceptiuum non sit termini ad quem ordinatur, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Et quidem ad decretum productiuum supponitur humanitas, vt possibilis, & tamen humanitas non est subiectum *quod* decreti productiui Christi, quia non est susceptiua vt *quod* termini prædicti decreti.

Sed dices: per decretum productiuum

97 *Instabis.*

vum Christi, non solum fuit factum, vt subsistens in humanitate esset Deus, sed etiam vt Deus in humanitate subsisteret, & existeret: ergo Deum in humanitate subsistere, fuit etiam terminus decreti productiui; sed subiectum istius decreti, vt terminati ad hunc terminum, est Christus vt possibilis. ergo tandem sistendum est in Christo, vt possibili, vt in subiecto decreti productiui, & consequenter decreti prædestinatiui ipsius.

98 *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia de termino non vltimo, sed immediato decreti productiui Christi, negando minorem, quod scilicet, subiectum istius termini immediati fuerit Christus vt homo possibilis. Nam in sententia Thomistarum distinguentium realiter *positiuè* existentiam ab essentia, inter essentiam possibilem, & existentiam essentiæ datur medium, scilicet, essentia actualis, non actualitate existētiæ, sed actualitate essentiæ, in qua consideratione, nec vt omnino extra causas, nec omnino intra causas intelligitur; sed *inchoatiuè* extra causas, & in via ad existendum, & hæc sub hac consideratione est subiectum immediatum receptiuum existentiæ. Iuxta quam doctrinam est *in præsenti* dicendum, subiectum receptiuum subsistentiæ & existentiæ non esse hunc hominem, Christo signato, vt possibilem, sed respectu subsistentiæ hic homo actualis actualitate essentiæ, & respectu existentiæ hic homo, vt subsistens, mediat enim subsistentia inter actualitatem essentiæ, & actualitatem existentiæ, & quia subiectum decreti est, quod in se suscipit terminum ad quem ordinatur decretum. fit, vt subiectum decreti, vt producentis hunc hominem existentem, sit hic homo subsistens, & subiectum decreti, vt producentis hunc hominem subsistentem, non sit hic homo possibilis, sed hic homo actualis actualitate essentiæ.

99 *Vrgebis.* Sed instabis: actualitas essentiæ huiꝰ hominis, etiam fuit terminus decreti productiui Christi; at respectu istius termini non est aliud assignabile subiectū, nisi hic homo possibilis: ergo tandem fateri tenemur, subiectum decreti productiui Christi esse hunc hominem, vt possibilem. *Respondetur.* Respondeo, actualitatē essētiæ, nullum habere subiectum; essentia enim, vt possibilis non comparatur ad actualitatem essentiæ in potentia receptiua, sed tantum in potentia obiectiua, & solum quod est in potentia receptiua potest vocari subiectum; cumque subiectum decreti debeat ad illius terminū comparari cum potentia receptiua formali vel virtuali fit, quod prædicti decreti, vt terminantis actualitatem essentiæ, nullum assignetur subiectum. Et cōsequenter ad hanc secundam solutionē est confirmationi occurrendum, asserendo, admissa prædicta hypotesi subiectū decreti productiui substantiæ supernaturalis, non esse ipsam, vt possibilem, sed vt actualem actualitate essentiæ, & subsistentiæ sub qua est in potentia *proximè* receptiua existentiæ; non tamen esset dicendum, decretum illud prædestinatiuum ob rationem *supra* datam.

## §. IV.

### *Explicatis subiecto, & termino prædestinationis Christi, ratio dubitandi diluitur.*

HIS igitur modis dicendi relictis, asserendum est, Christum, vt hominem, scilicet, vt subsistentem in humanitate, hac numero subsistentia, esse propriæ prędestinationis subiectū, fuisseque prædestinatum, vt in humanitate subsistens, etiam in deitate subsisteret, & vt sic subsistens esset genitus à Deo patre, & filius naturalis illius. Quod non aliter melius probatur, quam impugnando cæteros modos dicendi, & obiectionibus in contrarium occurrendo. Deinde; quia est doctrina Diui Thomæ, vt ex dicendis constabit. Ac denique; nā inter Christum, vt hominem, & ipsum Christum vt Deum inuenitur sufficiens distinctio ad rationem satisfacientis, & creditoris; fuit enim, vt homo, pro ho- 100 *Verꝰ modus dicendi etiationi dubitādi solutio*

minibus

minibus satisfaciens, & vt Deus creditor, cui satisfecit, & ad rationem præmiantis, atque merentis; meruit enim quatenus homo, & quatenꝰ Deus illius merita præmiauit: ergo etiã adest sufficiens distinctio inter Christũ, quatenus hominem, & ipsum vt Deum, Deiq; Filium naturalem ad hoc, quod quatenus homo esset prædestinationis subiectũ, & quatenus Deus, Deique Filius naturalis esset terminus huius prædestinationis. Hunc modum dicendi tenent Vincentius, Nazarius, Illustrissimus Arauio, & alij Discipuli Diui Thomæ, ab illoque non dissentiunt Medina, & Aluarez vbi *supra*.

101 *Prosolutione rationis dubitandi, nota primo.*

Vt autem rationi dubitandi occurramus, animadvertendum est primo; subiectum prædestinationis Christi esse duplex, videlicet, *quod*, & *quo*, subiectũ *quod* est illud, de quo terminus in concreto prædicatur; subiectum *quo* est illud ratione cuius subiectum *quod* constituitur capax gratiæ, & antecessionis, quæ in prædestinatione importantur, & similiter prædestinationis terminus dupliciter sumitur, pro termino *qui*, & pro termino *quo*, terminus *qui* est concretum de subiecto prædicatum: terminus autem *quo* est forma talis concreti, vnde subiectum *quod* est hic homo, & subiectum *quo* est humanitas: terminus autem *qui* est Filius Dei naturalis, & terminus *quo* est filiatio naturalis.

102 *Secundo.*

Secundo adverto, & colligitur ex dictis, terminum *quo* à subiecto *quo* realiter distingui: terminus autem *qui* non differt realiter à subiecto *quod* prædestinationis Christi: quod patet; nã filiatio Dei naturalis realiter ab humanitate distinguitur: filius aurẽ naturalis Dei, vt de hoc homine prædicatur, non distinguitur realiter ab hoc homine; cũ tam ex parte termini, quam ex parte subiecti eadem constituentia ingrediantur, nempé humanitas, & Verbum. ergo inter subiectum *quo*, & terminum *quo* inuenitur realis distinctio: secus autem inter subiectum *quod*, & terminum *qui*.

103 *Tertio.*

Denique advertendum est, inter subiectum *quod*, & terminum *qui* esse distinctionem virtualem, aut rationis: quod patet; nam subiectum *quod* est Christus, quatenus persona humana, & terminus *qui* idem Christus, quatenus persona diuina, & Dei Filius naturalis; sed Christus vt persona humana distinguitur, saltim ratione à se ipso, vt persona diuina; terminat enim vtramque naturam secundum aliam, & aliam rationem terminandi, vt docet D. Thom. *supra q. 2. art. 4. in corpore*: ergo inter subiectum *quod*, & terminum *qui* reperitur distinctio virtualis, aut rationis. Quod plenius ex obiectionum solutione constabit.

104 *Ad rationẽ dubitandi respondetur in forma.*

His ita positis ad rationem dubitandi initio disputationis propositam, respondeo, distinguendo maiorem: terminus prædestinationis *quo* petit non includi in subiecto *quo* eiusdem prædestinationis, concedo maiorem. in subiecto *quod* subdistinguo: petit non includi realiter, nego maiorem: petit non includi formaliter, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam filiatio Dei naturalis, quæ est terminus *quo* prædestinationis Christi, non includitur realiter in humanitate, quæ est illius subiectum *quo*: in Christo autem homine, qui est subiectum *quod*, etsi realiter includatur, non includitur formaliter, quia licet in Christo, vt homine, includatur subsistentia Verbi, & hæc sit filiatio naturalis, non tamen clauditur in Christo, quatenus homine, prout est prædestinationis subiectum sub munere filiationis, nec sub munere personalitatis diuinæ, sed sub munere personalitatis humanæ: ac proinde tametsi includatur realiter, non includitur formaliter in subiecto prædestinationis Christi terminus eiusdem prædestinationis.

105 *Contra solutionem arg. 1.*

Sed contra hanc resolutionem plura obstant; & quidem non leuia argumenta. Primo arguitur; Christus vt homo importat formaliter, non solum humanitatem, sed etiam subsistentiam, per quam subsistit humanitas, & hic homo constituitur in ratione personæ; sed subsistentia, per quam sustinet humanitas, est *formalissimè* Diuini Verbi filiatio: ergo Christus vt homo in concreto, qualiter solum est proprié prædestinationis subiectum, formaliter clau-

dit

dit filiationem naturalem Dei. Probatur minor; Christus vt homo subsistit per subsistentiam Verbi, non sub conceptu huic subsistentiæ, & personalitati Patris, & Spiritus Sancti communi, sed sub conceptu per quē ab illis distinguitur; aliàs non magis Verbum, quam Pater, & Spiritus Sanctus carnem sumpsisset; sed subsistentia Verbi distinguitur ab aliis subsistentijs relatiuis ex conceptu filiationis: ergo subsistit per subsistētiam Verbi, vt est formaliter filiatio; & consequenter hic homo in concreto sumptus, non *materialiter*, sed *formaliter* claudit filiationem diuinam.

106 *Respon.*

Respondeo, negando minorem. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: ex conceptu filiationis sub solo munere filiationis, nego minorem: sub quovis alio munere claudente, licet non explicante munus filiationis exercitum, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam sicut personalitas Patris triplici munere gaudet, nempé, personalitatis sub conceptu formæ hypostaticæ, qua ratione ad generationem supponitur, originis sub conceptu egressionis à principio, & relationis exercité referentis, & Patrem in ratione Patris constituentis, qua ratione generationem supponit, & super illam fundatur, & hæc tria munera exercet, prout à filiatione distincta, quamuis sub primo, & secundo munere munus relationis, & paternitatis non exprimat, sed tantum implicet, & exigat: ita filiatio Diuini Verbi, prout à Paternitate distincta, ipsum genitum constituit sub munere passiuæ generationis in ratione secundæ personæ sub munere formæ hypostaticæ, & in ratione filij sub munere relationis, & expressæ filiationis, ipsaque duo illa munia exercens à Paternitate distinguitur, non quia explicet filiationem sub conceptu, & munere filiationis, sed quia implicat, & exigit munus istud relationis, & filiationis.

*Triplex munus personalitatis Patris.*

*Aliud triplex filiationis munus respectu Verbi in se ipso.*

107 *Etiā in ordine ad Christū, vt hominē triplici munere gaudet*

Et sicut filiatio in ordine ad Verbū in se, hoc triplici munere gaudet: ita in ordine ad Christum vt hominem, scilicet vt in humanitate subsistētem; nam primo illum cōstituit in ratione humanæ personæ, sub quo munere non explicat, sed tantum implicat exercitium filiationis; deinde humanitatem vnit cū natura diuina, prout in Verbo existit per generationem æternam; deinde cū eadem vt in Verbo sub conceptu secundæ personæ, & tandem prout existit in Verbo, vt relato relatione filiationis, & quamuis vt primum munus exercet, distinguatur à paternitate, & spiratione passiua, non tamen exercet formaliter pro illo signo munus filiationis diuinæ, sed illud claudit *implicitè*, & Christus vt homo constitutus per filiationem sub munere subsistentiæ humanæ est subiectum prædestinatum ad esse genitū per generationem æternā, ad esse secundā Trinitatis personam, & Filium naturalē Dei. Quæ doctrina longiori discussione indigebat; in præsenti tamen nō tam est examinanda, quam supponenda, ex his, quæ docentur 1. *p. q.* 40. vbi agitur de constitutiuo diuinarum personarū.

108 *Instabis primo.*

Sed instabis aduersus istam solutionem primo; estò in filiatione Verbi hæc munera distinguantur, prius tamē in illa intelligitur munus subsistētiæ diuinæ, prout terminat Dei naturam, quā munus subsistentiæ humanæ prout humanitatē terminat; sed munus filiationis naturalis exercet prout terminat Dei naturam per generationem habitam: ergo prius in personalitate Verbi intelligitur esse Filium naturalē, quā esse humanam personam; & consequenter prout in humanitate subsistit, non potest prædestinari ad esse Filium Dei naturalem.

109 *Secundo.*

Secundo; nam saltim prout terminat humanitatem, claudit, & petit ab intrinseco se ipsam sub munere passiuæ generationis, personalitatis diuinæ, & filiationis; sed quia paternitas sub munere formæ hypostaticæ se ipsā sub munere actiuæ generationis, & paternitatis petit, & implicitè claudit, non potest Pater in ratione primæ personæ ad rationem generantis, & Patris prædestinari: ergo pariter Christus, vt terminans humanam naturam, & vt subsistens in illa, prædestinari non potest ad esse genitum æterna generatione, ad esse secundam Trinitatis personam, & Filium naturalem Dei.

110 *Tertio.*

Denique: nam subsistentia Verbi

vt terminans humanitatem, ſolum per rationem differt à ſe ipſa vt terminante diuinitatem, & Verbum conſtituente in ratione perſonæ diuinæ, & Filij naturalis Dei; ſed Deus vt prædeſtinans diſtinctionem rationis non facit: ergo reſpectu Dei, quatenus prædeſtinantis, non prius intelligitur ſub munere terminantis naturam creatam, quam ſub munere terminantis diuinam, Verbumque referentis vt filium: ac per conſequens nō poterit eſſe, vt terminans naturam humanam prædeſtinationis ſubiectum, & vt terminans diuinam, terminus prædeſtinationis.

III *Ad 1. inſtantiam reſpond.*

Ad primam ex his obiectionibus reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: prius eſt Verbum in ſe ipſo eſſe Filium naturalem Dei, quam eſſe humanam perſonam, concedo conſequentiam: prius eſt eſſe filium naturalem in humanitate, quam eſſe humanam perſonam, nego conſequentiam: ex quo tantum ſequitur, non eſſe prædeſtinatum, vt eſſet Filius Dei naturalis in ſe: non autem quod prædeſtinatus non fuerit, vt quatenus in humanitate ſubſiſtens, eſſet perſona diuina, & Filius naturalis Dei; vt enim docet Divus Thomas in præſenti quæſt. 24. art. 1. ad 3. *Licet non conueniat perſonæ Chriſti abſolutè, quod incœperit eſſe Filius Dei, conuenit autem ei ſecundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana exiſtens, quia ſcilicet, hoc aliquando incœpit eſſe, vt in natura humana exiſtens, eſſet Filius Dei.* Et ratio eſt; nam humanitas *immediatè* vnitur perſonalitati Verbi, & *mediatè* Deitati in vnitate perſonæ: ergo prius intelligitur perſonalitas Verbi terminans humanitatem, & illam ſibi coniungens, quam intelligatur illam vniens Deitati, & ſibi prout *exercitè* in Deitate ſubſiſtenti: cumque ſub iſto ſecundo munere rationem perſonæ diuinæ exerceat, prius intelligitur perſonam humanam cōſtituens, quam hæc eadem perſona humana intelligatur diuina perſona; & conſequenter prius quam intelligatur, vt ſubſiſtens in humanitate Filius Dei naturalis.

S. THO.

112 *Ad ſecundam.*

Ad ſecundam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: quia Paternitas, vt forma hypoſtatica ſe ipſam petit, tam ratione ſui, quam ratione diuinitatis, quam terminat, & cum qua primam perſonam conſtituit, concedo minorem: præciſé ratione ſui, nego minorem, & conſequentiam. Nam licet perſonalitas Verbi vt humanitatem terminans, petat ſe ipſam vt terminantem Deitatem ratione ſui ob ſummam identitatem, quæ inter vtrumque munus reperitur, non tamen id petit ratione humanitatis, quam terminat, & cum qua perſonam humanam conſtituit, & quia eſt ſubiectum prædeſtinationis ratione naturæ, quam terminat per modum ſubiecti *quo*, vt partim conſtat ex dictis, & plenius ex dicendis conſtabit: fit conſequens, quod Verbum vt homo, & vt terminans humanitatem poſſit prædeſtinari ad ſe ipſum, vt terminans Deitatem, & Chriſtum vt hominem Filium Dei naturalem conſtituit.

113 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, diſtinguo maiorē: ly *ſolum* excludente diſtinctionem realē formalem, cōcedo maiorem: diſtinctionē virtualem, aut eminentialem, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo cō ſequens: non prius intelligitur prioritate reali formali, concedo conſequentiā: prioritate virtuali, aut eminentiali, nego conſequentiam. Itaq; quamuis Deus non diſtinguat formaliter inter perſonalitatem Verbi, vt ſuppoſitantem humanitatem, & vt conſtituentem Chriſtum vt hominem Filium Dei naturalem, quia tamen ex parte obiecti inuenitur diſtinctio, aut virtualis inadæquata, aut eminētialis munium, & ſub vno munere ſe ipſam, vt aliud præſtantem, virtualiter, aut eminentialiter præcedit; Deus diſtinctionem iſtam, præcedētiāque cognoſcit, & prius prioritate virtuali decernit ſubſiſtentiam, vt terminantē humanitatē, & poſterius, vt conſtituentem Chriſtum vt hominem Filium Dei naturalem: noſterq; intellectus inter decretum diuinum ſub vna, & alia terminatione, ſeu virtualitate diſtinguens, ſub ſecunda terminatione illud cōcipit ſub ratione ordinationis, & prædeſtinationis: ſub prima autem ſub ratione diſpoſitionis, vel artis conſtituentis prædeſtinationis ſubiectum, ſicut intellectus diuinus ſuam eſſentiā, & attributa vnico

actu simplicissimo cognoscit, essentiam vt radicem virtualē attributorum, attributa, vt proprietates virtualiter radicatas, & sub terminatione ad essentiam vocatur, & est intellectus, & lumen principiorum, subsecunda verò scientia; quin ex hoc inferatur, Deū inter essentiam, & attributa formare distinctionem rationis.

114 *Secundo arg. contra principalē solutionē.*

Secundo contra principalem solutionem arguitur; eo ipso quod terminus includatur realiter in subiecto, non potest illi cōuenire ex gratia; sed terminus prædestinationis debet conuenire ex gratia subiecto prædestinato: ergo si hic homo Christus claudit realiter filiationē Dei naturalē, hic homo Christus, vel Christus, quatenus homo, non poterit prædestinari Filius Dei naturalis. Minor cum consequētia tenet. Maior autem ostenditur primo; quod necessario cōuenit alicui subiecto, nō cōuenit illi ex gratia; sed eo ipso, quod realiter in subiecto includatur, necessario conuenit subiecto: ergo eo ipso nō conuenit illi ex gratia. Secundo; si esset possibilis supernaturalis substantia, non esset ex gratia beatificabilis: quia visio beatifica ab intrinseco ad illam consequeretur; sed terminus realiter identificatus cum subiecto, strictiori cōnexione, & necessitate ad tale subiectum consequitur: ergo nequit illi conuenire ex gratia.

*Maior prob. 1.*

*Secundo.*

115 *Tertio.*

Tertio; id quod gratiosé, & liberaliter datur, vt debet donari, quod rationem gratiæ sortitur, taliter debet conferri, quod possit à largiēte negari; aliàs non liberé conferretur, ac proinde, nec gratiosé, & liberaliter; cum actus liberalitatis, liber debeat esse operanti; sed terminus inclusus realiter in subiecto, non est taliter conferibilis, quod possit à largiente non conferri: ergo non potest liberaliter, & gratiosé donari: ac proinde, nec rationem gratiæ sortiri.

116 *Quarto.* S. Tho.

Denique suadetur maior ex D. Th. ad Romanos 1. lect. 3. illis verbis: *Quia omnia naturalia pertinent ad constitutionē rei ipsius, quia vel sunt principia, ex quibus res constituitur, vel ex huiusmodi principijs consequuntur: consequens est, quod naturalia propriè sub prædestinatione non cadant:* ergo sentit Divus Thomas, illa quæ cō. sequuntur ab intrinseco rem constitutam, illi ex gratia non conuenire, nec posse sub prædestinatione comprehendi; sed terminus realiter in subiecto aliquo inclusus, ab intrinseco consequitur illius constitutionem: ergo non potest illi per gratiam, & prædestinationem competere; & consequenter filiatio Dei naturalis realiter in Christo, quatenus homine inclusa, nequit rationem gratiæ sortiri respectu Christi prout hominis, nec esse terminus prædestinationis illius.

117 *Respondeo ad 1. probationē maioris.*

Respondeo, negando maiorē. Ad primam probationē, distinguo maiorē: si necessario conueniat ratione omnis ingredientis subiecti constitutionē, concedo maiorē: si tātum ratione alicuius, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam Christus vt homo importat subsistētiā diuinam, & simul naturam humanam: licet autem filiatio naturalis necessario Christo vt homini conueniat ratione subsistentiæ diuinæ, non tamen illi necessario conuenit ratione naturæ humanæ; vt enim docet Divus Thomas in præsenti art. 1 ad 2. *Quamuis sit naturale personæ Christi secundum se considerate, quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundū quam ei conuenit per gratiam vnionis.* Sentit ergo D. Thom. quod vt aliquid gratia sit respectu alicuius subiecti, sufficit, quod illi naturale non sit secundum aliquam partem, licet secundum aliam illi necessario, & naturaliter conueniat, & quod filiatio naturalis cōuenit Christo vt homini per gratiam, quia non necessario cōsequitur ratione humanæ naturæ, quāuis necessario, naturaliterque consequatur ratione subsistētiæ diuinæ: Et ex his ad secundam maioris probationem constat solutio: si namque esset dabilis supernaturalis substantia, non esset constituta ex duobus, ad quorum vnum necessario sequeretur beatitudo, & alteri conueniret ex gratia, sed ad illam ex omni capite necessario consequeretur, & ideò ad visionem Dei non posset prædestinari.

*Ad secundam.*

118 *Ad tertiam.*

Ad tertiam, distinguo maiorē: quod liberaliter donatur subiecto adæquatē, & ex omni parte sumpto, concedo maiorem:

iorem: quod liberaliter datur ex vno capite tantum nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam filiatio naturalis Dei, non eſt gratia reſpectu huius hominis Chriſti ſecundum omne quod includit inſpecti; debetur enim ratione ſubſiſtentiæ increatæ, ſed tantum ſecũdum humanitatẽ, ad quod ſufficit, quod attenta humanitate poſsit negari ſubiecto, etſi omnibus inſpectis, quæ ingrediuntur ſubiecti conſtitutionem, nõ poſsit à Deo negari. Sicut quod eſt poſsibile, potentia vndequaq; expedita, & abſq; vlla ſuppoſitionis neceſsitate, poteſt in actũ reduci, abſq; vllo incõueniẽti, quod autẽ eſſet poſsibile potẽtia tantũ antecedenti cũ impoſsibilitate conſequenti orta ex aliqua ſuppoſitione, abſque incõuenienti maximo in actum reduci non poteſt, vt patet in negatione cõſenſus à Deo præuiſi futuri, quæ quidem manet potentia antecedenti poſsibilis; & tamen ſi reduceretur ad actum, magnum eſſet inconueniens; cũ hoc ipſo veritas diuinæ cognitionis deficeret. Ita dicimus *in præſenti*, quod id, quod gratioſè confertur ſubiecto adæquatè conſiderato, poteſt abſoluté negari, quod autem gratioſè datur, attenta vna parte ſubiecti cum neceſsitate orta ex altera eiuſdẽ ſubiecti parte, nõ poteſt tali ſubiecto abſolatè negari, ſed tãtum illa parte inſpecta, ratione cuius eſt gratia, vt autem illius gratiæ largitio liberalis ſit, & terminet actum liberalitatis; ſufficit quod taliter ſit, quod potuerit non eſſe abſoluté, Deo ſcilicet, non vniente ſubſiſtentiam Verbi ad humanitatem, tametſi hac vnione præſuppoſita neceſſario conferatur.

**119** *Ad vltimam.* Ad vltimam probationẽ, admiſsis verbis D. Th. vt iacent, diſtinguo conſequens: quæ ab intrinſeco conſequuntur rem conſtitutam, conſtitutione vndequaq; naturali, concedo conſequentiã: conſtitutione ſupernaturali, nego conſequentiam: conſtitutio autem Chriſti per vnionem humanitatis ad Verbum, non naturalis, ſed ſupernaturalis eſt; & ideò, quæ ab intrinſeco ſequuntur illius conſtitutionem, poſſunt rationẽ gratiæ ſortiri.

**120** *Inſtabis.* Sed dices: quod ſubiecto ratione vnius partis debetur, eſto ſit ratione alterius indebitum, non eſt gratia ſpecialis, nec gratia abſoluté, & ſimpliciter; ſed vt in hac ſolutione defendimus, filiatio naturalis debetur huic homini Chriſto ratione ſubſiſtẽtiæ diuinæ: ergo quãuis non debeatur ratione naturæ humanæ gratia ſpecialis non eſt; & conſequẽter prædeſtinationis terminus eſſe non poteſt, quæ cũ ſit ſpecialis prouidentia, petit ſpecialẽ gratiã pro termino. Maior probatur; auxiliũ ad aliquando benè operandũ nõ debetur Petro v. c. ratione gradus indiuidualis; & tamen quia debetur naturæ, ex qua, & gradu indiuiduali conflatur, ſpecialis gratia reſpectu Petri non eſt, ſed ad generalẽ prouidentiam ſpectat: ergo quod alicui ratione vnius partis debetur, etiam ſi ratione alterius partis non debeatur, ſpecialis gratia non eſt, ſed ad ſummum generalis.

**121** *Reſpond.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorẽ: ſi extremorum, aut partium coniunctio, non ſupernaturalis, ſed naturalis ſit, & effectus generalis prouidentiæ, cõcedo maiorẽ: ſi ſit ſupernaturalis, & effectus prouidentiæ ſpecialis, nego maiorẽ: & conceſſa minori, nego cõſequentiã. Cõtra quã diſtinctionẽ nõ obſtat maioris probatio; nã cõtractio naturæ humanæ per gradus indiuiduales, indiuiduiq; ex his partibus conſtitutio, non ſupernaturalis eſt, ſed naturalis, & effectus prouidentiæ generalis Dei; atque adeò quod debetur, hac conſtitutione ſuppoſita, ſpecialis gratia eſſe nequit. Cæterũ coniunctio humanitatis Chriſti cũ Verbo eſt effectus maximè ſupernaturalis; atque adeò, quod illi ratione vni ex partibus, aut extremis debetur, ſupernaturale eſt, & gratia talis *ſimpliciter*, ſicut auxiliũ iuſto debitum ad aliquando benè operãdũ ſupernaturaliter, ſpecialis gratia eſt facta homini iuſtificato, licet nõ ſpecialitate relata ad gratiã iuſtificantẽ; benè tamẽ relata ad hominem gratum, quia licet debeatur ex ſuppoſitione iuſtificationis, & coniunctionis gratiæ cũ homine, hæc iuſtificatio ſupernaturalis eſt, & gratia ſimpliciter.

**122** *Vrgebis primo.* Sed vrgebis adhuc primo; coniunctio humanitatis ad Verbum, ſolum eſt gratia reſpectu humanitatis, nõ autem reſpectu huius hominis, *Chriſto ſignato*: ergo filiatio, quæ hac coniunctione ſup-

po-

posita debetur ratione subsistentiæ Verbi, erit gratia respectu humanitatis Christi: non autē erit propriè, & simpliciter gratia respectu huius hominis, aut respectu Verbi, vt in humanitate subsistētis. Antecedens est certū: nam ante coniunctionē humanitatis ad Verbum, nō præintelligitur Christus, vt subsistens in humanitate, sed subiectū gratiæ debet ad illam præconcipi: ergo coniunctio ista est gratia humanitati facta, non autē Christo vt homini. Consequentia autem probatur: nā ideò filiatio est gratia, iuxta solutionem datam, quia quamuis necessario conueniat ex vna parte subiecti, cōiunctio tamen vnius partis ad aliā est gratia supernaturalis ordinis: ergo solum erit filiatio simpliciter gratia, cui est gratia coniunctio, ex qua sequitur.

123 *Secundo.* Secundo; nam collatio termini prædestinationis debet esse noua gratia à constitutione subiecti; sed filiatio naturalis non est noua gratia supposita vnione Verbi ad humanitatem, vt illam suppositantis; quādoquidē necessariò cōsequitur hac vnione præsuppositā: ergo filiatio naturalis nō potest ex vi prædestinationis Christo vt homini cōpetere.

124 *Tertio.* Tertio, quia esse filiū adoptivum necessario consequitur ad esse hominem participē diuinæ naturæ ratione gratiæ habitualis, licet non consequatur necessario ratione subiecti gratiæ, nō potest dici homo gratus prædestinatì, vt sit Filius adoptiuus Dei, nec filiatio adoptiua noua gratia respectu talis subiecti; sed ad hoc, quod est Verbū in humanitate subsistere, consequitur necessario ratione subsistētiæ Verbi esse Filium Dei naturalē: ergo quamuis non sequatur necessario ratione humanitatis filiatio naturalis Dei, non potest Christo vt homini ex vi prædestinationis conuenire.

125 *Quarto.* Deniq; vt enim Christus vt homo prædestinetur Filius Dei naturalis, petitur, quod filiatio naturalis sit gratia simpliciter respectu Christi prout hominis; sed eo ipso, quod Christo, quatenus homini, necessario ex vna parte conueniat, quāuis vtriusq; extremi coniunctio supernaturalis sit, non potest obtinere rationē gratiæ simpliciter: ergo nec potest ipsi ex vi prædestinationis conuenire. Probatur minor; gratia est donū liberale, & indebitum subiecto, cui gratia fit: ergo gratia talis simpliciter est indebita simpliciter; sed quod ex vno principio debetur, quāuis non debeatur ex alio, non potest dici indebitum simpliciter respectu talis subiecti: ergo nec gratia simpliciter. Probatur minor; esse in debitū subiecto, est subiectū carere iure; sed quod subiectum careat iure ex vno capite si tamen ex alio id habeat, non sufficit, vt dicatur simpliciter carens iure, vt *supra* docuimus: ergo non deberi subiecto ex vno tantum principio, dum modo ex alio debeatur, non sufficit vt respectu talis subiecti sit indebitū simpliciter.

126 *Ad 1. respondetur.* Respondeo ad primam ex his obiectionibus, concesso antecedenti, negādo consequenti. Nam coniunctio humanitatis ad Verbū, ideò solū respectu Christi, vt hominis, nō est gratia, sed tātum respectu humanitatis, quia ad illā non præsupponitur: filiatio autē naturalis Christo vt homini conueniens, est gratia ratione distincta à subsistentia Verbi, vt humanitatē terminante, etsi cū illa connexa; & aliàs Christo vt hominē, virtualiter constitutum supponit; & ideò non solū cōparatur vt gratia ad humanitatē, sed etiam ad Christum vt hominem.

127 *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo maiorem: nouitate distinctionis, concedo maiorē: nouitate excludente cōnexionē, nego maiorē: & sub eadē distinctione minoris, nego consequentiā. Nā quod naturalis filiatio necessario connectatur cum subsistentia Verbi, vt terminante humanitatē, solum probat, non esse nouā gratiā, nouitate connexionis: non autem, quod noua gratia non sit nouitate distinctionis, & hoc sufficit vt Christus vt homo, vel vt in humanitate subsistens, prædestinetur ad illam.

128 Et quidem non magis petitur gratiæ nouitas ad terminum prædestinationis respectu constitutionis subiecti, quā requiratur in termino impetrationis nouitas gratiæ à cōstitutione principij actus impetrantis: non autem requiritur in termino impetrationis nouitas connexionē cum tali principio excludens; gratia enim sub conceptu auxiliātis cum se, vt iustificāte, necessario con-

nectitur, & vt iustificans, terminat impetrationem, vt auxilians actum impetrantem principiat: ergo pariter nouitas connexionis, non requiretur in termino prædestinationis cõparato cum subiecto, sed sufficiet nouitas distinctionis; & sicut vt gratia sub conceptu iustificantis sit impetrationis terminus, & vt auxilians principium, sufficit rationis, & virtualis inadæquata distinctio inter vnum, & alterum conceptum, vel vnum, & aliud munus: ita vt subsistẽtia Verbi sub conceptu filiationis sit terminus prædestinationis, sufficiet ratione, & virtualiter distingui à se ipsa, vt humanitatem terminante, & constituente subiectum prædestinationis.

129 *Ad tertiã* Ad tertiam, nego causalem maioris vt adæquatã, sed quia homo gratus non ordinatur ad esse Filium Dei adoptivum vt ad finem, sed ad gloriam, ideò non potest dici prædestinatus ad esse Filium adoptivum Dei: Verbum autem in humanitate sub istere, & Deum esse hominem, quod primo intelligitur in Incarnationis Mysterio, ordinatur ad hoc, quod homo sit Deus, & in Deitate subsistẽs Filius naturalis Dei; & ideò hic homo, signato Christo, vel Christi, quatenus homo, prædestinatus est esse Filium Dei naturalem.

130 *Ad quartam.* Ad vltimam, distinguo maiorem: quod sit gratia simpliciter, prout *simpliciter* est idem, quod omnibus modis tale, nego maiorem: *simpliciter*, idest, non *secundum quid* gratia, concedo maiorẽ: & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Nam licet, quod debetur conflato ex subsistentia Verbi, & humanitate, non sit gratia respectu talis conflati *simpliciter*, idest, omnibus modis, quia non est illi gratia, ratione subsistentiæ; est tamen gratia respectu talis conflati, vt hominis *simpliciter*, idest, non *secundum quid*: quia ad hoc sufficit, quod secundum humanitatẽ non necessario conueniat, nec naturaliter, sed liberaliter, & gratiosè; vt autem respectu huius concreti, videlicet Christi vt hominis, ly *vt* determinante humanitatem, filiatio naturalis sit gratia *simpliciter*, idest, non *secundum quid*; sufficit, quod sit indebita humanitati, & Christo ratione illius, & vt sic dicatur indebita, sufficit, quod Christus vt homo, non habeat ratione humanitatis ius ad filiationem naturalem Dei non autem requiritur, quod ratione humanitatis hic homo Christus sit non habens ius, negatione infinitanter accepta, quod ad extraneitatem requiritur. Nec sequitur *ratione humanitatis hic homo non habet ius: ergo ratione illius est non habens ius* Quia ad hoc erat necessarium, quod humanitas non solum ius non præstaret, sed insuper, quod ius ex alio principio conueniens impediret; vt autem antecedens sit verum, sufficit, quod ipsa humanitas non det Christo vt homini ius ad filiationem Dei

131 *Tertio arguitur.* Tertio principaliter arguitur; humanitas nõ est subiectum *quo* prædestinationis Christi: ergo filiationẽ Dei esse indebitam humanitati, & Verbo ratione illius, non sufficit vt Christus, quatenus homo, dicatur prædestinatus Filius Dei naturalis. Consequentia est bona: nam terminus debet conuenire ex gratia subiecto *quo*, vel *quod* prædestinationis, vel subiecto *quod* ratione subiecti *quo*. Antecedens autem probatur, quod nõ est subiectum *quo* termini prædestinationis, nõ est subiectum *quo* prædestinationis, sicut quod non est subiectum *quod* termini, subiectum *quod* prædestinationis non est: quo circa vt docet Divus Thomas *in præsenti art. 1. & locis supra citatis*, humanitas subiectum *quod* prædestinationis Christi non est, quia non est, nec dicitur filia vt *quod*, & filiatio est terminus prædestinationis Christi; sed humanitas non est subiectum *quo* termini prædestinationis Christi: ergo nec est subiectum *quo* prædestinationis. Probatur minor; terminus prædestinationis Christi est filiatio naturalis; sed humanitas non est subiectu *quo* filiationis; vt enim *supra* ex Diuo Thoma monstrauimus, filiatio conuenit immediatè supposito per exclusionem naturæ mediantis etiam vt *quo*: ergo humanitas non est subiectum *quo* termini prædestinationis Christi.

132 *Respond.* Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorẽ: terminus materialis, concedo maiorem: formalis,

sub-

subdistinguo maiorem: est filiatio, vt in tempore conueniens per gratiam, cōcedo maiorem: vt ab æterno, & per naturam suppositi Verbi conueniens, nego maiorem, & distinguo minorem: humanitas non est subiectum *quo* filiationis quoad esse, cōcedo minorem: vt in tempore conuenientis per gratiam, nego minorem, & cōsequentiā. Quæ solutio est Diui Thomæ in 3. dist. 10. q. 1. art. 1. ad 2. ibi: *Vel dicendum, quod quamuis gratia vnionis faciat hominem Deum: non tamen ad idem refertur gratia vnionis, & esse Deum, quia esse Deum conuenit huic homini ratione personæ: gratia autem sit ei ratione naturæ: vnde secundum quod homo habet gratiam vnionis, si fiat reduplicatio ratione humanæ naturæ; non autem secundum quod homo est Deus, sed secundum quod talis persona.* Hæc Divus Thomas: ex quibus aperté constat, quod quamuis esse Deum non conueniat huic homini Christo ratione naturæ, sed ratione personæ, esse tamen Deum per gratiam vnionis, illi ratione naturæ conuenit; & consequenter idem est asserendum de hoc, quod est esse Filium naturalē Dei, quod scilicet, esse filium cōueniat huic homini Christo, non ratione humanitatis, sed ratione personæ, esse tamen Filium Dei per gratiam vnionis in tempore, illi ratione humanitatis conueniat: cum autem prædestinatio habeat pro termino formali filiationem Dei, non vt absolutè conuenientem, sed vt conuenientem per gratiam vnionis in tempore: fit consequens, quod humanitas sit subiectum *quo* termini prædestinationis, non *entitatiuè* sumpti, sed *formaliter*, vt est terminus illius.

*Solutionem esse D. T. probatur 1.*

133 *Prob. 2.*

Quod expressius docuit Angelicus Doctor in 3. dist. 7. q. 3. art. 1. in corpore, & in præsenti q. 24. art. 2. in corpore, & in solutione ad 1. quod tale erat: *Hoc enim est vnusquisque secundum aliquod tempus, quod est prædestinatus esse, ex quod prædestinatio Dei non fallitur: si ergo Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei, videtur sequi, quod sit Filius Dei secundum quod homo; hoc autem est falsum: ergo & primum.* Ecce nostrū argumentum in substantia, cui argumē to ita respondet: *Ad primum dicendum, quod cum dicitur Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei; hæc determinatio, secundum quod homo, potest referri ad actum significatum per participium dupliciter. Vno modo ex parte eius, quo (materialiter cadit sub prædestinatione, & hoc modo est falsa; est enim sensus, quod prædestinatum sit vt Christus secundum quod homo sit Filius Dei, & in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo potest referri ad ipsam propriam rationem actus, prout scilicet prædestinatio importat in sui ratione antecessionem, & effectum gratuitum, & hoc modo conuenit Christo ratione humanæ naturæ, vt dictum est in corpore articuli, & secundum hoc dicitur prædestinatus, secundum quod homo.* Hæc Divus Thomas: ex quibus aperté constat, esse Filium Dei *materialiter* à prædestinatione importari, ideſt, esse terminum materialem illius: esse autem Filium Dei in tempore per gratiam vnionis, importari per prædestinationem *formaliter*; & consequenter filiationem naturalem Dei, vt per gratiam in tempore conuenientem, esse terminum prædestinationis *formaliter*, & quod humanitas est subiectū *quo* termini prædestinationis cōsiderati *formaliter*, etsi non *materialiter* inspecti.

Sed opponesadversus istam solutionem primo, cui non conuenit aliqua perfectio, non potest conuenire gratia quæ in eius conuenientia fit; nam conuenire ex gratia, supponit conuenire absoluté, & addit modum specialem conueniendi; sed Christo non conuenit esse Filium Dei ratione naturæ humanæ, vt subiecti *quo* filiationis: ergo nec conuenit ipsi ratione naturæ humanæ gratia filiationis naturalis; & consequenter nec gratia prædestinationis: ac proinde vt homo non est prædestinatus esse Filius Dei naturalis, ly *vt* reduplicante, aut specificante humanitatem, vt subiectum *quo* prædestinationis

134 *Replicabis primo.*

Secundo; nam sequitur ex hac solutione, humanitatem esse non solum prædestinatam vt *quo*, sed etiam vt *quod* ad filiationem Dei naturalem; consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela; est prædestinata vt *quo*, licet non sit filia vt *quo*, quia est subiectū *quo* gratiæ, quæ in prædestinatione importatur; sed non solum est subiectum *quo*, sed etiam subiectum

*Secundo.*

*quod* huius gratiæ: ergo quamuis nō sit filia Dei naturalis vt *quod*, erit subiectū prædestinationis *quo*. Probatur minor: gratia, quæ importatur in prædestinatiōne Christi est gratia vnionis; sed hæc conuenit humanitati vt *quod*; est enim vt *quod* Verbo vnita in vnitate personæ: ergo gratia, quæ in prædestinatione Christi importatur, conuenit humanitati vt *quod*.

136 *Tertio.* Tertio: nam ex eo *supra* cum Diuo Thoma monstrauimus, filiationē conuenire personæ immediatè, non autē ratione naturæ: quia, quæ conueniunt supposito ratione naturæ, prius naturā, quam suppositum denominant: filiatio autem non dat naturæ denominationem filiæ; sed prædestinatio non denominat naturam prædestinatam; aliàs hæc esset vera: *Humanitas Christi prædestinata est esse filia naturalis Dei*: quod negat Diuus Thomas *in præsenti art. 1. ad 2.* ergo non conuenit Christo esse prædestinatum ratione naturæ humanæ; & consequenter humanitas non est subiectum *quo* prædestinationis Christi.

137 *Quarto.* Denique; nam sequitur ex hac solutione posse dici Christum vt hominem adoptatum ad gloriam; cōsequēs non admittimus: ergo nec solutionem datam possumus sustinere. Probatur sequela; dicitur vt homo, prædestinatus in filium, quia licet filiatio ipsi non conueniat ratione naturæ humanæ: gratia tamen, quæ in communicatione tēporali filiationis æternæ intercedit, Christo conuenit ratione naturæ, etsi non ratione suppositi, sed quamuis gloria nō conueniat supposito Christi ex gratia ratione sui; illi tamen ex gratia conuenit ratione naturæ humanæ: ergo sicut dicitur prædestinatus vt homo in Filium Dei naturalem: ita potest dici, vt homo adoptatus ad hæreditatē gloriæ. *Cōfirmatur.* Et augetur difficultas; nam filiatio non conuenit Christo ratione naturæ humanæ, sed tantum gratia filiationis; at Christo ratione naturæ humanæ conuenit non solum gratia, quæ in Dei visione intercedit, sed etiam ipsa visio: ergo si dicitur prædestinatus vt homo in Filium Dei naturalem, poterit potiori iure dici vt homo adoptatus ad gloriam.

138 Respondeo ad primam instantiam, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Nam licet eidem subiecto, cui aliqua forma conuenit, debeat etiam conuenire gratia, quæ in illius communicatione intercedit; nō tamen est necessarium, quod ex parte talis subiecti, idem sit ratio conuenientiæ formæ, & ratio conuenientiæ ex gratia, vt constat in homine iusto, cui conuenit gloria, vt hæreditas ex gratia; & tamen ratio conuenientiæ gloriæ, non est humanitas, sed habitualis gratia: & ratio cur ex gratia conueniat hæreditas gloriæ non est gratia, sed humanitas; nā ratione gratiæ non ex gratia, sed ex debito confertur. Constat etiam in homine grato, cui debetur gloria vt corona, & etiam ipsi confertur ex gratia, vt constat ex Tridentino sessione 6. cap 16. *Cōc. Trid.* ibi: *Atque ideò benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Et tamen ratio cur gloria vt corona conueniat, sunt merita: ratio autem cur rationem gratiæ sortiatur, nō sunt merita, sed natura subiecti, cui ratione sui gloria debita non est: pariter ergo in præsenti huic homini Christo conuenit naturalis filiatio per gratiam.

*Ad 1. replicam respond.*

Quæ solutio est expressa D. Thom. supra q. 16. art. 11. ad 1. quod tale erat: *Christus est Deus per gratiam vnionis; sed Christus secundum quod homo, habet gratiam vnionis: ergo Christus secundum quod homo est Deus.* Cui argumento in hunc modum respondet Angelicus Doctor: *Ad primum dicendum, quod non secundum idem conuenit alicui moueri ad aliquid, & esse illud; nam moueri conuenit alicui, ratione materiæ, vel subiecti: esse autem in actu ratione formæ, & similiter non secundum idem, conuenit Christo ordinari ad hoc quod sit Deus per gratiam vnionis, & esse Deum, sed primum conuenit sibi secundum humanā naturam: secundum verò secundum diuinā; & ideò hæc est vera: Christus secundū quod homo habet gratiam vnionis; non tamen ista: Christus secundum quod homo est Deus.* Quod etiam docuerat *in 3. dist. 10. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. in corpore, & solut. ad 2.*

139 *Solutio est D. Tho.*

Ad

Ad secundam obiectionem, nego sequelam. Ad illius probationem, distinguo minorem: gratiæ vltimo terminantis prædestinationem Christi, nego minorem: gratiæ non vltimo terminantis, concedo minorem, & nego cõsequentiam. Nam vt esset prædestinata vt *quod* debebat esse subiectum *quod* gratiæ, in qua vltimo sistit prædestinatio Christi. humanitas autem licet sit subiectum vnionis, per quam dicitur Verbo coniuncta, non est subiectum *quod* denominatum à filiatione verbi *gratiosè* communicata, & hæc in concreto sumpta, est ad quam vltimo prædestinatio Christi ordinatur: ad vnionem vero humanitatis ad Verbum, vt viam ad istam gratiam. Quæ doctrina est Diui Thomæ *in præsenti art. 1. ad 2.* vbi probat, humanam naturam non dici prædestinatam: *Quia esse Filium Dei non cõuenit humanæ naturæ; hæc enim est falsa: humana natura est Filius Dei.*

140 *Ad secundam.*

141 *Oppones.* Sed dices: licet filiatio non conueniat vt *quod* naturæ; ratio tamen gratiæ, quæ in hac filiatione inuenitur, illi cõuenit vt *quod*; sed ratio gratiæ est per quam filiatio Verbi formaliter constituitur in ratione termini prædestinationis: ergo formalis ratio termini prædestinationis conuenit humanæ naturæ vt *quod*; & consequenter vt *quod* dicetur prædestinata. Patet hæc consequentia; dicitur prædestinata vt *quo*, licet filiatio illi non vt *quo* cõueniat, quia ratio gratiæ, quæ filiationem constituit formaliter terminũ prædestinationis, illi conuenit vt *quo*: ergo si ista ratio gratiæ illi conuenit vt *quod*, quamuis filiatio illi hoc modo non conueniat, dicetur esse prædestinatam vt *quod*.

142 *Respond.* Respondeo; gratiam vnionis dupliciter posse considerari: primo, vt præbens denominationem vniti: secundo, vt adiuncta filiationi præstat denominationem filij naturalis per gratiam. Primo modo vt *quod* conuenit naturæ; secus autem secundo modo, & non sub prima, sed sub secunda consideratione constituit terminum vltimum prædestinationis Christi; & ideò vt vltimo terminans, nõ cõuenit humanitati vt *quod*, sed vt *quo*: supposito autem Verbi, vt in humanitate subsistenti conuenit vt *quod* ratione naturæ humanæ

Ad tertiam, concessa maiori, distinguo minorem: non denominat naturam prædestinatam ad esse Filium Dei naturalem, per quod vltimo prædestinatio Christi terminatur, concedo minorem: ad vnionem, & coniunctionem ad Verbum, quæ terminat prædestinationem Christi *vialiter*, & non *vltimatè*, nego minorem, & consequentiam. Vt enim forma aliqua conueniat supposito ratione naturæ, non est necessarium, quod eodem modo tribuat denominationem vtrique, sed quod aliquam naturæ tribuat denominationem, etsi non eodem modo, vt constat in generatione passiua, quæ subiecta in materia, materiæ, naturæ, & supposito præstat denominationem, non tamẽ eandem, sed materiam denominat transmutatam, naturam productam, & *terminatiuè* vt *quo* genitam: suppositum autem genitum vt *quod* perfectè, non tamen semper productum, vt constat in supposito Verbi, quod non fuit per generationem temporalem productum. Licet ergo prædestinatio Christi non tribuat humanitati esse prædestinatam in filiam Dei naturalem, quia tamen illi præbet prædestinatam, idest, præordinatam esse ab æterno ad gratiam vnionis, potest personæ Christi ratione humanitatis, etiam *immediatè* competere, esse prædestinatam in Filium naturalẽ Dei: filiationem autem ideo ex Diuo Thoma asseruimus conuenire *immediatè* supposito, & non mediante natura, etiam vt subiecto *quo*, quia nullam denominationem præstat naturæ, sed omnem præbet supposito, quod qualiter verum sit, ibi vidimus, & *supra Quæst. 7. art. 1.*

143 *Ad tertiam.*

Ad vltimam obiectionem, nego sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ad confirmationem, concessis etiam præmissis, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam adoptio, *est personæ extraneæ ad hæreditatem, liberalis assumptio*: persona autem extranea non est ex negatione iuris ex vno tantum principio, sed petit negationem iuris ex omni parte constituente personam; & ideò vt aliquis ad

144 *Ad quartam, & ad confirmationẽ.*

glo-

*Differentia inter adoptionē, et prædestinationem.*

gloriam adoptari dicatur, non sufficit, quod attento vno principio hæreditas non sit debita, sed requiritur, quod ex nullo debeatur: prædestinatio autem nō petit terminum ex omni capite indebitum, sed tantum ex vno capite, & ideo vt Christus, quatenus homo, prædestinari dicatur in filium; sufficit, quod filiatio naturalis, non debeatur Christo, vt homini, ex capite humanitatis. Et quidem, si electio ad gloriam non præcederet, sed supponeret merita; non ideo nō haberet rationem veræ prædestinationis, quamuis gloria meritis deberetur; quia subiecto ratione sui supernaturalis esset, & indebita; & tamē homo, qui propriis meritis gloriam debitam fecisset, non diceretur per electionem ad gloriā adoptatus ad illam: sicut homo ab homine ad hæreditatem assumptus, quæ illi præsupponatur debita, non dicitur adoptari dispar ergo inter adoptionem, & prædestinationem inuenitur ratio; nam adoptio petit negationem debiti in hæreditate ex omni principio subiecti. prædestinatio autem solum negationem debiti ex aliquo.

**145** *Quarto arguitur.*

Quarto arguitur: Verbum, vt in humanitate subsistens, est terminus prædestinationis Christi: ergo, vt sic, non est subiectum illius. Patet consequentia; nam subiectum, & terminus debent aliqua ratione distingui. Antecedens autem ostenditur primo; id est terminus prædestinationis, quod ab æterno est dispositum, vt per gratiam in tempore fiat; sed ab æterno est dispositum, vt per gratiam vnionis, in tempore Verbum in humanitate subsistat: ergo Verbum in humanitate subsistere est terminus prædestinationis. Secundo; idem est esse terminum prædestinationis, & esse effectum illius; sed Verbum in humanitate subsistere, est effectus prædestinationis Christi: nam substantia cuiusliber prædestinati est effectus prædestinationis propriæ, vt docuimus 1. p. q. 23. art. 2. ergo Verbum in humanitate subsistere est terminus prædestinationis Christi. Tertio; decretum producendi Christum, est formalissimé idem, quod Christi prædestinatio; sed Verbum in humanitate subsistere, & esse hominem, est terminus decreti productiui Christi: ergo est terminus prædestinationis illius. Minor constans videtur; nam decretum productiuum ordinatur ad dandam existentiam effectui: ergo terminus decreti productiui Christi, est Christus, vt homo existens, aut Verbum vt in humanitate subsistens.

*Antecedens probatur 1.*

*Secundo.*

*Tertio.*

**146** *Maior probatur primo.*

Maior autem ostenditur primo; nā iuxta Augustinum, & communem Theologorum sententiam, prædestinatio *est gratiæ præparatio*; sed decretum producendi Christum, est præparatio gratiæ, videlicet gratiæ vnionis; cum Christus producatur per hoc, quod humanitas Verbo vniatur, quæ est gratia omnium gratiarum maxima, & vnionis gratia vocatur: ergo decretum producendi Christum, est formaliter prædestinatio. Secundo; vt enim dicitur in epistola quinque Episcoporum ad Innocētium, *quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus*: quod etiā docent Hieronymus *dialogo contra Pelagianos prope initium*, & Augustinus *lib. de Spiritu, & littera cap* 35. & consequēter decretum creationis rerum, præparatio gratiæ est: ergo decretum productivum Christi est præparatiuum gratiæ; & consequenter proprie prædestinatiuum. Tertio probatur; si namque esset possibilis substantia supernaturalis decretum productiuum illius vere, & propriè esset prædestinatiuū, eo quod talis substantia supernaturalis esset, & illius existentia illi ex gratia conueniret; sed Christus est supernaturalis: ergo decretum productivum illius est formaliter, & proprie prædestinatio. Deniq; probatur; nam decretum productivum Christi pertinet ad diuinam prouidentiam; sed non ad prouidentiam naturalem, nec supernaturalem generalem: ergo ad specialem, imo ad specialissimam; & consequenter proprie est prædestinatio, quæ in specialissima prouidentia consistit.

*Secundo.*

*Tertio.*

*Quarto.*

**147** *Respondetur. Ad 1. probationē antecedētis.*

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: per gratiam, quæ sit gratia subiecto prædestinato, concedo maiorem: si gratia subiecto prædestinato nō sit, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam gratia vnionis non est gratia Ver-

bo; cum Verbum capax gratiæ non sit, nec est gratia Christo, vt homini; nam ad gratiam subiectum præsupponitur: Christus autem, vt homo, non præintelligitur ad vnionem humanitatis ad Verbum; sed solum est gratia respectu humanitatis: hæc autem subiectum prædestinationis proprié non est; & ideo, quāuis ab æterno præordinatum sit, vt Verbum in humanitate subsistēs sit homo; & consequenter prædestinatum *largè* accepta prædestinatione, non tamen esse prædestinatum prædestinatione propria: ac proinde Verbum in humanitate subsistere, & hominem fieri, & esse prædestinationis propriæ terminus non est.

148 *Oppones.* Si dicas, Diuus Thomas *in art.* 1. inde probat Christum esse prædestinatū, quia ab æterno est præordinatū à Deo, vt per gratiam vnionis, homo esset Deus, & Deus esset homo: prædestinatio autem proprié accepta, est quædam diuina præordinatio de his quæ per Dei gratiam sunt in tempore fienda; at Diuus Thomas loquitur de prædestinatione, quæ proprié est prædestinatio: ergo quidquid est ab æterno à Deo ordinatū, vt per gratiam fiat in tempore, est proprié prædestinatum.

149 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo minorē: loquitur de prædestinatione propria respectu omnis termini de quo verificatur esse à Deo præordinatum, nego minorem: respectu alicuius termini subiectum præsupponentis cum quo comparetur vt gratia, concedo minorem, & nego consequentiam. Duo namque sunt, de quibus Angelicus Doctor docet esse à Deo præordinata, vt essent per gratiam vnionis in tempore, nempé, filium Dei esse hominem, & hominem esse filium Dei, & de vtroque docet præordinatum esse ab æterno, & prædestinatum, non tamen respectu vtriusque propriam prædestinationem constituit, nec sua ratione contendit, sed tantum respectu huius, quod est, hominem esse filium Dei naturalem, quod patet ex Diuo Thoma art. 2. ad 3. vbi docet: *Quod quia gratia non est facta filio Dei, vt esset homo sed potius humanæ naturæ vt filio Dei vniretur, magis propriè potest dici, quod Christus secundum quod homo est prædestinatus filius Dei esse, quam quod Christus secundum quod filius Dei sit prædestinatus esse homo.* Vbi ly *magis* sumitur *aduersatiuè*. nam vbi terminus non est respectu subiecti gratia, non saluatur prædestinationis proprietas: non ergo intendit Divus Thomas omne, de quo verum est, esse in tempore, & ab æterno ordinatum, esse terminum propriæ prædestinationis.

Ad secundam antecedentis probationem, nego maiorem, cuius falsitas colligitur ex probatione minoris. Nam substantiam cuiusuis prædestinati esse effectum propriæ prædestinationis, docet probabilior sententia; & tamen nemo vnquam dixit, esse prædestinationis terminum. Et ratio est, quia terminus prædestinationis est, qui vt finis per prædestinationem respicitur: non autem sic ad illam comparatur omnis prædestinationis effectus; & ideo non est idem, esse effectum prædestinationis, & esse illius terminum.

150 *Ad secūda probatiōē antecedētis.*

Sed dices; licet non omnis effectus prædestinationis sit terminus vltimus illius, est saltim terminus intermedius: ergo si Christus, vt homo, est effectus prædestinationis Christi, erit terminus intermedius illius; sed eo ipso non potest esse subiectum: ergo Christus, quatenus homo, subiectum propriæ prædestinationis non est. Probatur minor; subiectum prædestinationis debet ad illam supponi: ergo terminus per illam effectus subiectum esse non potest.

151 *Oppones.*

Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo antecedens: debet ad illam supponi, pro vt comparatam cum termino vltimo terminante, concedo antecedens: vt cū omni termino comparatam, nego antecedens, & consequentiam. Nam cum terminus vltimus debeat esse proprié gratia subiecto prædestinato, & gratia proprié talis, subiectum præsupponat cui fiat; prædestinatio, vt ad terminum vltimum comparata, debet subiectum præsupponere: terminus autem non vltimus, non petit esse proprié gratia subiecto prædestinato, vt patet in prædestinati substantia, quæ est effectus prædestinationis; & tamen proprie gratia non

152 *Respondetur primo*

est;

eſt;ac per conſequens non petit ſubiectum à ſe diſtinctum ſupponere; cumque ordo in diuinis decretis ex ordine obiectorum ſumatur: ſit conſequens, quod prædeſtinatio, vt comparata ad vltimũ terminũ ſupponere debeat ſubiectũ, nõ tamẽ vt cõparata cũ omni termino intermedio. Melius reſpõdetur, ſubiectũ præſupponi debere ad prædeſtinationẽ non in omni genere cauſæ, ſed tantum in aliquo, cum quo rectè componitur, eſſe terminum, & effectum illius.

*Reſpondetur 2.*

**152** *Ad tertiã probationẽ antecedentis. Ad primã probationẽ maioris.*

Ad vltimam antecedentis probationem, nego maiorem. Ad cuius primam probationem explico, & diſtinguo maiorem: præparatio gratiæ, quæ proprié talis ſit ſubiecto prædeſtinato, concedo maiorem: quæ reſpectu ſubiecti prædeſtinati non ſit gratia cum proprietate, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam vnio Verbi ad humanitatem non eſt proprié gratia, reſpectu Chriſti, vt hominis, ſed tantum reſpectu humanitatis, quæ ſubiectum prædeſtinationis Chriſti non eſt. Ad ſecundam dicatur, Patres loqui de gratia, quæ *largè* eſt gratia, quod ſatis indicat illorũ modus loquendi; ex quo tantum ſequitur decretum productiuum Chriſti, vt terminatur ad Verbum eſſe hominẽ, eſſe præparatiuum gratiæ, quæ large ſit gratia reſpectu Chriſti, vt hominis; cum hac tamen differentia, quod donum creationis rerum deficit à ratione propriæ gratiæ; tum, quia naturale eſt. Tum etiam, quia ſubiectum non ſupponit: donum autem conſtitutionis Chriſti, ſolum defectu ſuppoſitionis ſubiecti.

*Ad ſecundam.*

**154** *Ad tertiam.*

Ad tertiam, nego maiorem. Nam licet illa ſubſtantia ſupernaturalis eſſet, proprié tamen non poſſet gratia reſpectu ſui ipſius appellari, nec illius creatio rationem gratiæ cum proprietate ſortiri: ac proinde decretum productiuũ illius proprié prædeſtinatio non eſſet; vt enim vidimus ex Diuo Thoma prædiſpoſitio conſtitutionis reî proprié prædeſtinatio non eſt: imo talis ſubſtantia non eſſet prædeſtinabilis, quia non poſſet ordinari ad finem illi ſupernaturalem, niſi aliud impoſsibile admittamus, ſcilicet, ſubſtantiam ſupernaturalem, cui viſio beatifica ex intraneis non debeatur: tunc enim talis ſubſtantia prædeſtinabilis erit, non ratione decreti productiui, ſed ratione decreti ordinantis ad æternam beatitudinem.

Ad vltimam probationem maioris dicatur, decretum productionis Chriſti, ſi pro actu voluntatis ſumatur, non eſſe partem prouidentiæ: nam prouidentia, vt docet Diuus Thomas 1. *p. quæſt. 22. art. 1. quæſt. 23. art. 1. quæſt. 5. de veritate art. 1. & quæſt. 6. art. etiam 1. & paſsim alibi*, non eſt actus voluntatis, ſed intellectus: ſi autem ſumatur pro actu diuini intellectus practico regulante productionem Chriſti, non eſſe prouidentiã, ſed artem, vt enim docet D. Thomas quæſt. 5. de veritate art. 1. ad 9. *Prouidentia diuina differt ab arte, & diſpoſitione; quia ars diuina dicitur reſpectu productionis rerum; ſed diſpoſitio reſpectu ordinis productorum, prouidentia autem dicit ordinem in finem artificiati.* Iuxta quam doctrinam decretum productionis Chriſti ſumptum pro actu practico intellectus regulante illius conſtitutionem, & illam præ diſponente, prouidentia non eſt: ac per conſequens prædeſtinatio eſſe nequit, ſed rationem prouidentiæ ſpecialis, & prædeſtinationis ſortitur ſecundũ quod Chriſtum vt hominem præintellectũ, vt ſubſiſtentem ordinat virtuali ordinatione ad eſſe filium naturalem Dei, vt ad finem, quia tamen vt *ibi* ſubijcit Diuus Thom. *Ordo ad finem eſt fini propinquior, quam ordo partium ad inuicem, & quodam modo cauſa eius* (& idem dicendum eſt de ordine ad rei productionem, quod nempe, ſit ordine ad finem poſterior in genere cauſæ finalis) fit conſequens quod eadem Chriſti exiſtentia ſit effectus prædeſtinationis Chriſti: nam licet in ordine executionis prius quodam modo fuerit Verbum in humanitate ſubſiſtere, & hominem eſſe, quam quod vt homo ſit filius Dei naturalis, eſſe tamen filium Dei naturalem, fuit prius in ordine intentionis, quam eſſe hominẽ, & ideo prædeſtinatio Chriſti, vt ordinans ad hunc finem, cauſa eſt prædiſpoſitionis de conſtitutione Chriſti, vt hominis, vel vt in humanitate ſubſiſtentis.

**155** *Ad quartã reſpõdetur primo.*

Secundo reſponderi poteſt ad vltimam antecedentis probationem, præ-

**156** *Reſpondetur 2.*

termiſſa

termissa maiori, negando minorem. Nam ex vi eiusdem decreti factum est, Verbum esse hominem, & hominem esse Deum, ac Dei filium naturalem ita vt illud in executione præcesserit; hoc autem in intentione, & cum primum in intentione sit vltimum in executione: fit consequens, quod decretum producendi Christum, non steterit in hoc, quod est Verbum in humanitate subsistere, & hominem esse, sed vltimo fuerit terminatum ad hoc, quod Verbum vt homo fuerit filius naturalis. Iuxta quam doctrinam consequenter est asserendum, Verbum vt subsistens in humanitate, esse terminum nō vltimum prædestinationis Christi: vltimum autem esse filiationem Dei. Nec sequitur, non potuisse esse subiectum, vel obiectum prædestinationis Christi; quia cum prædestinatio sit actus practicus intellectus potest suum obiectum causare. Nec necessarium est, quod respectu omnis termini prædestinationis, distinctum supponatur subiectum, sed sufficit, quod respectu vltimi termini subiectum supponatur distinctum; eo quod non requiritur, quod omnis terminus rationem gratiæ *stricte* sumptæ sortiatur, sed sufficit, hoc conuenire termino vltimo in ordine ad quem diffinitur.

*Prædestinatio potest suum obiectum causare.*

157 *Vltimo arguitur*

Denique arguitur; licet factum sit quod hic homo esset filius naturalis Dei; hæc tamen propositio, *hic homo factus est Deus, vel Dei filius naturalis*, non est vera in rigore sermonis, vt docet D. Thom. *supra quæst. 16. art. 7. & in hac q. art. 1. ad 3.* ergo pariter quamuis sit prædestinatum, quod hic homo (signato Christo) esset filius naturalis Dei. hæc tamen propositio, *hic homo prædestinatus est esse filius naturalis Dei*, non potest in proprietate sermonis concedi. Patet consequentia primo; nā quidquid prædestinatum est, etiam in tempore est factum: ergo si hic homo non est factus filius Dei naturalis, hic homo non est prædestinatus filius Dei naturalis. Secundo à paritate rationis; non enim apparet ratio, cur vna, & non alia verificari possit in sermonis proprietate. Tertio; nam prædestinatio est actus practicus intellectus diuini regulans *immediatè* vsum actiuum voluntatis, & mediate executionem: ergo si inter constitutionē huius hominis (Christo signato) & filiationem Dei naturalem, non mediat vsus actiuus, nec exterior executio, non potest inter vtramque mediare prædestinatio, sed eo ipso, quod intermedient vsus, & exterior executio, debet hæc propositio, vt vera, & propria concedi, *hic homo factus est Deus*: ergo eo ipso, quod hæc negetur, vt propria, debet etiā ista negari, *hic homo prædestinatus est filius Dei naturalis.*

*Consequētia probatur primo.*

*Secundo.*

*Tertio.*

Huic argumento Vazquez *vbi supra cap. 3. num. 22.* respondet, concesso antecedenti, negando consequentiam: & rationem discriminis reddit; nam vt aliquid dicatur fieri tale, debet præcedere ordine naturæ, qui ordo realis est, formam per quam tale dicitur: vt autem dicatur prædestinari esse tale, non petit, quod ordine naturę præcedat formam ad quā prædestinatur, sed sufficit, quod secundum rationem præcedat illam formam. Cuius rationem assignat, quia quod fit, non cogitatione, sed re ipsa tale fit, & ideo nō tantum per rationem, sed re ipsa debet præcedere formam, nō tempore, aut duratione, sed præcedentia naturæ: prædestinatio autem, cum opus rationis sit, nō petit, quod id quod prædestinatur præcedat secundum rem, sed sufficit, quod cogitatione, aut secundum rationem præcedat formam ad quam subiectum prædestinatur: quia ergo hic homo cogitatione præcedit filiationem Dei naturalem: non autem secundum rem, nec tempore, nec natura: fit consequens, quod rectè affirmari possit, *hic homo prædestinatus est filius Dei naturalis*: non autem possit cum proprietate concedi, quod *hic homo factus sit filius naturalis Dei.*

158 *Prima solutio est P. Vazquez.*

Hæc tamen ratio discriminis omnino insufficiens est. Primo; nam inter subiectum, & terminum prædestinationis necessario debet intercedere realis causalitas: ergo & realis præcedentia, & posterioritas naturæ debēt inter illa versari. Probo antecedens; terminus prædestinationis est finis subiecti prædestinati, vel saltim vt verum subiectum ad terminum comparatur; sed inter finem, & ordinatum ad finem, inter subiectum, & formam, realis intercedit causalitas

159 *Reiicitur primo.*

ſalitas formalis, aut virtualis iuxta qualitatem finis, & ordinationis ad finem: ergo inter ſubiectum, & terminum prædeſtinationis debet realis cauſalitas intercedere. Secundo; nam prædeſtinatio eſt actus, non ſpeculatiuus, ſed practic⁹: ergo ex vi illius realiter conuenit ſubiecto terminus prædeſtinationis; ſed niſi realis aliqua prioritas inter ſubiectum, & terminum intercedat non poteſt terminus conuenire ſubiecto ex vi prædeſtinationis: ergo ſubiectum prædeſtinationis debet terminum antecedere reali aliqua antecedentia.

*Secundo. Inter ſubiectũ, & terminũ prædeſtinationis, debet realis cauſalitas, & priritas intercedere.*

160 *Tertio.* Tertio: nam prædeſtinatio non fit humana cogitatione, ſed cogitatione diuina; ſed quod fit re ipſa tale debet re ipſa præcedere, vt fatetur iſte Auctor: ergo quod fit tale cogitatione diuina, debet in diuina cogitatione præcedere formam per quam tale fit; ſed quod præcedit cogitatione diuina, re ipſa debet præcedere: ergo quod prædeſtinatur eſſe tale, debet re ipſa præcedere formam ad quam prædeſtinatione dirigitur. Probo minorem; præcedentia cogitata, & non exiſtens re ipſa, eſt præcedentia cõficta; ſed Deus non poteſt confingere præcedentiam: ergo quod præcedit in cogitatione Dei, debet re ipſa præcedere.

161 *Quarto.* Denique; nam Diuus Thomas *ſupra quæſt. 16 art. 7.* concedit hanc propoſitionem, vt veram, & aliquomodo propriam, *homo factus eſt Deus*, ſubiecto ſupponente *ſimpliciter*; ſed inter hominem ſupponentem *ſimpliciter*, & Deum, vt de illo prædicatur, non eſt realis præcedẽtia, ſi inter hunc hominẽ, & Deum realis præcedentia non eſt; cum non realis, ſed rationis inter illa verletur diſtinctio: ergo abſque reali præcedentia ſaluabitur vera factio enunciata de ſubiecto in ordine ad prædicatum; & conſequenter ex defectu præcedentiæ realis huius hominis ad eſſe filium Dei naturalem, non bene colligit Vazquez, non poſſe vere affirmari, *hic homo factus eſt Deus, aut Dei filius naturalis.*

162 *Secundo reſpondet Suarez dupliciter* Et ex his inſufficiens deprehenditur diſcrimen traditum à Patre Suarez *vbi ſup. ſect. 2. verſu ex quo colligitur.* Vbi ait, ideo iſtam concedi non poſſe, *hic homo factus eſt Deus*, quia fieri dicit realem actionem trãſeuntem, re ipſa ſupponentem ſubiectum, quod dicitur fieri tale, ſaltim ordine naturæ, & quia hic homo (ſignato Chriſto) nõ poteſt re ipſa ſupponi, quin ſit in determinato ſuppoſito filij, & conſequenter ſit Deus: fit, quod de hoc homine non poſsit vere affirmari, quod fiat Deus. Prædeſtinatio autẽ; cum ſit actus mentis, poteſt præſcindere ea quæ in re coniuncta inueniuntur, & concipere hunc hominem, non concipiendo hanc determinatam ſubſiſtentiam, & ſupra illum cadere prædeſtinatio ex vi cuius determinetur ad ſuppoſitum filij Dei. Supra autem *quæſt. 16. in commentario art. 7.* aliam rationem tradiderat falſitatis iſtius propoſitionis, *hic homo factus eſt Deus*: quia nimirum in illa ſignificatur factionem terminari ad Deitatem. Sed neutra ratio eſt ſufficiens: non prima; nam licet prædeſtinatio ſit actus rationis, non tamen eſt act⁹ rationis præſcindentis, ſed omnia prout in ſe ſunt concipientis: Deus namque non poteſt facere præciſiones obiectiuas; alias entia rationis cõfingeret: ergo non poteſt concipere hunc hominem, vt ſubſiſtentem *vagè* in hoc, vel illo ſuppoſito, ſed neceſſario concipit illum, vt ſubſiſtentem in hoc determinato ſuppoſito.

*rationẽ diſcriminis aſſignando.*

*Prima eſt*

*Secunda.*

*Prima diſcriminis ratio impugnatur,*

Deinde ſecunda ratio impugnatur primo; nam etiam prædeſtinatio; cum actus practicus ſit, erga terminum cauſalitatem exercet; & tamen hæc propoſitio, *hic homo prædeſtinatus eſt filius Dei naturalis*, non ſignificat prædeſtinationis cauſalitatem cadere ſupra filiationem Dei naturalem: ergo pariter in iſta propoſitione, *hic homo factus eſt Deus*, nõ ſignificabitur factionem terminari ad Deitatem. Secundo: nam vt concretum aliquod fiat, non requiritur actionem terminari ad formam talis concreti, ſed ſufficit ad vnionem terminari; ſed Deus, vt filius naturalis, in illa propoſitione enunciatur in concreto: ergo ad eius veritatem non petitur, quod actio terminetur ad Deitatem, vel ad filiationem naturalem Dei, ſed ſufficit terminari ad vnionem hominis cum deitate, & filiatione Dei naturali. Denique: nam hæc propoſitio eſt vera, *filius Dei factus eſt homo*; & tamen actio ex vi cuius fuit ho-

163 *Contra ſecundã facit primo*

*Secundo.*

*Vt concretũ fiat ſufficit vnionem partiũ produci.*

*Tertio.*

mo

mo, non fecit humanitatem, sed illam per aliam actionem factam vniuit suppositio Verbi: ergo pariter potest ista propositio esse vera, *hic homo factus est Deus*, quin actio terminetur ad Deitatem, per hoc solum, quod terminetur ad vnionem Deitatis cum humanitate.

164 *Tertio respondet Lugo.*

Cardinalis Lugo *vbi supra, & disp. 23. sect. 3. num. 73.* ideo ait, istam propositionem *hic Homo factus est Deus* esse falsam, quia cum de aliquo subiecto affirmatur fieri tale, denotatur rigorosa mutatio intrinseca, vel extrinseca; ac per consequens requiritur, quod subiectum ante formam, per quam fit tale præexiterit duratione, & quia hic homo (signato Christo) non præcessit tempore Deitatem: fit, vt nequeat affirmari de illo, quod fiat Deus, aut quod factus fuerit Deus: prædestinatio autem nihil horum prærequirit, & ideò verè affirmatur de hoc homine (signato Christo) quod sit prædestinatus Filius Dei naturalis.

165 *Displicet eius solutio primo*

Sed nec placet hæc ratio discriminis primo: quia prædestinatio verè est causa sui termini, & conuenientiæ ad subiectum; & tamen vt subiectum dicatur prædestinatū esse tale, nō petitur quod duratione præexistat ad formam, per quam fit tale: ergo non est ratio cur vt dicatur de hoc subiecto fieri tale, requiratur antecessio in duratione ad formā, per quam fit tale. Deinde; nam de Adamo fuit verum dicere: *Hic homo fit gratus Deo*, & idem est dicendum de Angelis, & tamen non antecesserunt tempore gratiam, per quam fuerunt constituti grati: ergo huiusmodi antecessio subiecti ad formam non petitur, vt de subiecto cum proprietate enuncietur fieri tale per formam. Denique; nam de essentia factionis non est, quod subiectum tempore formam præcedat: ergo vt verè, & cu proprietate enuncietur de subiecto quod fiat tale, non requiritur, quod duratione antecedat formam, per quam tale fit: ac proinde ex eo quod hic homo Christus nō antecesserit Deitatem duratione, malè infertur, nō posse de illo verè, & cum proprietate enūciari, quod factus sit Deus, & Dei Filius naturalis.

*Secundo.*

*Tertio.*

166 Quare his modis dicendi omissis, ad argumentum respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad primā consequentiæ probationē, concesso etiam antecedenti, nego consequentiam. Quia licet sit necessarium vt omne prædestinatum, in tempore factum sit, non tamen requiritur, quod eodem modo de subiecto enuncietur fieri tale, quo enunciatur prædestinari, vt sit tale, ob rationē discriminis mox assignandam. Ad secundam, nego paritatem rationis, disparitatem dedit D. Thom. in præsenti art. 1. ad 3. his verbis: *Et est considerandum, quod licet hoc participium* prædestinatus *importet antecessionem, sicut & hoc participium* factus, *aliter tamen, & aliter, nam fieri, pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est: prædestinari autem pertinet ad aliquem secundum quod est in apprehensione alicuius præordinantis: id autem, quod subest alicui formæ, vel naturæ secundum rem, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel etiam absolutè, & quia absolutè non conuenit personæ Christi, quod inceperit esse Filius Dei; conuenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana existens (quia scilicet, hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens, esset Filius Dei) ideo magis est hæc vera, Christus est prædestinatus Filius Dei, quam ista, Christus est factus Filius Dei.* Vbi ly *magis* non *comparatiuè*, sed *aduersatiuè* sumitur.

*Vera vltimi argumenti solutio.*

*Ad 1. consequētiæ probationem.*

*Ad 2. respond. D. Thom.*

Quam doctrinam sic intelligēdam existimo: ideo istam non concedi, *hic homo factus est Filius Dei*: benè autē istā, *hic homo prædestinatus est Filius Dei*; quia in prima fit sensus, quod Christus ratione suppositi factus sit Filius Dei: in secunda autem non ita, sed quod ratione naturæ prædestinatus est Filius Dei. Et ratio istius diuersitatis est: nam terminus ex parte subiecti positus *materialiter* tenetur, videlicet pro supposito, quod de materiali importat, non *formaliter* pro natura, vt docuit D. Thom. *supra q. 16. art. 7. ad 4. & art. 9. in corpore*, quod intelligendum est, nisi prædicatū appellet supra formale significatum: nā quando prædicatum habet appellandi vim, facit accipi subiectum, nō pro eo quod de materiali importat ratione materialis, sed pro illo ratione formalis, vt

167 *Eius mēs explicatur.*

*Terminus ex parte subiecti positus, tenetur materialiter pro supposito, nisi sit appellatio.*

ex

*Differentia inter hæc participia factus, & prædestinatus*

ex Summulis suppono: est autem hæc differentia inter participium *factus*, & participium *prædestinatus*: quod primũ non habet vim appellandi: secundum autem huiusce modi vi gaudet; vt enim docent Dialectici: *Nomina significantia actum animæ interiorem appellant supra formale significatum subiecti*: secus autem illa, quæ actiones exteriores significãt: fieri autem significat exteriorem actionem, prædestinari interiorem, & ideò participium *prædestinatus* enunciatum de hoc homine facit stare pro supposito Verbi vt homine: participium autem *factus* non ita, sed enunciatur de illo supponente *materialiter*: & quia de supposito Verbi ratione sui non potest verificari, quod sit factus Filius Dei, de illo autem ratione humanæ naturæ verificari potest, quod incœperit esse Filius Dei, vt subsistens in illa: fit consequens, vt ista concedatur, *hic homo prædestinatus est Filius Dei*; ista vero non concedatur, *hic homo factus est Filius Dei*.

168 *Ad 3. consequẽtiæ probationem.*

Ad tertiam, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego minorẽ. Nam licet inter hunc hominem, vt est prædestinationis subiectum, & Filium Dei naturalem mediet vsus activus, & executio non *adæquatè* distincta ab executione constitutiua subiecti, sed tantũ *inadæquatè*, ratione cuiusdam extensionis, & terminationis actionis, per quam constituitur subiectum, non tamen potest ratione huius terminationis enunciari de hoc homine, quod factus sit Filius Dei; benè tamen, quod prædestinatus sit ob rationem discriminis constitutam. Obiter tamen adverto, quod si ex parte subiecti addatur particula *in quantum*, dicendo: *Hic homo, in quantum homo, factus est Filius Dei per gratiã vnionis*, poterit propositio concedi. Quod satis indicat D. Thomas, cum docet: *Quod quamuis non conueniat personæ absolutè, quod incœperit esse Filius Dei, cõuenit tamen ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana existens*; sed vt docet Divus Thomas supra q. 16. art. 6. *Vnumquodque dicitur esse factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipso*: ergo de hoc homine, in quantum in humanitate subsistit, veré prædicatur esse factum Filium Dei per gratiam vnionis; non ita vt filiatio illi ratione humanitatis conueniat; benè tamen filiatio vt rationem gratiæ sortitur, vt *supra* de termino prædestinationis dicebamus.

## §. Vltimus.

### *Corollaria præcedentis doctrinæ.*

EX Dictis in discursu Disputationis colligo primo, veram esse istam propositionem. *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, etiam si non addatur particula *in quantum homo* Ita Medina, Vincentius, Aluarez, Nazarius, & alij Discipuli D. Thomæ, cum Angelico Doctore *in præsenti art.* 1. vbi illam absolutè concedit. Et probatur; nam quando prædicatum habet vim appellandi, licet ex parte subiecti non exprimatur signum specificatiuum, facit subiectum stare non pro materiali absolutè, sed ratione significati formalis; sed participium *prædestinatus*, vtpotè rationis actum significans, habet appellandi vim: ergo quamuis particula *in quantum homo*, non addatur ex parte subiecti, potest hæc propositio concedi: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*. Patet consequentia; nam ex vi prædicati, fit sensus: *Christus in quantum homo prædestinatus est Filius Dei naturalis*: in quo sensu vera est; & consequenter etiã absolutè est vera.

169 *Hæc propositio, Christ⁹ prædestinatus est Fili⁹ Dei naturalis, etiã sine reduplicatione est vera. Probatur*

Contrarium huius doctrinæ docuit Vazquez *disp.* 91. *cap* 2. *num.* 13. Nam Christus, vel est nomen suppositi Filij Dei, vel duas naturas significat, diuinã, nempè, & humanam; sed supposito Filij Dei, vt in duabus naturis subsistenti, non potest conuenire ex gratia esse Filium Dei naturalem: ergo Christus absolutè non potest dici prædestinatus Filius Dei naturalis. Cui argumento respondetur ex dictis, quod licet supposito Filij Dei ratione sui, non possit con-

170 *Opponit Vazq.*

*Respond.*

uenire

uenire ex gratia esse Filium Dei naturalem, vt tamen in humanitate subsistenti, potest conuenire ex gratia: ex vi autē prædicati, quod habet vim appellandi, supponitur nomen *Christus* pro supposito Verbi vt homine, & ideò absoluté potest concedi: *Christus est prædestinatus Filius Dei naturalis.*

171 *Instabis.* Sed dices; formale significatū huius nominis *Christus* non est sola humana natura, sed etiam natura diuina; nam significat subsistentem in diuina, & humana natura; at ratione Deitatis non potest illi conuenire ex gratia filiatio Dei naturalis: ergo nec absoluté potest de Christo enunciari, esse prædestinatum ad illam. *Respōd.* Respondeo, prætermissa maiori (quam negat Vincentius *supra*, dicens, diuinitatem non nisi de materiali importari hoc nomine *Christus*) & concessa minori, negando consequentiam. Nam iuxta regulam Dialecticorum, *talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*: cum ergo participium *prædestinatus* habeat appellandi vim; & aliàs repugnet Christo ratione diuinitatis: fit, quod quamuis vtraque natura de formali ab hoc nomine *Christus* importetur ex vi tamen prædicati supponat non pro vtraque, sed tantum pro humanitate, ideſt, pro supposito ratione naturæ humanæ.

172 *Hæc propositio:* Filius Dei prædestinatus est esse homo, *non est vera in rigore sermonis: Prob.* Secundo colligitur, hanc propositionem: *Filius Dei prædestinatus est esse homo*, non esse veram in rigore sermonis. Ita Divus Thomas *art. 2. ad 3.* & ratio est; nam prædestinatio proprié dicit ordinationem subiecti ad terminum, illi ex gratia conuenientem; sed quamuis Filius Dei ab æterno præordinatus sit esse homo, non tamen conuenit illi ex gratia, quod homo sit. Tùm, quia ex humanitate nullum illi emolumētum accrescit. Tùm etiam, quia illi non ab extrinseco conuenit, sed ex propria virtute: ergo Filius Dei non fuit proprié prædestinatus esse homo. *Respōdet Nazar.* Oppositum insinuat Nazarius vbi *supra 3. p. controuersiæ*, & argumento facto respondet, vt Filius Dei prædestinatus sit esse homo, sufficere, quod fiat gratia humanitati in hoc, quod vniatur Filio Dei, & supposito ex vnione resultanti, nempé, supposito Verbi vt homini ratione ipsius humanitatis. Sed contra; nam suppositum Verbi vt homo, qualiter ex vi vnionis resultat, non est subiectum, sed terminus diuinæ præordinationis, qua Filius Dei præordinatus est esse homo; sed gratia prædestinationis proprié debet fieri subiecto prædestinato. ergo gratiam fieri humanitati, aut homini constituto per illam, non sufficit vt proprié dicatur: *Filius Dei prædestinatus est, esse homo.* *Contra.*

173 Tertio infertur, concedendum non esse, quod Filius Dei prædestinatus sit ad gloriam sibi essentialem, nec ad beatitudinem creatam humanitatis. Primū patet: nam prædestinatio est actus liber prædestinantis. beatitudo autem essentialis non conuenit Filio Dei per actum liberum sed omninò necessarium: ergo ad beatitudinem sibi essentialem non potest dici prædestinatus Secundū probatur ex dictis: nam beatitudo humanitatis non est gratia Filio Dei; sed terminus prædestinationis debet esse gratia subiecto, quod prædestinari dicitur: ergo Filius Dei non potest dici prædestinatus proprie ad beatitudinem humanitatis.

174 *Hæc est falsa:* Filius Dei prædestinatus est Filis Dei. *Prob 1. Secundo.* Quarto colligitur, non esse concedendam istam propositionem: *Filius Dei prædestinatus est Filius Dei.* Ita Divus Thomas *in 3. dist. 7. q. 3. art 2. quæstiunc 2.* quod patet: nam prædestinatio importat antecessionem ad terminum prædestinationis; sed filiatio Dei conuenit Verbo ab æterno: ergo non potest concedi, quod *Filius Dei prædestinatus sit, esse Filius Dei.* Deinde: nam terminus prædestinationis conuenit ex gratia subiecto prædestinato; filiatio autē non conuenit ex gratia Filio Dei: ergo non potest dici ad illam prædestinatus. Quia tamen, vt notat Angelicus Doctor *ibi*, in Scriptura aliqua dicuntur fieri quando innotescunt, potest dicī *Filius Dei prædestinatus Filius Dei*, ideſt, ad filiationis manifestationem, non quidem prædestinatione propria, sed prædestinatione sumpta *largè* pro libera ordinatione. Quod patet: nam declaratio filiationis naturalis, non est gratia Verbo facta; cum incapax sit gratiæ suscipiēdæ. ergo licet possit dici Filius Dei ordinatus ad manifestationē filiationis naturalis, nō *In aliquo sensu admitti debere: Prob.*

poteſt dici proprié ad illā prædeſtinat⁹.

175 *Opponis.* Si opponas, quæ de Filio Dei vt homine prædicantur, de Filio Dei abſolute dicuntur vt eſſe Paſſum, Crucifixū, & Mortuū; ſed hæc eſt vera: *Filius Dei, in quantum homo, prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis*: ergo & iſta debet concedi: *Filius Dei prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis*. *Reſpōdet Vazq.* Reſpondebis ex doctrina Patris Vazquez *diſp. 92. cap. 2.* concedendo conſequentiam: per communicationem idiomatum, per quam omnia, quæ de Filio Dei dicuntur prædicantur de filio hominis; & é contra, quæ de filio hominis enunciantur, poſſunt de Filio Dei prædicari, ſi abſit periculum ſcandali, vt nē pé, aliquis exiſtimet, dici Filium Dei vt creaturam prædeſtinatū. Citat Altiſſiodorenſem, ipſumque alij Recentiores ſequuntur. Hæc tamen doctrina Nobis placere non poteſt, eſt enim expreſsé contra Angelicū Doctorē *in 3. diſt. 7. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 2.* vbi argumento facto reſpondet: *Quod eorum, quæ dicuntur de homine, illa tantum dicuntur de Filio Dei, quæ non habent repugnantiam intellectum ad Filium Dei: prædeſtinatio autem repugnantiam habet; quia Filius Dei eſt Æternus: prædeſtinatio autem importat anteceſsionem, quæ non eſt reſpectu æterni* Iuxta quam doctrinam, diſtinguēda eſt maior, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia.

*Diſplicet eius ſolutio, et reiicitur, argumēto que reſp.*

*Quæ prædicata poſſint, per cōmunicationem idiomatū, de Filio Dei prædicari*

Sed dices; etiam Paſsio, Mors, & tēporalis natiuitas important aliquid Filio Dei in ſe, & ratione ſui repugnans; & tamen quia dicuntur de Chriſto, quatenus homine, de Filio Dei abſolutè enunciantur per communicationem idiomatum: ergo quamuis anteceſsio, quā prædeſtinatio importat, repugnet Filio Dei in ſe ipſo, quia tamen de illo vt homine prædicatur, poterit de Filio Dei abſolutè prædicari per communicationem idiomatum.

176 *Dices.*

177 *Reſpond.* Reſpondeo, negando conſequentiam. Diſparitas autem eſt: nā Mors, Paſſio, & Natiuitas, vt abſolutè enunciata de Verbo, aut de Filio Dei, non appellant ſupra propriū cōceptum, & formale ſignificatum: ita vt denotetur ipſi ratione ſui illa prædicata cōpetere; & ideo poſſunt de ipſo abſolutè prædicari. Prædeſtinatio autem; cum ſignificet actum rationis, appellat ſupra proprium conceptum, & formale ſignificatum termini, de quo enunciatur; & quia Filio Dei ratione ſui repugnat anteceſsio, quā prædeſtinatio importat, ideo non eſt abſolutè concedenda iſta propoſitio: *Filius Dei prædeſtinatus eſt Filius Dei* Nec valet iſta conſequentia: *Iſte homo prædeſtinatus eſt Filius Dei; ſed Verbum eſt iſte homo: ergo Verbum prædeſtinatum eſt Filius Dei.* Nam variatur appellatio, & ideò cōſequentia non tenet, ſicut Dialectici docent, conſequentiā iſtam non valere: *Cognoſco veniente; Petrus eſt veniēs: ergo cognoſco Petrum*: quia variatur appellatio

178. *Humanitas Chriſti nō poteſt dici præpr.è prædeſtinata ad gloriam.*

Quinto colligitur, humanitatē Chriſti non poſſe dici proprié prædeſtinatā ad gloriam, nec ad filiationem Dei naturalem. Vtrumque docet D. Thomas *in præſenti art. 1. ad 2.* quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, & frequentius alij Theologi contra Vazquez *diſp. 90. cap. 4* aſſerentem, humanitatem proprié dici prædeſtinatam ad viſionē beatificā. Prima pars corollarij probatur ratione D. Thomæ: nam prædeſtinari ad gloriā, ſolum conuenit proprié ei, de quo cum proprietate dicitur operari; ſed operatio vt *quod* ſolū attribuitur proprié ſuppoſito, vt cōmuniter docent Philoſophi, ex illo cōmuni axiomate aſſerente, quod *operari tantum eſt ſuppoſitorum*: ergo prædeſtinari ad gloriam, non poteſt cum proprietate de humanitate enunciari. Secunda pars, cui nullus Theologorum diſſentit, probatur: nam id proprié prædeſtinari dicitur ad filiationē Dei naturalem, de quo filiatio cum proprietate enunciatur; ſed de humanitatē non dicitur, quod ſit filia: ergo nec quod ſit ad filiationem Dei naturalem prædeſtinata.

*Nec ad filiationē Dei naturalem.*

179 *An iſta ſit cū proprietate admittenda: Humanitas Chriſti prædeſtinata eſt ad vnionē hypoſtaticā? Prima ſententia. Prob. 1.*

An autem hæc ſit cum proprietate admittenda: *Humanitas Chriſti prædeſtinata eſt ad vnionem hypoſtaticam?* Quæſtio eſt inter Theologos affirmāt Vazquez *diſp. 90 cap. 4.* & Suarez *diſp. 50. ſect. 4.* Quos alij Recentiores ſequuntur: ducti primo auctoritate Auguſtini *lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 15.* vbi ait: *Prædeſtinata eſt ipſa humanæ naturæ tanta ſub vectio vt quo attolleretur, altius non haberet.* Quibus verbis claré aſſerere videtur, humanitatem prædeſtinatam

tàm fuisse ad vnionem Secundo: quia humanitas ab æterno est ordinata ad vnionem hypostaticam, illi proprié cõuenientem, & conuenientem ex gratia; sed prædestinatio proprié est præparatio gratiæ, quæ cum proprietate est gratia: ergo proprié dicitur prædestinata ad vnionem hypostaticam Tertio: nã hæc vnio prædestinata est ab æterno, vt docet Divus Thomas *art.* 1. necab aliquo potest negari: ergo est aliquod subiectum proprié ad illam prædestinat.; sed non aliud, nisi humanitas; etenim de Christo vt homine, nequit cum proprietate enunciari esse subiectum vnionis, vel prædestinatum ad illam: ergo de humanitate verè, & proprié prædicatur esse prædestinatam ad vnionem hypostaticam.

*Secundo.*

*Tertio.*

180 *Quarto.* S. Thom.

Denique nam humanitatem Christi prædestinatam fuisse ad vnionem, docet Divus Thomas in 3. distinct 10. q. 3. art vnic quæstiunc. 1. vbi ait: *Prædestinationem sumi dupliciter. Primo communiter pro præscientia, & præordinatione, & sic certum est, quod prædestinatio potest esse de natura. Secundo proprie, qualiter importat ordinationem ad gratiam: gratia autẽ creaturæ facit vnionem ad Deum, quæ duplex est, vna per operationem, & alia in persona: & quia prima natura non conuenit, sed supposito: vnio autem ad Deum in persona conuenit humanitati*, infert D. Thomas humanitatem Christi *posse dici prædestinatam ad vnionem personalem, non autem ad gratiam nos Deo per operationem coniungentem.*

181 Secũda sententia.

Oppositam docent Medina, Vincentius, Cabrera, & alij Thomistæ, quos refert, & sequitur Nazarius *art* 2 *controuers.* 1. *in* 2. *controuersiæ parte*, asserentes, quod licet proprié dicatur humanitatem præordinatam esse ad vnionẽ, non tamen est affirmandum, proprié esse ad illam prædestinatam ducti primo, quia D. Thomas *in præsenti art.* 1. expressé docet, humanitatem non posse proprié dici prædestinatam, nec esse subiectum *quod* prædestinationis Christi. Secundo: nam prædestinatio proprié, non dicitur, nisi in ordine ad vltimum terminum: vnde homo ordinatus ad gratiam; ex clusus tamen à gloria, non dicitur proprié prædestinatus, quia deficit à termino vltimo, etsi non ab intermedio: ergo solum proprié dicitur de subiecto, cui vltimus terminus conuenit; sed vltimus terminus prædestinationis Christi est filiatio naturalis Dei, ad quam vnio humanitatis ad Verbum, tanquam medium ordinatur: filiatio autem humanitati non conuenit: ergo quamuis vnio hypostatica de humanitate dicatur, vereque enuncietur esse ordinatam ad illam, non tamen potest dici proprié ad illam prædestinata.

*Prob.* 1.

*Secundo.*

182 *Respondebis.*

Dices; hac ratione solum probari, non posse humanitatem dici prædestinatam vt sit filia naturalis Dei: non autem quod proprié non sit prædestinata ad vnionem Sed contra: nam prædestinatio Christi non est prædestinatio proprié ex terminatione ad vnionem, sed ex terminatione ad filiationem: ergo quamuis humanitas sit ordinata ad vnionem, non tamen potest dici proprié ad illam prædestinata. Antecedens probatur; etsi prædestinatio nostra ordinet ad gratiam, & gloriam, non tamen sortitur rationem prædestinationis propriæ ex terminatione ad gratiã, sed ex terminatione ad gloriam, quia hæc vltimo per illam intenditur, gratia vero est terminus intermedius; sed ex vi prædestinationis Christi, vltimo filiatio intenditur; vnio autẽ humanitatis tanquam via ad filiationem: ergo ex terminatione ad vnionem non sortitur rationem prædestinationis propriæ.

*In cõtrarium arguunt.*

183 *Cõfirmatur.*

Et augetur difficultas. quia namque generari est suppositi, nõ potest dici natura genita proprié vt *quod*; sed prædestinari est suppositi: ergo humanitas non potest dici proprié prædestinata Probatur minor; ideò generari est suppositi, quia esse, ad quod generatio terminatur, soli suppositio proprié conuenit vt *quod*; sed filiatio, ad quã vltimo terminatur prædestinatio hypostatica, nõ cõuenit humanitati vt *quod*, sed tantũ suppositio subsistenti in humanitate: ergo prædestinari prædestinatione hypostatica non potest proprié de humanitate enunciari; & cõsequenter quamuis humanitas proprié dicatur ad vnionem ordinata, non tamen poterit dici proprié ad illam prædestinata

184

Nec motiua in oppositum vrgent:

non primum; nam Auguſtinus ſolum docet, vnionē humanitatis ad Verbum eſſe à Deo prædeſtinatam, non tamen quod prædeſtinatio hypoſtatica, ex termination ad vnionem proprietatem prædeſtinationis ſortiatur, quod neceſſarium erat vt humanitas, quæ eſt ſubiectum *quid* vnionis, diceretur ex ordinatione ad illam proprié ad vnionē prædeſtinata. Ad ſecundum reſpondetur, diſtinguendo, vel explicando minorē: gratiæ vltimo terminantis ordinationē agentis, concedo minorem: gratiæ non vltimo terminantis, nego minorem, & conſequentiam.

*Ad motiua 1 ſententiæ reſpondetur*

185 Litigium hoc eſt de nomine: nam re ipſa omnes cōueniunt, non fuiſſe humanitatem à Deo ordinatā ad eſſe Filii Dei naturalē, fuiſſe tamē ordinatam ad vnionem hypoſtaticam, quæ proprié vt *quod* de humanitate enunciatur. Et exiſtimo, dicendum primo: *Humanitatem non poſſe dici prædeſtinatam abſolutè, prædeſtinatione hypoſtatica.* Quod docuit D. Tho. *in præſenti art. 1. ad 2.* Et patet; nam id dicitur abſoluté prædeſtinatum, quod non ſolū ad media, ſed etiam ad finē vltimo intentum dirigitur, vt denominandum ab illo; vnde homo ordinatus ad gratiam, & non ad gloriam, non dicitur abſoluté prædeſtinatus, ſed cum addito ſcilicet, *prædeſtinatus ad gratiam*; ſed terminus vltimo intentus per Chriſti prædeſtinationem, eſt filiatio naturalis Dei, ad quam nō fuit ordinata humanitas, vt denominanda ab illa: ergo nō poteſt dici abſoluté prædeſtinata prædeſtinatione hypoſtatica.

*Prima cōcluſio.*

*Prob.*

186 Cenſeo ſecundo: *Poſſe dici humanitatem prædeſtinatam prædeſtinatione hypoſtatica propriè inadæquatè.* Quod probo ex Diuo Thoma *in 3. diſt. 10 q. 3. art. vnic. quæſtiunc. 1.* vbi diſtinguens inter prædeſtinationem ad gratiam Deo nos coniungentem per operationē, & prædeſtinationem ad gratiam Deo ſubſtantialiter coniungentem, docet, primam prædeſtinationem de natura non dici; vnde humanitas nō dicitur ad gloriam prædeſtinata, quia operari non conuenit naturæ, ſed ſuppoſito: prædeſtinationem verò ad gratiam vnionis eſſe, & dici de natura, quia hæc Deo vnitur ſubſtantialiter; at diſcrimen hoc non ſubſiſtit, niſi prædeſtinatio ad gratiam vnionis proprié de natura dicatur; cum improprié etiam prædeſtinatio ad viſionē de natura prædicetur: ergo ſentit Div. Thom. prædeſtinationem Chriſti dici proprié de natura; cumq; non adæquaté, nec abſoluté, & ſimpliciter, aſſerendum eſt, dici prædeſtinationem Chriſti de illius humanitate proprié, inadæquaté tamen

*Secunda cōcluſio.*

*Prob. ex D. Tho.*

187 Et ratio eſt: nam prædeſtinatio proprié dicitur de illo, cui proprié illius terminus conuenit: ergo de illo, cui conuenit terminus inadæquatus, proprié *inadæquatè* enunciatur. Nec ex eo quod proprié dicatur prædeſtinata prædeſtinatione hypoſtatica, licet ex inde colligere debere dici *abſolutè* prædeſtinatam: ſtat enim formā proprié conuenire, & tamen non denominare *abſolutè*, vt conſtat in homine habēte vnam ſolam partē albam, cui proprié conuenit albedo, & tamen nō denominat ipſum album *abſolutè*, & *ſimpliciter*, ſed ſolū *ſecundum quid*, & cum addito: pariter ergo in præſenti, quamuis humanitas Chriſti ſit proprié prædeſtinata prædeſtinatione hypoſtatica, non licet inde colligere poſſe dici prædeſtinatam *ſimpliciter*, ſed tantum *ſecundum quid* & cū addito, ſcilicet *inadæquatè*, & ſpecificando terminum, ſcilicet ad gratiam vnionis. Nec amplius conuincunt motiua ex vtraque parte adducta.

*Secundo prob. ratione.*

*Non eſt idē, denominatio propria, atque denominatio abſoluta.*

188 Duo tamen contra iſtā reſolutionē obſtare videntur. Primum eſt, ſequi ex illa, Chriſtum vt hominē non poſſe dici *abſolutè* prædeſtinatum prædeſtinatione hypoſtatica; conſequens eſt falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Patet ſequela; ideò humanitas non dicitur *abſolutè* prædeſtinata, ſed cum addito *inadæquatè*, vel ſpecificādo terminum, quia illi ſolū cōuenit terminus inadæquatus, ſcilicet, vnio hypoſtatica; ſed etiam de Chriſto vt homine nō prædicatur omnis terminus cauſatus per hanc prædeſtinationē; non enim poteſt dici vnitus hypoſtaticē Verbo: ergo nō eſt dicendus prædeſtinatus *abſolutè* prædeſtinatione hypoſtatica, ſed addendo *inadæquatè*, vel ſpecificando terminum.

*Obijcies primo.*

189 Secundo obſtat D. Tho. vbi *præximè* allegatus *ad 1.* quod tale erat: *Prædeſtinatio*

*Secundo.*

tio Christi est ad filiationem; sed filiatio nō cōpetit naturæ: ergo prædestinatio non est de natura. Cui argumento ita respondet: *Ad primum dicendum, quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam vnionē: vnde cum vnio sit naturæ, potest etiam dici prædestinata, quamuis sibi filiatio non conueniat, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad vnionem.*

190 Ex quibus verbis tale argumentum conficitur. Cui cōuenit primus prædestinationis effectus *propriè*, cōuenit prædestinatio *absolutè*, licet effectus per resultantiam sequutus illi subiecto nō cōperat; sed vnio, quā docet D. Tho. esse primum effectū prædestinationis Christi, propriè conuenit humanitati: ergo licet filiatio, quā docet non esse primū effectum, sed ad primū resultare, nō dicatur de humanitate, dici debet *simpliciter absolutè* prædestinata prædestinatione hypostatica. Quod amplius vrgeri potest; vt enim prædestinatio Christi diceretur de humanitate cum additō diminuente, non erat necessariū asserere, vnionem esse primum effectum; filiationē autem effectum resultantē ad vnionē; at D. Thom hoc censuit necessariū vt occurreret illi argumēto, & saluaret prædestinationē Christi esse de humanitate vt subiecto: ergo quia existimauit prædestinationē Christi, nō propriè cū addito diminuente, sed propriè, & *absolutè* de humanitate enunciari.

*Cōfirmatur.*

191 Respondeo ad primam obiectionē, negando sequelā: ad cuius probationē dicatur: denominationē prædestinati absolutè, sumi ex ordinatione ad terminū principalē, & vltimum; Christus autem vt homo, ordinatus est ad filiationē Dei naturalē, quæ est vltimus terminus prædestinationis hypostaticæ; & ideo dicitur *absolutè*, & *simpliciter* per illam prædestinatus; secus in humanitate oppositā de causā contingit, non enim fuit ordinata ad terminum vltimū huius prædestinationis, sed ad vnionē, quæ fuit terminus intermedius illius. Ad secundam dicatur: vnionem hypostaticam dici à D. Tho. primum effectum prædestinationis Christi, non in ordine intentionis, sed in ordine executionis: nam in hoc ordine primus effectus est filiatio naturalis Dei; denominatio autem prædestinati *absolutè*, sumitur ex directione ad primum terminum in ordine intentionis. Ad confirmationem dicatur D. Thom. recurrisse ad primitalem istam vnionis in ordine executionis, non quia hoc necessarium simpliciter iudicauerit, sed quia in re ita est, quod primus effectus, quasi elicitus prædestinationis Christi, est vnio humanitatis ad Verbum.

*Ad 1. obiectionē respond.*

*Ad secundam.*

*Ad cōfirmationē.*

Ex eisdem etiam consequitur resolutio alterius dubij, an scilicet, Christus vt homo possit dici prædestinatus ad gloriam, & cætera dona, quæ consequuntur vnionem. Qua in re Scotus *in 3. dist. 7. q. vnic.* relatus à Nazario *in præsenti controuersia 3.* docuit, humanitatē Christi fuisse magis principaliter ordinatam ad beatitudinem, & minus principaliter ad vnionem hypostaticam; ac proinde absolutē, & simpliciter prædestinatam ad beatitudinem dici, vt ad finem principalem. Durandus *in eadem distinctione quæst. 3. num. 6* docet, Christum vt hominem absolutē dici prædestinatum ad gloriam. Quem modum dicendi sequuntur Suarez *disput. 50 sectione 3.* & Vazquez *dis. 92 cap. 2.* vbi addit absolutē, & absque vllo additamēto posse dici Filium Dei prædestinatū ad gloriā humanitatis, & alia dona, quæ consequuntur vnionem. Alij per extremum docent, non posse Christum vt hominem dici propriè prædestinatum ad gloriam. Cuius sententiæ videtur esse Vincentius *de Gratia Christi q. 7. dub. 2. concl. 2. pag 947.*

192 *An Christus vt homo possit dici prædestinatus ad gloriā*

Prima sententia

*Durand.*

*Suar.*

Secūda.

*Vincent.*

Breuiter tamen asserendum iudico primo: etsi talem animæ beatitudinē, non fuisse finē principaliter intentum per Christi prædestinationē. Quod docuit Divus Thomas *in præsenti art. 1. & 3.* Et patet, quia vt docet Divus Thomas *supra quæst. 4. art. 2. ad 2.* vnio ad Deum secundum esse, quod præstatur ab vnione hypostatica, perfectior est vnione ad Deum secundum operationem, in qua essentialis beatitudo consistit; sed quod excellentius est, ad inferius vt finem nō ordinatur, maximē in sententia Scoti: ergo humanitas non fuit ordinata ad vnionem substantialem vt medium, & ad beatitudinem, tanquam ad finem vnionis; sed é contra, beatitudo vnioni

193 *Prima conclusio*

*Probatur*

hypoſtaticæ ſubordinatur vt fini; & cõſequenter non fuit prædeſtinata ad beatitudinem, vt ad finem principalem.

194 *Opponis*

Nec obſtat commune axioma, quo aſſeritur, quæ ſunt prima in intentione eſſe poſteriora in ordine executionis; ſed beatitudo eſt in executione poſterior vnione hypoſtatica: ergo eſt prior in intentione. Non inquam obſtat: nã illud commune axioma eſt intelligendum, ſi illud quod eſt prius in intentione, reſpectu poſterioris tantũ exerceat cauſalitatem finalem; ſecus autem, ſi præter illam, aliam etiam cauſalitatem exerceat, quæ anteceſſionem petat in ordine executionis; vnio autem hypoſtatica præter finalem cauſalitatem, efficientem etiam reſpectu gloriæ humanitatis exercet, vtpote complens naturã, illam vniens cum ſuppoſito, cuius eſt vt *quod* operari; & ideò quãuis præcedat in ordine intentionis ad gloriam, non ſubſequitur ad illam in ordine executionis. Et inſtatur argumentum in eſſentia, quæ eſt finis proprietatum, & tamen eſt prior illis, etiam in ordine executionis.

*Reſpond.*

195 Secũda concluſio. *Prob. 1. ex D.T.*

Secundo aſſerendum eſt. *Chriſtum vt hominem, non dici prædeſtinatum ſimpliciter, & abſolutè ex ordine ad beatitudinem.* Ita Vincentius, Medina, Aluarez, Nazarius, & communiter Thomiſtæ. Colligiturque ex D. Thoma *in 3. diſt* 10 *q.* 3. *art. vnic. quæſtiunc.* 1. vbi docet, prædeſtinationem Chriſti eſſe de natura, vt ſubiecto; ſecus autem prædeſtinationem noſtram, quia illa eſt ad vnionem perſonalem, hæc autem ad vnionem ſecundum operationem. Et *in hac quæſt. art.* 3. *in corpore*, illis verbis: *Ipſe enim* (ſcilicet Chriſtus) *eſt prædeſtinatus ad hoc, quod eſſet Filius Dei naturalis; nos autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis.* Quibus verbis ſatis indicat, prædeſtinationem Chriſti abſolutè non eſſe ex ordine ad beatitudinẽ, ſed ad filiationem naturalem Dei.

196 *Secundo prob. ratione.*

Et probatur: nam ſolum ex ordinatione ad terminum vltimo intentum ex vi prædeſtinationis, dicitur aliquis prædeſtinatus ſimpliciter; ſed Chriſtus non fuit ordinatus ad gloriam, tãquam ad vltimum terminum, ſed ad eſſe Filium naturalem Dei: ergo ex ordine ad beatitudinem non dicitur prædeſtinatus abſolutè, & ſimpliciter. Minor habetur ex dictis. Maior autem probatur: quia namque homo non ordinatur ad gratiam, tanquam ad vltimum terminum, ex ordinatione ad illam, non dicitur prædeſtinatus abſolutè, & ſimpliciter; aliàs præſcitus aliquando exiſtẽs in gratia, poſſet abſolutè dici prædeſtinatus, quod inconſuetum eſt Theologis: ergo ſolum ex ordinatione ad terminum vltimo intentum ex vi prædeſtinationis conſurgit denominatio prædeſtinati abſolutè.

197 *Si obijcias.*

Si dicas: homo purus dicitur prædeſtinatus abſolutè ex ordinatione ad gloriam: ergo etiam Chriſtus, vt homo; cum prout ſic ſit eiuſdem naturæ nobiſcum. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nã in puro homine terminus vltimo intẽtus eſt æterna beatitudo, & ideò ex ordinatione ad illam denominatur prædeſtinatus abſolutè; ſecº in Chriſto vt homine oppoſita de cauſa contingit. Nec obſtat, quod Chriſtus vt homo eiuſdem naturæ ſit. Nam ex hoc tantum colligitur, quod in fine naturali conueniat cum alijs hominibus, non autem quod conueniat in fine præparato à Deo per gratiam: nam alij ordinantur ad vnionem accidentalẽ cum Deo per gratiam adoptionis, & per operationem; Chriſtus autem vt homo ad vnionem ſubſtantialẽ in vnitate perſonæ: & quia hæc præſtantior eſt, & finis vnionis accidentalis, fit conſequens, quod Chriſtus, quatenus homo, non conueniat cum alijs hominibus in fine præparato à Deo per gratiam.

*Reſpond.*

198 *Oppones primo.*

Sed oppones primo: viſio beatifica Chriſti non aſſumitur vt medium in ordine ad vnionẽ ſubſtantialẽ perſonalẽ; eſt enim illa poſterior, medium autem prius eſt fine in ordine executionis: ergo attingitur vt finis; & conſequenter ex ordinatione ad illam dicitur Chriſtus vt homo prædeſtinatus ſimpliciter Secundo: nam exceſſus perfectionis nõ obſtat, quominus gratia vnionis ſubſtãtialis ordinetur ad beatitudinẽ Chriſti, vt ad finem vltimo intentum: ergo ſic fuit ordinata. Conſequentia tenet ex dictis. Antecedens autẽ probatur: gratia

*Secundo.*

nam-

namque habitualis est perfectior visione beata, in probabili multorum sentētia, & tamē ad illā, vt ad finē ordinatur: ergo excessus perfectionis huic ordinationi non obest. Et augetur difficultas; vt enim dicebamus *supra*, finis *quo*, non petit excedere ea, quæ ordinantur ad ipsum; sed beatitudo vltimo intenta ex vi prædestinationis est finis *quo*: ergo potest isto modo, vltimo intendi ex vi prædestinationis Christi, & ad illā isto modo ordinari gratia vnionis.

*Cōfirmatur.*

199 *Tertio.*

Tertio; nam saltim de humanitate poterit dici, quod sit absolutē prædestinata ex ordine ad beatitudinē: ergo etiā Christus vt homo. Antecedens probatur: humanitas non est ordinata ad esse filiam naturalem Dei; cum sit incapax huius denominationis: ergo nihil est quod obstet, vt fuerit ordinata ad ęternā beatitudinē, tāquā ad vltimū terminū.

*Cōfirmatur.*

Confirmatur: id vltimo fuit à Deo intētum humanitati, quod illi conuenientius est; sed cōparatione facta solius vnionis substantialis ad Verbū cum fœlicitate æterna, hæc apparet conuenientior, & ab ipsa eligibilior: ergo ad hanc fœlicitatē fuit vltimo destinata.

*Quarto.*

Denique: nā D Th. *in 3 dist. 10. q. 3. art. vnic. quæstiunc. 1. ad 2.* ideò ait, prædestinationē Christi habere pro fine vltimo vnionē personalē ad Deum, nostrā autē, æternā fœlicitatē: quia natura humana Christi beatificatur ex hoc, quod Deo vnitur in persona; sed falsū est, humanam Christi naturā beatificari per vnionē personalē, vt cōmunis docet sententia: ergo etiam est falsū, quod Christi prædestinatio, illā pro fine vltimo respiciat.

200 *Ad 1. replicā respōdetur.*

Respondeo ad primā replicā, distinguendo antecedens; vt mediū assecutivū, concedo antecedens: vt mediū perfectivū, aut exornativum, nego antecedēs, & consequentiā; vt enim non intēdatur ratione sui, sed in ordine ad vnionē personalē, sufficit assumi vt mediū exornativū illius, vt ante existentis, & præhabitæ, vt constat in proprietatibus, quæ finaliter ab essētia, à qua dimanāt causantur, & ratione illius eliguntur, nō quia tendant ad illius existentiā causandā; cū essentia in executione suas proprietates præcedat, sed quia essentiam præexistentē perficiunt. Sic autem in præsenti contingit: nā beatitudo animæ Christi, etsi in executione vnionē substantialē supponat; & consequenter nō fuerit assumpta, vt mediū assecutivum illius: quia tamen intenta fuit ex vi prædestinationis, vt cōsequēs vnionē personalē, & vt eius ornamentū, non fuit volita vt finis, sed electa tanquā medium.

201 *Ad secundam.*

Ad secundā, nego antecedens: ad illius probationē, concessā maiori, & minori, nego consequentiam: nam gratia habitualis, *etsi entitatiuè* superet visionē beatificā, *vnitiuè* tamen superatur ab illa, quia per visionē vnimur Deo vt obiecto actu, & *intuitiuè* cognito; per gratiā autē solū vt radicaliter viso, & excessus in ratione vnionis sufficit, vt gratia ordinetur ad visionē, nō tanquā ad finē *quo* obiectivū, sed tanquā ad finē *quo* assecutiuū. Vnio autē hypostatica excedit visionē beatificā, non solū *entitatiuè*, verū etiā *vnitiuè*; vt enim docet D. Th. *supra q. 4. art. 2. ad 2.* vnio hypostatica est vnio perfectissima omniū, quibus potest Deo vniri rationalis creatura; & ideò non fuit assumpta, vt mediū in ordine ad visionē vt finē; sed é contra, visio fuit propter illam electa.

*Gratia habitualis superat entitatiuè visionē beatificā; vnitiuè autē à visione exceditur. Vnio autē hypostatica, vtroq; modo visionē excedit. Ad cōfirmationē.*

Et ex his ad confirmationem dicatur: finem *quo* exigere excessum supra illa, quæ ordinantur ad ipsum, etsi non entitatiuum, benē tamen in ratione vnionis & quia sic excedit gratiam adoptionis, non autē gratiam vnionis, ideo intenditur vt finis gratiæ habitualis præstantis filiationem adoptivam, non autem gratiæ vnionis substantialis dantis filiationem Dei naturalem.

202 *Vrgebis.*

Sed dices: tametsi visio beatifica nō superet gratiam substantialem in ratione vnionis, illam tamen excedit in ratione assecutionis; sed excessus iste sufficit vt intendatur vt finis gratiæ vnionis substantialis: ergo sic intenta fuit. Minor probatur: vnio intellectus beati cū diuina essentia vt specie, non exceditur ab vnione, quam visio beata facit cum Deo vt obiecto in ratione vnionis; & tamen quia exceditur in ratione assecutionis, ad illam ordinatur, vt ad finem *quo* formalem: ergo excedi in ratione assecutionis, sine excessu in ratione vnionis, sufficit vt excedens intendatur vt finis formalis *quo*.

203 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando minorem: ad illius probationem, conceſsis maiori, & minori, nego conſequentiam: nam vnio intellectus cum diuina eſſentia vt ſpecie; cum ſit vnio intentionalis, nō excedit vnionem cum Deo media viſione beata, quæ quamuis etiam intentionalis ſit, eſt tamen actualior, & in illa linea vltimior: & inſuper non ſolum eſt vnio, verum etiam aſſecutio; ac proinde prima ad ſecundam vt ad finem ordinatur: cæterum vnio hypoſtatica in diuerſa linea exiſtit, eſt enim vnio phyſica ſubſtantialis cum Deo, & penè infinitè excedens in ratione vnionis illam, quam præſtat viſio beata, & ideò ad illam nequit vt ad finem ordinari, quamuis viſio præſtet in ratione aſſecutionis.

204 *Ad tertiā replicā.* Ad tertiam, nego antecedens: ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam licet humanitas nō fuerit ordinata ad eſſe filiam Dei naturalem, fuit tamen ordinata ad eſſe coniunctam Deo ſubſtantialiter in vnitate perſonæ, quod quidem præſtantius eſt, quam eſſe Deo per operationē beatificantem vnitam; & ideò non fuit ad hanc ſecundam vnionem, vt ad finem ordinata, ſed ad primam. Et ex his ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem: nam facta comparatione inter eſſe vnitum ſubſtantialiter Deo in vnitate perſonæ, & eſſe ipſi vnitum per operationem beatificantē, prima vnio conuenientior, & vtilior eſt: ac proinde eligibilior à quocumque diſcretè, & rationabiliter eligente.

*Ad cōfirmationē.*

205 *Ad quartam.* Ad vltimam obiectionem dicatur, D. Thomam non loqui de beatitudine *ſtrictè*, cum docet, humanitatem Chriſti eſſe beatam per vnionem perſonalē; cum nihil in doctrina D. Thom. ſit manifeſtius, quā quod beatitudo, ſiué noſtra, ſiué Chriſti, ſiué Dei, in operatione ſit poſita; ſed de beatitudine *largè* pro maiori perfectione, & maiorī fęlicitate, quod intento ſufficiebat: nam eo ipſo, quod præſtantior humanitatis perfectio, & maior illius fęlicitas in vnione perſonali ſit poſita, hæc debuit vt finis vltimo intendi.

206 *Chriſtus vt homo fuit proprie prædeſtinat⁹ ad gloriā humanitatis.* Tertio eſt dicendum: Chriſtum vt hominē fuiſſe proprié prædeſtinatum ad gloriam humanitatis. Quod ex dictis ſic oſtendo, quamuis homo ex ordinatione ad gratiam habitualem, non dicatur prædeſtinatus *ſimpliciter abſolutè*; dicitur tamen prædeſtinatus prædeſtinatione propria, quia eſt ordinatus ad gratiam, & prædeſtinatio propria, eſt ad gratiam ordinatio, & illius præparatio: ergo pariter, quamuis Chriſtus, in quantum homo, ex ordinatione ad gloriam non vltimo terminantem, non dicatur prædeſtinatus *abſolutè*, dicetur tamen *propriè* prædeſtinatus ad illam. Patet conſequentia; non enim obſtat proprietati prædeſtinationis, quod terminus ad *quem* quis dirigitur, non vltimo intendatur à Deo prædeſtinante, vt conſtat in exēplo prædeſtinationis ad gratiam; & aliàs gloria, quamuis non ſit gratia Chriſto vt homini ratione ſuppoſiti; eſt gratia Chriſto vt homini ratione humanitatis: ergo ex ordinatione ad illam, dicitur Chriſtus vt homo, cum proprietate prædeſtinatus.

207 *Opponit Vincentius.* Et ex his occurritur argumento Vincentij vbi *ſupra* ſic arguentis. Nam prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; at Chriſtus vt homo non fuit ex gratia ad beatitudinem ordinatus: nam debebatur illi beatitudo humanitatis ratione vnionis ad Verbum, & ex tali vnione beatitudo ſecuta fuit vt proprietas: ergo nequit dici proprié ad illam vt homo prædeſtinatus. Cuius argumenti ſolutio ex *proximè* dictis colligitur, negando minorem, quam non conuincit probatio: nam deberi humanitati ratione vnionis ad Verbum, non tollit rationē gratiæ ſufficientem vt quatenus homo ad beatitudinem dicatur proprié prædeſtinatus, quia non facit quod Chriſto vt homini debita ſit ratione ipſius humanitatis.

*Reſpond.*

208 Quod patet, tum, quia ipſe admittit, Chriſtum vt hominem proprié fuiſſe prædeſtinatum ad filiationem Dei naturalē, quia licet debeatur filiatio huic homini ratione ſubſiſtentiæ, non tamē debetur huic homini ratione humanitatis: ergo pariter, quod Chriſto, quatenus homini, debeatur gloria ratione perſonæ Verbi, ſi tamen non debeatur Chriſto vt homini ratione humanitatis, non tollit, quin proprié dicatur vt homo ad illam prædeſtinatus. Tùm etiā,

quia

quia si homo post merita gloriæ eligeretur ad illam, proprié diceretur ad gloriam prædestinatus; & tamen gloria est debita meritis: ergo ex vno principio deberi, dummodo ex alio donum indebitum sit, sufficit vt saluetur prædestinatio subiecti ad illud cum proprietate. Tum denique: nam ad rationē propriæ prædestinationis sufficit indebitū in radice ex omni capite, & *proximè* solum ex vno, vt constat in exemplis adductis; sed totum hoc in Christo vt homine respectu gloriæ saluatur: ergo vt homo potest dici proprié prædestinatus ad illam.

209 *Differentia inter prædestinationē, & adoptionem.*

Nec sequitur posse dici proprié adoptatus ad gloriam: nam de ratione adoptionis est, quod hæreditas personæ, quæ dicitur adoptari, ex nullo principio debeatur, vt constat ex sæpé dictis, & in exemplo nuper adducto conspicitur; homo namque, cui gloria deberetur ex meritis, non posset dici ex vi electionis ad gloriam, proprie adoptatus ad illam, eo quod supponitur debita ex meritis, quamuis non debeatur ratione naturæ humanæ: Christo autem vt homini debetur gloria ex vno principio, nempé, ex capite subsistentiæ personalis; atque adeò nequit dici per adoptionem assumptus; benè tamen potest dici proprié ad gloriam prædestinatus. Et hæc de ista Disputatione applicanda literæ Magistri *in 3. dist. 7. §. 1.* ibi: *Vnde rectè dicitur Christus, in quantum homo, prædestinatus esse Filius Dei.* Et *dist. 10. §. vltim.* ibi: *Deinde si quæritur vtrum prædestinatio illa, &c.* *M. Sent.*

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEXTA.

## An Christus nobis meruerit nostram prædestinationem?

### §. I.

*Relatis sententijs statuitur prima conclusio.*

Nu. 1. *Triplex prædestinationis acceptio.*

PRo tituli explicatione, & vt ad difficultatis punctum veniamus, præmittēdum est primo, prædestinationem posse tripliciter sumi. Primo, pro actu increato secundum entitatem, & intrinsecam perfectionem. Secundo, pro eodem actu secundum terminationem liberam *actiuè* consideratam. Tertio, *terminatiuè passiuè*, idest, ex parte obiectorum. Primo modo inspectam, nec physicam efficientem causam habere, nec finalem, aut exemplarem; ac denique, neque efficientem moralem, extra controuersiā est. Quod vt omninò certum

tum præsupponit D. Thomas *in præsenti art. 3. & 4. 1. p. quæst. 19. art 5. & quæst. 23. art. 5.* vbi ait: *Nullum ita insanæ mentis fuisse, vt assereret dari ex parte nostra causam meritoriam prædestinationis diuinæ.* Et ratio est manifesta, nam prædestinatio, sic sumpta, est entitas increata, & à se; ac proinde omnino independēs in esse. Sumpta tertio modo, sicut effectus prædestinationis causantur, etiam prædestinatio causatur secundum terminationē passiuam. In secunda autem consideratione disidium est inter Theologos, an possit moralem causam habere. De quo in vltima conclusione dicemus.

2 *Prædestinatio Christi fuit causa finalis nostræ prædestinationis. Probatur*

Præmittendum est secundo. Prædestinationem Christi fuisse causam finalem prædestinationis nostræ. Quod patet: nam idem est prædestinationem Christi esse causam finalem nostræ prædestinationis, ac Christum prædestinatum esse causam finalem omnium effectuum nostræ prædestinationis; sed Christus fuit causa finalis omnium effectuum prædestinationis nostræ: ergo prædestinatio Christi causa extitit finalis nostræ prædestinationis. Minorem pluribus probauimus *supra q. 1. art. 3.* vbi ostendimus, Christum fuisse à Deo intētum vt finem, nedum prædestinationis, iustificationisque hominum, & Angelorum, sed etiam creationis illorum. Et patet primo; nam Christum fuisse intētum vt finem omnium effectuum prædestinationis nostræ, est possibile, quod à nemine potest negari; & est valde consonum dignitati illius, & aliàs nullibi oppositum inuenitur reuelatum, nec ex reuelatis colligitur: ergo ita asserendū est contigisse. Deinde: nam rectus intendendi, & prouidendi ordo postulat, vt caput non sit propter membra, sed é contra, membra vt ad finem ordinentur ad caput; sed Christus prædestinatus est vt caput omnium prædestinatorum: ergo iuxta rectum, & consonum modum prouidendi, & intendendi fuit intentus, vt finis omnium prædestinatorum.

*Minor probatur primo.*

*Secundo.*

3 *Prædestinatio Christi fuit nostræ exēplar.*

Tertio supponendum est, prædestinationem Christi fuisse nostræ prædestinationis exemplar. Quod docet Diuus Thomas *in præsenti art. 3.* probatque ex Augustino *lib. de prædestinatione Sanctorum cap 15.* Deinde; nam Christus prædestinatus est filius Dei naturalis, nos autem filij adoptiui; sed filiatio naturalis est exemplar filiationis adoptiuæ: ergo prædestinatio Christi ex parte termini nostram prædestinationem exemplariter causauit. Quod traditum videtur à Paulo ad Romanos 8 illis verbis: *Quos præscisit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.*

Notat autem D. Thomas *solut. ad 3.* non esse exemplar eiusdem rationis, & homogæneum, sed diuersæ, & æthereogeneum, eo quod filiatio naturalis diuersæ rationis est à filiatione adoptiua. Quod intelligendum est sumpta prædestinatione Christi secundum primariū terminum, qui est filiatio naturalis; nā si sumatur quoad terminum secundarium, est exemplar eiusdem rationis: nā gratia habitualis, & gloria, ad quæ secūdario fuit Christus prædestinatus, eiusdem rationis sunt cum termino primario nostræ prædestinationis.

4 *Fuit exēplar æthereogeneū secūdum terminū primariū*

Præterea aduertendum est, prædestinationem (quam in actu practico intellectus electionem supponente, & antecedente vsum, illum que regulante consistere cum D. Thom. *1. p. quæst. 23. art. 1.* docuimus) circa gratiam, & gloriam diuersa decreta importare; nam antecedenter connotat efficacem electionem ad gloriam, & gratiam, liberalem, & gratuitam spectantem ad ordinem intētionis: & consequenter decretum executiuum mediorum efficaciter conducentium ad gloriam.

5 *Respectu gratiæ, et gloriæ, quæ sunt termini secundarij, fuit exēplar homogeneū*

Denique est considerandum efficacem gloriæ intentionem, & decretum efficax executiuum eiusdem, considerari posse dupliciter: primo, sub ratione dilectionis: secundo, sub ratione electionis comparatiuæ, qua ratione importat quod istis conferatur gloria præ alijs, id est, alijs non electis, vel *postiuè* à gloria exclusis.

6 *Intentio efficax gloriæ decretūque efficax executiuū illius, dupliciterco̅sideratur.*

His positis variæ sunt Theologorū sententiæ. Prima negat meruisse Christum nostram prædestinationē *adæquatè*, siue pro decreto intentiuo, siue executiuo sumatur. Hanc tenent Adamus in illud ad Ephesios 1. *Sicut elegit nos in ipso, &c.* Capreolus *in 3. dist. 18. q. vnic. art. 3. ad argumenta Scoti contra 4. conc.* Ferrara *4. contra gentes cap. 55. §. an autē.*

7 *Prima sēntia. Adamus Capreol. Ferrara.*

Driedo *de captiuitate, & redemptione generis humani tract. 2. cap 2. p. 3. art. 4. ad 1. obiect.* & alij, quos refert Vazquez 1. *p. disp. 94. cap 1.*

*Driedo. Vazq̃z.*

8 *Secunda.*

Secunda sententia docet, meruisse Christum nostram prædestinationem quoad decretum executiuum, secus autem quoad decretum efficax intentiuũ, quo homines fuerunt electi, siué ad gratiam, siue ad gloriam. Hanc tenet Theodorus Smising. 1. *p. tract. 3. disp 6 quæst 9.* pro illa referens Scotum *in 3. dist. 19. q. vnic. §. in ista quæst.* Maiorem *in eadem dist. q. 1. in 3. arg.* Almainum *q. 1. post. 4. conc.* & omnes Scoti discipulos.

*Smising. Scotus. Maior. Almain.*

9 *Tertia.*

Tertia per extremum affirmat, siué in ordine intentionis, siué executionis sumatur prædestinatio, esse meritis Christi Domini adscribendam *adæquatè.* Illam sequuntur Vincentius de gratia Christi *quæst. 7. dub. 3.* Medina *in hac q. art. 4* Cabrera *disp. vnic.* Illustrissimus Araujo *dub. 2.* Albelda 1. *p. disp. 74* & frequenter alij Thomistæ. Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *in præsenti disp 41.* & principaliter *lib. 2. de prædestinatione cap. 24.* Vazquez 1. *p. disp. 94 cap 2.* & sequentibus. Hærice *tract. 3. disp 29 cap. 2.* Alarcon *tract. 4. disp 3. cap. 5.* Non tamen omnes hi Auctores ordinem intentionis distinguunt ab ordine executionis in voluntate diuina, & licet omnes ita conueniant, disident tamẽ in eo, an scilicet electio prædestinatorum ad gloriam, etiam prout comparatiua, & à dilectione efficaci aliqua ratione distincta, meritis Christi adscribatur? Alijs affirmantibus, alijs negãtibus, quos dabimus nostram proponentes sententiam. Pro qua sit

*Vincent. Medina. Cabrera. Araujo. Albelda. Suarez. Vazq̃z. Hærice. Alarcon*

10 *Prima conclusio*

PRIMA CONCLVSIO. *Meruit Christus prædestinationem nostram sumptam pro decreto executiuo adæquate; quod autem ita contigerit, non est catholica veritas, sed tantum probabilior sententia.* Prima pars conclusionis suadetur primo ex Paulo ad Ephesios 1. illis verbis: *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei, per Iesum Christũ in ipsum.* Vbi præpositio *in* denotat causam finalem, vel exemplarem, & præpositio *per* denotat causam efficientem moralem, iuxta communem PP. & Scholasticorum intellectum; sed nõ denotatur causalitas efficiens moralis in prædestinationem nostram sumptam *inadequatè*: nam hoc modo etiam à nobis causatur; cum nostris meritis gloriã, & augmentum gratiæ obtineamus, & consequenter decretum executiuum sub terminatione ad illa; & vnus auctus alijs suam prædestinationem inadæquate sumptam mereatur, vt Stephanus Paulo, & Ambrosi⁹ Augustino; Paulus autem peculiariter Christo nostram prædestinationem adscribit: ergo meruit nostram prædestinationem sumptam pro decreto executiuo *adæquatè.*

*Prima pars probatur 1.*

11 *Respõdet Adamus*

Respondet Adamus apud Vazquez *cap. 2. citatum. 12.* ly *per Christum* non in prædestinationem referri, sed in adoptionem, ita vt sensus fiat: *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum obtinendam meritis Christi, & in ipsum vt in finem ordinatam, & ab ipso Christo filio naturali exemplatam.* Sic autem explicatis verbis Pauli, non deducitur ex ipso causalitas meritorum Christi in nostram prædestinationem, sed tantum in iustificationem per gratiam, quæ est effectus temporalis. Cui solutioni, teste Vazquio, adstipulantur Hieronymus Eucumenius, & Chrysostomus, fauet etiam D. Thomas lect. 1. illis verbis: *Quia verbum illud, quod fit ignitum, per ignem oportet fieri, quia nihil consequitur participationem alicuius, nisi per id, quod est per naturam suam tale; ideo adoptionem filiorum oportet fieri per filium naturalem; & ideo addit Apostolus, per Iesũ Christum.* Vbi, vt clare constat, causalitas per Christum, non in prædestinationẽ, sed in adoptionem refert.

12 *Secundo respondebis.*

Secundo responderi potest, loqui Paulum de prædestinatione sumpta pro electione ad gratiam, quod satis insinuare videntur illa verba, *in adoptionem filiorum*; filiatio namque adoptiua per habitualem gratiam præstatur. Ex quo tantũ sequitur prædestinationẽ ad gratiã habitualẽ esse meritis Christi adscribẽdam, non autem quod *adæquatè* sumpta sub meritis Christi cadat; nam gratia habitualis, non est terminus adæquatus, imo nec terminus principalis nostræ prædestinationis.

13 *Prima solutio reijcitur 1.*

Sed neutra solutio satisfacit. Non prima, quia vt mox probabimus, causãs moraliter effectus nostræ prædestinationis, prædestinationem ipsam secundum

ter-

terminationem ad tales effectus aliqua ratione meretur: ergo ſi Chriſtus meruit nobis, iuxta Paulum, noſtræ prædeſtinationis effectus, meruit etiam prædeſtinationem ſumptam pro decreto exequente ſecundum terminationem ad illos; ac proinde conceſſo ex verbis Pauli deduci meritum Chriſti omnium effectuum noſtræ prædeſtinationis, per mediatam efficacem conſequentiam deducitur meruiſſe nobis decretum executiuum æternum importatum in prædeſtinatione *adæquatè*. Quo argumento vſus eſt Vazquez contra Adami ſolutionem, cæterum inefficaciter; cum in eius doctrina non detur niſi decretum ſpectans ad ordinem intentionis Ex merito autem gratiæ in tempore nobis datæ, non colligi meritum electionis ad gratiam ſpectantis ad ordinem intentionis, conſtat clare; nos enim meremur gloriam, vt in executione confertur; & tamen non meremur electionem intentiuam ad illam, vt docuimus cum frequentiori Theologorum ſententia 1. *p. quæſt.* 23. *art.* 4.

*Hoc argumento vſus eſt Vazquez, ſed inefficaciter.*

14 *Reſpondebit Vazquez. Contra.*

Scio, Vazquez hoc negare, non enim agnoſcit electionem prædeſtinatorum ad gloriam ante merita illorum præuiſa. Cæterum negare non poteſt Vazquez ſententiæ oppoſitæ magnam probabilitatem; & conſequenter ex eo quod Chriſtus gratiam in executione mereatur, non bene infert, tanquam doctrinam catholicam, meruiſſe prædeſtinationem ad illam, ſumptam pro decreto intentiuo. Loquendo autem de prædeſtinatione pro decreto executiuo, vt nos loquimur, facta conſequentia tenet, nec vllam habet inſtantiam, nec Patribus in oppoſitum adducti aduerſantur; nam licet meritum Chriſti referant in adoptionem, non tamen excludunt, quin prædeſtinationem etiam reſpiciant, & in eodem ſenſu loquutus eſt D. Thomas. Secundo tradita ſolutio impugnatur: nam ly *per Chriſtum* relato nō ſolum in temporalem gratiæ collationem, ſed etiam in æternam præparationem ad illam, melius verba Pauli explicantur; at ex eo quod ſic referatur, nullū inconueniens ſequitur: ergo ſic debet referri.

*Secundo reijcitur prima ſolutio.*

15 Deinde ſecunda ſolutio reijcitur ex D. Thom. *lect.* 1. *citat.* illis verbis: *Quod ergo dicit Apoſtolus, quod prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, poteſt referri ad imperfectam aſſimilationem filij Dei, quæ habetur in hac vita per gratiam; ſed melius eſt, quod referatur ad perfectam Filij Dei aſſimilationem, quæ erit in patria, de qua adoptione dicitur Romanorum* 8. *ingemiſcimus adoptionem filiorum Dei expectantes.* Loquitur ergo Paulus, iuxta D. Thomæ expoſitionem, de prædeſtinatione, non quatenus ſiſtit in præparatione gratiæ habitualis dantis filiationem adoptiuam in via, ſed vt vltimo terminatur ad perfectiſſimam adoptionem, quam præſtat gratia conſūmata per gloriam. Et quod vera ſit Angelici Præceptoris expoſitio, patet: nam loquitur Paulus de prædeſtinatione ſecundum propoſitum, nempe, efficax, & diſcretiuum prædeſtinatorum à reprobis, prædeſtinatio autem ſumpta pro ſolius gratiæ præparatione, non diſcernit inter prædeſtinatos, & reprobos; cum plures reprobi fuerit electi ad gratiam: ergo loquitur de prædeſtinatione, prout non ſiſtit in præparatione gratiæ, ſed vt efficaciter ducit ad gloriam, per quam adoptio vltimam recipit perfectionem.

*Contra ſecundā ſolutionem arguitur.*

Dices, eſto ita ſit, non tamen ex hoc colligitur, prædeſtinationem ſumptam pro decreto executiuo *adæquatè*, eſſe meritis Chriſti attribuendam, ſed ſolum *inadæquatè*, nempé ſecundum terminationem ad adoptionem perfectam, & conſūmatam per gloriam; nos enim noſtris meritis gloriam in executione conſequimur, & decretum executiuum gloriæ meremur, quin ex hoc colligatur prædeſtinationem ſumptam pro decreto exequente *adæquatè*, noſtris meritis adſcribi.

16 *Reſpondebis.*

Sed contra: nam prædeſtinatio in gloriam, non ſolum dicit decretum exequens immediatum erga gloriam, ſed etiam præparationem executiuam omnium mediorum efficaciter conducentium ad illam: ergo mereri prædeſtinationem ad gloriam, ſi proprié accipiatur, eſt non ſolum mereri decretum immediatum executiuum gloriæ, ſed etiā decreta executiua mediorum quoad terminationem ad illa. Conſequentia patet. Antecedens autem probatur pri-

17 *Cōtra primo.*

*Antecedens probatur.*

mo nam prædestinatio; cum pars prouidentiæ sit, non versatur erga finem *immediatè*, sed *immediatè* erga media, & *mediatè executiuè* erga finem: ergo prædestinatio in gloriam, non solum dicit decretum immediatum executiuum illius, sed etiam decretum exequens mediorum efficaciter conducentium ad gloriam.

18 *Secundo.* Secundo: nam prædestinati adulti merentur gloriam, vt in executione, & consequenter decretum executiuum illius, & tamen non merentur prædestinationem ad gloriam: ergo prædestinatio non solum dicit decretum exequens immediate attingens gloriam in executione, sed etiam decreta executiua mediorum. Et ex his secundo reijcitur: nam meritum prædestinationis adscribitur Christo Domino vt specialis excellentia, & prærogatiua illius; sed mereri decretum executiuum *immediatè* attingēs gloriam speciale Christo non est; cum adulti illud de condigno sibi mereātur, & vnus homo alteri de congruo sæpe mereatur: ergo meritum, quod Paulus attribuit Christo, est decreti executiui nedum gloriæ, verum etiam omnium mediorum efficaciter conducentium ad illam, quæ sunt omnes prædestinationis effectus.

*Citra secundo.*

19 *Secundo probatur conclusio* Secundo principaliter efficaciꝰ suadetur conclusio. Non stat mereri omnes nostræ prædestinationis effectus, & non mereri prædestinationem sumptā pro decreto exequente secundum terminationem adæquatam; sed Christus meruit omnes nostræ prædestinationis effectus à primo, vsque ad vltimum: ergo meruit prædestinationem quoad decretum executiuum, secundum omnē terminationem; ac per consequens adæquatē. Consequentia euidens est, præmissæ autem indigent probatione. Maior constat ex differentia, quæ inter causam physicam, & moralem versatur; illa namq; in effectum *immediatè* suam causalitatem exercet, hæc autem *immediatè* non erga effectum, sed erga affectum præmiantis, illum aliciendo, inclinando, & mouendo: ergo non stat meritū omnium effectuum nostræ prædestinationis, absque merito decreti diuini secundum terminationem ad illos, cumque non sit meritum decreti intentiui, erit meritum nostræ prædestinationis pro decreto executiuo.

*Maior probatur primo.*

Deinde: nam si Christus meruit omnes nostræ prædestinationis effectꝰ, illorum collatio exterior fuit actus iustitiæ erga Christum; sed non stat actum exteriorem esse actum iustitiæ absque actu interiori, honestate iustitiæ gaudēte: ergo voluntas executiua illorum, etiam fuit actus iustitiæ; & consequenter merita Christi Domini pro motiuo respexit, actus enim iustitiæ ius alterius respicit pro motiuo; eo autem ipso, quod actus voluntatis diuinæ pro motiuo merita inspiciat, sub eisdem meritis cadit: ergo de primo ad vltimum, nō stat Christum nobis mereri omnes nostræ prædestinationis effectus, absque eo quod meruerit nostrā prædestinationē sumptam pro decreto exequente secundum adæquatam terminationem.

20 *Secundo.*

Minor autem ostenditur primo ex Paulo ad Ephesios 1. illis verbis: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*: idest, per Christum, vt *ibi* explicat D. Thomas sequutus Ambrosium, & communem Græcorū PP. intelligentiā, qualiter præpositio *in* propræpositione *per* denotante causam efficientem moralem, frequenter in scriptura vsurpatur, vt omnes intelligunt illud Pauli in eodem capitulo: *Gratificauit nos in dilecto filio suo*: idest, *per dilectum filium suum*, &c illud; *in quo habemus redemptionem*, & infra: *In quo etiam nos sorte vocati sumus*: idest, *per quem*. Iuxta quam interpretationem, sensus verborum Pauli est, Christum nobis omnem spiritualem benedictionē meruisse: sed omnis nostræ prædestinationis effectus, est spiritualis benedictio: ergo Christus nobis meruit omnem nostræ prædestinationis effectum.

21 *Minor probatur primo.*

Secundo probatur: meruit enim Christus nobis quidquid Adamus sua culpa demeruit; aliàs non superabundasset gratia Dei Saluatoris, vbi abundauit delictum; sed Adamus nobis demeruit carentiam omnium nostræ prædestinationis effectuum: ergo Christus omnes prædestinationis effectus promeruit. Denique probatur: nam Chri-

22 *Secundo.*

*Tertio.*

sto

ſto attribuendum eſt quidquid excellẽtiæ, & dignitatis eſt, niſi vel in ſe repugnet, vel oppoſitum ſit reuelatum; ſed Chriſtum ſuo merito omnes noſtræ prædeſtinationis effectus efficienter moraliter cauſare, dignitatis eſt, in ſe non repugnat, nec oppoſitum eſt reuelatum: ergo aſſerendum eſt, omnes noſtræ prædeſtinationis effectus meruiſſe.

23 *Vltimo probatur prima pars concluſionis.* Et ex his vltimo ſuadetur prima pars concluſionis. Nam prædeſtinatio ſumpta pro decreto exequente, eſt ſpiritualis noſtra, & maxima benedictio; ſed Chriſtus meruit nobis omnem ſpiritualem benedictionem: ergo meruit prædeſtinationem ſumptam pro decreto exequente ſecundum adæquatam terminationem. Præterea; prædeſtinationem ſic ſumptam meruiſſe dignitatis eſt in Chriſto, in ſe non repugnat, nec oppoſitum eſt reuelatum; ſed Chriſto concedi debet quidquid dignitatis eſt, ſi huius ſit conditionis: ergo meruit nobis prædeſtinationem ſumptam pro decreto executiuo ſecundum terminationem adæquatam ad omnes effectus.

24 *Secunda pars probatur 1.* Quod autem veritas iſta non ſit catholica veritas, nec quod ad fidem pertineat *immediatè*, nec *mediatè*, ſed tantum probabilior ſententia, oſtenditur primo; quod namque Incarnatio Chriſti non ſit noſtræ prædeſtinationis effect⁹, non eſt veritas catholica; ſimiliter etiã quod Chriſti Domini merita noſtræ prædeſtinationis effectus non ſint, non eſt veritas ſpectans ad fidẽ; plures enim Theologi docent, Incarnationem Chriſti quoad ſubſtantiam fuiſſe noſtræ prædeſtinationis effectum, & alij quãuis id negent de ſubſtantia Incarnationis, affirmat de Chriſti meritis; ſed eo ipſo quod Incarnatio, aut Chriſti merita ſint noſtræ prædeſtinationis effectus, non meruit nobis Chriſtus prædeſtinationem *adæquatè*: ergo quod illam *adæquatè* meruerit, non eſt veritas ſpectans ad fidem, ſed tantum probabilior ſententia. Patet minor: nam merens prædeſtinationem *adæquatè*, debet ſuis meritis cauſare omnes noſtræ prædeſtinationis effectus; ſed Chriſtus Dominus non meruit ſubſtantiam Incarnationis, vt fatentur omnes Theologi, nec meruit ſua propria merita, quod ſaltim de primo Chriſti merito dubitari nequit, niſi vellimus idem eſſe præmium ſui ipſius: ergo eo ipſo quod ſubſtantia Incarnationis, vel merita Chriſti Domini ſint noſtræ prædeſtinationis effectus, non meruit Chriſtus nobis prædeſtinationem ſumptam pro decreto executiuo *adæquatè*.

25 *Secundo.* Secundo probatur: nam licet ex merito omnium effectuum noſtræ prædeſtinationis colligi meritum ipſius prædeſtinationis, ſit probabilior ſententia, non tamen eſt adeo certa, vt ad fidem aliqua ratione pertineat; plures enim, nec improbabiliter, illationem iſtam negant; ſed omnia teſtimonia ſcripturæ attribuentia Chriſti meritis noſtram prædeſtinationem, poſſunt explicari de prædeſtinatione ſumpta *obiectiuè*, vel ex parte effectuum, nec ſic explicantes poſſunt euidenter conuinci: ergo, quod Chriſtus Dominus ſuis meritis prædeſtinationem ſumptam pro decreto executio obtinuerit, non eſt veritas ſpectans ad fidem.

26 *Confirmatur.* Et augetur difficultas ad hominem contra Vazquez: ipſe namque non loquitur de decreto executiuo ſed de decreto intentiuo, quo homines eliguntur ad gratiam, & gloriam; duos enim iſtos ordines numquam diſtinxit; ſed ex merito omnium effectuum noſtræ prædeſtinationis, non ſequitur meritum prædeſtinationis æternæ ſumptæ pro decreto intentiuo: ergo in ſenſu iſtius Auctoris, quod Chriſtus noſtram prædeſtinationem meruerit, non eſt veritas catholica. Patet minor: nam gloriam in executione meritis adultorum cauſari, eſt de fide, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 16.* definiente eſſe coronam iuſtitiæ; & tamen electio ad gloriam non eſt talium meritorum effectus, ſed omnino liberalis, & gratuita, vt cum D. Tho. & frequentiori Theologorum ſententia docuimus *1p. quæſt. 23. art. 4.* ergo ex merito effectuum prædeſtinationis, nõ ſequitur meritum ipſius prædeſtinationis ſumptæ pro decreto intentiuo.

27 *Reſpondebis.* Si forte dicatur, electionem efficacem ad gloriam noſtra merita præuenientem, & omnino liberalem negari à contrario Auctore, ac proinde non poſſe à nobis argumento facto vrgeri. *Cõtra 1.* In contrarium obſtat primo: nam licet ve-

rum

rum sit hanc sententiam à contrario Auctore negari, non tamen poterit, nisi ausu temerario, illam aliqua censura notare; cum illam, præter omnes discipulos D. Thomæ, tueatur omnes discipuli Scoti, & ni fallor, melior pars ex Doctoribus Societatis: ergo tenetur fateri ex merito doni creati, non colligi omnino euidenter, meritum electionis ad illud ad ordinem intentionis spectantis: ac proinde ex eo quod Christus omnes nostræ prædestinationis effectus meruerit, non colligi adeò efficaciter meritum prædestinationis ad illos, vt consequens pertineat ad fidem *in mediatè*, vel *mediatè*. Tertio probatur: nam licet expositio Græcorum Patrum, iuxta quam præpositio illa, *in Christo*, vertitur in præpositionem, *per Christum*, denotantem causã efficientem moralem, quam etiam sequuntur Ambrosius, & Diuꝰ Thomas, sit probabilior censenda, non tamen est ab Ecclesia diffinita: ergo quod Christus nostram prædestinationem sumptã adæquatè causauerit efficienter moraliter, ab Ecclesia diffinitum non est, nec ex diffinitis, aut reuelatis euidenter colligitur: ac proinde non est veritas spectans ad fidem, *immediatè*, vel *mediatè*.

*Tertio probatur.*

28 *Vltimo probatur secunda pars conclusionis.*

Denique: nam testimonia Pauli, quibus veritas ista probatur, non loquũtur solum de hominibus succedentibus Christum, sed vniuersalia sunt ad omnes, etiam ad PP. Antiquos; sed quãuis gratiam Antiquorum PP. Christum meritoriè efficienter causasse, sit probabilior sententia, non tamen est adeò certa, vt opposita sit contra fidem; cum id doceant graues Theologi, quibus fauet D. Thom *quæst. 29. de veritate art. 4. ad 9 & art 6. in corp & art. 7. ad 3.* ergo ex testimonijs Pauli, non adeo certò colligitur causalitas meritoria effectiua Christi in prædestinationem nostram *adæquatè*, vt sit veritas de fide.

29 *Obijcies.*

Sed dices, sequi ex hac ratione, non esse de fide Christum nos iustificare moraliter efficienter; consequens est falsũ, vtpote contra Trident. *sess. 6 de iustificat. cap. 7* vbi numerans omnes causas nostræ iustificationis, asserit, *Christum esse causam meritoriam illius*: ergo ratio facta est inefficax. Probatur sequela: Christus in illa sententia, quam probabilem esse supponimus, non solum non meruit Antiquis Patribus prædestinationẽ æternam, & gratiam primæ vocationis, sed nec etiam gratiam iustificantem illos formaliter: ergo si ex eo, quod de fide non sit illis prædestinationem, & primam vocationem meruisse efficienter, inferimus de fide non esse, nobis efficiẽter nostram prædestinationem, & primam vocationem meruisse, sequitur, non esse de fide, nobis meruisse efficienter nostram iustificationem.

30 *Respondetur.*

Respondeo, negando sequelam. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam Christum nos iustificasse efficienter meritoriè, diffinitum est in Tridentino *loco allegato*, vbi postquam docuerat causam finalem nostræ iustificationis esse gloriam Dei, & Christi, asseruit, Christum fuisse causam meritoriam illius, quod tamen respectu Antiquorum Patrum non docuit, & ideo, quamuis de fide non sit, causasse Christum efficienter moraliter iustificationem illorum, de fide est nostram isto modo causasse, respectu autem nostræ prædestinationis sumptæ pro decreto intentiuo, aut executiuo *adæquatè*, & respectu primæ nostræ vocationis nihil Tridentinum diffinit, & alias verba Pauli cum vniuersalia sint, & omnes homines comprehendant, si respectu Patrum, qui præcesserunt Christum de causalitate finali probabiliter explicantur, non est omnino certum respectu illorum, qui Christum sunt subsequuti efficientem causalitatem importare; & ideo, quamuis hoc sit probabilius, non tamen est adeò certum, vt veritas fidei sit.

31 *Replicabis.*

Sed oppones, vt enim constat ex margine Tridentini, quod Christus fuerit causa meritoria nostræ iustificationis, colligit ex Paulo ad Ephesios 2. illis verbis: *Cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christ, cuius gratia estis saluati.* Quæ verba generalia sunt, & omnes homines comprehendunt; & tamen, quamuis iustificatio Antiquorum PP. non fuerit per Christum in genere causæ efficientis moralis, sed in genere causæ finalis, in probabili sententia, respectu nostri est per Christum in genere causæ efficientis, vt diffinit Tridẽtinum:

ergo

ergo pariter quamuis testimonia Pauli attribuentia Christi meritis omnium prædestinationem generalia sint, & respectu veterum PP. accipiantur probabiliter in genere causæ finalis; respectu illorum, qui successerunt Christum, importabunt causam efficientem moralem.

32 *Respond.* Respondeo, concedendo consequentiam: cæterum quod ita sint accipienda hucusq; diffinitum nō est; quod verò iustificatio nostra sit per Christū, vt causam meritoriam diffiniuit Tridētinum; & ideò non est par ratio quoad certitudinem causalitatis efficientis moralis nostræ iustificationis, ac nostræ prædestinationis, & primi effectus prædestinationis, primæ, scilicet, vocationis.

33 *Instabis.* *Cōc. Trid.* Instabis ex Tridentino sess. 6 cap. 5. illis verbis: *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumēdum esse, hoc est, ab eius vocatione*: ergo iuxta Tridentinum prima vocatio, & primus nostræ prædestinationis effectus est per Christum in genere causæ efficientis moralis; & consequenter prædestinatio nostra *obiectiuè adæquatè* attribuenda est meritis Christi.

34 *Respond.* Respondeo, distinguendo consequens: ita vt hoc sit diffinitum, nego consequentiam: absolutè, & quoad rei veritatem, concedo consequentiā. Itaque aliud est, quod ita sit, quod scilicet, prima vocatio sit per Christum in genere causæ efficientis moralis, aliud verò, quod taliter certum sit, vt oppositū censeri debeat hæreticum, aut erroneum: primum concedimus; secundum vero negamus: nam licet gratia per Christū, idem sit, quod gratia à Christo meritoriè causata, in vera Theologorum sentētia, quod autem omnis gratia, quæ vocatur Christi, aut per Christum, ab illo sit *efficienter*, & non sufficiat, quod sit ab illo in genere causæ finalis, nullibi invenitur diffinitum. Et quidem negari nō potest, PP. Antiquæ legis fuisse iustificatos gratia per Christum, & tamen plures non improbabiliter docent, gratiā illos iustificantem, non fuisse effectum meritorum Christi in genere causæ efficientis, sed tantum in genere causæ finalis: ergo quod gratia per Christum sit idem quod gratia, à Christo efficienter causata, non est vndequaque explo ratum, nec adeò certum vt sit veritas spectans ad fidem.

35 *Certissimū est primam vocationē, in lege gratiæ, esse per Christum efficienter moraliter* Quod autem prima vocatio in lege gratiæ, sit per Christum in genere causæ efficientis moralis, adeò mihi certū est ob communem Theologorum sententiam, vt oppositum his temporibus indefensabile sit; ex hoc tamen non colligitur eadē certitudine gaudere, quod Christus nobis meruerit nostram prædestinationem, siué quoad decretum intētivum, siué quoad executiuum adæquatè: tùm, quia non est certum primam vocationem esse primum nostræ prædestinationis effectum; cum plures doceant Incarnationis substantiam esse effectum nostræ prædestinationis, aliq; Christi merita inter effectus nostræ prædestinationis recēseant; ac proinde quā uis Christus primam vocationem meruerit, & cæteros prædestinationis effectus, quia tamen non meruit suam Incarnationem, nec merita, non infertur nostram prædestinationem adæquatè meruisse. Tum etiam, quia ex merito omnium effectuum nostræ prædestinationis, non sequitur meritum decreti intentiui illorum, & quamuis inferatur meritum decreti executiui, hæc tamen illatio nō adeò explorata est, vt ex merito omnium effectuum inferatur, tanquam veritas fidei meritum talis decreti.

## §. II.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

CONTRA primam partem conclusionis arguitur primo: Christus non meruit omnes effectus nostræ prædestinationis: ergo non meruit *adæquatè* nostram prædestinationem. Consequentia probatione non indiget. Antecedens autem probatur: applicatio

36 *Arg. 1. contra 1. partē cōclusionis.*

Bap-

Baptismi non est præmium meritorum Christi; sed hæc applicatio est effectus nostræ prædestinationis: ergo non meruit Christus omnes nostræ prædestinationis effectus. Maior probatur ex D. Thom. supra quæst. 19. art 4. ad 3. quod tale erat: *Merces quam quis meretur, debetur secundum iustitiam, & non secundum gratiam: si ergo Christus meruit salutem nostram, sequitur, quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex iustitia, & quod iniustè agat cum eis, quos non saluat; cum meritum Christi ad omnes se extendat.* Cui argumento ita respondet: *Ad tertium dicendum, quod sicut peccatum Adæ non deriuatur ad alios, nisi per carnalem generationem: ita meritum Christi non deriuatur ad alios, nisi per generationem spiritualem, quæ sit in Baptismo, per quam homines Christo incorporantur, & hoc ipsum est gratiæ, quod homini conceditur regenerari in Christo, & sic salus hominis est ex gratia*: Ergo iuxta D. Thomam applicatio Baptismi, & hominem regenerari in ipso, præmium meritorum Christi non est.

S. Tho.

37 *Consequentia prob. primo.*

Patet consequentia primo: nam D. Thom. eam rationem gratiæ concedit applicationi Baptismi, quam negat respectu nostræ salutis; sed hæc est gratia respectu nostri, & ex iustitia respectu Christi: ergo illa est gratia, etiam per comparationem ad Christum; & consequenter præmium, & effectus meritorum Christi non est. Secundo: quia vt ex argumento constat, gratiam Dei cõtraponit mercedi respectu Christi, & iustitiæ per comparationem ad ipsum; sed in solutione argumenti docet, applicationem Baptismi, & regenerationem in ipso esse gratiæ Dei, & ex hac deducit salutẽ nostrã esse ex eius gratia, & sine iniustitia negari, quibus negatur: ergo sentit taliter esse gratiæ Dei, vt nõ sit merces, præmiumque respectu Christi, nec ex iustitia in eius comparatione.

*Secundo*

38 *Respond.*

Respondeo, merita Christi fuisse ab ipso dupliciter applicata: primo quoad sufficientiam pro omnibus: secundo quoad efficientiam pro aliquibus quoad libertatem à culpa, & pro alijs, etiam quoad vitam æternam: quando ergo docet D. Thomas, applicationẽ Baptismi esse gratiæ Dei per exclusionem iustitiæ respectu Christi, intelligitur comparatione facta cum Christo, vt sua merita applicante quoad sufficiẽtiam pro omnibus: nam ex vi huius applicationis non fuit debita applicatio Baptismi, nec regeneratio in ipso; alias vel omnes fuissent regenerati in Baptismo, vel iniustitia facta fuisset Christo Domino, in eo quod nõ omnes renascerentur in ipso, sed tantum quod Baptismus omnibus in Ecclesia pateret, & omnibus esset expositus; non autem negat, quod applicatio Baptismi, & regeneratio spiritualis in illa, sit præmiũ, & effectus meritorum Christi, vt specialiter sua merita applicantis pro illis, quibus fuit concessus Baptismus de facto. Per quod ad vtramque consequentiæ probationem constat solutio.

*Christus applicauit sua merita pro omnibus, quoad sufficiẽtiam. quoad efficaciam pro aliquibus.*

39 *Hanc essementẽ D. Tho. prob. 1.*

Et quod hæc fuerit mens Angelici Præceptoris, constat primo: nam intendebat saluare, quod sine vlla iniustitia aliqui non saluarentur, hoc est, à peccato liberarentur, quod subsistit solum per hoc, quod ex vi generalis applicationis meritorum Christi quoad sufficiẽtiam pro omnibus, non debeatur ex iustitia, actualis liberatio à peccato, nec applicatio Baptismi, quamuis debita reddatur per specialem applicationem meritorum Christi quoad efficaciam pro aliquibus: nam illi, quibus fuerunt merita Christi efficaciter applicata, liberantur à peccato; illi autem, quibus solum fuerunt applicata quoad sufficientiam, sine iniustitia non liberantur à culpa, quia ex vi illius applicationis, non debetur Christo ex iustitia, actualis à peccato libertas: ergo intentum D. Thomæ saluatur per hoc, quod applicatio Baptismi non sit debita Christo ex vi applicationis suorum meritorum quoad sufficientiam pro omnibus.

40 *Secundo.*

Secundo, & apertius colligitur ex doctrina D. Thom. q. 29. de Veritate art. 7. ad 8. quod ita procedebat: *Aut Christus sufficienter meruit nobis, aut insufficienter: si sufficienter, meritum nostrum non requiritur ad salutem: si insufficienter, insufficientis gratiæ fuit, quorum vtrumque est inconueniens: ergo Christus nobis non meruit.* Cui argumento ita respondet: *Ad Octauum dicendum, quod meritum Christi sufficienter operatur, vt quædam causa vniuersalis salutis humanæ, sed oportet hanc causam*

S. Tho.

*ſam applicari ſingulis per Sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur: & ideò requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter meritum Chriſti, cuius tamen meritum Chriſti eſt cauſa*: Ergo ſentit D. Thomas, omne illud, per quod merita Chriſti hominibus applicantur, eſſe effectum meritorum ipſius; & conſequenter cum in præſenti applicationem Baptiſmi, & regenerationem in ipſo, ait eſſe gratiæ Dei, non excludit iuſtitiam reſpectu Chriſti vt ſpecialiter applicantis ſua merita efficaciter pro illis, qui in Baptiſmo ſpiritualiter renaſcuntur, ſed tantum reſpectu Chriſti, vt generaliter applicantis ſua merita quoad ſufficientiam pro omnibus, vt per hoc ſaluetur ſine iniuſtitia Chriſto facta, aliquos in peccato relinqui, nec ab illo liberari.

41 *Inſtabis.* S. Tho.

Sed oppones, D. Thomam q. de Veritate alleg. art. 7. ad 4. ibi: *Dicēdum, quod meritum Chriſti, quantum ad ſufficientiam æqualiter ſe habet ad omnes, non autem quantum ad efficaciam, quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex diuina electione, per quam quibuſdam miſericorditer effectus meritorum Chriſti confertur, quibuſdam verò iuſto iudicio ſubtrahitur.* Ergo ſentit D. Thom efficacem applicationē meritorum Chriſti, prout à ſufficienti diſtinguitur, adæquatè ſumi: tum ex libero arbitrio, quatenus per Dei gratiam ſe ad iuſtificationem diſponit: tum etiam ex diuina electione, quibuſdam præ alijs effectus meritorū Chriſti miſericorditer tribuente. Patet conſequentia primo: quia D. Thomas nullam ex parte Chriſti cauſam aſsignat efficacis applicationis; ſi autem ex parte illius differentia ſumeretur, diminutè proceſſiſſet. Secundo: nam ſi Chriſtus ſpecialiter his præ alijs ſua merita applicuiſſet, Deus non ex miſericordia effectus meritorum Chriſti his præ alijs applicaret, ſed ex iuſtitia erga Chriſtum.

*Conſequētia probatur 1.*

*Secundo*

42 *Reſpond. ad 1. cōſequentiæ probationem.*

Reſpondeo, negando conſequentiam. Ad primam probationem, nego antecedens: nam licet *in ſolutione ad 4.* differentiam ex parte Chriſti, D. Thomas non expreſſerit, illam tamen non excluſit; cum *ſolut. ad 8.* omne per quod merita Chriſti applicantur, Chriſti meritis attribuat, vt *proximè* vidimus. Ad ſecundam conſequentiæ probationem dicatur: collationem effectuum meritorum Chriſti, & electionem ad illam, dupliciter poſſe ſumi: primo in ſe ipſa formaliter: ſecundo in radice; primo modo eſt actus miſericordiæ erga homines, & iuſtitiæ per comparationem ad Chriſtum: ſecundo autem modo eſt actus miſericordiæ erga homines, & nullatenus iuſtitiæ: nam actus voluntatis diuinæ, quo applicuit voluntatem Chriſti vt his præ alijs ſua merita applicaret, non eſt meritorum Chriſti præmium; cum ſit illorum principium, & quia applicatio effectuum meritorum Chriſti his præ alijs ex hoc actu trahit originem; fit, vt huiuſcemodi collatio ſit actus miſericordiæ in radice, & nullatenus iuſtitiæ.

*Ad ſecundam.*

43 *Secundo arguitur.*

Secundo principaliter arguitur: auxilia ſufficientia reprobis, & prædeſtinatis communia, non ſunt præmiū meritorum Chriſti; & tamen ſunt noſtræ prædeſtinationis effectus: ergo Chriſtus non meruit omnes noſtræ prædeſtinationis effectus; & cōſequenter præ deſtinationem ſumptam pro decreto executiuo Chriſtus adæquatè non meruit. Conſequentia eſt bona. Minorem ſupponimus ex his, quæ *Tract. de Prædeſtinatione*, cum communi ſententia docuimus. Maior autem probatur: auxilia hæc ſufficientia ſunt effectus voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri; ſed hæc voluntas, præmium meritorum Chriſti non fuit: ergo nec auxilia ſufficientia reprobis, & prædeſtinatis communia ſunt meritorum Chriſti præmium. Maior conſtat: nam ex vi illius voluntatis Deus ordinauit homines ſufficienter ad gloriā: ergo ex vi illius præparauit auxilia ſufficientia ad eius conſecutionem. Minor autem probatur: voluntas illa eſt prior decreto mittendi Chriſtum, & eſt principium illius; ſed principium meritū non quit ſub merito cadere: ergo voluntas illa generalis, & communis, præmium meritorum Chriſti non fuit. Maior probatur: Chriſtus decretatus fuit vt Redemptor ex intentione redimendi omnes homines, & illos perducendi ad ſalutem quoad ſufficientiam: ergo intentio, aut voluntas omnes quoad ſufficien-

tiam

tiam saluandi, prior est decreto mittendi Christum, & est principium illius.

44 *Resp. 1. ad probationē maioris.* Respondeo, negando maiorem. Ad illi⁹ probationē respondeo primo, concessa maiori, negando minorē: nam primū decretum in mente diuina existens, fuit de Christo Redemptore, vt pote, cum fuerit finis omnium, quæ Deus fecit, siue ad ordinem naturæ, siue ad ordinem gratiæ spectantium, & in vi meritorum Christi vt præuisi, mediante hoc decreto, Deus habuit voluntatē generalem, & specialem; ac proinde omnis diuina voluntas fuit meritorum Christi præmium. Quod amplius conclusione sequenti explicabimus, vbi minoris probationi occurremus.

45 *Secundo respon.* Secundo respondeo, distinguendo maiorem: sunt effectus illius voluntatis generalis intentiuæ *immediatè*, nego maiorem: *mediatè* ab illa causati, concedo maiorem: & prætermissa minori, nego consequentiam: nam sicut circa gloriā vt efficacitér præparatam electis, duplex decretum distinguimus, vnū intentiuū, & aliud executiuum, & auxilia efficaciter conducentia ad gloriam sunt effectus decreti intentiui *mediatè*, & *immediatè* decreti executiui illorum: ita erga gloriā vt sufficienter omnibus præparatā, duplex est distinguēdum decretum, nēpé intentivū inefficax, & executivum, non circa gloriam *immediatè*, sed circa auxilia sufficientia ad illam, inter quæ mediat Christus decretatus vt Redemptor, cuius decretū fuit ortū ex voluntate inefficaci intētiua salutis omniū hominū, & antecessit decretum executivum prædictorum auxiliorum: cū ergo Christus vt merens præuisus fuerit in vi decreti intentiui illius præcedenter ad decretum executivum auxiliorum sufficientium, fit, vt quamuis decretum mittendi Christum voluntatem illam de omnium hominum salute supponat, auxilia tamen, quæ ex prædicta voluntate non *immediatè*, sed *mediatè* præparātur, meritis Christi adscribantur; sicut quia decretum executivum efficax gloriæ est post merita nostra præuisa, gloria vt in executione nostris meritis adscribitur, quamuis decretū efficax gloriæ intentivū nostra merita præcesserit.

46 *Replicabis.* Sed dices, non solū voluntas intentiua inefficax gloriæ, sed etiam voluntas efficax executiua auxiliorū sufficiētiū ad gloriā, præcessit decretū de Christo vt Redemptore, & merēte: ergo Christus vt Redemptor, & merens non præcessit decretum executivum prædictorū auxiliorum; & consequenter hæc auxilia præmium meritorum Christi non sunt. Prima cōsequentia ex antecedenti colligitur: secunda euidēter infertur ex prima. Nam merēs debet præcedere, saltim voluntatē executiuam præmij. Antecedens autē probatur: nam gratia collata Adamo in statu innocētiæ fuit medium sufficiens ad gloriā ortū ex illa generali voluntate, & similiter gratia habitualis, & cætera gratiæ dona data PP. Antiquis erant media sufficientia ad salutē ex eadē voluntate imperata; sed decretū prædictorū auxiliorū decretū de Christo vt Redemptore, & merēte præcessit: ergo non solū voluntas intentiua inefficax gloriæ, sed etiā voluntas executiua efficax auxiliorū sufficiētiū ad gloriam præcessit decretū de Christo vt Redēptore, & merente. Minor probatur: ordo inter diuina decreta sumitur ex ordine inter obiecta; sed omnia illa gratiæ dona Christū præcesserunt in ordine executionis: ergo decretū efficax illorum præcessit decretum mittēdi Christum.

47 *Respond. Obiectio ista contra cōclusionē non procedit.* Respōdeo: obiectionē istā nō militare cōtra id, quod in nostra conclusione defendimus, scilicet, Christū meruisse omnib⁹ post legē gratiæ prædestinationē *adæquatè*; in his nāq; falsū est, quod decretū executivū auxiliorū sufficiētiū, decretū mittēdi Christi, nedū intentivū, verū nec executivū præcesserit; cū namque Christus vt natus, & passus, omnia huiusce modi auxilia in executione præcesserit, decretum etiam executivum Christi, decretum executivum huiusce modi auxiliorum præcesserit.

48 *Ad illā prout cōtra meritū Antiquorum PP. militat, resp.* Prout autem contra meritum prædestinationis Antiquorum Patrum procedit, dicatur, quod vt Christus auxilia sufficientia illis efficienter meruerit, sufficit decretum intentivum Christi vt merētis, antecedere decretum executivum donorum, quæ illis concessa fuere; non enim ad causandum meritoriē requiritur, quod decretū executivum meriti, decretum executivum præmij

ſemper præcedat, ſed quãdo præmium anticipata ſolutione tribuitur ſufficit quod præuiſio meriti antecedat decretum executivum præmij; eo autem ipſo, quod decretum intentivum meriti præcedat decretum executivum præmij, præuidetur meritum in vi decreti intentiui ante decretum executivum præmij; & conſequenter terminare poteſt meritoriam cauſalitatem. De quo plura *ſupra quæſt. 2. art. 11.* vbi meritum Chriſti gratiæ Antiquorum Patrum, cum frequentiori ſententia ſtatuimus.

49 *Quid de gratia ſtatus innocentiæ dicendum?*

Si autem de gratia ſtatus innocentiæ procedat, duplex circumfertur ſententia Prima aſſerens fuiſſe effectum prædeſtinationis Adami. Secunda negans effectum prædeſtinationis Adami fuiſſe. Et iuxta primam (quam probabiliorem *Tract. de Prædeſtinatione* cenſuimus) aſſerendum eſt, Chriſtum præuiſum, vt merentem in vi decreti intentiui, cauſaſſe meritorié efficienter gratiam ſtatus innocentiæ, ſicut nuper dicebamus de gratia Antiquorum Patrũ. Si verò defendatur ſecunda, conſequenter eſt aſſerendum, non fuiſſe effectum meritorum Chriſti, qui iuxta illam ſententiam, ad gratiam ſtatus innocentiæ non ſupponitur præuiſus.

50 *Inſtabis adhuc.*

Sed inſtabis adhuc, eo ipſo, quod aſſeratur, Chriſtum decretatum, & prædeſtinatum fuiſſe à Deo ex intentione noſtræ ſalutis, decretum intentivum Chriſti non eſt prius decrero executiuo auxiliorum, quibus homines diſponuntur ad ſalutem, & gratiæ deſtruentis peccatum, & ſalutem conferentis: ergo eo ipſo conſequenter eſt aſſerendum præuiſionem meritorum Chriſti non antecedere decretum executivum gratiæ, & auxiliorum ſufficientium, quæ fuerunt Antiquis PP. data. Conſequentia tenet ex dictis; vt enim præuiſio meriti antecedat decretum executivum præmij, debet ſaltim decretum intentivum meriti antecedere decretũ executivum præmij. Antecedens autẽ probatur; vt decretum intentivum Chriſti vt merentis, antecedat decretum executivum gratiæ, & donorum ſufficientium, requiritur, decerni Chriſtum vt finem huiuſcemodi donorum; ſed eo ipſo, quod Chriſtus decretus fuerit ex prædicta voluntate, non decernitur vt finis, ſed potius vt medium reſpectu illorum donorum: ergo eo ipſo decretum intentivũ Chriſti non eſt prius decreto executiuo gratiæ, auxiliorumque ſufficiẽtium. Maior conſtat: nam, quod in intentione præcedit, debet eſſe finis. Minor autem probatur: Chriſtus decretatus ex intentione ſalutis, ordinatur ad ſalutẽ noſtrã vt medium ad finẽ: ergo vt finẽ etiam reſpicit gratiam à peccato liberãtem, & formaliter conferentem ſalutẽ.

51 *Reſpond.*

Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, nego antecedens: non enim Chriſtus ex vi illius voluntatis ordinatur ad ſalutem noſtram vt medium, ſed vt cauſa ad finem, non *cuius gratia*, ſed vt ad finem *effectum*; cum quo rectè compatitur, Chriſtum, & illius merita eſſe finem *cuius gratia* ſalutis, gratiæ, & auxiliorum diſponentium ad illam; & conſequenter, quod Chriſtus in ordine intentionis vt finis præcedat. Quod ſi cum alijs dicatur, Chriſtum, & illius merita fuiſſe ad dona gratiæ vt ad finem, *cuius gratia* ordinatum, non poterit meritum Chriſti reſpectu gratiæ Antiquorum Patrum defendi, vt argumentum conuincit.

52 *Vltimo arguitur*

Denique arguitur, Incarnatio Chriſti fuit primus, & potiſsimus noſtræ prædeſtinationis effectus; ſed Chriſtus ſuam Incarnationem non meruit; cum principium meriti ſub merito, cuius eſt principium, non cadat in omnium Theologorum ſententia de lege ordinaria, & in probabiliori ſententia, nec de potentia abſoluta: ergo non meruit omnes effectus noſtræ prædeſtinationis; & conſequenter nec prædeſtinationem ſumptam pro decreto executiuo adæquatẽ. Maior probatur: omne quod cum effectu ad finem noſtræ prædeſtinationis cõducit, fuit à Deo ex intẽtione huius finis præparatũ; & cõſequenter eſt prædeſtinationis effectus; ſed Incarnatio Chriſti cũ effectu ad finẽ prædeſtinationis noſtræ maximé cõducit: ergo fuit à Deo ex hoc fine præparata; & cõſequẽter fuit prædeſtinationis effectus.

53 *Prima ſolutio.*

Huic argumento variè occurritur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ. Prima ſolutio eſt Medinæ aſſerentis, Chriſtum

stum meruisse omnia media nostræ salutis, præter ipsam Incarnationem, quī fatetur fuisse nostræ prædestinationis effectum; & consequenter meruit prædestinationem nostram sub terminatione ad omnes effectus, præter quam ad ipsam Incarnationem. Hæc tamen solutio reijcitur. Tum, quia conclusionem nostram non saluat. Tum etiam: quia de Incarnatione humilitér sentit, dum illam vt medium ad finem nostræ prædestinationis ordinatam fuisse fatetur. Tum denique: quia iuxta illam non potest meritum Christi, respectu electionis prædestinatorum ad gloriam defendi. Secundo alij respondent, quod licet Incarnatio Christi fuerit effectus prædestinationis nostræ, nihilominus meruit electionem efficacem ad gloriam; & consequenter prædestinationem nostram absolutè, quorum doctrinam *inferius* examinabimus, vbi & veram solutionem argumenti facti trademus.

*Reijcitur primo.*

*Secundo.*

*Tertio.*

*Secundo alij respõdent.*

*Hæc solutio infra examinabitur.*

## §. III.

### *Christum electionem efficacē ad gloriam, prout est dilectio meruisse.*

54 *Secunda conclusio*

SECVNDA CONCLVSIO. *Meruit Christus electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam sub ratione dilectionis, non aliquorum* vagé, *sed determinatè horum, qui prædestinati sunt.* Prima pars cōclusionis suadetur primo ex Paulo ad Ephesios primo, illis verbis: *Qui benedixit nos omni benedictione in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Vbi ly *in Christo*, idem valere ac *per Christum*, docent PP. Græci communiter, & ex Latinis Ambrosius, & Angelicus Præceptor lectione prima, illis verbis: *Dicit ergo, ita benedixit nos, non nostris meritis, sed ex gratia Christi, sicut elegit nos, & gratis à massa perditionis separando, præordinauit nos in ipso, id est per Christum.* Et constat: nam elegit nos in Christo, sicut benedixit, ideſt, bona gratiæ largitus est in ipso; dona autem gratiæ, per Christum nobis sunt data; & consequenter per Christum sumus electi; at per Christum eligi, si verba in rigore sumantur, vt debent, est Christum nobis æternam electionem meruisse: ergo meruit nobis Christus æternam electionem ad gloriam.

*Prima pars conclusionis prob. 1.*

S. Th°.

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum. Nam Christum nobis dona gratiæ meruisse, non aliunde colligitur, nisi ex testimonio Pauli, asserentis: *Benedixit nos omni benedictione in cælestibus in Christo Iesu*; sed iuxta Paulum Deus nos elegit in Christo: ergo etiam meruit nobis æternam electionem ad gloriam. Confirmatur, & vrgetur secundo: nam Deus nos benedixit in Christo omni benedictione; sed præcipua hominum benedictio in electione ad gloriam consistit: ergo hac benedictione prædestinatos benedixit in Christo; sed Deum benedicere in Christo, est Christum nobis benedictionem mereri: ergo meruit nobis Christus æternam electionem ad gloriam. Confirmatur, & vrgetur tertio: nam prima, & potissima discretio prædestinatorum à reprobis, est meritis Christi adscribenda; sed hæc in electione efficaci ad gloriam consistit: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam sub ratione dilectionis, fuit præmium meritorum Christi.

55 *Cōfirmatur 1.*

*Cōfirmatur 2.*

*Cōfirmatur 3.*

Secundo probatur: Christus præuisus fuit merens ante electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam; sed omne quod præuisionem meritorum Christi supponit, illis vt præmium adscribitur: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam fuit meritorū Christi præmium. Minor à contrarijs conceditur, & constat primo: nam ideo decretum executivum gloriæ, & omnium effectuum nostræ prædestinationis adscribitur meritis Christi, quia illorum præuisionem supponit: ergo si merita Christi ante electionem efficacem ad gloriam supponuntur præuisa,

56 *Secundo prob.*

illis eſt huiuſcemodi electio adſcribenda. Secundo: nam omne, quod præuiſionem meritorum Chriſti ſupponit poteſt eſſe illorum præmium; cum habeant vim meritoriam *ſimpliciter* infinitam; & conſequenter ad omne præmium infiniti valoris; & aliàs, quod in illa referatur vt præmium, decet dignitatem Chriſti, & congruit muneri Redemptoris: ergo ſi Chriſtus præuiſus fuit merens ante electionem efficacem prædeſtinatorum ad gloriam, fuit præmium meritorum Chriſti. Maior autem probatur: nam in ſententia Scoti, & Diſcipulorum eius (contra quos noſtra concluſio procedit) Chriſtus fuit finis prædeſtinationis hominum, & electionis illorum ad gloriam: ergo fuit efficaciter intentus ante talem electionem; ſed in hac efficaci intentione potuit Chriſtus vt merens videri: ergo fuit præuiſus merens ante efficacem electionem prædeſtinatorum ad gloriam.

57 *Reſpondebis.* Reſpondebis ex doctrina contrariorum, Chriſtum conſiderari poſſe dupliciter: primo quoad ſubſtantiam; ſecundo quoad circunſtantiam carnis paſsibilis; & in priori conſideratione fuiſſe finem prædeſtinationis omnium, & vt ſic ante electionem efficacem prædeſtinatorum ad gloriam præuiſum: quia tamen Chriſtus non meruit, niſi vt in carne paſsibili, & vt ſic non fuit finis prædeſtinationis hominum; & conſequenter nec ante electionem efficacem ad gloriam fuit præuiſus vt paſsibilis; fit conſequens, quod non fuerit præuiſus ad illam vt merens; ac proinde nec quod illam meruerit.

58 *Reiicitur primo.* Sed contra primo: nam ideò, in ſententia Scoti, Chriſtus fuit finis prædeſtinationis hominum, & omnium rerum, quas Deus ad extra produxit, quia eſt omnibus illis perfectior; id autem, quod perfectius eſt, non poteſt ad aliud, vt ad finem ordinari ſecundum rectum ordinem prouidendi, ſed potius debet rationem finis ſortiri; ſed hæc ratio non ſolum militat de Chriſto vt homine quoad ſubſtantiam Incarnationis, ſed etiam quoad circunſtantiam carnis paſsibilis: ergo nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circunſtantiam carnis paſsibilis fuit à Deo intentus, vt finis prædeſtinationis hominum, & omnium, quæ Deus fecit; & conſequenter fuit à Deo præuiſus, vt merens ante efficacem electionem prædeſtinatorum ad gloriam. Maior eſt in doctrina Scoti certa. Minor autem probatur: Incarnatio quoad ſubſtantiam omnes creaturas excedit, non ratione carnis aſſumptæ, ſed ratione coniunctionis ad Verbum; ſed etiam caro Chriſti vt paſsibilis, fuit Diuino Verbo coniuncta: ergo quamuis non excedat cætera creata à Deo ratione paſsibilitatis, excedit illa ratione coniunctionis ad Verbum.

59 *Secundo.* Contra ſecundo: nam ideò, in doctrina Scoti, Chriſtus non fuit electus à Deo, vt medium ad hominum redemptionem, & ſalutem, ſed vt finis redemptionis, & ſalutis omnium hominum, quia ordinatè volens, prius ordine intentionis vult, quæ proximiora ſunt fini, primo, & principaliter intento: Chriſtus autem vt homo, eſt inter omnia creata proximior Deo, qui eſt finis, quem Deus primo intendit in omnibus, quæ operatur ad extra; ſed Chriſtus, non ſolum quoad ſubſtantiam Incarnationis, ſed etiam quoad circunſtantiam carnis paſsibilis, eſt propinquior ipſi Deo omnibus aliis creaturis; cum caro Chriſti vt paſsibilis, ſit Diuino Verbo *phyſicè* coniuncta, & vnita: ergo nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circunſtantiam paſsibilitatis carnis, fuit à Deo intentus vt finis omnium, quæ ad extra produxit.

60 *Tertio.* Tertio: operationes Chriſti, quibus meruit noſtram ſalutem, non fuerunt volitæ à Deo, vt medium ad beatitudinem noſtram ordinatum vt ad finem, ſed vt finis beatitudinis noſtræ: ergo in ordine intentionis præceſſerunt beatitudinem noſtram; & conſequenter fuerunt à Deo præuiſæ ante electionem efficacē prædeſtinatorum ad gloriam. Secunda conſequentia ex prima colligitur: nam quod in ordine intentionis præcedit, poteſt in decreto intentiuo efficaci præuideri. Prima verò ex antecedenti infertur. Antecedens autem probatur: ideò concretum reſul-

tans

tans ex Verbo, & humanitate non fuit quoad substantiam electum à Deo vt medium nostræ salutis, sed potius vt finis illius, quia est perfectius, Deoque coniunctius, atque proximius, quam salus hominum; sed etiam concretum resultans ex Verbo vt humanitati vnito, & opere meritorio, excedit beatitudinem hominum, & est Deo proximius quam illa; cum operatio Christi meritoria, sit Deo *physicè* coniuncta *mediatè*, qua coniunctione beatitudo nostra nō gaudet: ergo non fuit à Deo electum vt medium beatitudinis nostræ, sed vt causa, & finis illius.

61 *Confirmatur.* Et augetur difficultas: quamuis humanitas Christi ratione propriæ entitatis non excedat naturam Angelicam, sed potius ab illa excedatur; quia tamē Verbum, cui est *hypostaticè* vnita, *infinitè* superat Angelos, Christus vt homo fuit à Deo intentus vt finis productionis Angelorum, in sententia Discipulorum Scoti; sed quamuis opus meritorium Christi, non excedat ratione suæ entitatis nostram beatitudinem, Verbum tamen, cui *mediatè physicè* vnitur, *infinitè* excedit illam: ergo Christus, quatenus merens, non fuit electus vt medium in ordine ad beatitudinem nostram, sed potius vt finis illius; & consequenter Christus, nedum quoad substantiam, sed etiam quatenus merens, fuit à Deo præuisus ante electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam.

62 *Secunda pars conclusionis prob. 1.* Deinde secunda pars nostræ conclusionis suadetur primo ex illo Ioannis 15. Christi ad Discipulos suos: *Non vos me elegistis, sed Ego elegi vos.* Quæ verba de electione æterna ad gloriam pertinente ad ordinem intentionis explicat Angelicus Doctor *ad Ephesios* 1. *lectione* 1. per illa explicans sententiam Pauli asserentis: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: sed in illis verbis importatur specialis, & determinata dilectio prædestinatorum ad gloriam: ergo Christus meruit prædestinatis dilectionem efficacem, non aliquorum *vagè*, sed horum determinatè. *Secundo.* Secundo: nam si Christus solum meruisset electionem aliquorum, & non istorum determinatè, non essent isti præ alijs ipsi specialiter obligati quoad primam electionem ad gloriam, primamque prædestinatorum à reprobis discretionem; consequens admittendum non est: ergo nec est asserendum meruisse electionem *vagè*, & inconfuso acceptam, & non specialem dilectionem istorum determinatè. Quod amplius ex dicendis *conclusione sequenti* constabit.

## §. IV.

### *Argumenta contrariorum diluuntur.*

63 *Arg. 1.* CONTRA istam conclusionem arguunt Auctores oppositi primo: nam in Scriptura distinguitur inter prædestinationem, & electionem, & prædestinatio meritis Christi attribuitur; electio autem beneplacito, & proposito diuinæ voluntatis; sed distinctio ista subsistere nequit, nisi prædestinatio in ordine executionis meritis Christi adscribatur, in ordine autem intentionis Christi merita antevertat: ergo prima electio prædestinatorum ad gloriā spectans ad ordinem intentionis, præmium meritorum Christi non fuit. Minor cum consequentia tenet. Maior autem constat ex Paulo ad Romanos *cap.* 4. 8. & 9. 2. *ad Timotheum* 1. & 3. *cap.* Et ad Ephesios primo, illis verbis: *Qui prædestinauit nos in adoptionē filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Vbi vt constat inter propositum Dei, & prædestinationem distinguitur, illudque pro causa, vel radice prædestinationis assignatur, & soli liberæ Dei voluntati attribuitur. *Ad Roman. c 4. 8. & 9. 2. ad Timoth. 1. & 3. c.*

64 *Cōfirmatur 1.* Confirmant primo: nam ratio primi propositi saluandi electos, non alia in Scriptura assignatur, nisi beneplacitū voluntatis diuinæ, & ostensio bonitatis eius, & gratiæ, sed si merita Christi præcessissent primū illud propositum,

ratio illius non fuisset solum Dei beneplacitum, & ostẽsio bonitatis, & gratiæ; sed etiam merita Christi, & ostensio iustitiæ ergà ipsum: ergo primum propositum Dei, primaque prædestinatorum electio spectans ad ordinẽ intentionis, non fuit præmium meritorum Christi. Minor cum consequentia tenet. Maior autem constat ex Paulo ad Ephesios 1. ibi: *Prædestinauit nos secundũ propositũ voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et ad Romanos 9 ibi: *Volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam in vasa iræ apta in interitum, & diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam* Vbi vt constat pro ratione electionis, & reprobationis, nihil aliud assignatur, nisi sola Dei voluntas ostẽdendi potentiam in vasis iræ, & gratiam in vasis misericordiæ, & omnem aliam excludi, colligitur ab exemplo figuli, & luti, quo vtitur Paulus ad ostendendam omnimodam libertatẽ diuinam in his eligendis, & alijs relinquendis; sicut nãque ex parte luti nulla est ratio assignabilis, vt ex illo formetur vas in honorẽ, sed à solo figuli beneplacito pendet: ita ex parte hominum nulla est ratio, cur vnus assumatur, & cur alius relinquatur, sed adæquatè dependet ex libero beneplacito Dei; at si Christus meruisset primam prædestinatorum electionem, & primum propositum, alia esset ex parte hominum ratio, cur à Deo eligerentur, præter libertatem diuinam, videlicet merita Christi, quibus ius esset acquisitum hominibus, vt à Deo eligerentur: ergo Christus non meruit prædestinatis primam electionem ad gloriam.

*Ad Ephesios 1.*

*Ad Roman. 9.*

65 *Cõfirmatur 2.*

Confirmant secundo; nam Christus fatetur prædestinatos sibi esse datos à Patre; sed hoc verificari non potest cũ proprietate, nisi saltim prima prædestinatorum electio fuerit omninò liberalis, etiam per comparationem ad Christum: ergo electionem istam non meruit. Maior constat ex Ioanne cap. 17. illis verbis: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Quod passim alibi habetur. Minor autem probatur: quod enim propter merita retribuitur, non dicitur propriè donari: ergo nisi prima prædestinatorum electio effugiat merita Christi, non potest cum proprietate saluari prædestinatos esse Christo à Patre datos.

*Ioã. c. 17*

66 *Respondetur.*

Ad hoc argumentum respondeo, negando maiorem: vt enim constat ex dictis, tam decretum executiuũ, quam intentivum à prædestinatione importata, libertati diuinæ, & meritis Christi adscribuntur, Deo quidem vt eligenti, Christo autem vt merenti. Nec ex eo quod merita Christi vtrumque decretum attingant, tollitur libertas diuina. Nam sicut Deus liberè exequitur omnes prædestinationis effectus, quamuis Christus illos meruerit: ita etiam liberè eligere dicitur, quamuis electio meritis Christi respondeat. Et ratio est: nã necessitas exequendi, & eligendi, quæ Deo conuenit ob merita Christi, oritur ex suppositione libera Deo; meruit enim Christus, liberè applicatus ab ipso ad merendum prædestinatis prædestinationis effectus, & electionem ad illos.

67 *Ad 1. cõfirmationem.*

Ad primam confirmationem, nego maiorem: nam licet locis relatis in argumento solum fiat mentio libertatis, & gratiæ diuinæ pro ratione propositi, quo Deus prædestinatos elegit; alibi tamen huiusce modi propositum meritis Christi attribuitur, vt constat ex dictis. Nec obstat, quod gratiosum, liberaleque dicatur vt meritis Christi respondeat; non enim dicitur gratiosum, & liberale per cõparationẽ ad Christũ; sed comparatione ad nos: quia nẽpé, nullis nostris meritis præcedentibus, Deus nos ad gloriã elegit; sicut gratis nos iustificari dicimur, quia nihil eorũ, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siué opera iustificationis gratiam promerentur, vt asserit Tridentinum *sess. 6. de iustificatione cap. 8.* quo non obstante tota nostra iustificatio meritis Christi attribuitur. Nec exemplum luti, & figuli, quo vtitur Paulus doctrinæ traditæ obsistit; Paulus enim solum intẽdebat docere, ex parte nostra causam, aut rationem prædestinationis, aut diuinæ electionis non dari, quod optimè prædicto exemplo declarat non autem quod ex parte Christi ratio nostræ prædestinationis, & electionis non detur.

68 *Ad secundam.*

Ad secundam, nego minorem; vt enim constat ex Paulo *ad Philippenses 2.*

Christo

Christo donatum dicitur à Deo nomẽ, quod est supernomen; cum tamẽ Christum nomen illud per humilitatẽ, & obedientiam meruisse, doceat ibidẽ Apostolus: non ergo obstat, quod Christus electionem prædestinatorum meruerit, quominus prædestinati dicantur à Patre dati.

69 *Dices.* Si dicas, nominis celebritatem dici Christo à Patre datam, quia licet meruerit illam in executione, non tamen meruit decretum efficax intentivum illius: quod autem in radice est indebitũ, posse reddi tẽ dici datum, quamuis *proximè* causetur ex meritis. *Respond.* Respondeo, etiam in nostro casu saluari rationẽ gratiæ per exclusionem omnis debiti in radice: nam voluntas Dei, qua inspiranit Christo meritum nostræ electionis, illumque vt mereretur applicuit, fuit omninò liberalis, & ad istam voluntatem, tanquam ad primam radicem meritum Christi reducitur; & cõsequenter si quod in radice est indebitum, quamuis *proximè* debeatur, potest dici propriè donatum, poterit cum proprietate dici prædestinatos esse Christo à Patre datos, quamuis illorum prædestinationem, tam in executione, quam in prima intentione, vel electione meruerit.

70 *Secundo arguitur.* Secundo sic arguunt Prædestinatio nostra est tam gratuita, ac prædestinatio Christi; sed hæc ita est gratuita, vt nec ex Christi, nec ex alterius meritis facta sit, quoad decretum intentivum: ergo nostra, sumpta pro prima electione spectante ad ordinem intentionis, non fuit ex meritis Christi facta. Minor est Augustini *lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15.* & maior constat ex ipso in eodem loco, vbi prædestinationem Christi, ait, fuisse exemplar nostræ prædestinationis: vnde sicut illa nulla merita supponit; ita nostra ex nullis nostris meritis processit. sentit ergo Augustinus, prædestinationem nostram non esse minus gratuitam, quam prædestinatio Christi.

71 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo maiorẽ: per comparationem ad nos, concedo maiorem. per comparationem ad Christum, nego maiorem: & concessa minori, nego consequẽtiam. Nec oppositũ docuit Augustinus, qui solum intendebat probare, nos prædestinari à Deo, nõ ex nostris meritis, sed ex illius misericordia, & amore; idque deducit ab exẽplo prædestinationis Christi, quam nulla Christi merita præcesserunt. Nec ex eo quod prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar, sequitur debere quoad omnia in ratione gratiæ, & exclusione debiti adæquari, vt enim docuit D. Thomas *in hac quæst. art 3. ad 3.* fuit exemplar diuersæ rationis. vnde sicut ob hanc causam prædestinatio Christi excedit nostram in termino: nam illa ordinatur ad filiationem Dei naturalem, nostra verò ad adoptiuam; ita ob eandẽ excedit illam in modo, & in ratione gratuitæ & liberalis per hoc, quod Christi prædestinatio nulla sui merita condigna supponit nostra verò ex meritis Christi condignis processit: & sicut hæc consequentia nõ tenet: *Prædestinatio nostra est exemplata à prædestinatione Christi; sed hæc in ordine executionis non cadit sub merito condigno alicuius: ergo nec nostra, alicuius meritũ condignum in ordine executionis supponit:* ita consequentia facta quoad ordinem intentionis non valet.

72 *Tertio arguitur.* Tertio sic arguunt Id Christus præ destinatis meruit, quod à Patre postulauit; sed vt constat ex oratione Christi Ioannis 17. non petijt vt Pater illos eligeret, sed vt electionem compleret, illos à malo seruando, & dando eis vitam æternam: ergo non meruit illis primã electionem ad ordinem intentionis spectantem, sed tantum complementum, & executionem illius. *Respond.* Respondeo, veram esse maiorem quoad res distinctas ab affectu præmiantis, falsam autẽ quoad præmiantis affectum; iste namq; nõ est necessarium, quod directè postuletur vt merito correspondeat. Et quidẽ Christus postulans salutem prædestinatis, non petijt decretum executiuum æternum, & tamen in contraria sententia illud meruit: ergo vt Christus decretum intentivum meruerit, non est necessarium, quod illud prædestinatis petierit, sed sufficit illis postulasse salutẽ, & æternam saluationem, & quod actus, quo æternam salutem meruit, non processerit ex tali decreto; nam sicut oratio Christi pro æterna salute electorũ,

meruit

meruit decretum executiuum illius, quia hoc decretum non supponebat, nec procedebat ex illo, sed potius ad illud præuidebatur; ita quia, vt mox explicabimus, non processit ex decreto gloriæ intentiuo, sed fuit ad illud præuisus, meruit, non solum decretum executiuum, sed etiam electionem intentiuam ad illam.

73 Denique, & efficacius obijciunt. Meritum Christi fuit effectus electionis efficacis prædestinatorum ad gloriam pertinentis ad ordinem intentionis: ergo huiusmodi electio non fuit præmium meriti Christi. Consequentia tenet; tum, quia principium meriti non potest sub eodem merito cadere. Tum etiam, quia non ob aliam rationem iustorum merita non causant suam electionem intentiuam ad gloriã, nisi quia ex illa imperantur, & ab illa procedunt: ergo si merita Christi, quibus meruit prædestinatis salutem, processerunt ex electione efficaci illorũ ad gloriam pertinente ad ordinem intentionis; hæc electio merita Christi antevertit, nec sub illis cadere potest.

74 Antecedens autem probatur: vt enim 1. *p. quæst.* 23. ex D. Thoma docuimus; voluntas efficax medij efficaciter conducentis ad finem, necessario præsupponit efficacem finis intentionem: ex quo principio *ibi* cum frequentiori sententia deduximus, electionem prædestinatorum ad gratiam, & merita, necessario præsupponere electionem efficacem ad gloriam, liberalem, & gratuitã; sed meritum Christi est medium efficaciter conducens ad æternam prædestinatorum salutem: ergo diuina voluntas, qua Deus voluit, vt Christus mereretur salutem prædestinatis, ex amore efficaci talis salutis processit; sed voluntas Christi Domini, qua sua merita pro electis applicuit, necessario præsupponit actum voluntatis in Deo, quo voluit, vt Christus mereretur pro illis: ergo meritum Christi, quo meruit prædestinatis salutem, necessario præsupponit efficacem electionem prædestinatorum ad gloriam, pertinentem ad ordinem intẽtionis.

75 *Prima solutio.* Huic argumento variè occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Prima solutio est, medium amatum efficaciter in ordine ad finem ab actu voluntatis distinctum, necessario præsupponere efficacem finis intentionem; secus autem quando eligitur in ordine ad actum voluntatis, vt finem; & quia merita Christi à Deo eliguntur, vt media, in ordine ad electionem prædestinatorum, vt finem; fit consequens, quod non debeant talem electionem supponere, sed potius illam causare.

Hæc tamen solutio non placet, & reijcitur primo: sequitur namque ex illa orationes vnius sancti posse de lege ordinaria mereri electionem efficacem alterius ad gloriam; consequens est contra frequentiorem Theologorum sententiam 1. *parte quæst.* 23. *art.* 8. quam etiam Auctores huius solutionis tuentur, docentem, orationes vnius sancti non posse esse causam electionis alterius, nec omnium effectuum prædestinationis illius: ergo prædicta solutio sustinenda non est. Probatur sequela: ea solum ratione communis illa sententia probatur, quia oratio vnius sancti, eo ipso quod cum effectu conducat ad finem prædestinationis alterius, debet efficacem electionem illius finis supponere, ex illaque procedere: ac per consequens nequit illam mereri; sed hoc argumentum nullam efficaciam habet, si tradita solutio admittatur: ergo ex illa sequitur orationes vnius sancti posse esse causam electionis, & prædestinationis alterius. Probo minorem: meritum electionis ad gloriam non petit, in doctrina traditæ solutionis, talem electionem supponere: ergo ex eo quod oratio vnius sancti efficaciter meritoriè conducat ad electionem, vel finem electionis alterius, non sequitur, quod talẽ electionem supponat, nec quod ex illa nascatur, & consequenter poterit oratio vnius sancti efficaciter ad finem prædestinationis alterius conducere, quin ex efficaci amore talis finis præparetur, & sit effectus illius.

76 *Hæc solutio displicet primo*

Secundo reijcitur: non minus requiritur, vt finis moueat ad appositionem mediorum, esse in intentione sui, quam in sui apprehensione; sed omnis finis, siue actus voluntatis sit, siue ab actu voluntatis distinctus, petit vt moueat ad

77 *Secundo*

appo-

appositionem mediorum, in apprehen sione præcedere, quin quoad hoc aliqua differentia inter actum voluntatis, & finem ab illo distinctum intercedat: ergo omnis finis, etiam si actus volunta tis sit, petit vt moueat ad appositionem mediorum, in intentione præcedere; quin quoad hoc distinctio aliqua reperiatur inter actum voluntatis, & finem ab actu voluntatis distinctum.

78 *Secundo respondet alij.* A liorum solutio est: illud solum ef ficacem electionem ad gloriam per modum intentionis supponere, & ex illa imperari, quod proprie est gratia respectu prædestinati, vt *vocatio, iustificatio*, &c. Secus autem id, quod quamuis ad finem prædestinationis concurrit, gra tia non est respectu prædestinati; Incarnatio autem, & merita Christi Domini, non sunt proprié gratia respectu prædestinatorum; & ideò, quamuis cum effectu ad finem prædestinationis illorum conducant, necessarium non est, quod ex intentione beatitudinis illorum procedant. Hæc solutio colligitur ex doctrina Gabrielis Vazquez *vbi supra num. 37.*

79 *Reijcitur 1.* Est tamen omnino insufficiens. Primo: nam quod conducens ad finem prædestinationis, debeat illius intentionem supponere, & ex illa præparari, nō oritur ex eo quod sit, vel non sit prædestinato principium bene operandi, in quo prædictus Auctor rationem gratiæ respectu prædestinati constituit, sed ex eo quod est medium ad talem finem conducens, & consequenter petens à prudenter intendente, ex talis finis intētione eligi: ergo quod merita Christi non sint prædestinato principium bene operandi, nec in isto sensu gratia, dum tamen ad finem prædestinationis efficaciter conducant; non probat, quod ex intentione huius finis non debeant procedere, nec illam supponere.

80 *Secundo.* Secundo: nam merita prædestinati non sunt ipsi bene operandi principiū: ac proinde nec in isto sensu gratia; & tamen negari nequit, esse prædestinationis effectus ex illius fine imperatos: ergo quod merita Christi non sint prædestinato principium bene operandi, non tollit quominus ex intentione finis prædestinationis debeant præparari, & disponi, si ad illum finem conducūt. *Tertio.* Tertio: nam gratia prædestinati est idē ac beneficium illius; sed Christum prædestinatis mereri, est maximum beneficium: ergo est maxima prædestinati gratia; ac proinde ex isto capite non excluditur ab imperio intentionis efficacis finis prædestinationis, & illius suppositione.

81 *Tertia Recentio rū solutio* Tertio Recentiores quidam respondent, concesso antecedenti, negando cō sequentiam; possunt enim merita Christi esse effectus imperati ex electione efficaci prædestinatorum ad gloriam, & nihilominus illam meritorie causare mutua intercedente causalitate in diuerso genere causæ inter illam intentionē, & merita Christi Domini. Sed nec placet ista solutio, & reijcitur primo: nam principium effectiuum meriti, non potest sub merito cadere, saltim de lege ordinaria; sed intentio finis imperans electionem mediorum comparatur ad illa in genere causæ efficientis: ergo si merita Christi ex intentione gloriæ prædestinatorum fuerunt imperata, non meruerunt talem intentionem de facto. *Cōtra 1.*

82 *Secundo.* Secundo: quia non alia ratione Christus de facto suam prædestinationem nō meruit, nisi quia ex illa processit: ergo si merita Christi ex intentione gloriæ prædestinatorum fuere imperata, non meruerunt talem intentionem. Denique, omnes enim Theologi, nullo discrepante, fatentur, quod si merita iustorum ex intentione efficaci gloriæ procedunt, talis intentio, meritorum præmium non est, sed omnino gratuita, & liberalis: ergo tenentur etiam fateri, quod si merita Christi fuerunt nostræ prædestinationis effectus ex efficaci intentione gloriæ præparati, & dispositi, talis intentio non fuit meritorum Christi præmium.

83 *Quarto respondet Suarez.* Denique, vt alia omittamus, Suarez *lib. 2. de prædest. cap. 24 num. 32.* argumēto facto respondet distinguēdo duplex genus actionum, summam scilicet Dei dilectionem, generalemque affectum ad gloriam Patris in omnibus rebus quærendam, & speciales aliquas actiones orandi pro hoc, vel illo, & offerendi aliquam actionem suam pro hoc beneficio, his potius, quam illis præstando.

Qua

Qua distinctione posita docet, meritum fundatum in actionibus primi generis, non esse effectum electionis prædestinatorum ad gloriam, bene tamen meritū in alijs actionibus fundatum, ex quo solum sequitur, Christum non meruisse electionem prædestinatorum ad gloriam per actiones speciales, non verò quod illam per actus primi generis non meruerit.

84 *Huic solutioni adhæsit M Albelda*

Cui solutioni acquieuit noster Aluelda *vbi supra*, tantum dissentiens quoad id, quod docet Suarez, nimirum, actiones specialiter applicatas electis esse effectus electionis illorum ad gloriam; in quo, meo iudicio, minus consequenter procedit: nam eo ipso, quod actiones illæ non imperentur ex electione efficaci prædestinatorum ad gloriam, nō est cur electionem istam non mereantur; cum enim merita Christi sint infiniti valoris, & ad omne præmium possibile sufficientia, non est cur electio prædestinatorum ad gloriam sub ratione specialis dilectionis, illis non respondeat in præmium, si semel non imperantur ab illa. Tum maximè, nam prædicta electio efficax non se habet omnino concomitanter ad actiones Christi specialiter applicatas electis: ergo comparantur cum illis *antecedenter*, vel *consequēter*: si primum, imperat illas: si secundū, ab illis moraliter causatur: ergo tenetur dict⁹ Magister fateri, vel quod sūt prædictæ electionis effectus, vel quod sunt merita illius.

## §. V.

### *Reijcitur modus iste dicendi, & explicatur, quibus meritis Christus electionem prædestinatorum meruit.*

85 *Tertia cōclusio, et est præcedentis solutionis impugnatio. Illā probant aliqui.*

TERTIA CONCLVSIO. *Meruit Christus electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam, per actiones non indifferenter obiectas, sed specialiter applicatas pro electis.* Conclusionem istam tuentur cōtra Suarez, & alios ipsum sequutos, Vazquez, Herice, Alarcon, & alij plures. Quam probant prædicti Auctores: nam Christus specialiter pro electis orauit, vt constat ex illo Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Et additur: *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Vbi, vt constat, Christus perseuerantiā postulauit pro electis, & consequenter æternam salutem; sed meritum alicuius doni, est etiā meritum æternæ electionis ad illud: ergo meruit Christus per actiones specialiter applicatas electis, illorum electionem æternam.

86 *Ratio ista nō vrget.*

Hoc tamen argumentum non vrget; vt enim dicebamus *supra*, & multoties *Tract. de Prædestinatione* aduertimus; meritū doni creati, licet inferat meritū decreti executiui illius, nō tamen infert meritum decreti intentiui: vnde iusti, quamuis de condigno mereantur gloriam, prout in executione confertur, & consequenter mereantur decretum executiuum gloriæ, non tamen merentur electionem efficacem ad gloriam spectantem ad ordinē intentionis; sed hanc fuisse omnino liberalem, & gratuitam, meritaque anteuertisse tanquam illorū principium, cum frequentiori, veriorique sententia *loco allegato* docuimus: ergo ex eo quod Christus specialiter pro electis orauerit, illi⁹que postulauerit salutem, si nihil aliud addatur, non sequitur meruisse prædestinatis electionē efficacem intentiuam ad gloriam, sed tantum quod illis meruerit decretum gloriæ executiuum, quod contrarij Auctores non negant.

87 *Probatur primo ex Scriptura*

Aliter ergo suadenda est nostra cōclusio, primo ex illis verbis Ioannis 15. Christi ad discipulos suos: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quæ D. Thom. cū Augustino explicat de electione ad gratiam, & gloriam, & licet loco citato explicet de Christo, vt Deo, tamen *ad Ephesios* 1. *lect.* 1. explicat de Christo, vt homine, & de electione intentiua, de qua intellexerat illud Pauli: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionē*: ergo Chri-

stus

ſtus ſuis meritis prædeſtinatos elegit, & conſequenter hanc æternam electionē ſuis meritis cauſauit; ſed ſi huiuſcemodi electio tantum reſponderet meritis à Chriſto pro his, aut illis indifferenter oblatis, & non meritis ſpecialiter applicatis pro electis, improprie diceretur de ipſo, ſuis meritis prædeſtinatos elegiſſe. ergo meruit electionem prædeſtinatorum ad gloriam per actus ſpecialiter applicatos pro illis. Minor probatur: legans teſtamento centum inter aliquos diuidenda, nullo in ſpeciali deſignato, ſed deſignatione hæredibus *adæquatè* commiſſa, nō niſi nimis improprié poſſet dici, hos determinate elegiſſe, inter quos centum teſtamento legata, hæredum libera voluntate fuerunt diuiſa: ergo ſi Chriſtus ſua merita indifferenter obtulit Patri, nullum in ſpeciali ſua volū tate deſignans, ſed hoc adæquate arbitrio Patris relinquens; non niſi omnino improprie dici poteſt ſuis meritis Apoſtolos, alioſque prædeſtinatos elegiſſe.

88 *Secundo probatur*

Secundo probatur: nam ſi electio prædeſtinatorum ad gloriam, non eſſet ex meritis Chriſti ſpecialiter applicatis pro illis, ſed pro omnibus indifferenter oblatis, ſequeretur, prædeſtinatos non eſſe Chriſti affectui ſpecialiter obligatos præ reprobis; conſequens durum vi detur: ergo aſſerendum eſt, proceſsiſſe ex meritis Chriſti ſpecialiter applicatis pro electis. Patet ſequela, ſpecialis obligatio non niſi ſpeciali affectui reſpondet; ſed Chriſtus vt ſua merita offerens cum indifferentia ad omnes, erga nullū in particulari ſpecialem affectum haberet: ergo ſi electio prædeſtinatorum ad gloriam ex meritis iſto modo oblatis proceſsit, non ſunt præ reprobis prædeſtinati affectui Chriſti obligati. Quod etiā aperté cōſtat exēplo illi⁹, qui teſtamēto cētū Virgines dotandas relinquit, nullā in ſpeciali deſignādo, cuius affectui illæ, quæ inter alias ad dotem mandatam eliguntur, ſpecialiter obligatæ non ſunt, eo quod omnes, quātum eſt de ſe, indifferenter reſpexit: ergo idem eſt de electis reſpectu Chriſti dicēdum, ſi electionem prædeſtinatorum meruit per actus omnino indifferenter pro illis, & alijs oblatos.

Dices, hoc inconueniens non ſequi: nam licet electio intentiua prædeſtinatorum ad gratiam, & gloriam, ex meritis omnino indifferenter à Chriſto oblatis procedat; gratia tamen, & gloria vt in executione conferantur à Deo, & decretum illarum executiuum, merita Chriſti ſpecialiter pro electis applicata ſupponunt, ex illiſq; procedunt: ac proinde, quamuis attento primo decreto intentiuo ſpecialis obligatio prædeſtinatorum ad Chriſtum præ reprobis nō reſultet, omnibus tamen inſpectis, ſpecialis obligatio in prædeſtinatis præ reprobis reperitur.

89 *Reſpondebis.*

Sed contra: nam decretum executivum, ad intentiuum neceſſario conſequitur, & in hoc principaliſsimé negotium prædeſtinationis conſiſtit, & illorum à reprobis diſcretio; ſed inconueniens maximum eſt, vt in eo quod primo diſtinguit prædeſtinatos à reprobis, & in quo potiſsime prædeſtinationis negotium conſiſtit, prædeſtinati non ſint præ reprobis Chriſto obligati: ergo nō ſolum decretum executiuum, ſed etiam decretum intentiuum gratiæ, & gloriæ merita Chriſti ſpecialiter applicata ſupposuit, & ex illis proceſsit.

90 *Contra.*

Reſpondebis primo, hoc inconueniens non eſſe, quia nō potuit aliter euenire, eo quod merita Chriſti vt ſpecialiter applicata, neceſſario præſupponunt ſpecialem efficacem prædeſtinatorum amorem, & illorum electionem efficacem ad gloriam ſpectantem ad ordinē intentionis, atque adeo non potuit illa ſupponere, nec illorum præmium eſſe. Vel ſecundo reſpondebis, hoc inconueniens fore, ſi alia maiora ex oppoſito non ſequerentur, nempe voluntatem Chriſti humanam præcipuas vices in negotio noſtræ prædeſtinationis geſiſſe, illāque voluntatē diuinam in hoc negotio expectaſſe; & prædeſtinatos præ reprobis Dei affectui obſtrictos nō fuiſſe, quæ ex oppoſita ſententia ſequuntur: vt ergo hæc inconuenientia vitentur, aſſerendum eſt, electionem intentiuam prædeſtinatorum ad gloriam, nō ſuppoſuiſſe merita Chriſti ſpecialiter applicata pro electis, nec ex illis proceſsiſſe.

91 *Reſpondebis 1.*

*Reſpondebis 2.*

Sed neutra ex his ſolutionibus argu

92

mento

*Prima solutio reijcitur.*

mento nostro satisfacit: non prima, non enim est necessarium, quod merita Christi Domini, vt specialiter applicata pro electis, electionem efficacem illorum ad gloriam supponant, nec quod ex illa procedant: ergo ex hac necessitate non vitatur inconueniens. Antecedens ostenditur primo. merita Christi Domini, vt applicata pro aliquibus *vagè*, nō supponunt necessario electionem efficacem aliquorum *vagè* ad gloriam; aliàs prius Deus aliquos *vagè* efficaciter elegisset, deinde merita Christi succederent vt applicata communiter; ac tandem specialis istorum electio, qui de facto electi sunt, quod nullus, quē ego viderim, docuit: ergo pariter vt specialiter applicata pro electis determinate, non est necessarium, quod illorum electionem in speciali supponant. Patet consequentia à paritate rationis; si namque generalis meritorum Christi applicatio pro aliquibus *vagè* eligendis, non supponit electionem aliquorum *vagè*, non est cur specialis applicatio meritorum Christi pro istis determinate eligendis, electionem horū in speciali debeat supponere.

*Antecedens probatur 1.*

93 *Secundo probatur antecedens.*

Secundo probatur antecedens à priori: licet enim voluntas conducētis ad aliud per modum medij ad finem, illius amorem, intentionemque efficacē necessario debeat supponere; voluntas autem conducentis efficaciter, non per modum medij ad finem, sed per modū causæ ad effectum, non petit effectus amorem, vel intentionem supponere, nec ex hac intentione oriri; sed merita Christi Domini vt specialiter applicata pro electis, non conducunt ad illorum salutem, vt media respectu finis, sed per modum causæ ad effectum: ergo non petunt efficacem intentionem salutis electorum præsupponere, vt amentur efficaciter, nec ex tali intentione procedere. Illatio est in forma; maior constat: nam solum id, quod ratione alteri⁹ amatur, petit illius amorem, intentionemque supponere, & ex tali amore procedere. solum autem id, quod vt medium assumitur, ratione alterius amatur: nam finis est ratio eligendi media, effectus autem ratio amandi causam, vt causam non est: ergo solum id, quod assumitur vt medium, petit vt efficaciter ametur, efficacem finis intentionem supponere.

Minor autem probatur: nā id, quod perfectius est, vel non potest ad imperfectius vt medium ad finem ordinari, vel saltim iuxta communem prouidendi modum non assumitur vt mediū; sed merita Christi Domini, siue in generali, siue in speciali applicata, infinite gloriam hominum excedunt: ergo vel nō potuerunt à Deo ordinari vt media ad salutem nostram vt finem; vel vt sic ordinata non fuerunt; cum de diuinis decretis loquendum sit iuxta communē, & connaturalem modum prouidentiæ, nisi oppositum sit reuelatum, quod in præsenti non contingit. 94

Deinde secunda solutio reijcitur: nam ex eo quod decretum executiuum gloriæ prædestinatorum merita vt specialiter applicata supponat, & ex illorū preuisione procedat, non sequitur in ordine ad illud voluntatem Christi humanam præcipuas vices præ diuina gessisse, nec quod prædestinati Christo vt homini merenti, magis quam Deo decernenti sint obligati: ergo nullum ex his inconuenientibus sequitur ex eo quod decretum gloriæ intentiuum merita Christi vt specialiter applicata supponat. Quod vero Deus in eligendo, merita Christi expectauerit, nullum inconueniens est, vt in eodem exemplo decreti executiui conspicitur, in quo Deus merita expectauit absque vllo inconuenienti. 95 *Secunda solutio reijcitur.*

Dices, esse disparem rationem: nam decretum executiuum supponit intentiuum omnino liberale, & gratuitum, & ex illo originatur: vnde quamuis *formaliter* sit meritis Christi debitum; *originaliter* in beneplacitum diuinæ voluntatis adæquatè resoluitur, ac proinde nostræ prædestinationis negotium principalius diuinæ voluntati attribuitur. Si tamen primum decretum intentiuum meritis Christi imitatur, Deusque præsupponatur ad illud obligatus, totum nostræ prædestinationis negotium in humanam Christi voluntatem reducitur; & consequenter magis Christo vt homini, quam Deo erunt electi obligati. 96 *Respondebis.*

Sed

97 *Cõtra 1.*

Sed contra primo: ex eo quod decretum exequens, formaliter meritis Christi innitatur, non sequitur, quod in illo considerato formaliter, & in executione prædestinationis, sumpta formaliter, voluntas humana Christi præcipuas vices obtineat, nec quod electi sint magis Christo vt homini, quã Deo obligati in prædestinatione sumpta *exercitè*: ergo pariter quamuis prædestinatio, prout in ordine intentionis, innitatur meritis Christi, non sequitur prædestinatos esse magis Christo vt homini obligatos, quam Deo, nec quod Christus, vt homo, in ordine ad illam præcipuas vices obtineat.

98 *Contra secundo.*

Contra secundo. Etiam si primum decretum electiuum prædestinatorum ad gloriam debeatur meritis Christi, vt specialiter applicatis, manet tamen in radice omnino liberale, & gratuitum, & adæquate ex beneplacito diuinæ voluntatis dependens: ergo si ob istam rationem debitum decreti exequentis, non infert, voluntatem Christi humanam præcipuas gerere vices, etiam in ordine ad illud, nec maiorem prædestinatorum obligationem ad Christum vt hominẽ, quam ad Deum, ob eandem ex debito decreti intentiui respectu meritorum Christi, neutrum inconueniens sequetur. Probo antecedens, quod decretum intentiuum meritis Christi debeatur, oritur proxime ex voluntate humana Christi liberé applicãtis sua merita pro electis; sed hæc voluntas necessario supponit voluntatem Dei, qua velit, Christum sua merita ad eligendos specialiter dirigere, omnino liberalem, & gratuitã, & adæquaté ex beneplacito diuinæ voluntatis pendentem: ergo etiam si primum decretum electiuum prædestinatorum ad gloriam meritis Christi debeatur, vt specialiter applicatis pro electis, manet tamen in radice, omnino liberale, & gratuitum, & adæquate ex beneplacito diuinæ voluntatis dependens.

99 *Denique probatur cõclusio.*

Denique suadetur conclusio. Vt electio prædestinatorum, sub ratione dilectionis, sit præmium meritorum Christi, debet necessario supponi applicatio meritorum specialiter pro illis; sed vt fatetur Suarez, electio sub ratione dilectionis fuit præmium meritorum Christi: ergo fateri tenetur præsupponi ad electionem applicationem specialem meritorum Christi pro electis. Consecutio est bona. Minor cõstat ex solutione Suarez. Maior autẽ sic probatur: vt electio ad gloriam sit præmium, necessum est, quod meritis Christi debeatur; sed non debetur præmiũ aliquod meritis Christi, nisi ad illud promerendum merita ab ipso applicentur: ergo vt electio prædestinatorum ad gloriam sit præmium meritorum Christi, debet necessario supponi specialis applicatio meritorũ pro electis. Probatur minor: etenim merita Christi fuerunt de se sufficientia ad Incarnationem Patris vt præmiũ, & ad gratiam, & gloriam Dæmonib⁹ promerendam; & tamen de facto non fuerunt debita illis, eo quod ad illa promerenda non fuerunt merita Christi applicata: ergo vt electio prædestinatorum sit debita Christi meritis, debent præsupponi merita specialiter applicata pro electis.

100 *Respondebis 1.*

Respondebis primo, electionẽ prædestinatorũ cõsiderari posse dupliciter, nẽpé, vt dilectio aliquorũ *vagè*, & *indeterminatè*, & vt dilectio specialiter istorũ. Primo modo est debita meritis Christi, sec⁹ autẽ secũdo modo, sed vt sic *adæquatè* ex beneplacito diuinæ voluntatis dependet; ac proinde necessariũ nõ est, quod ad illam supponatur applicatio meritorum Christi determinate pro illis, qui electi sunt.

*Contra.*

Sed contra: nam si electio sub ratione dilectionis aliquorum hominum *vagè*, fuit debita Christi meritis: ergo ad illam supponuntur per voluntatem Christi applicata pro aliquibus *vagè*; & tamẽ applicatio meritorum pro aliquibus, non supposuit dilectionem efficacem aliquorum *indeterminatè*; aliàs illam non mererentur: ergo pariter applicatio eorundem meritorum pro electione istorum *determinatè*, non debet supponere determinatam, & specialem dilectionẽ illorum, nec ex illa petit procedere; & consequenter præcessit applicatio, non solum pro eligendis in confuso, sed pro his *determinatè* eligendis.

101 *Respondebis 2.*

Respondebis secundo: merita Christi non præsupponi applicata, nec pro his *determinatè*, nec pro aliquibus *vagè*,

vt efficaciter eligendis ad gloriam, ſed quoad ſufficientiam pro omnibus, & in tuitu meritorum Chriſti vt ſic, Deus hos præ alijs elegit. Sed contra: ex vi meritorum Chriſti ratione applicationis quoad ſufficientiam pro omnibus, nulli hominum debetur efficax electio ad gloriam ſiué efficax dilectio; ſed vt dilectio efficax ſit præmium meritorũ Chriſti, petitur quod illis debeatur: ergo nequit eſſe præmium illorum, ſi tantum applicata pro omnibus quoad ſufficientiam præcedant. Minor conſtat: nam de ratione præmij eſt, quod meritis debeatur: ergo vel dilectio efficax, præmium meritorum Chriſti non eſt, vel meritis Chriſti debetur. Maior autem probatur: nam id, quod poteſt ſine alicuius iniuria negari, illius meritis non debetur; ſed ſuppoſita tantum applicatione meritorum Chriſti quoad ſufficientiam pro omnibus, poſſet abſque iniuria Chriſti nullus efficaciter eligi: ergo ex vi applicationis meritorum Chriſti quoad ſufficientiam pro omnibus, nulli hominum debetur efficax electio, aut dilectio.

*Contra.*

## §. VI.

### *Vera ſolutio vltimi argumenti traditur, & alijs argumentis occurritur.*

102 *Vera vltimi argumenti ſolutio.*

HIs ergo ſolutionibus relictis, ad vltimum argumentum contra ſecundam concluſionem factum, reſpondeo, negando antecedens: ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem: nam licet merita Chriſti efficaciter conducant ad æternam prædeſtinatorum ſalutem, non tamen conducunt vt media ex illius amore electa, ſed vt cauſæ ſpecialem electionem ſalutis æternæ inferẽtes, non autem omne efficaciter cõducens ad aliud, debet illius amorem ſupponere, & ex illius intentione imperari, ſed tantum, quod vt medium aſſumitur; cum enim medium ratione finis ametur, ſicut cõcluſio ratione præmiſſarum cognoſcitur, debet vt efficaciter eligatur, amorem efficacem finis ſupponere, & imperari ex illius intentione, ſicut concluſio, quia ratione principiorum cognoſcitur, vt certo cognoſcatur, debet certam principiorum cognitionem ſupponere, & vt euidens ſit concluſionis cognitio, debet euidens cognitio principiorũ præſupponi: cauſa autem, etſi in ordine ad effectum ametur, nõ tamen amatur ratione effectus; & ideò illius amorem nõn ſupponit, ſed infert. Contra quam ſolutionem aliqua obſtant, quæ poſtea commodius diluentur.

Deinde contra tertiam concluſionem arguitur primo: nam *Ioannis* 17. fatetur Chriſtus prædeſtinatos eſſe ſibi à Patre datos; ſed ſi Chriſtus ſpeciali applicatione meritorũ, illorum primam electionem meruiſſet, non poſſent dici dati: ergo non meruit ſpeciali applicatione electionem prædeſtinatorum determinaté. Patet minor: nam quod ex iuſtitia confertur, taliter, quod nequeat negari, proprié dici datum non poteſt; ſed ſi Chriſtus ſua merita ſpecialiter applicuiſſet pro his determinaté eligẽdis, non poſſet Deus non eligere illos: ergo non poſſent proprié dici dati à Deo.

103 *Cõtra 3. concluſionem arg. primo.*

Reſpondeo, prædeſtinatos dici datos à Deo, & etiam electos à Chriſto, & vtrumque rectè componitur: nam licet, quod ex iuſtitia confertur, abſque liberalitate, & gratia in radice, nequeat dici proprié datum; id tamen, quod *proximè* ex iuſtitia confertur, & *gratiosè radicaliter*, dici poteſt proprié datum, vt de exaltatione nominis Chriſti *ſuperius* ponderabamus: & quia ita in electione prædeſtinatorum contingit, vt conſtat ex dictis, ideò quamuis merita vt ſpecialiter applicata pro eligendis ſupponat, & ex vi illorum debeatur, poſſunt nihilominus electi dici Chriſto à Deo dati.

104 *Reſpondetur.*

Secundo arguitur. nam Chriſtus nõ ſolum meruit prædeſtinationem hominibus futuris poſt ipſum, ſed etiam Antiquis PP. ſed his non meruit ſpecialem dilectionẽ per actiones ſpecialiter ap-

105 *Secundo arguitur.*

plica-

plicatas pro illis: ergo nec alijs electis. Probatur minor: nã specialis actio pro PP. Antiquis esset oratio, qua Christus illis postulasset gratiam, vel gratiarum actio pro gratia illis ante Christum collata; neutrum dici potest: ergo non meruit Antiquis PP. specialem dilectionẽ per actiones pro illis specialiter applicatas.

*Minor pro 1. parte probatur.*

Minor pro prima parte probatur: nam oratio est doni non dati, sed conferendi; sed gratia supponitur Antiquis PP. data: ergo Christus illam per orationem non meruit. Pro secunda parte etiam probatur: nam actio essentialiter aliud supponens, non potest esse meritoria illius; sed gratiarum actio pro aliquo beneficio, beneficium factum essentialiter supponit: ergo nequit mereri beneficium, pro quo fit.

*Pro secunda.*

106 *Solutio P. Vazquez.*

Propter hoc argumẽtum Vazquez excipiendos censet PP. Antiquæ legis à merito Christi specialiter applicato pro illis, & doctrinam conclusionis nostræ limitandam existimat ad illos prædestinatos, qui post Christum successerunt.

*Si illi opponatur.*

Quod si illi obijciatur, posse Christũ præuideri, vt specialiter gratias agentẽ pro gratia Antiquis PP. data præ alijs, quibus data non fuit; sed intuitu istius actionis potuit Deus ab æterno illos eligere ad gratiam: ergo respectu Antiquorum PP. etiam specialis meritorum Christi applicatio præcessit. Respõdet, negando maiorem: non quia gratiarum actio non possit esse meritum beneficij, pro quo fit; sed quia ad hoc necessarium erat præuideri Christum gratias agentem pro gratia collata Iacob, & nõ agentem gratias pro eodem beneficio, si daretur Esau; hoc autem præuideri nõ potuit: nam cum æqualis bonitas esset in collatione gratiæ Esau, quæ fuit in collatione gratiæ Iacob, non potuit Christus præuideri gratias agens pro beneficio facto Iacob, & non acturus easdem pro simili beneficio, si fieret Esau, & ideò per gratiarum actionem non potuit mereri electionem ad gratiam istorum determinatè.

*Respõd.*

107 *Reijcitur ex ipsius principijs.*

Hæc tamen ratio differentiæ, non potest in principijs istius Auctoris subsistere: nam collatio gratiæ Petro v. c. in futurum specialiter fuit grata voluntati Christi Domini, siquidem specialiter creuit pro illo: ergo potuit præuideri vt specialiter grata voluntati humanæ Christi collatio gratiæ præterita facta Iacob v. c. & ex tali specialitate moueri Dei voluntas ad gratiam Iacob conferendam præ Esau. Patet consequentia: si namque licet in collatione gratiæ futuræ, Petro v. g. non sit aliqua specialis bonitas, quæ non foret in gratia conferenda Iudæ potuit Christo gratia cõferenda Petro esse specialiter grata, terminareque affectum Christi specialem, cur etiam, simili æqualitate non obstante in gratia huic collata, & alteri conferibili, non potuit specialis in voluntate Christi affectus præuideri?

*Auctoris principijs.*

108 *Secundo respõdet quidam Recentiores.*

Secundo aliqui Recentiores respondẽt, negando maiorem. Ad cuius probationem negant minorem pro prima parte: nã licet oratio nequeat fieri prudenter pro beneficio iam facto, si decretatum sit fieri independẽter ab alterius oratione: si tamen præuidetur decretatum à Deo vt factum dependenter ab oratione post beneficium factum fundenda, prudenter potest pro tali beneficio, tametsi iam facto, orari; & quia Christus probé nouit decretum voluntatis diuinæ de gratia Antiquis PP. danda dependenter ab oratione Christi futura, etsi talis gratia iam collata supponeretur, potuit Christus Deum Patrem pro illo beneficio orare.

109 *Displicet primo.*

Sed non placet hæc solutio, & reijcitur primo: nam oratio prout hic sumitur, idem est, quod postulatio; sed non potest postulari, quod est antecedenter collatum: ergo non potuit Deus decernere gratiam Antiquis PP. dare dependenter ab oratione Christi futura post gratiam PP. datam. Minor probatur: nam vel postulatio esset vt res iam collata detur, vel vt iam collata sit. Non primum: nam collata supponitur, nec est iterum conferenda. Nec secundum, tum, quia esset postulatio omninò impertinens: cum gratia supponatur iam collata: tum etiam, quia sic orare, *peto, vt collatum sit beneficium, quod mihi, aut alij fecisti*, est modus inauditus orandi. Tum denique: nam oratio sumpta pro postulatione, est indigentis illius doni,

quod petitur, vel in ſe, vel in illo, pro quo petit, & conſequenter illo dono carentis; præſuppoſito autem dono vt exhibito in re, non datur talis doni carentia: ergo donum antecedenter collatũ, non poteſt ab aliquo poſtulari.

110 *Secundo.* Secundo reijcitur & explicatur magis hoc ipſum: poſtulatio non minus eſt rei futuræ, quam deſiderium boni futuri, & non habiti; ſed implicat Deum decernere donum aliquod conferre dependenter à deſiderio futuro poſt exhibitionem doni: ergo implicat Deum decernere donum aliquod conferre dependenter à poſtulatione futura poſt executionem doni; & conſequenter nõ potuit Deus decernere, dare Antiquis PP. gratiam intuitu orationis Chriſti futuræ.

111 *Oppones.* Sed dices, homo petens gratiam à Deo, etiam petit vt gratiam conferre decernat; & tamen decretum Dei eſt æternum, & oratio in tempore incipiens: ergo antecedenter exiſtens poteſt eſſe poſtulationis obiectum; & conſequenter, quamuis gratia ſit Antiquis PP. data multo ante orationem Chriſti, poteſt poſtulari ab ipſo.

112 *Reſpond.* Reſpondeo, negando maiorem: eſſet enim ſtulta petitio, ſed poſtulatio, Deo ab hominibus facta, *directè* ſolum tendit ad bonum poſtulatum ab ipſis; Deus autem ab æterno præuidẽs hominum orationem futuram, intuitu illius decreuit bonum poſtulatum in tempore illis conferre. Et inſto argumentum in deſiderio, quo deſideramus bonum conferendum à Deo; & in actu, quo ſperamus aliquid à Deo obtinere: quamuis enim vt Deus tale bonum conferat, neceſſarium ſit, quod illud conferre decernat; ſperans autem, vel deſiderans bonum ſibi à Deo conferri, non ſperat, nec deſiderat æternum Dei decretum, ſed bonum obtinendum ab ipſo; Deus autem ab æterno ſpem, aut deſiderium præuidens, illud conferre decreuit propter ſpem, aut deſiderium: ergo pariter, petens aliquod bonum à Deo non petit æternum Dei decretum.

113 *Vera ſecundi argumenti ſolutio.* Vnde, prætermiſsis his ſolutionibus, ad argumentum reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, nego maiorem; non enim eſt diuiſio adæquata, ſed poteſt meritum ſpecialiter ad alterum dirigi per voluntatem illi donum aliquod merendi, volendi ſe dignum facere doni alij conferendi, vel collati, abſque eo quod poſt talis doni exhibitionem gratias reddat pro illa: vnde Chriſtus per actus charitatis, obedientiæ, & humilitatis, quos in hac vita exercuit, non ſolum meruit hominibus poſt ipſum futuris, ſed etiam Antiquis Patribus, eo quod illos actus exercebat ex intentione pro illis omnibus merendi. Pro quo videantur, quæ *Tractatu de Merito Chriſti* docuimus.

114 *Inſtatur argumentum.* Et quidem hoc argumentum habet manifeſtam inſtantiam in ſententia Suarez: licet namque ſpecialem meritorum Chriſti applicationem neget pro priori ad decretum intentivum; non tamen illam negat ante executivum prædeſtinationis decretum: ergo vel præceſsit ſpecialis meritorum Chriſti applicatio ante decretum executivum gratiæ Antiquis Patribus datæ, vel non? Si primum, tenetur argumentum factum ſoluere, & explicare, per quem actum ſua merita ſpecialiter applicuit, an per orationem, vel per gratiarum actionem, & quidquid dixerit pro ſui argumenti ſolutione, ſufficiet in ordine ad decretum intentivum. Si ſecundum: ergo ex eo quod Chriſtus non obtinuerit decretum executivum gratiæ Antiquis Patribus datæ per ſpecialem meritorum applicationem pro illis, non ſequitur, idem eſſe dicendum de hominibus poſt Chriſtum futuris; & conſequenter nec in ordine ad decretum intentivum ſimilis conſequentia valebit.

115 *Tertio arguitur.* Tertio arguitur: nam ſequitur ex noſtra ſententia, in negotio prædeſtinationis, voluntatem diuinam expectaſſe voluntatem Chriſti humanam, & illi ſe conformaſſe, non é contra, voluntas humana, diuinæ; ſed hoc inconueniens maximum eſt: ergo negare debemus, electionem intentiuam prædeſtinatorum ad gloriam ſuppoſuiſſe ſpecialem meritorum Chriſti applicationem. Sequela patet: nam iuxta

noſtram

nostram sententiam, Deus illos elegit, pro quibus Christus sua merita specialiter applicuit; non autem Christus sua merita specialiter applicuit pro illis, quos Deus elegit: ergo in negotio nostræ prædestinationis, voluntas diuina expectauit voluntatem Christi humanam, & illi se conformauit, non autem voluntas humana diuinæ.

116 *Respondetur. Volũtas diuina in eligendis hominibus, liberè expectauit voluntatẽ humanã Christi.*

Respondeo, concedendo sequelam pro prima, & secunda parte, negando vero pro tertia, & negando minorem: nam licet inconueniens esset, quod Deus necessario expectasset voluntatem Christi humanam, & illi se conformasset, quoad decretum electivum spectans ad ordinem intentionis; quod autem non necessario, sed liberé voluntas diuina expectauerit humanam, & illi se conformauerit in eligendis hominibus, nullum inconueniens est, imo maximé conueniens, vt Christo tot labores, & ærumnas pro hominibus passuro, optio daretur in illorum electione, non quoad negatiuum, quod in electione inuenitur, sed tantum quoad positivum, & quoad hoc illius expectaretur voluntas. Et quidem Deum in decreto executiuo effectuum prædestinationis, necessario expectare voluntatẽ Christi humanam, & illi se conformare, inconueniens maximum esset: quod tamen, non necessario, sed liberé, & voluntarié in huiusmodi decreto, voluntatem Christi expectauerit, & illi se conformauerit, nullum inconueniens censetur: pariter ergo in præsenti.

117 *Volũtas tamen Christi Dei volũtati se cõformauit.*

Non tamen ex hoc colligitur, quod voluntas Christi humana non se conformauerit cum voluntate diuina: nam quod Christus pro his hominibus eligendis sua merita specialiter applicuerit, fuit præuolitum à voluntate diuina inspirante Christo huiusmodi specialem directionem, & ad illam eius voluntatem humanam applicante, & præmouente: ac proinde voluntas humana Christi in volendo pro his eligendis sua merita applicare, se conformauit diuinæ; & tandem totum nostræ prædestinationis negotium, in diuinam voluntatem omnino gratuitam, & liberalem, vt in primam radicem resoluitur.

Sed contra istam solutionem obstat quartum argumentum: nam iuxta illam, ideò Christus sua merita pro his eligendis specialiter applicat, quia Deus vult meritorum Christi specialem applicationem; sed volitio diuinæ specialis applicationis meritorum Christi pro electis, supponit efficacem electionẽ illorum, & ex illa imperatur: ergo applicatio meritorum Christi pro his qui efficaciter fuerunt electi, illorum efficacem electionem supponit, & ex illa imperatur: ac proinde merita Christi vt specialiter applicata, electionem non merentur. Secunda consequentia ex prima euidenter infertur; prima ex præmissis: maior est doctrina traditæ solutionis.

118 *Quarto arg. et est replica cõtra dictã solutionem.*

Minor autem, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo: volitio Dei, qua vult specialem meritorum Christi applicationem pro eligendis ad gloriam, est specialis amor Dei respectu illorum, qui ad gloriam sunt eligendi; sed non est primus amor specialis prædestinatorum; aliàs in illo prima prædestinatorum à reprobis discretio consisteret, cuius contrarium est communis Theologorum sententia asserentium primam discretionem, vel in electione ad gratiam, vel in electione ad gloriam consistere: ergo supponit alium specialem amorem, qui alius esse non potest, quam efficax prædestinatorum electio.

119 *Minor probatur primo.*

Secundo. nam volitio efficax medij efficaciter conducentis ad finem, supponit efficacem finis intentionem, & ex illa imperatur, vt omnes Thomistæ docent, quibus assentiunt Scotistæ, & frequentius alij Theologi; sed amor specialis applicationis meritorũ Christi pro electis, est volitio efficax medij efficaciter conducentis ad illorum gloriam: ergo supponit efficacem electionem prædestinatorum ad gloriam, & ex illa imperatur.

120 *Secundo.*

Tertio: actus quo Deus vult iustum sibi gloriam mereri, supponit in Deo efficacem electionem intentiuam ad gloriam, & ex illa imperatur, quia est amor alicuius rei efficaciter conducentis ad gloriam illius; sed actus, quo Deus vult Christum sua merita specia-

121 *Tertio.*

liter applicare pro eligendis ad gloriam, eſt volitio rei efficaciter conducentis ad gloriam, & æternam prædeſtinatorum ſalutem: ergo ſupponit in Deo efficacem illorum electionem ad gloriam.

122 *Reſpõd.* Hoc eſt argumentum, cui potiſsimé contraria ſententia hæret, & merito; eſt enim abſque dubio difficile. Ad illud reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem.

*Ad 1. probationẽ minoris.* Ad primam illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem; eſt enim actus ille, quo Deus vult, vt Chriſtus mereatur prædeſtinandis gloriam, amor ſpecialis illorum, abſque dubio; cum illis per talem actum velit Deus merita Chriſti, vt ſpecialiter applicata in ordine ad æternam ſalutem, quod bonum non amat reprobis; ſed non eſt amor ſpecialis ſecundus, ſed primus; non enim alium ſpecialem amorem, ex quo imperetur ſupponit; & conſequenter primo diſcernit *extrinſecè* prædeſtinatos à reprobis; cum autem Theologi dicunt, primum actum voluntatis diuinæ diſcernentem prædeſtinatos à reprobis, conſiſtere in electione illorum, vel ad gratiam, vel ad gloriam, loquuntur de primo actu terminato ad obiectum intrinſecé inter illos diſcernens, & ſic vera eſt Theologorum doctrina: nam applicatio meritorum Chriſti volita per iſtũ actum, non eſt bonum prædeſtinandis intrinſecum, ſed extrinſecum; gratia autem, & gloria volitæ à Deo prædeſtinatis, ſunt bona prædeſtinatis intrinſeca: vnde non obſtante, quod actus, quo Deus vult prædeſtinandis applicationem meritorum Chriſti ſpecialem, ſit illorum amor ſpecialis, & primus, ſaluatur communis illa Theologorum doctrina.

*Cuidam obiectioni occurritur.* Nec ſequitur, ex vi illi⁹ amoris ſpecialis, eſſe iam à Deo prædeſtinatos *formaliter*, ſed tantũ *cauſaliter*, *virtualiter*, & in radice, eo quod in illo actu, vt in cauſa infallibili continetur prædeſtinandorũ electio, per quam eliguntur *formaliter*, & *originaliter* per imperium tranſmittuntur ad gloriam, in qua imperij tranſmiſsione *formaliter* conſiſtit prædeſtinatio.

123 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam minoris probationem reſpondeo ex dictis ad vltimum argumentum contra ſecundam concluſionem, conceſſa maiori, negando minorem: nam licet ſit amor cauſæ efficaciter conducentis ad prædeſtinandorum ſalutem vt effectum; non tamen eſt amor medij efficaciter conducentis ad illam, vt ad finem *cuius gratia*; licet autem voluntas efficax medij efficaciter conducentis ad finem, ſupponat efficacem finis intentionem, amor efficax cauſæ efficaciter conducentis ad aliud vt effectum, illius intentionem efficacem non petit ſupponere, vt ex dictis habetur.

124 *Ad tertiã* Et ex his ad tertiam minoris probationem, diſtinguo cauſalem maioris: quia eſt amor rei conducentis ad gloriam vt finem *cuius gratia*, concedo maiorem: quia eſt amor rei conducentis tantum vt cauſa, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam merita noſtra amantur à Deo vt media in ordine ad gloriam vt finem; amor autem efficax medij, efficacem finis intentionem petit ſupponere; merita verò Chriſti etiã vt ſpecialiter applicata pro eligendis ad gloriam, non amantur à Deo vt media in ordine ad illorum gloriam vt finem, ſed vt cauſæ efficaciter conducentes ad gloriam vt effectum; & ideò quamuis talis amor ſit virtualis amor gloriæ prædeſtinatorum, non ſupponit efficacem gloriæ intentionem, quia cauſa, etſi ametur in ordine ad effectũ, non amatur ratione effectus, & ideo non indiget vt ametur efficaciter, vt efficaciter ad effectum conducens, præuio amore efficaci effectus.

125 *Replicabis primo.* Sed inſtabis adverſus iſtam ſolutionem primo: Deus vult ſpecialem meritorum Chriſti applicationem propter aliquem finem efficaciter ab ipſo intentum, & quod ſit bonum reſpectu prædeſtinatorum; ſed non propter alium, quã propter illorum gloriã: ergo vult Deus prædictam applicationem propter gloriam prædeſtinatorum, vt propter finẽ efficaciter intentum; & conſequenter volitio Dei applicationis ſpecialis meritorum Chriſti pro eligendis, ſupponit efficacem electionem illorum ad gloriam.

Secundo.

Secundo: quia nulla est ratio, cur merita nostra à Deo amentur, vt media propter gloriam vt finem, & merita Christi amentur, non vt media, sed vt causæ: ergo si merita nostra amantur à Deo vt media propter gloriam tanquã finem, etiam merita Christi amantur à Deo, tanquam media propter gloriam electorum vt finem.

126 *Ad 1. replicã respõdetur.*

Respondeo ad primam instantiam, concessa maiori, negando minorẽ. amãtur enim merita Christi propter se, & propter Christum, quæ sunt bona prædestinatis extrinseca; propter gloriam autem illorum non amantur, vt propter finem *cuius gratia*, sed vt propter finem *effectum*, cuius intentio non præexigitur ad amorem efficacem efficaciter conducentis ad ipsum. Ad secundam, nego antecedens; disparitas autem est: nam merita Christi ratione coniunctionis ad Verbum, infinitè excedunt omne, quod prædestinatis confertur. id autem, quod perfectius est, vel ordinari non potest ad sibi inferius, vt finem, vel saltim iuxta connaturalem modum prouidendi, ad illud vt finẽ non ordinatur, quæ ratio in meritis nostris respectu gloriæ non militat; & ideò à Deo amantur in ordine ad gloriam vt finem; merita verò Christi non sic amantur à Deo in ordine ad gloriam hominum, sed tanquam causæ in ordine ad illam vt effectum.

*Ad secundam.*

127 *Instabis primo.*

Sed vrgebis adhuc primo: non minus excedit Incarnatio libertatem hominis à peccato, quam merita Christi gloriã; sed Incarnatio fuit volita à Deo vt medium propter libertatem hominis à peccato vt finem: ergo excessus meritorum Christi respectu gloriæ nõ obstat, quominus fuerint volita, & amata à Deo vt media in ordine ad gloriam vt finem. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur ex illis verbis Symboli: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, &c.* at ly *propter*, si prese accipiatur vt debet, denotat causam finalem: ergo Incarnatio fuit à Deo volita vt medium propter salutem nostram vt finem.

128 *Secundo.*

Secundo: si excessus obstat ordinationi ad inferius tanquam medium ad finem, etiam obstabit æqualitas, vt æquale ad sibi æquale sic ordinetur; sed æqualitas non obstat: ergo nec obstat excessus; & consequenter merita Christi nõ obstante, quod gloriam excedant, fuerunt volita à Deo in ordine ad illam, tanquam medium propter finem. Maior constat; tùm, quia à natura sicut excedens non ordinatur ad sibi inferius vt finem, ita nec æquale ad sibi æquale: tùm etiam, quia finis vt finis, non solum adæquat, sed etiam excedit medium: ergo si obstat excessus quominus à Deo, excedens ad inferius, vt ad finem *cuius gratia* ordinetur, obstabit etiam æqualitas.

Minor autem probatur: opera bona iustorum vt gratia, & charitate informata, adæquant gloriam in morali æstimatione; siquidem sunt merita condigna illius; meritum autem condignum petit adæquare præmium in morali æstimatione; & tamen per nos ordinãtur ad gloriam, & propter illam amantur, tanquam media propter finem: ergo æqualitas non obstat ordinationi æqualis ad sibi æquale per modum medij ad finem.

129 *Ad 1. instantiam resp. 1.*

*Incarnatio nõ fuit volita à Deo propter hominũ salutẽ, vt finẽ* cuius gratia.

Respondeo ad primam replicam primo, concessa maiori, negando minorem; vt enim probabilius censuimus *supra q. 1. art. 3.* Incarnatio nõ fuit à Deo volita propter nostram redẽptionem, & salutem vt finem *cuius gratia*, sed vt finem *effectum*, Incarnatione ipsa vt fine *cuius gratia* nostram causante salutem. Nec obstat particula *propter*: nam quãdo cadit supra rem perfectiorem in ordine ad sibi inferius, cum limitatione est intelligenda, ita vt non denotet finem *cuius gratia*, qui proprié, & *simpliciter* est finis, sed *finem effectum*, qui est finis *secundum quid*, sicut docet Divus Thomas *in primo distinctione 37 quæst. 4. articulo primo ad secundum. In secundo distinct. 1. quæst. 1. art. 3. in corpore. Et distinct. 15. quæst. 1. art. 6.* Lunam, & Stellas esse propter noctuas, & vespertiliones, non vt finem *cuius gratia*; sic enim inconueniens est, teste Diuo Thoma *ibi* perfectius ordinari ad imperfectius, sed vt *finem effectum*, vel *cui*, vel *vtilitatis*.

130 *Secundo respond.*

Secundo respondeo, concessa maiori, & prætermissa minori, distinguendo

conſequens: non obſtat vt de facto ſint volita vt media, nego conſequentiam: vt poſsint amari vt media in ordine ad ſalutem noſtram vt finem, tranſeat conſequens: itaq; iuxta hanc ſolutionē, poteſt perfectius ad imperfectius, vt ad finem *cuius gratia* ordinari, loquendo de potentia abſoluta; eſt tamen congruentius & naturis rerum conuenientius oppoſitum, nempé, quod perfectius ad imperfectius ſe, nō ordinetur vt medium; & conſequenter eſſerendum eſt non ſic ordinatum fuiſſe, niſi oppoſitum ſit reuelatum: & quia de Incarnatione conſtat ex allegatis verbis fuiſſe volitam à Deo propter ſalutem noſtram vt finē, non autem conſtat de meritis Chriſti in ordine ad gloriam hominum, vt amatam efficaciter, imo potius oppoſitum ſatis colligitur ex Paulo ad Epheſios 3. vbi cum prædeſtinatis loquens, ſic ait: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quibus aperté inſinuatur, quod ſicut Chriſtus ratione humanitatis eſt ad Deum ordinatus vt finem: ita prædeſtinati, ad Chriſtum vt hominem referuntur vt ad finem; fit conſequens, quod quamuis gratis admittamus Incarnationem fuiſſe volitam à Deo vt medium propter ſalutē noſtrā efficaciter amatam vt finem, non inde ſequatur merita Chriſti fuiſſe à Deo volita vt media in ordine ad gloriam hominum efficaciter dilectam vt finem.

*Id quod perfectiꝰ eſt nō ordinatur ad imperfectius, vt ad finem cuiꝰ gratia, niſi oppoſitū ſit reuelatum.*

131 *Ad ſecundā reſp. 1.*

Ad ſecundam reſpondeo primo, diſtinguendo conſequens: non obſtabit exceſsus poſsibili ordinationi excedentis ad ſibi inferius, vt ad finem *cuius gratia*, tranſeat conſequens: ordinationi de facto, niſi oppoſitum ſit reuelatum, nego conſequentiam: & quia de meritis noſtris conſtat, vt ex Scriptura colligitur, ſuppoſuiſſe efficacem electionem ad gloriam liberalem, & gratuitam, qua electione intentiua præſuppoſita, ordinantur ad gloriam vt finem; fit, vt æqualitate illa non obſtante, aſſeramus, fuiſſe vt media ad gloriam amata de facto à Deo; hoc autem reſpectu meritorum Chriſti non militat, quia nullibi in Scriptura habetur electionem prædeſtinatorum fuiſſe reſpectu Chriſti liberalem, & gratuitam, vel quod gloriam hominum efficaciter amatam vt finem *cuius gratia* merita Chriſti reſpexerint; & ideò aſſerendum eſt, quod licet ad illam vt finem *cuius gratia* ordinari potuerint, de facto tamen non ſic fuerunt ordinata.

*Idē dicendū eſt de ordinatione æqualis, ad ſibi æquale.*

132 *Secundo reſpond.*

Vel ſecundo reſpondetur, diſtinguendo maiorem: illamque concedo de exceſſu, & æqualitate phyſica, nego autem de exceſſu & æqualitate morali cum phyſica inæqualitate: & ſub eadē diſtinctione minoris, diſtinguo conſequens eodem modo, & nego cōſequentiam ſubillatam. Itaque, tam merita Chriſti, quam noſtra *phyſicè* conſiderata exceduntur à gloria, & ob iſtum exceſſum poſſunt de potentia abſoluta in ordine ad gloriam aſſumi vt media, & amari, quamuis merita Chriſti excedāt *infinitè* gloriam in conſideratione morali, & merita noſtra illā in genere moris adæquent: quia tamen exceſſus meritorum Chriſti ad gloriam infinitus eſt in morali æſtimatione, eſt in cauſa vt congruentius ſit, quod amentur vt finis gloriæ hominum, & cauſæ illius, quam vt media ſumantur ad illam, quæ congruentia in meritis noſtris non militat, quia ex vna parte *phyſicè* exceduntur à gloria, ex alia in morali æſtimatione non excedunt illam, ſed ad ſummū adæquant.

*Merita noſtra phyſicé cōſiderata exceduntur à gloria, in morali autē æſtimatione illi ad æquātur, et ad illū vt finem ordinantur.*

133 *Tertiò reſpond.*

Vel tertio reſpondetur, conceſſa maiori, negando minorem: ad cuius probationem, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: amantur merita noſtra propter gloriam vt finem *qui*, nego minorem: vt finem *quo* formalē, & per modū affecutionis finis *qui*, & obiectiui, cōcedo minorē, & diſtinguo conſequēs diſtinctione minoris: nā licet finis *qui* petat ordinata ad ipſum excedere; & cōſequenter excedens ad ſibi inferius, nec æquale ad ſibi æquale poſsint, vel cōueniēter vt ad finem *qui* ordinentur; finis autem *quo* formalis per modum affecutionis finis *qui*, & obiectiui, non petit perfectione excedere ea, quæ ordinantur ad ipſum: nam gratia, in probabiliori ſententia, *entitatiuè* ſuperat viſionem beatam, & tamen ordinatur ad ipſam vt ad finem *quo* formalem per modum affecutionis Dei, qui eſt finis *qui*, & obiectiuus: vnde quāuis merita noſtra adæquēt gloriam in morali æſtimatione, poſſunt

*Merita noſtra amantur propter gloriam, non vt iniē qui, ſed vt finē quo formalē.*

con-

congruentissimé ad illam vt ad finem ordinari & ratione illius amari; gloria autem hominum si esset finis *cuius gratia*, comparata ad meritū Christi nō esset finis *sui*: nam Christus illa mediante nō assequitur finem obiectivum *qui*, sed debet esse finis *quo*; & quia superius ad inferius sibi, vt ad finem *qui* ordinari, vel repugnat, vel saltim non est conueniens; sit cōsequens, vt nō fuerint à Deo volita in ordine ad gloriam vt media in ordine ad finem, sed vt causæ in ordine ad effectum.

## §. VII.

### *De electione sub conceptu electionis.*

174 *Quarta cōclusio.*

QVARTA CONCLVSIO: *Meruit Christus electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam sub conceptu electionis, ideſt, sub ratione dilectionis prædestinatorum præ reprobis: nō tamen meruit reprobationem hominum negatiuam, aut positiuam.* Secundam partem huius conclusionis tuentur cōmuniter Theologi, vno, vel altero excepto. Primam docet Vazquez *disp* 94. *cap* 3 quem plures Recentiores sequuntur, & ostēditur primo ex Paulo ad Ephesios 1 illis verbis: *Elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem*, ideſt, per Christum prædestinatos elegit, vt frequenter explicant PP. ly *per* denotante meritoriam causalitatem: meruit ergo Christus electionem prædestinatorum ad gloriam; sed electio est vnius præ alio dilectio: ergo meruit electionem sub ratione electionis.

*Prima pars conclusionis prob. 1. ex Paulo*

135 *Respondebis.*

Dices cum contrarijs Auctoribus, Paulum loqui de electione sub conceptu dilectionis, non autem sub conceptu electionis comparatiuæ, vt à dilectione distinctæ. Sed contra: nam verba Pauli sunt in rigore accipienda; cum ex hoc nullum inconueniens sequatur; sed electio rigorosé sumpta, non solum dicit dilectionem vnius *absolutè*, sed vnius præ altero non dilecto, aut electo dilectionem: ergo meruit electionem, non solum vt est vnius dilectio absoluté, sed etiam vnius præalio dilectio. Quod amplius confirmari potest: nam prædestinatus in hoc quod est à Deo dilectus præ reprobo, est ab ipso spiritualiter benedictus; sed Christus meruit omnem benedictionem spiritualem hominibus: ergo meruit præ destinatis, esse dilectos præ reprobis

*Contra.*

*Cōfirmatur.*

136 *Respondebis.*

Dices, ex eo quod Christus electionem, vt electio est meruerit, sequi, quod meruerit non electionem reproborum ad gloriam, vel positiuā exclusionem ab illa, quod maximum est inconueniens; & i eò non possunt verba Pauli de electione comparatiua, vt est dilectio vnius præ alio rigorosé explicari. Sed contra istam solutionē arguitur, & ostenditur secundo prima pars conclusionis: vt Christus dicatur meruisse electionem comparatiué sūptam, prout est vnius præ alio dilectio, non est necessarium meruisse alterius non electionem, vel positiuam exclusionem à gloria, sed sufficit, quod meruerit dilectionem prædestinatis, & illam reprobis non meruerit; sed totum hoc verum est, & absque inconuenienti conceditur: ergo ex merito electionis comparatiuæ, prout est vnius præ altero dilectio, nullum inconueniens sequitur.

*Contra, est 2. probatio.*

137 *Maior prob. 1.*

Maior, in qua sola est posita difficultas, ostenditur primo ad hominem contra Vincentium nobis in hac parte aduersarium; ipse namque, licet neget, meruisse Christum electionem vnius præ alio determinaté, fatetur tamen, meruisse electionem aliquorum *vagè*. Ex quo sic argumētor: meruit aliquos eligi *vagè* electione comparatiua; & tamen non meruit aliquos *vagè* reprobari *negatiuè*, aut *positiuè*: ergo ex merito electionis comparatiuæ, non sequitur meritum reprobationis extremi electo postpositi.

*Secundo.*

Secundo ad hominem contra Albeldam, qui licet remoueat à Christo meritum electionis comparatiuæ spectantis ad ordinem intentionis; concedit tamen meruisse decretum executivum

gloriæ, etiam ſub conceptu electionis comparatiuæ; & tamen non meruit excluſionem reproborum à gloria, prout in ordine executionis: ergo ad meritum electionis, prout eſt vnius præ alio dilectio, non ſequitur meritum derelictionis extremi non electi, aut dilecti.

138 *Tertio probatur maior.*

Denique probatur maior. vt Deus dicatur dilexiſſe prædeſtinatos præ reprobis ex iuſtitia erga Chriſtum, non requiritur, quod ex eadem iuſtitia reprobos ſine gloria reliquerit, ſed ſufficit quod intuitu meritorum Chriſti prædeſtinatos elegerit, & ex illis motus nō fuerit ad reprobos eligendos: ergo vt Chriſtus verè dicatur meruiſſe dilectionem ſumptam *comparatiuè*, ſufficit meruiſſe eligi prædeſtinatos, & nō meruiſſe electionem reproborum. Conſequentia probatione non indiget. Antecedens autem probatur: vt Deus ex miſericordia erga electos dicatur illos dilexiſſe præ reprobis, nō requiritur quod ex eadem miſericordia motus fuerit ad diligendos prædeſtinatos, & ad reprobos nō eligendos, ſed ſufficit, quod ex miſericordia motus dilexerit prædeſtinatos, & ex illa non fuerit motus ad reprobos eligendos: ergo vt dicatur ex iuſtitia erga Chriſtum dilexiſſe prædeſtinatos præ reprobis, nō requiritur, quod ex meritis Chriſti motus fuerit ad non eligendos reprobos, ſed ſufficit, quod ex illa prædeſtinatos dilexerit, & ex illa non elegerit, vel dilexerit reprobos. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur: nam de facto fuit actus miſericordiæ diuinæ dilectio prædeſtinatorum præ reprobis; & tamen derelictio reproborum opus miſericordiæ diuinæ non fuit, ſed iuſtitiæ, vel alterius virtutis: ergo verum eſt antecedens.

139 *Secunda pars concluſionis prob. 1. ex Paulo*

Deinde ſecunda pars concluſionis oſtenditur primo ex Paulo ad Hebræos 12. illis verbis: *Et teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quam Abel.* Vbi D. Tho. ſic ait: *Chriſti ſanguis melius loquitur, quã ſanguis Abel, quia iſte clamat vindictam, ſed ſanguis Chriſti clamat veniam.* Quam interpretationem communiter tradunt PP. at ſi Chriſtus ſua merita applicuiſſet, nō ſolū pro ſalute electorū, & illorū electione, ſed etiam pro non electione reproborum, & illorum excluſione à gloria, illius ſanguis vindictam clamaret: ergo Chriſtus non direxit ſua merita pro reprobatione, aut non electione hominum; & conſequenter non meruit illorum reprobationem negatiuā, aut poſitiuam.

140 *Secundo prob. ex Patribus*

Secundo probatur ex PP. ad illa verba Matthæi 11. cap. *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea parvulis.* Vbi *confiteor* communi PP. conſenſu, idem eſt quod *gratias ago.* Ita Chriſoſtomus homil. 39. in Matthæū: *Non ergo, quia ſapientes non cognouerant, gaudet, ſed quia parvuli perceperunt, lætatur.* Cui interpretationi acquieuit Abulenſis q. 57. in cap. Matth. relatum, his verbis: *Chriſtus gratias egit, non quidem quia iſta, ſcilicet doctrina euangelica, aduentus Meſiæ, & alia, abſcondita fuerunt alicui homini, ſed quia fuerunt aliquibus reuelata: nam Deo de beneficijs gratias agimus, quod autem ſe ipſum occultet aliquibus, beneficium nullum eſt.* Eandem explicationem ſequuti ſunt Maldonatus, & frequẽter alij interpretes: ſentiunt ergo maximum incõueniens, aſſerere, quod Chriſtus gratias egerit Patri pro gratiæ denegatione, & veritatis euangelicæ occultatione: ac per conſequens inconueniens debet cenſeri, quod gratias egerit Deo pro hominum reprobatione; ſed non minus inconueniens eſt petere reprobationem, & ad illam ſua merita dirigere, quam pro illa gratias agere: ergo Chriſtus reprobationem nō meruit.

141 *Tertio prob. ratione.*

Denique probatur ratione: nã Chriſtus vt primo aduenies, & in hac vita mortali geſsit munus fideiuſſoris, & mediatoris pro hominibus, illorum aduocati, & Redemptoris; ſed huic muneri non congruit ſua merita dirigere ad id promerẽdum, quod hominibus gratia, & beneficium non eſt; ſed negatio gratiæ, & pœna, qualis eſt excluſio reproborum à gloria, & illorum non electio: ergo Chriſtus ad hæc ſua merita non ordinauit; & conſequenter non meruit excluſionem reproborum à gloria, nec illorum non electionem.

# §. VIII.

## *Oppoſita argumenta diluuntur.*

142 *Cõtra primã partẽ concluſionis arguit Suarez primo.*

CONTRARIAM ſententiam primæ parti concluſionis docuere Suarez, Vincentius, Albelda, & Illuſtriſſimus Arauio locis vbi *ſupra* relatis pro qua arguit primo Suarez: vt enim Chriſtus meruiſſet dilectionem prædeſtinatorum præ reprobis, neceſſarium erat, quod ſua merita applicuiſſet determinatè pro electis, antè illorum electionem; ſed Chriſtus non applicuit ſua merita ſpecialiter pro electis pro priori ad illorũ electionem: ergo non meruit illam pro vt eſt dilectio prædeſtinatorum præ reprobis.

143 *Reſpondetur inſtãdo argumẽtũ in ſententia P. Suarez.*

Reſpondeo, negando minorem: vt enim *concluſione tertia* docuimus, præceſſit ex parte Chriſti ſpecialis meritorum applicatio pro electis ante intentiuam electionem illorum. Et quidem hoc argumentum habet manifeſtam inſtãtiam in ſententia P. Suarez; vt enim docet *lib. 2. de prædeſt. cap. 24. num. 21.* merita Chriſti de ſe, & prout ab ipſo applicata, non ſolum erant indifferentia ad electionem horum præ aliis, ſed etiã ad ordinationem efficacem, & inefficacem ad gloriam, taliter, quod poſſet Deus abſque vlla iniuria Chriſti neminem prædeſtinare, & ad gloriam efficaciter eligere; & tamen, vt ipſe fatetur, meruit Chriſtus efficacem dilectionẽ, vt à purè ſufficiente, & inefficaci diſtinctam: ergo ex eo quod de ſe eſſent indifferentia merita Chriſti ad iſtos eligendos, vel alios, iſtis relictis, inconſequenter ad propriam doctrinam infert horũ præ aliis dilectionem efficacem, præmium meritorum Chriſti non fuiſſe.

144 *Secundo arguitur.*

Secundo arguitur: meritum electionis comparatiuæ, eſt meritum dilectionis vnius, & non dilectionis alterius; ſed Chriſtus non meruit non dilectionem, vel non electionem reproborum ad gloriam, vt *in ſecunda parte concluſionis* docuimus: ergo non meruit dilectionem horum præ aliis, aut electionem comparatiuam. *Maior probatur primo.* Maior, in qua ſolum eſt poſita difficultas, oſtenditur primo: vnum diligi comparatiuè ad alium, aut præ alio, eſt vnum diligi, & non diligi alium: ergo mereri electionem comparatiuam, aut dilectionem vnius præ alio, eſt mereri iſtum diligi, & illum non diligi: nã ſicut ſe habet decretum quoad eſſẽ, ita ſe habet quoad hoc, quod eſt eſſe præmium meriti. *Secundo.* Secundo: electio comparatiua non ſolum dicit dilectionem vnius, ſed etiam alterius non dilectionem. vnde, ſi omnes Angeli, & homines fuiſſent ad gloriam efficaciter ordinati, maneret dilectio ſub conceptu dilectionis, non autem ſub conceptu electionis comparatiuæ: ergo non ſtat meritum electionis ſub conceptu electionis abſque merito dilectionis vnius, & non dilectionis alterius.

145 *Quorũdã Recentiorum ſolutio.*

Huic argumento reſpondent quidã Recentiores, non eſſe de eſſentia electionis comparatiuæ vnum eligi, & aliũ abſolutè non eligi, ſed non eligi ex vi decreti, quo alter eligitur: ac proinde ex eo quod Chriſtus electionem comparatiuam meruerit, non ſequitur, quod meruerit reproborum non electionem abſolute, ſed tantum non electionem illorum ex vi decreti, quo fuerunt electi prædeſtinati. *Reijcitur* Hæc tamen ſolutio falſæ innititur doctrinæ: ſi namque ad rationem electionis comparatiuæ ſufficeret, quod ex vi decreti, quo Petrus v. c. ad gratiam, vel gloriam eligitur, Iudas non eligatur, ſequeretur non ſolum fuiſſe electum comparatiue præ Iuda, ſed etiam præ Ioanne, & aliis prædeſtinatis; conſequens eſt falſum, & à nullo Theologorum aſſertum: ergo de ratione electionis comparatiuæ non ſolum eſt, quod vnus eligatur, & alter ex vi eiuſdem decreti non eligatur, ſed etiam quod alter nullatenus eligatur. Probatur ſequela: ex vi decreti, quo Petrus fuit electus ad gloriam, non fuit Ioannes ad gloriam electus ſumpto decreto *terminatiuè*, & prout vnum decretum ab alio eminenter diſtinguitur: ergo ſi ad rationem electionis comparatiuæ ſufficeret, quod ex vi decreti, quo vnus eligitur, alter nõ

eligere-

eligeretur fuisset Petrus ad gloriam electus non solum *comparatiuè* præ Iuda, sed etiam *comparatiuè* præ Ioanne, & alijs prædestinatis.

146 *Vera argumenti solutio.*

Vnde, prætermissa hac solutione, ad argumentum respondeo, negando maiorem: sicut enim vnum eligi comparatiuè ad alium, non est vnum eligi, & aliũ nõ eligi, nõ electione causata ex vi decreti eligentis, sed vnum eligi, & alium non eligi; ita mereri electionem vnius præ alio, non est mereri, vt vnus eligatur, & alter non eligatur, sed mereri electionem vnius, & non mereri electionem alterius. Instatur argumentum in misericordia diuina, ex qua motus Deus prædestinatos elegit *comparatiuè* præ reprobis; & tamen non licet inferre: ergo motus ex eadem misericordia dilexit prædestinatos & reprobos non dilexit, sed tantum quod non fuerit ex illa inclinatus ad reprobos eligendos. ergo pariter ex eo quod Christus meruerit dilectionem electorum *comparatiuè* præ reprobis, non licet inde colligere meritum dilectionis, & non dilectionis, sed tantum meritum dilectionis electorum & non meritum dilectionis reproborum.

*Instatur argumentum.*

147 *Ad primã probationẽ maioris. Ad secundam.*

Ad primam maioris probationem, distinguo antecedens: vtroque ingrediente in recto, nego antecedens: dilectione in recto, & nõ dilectione in obliquo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad secundam, distinguo antecedens: dicit alterius non dilectionem in obliquo, concedo antecedens: in recto, nego antecedens, & consequentiam: vt enim dilectio vnius præ alio sit præmium meritorum Christi, sufficit positiuum in recto importatum, ex meritis Christi causari, & negatiuum ingrediens de connotato, non terminare illorum causalitatẽ, per quod *negatiuè* causatur.

148 *Replicabis.*

Sed dices, non stat meritum decreti diuini absque merito obiecti, ad quod terminatur decretum, vt omnes fatentur; & tamen solum de connotato ingreditur obiectum ad decreti constitutionem: ergo quamuis non electio, solum de connotato importetur ab electione prout est dilectio comparatiua, non stabit meritum dilectionis comparatiuæ, absque merito non electionis.

149 *Respond.*

Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: ratio autem discriminis est: nam obiectum decreti de connotato importatur tanquam effectus illius, & ideo non stat meritum decreti absque merito obiecti decreti: negatio autem electionis non importatur à dilectione comparatiua in obliquo vt effectus illius, sed vt extremum comparationis; & ideò, vt quis mereatur dilectionem comparatiuam, necessarium non est eius meritum per positiuam causalitatem ad non electionem extendi, sed sufficit extendi ad illã per negatiuam causalitatem: sicut quia obiectũ decreti vt effectũ cõnotatur, nõ stat Deũ ex misericordia decernere, quin ex illa obiectũ decreti formaliter vt obiectũ procedat; quia tamẽ negatio electionis non importatur vt effectũ à dilectione comparatiua, potest electio comparatiua ex misericordia procedere, quin negatio electionis ex misericordia procedat.

150 *Instabis.*

Sed instabis, etiam si negatio electionis de connotato vt extremum comparationis à dilectione comparatiua importetur, per illam tamen à simplici dilectione distinguitur, sed non stat meritum decreti vt ab altero distincti, absque merito distinguentis inter vtrumque decretum: ergo non stat meritum electionis comparatiuæ, vt à simplici dilectione distinctæ, absque merito non electionis, seu reprobationis negatiuæ. Respondeo, distingui per illam, non *intrinsecè*, sed *extrinsecè*, per connotationem autem illius distinguitur dilectio comparatiua à dilectione absoluta, & vt quis mereatur decretum vt ab altero distinguitur, sufficit mereri intrinsecum distinctiuum: quod si obiectum decreti necessario terminat causalitatem meriti causantis decretum, est, quia taliter distinguit extrinsecè, nempè, vt effectus decreti, vt *proximè* dicebamus.

*Respondetur.*

151 *Vrgebis.*

Sed vrgebis adhuc: nam sequitur ex hac solutione, meruisse Christum electionem prædestinatorum, non solum vt est dilectio illorum præ reprobis non electis, sed etiam vt est dilectio prædestinatorum præ reprobis, vt *positiuè* à gloria exclusis in pœnam præcedentium

pecca-

peccatorum; consequens videtur falsũ, alias meruisset positiuam reprobationem: ergo prædicta solutio minime sustineri potest. Respondeo, concedẽdo sequelã, & negando minorem: nam sicut ex merito electionis comparatiuæ negatiuæ, non sequitur meritum negatiuæ electionis, ita ex merito dilectionis vt est dilectio prædestinatorum præ reprobis, vt *positiuè* à gloria exclusis non colligitur meritum positiuæ exclusionis. Et illustratur exemplo misericordiæ diuinæ, ex qua dilectio, vt *positiuè* cõparatiua processit, quin ex illa fuerit positiua reproborum exclusio.

*Respondetur.*

**152** Deinde contra secundam partem nostræ conclusionis arguitur: Christus namque postulauit a Patre exclusionẽ reproborum à graria, & gloria in pœnã delictorum suorum; sed oratio Christi viatoris meritoria erat rei ab ipso postulatæ: ergo meruit *positiuè* nedum negatiuam, verum & positiuam reprobationem. Consequutio, & minor probatione non indigent. Maior autem ostenditur primo: nam sancti postulauerunt à Deo vindictam delictorum in homines peccatores, vt constat Apocalypsis 6. illis verbis: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum, & clamabant, vindica sanguinem nostrum Deus noster.* Genesis 4 illis verbis: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Ieremiæ 18. *Ne propicieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur, fiant corruentes in conspectu tuo.* Et alibi passim imprecationes sanctorum aduersus peccatores reperiuntur: ergo etiam Christus voluntate humana postulauit à Deo, in pœnam præcedentium delictorum, homines excludi à gratia, & etiam excludi à gloria.

*Contra secũdã partẽ conclusionis arguitur.*

*Maior probatur primo.*

*Apocal. cap. 6.*

*Genes. 4.*

*Ierem. 18*

**153** Secundo ex Ioanne cap. 17. illis verbis: *Manifestaui nomẽ tuũ hominibus, quos dedisti mihi; nunc autem pro eis rogo, non pro mundo.* Ex quibus constat, Christum pro prædestinatis petijsse gratiam, nedũ sufficientem, verum etiam efficacem ad gloriæ consequutionem; pro mundo autem, id est pro non electis, & reprobis, etsi rogauerit quoad gratiam sufficientem, non tamen quoad efficacem pro gloriæ consequutione, sed potius exclusionem ab illa *positiue* postulasse.

*Secundo probatur*

Tertio: vt enim docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. vindicatio ex motiuo honesto potest licite postulari, & amari, nempé, ad punitionem delictorum, aliorum emendationem, & quietem, ad iustitiæ conseruationem & ad diuinum honorem: ergo Christus postulauit à Patre, vt vindictam sumeret de peccatis hominum, illos ab efficaci gratia, & à gloria excludendo.

*Tertiò.*

Respondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: ratio autem discriminis habetur ex dictis, quia nempé Christus in primo aduentu, adæquatè gessit munus aduocati, fideiusoris, & Redemptoris, cui muneri congruum non est petere delictorum vindictam, sed tantum misericordiam, & gratiam; quæ ratio in sanctis non militat, & idcirco sanguis Christi melius loquens, quam sãguis Abel in Scriptura proponitur, vt *superiùs* ponderauimus. Ad secundam, nego ex illis verbis colligi positiuam orationem Christi pro exclusione reproborum à gratia efficaci, & à gloria, sed tantum non orasse pro illis vt efficaciter ad gratiam efficacem, & gloriam eligerentur, quod longe diuersum est. Ad tertiam, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam etsi vindicatio ex illis motiuis licita sit, & consequenter etiam postulatio illi⁹, non tamen congruit muneri Redemptoris, aduocati, & fideiusoris hominum, quod Christus in hac vita mortali gessit.

**154** *Respondetur.*

*Ad primã probationẽ maioris.*

*Ad secundam.*

*Ad tertiã*

Sed oppones primo, Christus non solum venit vt aduocatus, fideiusor, & Redemptor, sed etiam venit vt Iudex, vt constat ex illo Ioannis cap. 5. *Nec enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ergo Christus, non solum aduocati, & Redemptoris, sed etiam iudicis munus gerebat; ac proinde congruenter ad hoc munus postulare potuit, & de facto postulauit exclusionẽ reproborum à gratia efficaci, & à gloria in vindictam delictorum. Secundo: nam Christus in hac vita exercuit omnes actus omnium virtutum; sed iustitia vindicatiua est virtus, & ad illam pertinet negatio gratiæ, &

**155** *Replicabis 1. Ioannis cap. 5.*

*Secundo.*

gloriæ

gloriæ in pœnam præcedentium delictorum: ergo Chriſtus huius virtutis actum elicuit, petendo á Patre excluſionem reproborum, à gratia, & à gloria in pœnam peccatorum ſuorum.

156 *Tertio.* Tertio: nam Chriſtus recte nouerat voluntatem Dei efficacem reprobos excludendi à gratia efficaci, & à gloria, ſed ſe iſti voluntati conformari, illius petẽdo executionem, perfectionis eſt: ergo Chriſtus illam petiuit. *Quarto.* Denique, quia Deus mittens Chriſtum in Redemptorem hominum, non minus ardenter deſiderat illorum æternam ſalutem, quam Chriſtus vt illorum Redemptor; ſed cũ hac voluntate componitur, vt Deus cõferens auxilia ſufficientia ad ſalutem, velit illis efficacia ad eam conſequendam negare: ergo pariter cum vehemẽti deſiderio Chriſti Redemptoris erga æternam omnium hominum ſalutem, componitur, vt petens, & merens auxilia ſufficientia pro omnibus, petat, & mereatur negationem gratiæ efficacis ad ſalutis æternæ aſſequutionem pro reprobis.

157 *Ad primã eplicã reſpondetur.* Reſpondeo ad primam replicam, Chriſtum veniſſe vt Iudicem, non iudicio in hac vita exercendo quoad æternã hominum damnationem, ſed in extremo iudicio, & tunc iudiciariam poteſtatem quoad hoc exercebit; non autem illam exercuit in hac vita poſtulando æternam hominum damnationem. Ita communiter PP. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, nego antecedens, ſed tantum exercuit illos, qui Chriſto non repugnabant, vel illius muneri congruebant: vnde ob repugnãtiam non exercuit actus fidei, nec ſpei, ob indecentiam actum exteriorẽ magnificentiæ non exercuit, vt docet Diuus Thomas *ſupra quæſt. 7. art. 2.* Nec ſimiliter iudiciariam poteſtatẽ exercuit quantum ad res temporales, vt docet D. Tho. *infra quæſt. 59. art. 4. ad 1.* Pariter etiam actum iuſtitiæ vindicatiuæ quoad æternam hominum damnationem in hac vita mortali non exercuit, ſed in futuro exercebit, vt docet idem D. Thomas *art. cit. ad 2.* his verbis: *Nondum tamen ſunt omnia ei ſubiecta quantum ad executionẽ ſuæ poteſtatis, quod quidem erit in futuro, quando de omnibus voluntatem ſuam adimplebit, quoſdam quidem ſaluando, quoſdam autem puniendo.* Cum quo tamen fiat, vt aliquãdo actus iuſtitiæ vindicatiuæ exercuerit, vt fecit, vapulando, & eiiciendo de templo vendentes, & ementes in illo.

158 *Ad tertiã* Ad tertiam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: eſt perfectionis neceſſariæ, ita vt illius oppoſitum ſit priuatiua imperfectio nego minorem: eſt perfectionis non neceſſariæ, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque Chriſtum ſe conformare *negatiuè* prædictæ voluntati diuinæ, hoc eſt, illi *poſitiuè* efficaciter non reſiſtere, eſt neceſſaria perfectio, taliter, quod eius oppoſitum, ſcilicet reſiſtentia efficax poſitiua, maxima imperfectio foret, & ideò à Chriſto relegari debet: ac per conſequens afferendum eſt, Chriſtum voluntati diuinæ excludendi reprobos à gloria, & à gratia ſe conformaſſe *negatiuè*; inſuper cõformitas cum prædicta voluntate Chriſto manifeſta, cum gaudio de paterna diſpoſitione, etiã eſt in volũtate humana Chriſti ſtatuenda, & in hoc ſenſu explicuit D. Thomas illa verba Matth. 11. cap. *Confiteor tibi, Pater Domine cæli, & terræ, quia abſcõdiſti hæc á ſapientibus, &c.* *Matth. cap 11.* vbi Diuus Thomas hæc habet: *Sed quid eſt, quod gratias reddit, quod abſcondit? Dico, quod hoc non facit vt gaudeat decæcitate eorum, ſed de iudicio Dei, qui ita ſapienter ordinat.* Chriſtus ergo iuxta D. Thom. ſe conformauit per gaudium cum voluntate Dei diſponentis cæcitatem reproborum; ſe autem conformare cum volũtate diuina, petendo, & merendo illius executionem, licet ſit perfectio poſſibilis abſolute, non tamen congruit cum munere Redemptoris, quod Chriſtus in vita mortali exercuit, & ideo talis conformitas in ipſo conſtituenda non eſt. S. Thc.

159 *Ad quartam.* Ad vltimam, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam: nam in Deo illa duplex voluntas ſtatuitur: prima, qua omnibus exoptat ſalutem ex motiuo propriæ bonitatis; ſecunda, ex motiuo, aut vindicandi delicta, aut oſtẽdendi ſuæ prouidentiæ ſuauitatem, ad quam, quia eſt Auctoris vniuerſalis, pertinet vt natura defectibilis in aliquibus à fine, ad quem ordinatur deficiat; & quia iſtos fines attendere munus Redẽptoris, quod Chriſtus gerebat, non erat,

ſed

sed omnium saluti consulere. ideò in Christo ponimus volũtatem, & meritũ salutis omnium quoad sufficientiam, & negamus postulationem, & meritum exclusionis ab æterna salute, & deiectionis à gratia.

160 *Instabis.* Vna tamen contra hæc omnia superest difficultas ex frequentiori Theologorum doctrina 1. p. quæst. 23. art. 2. asserentium, non solam permissionem peccati in electis, sed etiam permissionem peccati in reprobis esse effectum prædestinationis illorum; & consequenter meritorum Christi, qui meruit omnes nostræ prædestinationis effectus; sed permissio peccati reproborum consistit in negatione gratiæ efficacis, qua posita, vitaretur peccatũ: ergo meruit Christus huius gratiæ negationem, illam postulauit, ad illamque sua merita direxit; quo admisso, nullum erit inconueniens, id etiam de exclusione à gloria concedere, maximè quia hæc, consequenter ad illam doctrinam, etiam fuit prædestinationis electorum effectus: Deus namque reprobos à gloria exclusit, vt magis illius misericordia erga electos eluceſceret.

161 *Respondetur.* Respondeo, obiectionem istam traditæ doctrinæ non obstare: etenim negatio gratiæ, in qua consistit permissio peccati, considerari potest dupliciter; primo, vt conducit ad finem prædestinationis electorum, qualiter est effectus prædestinationis illorum. secundo, vt conducit ad finem reprobationis, nempe, exclusionem reproborum à gloria: primo modo non negamus fuisse meritorum Christi præmium, sed tantum secundo modo; & consequenter concedimus, Christum negationem gratiæ reprobis factam postulasse, & pro illa sub prima consideratione sua merita applicuisse; secus autem sub secunda. Quod si exclusio reproborum a gloria fuit etiã effectus prædestinationis electorum; id ipsum de illa, ac de negatione gratiæ respectu meritorum Christi admittemus.

162 *Vrgebis.* Sed dices: ergo pariter potuit Christus postulare, & postulauit de facto negationem gratiæ, & exclusionem à gloria, vt conducunt ad iustitiam Dei puni tiuam seruandam, & suauitatem prouidentiæ diuinæ ostendendam, etsi non secundum se. Patet consequentia à paritate rationis. Respondeo, negando consequentiam, & rationis paritatem: disparitas autem est; nam permissio peccati reproborum, licet secundum se non sit gratia sed negatio gratiæ; prout tamen ad finem prædestinationis conducit, gratia est prædestinatorũ, & quia ad Christũ vt Redemptorẽ pertinebat gratiam prædestinatis mereri, ideo permissionem peccati reproborum meruit sub illa cõsideratione. cæterum negatio gratiæ, & gloriæ prout ad iustitiam punitiuam seruandam, & ad suauitatem diuinæ prouidentiæ ostendendam dirigitur, nec est gratia reproborum, nec respectu prædestinatorum, & ideo illam postulare, & mereri, munus Redemptoris non erat. *Respond.*

163 *Instabis adhuc.* Sed vrgebis, Christus, vt homo, non minus erat affectus per charitatem ad Deum imo magis, quam ad homines: ergo nõ magis erat affectus erga hominum salutem, quam erga ostensionem, & manifestationem attributorum Dei; sed ratione affectus ad salutem prædestinatorum postulauit negationem gratiæ in reprobis, vt conducentem ad electorum salutem: ergo ratione affectus ad ostensionem attributorum Dei, illam etiam postulauit, vt conducentem ad conseruationem iustitiæ punitiuæ diuinæ, & ostendendam suauitatem prouidentiæ Dei. Respondeo, Christum venisse, vt hominum Redemptorem, & ob illorum salutem quærendam: ac proinde omnia media ad hunc finem conducentia, sic sumpta, oportuit mereri, non tamen venit primario vt curator manifestationis attributorum Dei. vnde solum oportuit, vt sua merita dirigeret pro manifestandis attributis per gratiæ dispensationem, non autem pro illis manifestandis per hominum punitionem, sed hoc ad Christum vt in finali iudicio iudicaturum pertinebat. *Respondetur.*

## §. IX.

### *Explicatur modus, quo erga decreta diuina exercuit Christus meritoriã causalitatem.*

164 *Quinta cõclusio.*

QVINTA CONCLVSIO. *Merita Christi non exercent causalitatem meritoriam erga diuina decreta sub conceptu terminationis actiuæ formaliter, nec virtualiter, vt in se, & ratione sui, sed vt in bonitate diuina eminenter contẽta.* Primam partem nostræ conclusionis docuerunt Albelda, & Illustrissimꝰ Araujo *vbi supra*, & communiter discipuli D. Thom. 1. *p. quæst.* 19. *art.* 2. & 5. *quæst.* 23. *art.* 5. & *in præsenti quæst.* 23. *art.* 3. & aliæ nostræ conclusionis partes ex illorũ doctrina inferuntur. Prima pars suadetur primo ex D. Thom. 1. *p. quæst.* 19. *art.* 5. & *quæst.* 23. *art.* 5. vbi docet voluntatis diuinæ sumptæ pro actu, nullam posse causam assignari. Id ipsum docuit *ad Ephesios* 1. *lect.* 1. sed si merita Christi exercuissent causalitatem meritoriam formaliter erga diuina decreta sub conceptu terminationis actiuæ, iam posset aliqua causa voluntatis Dei ex parte actus assignari, nempe, causa meritoria: ergo merita Christi non exercuerunt causalitatem meritoriam formaliter erga diuina decreta sumpta sub conceptu terminationis actiuæ.

*Albelda Araujo.*

*Prima pars conclusionis probatur primo ex D. Tho.*

165 *Cõmunis solutio.*

Communis responsio est, loqui D. Thomam de actibus voluntaris diuinæ sumptis in se secundum entitatem, & intrinsecam perfectionem, qualiter nullã causam posse habere extra controuersiã est, vt in limine disputationis monuimꝰ, non tamen excludere, quod decreta libera Dei sumpta sub conceptu liberæ terminationis actiuæ, terminent causalitatem meritoriam meritorum Christi formaliter; & hoc est, quod Auctores contrariæ sententiæ docent: non primum.

166 *Contra illam facit primo.*

Sed contra hanc solutionem obstãt verba D. Thomæ ad Ephesios 1. lect. 1. ibi: *Vnde notandum est, quod Dei voluntas nullo modo habet causam, sed est prima causa omnium. Nihilominus tamen potest ei aliqua ratio assignari dupliciter, scilicet, vel ex parte volentis, & sic quædam ratio diuinæ voluntatis est eius bonitas, quæ est obiectum voluntatis diuinæ, & moueteam. Vnde ratio omnium eorum, quæ Deus vult, est diuina bonitas. Prouerbiorum* 16. *vniuersa propter semetipsum operatus est Deus. Ex parte autẽ voliti, ratio diuinæ voluntatis, potest esse aliquod esse creatum, sicut dum vult coronare Petrum, quia legitimè certauit: sed hoc non est causa volendi, sed est causa, quod ita fiat.* Hæc D. Thomas. Ex quibus tale argumentum conficio: iuxta D. Thomam obiectum creatum nullo modo est causa volitionis diuinæ, vt constituit Deum volentem; sed decretum, sub terminatione actiua, Deum volentem constituit: ergo decreti sub conceptu terminationis actiuæ nullo modo est causa obiectum creatum.

167 *Confirmatur, et explicatur primo.*

Vel aliter. Si merita Christi essent formaliter causa decreti sub conceptu terminationis actiuæ, daretur in obiecto creato causa, ob quam Deus aliquid libere velet; sed, iuxta Diuum Thomam, nullum obiectum creatum, est causa cur Deus velit: ergo merita Christi non causant formaliter meritorié decretum liberum Dei sub conceptu terminationis actiuæ. Vel aliter potest idem argumentum proponi: iuxta D. Thomam, in obiecto creato solum datur causa, vel ratio volitionis diuinæ ex parte obiecti; at si merita Christi causarent meritorié formaliter decretum liberum sub conceptu terminationis actiuæ, non solum ex parte obiecti daretur in obiecto creato causa volitionis diuinæ: ergo merita Christi non causant meritorié formaliter decretum liberum voluntatis diuinę sub conceptu terminationis actiuæ.

*Explicatur* 2.

168 *Secundo impugnatur.*

Secundo contra eandem solutionẽ obstat idem Diuus Thomas 1. *p. quæst.* 19. *art.* 2. vbi docet, bonitatem creatam nullo modo mouere voluntatem diuinam, vt velit, sed huius adæquatum motiuum esse bonitatem diuinam; sed si

merita

merita Christi causarent meritorié formaliter decretum liberum Dei sub conceptu terminationis actiuæ, aliquid creatum moueret voluntatē diuinam vt velet: ergo merita Christi non causant meritorié formaliter decretum liberum Dei sub conceptu terminationis actiuæ. Minor probatur: meritum formaliter meritorié causans decretū sub conceptu terminationis actiuæ, mouet aliquomodo voluntatem diuinam vt velit, scilicet vt liberé velit, siquidem Deus per decretum sub conceptu actiuæ terminationis liberé volens constituitur: ergo si merita Christi causarent meritorié formaliter decretu liberum Dei sub cōceptu terminationis actiuæ, mouerent formaliter voluntatem diuinam vt velet.

169 *Secundo prob. 1. pars conclusionis*

Secundo suadetur prima pars conclusionis: decretum sub conceptu terminationis actiuæ, est aliquid increatū; sed increato repugnat ab aliquo dependere, & causari: ergo decreto libero Dei sub conceptu terminationis actiuæ repugnat à meritis Christi causari meritorié formaliter. Maior est certa: nam Deus per nihil creatum potest liberé volens constitui; sed decretum liberum sub conceptu terminationis actiuæ cōstituit Deum liberé volentē: ergo prout sic est aliquid increatum. Minor autem probatur: nam increatum est à se per exclusionem causæ: ergo enti increato omnis dependentia repugnat.

170 *Respondebis 1.*

Respondebis primo: decretum liberum Dei in ratione liberi constitui per respectum rationis; huic autem non repugnat dependere à causa creata. Vel

*Secundo.*

secundo respondebis: decretum liberū in ratione liberi importare entitatem Deo intrinsecam, & effectum connotatum; licet autem sub prima ratione ei dependentia repugnet; secus verò sub secunda. Vel denique respondebis, causam moralem nō esse proprié causam; licet autem repugnet enti increato dependentia propria à causa proprié causante, non tamen repugnat illi dependere à causa, quæ largé est causa, & ideò potest à meritis Christi causari meritorié formaliter.

*Tertio.*

171 *Prima solutio reijcitur.*

Sed nulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit. Non prima: falsum enim est decretum liberum Dei constitui per respectum rationis, vt pluribus ostendimus *Tract. de diuina voluntate art.* 2. & manifestē constat: nam Deum liberé velle, non est aliquid confictum, sed verum: ergo à forma vera, & non a forma conficta; at ens rationis non est ens verū, sed fictum: ergo Deū liberé vele non est ab illo formaliter, & consequenter in hoc respectu decretum Dei liberum consistere nequit.

172 *Secunda impugnatur.*

Deinde secunda solutio reijcitur, vt enim *loc citat.* multis argumentis ostēdimus, decretum *adæquatè* est Deo intrinsecum; & consequenter forma illius constitutiua adæquatè intrinseca est, & breuiter suaderi potest: tùm, quia omne, quod est extra Deum, causatur ab ipso vt volente, non necessario, sed liberé: ergo Deum liberé volentem supponit: ac proinde, nec adæquatè, nec inadæquatè liberé volentem per modū formæ constituit. Tum etiam, quia ex oppositō fieret dari causam, non solum moralem, sed etiam physicam volitionis liberæ diuinæ in concreto, ideſt, Dei vt liberé volentis; consequens est absurdum: ergo decretum Dei liberum non est partim intrinsecum, & partim extrinsecum Deo sed adæquatè illi intrinsecū. Sequela probatur: causa physica formæ adæquatæ, vel partialis, physicé causat illius effectum formalem; sed si decretum Dei liberum constaret ex entitate intrinseca Deo, & ex entitate creata, vel actionis, vel effectus, forma inadæquata decreti liberi Dei haberet causam efficientem creatam, vt constat: ergo daretur causa physica efficiēs creata huius, quod est Deum liberé vele creaturas. Denique: nam adæquata forma debet existere, vt existat effectus formalis; sed Deum liberé vele, ab æterno existit: ergo ab æterno existit adæquata illius forma; sed nihil Deo extrinsecum existit de facto ab æterno: ergo nihil Deo extrinsecum est forma, etiam inadæquata decreti liberi Dei.

*Decretū liberum Dei esse illi adæquatè intrinsecum, probatur 1.*

*Secundo.*

*Tertio.*

173 *Vltima solutio reijcitur primo.*

Tandem vltima solutio reijcitur primo: nam à causa morali, & meritoria veré dependet, quod illius intuitu datur; sed veram dependentiam enti increato tribuere ab aliqua entitate creata, maximum est inconueniens: ergo

quod

quod Chriſti merita formali influxu meritorio decretum liberum quoad actiuam terminationē cauſauerint, maximum eſt inconueniens Secundo: nā cauſalitas obiectiua ſpecificans, vera eſt cauſalitas, ab illaque veré ſpecificatum dependet; ſed eo ipſo, quod Chriſti merita cauſauerint meritorié formaliter decretum liberū Dei ſub conceptu terminationis actiuæ, ab illis, etiam ſpecificari debet in prædicta conſideratione: ergo eo ipſo veré vt ſic à meritis Chriſti dependebit, quod aſſerere maximum eſt inconueniens. Tertio: non enim minor imperfectio apparet in dependentia à merito vt cauſante meritorié formaliter, quam in dependentia à fine; ſed omni formalitati intrinſecæ Dei repugnat ab entitate creata, vt à fine formali influxu finalizante cauſari, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 2. *ad* 2. & multis oſtēdimus *Tract. de Charitate art.* 1. ergo etiam repugnat illi terminare meritorium influxum formaliter.

*Secundo.*

*Tertio.*

**174** *Secunda pars concluſionis prob.* 1.

Deinde ſecunda pars noſtræ concluſionis oſtenditur primo: cauſans enim virtualiter aliud, dicitur & eſt ratio illius: vnde bonitas diuina dicitur ratio finalis actus diuinæ voluntatis, quia eſt cauſa virtualis illius; ſed vt ex D. Thoma vidimus, nihil præter Deum eſt illi ratio volendi: ergo nihil à Deo diſtinctum ſumptum in ſuo eſſe formali, eſt cauſa virtualis, ſiué phyſica, ſiué moralis decreti, vt Deum liberé volentem conſtituit. Secundo; tunc enim vnum virtualiter ab alio cauſatur, quando ita inter ſe comparantur, vt ſi inter illa adeſſet realis, vel formalis diſtinctio, intercederet formalis vnius in aliud influxus; ſed non ſic comparatur decretum Dei liberum cum meritis Chriſti Domini ſumptis vt in ſe formaliter: ergo ab illis prout ſic ſumptis non cauſatur meritorié virtualiter. Minor conſtat: nam de facto realiter diſtinguitur decretum liberum Dei à meritis Chriſti Domini; & tamen de facto non cauſatur ab illis formaliter meritorié: ergo non ſic comparantur, quod ſi realiter inter ſe diſtinguerentur, terminaret decretū liberum Dei illorum influxum meritorium formaliter. Minor cum conſequentia tenet.

*Secundo.*

*Cauſalitas, et dependētia virtualis, in quo conſiſtat, explicatur, et probatur.*

Maior autē oſtenditur primo: quia ita communiter explicatur dependentia virtualis, ſcilicet, per formalem, ſub cōditione realis, vel formalis diſtinctionis. Secundo: nam ideò communiter dicitur naturam diuinam virtualiter radicare attributa, bonitatem Dei illius voluntatē ſpecificare virtualiter, & ens virtualiter cauſare proprietates tranſcēdentes, quia taliter inter ſe cōparantur, quod ſi natura diuina eſſet actu realiter ab attributis diſtincta, actu realiter radicaret illa per influxū formalē, & bonitas Dei ſi à volūtate ipſi⁹ realiter diſtingueretur, realiter illam finalizaret: ac denique, ſi ens à proprietatibus ſuis realiter diſtingueretur, realiter in illas influeret influxu radicatiuo: ergo in conditionali explicata virtualis dependentia conſiſtit.

**175** *Maior prob.* 1. *Secundo.*

Tandem vltima pars noſtræ concluſionis oſtenditur primo: nam merita Chriſti Domini aliqua ratione mouent voluntatem diuinam, vt ex dictis conſtat; ſed non meritorié *formaliter*, nec meritorié *virtualiter*, vt in ſuo eſſe formali: ergo mouent illam *virtualiter*, vt eminenter in Dei bonitate contenta. Secundo: vt enim oſtendimus *Tract. de Charitate art.* 1. bonitas gratiæ habitualis conſtituentis iuſtos obiectum amicabiliter dilectum à Deo, etſi in ſuo eſſe formali, non moueat voluntatem diuinam, nec ſit illi ratio diligendi iuſtos amore amicitiæ, prout tamen eminenter in diuina eſſentia contenta, mouet voluntatē diuinam ad illorum amicabilem amorem: ergo pariter merita Chriſti, quamuis in ſe ipſis formaliter non moueant, etiam virtualiter voluntatem diuinam ad largiēda hominibus dona, quæ illorum ſunt præmia, mouent tamen illam *virtualiter* prout contenta in diuina bonitate, prout eſt ratio remunerandi.

**176** *Tertia pars concluſionis prob.* 1.

*Secundo.*

Tertio nam aliena miſeria, etſi in ſuo eſſe formali non moueat voluntatem diuinam, illam tamen mouet, vt contēta eminenter in diuina bonitate, prout eſt ratio miſerendi: ergo idem quod prius. Denique: nam niſi ſaltim iſto modo voluntatem Dei moueri à meritis Chriſti, aſſeratur, non poteſt defendi in Deo actus iuſtitiæ erga Chriſtū;

**177** *Tertio.*

*Quarto.*

at

at istum actum defendere debemus in Deo: ergo & affirmare, merita Christi vt eminenter in diuina bonitate vt est ratio remunerandi contenta, mouere voluntatem diuinam.

## §. Vltimus.

### *Argumentis in contrarium occurritur.*

178 *Cõtraria sententia cum suis Auctoriphus, proonitur.*

CONTRARIAM nostræ conclusionis sententiam tenet Suarez *lib. 2. de prædest. cap. 22. & cap. 24.* pro qua etiam referuntur Lesius *disp. de prædest. sect. 1.* Gaspar Hurtado *tract. de prædest. disp. 4. difficult. 1* Alijque Recentiores. Eidem adhæsit Vazquez *1. p. disp. 94. cap. 4* qui ab alijs immerito pro nostra sententia refertur: nam licet *cap. relat. num. 31* contra Cassalium docuerit, nihil creatum posse esse causam nostræ prædestinationis ex parte actus increati, loquitur de actu increato Dei sub conceptu entitatis, qua ratione necessario existit in Deo: vnde *num. 34. vers. Nihilominus*, loquendo de actu libero Dei secundum respectum rationis, per quẽ, in illius sententia, decretum liberũ constituitur, expresse fatetur, dari ex parte nostra causam.

179 *In eius fauorem arg. 1.*

Quidquid tamen sit de hoc in fauorem huius sententiæ, & contra nostram conclusionem, arguitur primo: actum aliquem sub merito cadere, est à merito moueri; sed decretum Dei prædestinantis, ex meritis Christi fuit motum: ergo cecidit sub illis; & cõsequenter merita Christi sunt causa decreti liberi Dei sub conceptu terminationis actiuæ. Minor probatur, decretum Dei homines prædestinantis, est actus iustitiæ remuneratiuæ erga Christum; sed iustitia remuneratiua specificatur à meritis, & ab illis mouetur ad præmiandum, & remunerandum: ergo decretum Dei homines prædestinantis mouetur à meritis Christi. Respondeo ex dictis, merita Christi posse considerari dupliciter, primo in se, secundo vt in diuina bonitate eminenter contenta; non autẽ primo, sed secundo modo sumpta, mouent voluntatem diuinam, motione non formali, sed virtuali, ad prædestinandos homines, & hoc sufficit vt Deus ex iustitia remuneratiua erga Christum homines prædestinauerit, vt constat in exemplis aductis misericordiæ, & amicitiæ diuinæ.

*Respõd.*

180 *Replicabis 1.*

Sed oppones aduersus istam solutionem primo, melius saluatur in Deo iustitia remuneratiua erga Christum, si in electione hominum ad gloriam moueatur à meritis Christi vt in se, & ratione sui, quam si moueatur ab illis vt in Dei bonitate cõtentis; & aliàs in hac motione morali nulla imperfectio inuenitur: ergo asserendum est, ab illis vt in se, & ratione sui moueri. Minor probatur primo: hæc motio non importat dependentiã electionis Dei rigorosam à meritis Christi, sed tantum, quod sint quædã præsupposita cõditio ad prædestinandos homines; sed in hoc, quod est merita Christi, vt conditionem ad prædestinandum supponere, nulla imperfectio importatur: ergo in morali motione Dei à meritis Christi in se ipsis, nulla imperfectio inuenitur. Secundo; nam iustitia respicit alienum ius, vt conseruandum illæsum; sed ius meritorum Christi, vt in Dei bonitate contentum, non est alienum à Deo: ergo per motionem ab illis vt in Dei bonitate eminenter contentis, non saluatur iustitia remuneratiua in Deo erga Christum.

*Minor prob. 1.*

*Secundo.*

181 *Tertio.*

Tertio: nã merita Christi, vt in Dei bonitate contenta, non sunt veré, & proprié merita; vt enim ex Augustino communiter circunfertur, creaturæ vt in Deo non sunt creaturæ, sed creatrix essentia; sed merita Christi, prout merita, mouent voluntatem diuinam: ergo mouent illam vt in se, & ratione sui, & non solum vt eminenter in diuina bonitate contenta. Denique: nam sequitur ex hac solutione, merita Christi vt in suo esse formali, non causare meritorié gloriam, & alia dona intuitu meritorum Christi concessa; consequens est falsum: ergo & illud ex

*Quarto.*

quo ſequitur. Probatur ſequela: merita non cauſant præmium per immediatum influxum in ipſum, ſed immediatè aliciendo, & mouendo affectum, voluntatemque præmiantis: ergo ſi merita Chriſti, prout in ſe, & ratione ſui non mouent, nec aliciunt voluntatem diuinam, ſed tantum vt in diuina bonitate eminenter contenta, prout in ſe, & ratione ſui non cauſant meritoriè gloriam, & cætera dona à Deo conceſſa hominibus.

182 *Ad 1. replicã reſpõdetur.*

Reſpondeo ad primam replicam, prætermiſſa maiori, loquendo de iuſtitia, abſtrahendo à tali ſubiecto, negando minorem. Ad illius probationem, nego maiorem; non enim ſolum cauſa efficiens phyſica, ſed etiam cauſa efficiens moralis, & cauſa phyſica obiectiua, proprié rationem cauſæ ſortiuntur: ac per conſequens, non ſolũ dependentia à cauſa efficiente phyſica, ſed etiam dependentia à cauſa efficiente morali, & dependentia à cauſa obiectiua phyſica proprié dependentiæ ſunt, & ideò relegandæ ab electione diuina ſub conceptu terminationis actiuæ.

183 *Ad ſecundam.*

Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: ex parte effectus, concedo maiorem: ex parte affectus, ſubdiſtinguo maiorẽ. in eſſe formali, vel in eſſe eminentiali, concedo maiorem: in eſſe formali ſemper, nego maiorem, & diſtinguo minorem: non eſt alienum à Deo eminenter, nego minorem: formaliter, concedo minorem, & nego conſequentiam: nam vt in Deo ſaluetur iuſtitia remuneratiua erga Chriſtum, ſufficit, quod præmium conferendum, ius Chriſti, vt in ſuo eſſe formali reſpiciat, & affectus diuinus erga Dei bonitatem, vt eſt ratio remunerandi merita Chriſti verſetur, quod eſt ius meritorum Chriſti reſpicere, vt in eſſe eminentiali, id eſt, vt in Dei bonitate eminenter contentum, & quamuis vt ſic, non ſit ius à Deo alienum formaliter, eſt tamen eminenter alienum, quia Dei bonitas eminenter continet ius Chriſti, quod alienum eſt. Et ex his ad tertiam obiectionem, diſtinguo maiorem: formaliter, concedo maiorem: eminenter, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam.

*Ad tertiam.*

Ad vltimam, nego ſequelam. Ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: & inſto in bonitate creata, quæ non vt in ſe, ſed vt contenta in bonitate Dei, mouet ad actum, quo Deus eligit media ad ipſam ordinata, & tamen vt in ſe, & in ſuo eſſe formali eſt cauſa finalis illorum: pariter ergo in præſenti, licet merita Chriſti non cauſent actu præmium, niſi aliciendo voluntatem diuinam, poſſunt illam, non vt in eſſe formali, ſed vt in Dei bonitate contenta ad remunerandum mouere, & tamen præmium in ſe ſub eſſe formali cauſare; & ratio eſt: quia licet mediet voluntatis alicientia, vt præmium cauſent efficienter, aliter ad præmium, atque ad affectum præmiantis comparantur: nam affectum aliciunt, non præmium, ſed illud debitum faciunt, & inſuper in præmio eſt capacitas dependentiæ à meritis Chriſti, vt in ſuo eſſe formali; in affectu autem præmiantis hæc capacitas non eſt; & ideò etſi diuinus affectus non moueatur à meritis Chriſti, niſi vt in Dei bonitate contentis, præmium tamen intuitu illorum collatũ, dependet a Chriſti meritis vt in ſuo eſſe formali.

184 *Ad quartam.*

Tres tamen obiectiones contra hucuſque dicta ſuperſunt. Prima, quia non minoris imperfectionis eſt poſſibilitas deficiendi, quam ab altero dependere; ſed abſque vlla imperfectione Deo repugnante, conceditur decretum diuinum potuiſſe ab ipſo deficere, non ſub conceptu entitatis, ſed ſub conceptu terminationis actiuæ, vt *Tractatu de Voluntate Dei articulo 3.* docuimus: ergo pariter, quod decretum diuinum à meritis Chriſti dependeat, non ſub conceptu entitatis, ſed ſub conceptu actiuæ terminationis, nulla erit imperfectio.

185 *Inſtabis primo.*

Secunda: nam in Deo non ſolum datur iuſtitia remuneratiua, ſed etiam iuſtitia punitiua; ſed hæc mouetur à demeritis formaliter, non ſolum ex parte effectus, ſed etiam ex parte affectus: ergo illa mouebitur à meritis ſub eſſe formali, non ſolum ex parte effectus, ſed etiam ex parte affectus diuini ſumpti *terminatiuè actiuè*. Probatur minor: demerita mouent aliqua ratione affectum

volun-

voluntatis diuinæ; aliàs non saluabitur in Deo conceptus iustitiæ punitiuæ formaliter; sed non mouent vt eminenter in Dei bonitate contenta; cum demerita non sint effectus Dei; & consequenter in illo non contineantur: ergo mouent diuinum affectum, vt stant sub esse formali.

187 *Tertio.* Tertia est: nam sequitur ex resolutione tradita, non dari in Deo respectu Christi affectum iustitiæ formaliter, sed tantum eminenter; consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela: affectus iustitiæ respicit merita pro motiuo: ergo affectus iustitiæ talis formaliter, respicit pro motiuo merita, vt formaliter merita; sed iuxta doctrinam traditam actus voluntatis diuinæ sub terminatione actiua, qua ratione Deum volentem constituit, non habet pro motiuo merita Christi, vt sunt formaliter merita, sed tantum vt eminenter in diuina bonitate contenta: ergo non est affectus iustitiæ formaliter, sed tantum eminenter.

188 *Ad 1. instantiam respond.* Respondeo ad primam instantiam, concessis maiori, & minori, negando suppositum consequentis, quod nempe, stare possit dependentia decreti liberi à meritis sub conceptu terminationis actiuæ, & non sub conceptu entitatis: nam cum dependentia effectus à causa, sit fieri dependenter ab illa, & fieri ordinetur ad esse, non stat dependentia decreti à meritis Christi Domini, quin ab illis dependeat quoad esse, in quo maxima imperfectio importatur; defectibilitas autem potest esse sub conceptu terminationis sumptæ *denominatiuè*, & *terminatiuè*, absque defectibilitate sub conceptu entitatis; & ideò in decreto Dei libero istam defectibilitatem absque vlla imperfectione ad mis simus *loco allegato*.

189 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, nego etiam minorem: licet namque demerita non contineantur in diuina bonitate eminenter *entitatiuè*, continentur tamen eminenter *motiuè obiectiuè*, quod nihil aliud est, quam diuinam bonitatem attingi ab actu voluntatis diuinæ, prout est ratio puniendi; esse autem Dei bonitatem Deo rationem puniendi, nullam dicit imperfectionem.

190 *Ad tertiã* Ad tertiam, nego sequelam. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: iustitia respicit pro motiuo merita sub esse formali, vel eminentiali, concedo antecedens: sub esse formali tantum, nego antecedens, & consequentiam; sicut ista consequentia non tenet: *Natura consistit in radice proprietatum: ergo natura talis formaliter in radice radicante formaliter*: in Deo namque saluatur ratio naturæ formaliter; cum sola virtuali attributorum radicatione. Et ratio est, quia non licet argumentatio illa à diffinitione ad diffinitum cum eodem addito, quando in diffinitione intelligitur illa disiunctio: nam diffinitio non datur de aliquo eminenter tali, sed formaliter: vnde idem est diffinire iustitiam, & diffinire naturam, ac diffinire iustitiam formaliter talem, & naturam, quæ formaliter sit natura: ac per consequens disiunctio ex parte motiui, scilicet à meritis sumptis formaliter, vel eminenter intelligitur in ordine ad iustitiam formaliter talem, qua ratione diffinitur. Et hæc de ista Disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 41. §. 1. ad illa verba: *Misericordiæ autem meritum non inuenimus.* *M. Sent.*

(?)

# DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

## An Christus meruerit prædestinationem Angelorum sub terminatione ad gratiam, & gloriam?

### §. I.

*Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ.*

Nu. 1. *Defideest Christum non meruisse Angelis dãnatis gloriam. Probatur*

CHRISTVM Angelis damnatis non meruisse beatitudinẽ, exploratũ est apud Theõlogos, cuius oppositum docuisse Originẽ *homil. 1. in Leuiticum, homil. 24. in Numeros, & homil. 1. in Ioã.* nem, referunt Commentatores. Illius tamen sententia, vt erronea reijcitur: sequitur namque ex illa damnatorũ pœnam aliquando finiendam; consequens est hæreticum: ergo antecedens erroneum. Sequela patet; quod enim Christus meruit, aliquando est obtinendum: ergo si meruit Angelis damnatis beatitudinem, illam obtenturi sunt; ac per cõsequens illorum damnatio finietur. Minor autẽ cõstat ex Apocalypsi cap. 20. illis verbis: *Cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* Et Matthæi 15. ibi: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Quibus locis, & passim alibi exprimitur pœnæ damnatorum æterna duratio. Nec obstat Hieronymum ad Ephesios 1. in illa verba: *Omnia subiecit sub pedibus eius.* Et cap. 2. in illud: *Veniens euangelizauit,* docuisse, *Christum aliquãdo Angelos Apostatas liberaturum à pœnis inferni.* Non enim id ex propria, sed ex aliorum docet sententia.

*Apoc. cap. 20. Mat. 15*

*D. Hier. oppositũ nõ tenuit.*

*Ad Ephesios 1.*

2 *Christus bonos Angelos non redemit.*

S. THO.

Secũdo exploratum est apud Theologos, Christum bonos Angelos non redemisse. Quod expressé docuerunt Augustinus *in Enchiridione cap. 61.* Bernardus *feria 4. Hebdomadæ sanctæ* D. Th. *ad Ephesios 1. lect. 3.* ad illa verba: *Instaurare omnia in Christo, & quæ in cælis, & quæ in terra, ideſt, Angelos* (inquit D. Th.) *non quia pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia redimendo hominẽ reintegratur Angelorum ruina.* Et Rupertus in illud Apocalypsis 5. *Cum aperuisset librum.* Et probatur: nam redemptio, si proprié accipiatur, supponit capacitatẽ peccati, vel actu cõtracti, vel saltim debiti cõtrahi; sed Angeli boni, nec de facto contraxerunt peccatum, nec fuerunt in debito contrahendi; cum in Adamo non peccauerint, nec in alio capite, ex quo oritur debitum contrahendi peccatum: ergo nõ fuerunt proprié à Christo redẽp-

*Rupert.*

ti.

ti. Vnde si Patres alicubi dixisse inveniantur, Christum Angelos redemisse, locuti sunt de redemptione *largè* pro merito gratiæ, qua vitauerunt peccatũ.

3 *Nec pro illis mortuus fuit, prob. 1.*

Tandem cõmunis Theologorum sententia fatetur; Christum pro Angelis mortuum non fuisse. Ita Augustin⁹, Bernardus, D. Th. & Rupertus *locis nuper relatis*, & constat primo ex Paulo 2. ad Corinth. 5. illis verbis: *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Morte, scilicet peccati in Adam, aut meriẽdo veteri vitæ peccati, vt *lect.* 3. explicat D. Tho. sed Angeli mortui non sunt, nec morte peccati in Adam, nec veteri vitæ peccati; nunquam enim peccauerunt: ergo Christus mortuus nõ fuit pro illis. Secundo probatur; nam Christum mortuum fuisse pro Angelis denotat præcipuum finem mortis Christi fuisse Angelos iustificari; sed præcipuus finis mortis, & passionis Christi, nõ fuit iustificatio, aut glorificatio Angelorum: ergo non fuit mortuus pro illis. Maior ex dicendis constabit. Minor autem ostenditur primo: nam præcipuus finis mortis, & passionis Christi colligitur ex testimonijs Scripturæ, sed in illa nusquam dicitur fuisse pro Angelis mortuum: ergo Angelorum iustificatio, non fuit præcipuus Incarnationis finis. Secundo: nam id saltim argumenta *infra* soluenda contra Nostrã sententiam conuincunt, vt constabit ex dicendis. Ac denique: nam id docuit D. Tho. *q.* 29. *de Verit. art.* 4. *ad* 5. verbis infra subijciendis.

*Seeundo.*

*Minor prob. 1.*

*Secundo.*

*Tertio.*

4 Prima sententia.

*Vazq. Medina.*

*Vincent. Aluar. Lorca. Nazar. Theodor.*

His breuiter præsuppositis, quod in examẽ vertimus, est, an meruerit Angelis beatis gratiam, gloriamq; essentialẽ? Qua in re duplex è regione opposita versatur sententia. Prima negans est, quam præter Antiquiores, quos refert, & sequitur Vazquez *supra disp.* 49. *cap.* 2. Tuentur ex Discipulis D. Th. Medina *supra q.* 8. *art.* 4. *q.* 2. *circa solutionem ad* 4. *argum.* Vincentius *de Gratia Christi q.* 6. *dub.* 3. *pag.* 842. Aluarez *supra q.* 8 *art.* 4. *disp.* 40. Lorca *disp.* 76. Nazarius *cõtrou.* 2. Tenent etiam ex Discipulis Scoti, Theodorus Smising. 1. *p. tract.* 3. *disp.* 6. *quæstione decima*; & communiter alij Scotistæ: estque apud Recentiores frequentior.

Secunda per oppositũ docet, Christum Angelis beatis meruisse gratiam, essentialemque beatitudinem. Hanc tenent ex nostris Albertus *in* 3. *dist.* 13. *art* 2. Caietanus *supra q.* 7. *art* 11. *vers. Nota hic.* Et Zippullus *supra q.* 19. *art.* 4. *dub.* 2. Tenent etiam ex Discipulis Scoti, Petigianus *in* 3. *dist.* 19. *q. vnica art.* 5. *circa* 2. *concl. vers. Circa ait.* Et ex Patribus Societatis Valentia *in hac* 3. *p. q.* 8. *punct* 3. Suarez *disp.* 42. Granadus *contro.* 1. *de Incarnatione tract.* 14. *disp.* 3. Petrus Hurtado *disput.* 63. & Amicus *disp.* 26. *sect.* 13. eidem ex parte adhæsit Cardinalis Lugo *disp.* 27. *sect.* 3. concedens meruisse Angelis gradũ aliquem gratiæ, & gloriæ, tametsi, nec primam gratiam, nec gloriam ipsi correspondentem meruerit: quorum sententiam pro conclusione statuimus.

5 Secunda sententia. *Albert. Caiet. Zippul. Petig.*

*Valent. Suar. Gran. Hurt. Amic. Lugo.*

## §. II.

### *Prædicta sententia pro conclusione statuitur, & probatur.*

ILLAM probat Suarez pluribus Scripturæ testimonijs, quæ licet non omninò conuincant, probabiliter tamen Nostram sententiam suadent. Deinde probatur, Christus namque, non solum hominum, sed etiam Angelorum fuit caput, vt docet Divus Thomas *supra q.* 8. *art.* 4. & cum illo maior, & melior pars Theologorum, de cuius veritate nemini dubitare licere, docet Vazquez *supra disp.* 48. *cap.* 5. constatque ex Paulo *ad Colloss.* 2. illis verbis: *Quia in ipso* (scilicet Christo) *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Quæ verba de Christo, nõ solum vt Deo, sed etiam vt homine accipienda esse, docet Divus Thomas *supra q.* 8. *art.* 4. *in argumento. Sed contra*; at de ratione capitis est influere vitam in membris, corporalem, si caput sit corporale,

6 Secunda sententia pro conclusione statuitur.

*Probatur*

*Ad Coll. 2.*

S. Tho.

porale, & ſpiritualem, ſi caput ſpirituale ſit, qualiter Chriſtus Angelorum, & hominum caput aſſeritur: ergo Chriſtus vitam ſpiritualem influxit in Angelis, illis promerendo gratiam, quæ eſt radix vitæ ſupernaturalis.

7 *Reſpondebis 1.* Reſpondebis primo; vt Chriſtus ſit Angelorum caput, ſufficere, quod in genere cauſæ finalis, in illis gratiam influxerit: ac proinde ex ratione capitis nō colligitur meritorius influxus. Vel ſecundo reſpondebis; ſufficere, quod illis meruerit illuminationes, & gaudia quædam accidentalia; ac per cōſequēs, ex eo quod Chriſtus vt homo ſit caput Angelorum, nō ſequitur, quod illis meruerit gratiam, & gloriam. *Reſpondebis 2.*

*Vtraque ſolutio reijcitur primo.* Sed contra vtramque ſolutionem facit primo: nam Divus Thom. *ſupra q. 8. art. 4. ad 1. & quæſt. 9. de Veritate art. 4. ad 5.* docens, Chriſtum etiam vt hominem, eſſe caput hominum, & Angelorum, duo tantum diſcrimina inter Angelos, & homines per comparationem ad Chriſtum conſtituit; primum: quia homines conueniunt cum Chriſto vt homine in natura ſpeciei, Angeli verò ſolum in natura generis: ſecundū quod ad finem Incarnationis, quæ principaliter facta eſt propter hominum liberationē à peccato, & ſic humanitas Chriſti ordinatur ad influentiam, quam facit in homines tanquam ad finem intentum: influxus autem in Angelos nō eſt vt finis Incarnationis, ſed vt Incarnationem conſequens. Hæc D. Thomas loco de veritate relato; at ſi ſolū influeret in Angelos in genere cauſæ finalis, aut illis ſolum meruiſſet illuminationes, & gaudia accidentalia, hæc duo potiora diſcrimina inter Angelos, & homines D. Thomas non prætermitteret, nē diminutē procederet: ergo Chriſtus vt homo eſt caput Angelorum, nō ſolum per influxū finalem, ſed etiam per influxum effectivum moralē, non tantū illis merendo illuminationes, & gaudia accidentalia, ſed etiam vitam ſupernaturalem, & illius primam radicem, gratiam nempē habitualem, & gloriam huic gratiæ correſpondentem.

8 *Secundo.* Facit ſecundo: nā ex eo quod Chriſtus in Angelos influxerit gratiam in genere cauſæ finalis, ſequitur, vt poſtea monſtrabimus, influxiſſe meritorié gratiā; ex eo etiam, quod in illis meritorié cauſauerit illuminationes, gaudiaq; accidentalia ſequitur idem dicendum de gratia ſanctificante, vt *inferius* ponderabimus: ergo conceſſo Chriſto vt homini influxu finali in gratiam, & gloriam Angelorum, & meritorio in dona illa accidentalia, non debet ipſi negari influxus meritorius in gratiam Angelos iuſtificantem, & in Angelorum gloriā. Denique; nam melius ſaluatur ratio capitis in Chriſto, quatenus homine per comparationem ad Angelos, conceſſo influxu meritorio morali in gratiam iuſtificantē, & gloriam, quam ſolo cursu finali in hæc dona, & morali efficientia in gaudia illa accidentalia; ſed nihil obſtat, quominus hoc admittatur, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit: ergo ita aſſerendum eſt, contigiſſe. *Tertio.*

9 *Secundo prob. ex Patrib⁹.* Secundo probatur ex Patribus, omnē iuſtificationē hominum, & Angelorum meritis Chriſti attribuentibus. Ita Cyrillus *lib. 5. in Iſaiam tom. 2. in principio.* Rupertus *lib. 3. de proceſſione Spiritus Sancti cap. 21.* Et Magnus Gregorius *lib. 1. Regum cap. 2.* circa illa verba: *Non eſt alius extra te ſubauditur*, inquit, *Sanctus extra eum ſanctus aliquis eſſet, ſi abſq; dono Vnigeniti ſanctificationis ſpiritum habere potuiſſet.* Chriſt⁹ ergo cauſa meritoria fuit gratiæ ſanctificantis Angelos; & conſequenter meruit etiam illis gloriam.

10 *Reſpond. primo.* Reſponderi poteſt primo, allegatos Patres intelligendos eſſe de Chriſto cauſante, non meritorié, ſed in genere cauſæ finalis, ſic autē cauſaſſe gratiam, & gloriam in Angelis, contraria ſententia non negat. Vel ſecundo reſponderi poteſt allegatos Patres loqui de Chriſto, quatenus Deo. Nullam tamen ex his interpretationibus patiuntur verba Gregorij. Non primam: nam indiuiſé loquitur de Angelis, & hominibus; ſed in homines meritorié influxit Chriſt⁹ illorum iuſtificationem: ergo etiam in Angelos. Tum etiam; nam ly *per Chriſtum* communi conſenſu Doctorū cauſam efficientem ſignificat vt *Diſp. præcedenti concluſ. 1.* oſtendimus: Chriſtus autem vt homo non fuit cauſa efficiens phyſica ſanctificationis Angelicæ: ergo fuit cauſa efficiens moralis. *Reſpondebis 2. Prima ſolutio reijcitur.*

Deinde

Deinde secunda interpretatio reijcitur ex verbis, quæ postea subiecit, sic dicens: *Et quia vnigenitus Dei, est Deus, extra eum non est aliquis, quin nemo electorum, nisi in ipso est, quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis euacuet*: Sentit ergo Gregorius non solum homines, sed etiã Angelos fuisse in Christo, & per Christum nedum vt Deum, sed etiam vt hominem sanctificatos: ac per consequens gratiam, gloriamque Angelorum esse meritis Christi adscribendam.

*Cõtra 2. facit.*

**11** *Respondebis 1. Contra.*

Nec respondere sufficit primo in his vltimis verbis, non de omni sanctificatione vt Angelos comprehendit, sed tantum de sanctificatione hominum loqui. Hanc enim interpretationem excludit, vniuersalis illa propositio Gregorij, *extra eum non est aliquis*, quæ non nisi voluntariè potest ad homines solos coarctari. Si respondeas secundo, intelligendum esse de Christo vt homine, non *effectiue moraliter* influente, sed *obiectiuè* vt proposito per fidem, ita vt sensus fiat, nullus nisi in Christo vt *obiectiuè* cognito per fidem sanctificatur. In contrarium obstat primo; Gregorium loqui indiuisè de sanctificatione hominum & Angelorum, at respectu sanctificationis hominum intelligitur de influxu morali effectiuo: ergo etiam respectu Angelorum. Secundo: nam si hæc interpretatio admittatur, etiam cũ Scriptura, & Patres docent, Christum homines redemisse, poterunt interpretari in genere causæ finalis, quod falsum omninò est; aliàs ex ipsis non colligetur influxus meritorius Christi in hominum redemptionem.

*Respondebis 2.*

*Cõtra 1.*

*Secundo.*

**12** *Tertio prob. testimonijs D. Tho. Primum est.*

Tertio probatur testimonijs D. Tho. Primum habetur *1. 29. de Veritate art. 4. ad 5.* vbi inter Angelos, & homines per comparationem ad Christũ duplex tantum discrimen constituit, his verbis: *Sed tamen humanitas Christi aliter se habet ad Angelos, quam ad homines, quantum ad duo: primo quantum ad naturæ conformitatem, per quam est in eadem specie cum hominibus: non autem cum Angelis. Secundo quantum ad finem Incarnationis, quæ quidem principaliter facta est propter liberationem hominum à peccato, & sic humanitas Christi ordinatur ad influentiã, quam facit in homines, sicut ad finem intentum: influxus autẽ in Angelos, non est vt finis Incarnationis, sed vt Incarnationẽ consequens*: ergo sentit D. Thomas alijs, præter hæc duo, Angelos, & homines conuenire quoad influxum Christi terminare: ac proinde non solum homines, sed etiã Angelos habuisse gratiã, & gloriam *meritoriè* participatas à Christo.

**13** *Secundũ testimonium.*

Secundum, & expressius habetur Ioannis 1. lect. 10. ad illa verba: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*, vbi distinguens triplicem plenitudinem, sufficientiæ, redundantiæ, & efficientiæ, primamq; aliquibus sanctis concedens, secundam Beatissimæ Virgini, & tertiam humanitati Christi, illam explicat his verbis: *Vt ergo Euangelista hanc singularẽ plenitudinem efficientiæ de Christo ostenderet, dicit de plenitudine eius omnes accepimus, scilicet, omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti, qui sunt, fuerunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Quæ verba explicari nequeunt de influxu in genere causæ finalis: nam statim D. Th. subiungit: *Nota, quod hæc præpositio, de, aliquando quidem denotat efficientiam, seu originalẽ causam, sicut quando dicitur radius est, vel procedit de Sole, & hoc modo denotat in Christo efficientiam gratiæ.* Nec itẽ explicari possunt de influxu gratiæ in Angelos quoad illuminationem, & gaudia accidẽtalia: nam statim subiunxit: *Quia plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis*: ergo iuxta D. Tho. Christus vt homo meritoriè influxit in Angelos, non solũ illuminationes, & gaudia accidentalia, sed etiam omnem gratiam auxiliantem, & iustificantem, & gloriam.

**14** *Respondebis. Cõtra 1.*

Respondebis, sententiam, quam D. Thomas *loco allegato* tenuerat, in partibus retractasse, illiusque mẽtem ex his, quæ in summa docuit, esse accipiendã. Sed contra primo: nam hæc solutio à Discipulis D. Thom. sustinendanõ est, nisi vel expressè Divus Thomas sententiam retractet, vel manifesta in eius dictis contradictio sequatur; at Divus Thomas in summa expressè illam non retractauit, nec ex his, quæ in summa docuit, sequitur in dictis Diui Thom.

manifeſta contradictio; cum nullibi ex preſsé docuerit, Chriſtum non meruiſſe Angelis gratiam iuſtificantem, nec gloriam: ergo ſolutio iſta admittenda non eſt. Secundo: nam ex his, quæ Angelicus Doctor docet *in hac 3. p.* potius colligitur influxus meritorius Chriſti in Angelorũ gratiam, & gloriam, quam negatio talis influxus: ergo abſque fundamento ad illam ſolutionem fugitur.

*Secunda.*

15 *Antecedens probatur 1.*

Antecedens probatur primo: nam D. Thomas *ſupra q. 8.* poſtquam *art. 1.* rationem capitis Chriſto reſpectu Eccleſiæ attribuerat propter ordinem, eminentiam, & influxum in membra, & *art. 3.* docuerat, eſſe caput omnium hominum, & in omnes gratiam influere, *art. 4.* docet, eſſe caput Angelorum, & in illos gratiam influere, abſque vlla limitatione: ergo ſentit Divus Thomas, non ſolum in homines, ſed etiam in Angelos gratiam iuſtificantem influere meritoriè; aliàs ſi oppoſitum D. Thom. ſentiret, diminutè proceſsiſſet, non explicans differentiam gratiæ reſpectu hominum, & Angelorum.

*Secundo.*

Secundo probatur ex eodẽ D. Tho. *ſupra q. 7.* vbi docet, fuiſſe Chriſto collatam gratiam vt cuidã vniuerſali principio in genere habentium gratiam, & ideò in illo extendi ad omnes effectus gratiæ, quia virtus primi principij alicuius generis, vniuerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis; ſed Angeli habent gratiam: ergo virtus gratiæ in Chriſto ad gratiam Angelorum cauſandam ſe extendit; & conſequenter gratiam iuſtificantem meritoriæ influxit in Angelos: ex quo vlterius ſequitur, gloriam in illis meritoriè cauſaſſe.

16 *Vltimo probatur cõcluſio.*

Denique ſuadetur concluſio: Chriſto namq; attribui debet quidquid dignitatis eſt, niſi oppoſitum ſit reuelatũ, vel ex reuelatis efficaciter colligatur; ſed Chriſtum meruiſſe Angelis gratiã, & gloriam eſt dignitas ipſi poſsibilis, & quod illam non meruerit in Scriptura reuelatum non eſt, nec ex reuelatis efficaciter colligitur: ergo aſſerere debemus meruiſſe Angelis gratiam, & gloriam.

17 *Reſpondebis. 1.*

Reſpondebis primo, falſam eſſe minorem: nam quod Chriſtus gratiam iuſtificantem in Angelos meritoriè non influxerit, colligitur efficaciter ex illis teſtimonijs Scripturæ, in quibus pro motiuo mortis, & aduentus Chriſti libertas à peccato aſsignatur: ex quibus rectè colligitur, non veniſſe propter Angelos, nec pro illis mortuũ fuiſſe; ac per conſequens infertur, quod illis gratiam iuſtificantem non meruerit.

18 *Contra 1.*

Sed contra primo: nam vtentes hac ſolutione fatentur, Chriſtum meruiſſe Angelis illuminationes, & gaudia quædam accidentalia; & tamen ex hoc non ſequitur, quod venerit, mortuuſque fuerit pro illis illuminandis, & gaudijs illis dotandis: ergo pariter ex eo quod Angelis beatis meruerit gratiam iuſtificantem, & gloriam, non colligitur veniſſe, mortuumque fuiſſe pro Angelis iuſtificandis, nec é contra, ex eo quod in Scriptura non aſſeratur propter Angelos veniſſe, ſequitur, quod illorum iuſtificationem non meruerit.

*Secundo.*

Secundo: nam Chriſtus non venit, nec mortuus eſt propter gloriam ſui corporis, nominiſque exaltationem; cum in Scriptura non tradatur hoc motivum aduentus, & mortis Chriſti; & tamen ſibi meruit gloriam corporis, nominiſq; exaltationẽ: ergo pariter ex eo quod Chriſtus non venerit propter Angelos, nec pro illis mortuus fuerit, non ſequitur illis non meruiſſe gratiam iuſtificantem, & gloriam.

19 *Reſpondebis 2.*

Reſpondebis ſecundo, id colligi ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus Chriſtus aſſeritur, veniſſe vt hominum Redemptor, ex quibus per immediatam conſequẽtiam infertur gratiam à Chriſto promeritam, eſſe gratiam redemptiuam: Angeli autem huius gratiæ recipiendæ capacitatem nõ habent, cum nullum peccatum habuerint: ac proinde gratiam Angelos iuſtificantem ex meritis Chriſti non fuiſſe ex Scripturæ teſtimonijs efficaci illatione colligitur.

*Cõtra 1.*

Hæc tamẽ ſolutio ex eiſdem exemplis reijcitur primo: nam illuminationes, & gaudia accidentalia, ſunt gratiæ Angelis conceſſæ intuitu meritorum Chriſti Redemptoris; & tamen gratiæ redẽptiuæ non ſunt: ergo non omnis gratia ex meritis Chriſti Redemptoris cauſata, oportet quod ſit redemptiua. Secun-

*Secundo.*

do:

do: nam Christus per merita sui vt Redemptoris, meruit sibi gloriam corporis; & tamen se non redemit. ergo pariter per merita Redemptoris potuit Angelis mereri gloriam, & gratiam iustificantem, quin Angelos redemisse dicatur. *Tertio.* Tertio: nam gratia Angelis collata, fuit effectus Christi Redemptoris in genere causæ finalis; & tamen redẽptiua non fuit: ergo pariter quamuis gratia redemptiua non fuerit, potuit esse effectus Christi Redemptoris in genere causæ efficientis moralis.

20 *Respondebis 3.* Respondebis tertio, quod licet mereri Angelis præfata dona, sit dignitas Christo possibilis secundum aliam rerũ constitutionem, non tamen est possibilis secundum ordinẽ decretorum, quæ de facto sunt in Deo, quibus decretatus fuit Christus propter redimendum hominem à peccato; ac proinde decretũ mittendi Christum, suppossuit præuisũ peccatum, vt absolutè futurum; peccatum autem Adami suppossuit peccatũ Angelorum, & hoc illorum substantiam, & gratiam constitutam præsupposuit; ac per consequens, iuxta ordinem decretorum, quæ de facto in Deo existunt, non potuit Christus mereri Angelis gratiam iustificantem: ex quo vlterius sequitur, nec illis meruisse gloriam.

21 *Cõtra 1.* Sed contra primo; nam ex ordine decretorum explicato, tantum sequitur prioritas in aliquo genere causæ in gratia Angelorum mediata respectu Christi venturi; sed cum prioritate in vno genere causæ stat dependentia in alio, vt suppono ex communi philosophia, potestque multis exemplis monstrari: ergo tota illa doctrina admissa circa ordinem decretorum, quæ de facto sunt in Deo, non sequitur gratiam Angelorum non fuisse ex meritis Christi præuisis. *Secundo.* Secundo; substantia cuiuscumque prædestinati aliquomodo præcedit prædestinationem propriam, & Christi, & tamen est effectus propriæ prædestinationis, & Christi, vt docuim⁹ *Tract. de Prædestinatione 1. p. q. 23. art. 2.* & tenent plures Nobis in hac parte oppositi: ergo pariter tametsi gratia Angelorum, iuxta ordinem decretorum, quæ de facto sũt in Deo præcedat Christum vẽturum, esse poterit effectus prædestinationis, & meritorum Christi. *Tertio.* Tertio peccatum originale vt quid immediatius præcedit Christum venturum; cum venerit in remedium illius; & tamen permissio illius est effectus prædestinationis Adami; & consequẽter præmium meritorum Christi, vt *loco nuperallegato* docuimus, & admittũt plures Nobis in præsẽti aduersarij: ergo idem quod prius.

Denique; nam Christus est primus prædestinatorum, finisque omnium rerum, non solum ad ordinem naturæ, sed etiam ad ordinem gratiæ attinentium, vt cum veriori sententia docuimus *supra Disp. 8.* tenentque plures contrariæ sententiæ Auctores, & omnes Discipuli Scoti: ergo fuit intentus efficaciter à Deo prius quam omnes creaturæ, & ad omnes illas præuisus; at præuisione ista admissa, non est cur negetur ex meritis Christi in illo priori præuisis, fuisse Angelis præparatam gratiã habitualem, & gloriam: ergo asserendum est, ita de facto euenisse. 22 *Quarto.*

Huic obiectioni triplex adhiberi solet solutio, primo respondent Discipuli Scoti, Christum quoad substantiam Incarnationis *præcisiuè* à circunstantia carnis passibilis, vel impassibilis, fuisse finem omnium rerum, & vt sic priorem in genere causæ finalis, & anteuertenter ad omnes creaturas præuisum, cæterum consideratum, vt venturum in carne passibili, non fuisse ante omnes creaturas præuisum, & quia nunquam fuit præuisus merens, nisi vt in carne passibili: fit consequens, quod merita Christi nõ fuerint ante gratiam Angelorum præuisa: ac proinde, quod illorum præmium non fuerit. 23 *Respondet solet 1.* *Secundo.* Secunda solutio est: præcedẽtiam in genere causæ finalis, non sufficere ad rationem meriti, quod causat in genere causæ efficientis; atque adeò, ex eo quod Christus vt Redemptor in genere causæ finalis præcesserit gratiam Angelorum, nõ sequitur illam meruisse. *Tertio.* Tertio alij respondent, verum esse Christi merita præcessisse in præuisione Dei Angelorum gratiam, & gloriam, non tamen illa meritorié causasse, quia nec Christus ea applicuit, nec Deus ex illis fuit motus

ad gratiam Angelis cõferendam, quod inquiunt, colligi ex Scriptura, in qua pro hominibus Christus traditur venisse, & mortuum fuisse, nulla facta de Angelis mentione.

24 *Prima solutio reijcitur.*

Nulla tamen ex his solutionibus obiectioni satisfacit: non prima; nam ratio, qua Scotus conuincitur ad asserendum, Christum fuisse à Deo intentum, vt finem omnis creaturæ, est; quia Deo est proximior, & omni creatura perfectior: Deus autem, quæ perfectiora sũt, atque Deo proximiora, vt aliorum finẽ intendit, at hæc ratio non solum probat de Christo quoad substantiam Incarnationis, sed etiam quoad circunstantiam carnis passibilis, vt sic enim etiam superat omnem creaturam ratione coniunctionis ad Verbum: ergo tenetur fateri, etiam secundum hanc circunstantiam, fuisse à Deo intentum, vt finem omnis creaturæ.

25 *Secũda solutio impugnatur*

Deinde secunda solutio reijcitur: meritum enim, vt cauſet, non petit *physicè* ad effectum præexistere, sed solum in præuisione præmiantis, vt communiter docetur à Theologis *supra quæst. 2. articulo 11.* vbi docent, Christum Antiquis Patribus auxilia gratiæ meruisse, quamuis *physicè* ante hæc dona non præextiterit per solam præexistentiam in præuisione diuina; sed eo ipso quod Christus, vt in carne mortali, & passibili, & vt actu merens, fuerit á Deo præintentus in genere cauſæ finalis, illi⁹ merita præcedunt in præuisione diuina ad decretum gratiæ, & gloriæ, quas De⁹ Angelis concesit: ergo eo ipso illas meritorié cauſauit.

26 *Cõtra tertiã facit primo.*

Denique tertia solutio reijcitur primo: nam supposita prioritate meritorum Christi in diuina præuisione, nõ est negandus influxus, nisi in scriptura sit reuelatum expresé, vel ex reuelatis efficaciter colligatur; at Christum non meruisse Angelis gratiam, & gloriam in scriptura reuelatum non est, nec ex reuelatis efficaciter colligitur: ergo admissa præcedentia, sine fundamento negatur influxus. Secundo: nam licet in scriptura non exprimatur influxus meritorius Christi in Angelorum gratiam, & gloriam, ex illa tamen habetur, quod fuerit caput Angelorum, etiam secundum humanitatem, iuxta frequentiorẽ Theologorum sententiam; at ratio ista capitis melius saluatur, concesso Christo vt homini, influxu meritorio in gratiam Angelorum, & gloriam, quam illo negato: ergo cum aliàs concedatur præcedentia meritorum Christi in diuina præuisione, concedi etiam debet in illa dona meritorius influxus.

*Secundo.*

## §. III.

### *Argumentis ab auctoritate occurritur.*

ET ex his soluta manent contrariorum fundamenta. Primo obijciũt duo scripturæ testimonia. Primum habetur Matthæi 18. & *Lucæ* 15. vbi Dominus in parabolam adducit Pastorem, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto abijt, vt quæreret vnam solam, quæ perierat. Quam parabolam Ambrosius *lib. 7. in Lucam cap. de oue cẽtesima*. Gregorius *homilia 39. in Euangelia*. Beda, Anselmus, & Theophylatus, sic explicant, vt per pastorem intelligatur Christus, per oues relictas, Angeli, per ouem quæsitam homo, qui in Paradiso peccauerat; sed si Christus meruisset Angelis gratiam iustificantem, non posset proprié saluari Angelos in cælo reliquisse, vt ouem perditam quæreret; cum etiam propter Angelos iustificandos venisset: ergo non meruit Angelis gratiam iustificantem, nec gloriam.

27 *Arguunt primo auctoritate scripturæ. Primũ testimoniũ est.*

28 *Secundũ testimonium.*

Secundum habetur ad Hebræos cap. 2. ibi: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Et paulò infra: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Ex quo testimonio tale argumentum conficiunt: omnes sanctificati per Christum descendunt ex vno capite Adamo; sed Angeli non descendunt

cendunt ex Adamo: ergo non sunt sanctificati per Christum. Vel aliter idem argumentum proponitur: omnes sanctificati per Christum, pueri & fratres Christi appellantur à Paulo; sed Angeli, nec Pueri, nec fratres Christi appellantur: ergo per Christum sanctificati non sunt. Maior constat ex testimonio allegato. Minor etiam ex illo clare colligitur. nã Paulus, illos pueros, & fratres Christi appellat, qui cum ipso carni, & sanguini cõmunicauerunt; sed Angeli non communicant carni, & sanguini: ergo fratres Christi non appellantur.

29 *Ad primũ testimoniũ respondetur.*

Respondeo ad primum testimonium ex dictis, admissa illa explicatione (quæ litteralis non est, sed mystica, vt cõtrarij Auctores fatentur) negando minorem. Nam Christus id circo dicitur Angelos reliquisse in deserto, vt ouem perditam quæreret, quia primaria intentione non venit ad iustificandos Angelos, sed ad redimendum hominem, cũ quo sicut compatitur meritum illuminationis, & gaudiorum accidentalium, ita & meritum iustificationis Angelicæ. Et quidem, vt recte animaduertit Suarez, potius ex allegato testimonio nostra sententia, quam opposita colligitur; cum in illo Christus, non solum hominis, sed etiam Angelorum Pastor, proponatur: ac proinde omnibus merens: nam licet Vazquez, Christum secundum diuinitatem solum Angelorum Pastorem accipiat; hanc tamen intelligentiam non fundat, nec est cur ita accipiatur: aliàs cum caput Angelorum describitur, posset eadem interpretatione explicari: ac proinde ex testimonijs scripturæ nulla ratione inferretur, Christum secundum humanitatẽ capaut Angelorum esse.

30 *Ad secundum.*

Ad secundum respondetur, loqui Paulum de omnibus sanctificatis, non omni sanctificationis modo, sed sanctificatione redemptiua, & sanatiua: sic autem omnes per Christum ex vno descendunt capite, & fratres Christi, atque pueri appellantur; ex quo tantum sequitur, Angelos non fuisse sanctificatos per Christum sanctificatione redemptiua, & sanatiua. Nec obstat, quod Vazquez aduersus hanc interpretationem opponit, quod si præter homines, qui sunt fratres Christi, illius sanguini, & carni communicantes, Angeli etiam fuissent in Christo, & per Christum sanctificati, licet alio sanctificationis modo, illos Paulus non omisisset; at Paulus in testimonio allegato, Angelos omisit: ergo quia sentit, nullum præter hominem cõmunicantem carni, & sanguini Christi, fuisse per illum sanctificatum. Non inquam obstat; est enim pervia solutio, ideò Paulum Angelis non memoratis solius hominis mentionem fecisse: tum, quia mortuum primarium aduentus, & mortis Christi fuit sanctificatio hominum, non Angelorum. Tum etiã, quia Paulus totus erat in commẽdanda Dei, & Christi charitate erga homines, ad quod parum, aut nihil Angelorum sanctificatio conducebat. Et quidem eodem argumento probaret, non fuisse Angelos sanctificatos in Christo in genere causæ finalis, quod plures ex contrarijs Auctoribus docent; cum Paulus huius causalitatis in testimonio allegato non meminerit.

*Opponit Vaz.*

*Respondetur.*

31 *Secundo opponunt testimonia Diui Thomæ. Primũ est*

Secundo obijciunt plura Angelici Præceptoris testimonia. Primum habetur *in 3. dist. 13. quæst. 2. art 1 quæstiuncula 1. in corpore*, vbi docet, Christum secundum quod homo, esse caput Angelorum, non tamen ita propriè, nec eodem modo sicut hominum, propter duas cõditiones: primo *propter naturæ conformitatem: secundo quantum ad influentiam, quia non influxit Angelis remouendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis, quia iam beati sunt, sed in his, quæ ad actus Hyerarchicos pertinent, secundum quod vnus Angelus illuminat alium, purgat, & perficit.* Quod etiam docuit *quæst. 29. de veritate art 7. ad 5.* illis verbis: *Dicendum, quod sicut mereri, est viatoris, ita non nisi pro viatore aliquis mereri potest, quia oportet, vt ei pro quo, quis meretur, aliquid desit eorum, quæ sub merito cadunt. Angeli autem non sunt viatores quantum ad præmium essentiale, & ideò quantum ad hoc nihil eis meruit: sunt autem aliquomodo viatores respectu præmij accidentalis in quantum nobis ministrant, ad quod valet eis meritum Christi.* Sentit ergo D. Thomas, Christum non meruisse Angelis gratiam iustificantẽ, nec gloriam.

Secundum habetur *in 2 dist. 9. q. 1. art.*

32 *Secundũ*

*art. 8 ad 2.* vbi docet, meritum hominis eſſe efficacius, quam meritum Angeli, propter tres cauſas, quarum tertiam aſſignat his verbis: *Tum etiam in quantum merita noſtra efficaciam habent ex merito Chriſti, cuius gratia eſt quodammodo infinita.* At ſi gratia fuiſſet Angelis ex meritis Chriſti conceſſa, non eſſet meritum hominis efficacius merito Angeli propter aſsignatam rationem; cum etiã meritum Angeli efficaciam ex merito Chriſti haberet, vtpote profectum ex gratia ob merita Chriſti obtenta: ergo iuxta Diuum Thomam gratia non fuit Angelis collata intuitu meritorũ Chriſti.

33 *Tertium.* Tertium habetur *in hac 3. p. infra quæſt. 59. art. 6. in corpore,* vbi docet, ad Chriſtum inquantum hominem pertinere in extremo iudicio, Angelos iudicare quoad gaudium accidentale bonorum, & pœnas malorum accidentales: quoad præmium autem eſſentiale bonorum, & eſſentialem pœnam malorum pertinere iudicare ad Chriſtum, non ſecundum humanitatem, ſed ſecundum diuinitatem; ſed ſi Chriſtus Angelis bonis meruiſſet eſſentialem beatitudinem, ad Chriſtum etiam, vt hominẽ, pertineret iudicare de illa; ſiquidem iudicium Angelorum quoad gaudium accidentale conceditur Chriſto, vt homini; quia ſub illius meritis cadit: ergo iuxta Diuum Thomam, Chriſtus non meruit Angelis eſſentialem beatitudinem.

34 *Quartũ.* Vltimum teſtimonium habetur *in hac 3. p. ſupra quæſt. 7. art 3. in corpore,* illis verbis: *Et ſic gratia Chriſti poteſt dici infinita, eo quod non limitatur, quia ſcilicet habet quidquid poteſt pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei ſecundum certam menſuram id quod ad rationem gratiæ pertinet; eo quod ſecundum propoſitum Dei, cuius eſt gratiam menſurare, gratia confertur animæ Chriſti, ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in humana natura.* Ergo ſentit Diuus Thomas cauſalitatem Chriſti meritoriam limitari ad gratificationem humanam, & non extendi ad gratificationem, vel iuſtificationem Angelicam.

35 *Ad primũ teſtimonium reſpondetur* Reſpondeo ad primum teſtimonium, meritum dupliciter poſſe cauſare. Primo, in genere cauſæ efficientis quantum ad ſubſtantiam, & modum, cum ſcilicet, præmium confertur poſt meritum, vt in re exhibitum antecedẽter ad præmium. Secundo, in genere cauſæ efficientis moralis quoad ſubſtantiam, non quoad modum, ſed inuendo modum cauſæ finalis, cum, ſcilicet, præmium *anticipatè* confertur ad meritum, vt exhibitum in re, non tamen ante præuiſionem illius; tunc enim quamuis cauſet efficienter moraliter quoad ſubſtantiam, non tamen cauſat efficienter quoad modum, ſed potius ſortitur modum cauſæ finalis, quia imitatur illã in hoc, quod non præcedit ſuum effectum in re, ſed tantum in præmiantis præuiſione. Qua præmiſſa diſtinctione reſpondeo, Diuum Thomam ſolum negaſſe, quod Chriſtus Angelis gratiam, & gloriam meruerit merito efficienter cauſante quantum ad ſubſtãtiam, & modum cauſæ efficientis, ſcilicet, cum præcedentia meriti ad præmium in re: non autem quod hæc dona meruerit merito cauſante moraliter efficienter quoad ſubſtantiam eum modo cauſæ finalis, per præcedentiam ſolum in apprehenſione præmiantis præmio *anticipatè* ſoluto.

36 *Explicatione eſſe de mente D. Thom. probatur primo.* Et quod hæc ſit mens Diui Thomæ, conſtat primo; nam ratio, qua vtitur eſt, quia iam Angeli ſunt beati, & in termino quantum ad beatitudinem eſſentialem, & id circo illam non poſſunt ex meritis Chriſti habere; at hæc ratio ſolum probat, Chriſtum non meruiſſe Angelis gloriam per merita præcedentia illã quatenus in re exhibita, non autem per merita præcedentia in præuiſione diuina: ergo Diuus Thomas ſolum negat Chriſto primum modum meriti reſpectu gloriæ Angelorum. Probatur minor; nam Patres Antiquæ legis fuerunt ſanctificati antequam Chriſtus exiſteret; & tamen ex hoc non colligitur, quod illorum ſanctificatio non fuerit præmium meritorum Chriſti *anticipatè* ſolutum intuitu illorum, vt præcedentium in diuina præuiſione, ſed tantum quod non fuerit præmium illorum, vt præcedentium in re: ergo pariter ex eo quod antecedenter ad Chriſtum, vt exiſtentem, fuerint Angeli glorificati, ſolũ probatur non meruiſſe illis gloriam me-

rito,

rito, vt in re antecedente, non autē quod non meruerit illam merito antecedēte in præuisione diuina. Secundo; nam D. Tho. *quæst. de veritate allegata ad 9* nō minus expresè negat, Christum meruisse Antiquis Patribus gratiam, quam in citato testimonio id negat respectu gloriæ Angelorum; sed cum id negat respectu Antiquorum Patrum, intelligitur de merito causante cum antecedentia ad præmium in re, non autem de mērito causante cum antecedentia solum in diuina præuisione: ergo eodem modo accipiendus est, cum negat Christo meritum gloriæ Angelorum.

*Secundo*

37 *Secundi testimonium explicatur.*

Et ex his ad secundum testimoniū respondeo negando minorem. Ad cuius probationem dicatur, meritum hominis in statu gratiæ habuisse efficaciam ex meritis Christi, vt actu iam existentibus: meritum autem Angeli ex merito Christi, vt in præuisione diuina, & quia meritum Christi vt actu existēs, efficacius fuit merito Christi, vt futuro, ideo tenet discrimē à D. Thom. statutū. Quæ doctrina est D. Tho. *q. 29. de verit. art. 4. ad 10.* quod tale erat: *Christus secundum quod est caput Ecclesiæ gratiam membris Ecclesiæ infundit: si ergo ad rationem capitis sufficit, quod Christus sit in fide credentium, videtur, quod æqualis copia gratiæ fuerit in veteri testamento sicut in nouo, quod est falsum.* Cui argumento ita respondet, *dicendum, quod quia nondum erat meritum Christi in actu, nec satisfactio ante Incarnationem, ideo non erat tanta gratiæ plenitudo, sicut & post.* Sicut ergo ob differentiam existendi in actu, vel in apprehensione tantum, docet Diuus Thomas non fuisse in veteri testamento tantam gratiæ plenitudinem, ac in nouo, quia gratiam illius status causarunt merita Christi, vt futura; istius vero merita, vt exhibita in re: ita ob eandem differentiam respectu Angelorum, & hominum, quamuis gratiam inchoantem meritum Angelorū, & meritū hominum merita Christi causauerint, efficacius fuit meritum hominis merito Angeli, quia illud erat ex merito Christi, vt in actu; istud vero ex merito Christi vt in re.

*Explicatio est D. Thom. cōformis.*

Sed dices; meritum Christi æquē infinitum est in ordine ad præmium *anticipatè* solutū, atque in ordine ad præmium futurum post ipsum; & aliàs ad causandum meritoriè non petit existere *physicè* neque *physicè* extitisse: ergo si vt futurum influit in Angelis gratiam, æqualem efficaciam habebit meritum Angeli ex merito Christi, atque habet meritum hominis, & consequenter nō subsistit discrimen à Diuo Thoma statutum. Respondeo, obiectionem illā, etiam contra doctrinam expressam D. Thomæ nuper memoratam procedere, qui vt vidimus, abundantiorem gratiam in noua lege hominibus impertitam, quam hominibus legis Antiquæ ad antecessionem meritorum, & passionis Christi reduxit: stat ergo in hoc discrimen, non quia quantum ad sufficiētiam, non possent Christi merita æqualem gratiam in vtroque statu mereri, sed quia quantum ad efficaciam non meruit gratiam æqualem, Deo, sic disponente, & taxante, sumpta aliquali cōgruentia ex parte meritorum Christi; cum enim meritum *anticipatè* causare præternaturale sit, & influere in præmium tempore subsecutum ad meritum sit connaturalis modus causandi, congruum fuit, quod Deus abundātiorem gratiam statueret in præmium meriti, & passionis Christi, vt iam in re præexistentis, quam in præmium meriti Christi, vt futuri.

38 *Instabis.*

*Respondetur.*

Ad tertium testimonium, admissa, vt iacet, Angelici Præceptoris doctrina, nego minorem. Nec ratio cur ad Christum, vt hominem spectat, iudicare Angelos quoad gaudia illa accidētalia, nō est, quia subillius merito cadat, sed quia iudicium quoad illa, non est ab initio cōsūmatum, sed reseruatum vsque ad iudicium finale, eo quod gaudia illa eueniunt Angelis bonis ex ministerio, quo in hac vita hominibus assistunt: iudiciū vero Angelorum, quoad illorum essentialem beatitudinem ab initio fuit *adæquatè* consūmatum, & ideo nō ad Christum, vt hominem, sed vt Deum spectauit.

39 *Ad tertiū testimonium.*

Ad vltimum testimonium duplex explicatio adhibetur. Prima est Caietani, asserentis, ly *in humana natura* determinare subiectum necessitatis, non extensionis, hoc est, humanæ necessitatis fuisse, quod Christus esset vniuersale gratificatio-

40 *Ad vltimū testimonium respondet Caietanus*

tificationis principium; nam causa necessitatis habendi Christum, vt principium, & largitorem gratiæ, humana natura fuit, sumpta tamen occasione ex necessitate humana, non solum ad homines, sed etiam ad Angelos gratificandos extenditur.

41 *Oppones*

Sed dices; eo ipso, quod Deus statuerit gratiam Angelis largiri per Christum, & propter ipsum, eodem modo fuit necessitatis Angelicæ, atque humanæ, quod Christus esset gratificationis principium: ergo explicatio Caietani non subsistit. Probatur antecedens, sicut homines indigebant gratia, vt à peccato resurgerent, ita & Angeli vt vitam æternam mererẽtur; & alias, quod hæc gratia hominibus daretur per Christũ, non fuit absolute necessarium, sed tantum ex suppositione decreti liberi statuentis, illam non nisi per Christum dare; at si gratificatio Angelorum sit præmium meritorum Christi, Christus illis necessarius extitisset ex libero decreto Dei: ergo nullum erit inter Angelos, & homines quoad necessitatem discrimẽ.

*Respondetur.*

Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem dicatur, Christum primo, & principaliter fuisse decretatũ à Deo, vt Redemptorem, & largitorem gratiæ redemptiuæ, & sanatiuæ, cuius gratiæ in Angelo nulla indigentia præcessit, bene autem in homine, & de Christo, vt primo, & principaliter decretato intelligitur Caietani doctrina, quod nẽpe illius, prout sic, erat indigentia in homine: non autem in Angelica natura.

42 *Secundo explicatur.*

Secunda explicatio est, ly *in natura humana*, non designare subiectum gratificationis per Christum, sed principiũ huius gratificationis, quod fuit humana natura; Christus enim meruit nostram salutem, vt homo, ly *vt* determinante humanitatem, vt principium elicientiæ actuum, quibus nos redemit, & meruit gratiam, tam hominibus, quam Angelis. Iuxta quam explicationem nihil contra nostram conclusionem infertur.

43 *Opponũt Recentiores.*

Sed contra hanc explicationem opponunt quidam Recentiores; nam D. Thomas loquitur de anima Christi, cũ dicit, esse principium gratificationis in humana natura, vt cõstat ex eius verbis, ibi: *Gratia confertur animæ Christi, vt cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura*; sed de anima Christi nõ potest proprié verificari, quod sit principium gratificationis secundum humanam naturam. Tum, quia ipsa non est proprié natura humana. Tum etiam, quia ad proprietatem illorum verborum petitur, quod subiectum de quo dicitur, esse principium gratificationis, nõ solum secundum diuinam, sed etiam secundum humanam naturam; duplici natura gaudeat, diuina nempe, & humana, quod de anima verum non est: ergo explicatio ista menti Diui Thomæ non congruit.

44 *Respondetur.*

Hæc tamen obiectio non vrget; nam Diuus Thomas loquitur de anima Christi, vt corpori humano vnita, quatenus ex illa, & corpore humanitas constituitur, & non de humanitate in abstracto, sed in conreto, quod est Christus, & ex duplici natura componitur, diuina nempe, & humana, sic autem de humanitate loquendo, hoc est de Christo ex vtraque natura composito cum omni proprietate affirmatur, esse principium omnis gratificationis in humana natura, id est, non solũ secundũ diuinam naturam, sed etiam secundum humanam, secundum illam *dignificatiuè*, secundum istam autẽ *elicitiuè*. Et quod hæc sit mẽs Diui Thomæ constat; nam gratiam esse animæ Christi collatam, vt cuidam vniuersali principio gratificationis, probat ex Paulo ad Ephesios 1. illis verbis: *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Quæ verba de Christo sunt accipienda: cum ergo docet animæ Christi fuisse collatam gratiam, vt cuidam vniuersali gratificationis principio, loquitur de anima Christi in concreto.

(?)

## §. Vltimus.

### *Cætera argumenta diluuntur.*

45 *Tertio arguitur.*

TERTIO obijciunt; si Angeli accepissent gratiam iustificantem ex meritis Christi sanctificati fuissent illi⁹ sanguine, & passione; sed sanguine, & passione Christi sanctificati non sunt: ergo gratiam iustificantem non habuerũt ex meritis Christi. Maiorem supponũt, & minorem probant primo ex Bernardo sermone feriæ 4. Hebdomadæ sanctæ post medium, vbi sic ait: *Sicut passio Dominidata est, quia alteri dari non potuit, numquid Angelo? Sed ille non eguit, numquid Diabol? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum, sed in similitudinem hominum.* Vbi vt clare constat docet Bernardus bonos Angelos passionis Christi indigentiam non habuisse; sed si fuissent per illius passionem, & mortem iustificati, indiguissent passione Christi; homines namque non alia ratione passione Christi indiguerũt, nisi quia Deus statuit non nisi per Christi passionem homines iustificare, quod etiam Angelis contigisset: ergo Angeli sanguine, & passione Christi iustificati non sunt.

*Minor probatur primo. Bernard.*

46 *Secundo. Augustin.*

Secundo probant minorem ex parente Augustino in Enchiridione cap. 61. vbi differentiam statuens inter Ecclesiam, quæ est in sanctis Angelis, & quæ est in hominibus, sic ait: *Hæc*, scilicet Ecclesia hominum, *sanguine mediatoris nullam habentis peccatum redempta est à peccatis, eiusque vox est, si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Ex quibus verbis probant minorem secundo; nam iuxta Augustinũ vox ista, *si Deus pro nobis, quis contra nos?* est, non Angelorum, sed hominum; at si Angeli essent sanctificati per Christum, eadẽ voce vti possent: ergo per Christum sanctificati non sunt. Tertio probant minorem ex verbis *proximè* adductis. nam secundum Augustinum Christus non est mortuus pro Angelis; sed si illius morte sanctificati fuissent, Christus esset mortuus pro illis; ideo namq; mortus dicitur pro hominibus, quia merito suæ passionis, & mortis sanctificati sũt: ergo Angeli non fuerũt sanctificati sanguine, & passione Christi.

*Tertio.*

Huic argumento Suarez vbi *supra* respondet, negando maiorem. Christus enim nõ solũ meruit moriendo, sed etiã per actus charitatis, & aliarum virtutũ: ac proinde potuit per prædictos actus Angelis mereri gratiam, quin illam sua passione, & morte meruerit. Hæc tamẽ solutio non placet, & reijcitur primo; nam ideo meruit Angelis gratiam merito fundato in actibus aliarum virtutũ, quia fuit præuisus merens per prædictos actus, præuisione fundata in decreto Christi intentiuo; sed etiam fuit ante decretum largiendi Angelis gratiam præuisus merens per passionem, & mortẽ: ergo meruit Angelis gratiam merito in passione, & morte fundato. Probatur minor; ideò præuisus fuit merens per actus aliarum virtutum, quia Christus, vt sic operans, fuit decretatus, vt finis omnium rerum vniuersi; sed etiam vt moriens, & operans in carne passibili, fuit á Deo decretatus, vt finis omnium, quæ à Deo fuerunt producta, vt *supra* contra Scotum ostendimus: ergo fuit præuisus merens per passionem, & mortem ante decretum de gratia, & gloria Angelorum.

47 *Respõdet Suarez.*

*Reijcitur primo.*

Secundo; vt enim docet Paulus ad Hebræos cap. 10. *Christus vna oblatione consummauit sanctificatos*, id est, oblatione suæ mortis: ergo si Angeli sunt sanctificati per Christum, illorum sanctificario oblatione mortis Christi fuit consummata. Tertio; nam Christus non solum dicitur mortuum pro hominibus fuisse, sed etiam propter illos venisse: ergo non solum negari debet fuisse pro Angelis mortuum, sed etiam, quod propter Angelos venerit; & tamen suo aduentu Angelis profuit, illis gratiam, & gloriam merendo: ergo etiam quamuis sit negandum, Christum pro Angelis mortuum fuisse, poterit affirmari, & concedi, illis sua morte profuisse, gratiam-

48 *Secundo.*

*Tertio.*

tiamque, & gloriam meruisse. Deniq; nam ex eo quod negetur, fuisse pro Angelis mortuum, non sequitur, esse negandum, quod per mortem gratiã Angelorum meruerit; sed nullum aliud fundamentum est ad negandum meritum gratiæ Angelorum in passione, & morte fundatum: ergo id concedendum est.

*Quarto.*

49 *Vera solutio. Ad primã probationẽ minoris.*

Vnde prætermissa hac solutione respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem dicatur, Bernardum loqui de Christo quatenus Redemptore, & gratiam redemptiuam, & sanatiuam merente, qua ratione fuit primo prædiffinitus, & sic verissimum est Angelos non indiguisse Christo, cum quo rectè compatitur, quod Angeli ex decreto Dei libero indiguerint Christo, vt gratiam non sanatiuam, sed gratificatiuam merente. Et ex his ad secundam probationem ex verbis Augustini desumptam dicatur, vocẽ illam, *si Deus pro nobis, quis contra nos?* loquendo de Deo, vt per gratiam redemptiuam iuuante, esse tantum Ecclesiæ prout est in hominibus, & hoc voluisse Augustinum: si autem de Deo loquamur, vt largiente per Christum gratiam non sanatiuam, sed præcisè gratificatiuam, Ecclesiæ prout est in Angelis possunt adaptari.

*Ad secundam.*

50 *Ad tertiã*

Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem: nam ratio quare dicitur mortuus pro hominibus, non est tantum, quia illis per mortem meruit, sed quia primum mortis Christi motiuum fuit homines à peccato redimere, & Christum mori pro aliquo denotat præcipuum mortis motiuum: licet autem sua morte Angelis meruerit gratiam, præcipuum tamen motiuum moriendi, non fuit Angelos iustificare, & ideo non est asserendum, Christum pro Angelis, aut propter Angelos mortuum fuisse.

*Non debet absolutè concedi, Christũ pro Angelis mortuũ fuisse.*

51 Et quidem per passionem, & mortem meruit nobis, vt essemus; siquidem nostra substantia, vt *Tract. de prædestinatione* docuimus, fuit prædestinationis nostræ effectus; & consequenter fuit præmium meriti passionis, & mortis Christi. Meruit etiam per suam passionem, & mortem Angelis illuminationes, & gaudia accidentalia, sibique gloriam corporis, & nominis exaltationem; & tamen non dicitur mortuus pro nobis, vt essemus, sed vt iustificaremur, nec dicitur mortuus pro se, nec pro Angelis illuminandis, & gaudio accidentali ditãdis: ergo pariter ex eo quod Angelis per passionem, & mortem gratiam iustificantem meruerit, non sequitur, mortuum fuisse pro Angelis iustificandis. Quod si non renuatur concedere, pro se Christum mortuum fuisse, nullum inconueniens censebimus, ideriam fateri de Angelis, & Patres contrarium docẽtes facili negotio explicabimus, quod scilicet, negent, Christum mortuũ fuisse pro Angelis redimendis, qualiter fuit mortuus pro hominibus, vel quod non fuit mortuus principaliter pro Angelis, quod etiam verissimum est: non autem, quod nullatenꝰ fuerit pro illis mortuus.

52 *Instabis primo.*

Sed contra hanc solutionem obijciunt contrarij Auctores primo: Christum pro Angelis mori, nihil aliud est, quam pro Angelis sua morte mereri; sed si meruit Angelis gratiam merito in morte fundato, meruit sua morte pro Angelis; nam mereri sua morte pro Angelis, idem est, quod morte Angelis mereri: ergo si meruit Angelis gratiam per suam passionem, & mortem, asserendũ est pro Angelis mortuum fuisse. Secundo; nam Christus *verè, propriè, & absolutè* dicitur mortuus pro liberandis hominibus à peccatis personalibus; & tamen principale, & primarium passionis Christi motiuum, non fuit illos à peccatis personalibus redimere, sed a peccato originali, quod solum præuisum supponitur ad decretum mortis Christi: ergo Christum mori pro aliquo, non denotat primum motiuum mortis: ac proinde ex eo quod iustificatio Angelorum non fuerit illius principale motiuum, si tamen illis meruit per mortem, *absolutè* est affirmandum pro Angelis mortuum fuisse.

*Secundo.*

53 *Ad primã instãtiam respondetur*

Respondeo ad primam instantiam negando maiorem; sed Christum pro Angelis mori, est ad merendum pro Angelis fuisse ex primaria intentione suam mortem destinatam, vt explicatum, & probatum relinquimus: licet au-

tem

tem sua morte Angelis, vel pro Angelis meruerit, nō tamē ad hoc ex primaria intentione fuit mors Christi ordinata; & ideò licet dicatur per suam mortē Angelis meruisse, non est absolute affirmandum pro Angelis mortuum fuisse Et insto, vt *superius* instabam; nam sua morte pro se meruit; & tamen pro se nō dicitur Christus mortuus, sed propter nos homines, & propter nostram salutem Ad secundam, concessa maiori, nego minorem. Nam primarium Incarnationis, & mortis Christi motiuum non fuit solum libertas à peccato originali, sed etiam ab actualibus, vel vt *absolutè* futuris, vel saltim sub conditione quod essent, vt docuimus *supra disputatione* 8. §. 11.

*Ad secūdam.*

54 *Vltimo arguitur*

Denique obijciunt; decretum mittendi Christum, fuit posterius peccato primi Parentis, illiusque præuisionem supposuit, vt absolute futuri; sed peccatum primi Parentis supposuit Angelorum peccatum, & hoc, Angelorum gratiam: ergo decretum mittendi Christū fuit posterius decreto gratiæ Angelos iustificantis: & consequenter gratia non fuit Angelis collata intuitu meritorum Christi Propter hoc argumentum quidam, quos sine nomine refert Vincentius, sequiturque Zippullus vbi *supra cōclusione* 2. duplex distinguūt decretum circa gratiam Angelorum, vnum prius decreto de Christo merente, omnino liberale, & gratuitum, alterum supponēs merita Christi præuisa, quod fuit ex iustitia erga Christum; vnde gratia fuit Angelis collata à Deo liberaliter ex primo decreto, & ex iustitia ratione secundi.

*Respōdēt aliqui.*

55 *Displicet ista solutio.*

Hæc tamen solutio non placet; nam vel decretum illud prius liberale omnino, & gratuitum pertinet ad ordinem intentionis, vel ad ordinem executionis; neutrum horum dici potest: ergo nec duplex hoc decretum circa Angelorum gratiam constitui. Minor pro prima parte probatur; nam prioritas decreti intentiui sumitur ex causalitate finali; sed gratia Angelorum non fuit finis Christi venturi, imo é contra, Christus fuit à Deo decretatus, vt gratiæ Angelorum finis: ergo decretum intentiuum gratiæ Angelos iustificantis, non fuit prius decrèto mittendi Christum. Deinde pro secunda parte suadetur; nā decretum executiuum omnino commensuratur cum obiecto, vt exequēdo, non solum ex parte rei, sed etiam ex parte motiui; sed gratia, vt in executione, fuit collata Angelis ex motiuo iustitiæ erga Christum: ergo decretum omne executiuum gratiæ Angelos iustificantis, fuit ex iustitia erga Christum; & consequenter non datur decretum executiuum illius omnino liberale, & gratuitum.

56 *Respondebis.*

Dices: gratiam in executione fuisse Angelis collatam ex duobus motiuis, nempé, ex motiuo iustitiæ, & ex motiuo liberalitatis: ac proinde duplex decretum executiuum terminauit, vnum liberale antevertens merita Christi, & alterum ex iustitia, illius meritis innitens. Sed contra; nam licet idem possit in executione tribui *proximè* ex motiuo iustitiæ, & liberaliter in radice, *proximè* tamen ex vtroque motiuo, atque virtute non potest; sed gratia Angelorum fuit data in executione *proximè, & formaliter* ex motiuo iustitiæ erga Christum: ergo non fuit *proximè, & formaliter* ex motiuo liberalitatis; & consequenter nullum circa illa datur decretum executiuum, quod liberale sit, & gratuitum *formaliter*. Maior ostēditur primo. quia namque gloria in executione est corona nostrorum meritorum, cum *gratia* vocatur à Paulo, dicente: *gratia Dei vita æterna*, omnes Theologi dictum Pauli interpretātur de gratia prout in radice: ergo quia sentiunt non posse idem ex gratia, & ex iustitia conferri *formaliter proximè*.

*Contra.*

*Maior probatur primo.*

57 *Secundo.*

Secundo; nam ex opposito fieret, vt non obstante, quod gratia nostra iustificans, gratis conferri nobis dicatur à Concilio Tridentino, adhuc possit sustineri nobis ex iustitia ex vi alterius decreti conferri; consequens à nullo admittetur: ergo quia non potest idem *formaliter proximè*, ex motiuo liberali, & ex iustitiæ motiuo conferri. Denique; nam dari gratis, dicit meriti negationem, vt constat ex Tridentino *sessione* 6. *de iustificatione cap.* 7. asserente: *ideò nos dici gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, iustificationis gratiam*

*Tertio.*

*tiam merentur*: ergo non stat, idem respectu eiusdē gratis, & ex iustitia conferri.

58 *Vera solutio.*

Vnde prætermissa hac solutione. Ad argumentum respondeo duplex erga Christum distinguendum esse decretum, vnum intentiuum, & alterum executiuum: primum præuisionem peccati originalis non supposuit, vt omnino independentem, sed illius permissionē tanquam effectum respexit in genere causæ finalis. Secundum fuit posterius præuisione peccati Adami, vt absolutè futuri; & consequenter, licet hoc decretum sit posterius peccato Angelorum, & gratia illos iustificante; decretum tamen primum non est posterius, sed prius, & in vi illius præuisus fuit Christus in carne passibili veniens, moriens, & merens, intuituque meritorum Christi præuisi ex vi huius decreti fuit Angelis data gratia.

59 *Cuidam obiectioni occurritur.*

Nec sequitur, Christum venturum in vi illius decreti intentiui, Adamo nō peccante. Tum, quia licet sit prius permissione peccati originalis, in genere causæ finalis; illud tamen præsupponit in alio genere causæ, nempe, in genere causæ materialis, vt *supra disp.* 8. docuimus. Tum etiam, quia licet in nullo genere causæ præsupponeret originale pecatum; fuit tamen cum illius futuritione connexum. Sicuti ex eo quod decretum intentiuum gloriæ, vt coronæ, meritorum præuisionem præcedat: nō sequitur, futuram gloriam in vi prædicti decreti, meritis nō existentibus; quia licet decretum illud à meritis non causetur, nec illorum præuisionem supponat; illa tamen, vt effectus infallibiliter infert. Quæ contra doctrinam istam opponi possunt, fusè diluimus *supra disputatione* 8.

Ex dictis in discursu disputationis colligo primo, Christum Angelis meruisse, non solum gratiam habitualem, sed etiam auxilia actualia: quod patet; nam est eadem ratio de illis, ac de gratia habituali; sed hanc meruit: ergo etiā illa. Colligo secundo, meruisse Christū Angelis prædestinationem sumptam, non solum pro decreto executiuo, sed etiam pro decreto intentiuo gloriæ, & gratiæ iustificantis: quod patet; nam præcelsit in diuina præuisione Christus merens ad vtrumque decretum cum vi meritoria illius, & aliàs vtrumque meruisse, dignitatem Christi decet, nec reuelatio in oppositum extat: ergo meruit prædestinationem Angelorum in vtroque ordine sumptam. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 13. §. 1. ad illa verba: *Quia ille est caput, in quo est omnis sensus, &c.* Et *dist.* 18. §. 1. ad illa verba: *Meruit quidē membris redemptionem à Diabolo, &c.*

60 *Meruit Christus Angelis auxilia actualia*

*Et prædestinationē sumptā etiam pro decreto intentiuo gratiæ, et gloriæ.*

*M. Sēt.*

*Hæc etiam de Tertio Tomo Nostri Operis dicta sufficiant, Ecclesiæ correctioni subiecta, in laudem, & gloriam Omnipotētis Dei, Virginis Matris, Petri Apostolorum Principis, Petri Oxomensis Nostræ Ecclesiæ Reparatoris Egregij, Parentum Augustini, & Dominici, & Thomæ Doctoris Angelici, cui si quid dissonum inueniatur assertum, libenti animo retractamus, & omnia à Nobis dicta Sapientium emendationi subijcimus.*

FINIS.

# INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM NOTABILIVM,

## Quæ in hoc Tertio Tomo de Incarnatione Diuini Verbi continentur.

D. *vel* Disp. *Disputationem.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*

# A


ACCIDENS.

ACCIDENS inexistens subiecto, operatur tantum vt *quo*: sicut solum vt *quo* existit. Si autem extra subiectum maneat, sicut existit per se *positiuè*, aut *negatiuè*, ita etiam vt *quod* operatur. *Disp.* 41. *num.* 255. *& iterum num.* 268. *&* 269.

Inhærentia ad subiectum est ad minus conditio, & complementum naturale accidentis in ratione operatiui. *Disp.* 41. *num.* 269. *&* 270.

Duo accidentia solo numero distincta, non possunt esse simul in eodem subiecto, siué sint accidentia absoluta, siué respectiua, siué omninò similia, siué aliqua conditione materiali dissimilia. *Disp.* 48. *num.* 36. *& sequentibus.*

ACTIO.

ACtio vitalis exigit à principio intrinseco procedere, ratione innatæ virtutis, saltim *remotè* influentis: vnde nec auditus videre, nec visus audire potest; istæ enim potentiæ virtutem innatam ad tales actus non habent. *Disp.* 40. *num.* 161.

Variata causa efficiēti, necessario debet variari actio, quæ à principio proximo essentialiter dependet: ad differentiam effectus, cui dependentia à causa efficienti, essentialis non est. *Disp.* 40. *num.* 204. *&* 210.

*Actiones sunt suppositorum, & subsistentium*, non solum *denominatiuè*, verum etiam *actiuè*, & *effectiuè* vt *quod*. *Disp.* 41. *num.* 190. *& sequ. maximè à num* 203. *vsque ad* 222. Vbi axioma illud latissimé explicatur, obiectionibusque, & euasionibus occurritur.

Actio, non à secundario obiecto, sed à primario specificationem, perfectionemque desumit: vnde vt actio infinita sit, sufficit adæquatum eius obiectum primarium esse infinitum. *Disp.* 45. *num.* 110.

ACTVS.

Actus *materialiter*, & *obiectiuè* malus, potest esse *formaliter* bonus, & præmij supernaturalis meritorius, specialemque Dei influxum terminare (suppositā aliqua ignorantiā inuincibili) qui tamen actus, ratione indecentiæ moralis, repugnat omninò in humanitate Verbo vnita reperiri. *Disp.* 42. *num.* 94. *& seqq.*

Talis actus terminat specialem Dei influxū, quatenus bonus, & supernaturalis est, non autem vt moralem indecentiam importat. *Ibidem num.* 98.

Actus excedit habitum, & habitus potentiā in malitia morali; excessus enim iste non est excessus in perfectione, sed potius in imperfectione. *Disp.* 42. *num.* 203.

Actus, qui simul bonitate, & malitia morali esset affectus, nō posset in humanitate Verbo vnita manere, non ex ea parte, qua bonitatem respiceret, sed ex ea, qua in malitiam inclinaret; ad differentiam naturæ sensitiuæ, quæ *absolutè* assumptibilis est. *Disp.* 42. *num.* 204.

Vt duo actus specie materiali distinguantur, sufficit, quod rationes *quæ* specie distinctas respiciant, licet in eadem ratione formali sub qua conueniant; vt constat in visione albi, & visione nigri. *Disp.* 48. *n.* 17. *& seqq.*

Actus primario ab aliqua potentia, vel habitu procedens, petit attingere vt *quod*, & in recto rationem formalem *quæ* habitus, vel potentiæ, aut aliquid per modum inferioris sub illa contentum: actus verò secundarius hoc non exigit, sed sufficit illi attingere in obliquo, & *connotatiuè* rationem formalem, habitum, vel potentiam specificantem. *Disp.* 48. *num.* 22.

Idem actus respectu diuersorum obiectorum, vel respectu eiusdem sub diuersa ratione, est liber, & necessarius; sicut esse potest intuitivus, & abstractivus, practicus, & speculativus. *Disp.* 48. *num.* 67. *&* 68. *& fusius num.* 99. *& seqq.*

ADAMVS.

ADamus peccando meruit quoad sufficientiam, carere Redemptore, & non esse gratiæ vnionis non factæ: illius verò nō esse vt iam cōmunicatæ, nec ipse, nec alius potuit demereri, nec de condigno, nec demerito de congruo, quod non datur, nec à Theologis admittitur. *Disp.* 41. *num.* 86. *&* 87.

Adamus non esset caput morale, sed tantum physicum Christi, etiam si ab illo per seminalem rationem eius humanitas traxisset originem. *Disp.* 41. *num.* 439. *& seqq. maximè num.* 441.

In Adamo in statu innocentiæ fuit appetitus sensitivus quantum est de se inclinans ad obiectum delectabile, vel contra rationem, vel rationi conforme, non tamen fuit in illo fomes. *Disp.* 42 *num.* 3

Peccatum capitale Adami esse nō potuit causa efficiens illius qualitatis morbidæ, quam aliqui Auctores fingunt, & in illa fomitem consistere asserunt. *Disp.* 42. *num.* 6.

Subiectio appetitus ad rationem in Adamo, non fuit effectus *adæquatè* gratiæ habitualis, sed etiam donorum petentijs *intrinsecè* inhærentium. *Disp.* 42. *num.* 133.

ADMIRATIO.

ADmiratio est de aliquo nouo, & insolito, fuitque in Christo Domino, quantum ad scientiam experimentalem. *Pag.* 105. *& fusius Disp.* 44. *à num.* 63.

Ad affectum admirationis excitandum non sufficit delectatio orta ex apprehēsione alicuius rei insuetæ, & raræ in eius laudem inanis, absque vlla ignorantia rei, vel causarum eius; si enim hoc sufficeret, esset in Deo admiratio constituenda. *Disp.* 44. *à num.* 68. *vsque ad* 75.

Obiectum admirationis non est res magna, quia magna, sed quia rara, & insolita, taliter, quod eueniat supra cognoscentis expectationem, & supra iudicium, quod de illa ferre posset, attento eo, quod est in re, vel quod cognoscenti apparet aliquo saltim cognitionis genere. *Disp.* 44. *num.* 76. *& seqq. maximè* 80.

Admiratio non supponit essentialiter ignorantiam priuatiuam, & absolutè talem, sed ignorantia negatiua, & aliquo modo, vel genere cognitionis sufficiens est excitare verum admirationis affectum. *Disp.* 44. *à num.* 76.

Admiratio non constituit formaliter in desiderio, vel delectatione, sed tantum causaliter, regulariter loquendo. *Ibidem num.* 82. Vbi differentia inter admirationem, & stuporem ex D. Thoma statuitur.

Omnis admiratio est species timoris; omnis enim admirans, vel timet obiectum, si est malum, vel timet de eo iudicium ferre si est bonum. *Disp.* 44 *num.* 83.

ADOPTIO, ADOPTARE.

Vide, *Gratia habitualis, & Filius adoptiuus.*

ADoptio *est gratiosa assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem.* Explicatur diffinitio, & ex illa deducuntur conditiones quas adoptio requirit. *Disp.* 52. *num.* 1. *&* 10. 11. *&* 12.

AGENS.

LIcet agens finitæ actiuitatis non possit cōtra *infinitè* activū prævalere, nec vnum infinitum contra aliud æqualis actiuitatis: contra infinitum tamen, quod actiuum nō est, prævalere optimè potest. *Disp.* 45. *n.* 80.

AMICITIA.

AMicitia cum Rege non dat operi ex se æquali maiorem valorem meritorium apud ipsum; non enim influit in actum, quo aliquis apud Regem meretur, nec ra-

tione Regiæ amicitiæ maior Reipublicæ vtilitas ex illo opere accreſcit: ad differentiam amicitiæ Dei reſpectu operis meritorij. *Diſp.* 45. *num.* 86.

AMOR.

AMor quo Chriſtus bona extrinſeca Deo volebat, *ſpecificè* materialiter diſtingui tur ab amore, quo illi bona intrinſeca amabat. *Diſp.* 48. *num.* 17. *& ſeqq.*

Amor regulatus per fidem non differt *ſpecificè* ab amore regulato per intuitiuam viſionē: idemque de amore regulato per ſcientiam infuſam, & viſionem claram, dicendum; cognitio enim, aut apprehenſio non eſt obiectum formale, nec *quod*, nec *quo* actus voluntatis, ſed bonitas obiecti. *Diſp.* 48. *num.* 42. 43. *& 44. & num.* 49. *& ſeqq.*

ANALOGIA.

ANalogia inter duo non probatur ex ſola dependentia vnius ab altero: vt conſtat in cauſa efficienti, & finali, à qua efficiens eſſentialiter dependet. *Diſp.* 40. *num.* 120.

ANGELVS.

ANgeli nec notitia naturali, nec ſupernaturali, extra Verbum, nec in Verbo per beatificam viſionem cognoſcunt diem Iudicij *Diſp.* 44 *num* 35. *& ſeqq.*

Si Angeli diem Iudicij cognoſcerent, eſſet ex reuelatione Chriſti, qui eſt illorum caput, & Magiſter, eoſque illuminat, & ex eius influxu gratiam, & gloriam acceperūt. *Diſ.* 44. *num.* 38. *& ſeqq.*

Non ſolum intellectus vnius Angeli differt eſſentialiter ab intellectu alterius, ſed etiam inter illorum voluntates datur ſpecifica, & eſſentialis diſtinctio, & multo magis inter voluntatem hominis, & Angeli. *Diſp.* 48. *num.* 56. *& 57.*

Angelus ratione propriæ naturæ, non eſt filius adoptiuus Dei, licet *analogicè* cum illo conueniat, nec ratione ſuæ naturæ eſt filius adoptiuus, nec naturalis Dei, vt naturæ conditoris. *Diſp.* 52. *à num.* 35. *vſque ad* 45.

Eſt tamen ratione propriæ naturæ filius Dei filiatione in creatione fundata. *Ibidem n.* 43. quæ filiatio dici poteſt cōnaturalis. *N.* 45.

Quomodo vnus Angelus alium adoptare poſſit, explicatur. *Diſp.* 52 *num* 66.

Angeli in gratia exiſtentes ſunt filij Dei adoptiui. *Diſp.* 52. *num.* 218. 219 220. Sunt etiā fratres Chriſti, & ſponſæ, licet non ita proprié, ac homines iuſti. *Ibidem.*

Angelos non redemit Chriſtus, nec pro illis mortuus fuit. *Diſp.* 57. *num.* 2. *&* 3.

Angeli obtinuerunt gratiam, eſſentialemque beatitudinem, ex merito Chriſti. *Diſp.* 57. *à num.* 6.

Angeli intelliguntur per nonaginta nouem oues relictas in deſerto. *Diſp.* 57. *num.* 9.

Iudicare Angelos quoad gaudia accidentalia in die Iudicij pertinet ad Chriſtum vt hominem; quantum verò ad gratiam, & gloriam eſſentialem, ad Chriſtum vt Deum pertinet, licet vtrumque illis meruerit. *Diſp.* 57. *num* 39.

Licet Chriſtus ſua morte Angelis, vel pro Angelis meruerit, non tamen eſt abſolutè affirmandum mortuum fuiſſe pro illis. *Diſp.* 57. *num.* 53.

Meruit Chriſtus Angelis auxilia actualia, & prædeſtinationem ſumptam, etiam pro decreto intentiuo gratiæ, & gloriæ. *Ibidem num.* 60.

ANIMA RATIONALIS.

ANima rationalis, quia aliqua ratione ſubſiſtit, quatenus à materia non depēdet, nec ex illa educitur, etiam aliqua ratione per ſe fit, & creationem terminat: non tamē proprié fit, nec fit propter ſe, ſed propter totum ad quod conſtituendum, vt ad finem ordinatur. *Diſp.* 41. *num.* 257.

Anima rationalis corpori coniuncta, non dicitur proprié intelligens vt *quod*: benè tamen in ſtatu ſeparationis, licet non ſit *completè* perſona, ob aptitudinalem communicationem ad corpus, quam naturaliter appetit. *Ibidem num.* 258. *&* 268.

Anima rationalis non eſt ſubiectum *quod* adæquatè receptiuum intellectionis, ſicut nec eſt principium *quod* adæquatè elicitiuum illius; eſt enim actio vitalis, quæ in eodē ſubiecto, à quo egreditur, recipitur. *Diſp.* 41. *num.* 261.

Animæ in Purgatorio exiſtentes non merentur ſui eſſentialē beatitudinē: illam tamen mererentur ſi ſtatus viæ ad meritum non deſideraretur. *Diſp.* 47. *num.* 68. 69. *&* 70.

APPETITVS.

LIcet appetitus ſit *localiter* diſtans à pedibus, poteſt pedes mouere *localiter* propter indiſtantiam animæ, ex quā, & appetitu adæquata cauſa talis motus conſtatur. *Diſp.* 40. *num.* 128.

Appetitum ſenſitiuum fuiſſe in Chriſto, eſt veritas fidei. *Diſp* 42. *num.* 1. Aliqui etiam

illius actus, vt triſtitia, timor, ira, &c. in Chriſto extiterũt, ne fruſtraneus, & otioſus eſſet. *Ibidem num.* 2.

Pugna interior appetitus contra rationem, cõ ſiſtit in contrarietate appetitus ad rationẽ, quæ in Chriſto non fuit. *Diſp.* 42. *num.* 57.

Licet appetitus ſenſitivus ſecundum ſe inſpectus, & vt rationem præueniens, non poſsit bonum, aut malum *formaliter* attingere; *cauſaliter* tamen, & *inclinatiuè* in obiectum prohibitum fertur. vnde fomitis rationem ſortitur. *Diſp.* 42 *num.* 58. *& ſeqq.*

Appetitus ſenſitiuus, ligari, & extingui poteſt per aliquam formam permanentem creatam ab vnione hypoſtatica, & viſione beatifica diſtinctam; nec talis forma repugnat in appetitu, eſto reſpectu voluntatis dari nõ poſſet illam ab intrinſeco impeccabilem conſtituens. *Diſp.* 42. *à num.* 148. *vſque ad* 159.

Tali forma in appetitu ſuppoſita, & ſuppoſito rationis imperio, libere illi obſequeretur: licet enim non poſſet in negationem motus per rationẽ imperati compoſitam cum imperio, poſſet tamen in illam ſumptam *negatiuè*, & *præciſsiuè* ab imperio. *Ibidem num.* 159.

APPREHENSIO.

APprehenſio finis, vel obiecti appetibilis, eſt cõditio eſſentialiter requiſita, vt actꝰ voluntatis eliciatur. *Diſp.* 40. *num.* 139. & 140

Apprehenſio non eſt obiectum formale, nec *quod*, nec *quo* voluntatis: vnde ſtante eadem bonitate ſpecifica in obiecto propoſito, non multiplicantur *ſpecificè* actus voluntatis, etſi regulæ, aut apprehenſiones varientur. *Diſp.* 48. *num.* 42. 43. & 44.

AQVA.

AQua Baptiſmalis virtute propria tangit corpus, & animam abluit virtute diuina *Diſp.* 40. *num.* 122.

Aqua calida non cauſat calorem ratione ſibi innatæ virtutis, ſed ratione caloris illi ab extrinſeco advenientis, cui in calore producto correſpondet formalitas, nempé prædicatum caloris, in quo vterque calor aſſimilatur. *Diſp.* 40. *num.* 159. & 160.

Aqua verè denominatur *calida*, & *calefaciens*, licet calor, & calefactio ſint illi diſconueniẽtes. *Diſp.* [illegible]. *num.* 195. & 196.

ATTRITIO.

ATtritio ſupernaturalis ſufficiens ad Sacramentum, & eius effectũ, ſcilicet gratiã, quãuis ſit dolor efficax peccati, non eſt perfecta retractatio illius, nec eius exiſtẽtiã moralem tollit. *Diſp.* 41. *num.* 44. & 45.

AXIOMA.

AXioma illud: *Sicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis*, intelligitur de cauſa adæquata, non de cauſa inadæquata. *Diſp.* 41. *num.* 438.

Axioma illud: *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati per cauſam*, explicatur. *Diſput.* 50. *num.* 16. & *Diſp.* 51. *num.* 50 & 64.

Axioma illud: *Quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione*, explicatur. *Diſp.* 55. *num.* 194.

B

BEATI. BEATORVM ANIMÆ.

BEatorum animæ non ſunt in ſtatu merẽdi: licet enim careant beatitudine corporis, corpori tamen non ſunt vnitæ, & impaſſibiles ſunt: ad differentiam animæ Chriſti Domini, quæ corpori paſsibili fuit vnita. *Diſp.* 45. *num.* 5. & *ſeqq.*

Beati non merentur nobis merito condigno, nec congruo, dona gratiæ; ſunt enim extra ſtatum viæ, ad quodcumque meritum requiſitum *Diſp.* 47. *num* 66.

Beati non merentur ſibi gaudia accidentalia, v. g. ſui nominis exaltationem, nec ſuorum corporum gloriam. *Diſp.* 47. *num* 67.

Beati ſunt in ſtatu orandi, & impetrandi nobis beatitudinem animæ, ſibique beatitudinem corporis; extra ſtatum tamen merendi ſunt conſtituti. *Diſp.* 47. *num.* 74. & *ſeqq.*

Beati de facto non habent potentiam proximam ad negationem dilectionis Dei: quam tamen haberent ſi ab illis viſio Dei ſepararetur. *Diſp.* 49. *num.* 185. & 186.

BENEFICIVM.

Vide *Oppoſitores ad Beneficium.*

BEneficium in ſuo formali conceptu importat rationem boni, & rationem facti. *Diſp.* 45. *num.* 41.

Beneficium, vt conferendum in concurſu æquè digni, pluris æſtimatur, quam vt ſine tali concurſu dandum; eſt enim magis liber conferens in primo caſu, & poteſt, cui maluerit, ſine alterius iniuria conferre: in ſecundo verò caſu tenetur ex iuſtitia digno dare. *Diſp.* 45. *num.* 68.

Beneficium debet ex iuſtitia digniori conferri; dignus enim *abſolutè*, eſt in concurſu dignioris *poſitiuè* indignus. *Ibidem.*

BONITAS.

BOnitas ſequitur ad veritatem ſecundum rationem communem intelligibilitatis obiecti, non ſecundum peculiares modos intelligibilitatis, ex hoc, vel illo motiuo, & licet ad diuerſum intellectum ſequatur diuerſa voluntas, non tamen ſequitur ad diuerſam veritatem, diuerſa bonitas in obiecto. *Diſp.* 48. *num.* 55. 56. & 57.

C

CARTVSIANVS.

CArtuſianus à carnibus abſtinẽs abſtinentia inferente mortem, ob vota ſuæ profeſſionis ſeruanda, non dicitur *propriè* vitam deſerere, ſed tantum ſe ſubdere cauſis inducentibus mortem. *Diſp* 49. *num.* 53. & *maximè num.* 58.

CAVSA.

Vide *Inſtrumentum, & effectus.*

CAuſa, quæ eſt prima in aliquo genere, eſt in tali genere principalis, & nequit eſſe inſtrumentalis. *Diſp.* 39. *num.* 6.

Idem ſub diuerſa ratione poteſt eſſe cauſa principalis meritoria, & phyſica. *Diſp.* 39. *à n.* 12. *vſque ad* 25.

Cauſa ſecunda principalis eſt aliqua ratione inſtrumentum, cauſæ primæ comparata, in quantum ab illa mouetur, & ad operandum applicatur. *Diſp.* 40. *num.* 47.

Poteſt effectus ab aliqua cauſa effici ratione virtutis ab extrinſeco aduenientis, quin in tali cauſa ſupponatur virtus, adhuc inchoata, & remota, reſpectu talis effectus: ſicut conſtat in aqua calida. *Diſp.* 40. *num.* 87. & *ſeqq.* & *num.* 159. 160. & 161.

Cauſa inſtrumentalis phyſica excedit in proprietate efficiendi cauſam principalem moralem. *Ibidem.*

Si cauſa phyſica principalis, & inſtrumentalis conueniunt *analogicè* in ratione cauſæ phyſicæ efficientis; neceſſario dicẽdum eſt cauſam principalem moralem, & morale inſtrumentum non conuenire *vniuocè*. *Diſp.* 40. *num.* 120.

Non requiritur quod cauſa efficiens adæquata ſecundum omnes partes ſit localiter indiſtans à ſubiecto in quod operatur, ſed ſufficit, quod ſecundum aliquid, ex conſtitutibus cauſam, talem indiſtantiam habeat. *Diſp.* 40. *num.* 128.

Variata cauſa efficiente, poteſt effectus *phyſicè* invariatus manere. *Diſ.* 40 *n.* 204. & 210.

Cauſæ moralitas non obſtat efficientiæ phyſicæ in ſenſu Theologico. *Diſp.* 41. *n.* 79. & *ſeqq.*

Nec quod cauſa, ſeu extremum, ſit phyſicum, impedit quin poſsit effectum moralẽ cum morali extremo *phyſicè* in eodem ſenſu pugnantem cauſare. *Diſp* 41 *num.* 144.

Cauſa partialis, ſicut etiam cauſa adæquata, alia eſt adæquata adæquatione cauſæ, & effectus, alia tantũ adæquata adæquatione effectus: alia adæquata quoad ſufficientiam; alia quoad efficaciam. *Diſp.* 47. *num.* 37. & *ſeqq.* Vbi termini explicantur, & meritis Chriſti applicantur.

CAVSALITAS.

NOn implicat mutua inter duo cauſalitas in eodẽ genere cauſæ ſubalterno, & diuiſibili in diuerſos modos cauſandi; in eodem tamen genere infimo dari non poteſt. *Diſp.* 50. *num.* 13. & *ſeqq.* & *n.* 43. 44. & 45.

Cauſalitas virtualis tunc inter duo datur, quando taliter comparantur, quod ſi realiter, aut formaliter diſtinguerentur, intercederet realis, aut formalis vnius in alium influxus. *Diſp.* 56. *num.* 174. & 175.

CHARITAS.

Vide, *Dilectio Dei.*

CHaritas eſt libera libertate virtutis, & vt *quo*, nõ verò vt *quod*: vnde ipſa non debet præbere poſſe ad vtrumq; extremũ, ſed ſufficit, quod det proximam potentiam ad amorem, permittendo in voluntate potentiam ad oppoſitum amoris. *Diſp.* 43. *n.* 77. & 78.

Charitas ſolum erga obiectum primarium operatur neceſſario, & ſecundum totũ, quod poteſt: ad differẽtiam luminis gloriæ, quod etiam circa obiectum ſecundarium virtus libera non eſt. *Diſp.* 48. *num.* 14.

Nec habitus charitatis, nec actus, præſtant de facto filiationẽ adoptiuam formaliter. *Diſp.* 52. *à num.* 57.

Charitas eſt formalis amicitia, & ad illam cõcurrit *conſtitutiuè* partialiter: ad filiationem verò adoptiuam concurrit tantum *conſecutiuè*. *Diſp.* 52. *num.* 88.

Charitas excedit omnes virtutes, exceditur verò à gratia, quæ eſt communis omnium virtutum radix. *Ibidem.*

Homines tenentur ex charitate diligere Angelos tanquam proximos, fratreſque Chriſti, & noſtri. *Diſp.* 52. *num.* 220.

CHRISTVS.

Vide, *Verbum Diuinum, & fomes.*

CHristum vt hominem plurima effeciſſe miracula, eſt de fide. *Diſp.* 39. *num.* 1. 2. 3 & 4.

Chriſtus vt homo fuit cauſa principalis moralis miraculorum, non ſolum ſubſequentiũ Incarnationem, ſed etiam reſpectu eorum, quæ illam tempore præceſſerunt. *Diſp.* 39. *à num.* 5. & *Diſp.* 40 *num.* 49. & *ſeqq*

Chriſtus, vt homo, non fuit cauſa efficiens phyſica principalis miraculorum. *Diſp.* 40. *à num.* 1. *vſque ad* 5.

Nec fuit cauſa principalis moralis, & ſimul inſtrumentalis moralis. *Ibidem num.* 56. & *ſequentibus.*

Non potuit connaturaliter in miracula influere; iſta tamen impotentia eſt tantum negatiua imperfectio, quæ illi non repugnabat. *Diſp.* 40 *num.* 62.

Chriſtus vt homo efficiebat miracula imperando, non tanquam virtute propria efficiẽda; ſic enim ſigna ſunt diuinitatis, ſed in miracula influebat imperando virtute alterius fienda; prout ſic enim non ſunt diuinitatis indicia, ſed imperativus iſte concurſus creaturæ poteſt cõperere. *Diſp.* 40. *n.* 105.

Chriſtus nos redemit, & à Dæmonis poteſtate eripuit, non vt cauſa phyſica, ſed moralis per modum ſatisfactionis, & meriti: ad differentiam miraculorum, in quæ *phyſicè inſtrumentaliter* influxit. *Diſp.* 40. *num.* 112.

Chriſtus aſſumere non debuit defectum peccati, nec originalis, nec actualis. *Pagina* 99. & *Diſp.* 41. *num.* 1. & *ſeqq.*

In Chriſto non fuit fomes peccati, nec ignorantia priuatiua: ignorantia vero negatiua, quæ proprié neſcientia dicitur, illi non repugnat. *Pag.* 99. & 100.

Chriſti anima fuit paſsibilis paſsione corporali, & etiam paſsione animali; aliter tamen ac nos. *Ibidem.*

In Chriſto Domino fuit dolor ſenſibilis, non tamen neceſsitas illum patiendi per comparationẽ ad cauſam primam doloris, quæ eſt peccatum originale, ſed per comparationem ad cauſam proximam illius, quæ eſt compoſitio ex contrarijs. *Pag.* 101. & 102.

Fuiſſe etiam in illo triſtitiam, eſt de fide. *Ibid.*

In Chriſto Domino fuit admiratio quantum ad ſcientiam experimentalem: & ira, non per vitium, ſed per zelum, & ſecundum ordinem iuſtitiæ: fuitque Chriſtus ſimul viator, & comprehenſor. *Pag.* 105.

Chriſtum de facto non peccaſſe, nec in peccato fuiſſe, eſt certum ſecundum fidem. *Diſp.* 41. *num.* 1. & *ſeqq.*

Chriſtus non fuit in Adam ſecundum ſeminalem rationem, ſed ſecundum corpulentam ſubſtantiam, quatenus carnem aſſumpſit ex Virgine, quæ in Adamo fuit contenta: vnde originale peccatum non contraxit. *Diſp.* 41. *num.* 9.

Chriſto capiti attribuuntur ea, quæ membris conueniunt, etiam cum de peccatis agitur: licet enim non ſint capitis *effectiuè*, aut *influxiuè*, ſunt tamen illius *reputatiuè*. *Diſp.* 41. *à num.* 14. *vſque ad* 17.

Iſtæ tamen propoſitiones: *Chriſtus quotidie peccat, Chriſtus quotidie peccauit*, ſcandaloſæ ſunt, nulloque modo admittẽdæ; denotant enim influxum Chriſti in peccata. *Ibidem n* 17.

Chriſtus non potuit de lege ordinaria peccare, *Diſp.* 41. *num.* 18.

Imo nec de potentia abſoluta nedum in ſenſu compoſito, ideſt, vnione humanitatis ad Verbum retenta, verum etiam in ſenſu diuiſo, vnione ſcilicet, per peccatum deſtructa. *Diſp.* 41. *à num.* 24 *vſque ad finem.*

Senſus difficultatis aperitur, terminique explicantur. *à num.* 19. *vſque ad* 23.

In Chriſto Domino non fuit fomes, nec per modum actus primi, nec per modum actus ſecundi, nec eſſe potuit de potentia abſoluta. *Diſp.* 42. *per totam.*

Et licet in illo fuga mortis præceptæ extiterit, non tamen pugna interior appetitus contra rationem, nec voluntatum cõtrarietas, quæ licet circa idem obiectum verſaretur, non ſub eadem ratione illud attingebant. *Diſp.* 42. *num.* 56. & *ſeqq.*

Chriſtus de facto nullũ conſilium fuit tranſgreſſus. *Diſp.* 43. *num.* 6. & 7. Nec potuit de potentia abſoluta. *Ibidem à num.* 12.

Si Chriſtus vt homo eſſet legis pœnalis capax, non poſſet illam tranſgredi propter imperfectionem moralem poſitiuam, & reprehenſione dignam, à qua talis tranſgreſſio depurari non poteſt. *Diſp.* 43. *num.* 16. & *ſeqq.*

Sex modi componendi libertatẽ in operibus conſiliatis cum voluntate Chriſti impeccabili referũtur, & reijciuntur. *Diſp.* 43. *à num.* 26. *vſque ad* 80. Et *Diſp.* 49. *n.* 145. & *ſeqq.*

Verus modus conciliandi libertatem in operibus conſiliatis in voluntate Chriſti cum impotentia recedẽdi à conſilijs, eſt, quia licet non poſsit in actum, nec in negationem ac-

tus consiliati,& Deo magis placentis, potẽtia consequenti, & in sensu cõpositoconsilij poterat tamen potẽtia antecedenti, & in sensu diuiso. Termini explicantur, pulchraque doctrina materiam de auxilijs, scientia, & præcepto Christi concernens, traditur, & defenditur. *Disp.* 43. *num.* 81. *& seqq.*

Cum visione beatifica, & iudicio dictãte Christo Domino gratius esse Deo opus consiliatum exequi, quam illud omittere, erat illi possibile (non possibilitate consequenti, sed antecedenti) aliud iudicium prudens dicta is omissionem, non sub omnibus circunstantijs, *nic*, & *nunc*, opus consiliatum circunstantib us, sed inspectis tantum illis, quæ per se ab obiecto exiguntur. *Disp.* 43. *à num.* 94. *vsque ad* 114. *maxime n.* 98. *& 99*

Licet potuerit Christus de potentia absoluta omni morali perfectione carere, non tamẽ potuit actum minus perfectum, minusque intensum elicere perfectiori, & intensiori omisso suppositio de illo consilio; & ista esset imperfectio moralis priuatiua, alia verò foret solũ negatiua. *D.* 43. *n.* 119. *& seqq.*

Si Christus esset physicé necessitatus ad opera perfectiora, & ad optime operandum, non saluaretur in illo libertas ad meritum sufficiens per hoc, quod inter actus optimos, posset hunc, vel illum eliecre. *Disp.* 43. *à num.* 123. *vsque ad* 127.

Christus non fuit necessitatus ad optimum efficiendum, & ad opus perfectius operandũ, quia perfectius est, sed quia à Deo consultũ: vnde si opus minus perfectum consuleret, culmen perfectionis exigeret operari minus perfectum. *Disp.* 43. *num.* 137.

In Christo de facto nulla fuit ignorantia sumpta priuatiué, hoc est illarũ rerum, quas scire ad statũ Christi spectabat. *Disp.* 44. *à n.* 18.

Licet Christus de facto scientias speculatiuas non docuerit, illas tamen sciuit, vt posset eas docere, quod ad perfectionem vniuersalis Magistri pertinet. *Ibidem num.* 22.

Christus vt homo diem Iudicij cognouit, & oppositum asserere est hæreticum *Disp.* 44. *num.* 25. *& seqq.*

In Christo Domino fuit veré, & proprié admiratio secundum scientiam experimentalem. *Disp.* 44. *à num.* 63. *vsque ad* 93. Vbi plura de admiratione, eiusque obiecto attinguntur.

Christus nec vt vniuersalis Ecclesiæ Magister, & Caput, nec vt particularis Doctor potest errare. *Disp.* 44. *num.* 113.

In Christo Domino constituendæ sunt duæ operationes, humana scilicet, & diuina; sicut datur in illo duplex natura, duplexque operatiua virtus. *Pag.* 351. *&* 352.

De fide est Christum Dominum aliquid meruisse. *Disp* 45. *à num.* 1. *vsque ad* 9.

Christus meruit in pr.mo suæ cõceptionis instanti, & oppositum iam sustineri non potest. *Disp.* 47. *à num.* 2.

Christus meruit per actus, ad quos ex præcepto posi iuo tenebatur. *Disp.* 49. *à num.* 2.

Christus fuit incapax voti, nõ autem iuramẽti, imo aliquãdo iurauit. *D.* 49. *n.* 92. 93. *&* 94.

De fide est Christum vt Deum filium adoptiuum non esse, nec talis debet absoluté dici, *Disp.* 53 *num.* 1.

Christus, in quantum homo, non est Filius adoptiuus Dei, & opposita sententia diuersi mode à Theologis censuratur. *Disp.* 53. *à num* 5. Quid autem sit de censura dicendũ. *num.* 225. determinatur.

Quinque rationes, quibus diuersi Theologi ad cõmunem sententiam suadendam vtuntur, referuntur, & reijciuntur, *à n.* 43. *vsq; ad* 58.

Christus vt homo est veré, & proprié seruus Dei, non seruitute legali, sed seruitute naturali in ratione creaturæ fundata. *Disp.* 53. *à num.* 124. *vsque ad* 165.

Christus, in quãtum homo nõ potest dici persona extranea à Deo ratione naturæ humanæ extraneæ: dicitur tamen, & est intraneus respectu B. Virginis, & Filius naturalis illius ratione naturæ humanæ cum illa intraneæ, & conformis. *Disp.* 53. *à n.* 199. *vsq; ad* 207.

Christum vt hominem esse Filium naturalem Dei in sensu materiali, & identico, est de fide. *Disp* 54. *num.* 1.

Christus, in quantum homo, ly *in quantum* reduplicante humanitatem, vt fundamentum filiationis, non est Filius naturalis Dei. *Disp.* 54. *à num.* 4. *vsque ad* 27.

Christus, vt homo, non est Filius naturalis Dei filiatione fũdata in sanctificatione humanitatis à Verbo, ly *vt* specificante humanitatem. *Ibidem à num.* 27.

Christus, in quantum homo, ly *in quantum* reduplicante humanitatem diuino Verbo cõiunctam, non est Filius Dei proprius. *Disp.* 54. *à num.* 69.

Christus, in quantum homo, nõ est Filius Dei filiatione fundata in creatione, & dependentia naturæ rationalis à Deo. *Disp.* 54. *num.* 120. 121. *&* 122.

Christus, in quantum homo, per gratiam v-

nionis est Filius Dei naturalis *formaliter*, ly *in quantum* determinante in recto, non naturam, sed suppositum, vt in illa subsistens, non *reduplicatiuè*, sed *specificatiuè*. *Disp.* 54. *à num.* 123.

Christus vt homo non est Filius naturalis sui, aut Spiritus Sancti, sed solius Patris Æterni. *Ibidem num.* 171 & 172.

Filiatio, qua Christus vt homo est Filius naturalis ß. Virginis, non est realis, sed rationis *Disp.* 54 *num.* 173. & *seqq.*

Christus vt possibilis non terminat amorem diuinum, nec est *proximè* capax gratiarum actionis, nec proximum susceptiuum gratiæ, nec prædestinationis, aut reprobationis. *Disp.* 55. *num.* 80. & *seqq.*

Christus vt homo nō potest ad gloriam adoptari, licet possit ad filiationem Dei naturalē prædestinari. *Disp.* 55. *num.* 144.

Hæc propositio *hic homo* (Christo signato) *factus est Deus*, est falsa; hæc autem: *Hic homo in quantum homo factus est Filius Dei per gratiam vnionis*, potest vt vera concedi. *Disp* 55. *à num.* 158. *vsque ad* 168.

Hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, etiam sine reduplicatione, est vera. *Ibidem num.* 169.

Hæc propositio: *Filius Dei prædestinatus est esse homo*, non est vera in rigore sermonis. *Disp.* 55. *num.* 172. & 173.

Hæc etiam est falsa: *Filius Dei prædestinatus est esse Filius Dei*, licet in aliquo sensu debeat admitti. *Ibidem num.* 174. & *seqq.* Vbi variæ propositiones hanc materiam concernentes examinantur.

Finis principaliter intentus per Christi prædestinationem non fuit essentialis animæ beatitudo. *Disp.* 55. *num.* 193.

Christus vt homo non dicitur prædestinatus simpliciter, & absolutè ex ordine ad beatitudinem. *Ibidem num* 195. & *seqq.*

Fuit tamen propriè prædestinatus ad gloriam humanitatis. *Ibidem num.* 206. & *sequentibus.*

CHRISTI HVMANITAS.

HVmanitas Christi, nec habuit, nec habere potuit omnipotentiam à se. *Disp.* 38. *num.* 1.

Humanitas Christi ex vi vnionis ad Verbum non fuit constituta *simpliciter* omnipotens. *Ibidem à num.* 2.

Humanitas Christi potest scire omnia, quæ scit Deus scientia visionis, idest, omnia existentia, non tamen potest omnia existentia producere. *Disp.* 38. *num.* 15. & *seqq.*

Humanitas Christi, non solum *moraliter principaliter*, sed etiam *physicè instrumentaliter* in effectus miraculosos influebat. *Disp.* 40. *à num* 8.

Ad sic influendum non requiritur, quod ratione sui possit influere, sed sufficit, quod possit ab alio recipere virtutem, per quam in tales effectus influat. *Disput.* 40. *numero* 87. & *seqq.* Vbi differentia inter principalem, & instrumentalem concursum explicatur.

Vt humanitas Christi influat *instrumentaliter physicè* in gratiam, constitui debet in illa forma aliqua *intrinsecè* eleuans, ratione cuius datur in humanitate mutatio intrinseca sufficiens, vt in illa realis ordo, seu relatio efficientis fundetur. *Disp.* 40. *num.* 170.

Humanitas Christi forma intrinseca supernaturali eleuata, non est causa principalis gratiæ; non enim ex qualibet sufficientia causalitas principalis infertur. Quod ratione, duplicique exemplo monstratur. *Ibidem.*

Non influit *physicè* instrumentaliter in effectus miraculosos ratione potentiæ obedientialis *immediatè*, & *proximè* actiuæ, nec per omnipotentiam, vt formam eleuari potest, extrinsecaque subordinatio ad Deum, eiusque extrinseca assistentia non sufficit, sed necessario requiritur forma creata humanitati intrinseca, quæ non motio, sed qualitas est dans posse per modum actus primi. *Disp.* 40. *num* 245. 246. & 247.

Præter hanc formam alia ad operationem applicans debet assignari. *Ibidem num.* 248.

Humanitati Christi *præcisè* ex vnione ad Verbum omni alio dono supernaturali secluso, repugnat de potentia absoluta omne peccatum graue habituale. *Disp.* 41. *à num.* 24. & habituale leue, *à num.* 92.

Cum hoc tamen stat Deum (cui repugnantia cum omni peccato conuenit per essentiam, & à se) esse magis sanctum, quam humanitas, cui non per essentiam, sed per communicationem prædicta repugnantia conuenit. *Ibidem numero.* 101. & *sequentibus.*

Humanitas Christi non est sancta *infinitè simpliciter* in omni genere sanctitatis nec æquè bona, & amabilis, ac Deus, nec hoc necessarium est, vt illi essentialiter repugnet peccatum veniale. *Disp.* 41. *num.* 105. 106. & *seqq.*

Implicat humanitatem Verbo vnitam delinquere peccato actuali cum vnione compoſito. *Diſ.* 41. *à num.* 124.

Hoc ipſo, quod humanitati vnitæ, ratione vnionis ad Verbum, debeatur ex natura rei fruitio beatifica, ex qua redditur ex natura rei impeccabilis, repugnat illi peccatum, etiam de potentia abſoluta. *Diſp.* 41. *num.* 136. & 137.

Si poſſet humanitas aſſumpta peccare peccato cum vnione compoſito, poſſet etiam ſuppoſitum Verbi, vt ſubſiſtens in illa peccare, & eſſe ſpecialis peccati cauſa. *Diſp.* 41. *à num.* 190.

Humanitas Chriſti non fuit genita vt *quod* ex Beatiſsima Virgine, ſed tantum vt *quo*: vnde Chriſtus fuit vt *quod* genitus. *Diſp.* 41. *num.* 257.

Humanitati Chriſti, pro priori ad vnionem ad Verbum, non inſunt intellectus, & voluntas; pro tunc enim non ſupponitur exiſtentia ſubſtantialis, quam omnia accidentia, etiam propria, præſupponunt. *Diſput.* 41. *num.* 266. & 267.

Humanitas Chriſti, nec de potentia abſoluta potuit peccare in ſenſu diuiſo, hoc eſt peccato deſtruente hypoſtaticam vnionem. *Diſp.* 41. *num.* 271. *maximè à num.* 313.

Non poteſt Deus, etiam de potentia abſoluta, permittere peccatum in humanitate vnita, aut concurſum ad bonum, & malum indifferentem illi offerre, quin ſit ſpecialis cauſa peccati. *Diſp.* 41. *num.* 308. & *ſeqq.*

Humanitati Chriſti habenti potentiam remotam peccandi, repugnat potentia proxima in actu primo ad peccandum expedita: potentia enim proxima, non ſolum ſeparari poteſt à remota, verum etiam repugnare ex alio principio ſeu ratione illius impediri in ſubiecto, cui ex natura ſua potentia remota conuenit. *Diſp.* 41. *num.* 361.

Humanitas Chriſti, ex vi ſubſiſtentiæ Verbi, immutatur in ſuo modo intrinſeco operandi, & impeditur illius indifferentia quoad ſpecificationē; exceditque alias humanitates, non exceſſu virtutis operatiuæ, ſed exceſſu complementi virtutis. *Diſp.* 41. *num.* 366. 367. & 368.

Humanitas Verbo vnita poteſt omittere actū præceptum potentia antecedenti, in ſenſu diuiſo, & omiſsione ſumpta *negatiuè*, & *præciſsiuè* à præcepto, non autem potentia conſequenti, in ſenſu compoſito, & omiſsione *priuatiuè* accepta. *Diſp.* 41. *n.* 376. & *ſeqq.*

Vt humanitas Chriſti præceptis ſupernaturalibus obligetur, tenetur Deus gratiam ſupernaturalem illi conferre, vel offerre, & licet ex vi illius impeccabilis non conſtituatur, ſine illa tamen præceptis ſupernaturalibus obligari non poteſt. *Diſp.* 41. *numero* 381. & *ſeqq.*

Humanitas Chriſti conſtituitur *proximè* & *adæquatè* impeccabilis, hoc ipſo quod per ſubſiſtentiam Verbi terminetur, quin ad hoc requiratur negatio concurſus indifferentis ad bonum, & malum: licet vt intelligatur potentia *proximè* operatiua boni, requiratur paratus concurſus ex parte Dei ad bonum. Quod, ratione, & exemplis oſtenditur. *Diſp.* 41. *num.* 384. 385. & 416.

Eſto humanitas Chriſti ſe ad vnionem hypoſtaticā per actus eam pro ſigno naturæ præcedentes, diſponeret, illamque de congruo mereretur; adhuc non poſſet illi conuenire potentia expedita ad peccandum. *Diſp.* 41. *num.* 414.

Impotentia peccandi cōueniens humanitati Chriſti ex terminatione ſubſiſtētiæ Verbi, eſt phyſica *philoſophicè*: quæ autē illi conuenit ratione ſummæ ſanctitatis, aut ratione obligationis, quæ eſt in Verbo gubernādi humanitatem, eſt phyſica *Theologicè*, & non moralis in hoc ſenſu. *Diſp.* 41. *n.* 417. 418. & 419.

Humanitas Verbo vnita nō fuit præuiſa à Deo in ſtatu conditionato cum peccato actuali cōiuncta, nec potuit ſic præuideri. *Diſp.* 41. *à num.* 422. *vſque ad* 433.

Etiam ſi humanitas Verbo vnita ex Adamo per ſeminalem propagationem originem traheret, non contraheret, nec contrahere potuiſſet peccatum originale. *Diſp.* 41. *à n.* 434. *vſque ad* 438.

De facto tamen non ſic ab Adamo deſcendit, ſed tantum ſecundum corpulentam ſubſtantiam, licet de potentia abſoluta potuerit aliter euenire. *Ibidem.*

In prædicta hypoteſi non poſſet humanitas Chriſti habere debitum contractionis peccati originalis, nec Adamus eſſet caput morale illus, ſed tantum phyſicum ad differentiam paruulorum, & Beatiſsimæ Virginis (in aliquorum ſententia, nedum in gratia, ſed etiam in gloria conceptæ) *Diſp.* 41. *à num.* 439. *vſque ad* 444.

Caſu in quo aſſumererur à Verbo humanitas peccato infecta, non ſolum excluderetur ab illa peccatum habituale, ſed etiam debi-

tum pœnæ æternæ, & temporalis, taliter quod nec de potentia absoluta possent huiusmodi debita in humanitate Verbo vnita manere. *Disp.* 41. *à num.* 444. *vsque ad* 458.

Humanitas Verbo vnita potest manere obligata ad aliquid sustinendum ex voto ante vnionem facto aut ratione fideiussionis, non vero ad aliquam pœnam temporalem culpæ præteritæ debitam. *Ibidem num.* 450 *& sequentibus.*

Si humanitas vniretur Verbo propria personalitate retenta, non posset peccare peccato cum vnione compositio. *Disp.* 41. *à nu.* 460. *vsque ad* 464.

Imo nec in sensu diuiso vnionis, hoc est, peccato destruente vnionem. *Ibidem num.* 465. *& seqq.*

In humanitate Verbo vnita non datur potentia antecedens ad peccandum, bene tamen in voluntate ad amorem præmota. *Disp.* 41. *num.* 469. *& seqq.* Vbi aliqua de potentia antecedenti, & consequenti *obiter* attinguntur

Humanitas Verbo vnita, propria personalitate retenta, non posset peccare peccato impediente primam existentiam vnionis. *Disp.* 41. *à num.* 473. *vsque ad* 479.

Si per impossibile humanitas vniretur Verbo media propria personalitate, foret impeccabilis peccato cum vnione composito. *Disp.* 41. *numero* 481. *& seqq.*

De facto non fuerunt in humanitate Christi motus inordinati appetitus sensitiui, & oppositum est hæreticum. *Disp.* 42. *à num.* 27.

De facto nō fuit in humanitate Christi fomes quoad essentiam. *Disp.* 42. *à num.* 105.

Nec esse potuit de potentia absoluta. *Ibidem à num* 160.

Implicat humanitatem Verbo *hypostaticè* vnitam omittere actum consilij, & recedere à maiori Dei beneplacito sibi manifestato de aliquo opere efficiendo. *Disp.* 43. *à num.* 12.

Impotentia recedendi à consilijs in humanitate vnita, nō solum fuit moralis, sed etiam physica. *Disp.* 43. *num.* 26. 27. 28. *& 29.*

In humanitate Christi non fuit, nec esse potuit de potentia absoluta, ignorantia priuatiua; est enim peccatum. Nec error practicus, qui est causa peccati. *Disp.* 44. *num.* 2. *& 3.*

Fuit tamen in illa ignorantia negatiua, quæ *propriè* nescientia dicitur. *Ibidem num.* 4.

In humanitate Christi potuit esse ignorantia priuatiua, non moralis, nec peccaminosa; sicut carere etiam potuit omni intellectiua, & sensitiua potentia, & in æternum gloria corporis, & animæ priuari. *Ibidem à num.* 5. *vsque ad* 13.

Nec fuit in illa error actualis positiuus; est enim malum naturæ intellectualis ad finem redemptionis non conducens, officioque vniuersalis Magistri, quod in se Christus suscepit, aduersatur: vnde nec fuit in illa habitus erroneus, qui actibus erroneis acquiritur *Disp.* 44 *num* 13.

In humanitate Christi nec de potentia absoluta potuit esse iudicium speculatiuum erroneum; influeret enim in illud Verbum, vt in humanitate subsistens, speciali influxu, quod implicat. *Disp.* 44. *à num.* 98.

Humanitas Christi nec de potentia absoluta potuit de condigno mereri Incarnationem per opera antecedentia vnionem humanitatis ad Verbum, bene tamen de congruo. *Disp.* 50. *num* 1. *& 2.*

Potuit humanitas de potentia absoluta per opera antecedentia mereri de condigno Incarnationem prout importat vnionem humanitatis ad secundam Trinitatis personam determinate, quatenus potuit prius personæ Patris vniri *Disp.* 50 *num.* 3.

Supposita vnione humanitatis ad Verbum, manet Deus liber *formaliter* in infundenda gratia habituali humanitati: *virtualitèr* tamen & *conditionalitèr* necessitatur ad illius infusionem. *Disp.* 51. *num.* 92.

Licet humanitas Christi fuerit *gratiosè* assumpta ad esse personale Verbi, adoptiua tamen, vel adoptata non fuit. *Disp* 53. *num.* 222. 223. *& 224.*

Humanitas Christi est subiectum *quo* termini prædestinationis, sumpti *formalitèr*. *Disp.* 55. *num* 132. *& seqq.*

Humanitas Christi nō potest dici *propriè* prædestinata ad gloriā, nec ad filiationē Dei naturalem. *Ibidem num.* 178.

Nec prædestinata absolutè prædestinatione hypostatica. *A num.* 170. *maximè num.* 185.

Potest autem dici prædestinata prædestinatione hypostatica propriè inadæquate. *A nu.* 186.

CHRISTI MERITVM.

Vide *Christus*, *& Incarnatio.*

OPera Christi Domini fuerunt infiniti valoris *simpliciter*. *Disp.* 45. *à num.* 14.

In

In operationibus Christi coincidit ratio meriti, & ratio satisfactionis, licet *formaliter* distinguantur; satisfactio enim respicit malũ personæ offensæ, vt repellendum; meritum vero respicit bonum merentis, vt à Deo cõsequendum. *Disp.* 45. *num.* 21.

Casu in quo Pater Æternus carnem assumeret intuitu alicuius operationis meritoriæ Christi, exhauriretur talis operis condignitas meritoria; infinitum enim ab alio æqualiter infinito adæquari, & exhauriri, inconueniens non est. *Disp.* 45. *num.* 35.

Vel Incarnatio Patris adæquaret, exhauriretque condignitatem meritoriam vnius operationis Christi *intensiuè*, non vero *extensiuè*: vnde ad alia præmia creata extenderetur. *Disp* 45. *à num.* 46. *vsque ad* 55.

Imo in illa actione meritoria Christi esset etiã condignitas meritoria Incarnationis Spiritus Sancti. *Num.* 54. & 55.

Casu in quo Pater carnem assumeret, & sanitatem alicuius ægroti postularet, & Christus, qui modo est, oppositum peteret, negatio sanitatis non esset præmium possibile meritorum Christi, nec eorum infinitati obstare posset, esto secundum se sub condignitate illorum cadat. *Disp.* 45. *num.* 69. & *seqq.*

Operationes Christi non solum fuerunt infinitæ dignitatis, sed etiam meriti infiniti *simpliciter*. *Disp.* 45. *à num.* 91.

Illisque de facto correspondet præmium infinitum, nimirum remissio peccati mortalis. *Ibidem num.* 94. & *fusius num.* 120. & *sequentibus*.

Varij modi assignandi præmium meritis Christi referuntur, & reijciuntur. *Disp.* 45. *à nu.* 101. *vsque ad* 119.

Vel saluatur infinitas actualis in meritis Christi absque præmio actu infinito, vel quia tendunt in præmium finitum in infinitum sine termino, hoc est, *syncathegorematicè* infinitum: aut quia præmium finitum sibi debitum efficiunt ex toto rigore iustitiæ. *Disput.* 45. *à num.* 137. *vsque ad* 144.

Non plus meruit Christus, quam Deus præmiare possit. *Ibidem num.* 145.

Vt Christus suis meritis Deum ex iustitia obligaret, pactum superadditum, vel promissio necessaria non fuit, licet de facto intercesserit. *Disp.* 46. *num.* 5. & *seqq* Quod explicatur *num.* 45.

Etiam si Deus exigeret Christi merita pro beneficijs humanitati factis, v. g pro beneficio Incarnationis, possent ad alia dona hominibus pro merenda ex iustitia extendi, & solum adæquarentur cum illo *intensiuè*, & non *extensiuè*. *Disp.* 46. *numero* 47.

Meruit Christus in primo conceptionis instãti. *Disp.* 47. *à num.* 2.

Meruit Christus in infantia, & toto tempore vitæ mortalis *continuatè* vsque ad mortem. *Disp.* 47. *à num.* 17.

Omne id, quod Christus meruit per passionẽ, cæteroſque actus, meruit per primum actũ nõ faciẽdo ex nõ debito debitũ, nec ex debito magis debitũ, sed ex debito vno titulo, ex pluribus titulis debitum. *Disp.* 47. *à num.* 34 *maximè num.* 41. & 42.

Licet quælibet Christi actio fuerit de se sufficiens, pro adæquata hominum redemptione, & ad omnia dona gratiæ hominib⁹ promerenda sine dependentia ab altera; de facto tamen, Deo sic disponente, non quælibet fuit causa adæquata adæquatione causæ in effectu, & efficacia, sed tota collectio actionum Christi fuit causa adæquata adæquatione causæ, & effectus respectu nostræ redemptionis. *Disp.* 47. *num.* 40. & *seqq.*

Christus in cælo existens pro nobis orat, multaque nobis impetrat, nihil tamen meretur. *Disp.* 47. *num.* 37. & *seqq.*

Non meruit Christus in vulnere lateris *formaliter*, sed tantum *obiectiuè*, quatenus vulnus illud fuit obiectum actus, quo Christus, dum viueret, vulnus lateris voluntariè acceptauit. *Disp.* 47. *num.* 85. & 86.

Meruit Christus per aliquem actum charitatis erga Deum, regulatum scientia beata *Disp.* 48. *à num.* 4.

Non datur in Christo duplex amor erga Deũ, alter regulatus scientia infusa, & alter scientia beata; essent enim solum numero distincti, & in eodem subiecto incompatibiles. *Disp.* 48 *à num.* 33. *maximè num.* 36. & *seqq.*

Meruit Christus per ipsum actum charitatis beatificum, vt regulatum scientia beata, nõ solum prout Deo volebat gloriam, & honorem extrinsecum, nec solum prout terminabatur ad proximum, sed etiam quatenus ad Deum terminabatur. *Disp.* 48. *à numero* 60.

Tres modi referuntur, & impugnantur *A n.* 70 *vsque ad* 93.

Dilectio beatifica Christi prout terminabatur ad bonitatem diuinam, vt est ratio diligendi Deum, & Deo perfectiones necessarias intrinsecas, non fuit libera nec meritoria: prout vero ad illam terminabatur, vt est

Deo ratio diligendi bona extrinseca, creaturas, & terminationes intrinsecas liberas, nō fuit necessaria, sed libera, & meritoria. *Disp 48. à num. 94.*

Licet respectu Dei tantum fuerit in Christo vnus dilectionis actus, duplex tamen dilectio proximi est in ipso constituenda, & vtraque meritoria. *Disp 48. num. 114.*

Extiterunt etiam in Christo duo actus erga Deum prout illi Christus volebat gloriam, & honorem extrinsecum, vnus regulatus scientia beata, & alter per scientiam infusā; attingebant enim distinctas rationes formales *quæ*, ad variandos *specificè* actus sufficientes *Ibidem num. 115.*

Meruit Christus per actus ad quos præcepto positiuo tenebatur. *Disp 49. in. 2.* Quod in principijs omniū Scholarum probatur, *vsque ad num 13.*

Meruit etiam per actus ad quos ex lege naturali tenebatur. *Disp. 49. num. 230.* Et per actus omnium virtutum, siue infusarum, siue acquisitarum. *Ibidem num 231.*

Si actus naturalium virtutum elicerentur à Christo sine motiuo supernaturali, vel actº virtutum iufusarum, non procederent ex motiuo charitatis, non essent meritorij præmij supernaturalis. *Disp. 49. num. 232. & 233.*

Aliquod Christi meritum fuit à primo instanti conceptionis vsque ad mortem continuatum non solum *moraliter*, sed etiam *physicè*. *Ibi. num. 234.*

Primum meritum in Christo fuit actus charitatis. *Ibidem num. 235. 236. & 237.*

Non meruit Christus per actus ad partem vegetatiuam pertinentes, v.c. per motum cordis, ciborum digestionem, illorumque in substantiam aliti conuersionem. *Disp. 49. à num. 238. vsque ad finem.*

Meritum Christi non adæquauit quoad efficaciam extensionem demeriti Adami. *Disp. 50. num. 12.*

Non meruit Christus Virginis Maternitatē, hoc est, ex B. Virgine nasci, & quod ipsum Virgo conciperet. *Disp. 51. à num. 26.*

Non meruit Christus de facto gratiam habitualem, nec dona ipsam consequentia. *Disp. 51. à num. 65.*

Omnis actus meritorius Christi à gratia habituali *connaturaliter* processit. *Ibidem num. 68. & seqq.*

Non meruit Christus augmentum gratiæ per actus *præuiè* disponentes ad illam. *Disp. 51. num. 106. 107. & 108.*

Potuit Christus de potentia absoluta animæ beatitudinem habitam ab initio conceptionis de condigno mereri. *Disp. 51. à numero 119.*

Illam tamen de facto non meruit. *Ibidem. num. 134. & seqq.*

Meruit Christus gloriam corporis, & sui nominis exaltationem. *Disp. 51. à num. 160.*

Gloriam corporis meruit Christus, non *indirectè*, & *mediatè*, sed *immediatè*, & *directè*. *Ibidem à num. 174. vsque ad 185.*

Meruit Christus per primum actum meritorium omnia auxilia gratiæ sufficientia, & efficacia pro alijs actibus à primo distinctis, eliciendis. *Disp. 51. num. 186.*

Imo & cæteros actus meritorios, non prout erant à libero arbitrio Christi, sed quatenus sunt dona Dei. *Ibidem num. 187.*

Meruit etiam suam Resurrectionem, iudiciariam potestatem, Regiam, Sacerdotalemque dignitatem, & supremum rerum omnium Dominium: non tamen rationem capitis per influxum moralem in membra. *Disp. 51. à num. 188. vsque ad finem.*

Meruit Christus prædestinationem nostram sumptam pro decreto executiuo *adæquatè*: quod autem ita contigerit, non est catholica veritas, sed tantum probabilior sententia. *Disp. 56. à num. 10.*

Christus præuisus vt merens in vi decreti intētiui, causauit *meritorie efficienter* gratiam status innocentiæ, & Antiquorum Patrum. *Disp. 56. num. 48. & seqq.*

Meruit Christus electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam, sub ratione dilectionis, non aliquorum *vagè*, sed horum *determinatè*, qui prædestinati sunt. *Ibidem à numero 54.*

Non per actiones *indifferenter* oblatas, sed *specialiter* pro electis applicatas. *Ibidem à num. 85.*

Meruit etiam illam sub conceptu electionis, idest, sub ratione dilectionis prædestinatorum præ reprobis: non autem meruit reprobationem hominum positiuam, aut negatiuam. *Disp. 56. à num. 134. & num. 152. & seqq.*

Christus non postulauit à Patre vindictam delictorum in homines peccatores; hoc enim muneri Redemptoris, aduocati, & hominum fide iusoris, quod in primo aduentu exercuit, non congruit. *Disp. 56. numero 155.*

Et licet etiam vt Iudex aduenerit, iudiciariam tamen poteſtatem, quoad æternā hominū damnationem, vſque ad extremum iudiciū non exercebit. *Ibidem num.* 157.

Merita Chriſti non exercent cauſalitatem meritoriam erga diuina decreta ſub conceptu terminationis actiuæ *formaliter*, nec *virtualiter*, vt in ſe, & ratione ſui, ſed vt in bonitate diuina *eminenter* contenta. *Diſp.* 56. *à numero* 164.

De fide eſt Chriſtum non meruiſſe Dæmonibus gloriam *Diſp.* 57. *num.* 1.

Chriſtus non redemit Angelos bonos, nec pro illis mortuus fuit. *Diſp.* 57. *num.* 2 & 3.

Meruit tamen illis gratiam, eſſentialemque beatitudinem. *Ibidem à num.* 6.

MORS CHRISTI.

MOrs Chriſti in *fieri* non coniuncto in eodem inſtanti cum *facto eſſe* mortis, redemit nos *meritoriè*: mors vero Chriſti *in facto eſſe*, aut *in fieri* ſimul, cum *facto eſſe* exiſtēte, non *meritoriè*, ſed *efficienter* noſtram redēptionem cauſauit. *Diſp.* 47. *numero* 87. & *ſequentibus*.

PASSIO CHRISTI.

PAſsio Chriſti *inſtrumentaliter phyſicè* in gratiam, & ſalutem noſtram influxit. *Diſp.* 40 *num.* 38. & *ſeqq.*

Paſsio Chriſti vt futura non potuit phyſicam efficientiam habere in gratiam Antiquis Patribus datam. *Diſp.* 40. *à num.* 188. *vſque ad* 203. *maximè* 193. & *ſeqq.*

Licet paſsio Chriſti ſit inſtrumentum coniūctum diuinæ virtutis, non cauſauit exiſtens gratiam, non pro tunc extituram, ſed extituram pro tempore à Deo ſtatuto: id enim quod actioni Dei propter eius ſummam actualitatem, & infinitatem attribuitur, ad actionem limitatam, & finitam extendendum non eſt. *Diſp.* 40. *à num.* 227. *vſque ad* 230.

Poteſt illi influxus phyſicus in gratiam hominibus poſt Chriſti paſsionem datam competere, per hoc, quod humanitatem Chriſti, (quæ eſt vniuerſale inſtrumentum ad omnes gratiæ effectus) determinauerit ad gratiam remiſsiuam peccatorum in nobis cauſandam. *Ibidem à num.* 231. *vſque ad* 236. Vbi obiectiones ponuntur, & *num.* 241. ſolvuntur.

Paſsio Chriſti, (et idem de reſurrectione dicēdum) prout ab humanitate diſtincta, effectiuum influxum in noſtram iuſtificationē exercuit. *Diſp.* 40. *num.* 238. 239. & 240.

Influxus iſte effectiuus modo paſsioni Chriſti attribuitur; quia licet nunc *phyſicè* non exiſtat in ſe *formaliter* exiſtit tamen *virtualiter* in aliquo modo ſupernaturali *phyſicè* cauſato ab illa quando *formaliter* exiſtebat, & nunc in humanitate perſeuerante. *Diſp.* 40. *num.* 242. & *ſeqq.*

Paſsioni Chriſti correſpondet aliquis ſpecialis influxus in noſtram redemptionem, & ſalutem, quem præcedentes actiones non habuerunt, ſcilicet influxus excitatiuus, & exemplaris. Et inſuper, quod aliæ Chriſti actiones noſtram ſalutem non cauſarent de facto, niſi vt per paſsionem conſūmandæ, & complendæ. *Diſp.* 47. *num.* 44. & *ſeqq.* & *num.* 55. & 56.

Non meruit Chriſtus poſt mortem, nec in ipſo mortis inſtanti, ob defectum ſtatus viatoris. *Diſp.* 47. *à num.* 59.

PRAECEPTVM CHRISTI.

PRæceptum Chriſto impoſitum de morte ſubeunda, fuit ſtrictum, & rigoroſū præceptum ad culpam illum obligans, & non tantum voluntas Dei inſinuata. *Diſp.* 49. *à num.* 15.

Chriſtus fuit capax præcepti quoad vim directiuam, non quantum ad vim coerciuam *Diſp.* 49. *num.* 70. 71. & 72.

Præceptum Chriſto impoſitum determinauit non ſolum mortis ſubſtantiam, ſed etiā omnes circunſtantias. *Diſp.* 49. *à num.* 98. *vſque ad* 121.

Præceptum moriendi non fuit Chriſto impoſitum dependenter à ſua voluntate, liberaq; poſtulatione. *Diſp.* 49. *à num.* 122.

Neque ideo libere præcepto obediuit, quia poterat præcepti diſpēſationem petere. *Ibidē à num.* 127.

Verus modus componendi libertatem Chriſti in operibus præceptis traditur, fuſeque explicatur, *Diſp.* 49. *à num.* 179.

PRAEDESTINATIO CHRISTI.

Vide *Chriſtus circa finem.*

HÆc propoſitio: *Chriſtus in quantum homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei naturalis*, non ſolum eſt vera, ſed etiam propria. *Diſp.* 55. *à num.* 8.

Subiectum prædeſtinationis Chriſti, non eſt Chriſtus in quantum homo, vt incarnatus,

abstrahēdo à vero modo Incarnationis per vnionem personalem, & à modo ab hæreticis conficto per vnionem accidentalem. *Disp.* 55. *à num.* 33. *vsque ad* 36.

Neque est Christus, vt homo, vt concretum existentiæ. *Ibidem à num.* 37. *vsque ad* 41.

Nec etiam est hic homo vt subsistens *vagè* hac, vel illa subsistentia in hac numero humanitate. *à num.* 42. *vsque ad* 46. Etiam si importetur in recto natura, & in obliquo subsistentia non *determinatè*, sed *vagè* accepta. *Ibid. à num.* 61. *vsque ad* 66.

Prædestinatio Christi non habet pro subiecto Christum, vt possibilem, & pro termino Christum vt existentem. *Disp.* 55. *à num.* 72. *vsque ad* 99.

Christus, vt homo, scilicet vt subsistens in humanitate, hac numero subsistentia, est propriæ prædestinationis subiectum, fuitque prædestinatus, vt in humanitate subsistens, etiam in Deitate subsisteret, & vt sic subsistens esset genitus à Deo Patre, & Filius naturalis illius. *Disp.* 55. *à num.* 100. Vbi latissime subiectum & terminus explicantur.

Prædestinatio Christi fuit causa finalis nostræ prædestinationis *Disp.* 56. *num.* 2.

Et etiam exēplar nō homogeneum, & eiusdē rationis, sed diuersæ, & ethereogeneum, secundum terminum primarium, qui est filiatio Dei naturalis. *Ibidem num.* 3. & 4.

RESVRRECTIO CHRISTI.

QVomodo Resurrectio Christi fuerit præmium meritorum Christi, & an in ratione præmij infinita fuerit, explicatur. *Disp.* 45. *à num.* 101. *vsque ad* 112.

Licet Christus fuerit ex obedientia mortuus, non tamen habuit de Resurrectione præceptum. *Disp.* 49. *num.* 63.

SATISFACTIO CHRISTI.

Vide *Offensa*.

SAtisfactio Christi fuit de se sufficiens ad Deum ex iustitia obligādum ad sui acceptationem independenter à pacto, & promissione Dei, sicut & Christi merita. *Disp.* 46. *à num.* 13. *maximè num.* 31. & *seqq.*

VVLNVS LATERIS CHRISTI

HÆreticum est asserere Christum Dominum ante mortem vulnus lateris accepisse. *Disp.* 47. *num* 84.

Non meruit Christus in vulnere lateris *formaliter*, sed tantum *obiectiuè*, quatenus fuit obiectum actus, quo Christus dum viueret vulnus lateris *voluntariè* acceptauit. *Ibidem numero* 85.

Ex latere Christi effluxerunt Sacramenta, non in genere causæ meritoriæ, sed exemplaris, vel figuratiuæ Sacramentorum, præcipuè Eucharistiæ, & Baptismi, vel in genere causæ efficientis. *Disp.* 47. *num.* 85. & 86.

CIRCVNCISIO.

ETsi Christus non teneretur lege Mosayca circuncisionis, tenebatur tamen lege Patris obligante. *Disp.* 49. *num.* 76.

CONCILIA.

COncilium Basilienſe schismaticum fuit contra Eugenium Quartum, nec quoad dogmata, à Nicolao Quinto approbatum. *Disp.* 41. *num* 17.

Concilij Francofordiensis auctoritas, contra aliquos de illa dubitantes, defenditur. *Disp.* 53. *à num.* 6. *vsque ad* 12.

Longe diuersum est esse aliquid in aliquo Cōcilio damnatum, & esse damnatum à Concilio. *Ibidem num.* 12.

Mens Cōciliorum nō tantum ex oppositō errore, quem damnant, sed magis ex illorum verbis *propriè*, & *rigoroſè* acceptis, venanda est. *Disp.* 53. *num.* 32. 33. & 34 & *maxime numero* 151.

CONCVRSVS PRÆVIVS, ET SIMVLTANEVS.

COncursus præuius, per quem causa secunda applicatur ad operandum, non potest cadere sub merito eiusdem actionis: benè tamen concursus simultaneus *Disp.* 39 *num.* 22. & 24.

Concursus simultaneus, etsi identificetur realiter cum actione causæ secundæ, non tamē identificatur ratione, & *essentialiter* cum illa: vnde possunt distinctis decretis decerni. *Ibidem.*

CONFESSARIVS.

COnfessarius verē dicit se nescire ea, quæ sub sigillo scit. *Disp.* 44. *num.* 32.

CONSERVATIO.

LIcet res possint se ipsas per suas operationes perficere, nulla tamen res potest sui conseruationem, aut continuationem *physicè* causare. *Disp.* 51. *num.* 15.

CONSILIVM.

COnsilium de aliquo indifferenti ad bonum, & malū, est *moraliter* malum: sicut

voluntas actualis ad obiectũ *indifferenter* bonum, & malum terminata, est *moralitèr* mala malitia morali actuali. *Disput.* 42. *numero* 206.

Actus consiliatus à Deo, esto non debeatur debito morali stricto, debetur tamen debito moralis condecentiæ iuxta leges amicitiæ. *Disp.* 43. *num.* 19. 20. & 21. & *numero* 140. & *seqq.*

Consilium est voluntas signi in Deo, quatenus indicat voluntatem diuinam, vt accipiens consilium rem consiliatam efficiat. *Disp.* 43. *num.* 35.

Implicat ex terminis consilium de eligendo id, quod accipiens consilium maluerit, & consilium in illa generalitate datum, omnino esset ridiculum, *Disp.* 43. *num.* 40. & *seqq.*

Licet *regulariter* loquendo sub consilio sit, opus perfectius efficere, & opus minus perfectum consilio opponatur: hæc tamen oppositio, operi minus perfecto essentialis non est, sed potuit sub consilio cadere matrimonium, v. c. cœlibato relicto. *Disput.* 43. *numero* 132. & 137.

CORPVS.

Corpora beatorum dote impassibilitatis affecta pati ab igne, etiam sibi applicato non possunt, propria illius qualitatis resistente natura. *Disp.* 42. *num.* 157.

# D

DAMNATI.

Damnati, in probabili sententia, nihil demerentur, non defectu libertatis, sed quia extra statum viæ sunt constituti. *Disp.* 47. *numero* 92.

DECRETVM DEI.

Non potuit Deus decernere assumere humanitatem, & illius vnionem conseruare, vsque adinstans. *B.* verbi causa, sub conditione quod humanitas nõ peccaret in prædicto instanti, illamq; si humanitas peccaret, destruere. *Disput.* 41. *numero* 389. & *sequentibus, maxime à numero* 399.

Quod verum est, etiam si humanitas per proprios actus ad vnionem se disponeret. *Ibidem num.* 399. & *seqq.*

Neque etiam fuit Deo possibile hoc decretum, *volo vnire humanitatem Verbi sub cõditione, quod humanitas in instanti vnionis non peccet, quod si peccet volo non vnire. Disp.* 41. *n.* 399.

Potuit tamen Deus decernere assumere humanitatem in instanti *D.* sub cõditione quod humanitas non peccet in tempore antecedenti. *Ibidem.*

Decretum liberum Dei in ratione liberi non constituitur per respectum rationis, neque est partim intrinsecum, & partim extrinsecum: & sub conceptu terminationis actiuæ omnẽ causalitatem, etiam meritoriã, excludit. *Disp.* 56. *num.* 169. & *seqq. maxime num.* 188.

DENOMINATIO.

Aduenire potest noua denominatio absque aduentu nouæ entitatis, si denominatio sit respectu termini secundarij, & materialis: secus vero *comparatiuè* ad terminum primarium, & formalem. *D.* 48. *n.* 110.

DEPENDENTIA. DEPENDERE.

Id quod de se ab aliquo non dependet, vt sit, vel conseruetur, nec in se, neque in alio *eminenter*, in illo contento, aut in cuius virtute operatur, non potest etiam de potentia absoluta ab illo dependere dependentia stricta, & causali. *Disp.* 40. *numero* 181. & *sequentibus.*

Oppositum vero continget, si licet non dependeat ab aliquo in se tantum, dependet tamen ab alio illum *eminenter* continente, aut eius virtute operante: sicut gratia dependet ab influxu humanitatis Christi virtute Dei in gratiam influentis, cum tamen gratia de se ab humanitate Christi non dependeat. *Ibidem.*

DEVS. DEITAS.

Deus non potest in rem à se ipso distantẽ operari: bene tamen creatura. *Disp.* 40. *num.* 136.

Deus capax est obligationis, non ex lege ab aliquo superiori proueniente, sed ex rectitudine sibi essentiali: ex qua ad non mentiendũ, standumque promissis, tenetur. *Disp.* 41. *num.* 163.

Licet Deus sit supremus Princeps, & dominus creaturarum, & Principes, Domini-

que creati teneantur in ſibi ſubditis peccata quantum poſſunt vitare : in Deo tamen non datur ſpecialis obligatio non permittendi peccata in creaturis rationalibus, neque in eius filijs adoptiuis. *Diſp.* 41. *num.* 177. 178 & 279.

Deus, vt cauſa vniuerſalis, non attingit ſuo concurſu formalem malitiam, ne dicatur vere, & proprie eſſe cauſam peccati pro formali malitiæ, quod verum eſſet, etiam ſi concurſu indifferenti concurreret. *Diſp.* 41. *numero* 214. & *ſeqq.*

Deitas, prout Deum ſanctificat, opponitur cũ peccato præterito, præſenti, & futuro, & cũ potentia etiam remota peccandi: prout vero humanitatem Chriſti ſanctificat, non opponitur cum potentia remota peccandi, quæ eſſentialis eſt humanitati; nec cum peccato præterito aut futuro, quod foret, aut fuiſſet vnione ad Verbum excluſa. *Diſp.* 41. *num* 301 & *ſeqq.*

Poteſt Deus, ſua abſoluta potentia vtens, negare humanitati Chriſti viſionem beatam illi debitam: nequit tamen illi offerre concurſum ad bonum, & malum indifferentem, aut in illa peccatum permittere. *Diſp.* 41. *n.* 308. & *ſeqq.*

Poſſet Deus humanitati Verbo *hypoſtaticè* vnitæ, & ad actum obedientiæ obligatæ negare auxilium efficax ad actum obedientiæ, potentia antecedenti, & negatione auxilij ſumpta *negatiuè*, & *præciſiuè* à præcepto: non vero potentia conſequenti, & negatione auxilij compoſita cum præcepto. *Diſp.* 41. *num.* 376. & *ſeqq.*

Repugnat Deum, vt ſpecialem cauſam, cauſare motus inordinatos appetitus ſenſitiui, etiam rationem præuenientes: ſicut & habitum vitioſum, & odium Dei indeliberatũ, quod eſt *obiectiuè*, & *materialiter* peccatum, & habitus vitioſus *determinatè* in peccatum inclinat. *Diſp.* 42. *num.* 85. & *ſeqq.* *maximè n.* 89. & 90.

Deus abſque vlla imperfectione phyſica, vel morali eligit minus perfectum, perfectiori omiſſo: quod tamen Chriſtus Dominus nõ potuit facere. *Diſp.* 43. *num.* 121. & *numero* 129. & *ſeqq.*

Inter actus Dei eſt virtualis inæqualitas in honeſtate morali, ſicut & virtualis diſtinctio inter illos reperitur. *Ibidem num.* 122.

Si Deus eſſet *phyſicè* neceſſitatus ad gloriam alicui conferendam in ſummo intenſionis gradu, nõ eſſet æſtimatione dignum, quod conferret hanc numero viſionem beatificã, alia omnino æquali numero diſtincta relicta. *Diſp.* 43. *num.* 126.

Poteſt Deus de potentia abſoluta opus minus perfectum conſulere, v. c. matrimonium, quod de facto conſilio opponitur, in quo caſu ſtatus perfectionis exigeret cælibatum relinquere, & matrimonium amplectere. *D.* 43. *num.* 132.

Poteſt dici Deum neſcire illa poſsibilia, quæ Chriſto non manifeſtauit, licet enim ea perfectiſsime cognoſcat, illa tamen non ſcit ad manifeſtandum aliis. *Diſp.* 44. *numero* 33.

In Deo non datur vera, & propria admiratio, bene tamen in Chriſto. *Diſput.* 44. *numero* 93.

Repugnat Deum vt cauſam particularem, in errorem influere, illumque ſpeciali influxu cauſare. *Diſput.* 44. *numero* 101. & *ſequentibus.*

Licet Deum obligari ex iuſtitia obligatione non orta *radicaliter* ab ipſo, maxima ſit imperfectio: obligari tamen ex iuſtitia obligatione *originaliter* ab ipſo orta, nullam dicit imperfectionem; ſicut nec repugnat Deo neceſsitari ad extra neceſsitate *originaliter* à diuina voluntate procedente. *Diſp.* 46. *num.* 24. & *ſequentibus*, & *à numero* 52. *vſque ad* 56.

Poteſt Deus gloriam homini non dare perſeuerante in illo iure, ſibi à gratia præſtito, ad gloriam per modum hæreditatis: imo & Chriſto, ſtãte iure ſibi præſtito à gratia infinita vnionis: ſuppoſitis vero meritis Chriſti, & iure in illis fundato, non poteſt Deus illa non remunerare. *Diſp.* 46. *num.* 62. & 65.

Deus clare viſus, non ſolum neceſsitat ad ſui dilectionem *vagè*, ſed etiam *determinatè*. *D.* 48. *num.* 84. & *ſeqq.*

Deus non eſt capax iuramenti *propriè* accepti. *Diſp* 49. *num.* 92.

De fide eſt, Deũ filios adoptare, & filios adoptiuos habere. *Diſp.* 52. *num.* 2.

Poteſt Deus de potentia abſoluta, hominem in gratia exiſtentem, in illaque *finaliter* perſeuerantem, gloria in æternum priuare. *D.* 52. *num.* 135. & *ſeqq.*

Deus *abſolutè* loquendo plus diligit peccatorem prædeſtinatum, quam reprobum iuſtum. *Diſput* 52. *à numero* 131. *vſque ad numerum* 139. *maximè numero* 236. 237. & 238.

DIES IVDICII.

DIes iudicij ignoratur ab omnibus Angelis, & hominibus, præter Christum. *Disp.* 44. *num.* 25.

Carentia cognitionis diei iudicij, in nobis est nescientia, in Christo autem, cui eius notitia debetur, esset cum proprietate ignorantia. *Disp.* 44. *num.* 61. & 62.

DILECTIO DEI.

SVppositio, quod dilectio Dei super omnia habeat cum peccato originali directam, vel indirectam oppositionem, si aliquis ex posteris Adami, in instanti generationis Deum super omnia diligeret, peccatum originale non contraheret, nec simul existere posset cum forma sibi *essentialiter* incompossibili *Disp.* 41. *num.* 435. & 436.

Dilectio solius Dei non est numero distincta ab illa, quæ terminatur ad Deum, & in ipso ad vnam creaturam: nec ista distinguitur numero ab illa, quæ terminatur ad duas, & sic deinceps. *Disp.* 48. *num.* 86. 87. & 88.

DISPOSITIO.

DIspositiones præuiæ ad formam substantialem influunt *physicè* in illam, vel in eius vnionem cum materia in instanti generationis, in quo existunt *virtualitèr*, & *formalitèr* in tempore *immediatè* præcedenti. *Disp.* 40. *num.* 214.

Vltima dispositio ad gratiam meritoria est, non gratiæ, quæ iam habetur, sed gloriæ, quæ nondum possidetur. *Disp.* 47 *num.* 16. In Christo vero, nec gratiæ, nec gloriæ fuit meritoria. *Disp.* 51. *num.* 153. & *seqq.*

Non est necessarium, quod causa merens formam, causet etiam *meritoriè* omnem dispositionem ad formam. *Disp.* 51. *num.* 61.

DAEMONES.

DE facto non meruit Christus gratiam Dæmonibus, neque animab⁹ damnatis, non defectu sufficientiæ, aut pacti, sed defectu applicationis. *Disp.* 46. *num.* 29.

De fide est Christum non meruisse Dæmonibus gloriam, & quod illorum pœna in æternum est duratura. *Disp.* 57. *num.* 1.

DOLOR.

DOlor consistit *formalitèr* in passione appetitus consurgente ex læsione corporis sensu tactus percepta: non in ipsa læsione, quæ tantum est causa doloris sensibilis *Pag.* 101.

S. P. DOMINICVS.

SAncti Patris Dominici, Angelicique Præceptoris puritas & innocentia commendatur. *Disp.* 43 *num.* 2.

SS Patris Dominici Constitutiones non obligant ad culpam, sed tantum ad pœnam *D.* 49. *num.* 79. & 80 Vbi explicatur, an sint vere, & proprie leges.

DOMINIVM.

DE ratione supremi Dominij non est potētia consequens in omni suppositione, sed potentiā antecedentē in omni suppositione retinere. *D.* 41. *n.* 163. & 164. & *D.* 46. *numer.* 57. & *seqq.*

Dominiū dicitur de persona ratione naturæ; vnde tres diuinæ personæ ratione vnius naturæ vna gaudent ratione dominij. *Disp.* 53. *numero* 164.

DOMINVS.

DOminus tenetur vitare in seruis, etiam illa peccata, propter quæ ab eius dominio eximuntur. *Disp.* 41. *num.* 314. 316. & 325.

E

EFFECTVS.

Vide *Causa.*

EXitus effectus à causa *absolutè*, & sine aliqua limitatione prolatus, denotat exitū physicum. *Disp.* 40. *num.* 11 & *seqq.* Vbi differentia inter effectus, & causas physicas ex vna parte, & inter effectus, & causas morales ex alia, *latè* explicatur.

Licet effectus *propriè* causetur à causa finali, non tamen dicitur *propriè* exire, vel effici ab illa, sicut nec à causa morali. *Disp.* 40. *numero* 113. & 114.

Effectus moralis *realitèr* refertur ad causam moralem, sicut effectus causæ finalis realem ordinem ad illam dicit, licet vtraque in suos effectus *immediatè* non influat. *D.* 40. *n.* 169.

Idem effectus potest à duplici causa adæquata procedere, si vtraque eadem virtute agat: secus autem si diuersis virtutibus influant. *D.* 41. *num.* 464.

Licet effectus positiuus reduci non possit in priuationem tanquam in causam, & rationem formalem causandi; reduci tamen po-

teſt in illam tanquam in conditionem, & vt remouentem prohibens; imò hoc neceſſarium eſt quando agens ſupponitur impeditum per aliquid poſitiuum. *Diſp.* 42. *numero* 13 & 14.

Effectus exiitere poteſt ſine illius cauſa *per accidens*, non verò ſine illius cauſa *per ſe*: quod ratione, & exemplis oſtenditur. *Diſp.* 42. *n.* 21. & *ſeqq.*

Idem effectus nequit à duplici cauſa adæquata adæquatione cauſæ, & effectus dependere, ſiue ſit cauſa phyſica, ſiue moralis, & meritoria. *Diſp.* 47. *num* 51. & 52.

ELECTIO.

ELectio cõparatiua non conſiſtit in hoc, quod eſt vnum eligi, & alium non eligi, non electione, ſeu derelictione alterius cauſata ex vi decreti eligentis, ſed in eo quod vnus eligatur, & alter non eligatur, non electione ingrediente de connotato, & in obliquo, non vt effectus ex electione cauſatus, ſed vt extremum comparationis. *Diſp.* 56. *num.* 146. & *ſeqq.*

ELIAS.

Vide *Henoch.*

EMPTIO, ET VENDITIO.

IN emptione, & venditione non attenditur ad dignitatem vendentium, & ementium, ſed ad valorem rerum, quæ in emptione, & venditione interueniunt: vnde valor mercium non creſcit ex maiori dignitate vendentis, nec valor monetæ ex maiori dignitate ementis augetur. *Diſp.* 45. *n.* 24.

Emptio eſt principalitér propter habendam rem, quæ emitur: vnde poſtquam empta eſt res, vlterius non emitur: ad differentiã meriti, quod non eſt principalitér propter præmium conſequendum, ſed propter bonum charitatis; vnde quod iam promeritũ eſt, poteſt iterum mereri. *Diſp.* 47. *n.* 50.

ENS RATIONIS.

ENs rationis nequit eleuari ad *phyſicè inſtrumentaliter* in miracula influendũ, vel gratiam *phyſicè* cauſandã; in entitate enim eleuabili, aliqua actiuitas ſibi connaturalis debet ſupponi, quæ in ente rationis non inuenitur. *Diſp.* 40. *num.* 163.

EPISCOPI.

STatus Epiſcoporum ſtatui Religioſorum præfertur. *Diſp.* 43. *num.* 4.

ERROR.

ERror opponitur magis veritati, quã mors vitæ, non *intenſiuè*, ſed *extenſiuè*, & *obiectiuè*. mors enim ſolum deſtruit vitam particularem; error autem repugnat omni iudicio vero oppoſito in quocumque intellectu ſit. *Diſp.* 44 *n.* 17. & *ſeqq.*

Error ſpeculatiuus volũtariè admiſſus eſt malus malitia morali, quod ſi involũtariè fiat, eſt ſaltim *materialitèr* malus. *Ibidem num.* 104. & *ſeqq.* & 120.

Licet alia mala *purè* phyſica poſsint ſpecialẽ Dei influxum terminare; error tamen ſpeculatiuus, eſto malum phyſicum ſit, & non morale, non poteſt à Deo, vt à particulari cauſa procedere. *Ibidem numero* 121. & *ſequentibus.*

Error alius eſt ſpeculatiuus, ſcientiæ ſpeculatiuæ oppoſitus alius practicus, ille nimirũ, qui peccatum antecedit. *Diſput.* 44. *numero* 1.

EXCOMMVNICATIO.

EXcommunicatio lata contra aliquid facientes, v. c. furtum, non comprehendit mandantes, vel conſiliãtes niſi in ipſa exprimantur. *Diſp.* 40. *num.* 12. & 13. Bene tamẽ cooperantes. *Num.* 17. & 113.

EXISTENTIA.

EXiſtentia non eſt ratio formalis in cauſa efficiente vt agat. *Diſp.* 40. *num.* 142. & *ſequentibus*: ſed tantum conditio *eſſentialiter* requiſita, & indiſpenſabilis de potentia abſoluta. *Ibidem à num.* 147.

Exiſtentia in cauſa efficienti vt agat, non eſt cõditio tantum concomitans, ſicut in materia vt recipiat, ſed eſt conditio præintellecta pro priori actus primi ad agendum. *D.* 40. *num.* 150. & 151.

Exiſtentia formalis, aut virtualis eſt conditio eſſentialis, & à Deo inſuplebilis, vt cauſa efficiens *phyſicè* agat; vnde res futura, aut poſsibilis non poteſt *phyſicè efficienter* influere, ſed tantum res exiſtens, aut præterita. *Diſp.* 40. *à num.* 188. *vſque ad* 203. & *num.* 213. & *ſequentibus.*

F

FELIX, ET ELIPANDVS.

FElicem, & Elipandum, fuiſſe vere Neſtorianos, probatur. *Diſp.* 53. *à num.* 14. *vſque ad* 28.

FILIATIO. FILIVS.
Vide *Adoptio.*

HOc nomen *Filius* ex prima eius impositione significat filium naturalem; per extensionem verò significat etiam propriè filium adoptiuum. nomine autem *filij* absolutè prolato, filius naturalis, & non adoptiuus intelligitur, nisi extensio addatur, vel subintelligatur. *Disp.* 40. *num.* 116.

Filius tam naturalis, quam adoptiuus dupliciter accipitur, scilicet, *formaliter*, seu *relatiuè*, & *fundamentaliter*, nimirum, pro fundamento ad quod relatio filiationis consequitur. *Disp.* 52. *num.* 4.

Diuinitas Spiritus Sancti nobis *extrinsecè* vnita, non præstat per modum formæ filiationem adoptiuam. *Disp.* 52. *num.* 8.

Inter filiationem naturalem, & adoptiuam datur mediũ, scilicet, filiatio in creatione fundata, quæ à filiatione adoptiua exceditur. *Disp.* 52. *num.* 3. & 44.

Filiatio adoptiua non præstatur de facto formaliter à sola acceptatione extrinseca Dei, nec ab actu, vel habitu charitatis, sed à gratia habituali. *Disp.* 52. *à num.* 57.

Implicat filiatio adoptiua sine gratia habituali. *Disp.* 52. *à num.* 178.

Relatio filiationis adoptiuæ diuinæ est realis: relatio verò filiationis adoptiuæ inter homines, est relatio rationis. *Disput.* 52. *numero* 209.

Præsciti existẽtes in gratia sunt filij Dei adoptiui, & oppositum est hæreticum. *Disp.* 52. *num.* 221. & *seqq.*

Quatuor gradus filiationis adoptiuæ assignantur, & inter se comparantur. *Num.* 254. & *seqq.*

Filiatio non conuenit naturæ, sed hypostasi, vel personæ. *Disp.* 53. *num.* 70. Nec personæ ratione naturæ, sed *immediatè*, & ratione sui. *Ibidem num.* 76. & *seqq.* Et iterum *à numero* 113. *vsque ad* 116. & *num.* 164. 165. & 166.

FINIS.

FInis non concurrit *efficienter* ad actum voluntatis, sed ad summum apprehensio finis. *Disp.* 40. *num.* 199.

Licet finis *qui* excedere debeat omnia ad ipsum ordinata; finis tamen *quo*, & per modum assecutionis talem excessum non petit. *Disp.* 52. *num.* 113.

Id quod perfectius est, vel alteri æquale, non ordinatur ad illud, vt ad finem *cuius gratia*. *Disp.* 56. *num.* 129. Nisi oppositum sit reuelatum. *Num.* 130. & *seqq.*

FOMES PECCATI.

FOmes nõ est ipse appetitus sensitiuus prout de se inclinatus ad obiectum delectabile, vel contra rationem, vel conformiter rationi. *Disp.* 42. *num.* 3.

Fomes non consistit in actuali motu appetitus sensitiui circa obiectu delectabile, præter ordinem rationis, manet enim in pueris baptizatis, & in dormiẽtibus, in quibus nullus motus inordinatus appetitus sensitiui inuenitur. *Disp.* 42. *num.* 4.

Nec consistere potest in quadã qualitate morbida appetitui superaddita, ad motus inordinatos inclinante in nobis ex peccato originali relicta; causa enim efficiens illius assignari non potest. *Disp.* 42. *n.* 5. 6. & 7.

Nec consistit in qualitate physica inclinante ad bonum delectabile, præter ordinem rationis, *formaliter* solum distincta ab anima, eiusque potentijs. *Disp.* 42. *n.* 8.

Fomes peccati consistit in inclinatione habituali inordinata appetitus sensitiui ad obiecta sensibilia præter ordinem rationis: vnde de materiali importat positiuam inclinationem appetitus, & de formali carentiam originalis iustitiæ frænantis appetitum, illũque rationi subijcientis. *Disp.* 42. *à num.* 9. *vsque ad* 24.

Fomes peccati remanet in iustificatis ad agonem. *Disp.* 42. *n.* 14.

Fomes peccati non solũ est in natura per peccatum corrupta, sed etiam foret in natura in puris naturalibus condita. *Disp.* 42. *num.* 18. & *seqq.*

Fomes in nobis non est effectus peccati *per se*, sed vt remouens prohibens, nempé, iustitiam originalẽ: vnde sine peccato reperiri potest; effectus namque reperiri potest sine illius causa *peraccidens*, licet esse non possit sine causa *per se*. *Disput.* 42. *num.* 21. & *sequentibus.*

Fomes, nec per modum actus primi, nec reductus ad actum secundũ fuit in Christo. *Disput.* 42. *à num.* 27.

Vt actus appetitus rationem fomitis sortiatur, non requiritur, quod versetur erga obiectum de se, & *intrinsecè* malum: sed sufficit, quod inclinet in obiectũ lege positiua prohibitum. *Disput.* 42. *à numero* 47. *vsque ad num.* 50.

Fomes in actu secundo, hoc est, motus inordinati appetitus, non potuerunt esse in Christo, etiam de potentia absoluta. *Disp.* 42. *à num.* 63.

Fomes potest ligari, & quo ad essentiam manere. *Disp.* 42. *num.* 111.

Fomes sumptus quoad essentiam, non potuit esse in humanitate Christi, etiam de potentia absoluta *Disp.* 42. *à num.* 160.

Fomes peccati fuit de facto exclusus per virtutes infusas, non obstante, quod excluſus supponatur per vnionem hypostaticam, visionemque beatificam. *Disp.* 42. *à num.* 169. *vsque ad* 175.

Vel per vnionem hypostaticam excluditur *negatiuè* tanquam per formam, moribus inordinatis repugnantem: per virtutes autem excluditur, etiam *positiuè*, quatenus *positiuè* inclinant appetitum, ad obediendum rationi. *Ibidem num.* 116.

FORMA.

NOn omnis forma *essentialitèr* cum altera incompatibilis, habet vim destructiuam illius, sed solum illa, quæ *actiuè* alteri incompatibilis est, quod pluribus exemplis ostenditur. *Disp.* 41. *num.* 120. 121. 122. & 123. & *Disp.* 52. *num.* 102. 103. & 119.

Cum incapacitate ad effectum formalem primarium formæ, non stat capacitas ad formam, quæ est ipse effectus formalis subiecto communicatus. *Disp.* 42. *num.* 187.

Bene tamen cum incapacitate ad effectum secundarium, & connotatiuum. *Disp.* 53. *num.* 182. & *seqq.*

Quando forma habet duplex exercitium, etsi in vtroque forma includatur, non tamen multiplicatur *Disp.* 48. *num.* 107.

Forma de se impotens ad effectum negatiuum secundarium, ex effectu positiuo primario illatum, potest esse de se sufficiens, ad effectum positivum inferentem negatiuum, loquendo de causa formali. *Disp.* 52. *num.* 108.

FVTVRVM CONDITIONATVM.

NOn est posibile futurum conditionatũ sub conditione repugnante subiecto in statu absoluto; & licet non sit necessaria existentia conditionis; est tamen necessarium, quod non implicet conditio sub qua enunciatur futurum. *Disp.* 41. *à num.* 425. *vsque ad* 433.

Ad differentiam conditionalis propositionis, quæ tantum requirit bonitatem consequentiæ, siue conditio implicet, siue non. *Numero* 432.

# G

GENERATIO.

DIffinitio, & conditiones generationis naturalis, & propriæ viuentium explicantur, & à sinistris interpretationibus defendũtur. *Disp.* 54. *à num.* 6. *vsque ad* 27.

Generatio muli ex asino, & equa, non est generatio propria, & connaturalis viuentium, sed monstruosa, & præternaturalis. *Disp.* 54. *num.* 24. & 25. Vbi explicatur istius monstruositatis causa.

Non datur generatio naturalis moralis, & non physica. *Disp.* 54. *num.* 50. & 51.

GLORIA.

POtest Deus de potentia absoluta, homini in gratia *finaliter* perseueranti, gloriam in æternum negare. *Disp.* 52. *num* 135. & *seqq.*

Si gloria redderetur impossibilis, humanitas, quæ modo est, variaretur *specificè*. *Disp.* 52. *n.* 162.

GRATIA HABITVALIS.

GRatia ex meritis Christi causata *realiter* ad ipsum refertur ordine realis effectus ad causam efficientem, in reali dependentia fundata, quam effectus moralis, habet à causa morali. *Disp.* 40. *num.* 169.

Licet gratia ex influxu humanitatis Christi nullum habeat prædicatum intrinsecum, quod non haberet si ex solo influxu diuino extra causas poneretur, nec *terminatiuè* mutetur; terminat tamen distinctum influxum ab illo, quem tunc causus terminaret, quæ terminatiua mutatio sufficit vt gratia ad humanitatem referatur, ab illaque dependeat. *Disp.* 40. *à num.* 171. *vsque ad* 177. & *à numero* 181. *vsque ad* 185.

Negata efficientia physica humanitati Christi in gratiam quoad primum esse, negari debet respectu conseruationis eiusdem gratiæ: potest tamen dari meritum conseruationis gratiæ, sine merito gratiæ, quoad primum esse. *Disp.* 40. *num.* 208. & 210.

Esto gratia habitualis (etiam infinitæ intensionis) non pugnet essentialiter cum peccato graui: gratia tamen substantialis vnionis essentialem repugnantiam cum peccato graui,& veniali habet. *Disp.* 41. *à num.* 59. *vsque ad* 63.

Non esse gratiæ habitualis est *essentialitèr* annexum peccato graui,& tantum est pœna peccati quoad sufficientiam,non verò quoad efficaciam. *Disp.* 41. *num.* 84.

Gratia habitualis non opponitur *essentialitèr* cum peccato veniali, nec præstat dignitatẽ ad gloriam vt conferendam statim,nec cõstituit obiectum,dignum omni complacẽtia diuina: ad differentiam gratiæ vnionis, quæ omnia ista præstat humanitati vnitæ. *Disp.* 41. *num.* 97. *& seqq.*

Quod verum est,etiam si admittatur gratia habitualis infinitæ intensionis *essentialitèr* cũ peccato mortali repugnans, & modus quidam extensiuus intrinsecus gratiæ,essentialem repugnantiam cũ peccato veniali habens. *Ibidem num.* 118.

Gratia (& idem de charitate dicendum) destruitur per omissionem dilectionis, quãdo de illa instat præceptum,non obstãte quod constituant subiectũ potens in actu primo operari. *Disp.* 41 *num.* 449. *& seqq.*

Dubilis est gratia habitualis diuersæ speciei ab illa,quæ de facto datur,et virtutes quas radicaret distinguerentur *specificè* à virtutibus & habitibus de facto ad gratiam consequutis. *Disp* 42. *num.* 154.

Gratia habitualis non valorat, nec dignificat actum meritorium secundum omnem gradum suæ intensionis,nisi secũdum omnem intensionem gradualem influat in illum: ad differentiam gratiæ substantialis vnionis. *Disp* 45. *num.* 89. *&* 90.

In gratia habituali,licet forma finita sit, contineatur non esse,seu remissio peccati,vt effectus secundarius negatiuus illius. *Disp.* 45. *num.* 128.

Prima gratia auxilians potest de potentia absoluta cadere sub merito operum procedẽtium ab ipsa, si non constituat actum liberum in genere causæ formalis: gratia autẽ efficax si solum concurrit vt applicatio, & non vt complementum actus primi,potest sub merito à se principiato cadere. *Disput.* 50. *Num.* 47. *& seqq.*

Gratia habitualis,nec de potentia absoluta potest cadere sub merito condigno operum ab ipsa procedentium; imò nec sub merito congruo,si illud per modum formæ constituit. *Ibidem.*

Licet gratia habitualis in suo fieri,& recipi cõ naturali dependeat à præuijs dispositionibus,ab illis tamen in suo esse non dependet: vnde potest *innaturalitèr* recipi, & *connaturalitèr* operari, sicut contigit in Christo. *Disp.* 51. *num.* 81

Vel exigit ex natura rei præuias & physicas dispositiones,cum infunditur à Deo vt natura,& ad modum naturæ: non verò quãdo infunditur ad modũ proprietatis,aliam supponentis naturam. *Disp.* 51 *num* 8.

Gratia habitualis præstat de facto filiationem adoptiuam. *Disp.* 52. *à num.* 57.

Gratia habitualis se ipsa *adæquatè* nullo extrinseco fauore expectato cõstituit Filium Dei adoptiuum. *Disp.* 52. *à num.* 89. *& Disp.* 53. *num.* 186. *& seqq*

Nec visione beatifica indiget ad talem effectũ præstandum *Disput.* 52. *numero* 121. *& sequentibus.*

Licet gratia habitualis sit bonitatis, & valoris limitati,& finiti,& peccatum in ratione offensæ sit *simpliciter* infinitum, illud tamen se ipsa excludit,non per modum satisfactionis,& meriti,sed via incompossibilitatis, vel oppositionis mediatæ. *Disp.* 52. *num.* 102. *&* 103.

Gratia habitualis est *simpliciter* perfectior visione beatifica, licet ista illam excedat *secũdum quid* in ratione actualitatis. *Disput.* 52. *num.* 112. *&* 113. *& Disp.* 55. *num.* 201 *& sequentibus.*

Sine gratia habituali implicat contradictionẽ esse Filium Dei adoptiuum. *Disput.* 57. *à numero* 178.

Vt alicui subiecto fiat gratia,nõ sufficit quod citra iniuriam possit illi negari,sed requiritur,quod per illam perficiatur,& ipsi non per propriã virtutem,sed ab extrinseco conueniat. *Disp.* 55. *num.* 77.

## Gratia Vnionis.

Vide *Vnio hypostatica.*

Gratia vnionis,nec de potentia absoluta potest cum aliquo peccato componi. *Disp.* 41. *à num.* 24.

Opponiturque *contradictoriè virtualitèr* cum peccato habituali graui, esto gratia habitualis,etiam infinitæ intensionis,talem repugnantiam cum illo non habeat. *Ibidem num.* 59. *& seqq.*

Licet gratia vnionis non ſanctificet *phyſicè* humanitatem, & peccatum habituale in aliquo morali conſiſtat: oppoſitio tamen, quæ inter illa verſatur, eſt phyſica non *phyſicè phycè*, ſed *Theologicè*, hoc eſt ex natura rei cum repugnantia eſſentiali, ex aliqua lege extrinſeca non orta. *Diſp.* 41. *num.* 78. *vſque ad* 91.

Admiſſo deſtructionem, ſeu non eſſe gratiæ habitualis, eſſe pœnam peccati mortalis, & *demeritoriè* ab illo cauſari, cum illoque *eſſentialiter* non connecti; adhuc fatendum eſt non eſſe gratiæ vnionis, *eſſentialiter* cum graui peccato connecti, & pœnam illius eſſe non poſſe, nec *demeritoriè* ab illo vt iam facta cauſari. *Diſp.* 41. *numero* 84. *& ſequentibus.*

Vel licet non poſsit non eſſe gratiæ vnionis in ratione pœnæ *eſſentialiter* cum peccato habituali connecti, poteſt tamen ſub alia ratione, nempe, vt effectus illius in alio genere cauſæ. *Ibidem à num.* 88. *vſque ad* 91.

Cum gratia vnionis non poteſt (etiã de potentia abſoluta) peccatum leue habituale in humanitate vnita componi. *Diſp.* 41. *à numero* 92.

Licet gratia vnionis *immediatè* in anima recipiatur, & peccatum habituale *immediatè* reciperetur in voluntate *realiter* ab anima diſtincta; adhuc ſaluatur eſſentialis oppoſitio mediata gratiæ vnionis cum illo. *Ibidem n.* 146. *&* 147.

Gratia vnionis non ſanctificat, nec dignificat omne id, quod in natura aſſumpta inuenitur, nec omne aſſumptibile eſt ſanctificabile, aut dignificabile. *Diſp.* 42. *num.* 180.

### Gratitvdo.

AD compẽſationem perfectam ex gratitudine, requiritur plus reddere, quam ſit beneficium acceptum: non plus in re, ſed in affectu, & *conditionatè*. *Diſp.* 46. *num.* 46.

Gratitudo ſupponit *eſſentialiter* beneficij collationem: vnde non poteſt tale beneficium mereri, ſed aliud. *Diſp.* 50. *num.* 57.

Vel non alligatur beneficio iam collato, ſed poteſt beneficium conferendum certò notum reſpicere: vnde non ſupponit *eſſentialiter* illius exhibitionem. *Ibidem num.* 59.

Gratiarum actio non ſolum reſpicit gratiam, quæ *ſtrictè* gratia ſit, ſed quodlibet beneficium. *Diſp.* 55. *num.* 90.

### Gvbernatio.

GVbernatio, obligatioque gubernandi petit extrema diuerſarum operationum capacia. *Diſp.* 41. *num.* 152.

# H

### Habitvs.

HAbitus, qui per actum intellectus producitur, poteſt eſſe præmium actus, per quem *efficienter* cauſatur: non vero verbum mentale reſpectu dictionis, nec impulſus reſpectu actus voluntaris. *Diſp.* 39. *num.* 24.

Etſi habitus vitioſi nequeant impedire voluntatem in actu primo in ordine ad actus bonos; ſubduntur enim voluntati ſecundum omnem ſuam perfectionem intenſiuam, & extenſiuam: habitus autem virtutum inhærentes appetitui poſſunt illum in actu primo impedire in ordine ad inordinatos motus, eumque rationi omnino ſubordinare, oppoſita de cauſa. *Diſp.* 42. *num.* 136. 137. *&* 138.

Licet habitus ex communi ratione non petat *neceſſario* ſuam operationem efficere, hunc tamen modum operandi non excludit *poſitiuè*, nec omnis habitus in ſuo omni actu ſubditur voluntati quoad vſum. Quod in lumine gloriæ, in charitate beatorum in ordine ad amorem beatificum, & in habitibus inhærentibus appetitui in ſtatu originalis iuſtitiæ, exemplificatur. *Diſp.* 42. *num* 139. *&* 140.

Idem habitus ſecundum diuerſas rationes in hærere poteſt eidem potentiæ, vt liberæ, & vt cauſæ naturali. *Ibidem num.* 140.

Habitus (ad differentiam actus, & potentiæ) eſt determinatus ad bonum, vel ad malum: vnde non poteſt idem habitus de malo in bonum tranſire, aut é contra. *Ibidem.*

Vnus habitus ſpecie, imo & numero idem, poteſt in actus ſpecie materiali diſtinctos influere, quod ratione, & exemplis oſtenditur. *Diſp.* 48. *à num.* 19. *vſque ad* 22.

### Habitvs Vitiosvs.

HAbitus vitioſus non potuit ab humanitate vnita poſt vnionem, acquiri; hæc enim acquiſitio debebat per actus vitioſos fieri, qui omnino illi repugnabit. Nec Deus poteſt habitum vitioſum producere. *Diſp.* 42. *num.* 178. *&* 186.

Habitus vitiosus, ab humanitate ante vnionem ad Verbum propriis actibus acquisitus, nō posset cum vnione componi. *Disp.* 42. *num.* 180. *& seqq.*

Habitus vitiosus solum sub ratione entitatis terminat amorem diuinum. *Disp.* 42. *num.* 190.

Habitus vitiosus excedit in malitia morali potentiam: inconueniens enim non est effectum esse sua causa imperfectiorem. *Disp.* 42. *num.* 203.

Habitus causatus ex actibus, qui simul essent boni, & mali, bonitate, & malitia morali, esset ad malum determinatus per modum inclinationis; vnde non posset à Deo per specialem concursum causari, nec à Diuino Verbo assumi: ad differentiam naturæ sensitiuæ. *Disp.* 42. *num.* 204. *vsque ad* 211.

HENOCH, ET ELIAS.

HEnoch, & Elias in Paradiso existentes nō merentur augmentum essentialis beatitudinis, propter ordinationem Dei, qua statuit, quod nullus mereatur nisi in corpore mortali, iuxta communem modum viuendi. *Disp.* 47. *num.* 70.

HAERES.

INter hæredem naturalem, & adoptiuum datur medium, scilicet, hæres voluntarius, qui tamen filius voluntarius non est; nec cōuertuntur mutuo, esse filium, & esse hæredem *Disp.* 53. *num.* 214.

HOMO.

HOmo, vt rationalis, tenetur gubernare se ipsum, vt sensitiuum, rationeque voluntatis adstringitur ad regendum appetitum, cuius operatio distincta est à voluntatis operatione. *Disp.* 41. *num* 152.

Non sunt idem *hic homo*, & *hæc persona*, nec *hic Deus* est idem, quod *hæc persona diuina*. *Disp.* 55. *num.* 48. *& seqq.*

HVMANITAS.

SI humanitas posset existere sine modo subsistentiæ, & extra omne suppositum, posset vt *quod* operationes hominis operari non tamen esset homo, nec esset principiū *quod* connaturale, & completum illarum operationum. *Disp* 41. *num.* 255. *& 256.*

Humanitas sine subsistentia producta, non esset filia, nec filietas, sed sola persona capax est denominationis filij. *Disput.* 53. *numero* 70. *& à num.* 82. *vsque ad* 86.

In tali hypotesi posset à suis progenitoribus alimenta exigere, non iure filiæ, sed iure genitæ *incomplete*, & *imperfectè*. *Disp.* 53. *num.* 85.

I

IDIOMATVM COMMVNICATIO.

ETiam in his, quæ physicam imperfectionem dicunt, admitti debet communicatio idiomatum in Christo. *Disput.* 41. *num.* 193.

IEIVNIVM.

PRæceptum ieiunandi à superiori impositum, solo ieiunio impletur: quod si subditus ex motiuo obediendi ieiunet exercet actum obedientiæ, ad quem ex vi præcepti ieiunandi obligatus non erat, quod non ad actum obedientiæ, sed ad materiam præceptam obligat. *Disp.* 43. *num.* 110. *&* 111.

IGNROANTIA.

IGnorantia dupliciter sumitur, primo negatiué, pro carentia scientiæ, subiecto nullatenus debitæ: secundo priuatiué, pro carentia scientiæ aliqua ratione subiecto debitæ, vel debito orto ex lege, vel debito connaturalitatis, congruentiæ, vel condignitatis moralis. *Disp.* 44 *num.* 1. *& fusius à num.* 58. *vsq; ad* 63.

Ignorantia, & amentia solum opponuntur naturæ intellectuali, cui insunt; ad differentiam iudicij speculatiui erronei, quod naturæ intellectuali vt sic opponitur obiectiuè. *Disp.* 44. *num.* 126.

IMAGO PASSIONIS CHRISTI.

IMago intentionalis passionis Christi, nempe conceptus illam repræsentans, vt futurā, aut præteritam, non influxit *physicè efficienter* in gratiam Antiquis Patribus datam, nec in nostram. *Disp.* 40. *num.* 201. 202. 203.

IMPECCABILITAS.

IMpeccabilitas essentialis, & ab intrinseco, est Deo propria: impeccabilitas vero ex dono intrinseco gratioso communicato proueniens, non est diuinæ naturæ proprietas, sed potest creaturæ conuenire, & de facto fuit Christi humanitati concessa. *Disp.* 41. *num.* 354. 356. *& seqq.*

IMPEDIMENTVM.

IMpedimentum non essentiale subiecto, auferibileque per formam, non tollit ab illa sui effectus formalis communicationem. *Disp.* 41 *num.* 142. *& seqq.*

IMPETRATIO.

SExtuplex differentia inter impetrationem, & rationem meriti in oratione assignatur. *Disp.* 47. *num.* 80. 81. *&* 82.

IMPOSSIBILE.

IMposibile moraliter in sensu Theologico dicitur illud quod adeò difficile est, vt num quam sit euenturum, quod autem eueniat non implicat: sicut victoria grauis tentationis sine speciali gratia. *Disp.* 41. *num.* 419. Vbi multiplex diuisio impossibilitatis, & impotentiæ traditur, & explicatur. *Num.* 417. 418. *&* 419.

IMPOTENTIA.

ALia est physica; alia moralis. Termini explicantur, & variæ subdiuisiones recẽsentur. *Disp.* 41. *num.* 417. 418. *&* 419.

INCARNATIO PATRIS.

SI Pater carnem assumeret intuitu meritorum Christi, adæquaret, & exhauriret con dignitatem meritoriam illorum. *Disp.* 45. *num.* 35. *&* 75.

Vel exhauriret meritum Christi *intensiuè*, non autem *extensiuè*: vnde ad alia præmia creata promerenda posset meritum Christi extẽdi *Disp.* 45 *à num.* 46. *vsque ad* 55.

Si Pater carnem assumeret, & sanitatem ægroti postularet (Christo, qui modo est oppositum postulante) in neutrius meritis infinitis esset condignitas vt exaudirentur, nec sanitas tunc casus esset præmium posibile orationis illorum. *Disp.* 45. *num.* 69. *& seqq.* Variæ solutiones reiiciuntur. *A num.* 57. *vsque ad* 69.

INCARNATIO VERBI.

NOn esse Incarnationis Verbi in esse rei, est ita malum, ac est bona Incarnatio: in ratione autem pœnæ non ita. *Disp.* 45. *num* 129 *& seqq.*

Incarnatio prout importat vnionem ad secũdam Trinitatis Personam determinate, potuit cadere sub merito condigno operum præcedentium vnionem: quatenus vniri potuit prius alteri diuinæ personæ. *Disp.* 50. *num.* 3.

Incarnatio de facto non fuit præmium condignum operum procedentium ab humanitate, quæ tempore, vel natura vnionem humanitatis ad Verbum factam supponunt, & à Verbo vt illi vnito procedunt. *Disp.* 50. *num.* 4.

Nec id contingere potuit, etiam de potentia absoluta. *Ibidem à numero* 6. *& num.* 46. *& seqq.*

Incarnatio non solum est principium effectiuum operum ab ipsa procedentium, sed etiam est principium formale, & essentiale meritorum Christi prout sunt infiniti valoris. *Disp.* 50. *num* 46. 50. *& seqq.*

Potuit Christus de potentia absoluta mereri de condigno continuationem Incarnationis: illam tamen non meruit de facto. *Disp.* 51. *num.* 2 *& seqq.*

Incarnatio vt continuata est eadem *physicè* cũ Incarnatione vt primo producta, non tamen est eadem moraliter. *Disput.* 51. *numero* 10.

Incarnatio Verbi non fuit volita à Deo propter hominum salutem, vt finem *cuius gratia*. *Disp.* 56. *num.* 129.

INFINITVM.

INfinitum potest *repræsentatiuè* contineri in aliqua forma finita: secus in esse entitatiuo. *Disp* 38. *num.* 27. *&* 28.

INSTANS.

DIuersa signa naturæ non multiplicant *virtualiter* instans, sed in vno, eodemque instanti identitate reali, & virtuali exercentur: vnde diuersitas signorum naturæ non sufficit, vt idem prædicatum affirmetur, & & negetur. *Disp* 41. *num.* 412.

INSTRVMENTVM.

INstrumentum morale non requirit contactum præuium rei, in qua est inducendus effectus. *Disp.* 40. *à num.* 24. *vsque ad* 33. *& n.* 52. *& seqq.*

Instrumentum respectu creationis, & anihilationis repugnat, etiam de potentia absoluta, in sententia D. Thomæ. *Disp.* 40. *num.* 35. 36. *&* 37.

Instrumentum mediat inter effectum, & causam principalem in cuius virtute operatur. *Disp.* 40. *num.* 45 *&* 47.

Ad influxum instrumentalem non est necessa

ria virtus inchoata, & remota præsupposita ad virtutem eleuatem: nec debet illi correspondere in effectu prædicatum aliquod, quod petat reduci in instrumentum agens per virtutem suæ formæ, sed hæc, & alia causæ principales requirunt. *Disp.* 40. *à num* 89. *vsque ad* 92.

De ratione instrumenti non est, quod operatio abillo propria virtute causata contingat passum, in quo effectus principalis est inducendus: sed sufficit quod virtute diuina contingat subiectum talis effectus. *Disp* 40. *numero* 122.

Vt instrumentum, etiam coniunctum, physice operetur, non sufficit sola indistantia localis causæ cuius, est instrumentum, sed etiam ipsum instrumentum debet esse loco indistans. *Disp.* 40. *num.* 125. *& seqq.*

Vt instrumentum physice influat, non sufficit quod operetur in virtute Dei omni tempori præsenti, sed necessario requiritur coexistentia in tempore, formalis, aut virtualis: vnde res existens, aut præterita potest efficienter physicé agere, non vero res futura, aut possibilis. *Disp.* 40. *à num.* 188. *vsque ad* 203.

Non est contra rationem instrumenti, quod in virtute illius aliud instrumentum agat. *Disp.* 40. *num.* 244.

IOANNES BAPTISTA.

IN maiori intensione communicatæ fuerũt gratia, & virtutes Ioanni Baptistæ, quam Adamo in statu innocentiæ, in quo tamen fomitem extinxerunt, in illo vero, nec ligauerunt. *Disp.* 42. *num.* 134.

Ioannes Baptista *venialiter* peccauit, & oppositum asserere tutum non est. *Disp.* 43. *num.* 3.

IRA.

LIcet ira componatur ex tristitia, & appetitu vindictæ, & vterque affectus ad iram concurrat: appetitus tamen vindictæ *constitutiue*, & *formaliter*; tristitia vero solum *antecedenter*, & *causaliter* ingreditur. *Pag.* 105.

Ira alia est per vitium, alia per zelum, & hæc fuit in Christo. *Ibidem.*

IVRAMENTVM.

IVramentum est actus religionis, eiusque primarius finis est apud alios dicti propriĩ veritatem confirmare, diuina atestatione interposita: vnde Deus iurare *propriè* non potest; Christus vero vt homo, capax iuramenti fuit, imo aliquando iurauit. *Disp.* 49. *num.* 92.

IVSTITIA ORIGINALIS.

IVstitia originalis ita appetitum subiiciebat rationi, quod illam præuenire non posset, nec contra eam moribus inordinatis insurgere, dum ratio subderetur Deo, quæ subordinatio non ex extrinseca prouidentia Dei negantis concursum ad motus inordinatos appetit⁹, sed ex vi donorũ gratiæ in anima, illiusque potentijs residentium, causabatur. *Disp.* 42. *num.* 131. *& seqq.*

IVSTVS.

HOmo iustus instante dilectionis præcepto potest omittere dilectionẽ omissione destruente gratiam habitualem, & habitum charitatis, per ista enim non constituitur potens ad omissionem, sed tantum ad dilectionem: vnde coniungere potest omissionem cum non esse gratiæ, & charitatis, & illarum infusionem impedire. *Disp.* 41. *n.* 499. *& seqq.*

L

LAVS.

LAus Christi ex ore Dei, seu actus, quo Deus laudabat Christum, non erat in ratione præmij, æstimabilitatis infinitæ: laus vero Dei in ore Christi, seu actus, quo Christus laudabat Deum, erat valoris meritorij *simpliciter* infiniti. *Disp.* 45. *num.* 14.

LEGISLATOR.

LIcet legislator non subiiciatur legi, quoad vim coactiuam, suis tamen legibus quoad vim directiuam constringitur. *Disp.* 49. *num.* 48.

LEX.

NOn est de ratione subiecti obligabilis per legem positiuam, capacitas ad peccãdum. *Disp.* 49. *num.* 66.

Nulla lex obligat sub comminatione absoluta culpæ, aut pœnæ, sed tantum sub commination conditionali. *Ibidem num.* 69.

Lex negatiua, v.c. odio non habendi Deum, potest per puram negationem nullo modo liberam adimpleri: ad differentiam legis affirmatiuæ. *Disp.* 49. *num.* 213.

LEX POENALIS.

TRansgresio legis pœnalis, hoc est, non ad culpam, sed ad pœnam obligantis, licet non sit mala malitia morali *formaliter*; est tamen imperfecta, imperfectione morali, & reprehensione digna: vnde si Christus vt homo esset talis legis capax, transgredi illā non posset. *Disp.* 43. *num.* 16. & *seqq.*

LEX VETVS, ET NOVA.

IIcet lex antiqua fuerit à noua distincta, iustificatio tamen, & adoptio hominum illius legis, eiusdem rationis fuit cum nostra iustificatione, & adoptione facta per formam eiusdem rationis, nimirum per gratiam habitualem. *Disput.* 52. *numero* 241. & 242.

Legis veteris cultores dicebantur serui, *triplicitèr*, scilicet *negatiuè*, quoad statum, & quātum ad exteriorem apparientiam. *Disp.* 52. *num.* 247. & 248.

LIBERTAS, LIBERVM.

AD libertatem contrarietatis sufficit indifferentia ad actum, & ad omissionem actus culpabilem, attentis principijs proximis, esto principium radicale vndequaque expeditum non sit. *Disput.* 43. *num.* 65. & 67.

Liberum in causa ineuitabili est sufficiens ad meritum, & demeritum *formaliter*, & non solum per modum effectus meriti, aut demeriti, si alia requisita adsint, quod ratione, & exemplis ostenditur. *Disp.* 47. *numero* 90. & 92.

Libertas essentialis (quæ in ratione voluntarij, & spontanei consistit, libertasque à coactione appellari solet) est insufficiens ad meritum, & oppositum asserentes damnati sunt à Pio V. à Gregorio XIII. & ab Vrbano VIII. *Disp.* 48. *num.* 70. & *seqq.*

Necessitas, quæ ideo libertatem non aufert, quia nostram libertatem consequitur, non sufficit sequi ad libertatem vnius actus, vt salvet libertatem alterius respectu cuius est se potest omnino antecedens. *Disp.* 49. *num.* 125. & 126.

LOCALIS INDISTANTIA.

INdistantia localis solum est conditio agentis creati, vt in passum agat, potestq; à Deo suppleri: sicut virtute diuina potest res corporea in spiritualem agere. *Disp.* 40. *n.* 124. & *seq.* & *fusius à num.* 133. & *iterum num.* 198.

LVMEN GLORIAE.

LVmen gloriæ non est virtus libera sed necessario operatur totū quod potest, tam circa primarium, quam circa secundarium obiectum: ad differentiam charitatis, quæ tantum circa obiectum primarium, & infinitum per essentiam, *necessario* operatur. *D.* 48 *num* 13. 14. & 15.

Lumen gloriæ consequitur ad gratiam consummatam per modum propriæ passionis, vnde non fuit præmium meritorum Christi, sicut nec ipsa gratia consummata. *Disp.* 51. *num.* 134. & *Disp.* 52. *num.* 172. & 173.

M

MALITIA.

MAlitia formalis in ratione formali malitiæ, abstrahit à malitia habituali, & à malitia actuali, & à malitia potentiæ. *Disp.* 42. *num.* 191. & *iterum num.* 200. 201. & 202.

MALVM POENAE.

NOn omne malum pœnæ potest *per se* intendi à Deo, nec ab illo procurari, & speciali influxu causari, v. g. motus inordinatus appetitus, vel iudicium erroneum practicum. *Disp.* 44. *num.* 124.

MARITVS.

MAritus non solum tenetur vitare vxoris peccata, verū etiam illud ob quod maritalis coniunctio, & cohabitatio quoad thorum disoluitur. *Disp.* 41. *num.* 314. 316. & 325.

MARTYR.

MArtyr non dicitur à moriendo, sed à sustinendo mortem *violenter* ab extrinseco illatam causa fidei: vnde quamuis mors naturalis sit necessaria absolute; mortis tamen tollerantia, libera est, & meritoria. *D.* 49. *num.* 121.

MATER.

Vide *Relatio.*

MATRIMONIVM.

POteſt Deus ſua vtens abſoluta potentia vinculo matrimonij duos ligare ſine illorum libero conſenſu, & licet vinculum matrimonij *in fieri* voluntarium ſit, non tamen eſt *eſſentialiter* voluntarium, ſed conſeruari poteſt ſine libero contrahentium, influxu. *Diſp.* 41. *num.* 42.

Licet matrimonium de facto, & *regulariter* cõ ſilio opponatur, hæc tamen oppoſitio illi eſſentialis non eſt; vnde fieri potuit, quod Deus matrimonium conſuleret, virginitate, & cœlibato relictis. *Diſp.* 43. *num.* 132.

Potuiſſet Chriſtus de facto matrimonium cõtrahere, & cœlibatum relinquere, abſque vlla morali imperfectione, ſi pro conſilio accepiſſet, vt quod mallet eligeret. *Diſp.* 49 *num.* 159.

Ad matrimonium, etiam ſpirituale, requiritur conſenſus contrahentium. *Diſp.* 51. *num.* 80.

MENDACIVM.

MEndacium ex genere ſuo eſt peccatum & cadit ſupra materiam indebitam *D.* 44. *num.* 104.

MERITVM, DEMERITVM.

Vide *Remiſſio peccati.*

MEritum aliud eſt condignum, aliud congruum: demeritũ autem congruum nõ datur, nec à Theologis admittitur. *Diſp.* 41. *num.* 87.

Repugnat merito eſſentialis connexio cum præmio, non ſolum in ratione præmij, verum etiam cum illius entitate ſub quacumque alia ratione. *Diſp.* 41. *num.* 91.

Non ſaluatur libertas ſufficiens ad meritum in illo, qui eſt ad optimum opus neceſſitatus, per hoc quod inter actus optimos poſsit hũc, vel illũ eligere, quod ratione, & exemplis oſtenditur. *Diſp.* 43. *à num.* 123. *vſque ad* 127.

Valor meriti creſcit ex incremento ſanctitatis perſonæ operantis: non vero laudabilitas operis, quæ ſupra operis bonitatem *adæquatè* fundatur. *Diſ.* 45. *n.* 88.

Creſcit etiam ex maiori ſanctitate accidentali à gratia habituali præſtita, ſi *formaliter* cõparetur cum actu: non vero ſi *materialiter* omnino ſe habeat. *Ibidem num.* 89. & 90.

Meritum eſſe poteſt actu infinitum abſque præmio actu infinito: ſicut actio, qua Deus agit ad extra, infinita eſt, & eius terminus finitus. *Diſp.* 45. *num.* 95. & 96. & *fuſiùs num.* 120. & *ſeqq.* & *iterum num.* 137. & *ſeqq.*

Status viæ neceſſarius eſt ad meritum, ſiue ex natura rei, ſiue ex voluntate, aut lege diuina. *Diſp.* 47. *à num* 64. *vſque ad* 71.

Meritum etiam congruum ab impetratione diſtinguitur: vnde ſancti in cælo multa à Deo impetrant, nihil tamẽ apud ipſum merentur. *Diſp.* 47 *num.* 73. & *ſeqq.*

Radix merendi eſt imperium charitatis; vnde ſemota ratione meriti à charitate imperante, remoueri etiam debet ab actibus imperatis, etiam in Chriſto. *Diſput.* 48. *numero* 5. 6. & 7.

Si Chriſtus actum aliquem ſupernaturalem indifferentem eliceret, talis actus non eſſet meritorius, licet à gratia habituali, & à perſona Verbi infinitæ dignitatis procederet, ab illaque *moraliter* informaretur, ſi ex imperio charitatis non procederet. *Diſp.* 48. *num.* 6. 7. 8. & 9.

Principium formale, & eſſentiale meriti, non poteſt cadere ſub merito operis procedentis ab illo, etiam de potentia abſoluta. *Diſp.* 50. *à num.* 18. & *num.* 46. 50. & *ſeqq.* Eſto principium meriti *purè* effectiuum ſub merito cadere poſsit.

Inter principium meriti, & præmium, non petitur diſtinctio realis phyſica, ſed diſtinctio realis moralis ſufficit. *Diſp.* 51. *num.* 13. 14. & 15.

Principium mediatum morale meriti cauſari poteſt *moraliter* ab eo, cuius eſt principium: non autem principium mediatum phyſicum in ratione actualis principij, licet in eſſe rei hoc non repugnet. *Diſp.* 51. *num.* 53. & *ſeqq.*

Meritum non exigit tempore præcedere præmium, niſi meritum beatitudinis, ob ſpecialem rationem. *Diſp.* 51. *num.* 96. & *fuſiùs n.* 139. & *ſeqq.*

Meritum electionis comparatiuæ non eſt meritum electionis vnius, & non electionis alterius; ſed ſaluatur in hoc, quod eſt mereri electionem vnius, & non mereri electionem alterius: ſicut electio comparatiua vnius præ alio, ſaluatur in hoc, quod vnus


eliga-

eligatur, & alter non eligatur. *Disp.* 56. *n.* 146. *& seqq.*

Meritum *dupliciter* causat in genere causæ efficientis, scilicet, quoad substantiã, & etiam quoad modum, cum scilicet præmium confertur post meritum, vel solum quantũ ad substantiam; quando nimirum, præmiũ *antiquè* datur. *Disp.* 57. *num.* 35.

Merita nostra *physicè* considerata exceduntur à gloria, in morali autem æstimatione illi adæquantur. *Disp.* 57. *num.* 131. 132. & 133.

Merita nostra amantur propter gloriam, non vt finem *qui*, sed vt finem *quo*. *Ibidem.*

MIRACVLVM. MIRACVLA.

DE ratione miraculi *simpliciter* talis est, quod fiat supra ordinem totius naturæ creatæ, & non sufficit, quod sit supra ordinẽ naturæ particularis. *Disp.* 40 *num.* 3. 4. & 5.

Plus requiritur ad hoc, quod effectus aliquis sit miraculosus, quam vt sit supernaturalis: vnde iste potest à causa creata *efficienter principaliter* effici, secus vero ille. *Disp.* 40. *num.* 4. & 5.

Repugnat creaturæ influere *connaturaliter* in miracula; & quod *inconnaturaliter* influat, est tantum negatiua imperfectio. *Disp.* 40. *num.* 62.

Miracula possunt effici *dupliciter* imperando: vno modo, vt propria virtute efficienda; & ex isto modo patrandi miracula rectè probatur diuinitas: alio modo vt efficienda, nõ virtute propria, sed alterius; & isto modo Christus vt homo miracula imperando effecit. *Disp.* 40. *num.* 105.

MORS.

LIcet mors magis opponatur vitæ *intensiuè*, quã error veritati: *extensiuè* tamen nõ ita; mors enim solum opponitur vitæ particulari, qua priuat, error vero, esto *subiectiuè* solum opponatur veritati particulari iudicij existentis in subiecto, cui error inhæret, *obiectiuè* tamen repugnat cum iudicio vero in quocumque subiecto sit. *Disp.* 44. *á num.* 114 *vsque ad* 126.

Mors ex veneno propinato sequuta, non solũ est effectus præcedentis peccati, sed peccatum in se ipsa *formaliter*; ad demeritum enim sufficit voluntarium, & liberum in causa ineuitabili, si alia requisita adsint. *Disp.* 47. *num.* 90. & 92.

N

NATVRA.

NAtura *immediatè* vt *quod* influit in operationes, & *immediatè* vt *quod* recipit accidentia, non quidem vt subiectum *quod* completum, hoc enim solum est suppositum, sed vt incompletum. *Disp.* 41. *num.* 262. 263. 264. & 266.

NATVRA DIVINA.

Vide *Deus.*

NAtura diuina in Filio dicitur aliquomodo genita, & in Patre producens, scilicet vt *quo Disp.* 53. *num.* 116.

NATVRA IRRATIONALIS.

SI natura irrationalis, v. c. Leonis, Verbo *hypostaticè* vniretur, posset absque vlla indecentia in motus appetitus sensitiui exire, puerum sibi obvium occidere, & si fluuij naturam assumeret, posset campos inundare, prædia, & domos destruere: quæ omnia natura rationalis, etiam rationis vsu priuata, facere sine indecentia non posset. *Disp.* 42. *num.* 103. & 104.

Si Verbum Diuinum naturam equi assumeret, equus esset Filius Dei naturalis per communicationem idiomatum; cum reduplicatione autem, non foret Filius naturalis Dei *formaliter* specificando naturam creatam, quod latè explicatur. *Disp.* 54. *á num.* 149. *vsque ad* 156. *maximè num.* 155.

NATVRA SENSITIVA.

NAturæ sensitiuæ, etiam vt rationali coniunctæ non debetur, quod nunquã suis motibus rationem præueniat, nec quods ẽper ex illius imperio operetur. *Disp.* 42. *n.* 73. 74. 75. & 76.

Licet natura sensitiua hominis, quatenus rationem præuenit, sit eiusdem rationis *physicè* cum natura sensitiua irrationali; est tamen diuersæ rationis in consideratione morali. *Disp.* 42. *num.* 81.

NECESSITAS.

Vide *Libertas.*

NEcessitas orta ex aliquo se tenẽte ex parte actus primi *formaliter*, aut *equiualenter* nobis non libero, nec ad nostram libertatem subsequuto, inducit necessitatem *simpliciter* incompatibilẽ cum libertate, si oriatur

tur ex parte actus primi secundum id, quod in illo *per se* exigitur ab actu secundo: secus vero si ex aliquo, ab actu secundo non exacto, oriatur. *Disp.* 43. *num.* 101. & *Disp.* 48. *num.* 30. & *Disp.* 49. *num.* 201. & *seqq.*

Necessitas moralis proueniens ex interiori voluntatis inclinatione præstita ab habitibus, illam ad bonum inclinantibus, non opponitur libertati actus, nec illius laudabilitati, imo potius illam auget, & perficit. *Disp.* 48. *num.* 77. & 78.

Necessitas consequens libertatem vnius actus, est omninò antecedens cum alio actu comparata. *Disp.* 49 *num.* 124. & 125.

Nepos.

Licet nepos habeat ius ab intrinseco ad hæreditatem Aui, potest ab illo in Filium adoptari: ad differentiam iuris, quod Spiritui Sancto humanitatem assumenti conueniret *Disp.* 54 *num.* 170.

Nomen Nomina.

Hæc nomina *nullus*, & *nemo*, nisi aliquid eis superaddatur, etiam Angelos comprehendunt. *Disp.* 44. *num.* 27. & 30.

Hoc nomen *Pater* non semper sumitur *personaliter* pro prima ex diuinis personis *realiter* ab aliis distincta, sed aliquando accipitur absolutè prout dicitur Pater hominum, & Angelorum, titulo creationis, & iustificationis, sicut in oratione Dominica, cum dicitur *Pater noster*, & Marci 13. *De die autem illo nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi solus Pater. Disp.* 44. *num.* 33.

Nomen concretum in recto, & de formali significat naturam: supponit tamen pro supposito illam habente. *Disput.* 55 *num.* 62.

O

Obedientia.

Actus obediētiæ supponit *essentialiter* præceptum, vt obligans ad materiam præceptam, non vero ad ipsum actum obedientiæ. *Disp.* 43. *num.* 110. 111. & 114.

Actui obediētiæ nō potest esse essentialis obligatio cadens supra ipsum, nec actus obedientiæ interior potest præcipi, quin etiam aliquid, quod habeat pro obiecto materiali, præcipiatur. *Ibidem num.* 113.

Actus ex motiuo obedientiæ exercendus, nō potest esse necessarius, est enim virtus electiua, & electio supponit consilium, quod de necessarijs esse non potest. *Disp.* 49. *n.* 11.

Obiectum formale obedientiæ est præceptum superioris, quod *proximè* præceptum sit. *Disp.* 49. *num.* 30. & *seqq.* & *iterum a num.* 73.

Obiectvm.

Obiectum, vel in se, vel media specie impressa eius vices gerente, concurrit *efficienter* ad intellectionem, quæ est quidam intellectualis partus. *Disp.* 40. *num.* 200.

Licet obiectum primarium præsupponi debeat ad actum (saltim prioritate naturæ) obiectum tamen secundarium talem prioritatem non petit. *Disp.* 51. *num.* 159.

Obligatio.

Ad implicatorium, & necessarium ex terminis, & *absolutè*, non potest dari obligatio: benè autem si implicatio, aut necessitas ex aliqua suppositione accidentali proueniat. *Disp.* 41. *a num.* 185. *vsque ad* 189.

Occvltatio Veritatis.

Occultare veritatem, non est errorē *per se* intendere, quamuis ex hoc sit ab alijs errandi occasio sumenda, & hoc fecit Christus quando diem iudicij Apostolis occultauit. *Disp.* 44. *num.* 46.

Offensvs.

Offensus habet ius exigendi satisfactionē ab eodem, qui offensam commisit, quādo satisfactio oblata est finitæ, & limitatæ dignitatis, secus vero quando est dignitatis infinitæ. *Disp.* 46. *num.* 35, & *num.* 38. & *seqq.*

Omnipotens. Omnipotentia.

Omnipotentia soli Deo potest conuenire *à se*, estque proprietas ad diuinam naturam consequuta. *Disp.* 38. *num.* 1. & 2.

De ratione omnipotentis *simpliciter*, est independentia ab alio agente priori, nullique in agendo subordinari. *Ibidem num.* 4.

Esto admittatur virtutem creatiuam aliquorū entium posse creaturæ communicari, non inde sequitur omnipotentiam communicari posse creaturæ. *Disp.* 38. *num.* 24. & 25.

Diuina essentia nequit vniri creaturæ sub conceptu omnipotentiæ: licet vniatur per modum speciei, Verbi, subsistentiæ, existentiæ, & sanctitatis *Disp.* 38. *num* 30. & 31.

Licet vniri posset creaturæ sub conceptu omnipotentiæ, illi suum effectum formalem inadæquatū præstando, non sequitur consti-

tuere

tuere illam omnipotentem *simpliciter*, sed tantum potentem ad aliquos omnipotentiæ effectus. *Disp.* 38. *à num.* 2. *vsque ad* 43.

Vt actio aliqua ab omnipotentia procedat, non requiritur, quod attingat eius terminum formalem vt *quod*, sed sufficit illum attingere vt *quo*. *Disp.* 38 *à num.* 43.

OPERARI. OPERATIO.

SVppositâ ignorantiâ inuincibili prohibitionis alicuius rei, melius est *per accidens* ergà obiectum reipsâ prohibitum ex motiuo supernaturali operari, quam ab operatione cessare: non autem est melius *per se*, & ex meritis obiecti, sed potest in tali operatione aliqua indecentia inueniri. *Disp.* 42. *num.* 99.

Operari est hypostasis subsistentis secundum formam, & naturam. vnde specifica vnitas, vel diuersitas operationum, ex vnitate, vel diuersitate naturarum est pensanda. *Pagina* 352.

Vnitas numerica operationum intra eandem speciem desumitur ex vnitate hypostasis, non pro eo, quod dicit in recto, sed pro eo quod hypostasis importat in obliquo, nempè naturam, in qua operatio creata ab humanitate elicita recipitur *immediatè*. *Pag.* 352. 353. & 354.

Operatio consequitur ad naturam tâquam ad principium *quo*, & tanquam ad subiectum *immediatè* susceptiuum: ad differentiâ existentiæ, quæ licet à natura sit tâquam à principio formali, non in illa, sed in supposito *immediatè* recipitur. *Ibidem*.

OPPOSITIO.

OPpositio essentialis est duplex, vna inter formas *actiuè* ex vtraque parte incompatibiles, & in his vtraque habet vim destructiuam alterius: alia reperitur inter formas, quarum vna est alteri *actiuè* incompatibilis, alia tantum *passiuè*, & hæc alteram formam sibi *essentialiter* oppositam destruere nequit. *Disp.* 41. *num.* 121. 122. & 123.

OPPOSITIO CONTRADICTORIA.

OPpositio contradictoria, alia est formalis, alia virtualis, & vtraque pro conditione petit subiecti identitatem oppositam distinctioni, etiam rationis subiecti affirmationis à subiecto negationis: non autem petit identitatem capacitatum eiusdem subiecti oppositam distinctioni rationis, quod ratione, & exemplis ostenditur. *Disp.* 41. *n.* 67.

OPPOSITIO CONTRARIA.

AXiomata illa ex Philosopho desumpta, nimirum, *vni vnum est contrarium*, & cõtraria sunt, *quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt*, intelliguntur de contrarietate stricta, non autem de contrarietate *largè* accepta. *Disp.* 41. *num.* 69.

OPPOSITORES AD BENEFICIA.

QVando duo oppositores *æquè* digni ad aliquod Beneficium concurrunt, in neutro est condignitas, vt alteri beneficium denegetur, sed posset in dicto casu sine vnius iniuria, alteri sibi æquali beneficium cõferri, quod ex superioris gratia dependet. *Disp.* 45. *num.* 66. & *seqq.*

Oppositor dignus habet condignitatem ad beneficium consideratum secundum se, & vt conferendum sine concursu dignioris, in cuius conspectu est *positiuè* indignus. *Disp.* 45. *num.* 68.

ORATIO.

IN oratione triplex reperitur concursus, seu consideratio, ratioque meriti, & impetrationis in illa *sextuplicitèr* discriminantur. *Disp.* 47. *num.* 79. & *seqq.*

ORATIO DOMINICA.

QVando in oratione Dominica dicitur, *Pater noster*, ly *Pater* non sumitur *personaliter* pro vna ex tribus personis *realiter* ab alijs distincta: sed accipitur *absolutè*, prout Deus dicitur Pater hominum, & Angelorum titulo creationis, & iustificationis. *Disp.* 44 *num.* 33.

P

PACTVM.

LIcet de facto inter Deum, & Christum pactum de illius meritis remunerandis intercesserit; necessarium tamen non fuit vt Christus suis meritis Deum ex iustitia obligaret. *Disp.* 46. *num.* 1. & *num.* 5. & *seqq.*

PARTES.

EA, quæ de partibus affirmantur, dicuntur etiam de toto ex illis composito: ea vero, quæ de partibus negantur, non negantur de toto. *Disp.* 53. *num.* 199. 200. & 201.

PARTICIPIVM.

DIfferentia inter ista participia, *factus*, & *prædestinatus*, traditur, & explicatur. *Disp.* 55. *num.* 166. & 167.

PATER CREATVS.

PAter creatus tenetur gubernare filios naturales, & adoptiuos, & illorum peccata quantum potest vitare, mortemque, & alia damna corporalia, cum non conformiter ad rationem à filijs sustinentur. *Disp.* 41. *numero* 176. & 178.

Patri non solum imputantur peccata filij sub patria potestate existentis, sed etiam illa, quæ Patriam potestatem destruunt: idemque de marito respectu vxoris, & de Domino respectu serui dicendum. *Disp.* 41. *num.* 314. 316. & 325.

Pater naturalis, non potest priuare filium hæreditate, nec Pater adoptiuus Filium adoptiuum; bene tamen Deus sua absoluta potentia vtens. *Disp.* 52. *num.* 176. & 177.

PATER ÆTERNVS.

Vide *Incarnatio Patris.*

LIcet *Pater Æternus* idem sit in supponendo, quod *genitor filij*, non sunt idem in significando: vnde in ratione Patris importat *formaliter* relationem, vt referentem, non autem in ratione genitoris. *Disp.* 42. *numero* 17.

Si Pater Æternus humanitatem assumeret, esset vt homo, Pater Æterni Verbi per gratiam vnionis, & generans filium per æternam generationem in tempore vnitam humanitati. *Disp.* 54. *num.* 156.

PATRES VETERES, SEV ANTIQVI.

GRatia Antiquis Patribus data intuitu meritorum Christi, non fuit effectus illorū in genere causæ efficientis, sed tātum in genere causæ finalis, quatenus erat principiū actu influens in Incarnationem: quoad substantiam autem, & prout disponebat ad illorum sanctificationem, vel augmentum gratiæ, & gloriæ merebatur, fuit effectus meritorum Christi in vtroque genere causæ. *Disp.* 51. *num.* 57.

Non omnis gratia Antiquis Patribus data fuit effectus meritorum Christi in genere causæ efficientis moralis, sed tantum illa dona, quibus *essentialiter* non repugnat subsequi in ordine executiuo ad Christi existentiam. *Disp.* 51. *num.* 61.

Patres Antiqui in gratia, & charitate existentes, verè fuerunt Filij adoptiui Dei. *Disp.* 52. *num.* 240. & *seqq.*

Patres Antiqui in gratia existentes triplici de causa appellabantur serui *ibidē n.* 147. & 148.

Patres Antiqui, quatenus fide viua in Christū credentes, ad Nouum Testamentum pertinebant. *Disp.* 52. *n.* 250.

S. PAVLVS.

LIcet Paulus in raptu diuinam essentiam viderit, in qua visione animæ beatitudo consistit, mansit tamen viator, quantum ad animam; sicut Christus quātum ad corpus tempore Transfigurationis, nec gloria fuit illi *permanenter*, sed tantum *transeunter* communicata. *Disp.* 45. *num.* 6.

PECCATOR.

LIcet peccatori ratione peccati (quod nō solum in ratione offensæ, sed etiam in ratione demeriti est simpliciter infinitum) sit debita omnis pœna possibilis, omnisque sanctæ cogitationis carentia, non tamen manet obstinatus in malo, sed potest pœnitentiam agere, Deusq; cum illo ad bonum concurrere absque vllo incōuenienti. *Disp.* 41. *num.* 311. & 312.

PECCATVM.

Vide *Potentia peccandi.*

PEccatum non potest ad satisfaciēdum cō ducere, nec ex illo veritas humanæ naturæ monstratur, esseque nequit virtutis exēplum: vnde Christus illud non assumpsit. *Disp.* 41. *à num.* 3. *vsque ad* 9.

Posse peccare est prædicatum essentiale naturæ humanæ prout est ex nihilo, non vero secundum quod est ex Deo. *Disp.* 41. *num.* 6.

Vel est illi essentiale, vt consideratur extra, vel contra eius naturalem inclinationem, non autem secundum naturalem inclinationē humanitatis. *Ibidem.*

Peccatum habituale, etsi non possit tolli sine physica mutatione peccatoris, non tamen requiritur, quod physica mutatio proueniat à forma sanctificante, sed ab illa, vel ab alia. *Disp.* 41. *num.* 55. 56. & 57.

Peccatum veniale, licet incompatibile sit cū vnione hypostatica cum statu innocentiæ, & cum Deitate in seipsa, vim tamen expulsiuam illorum non habet. *Disp.* 41. *num.* 121. 122. & 123.

Peccatum ex ſpecie ſua veniale, fit, ex nocumento graui illato, mortale, ſicut peccatum ex ſpecie ſua graue, ex nocumento illato, ſi graue ſit, nouam, & diſtinctam accipit grauitatem *Ibidem num.* 123.

Peccatum actuale, & habituale ſunt eiuſdem ſpeciei, & eoſdem præſtant effectus: vnde cui repugnat vnum, repugnat etiam aliud. *Diſp.* 41. *num.* 118. *& num* 422. *&* 423.

Poſſe, & non poſſe peccare in eodem reali inſtanti pro diuerſis ſignis naturæ, opponuntur, taliaque ſigna naturæ non multiplicat *virtualiter* inſtans, ſed in eodem inſtanti identitate reali, & virtuali exercentur. *Diſp.* 41. *num.* 412.

Non eſſe ſeu remiſsio peccati, vt primario, & ratione ſui, terminans habitudinem meriti, eſt in ratione præmij infinitum: ſecus vero, vt terminans ſecundario, & ratione gratiæ, in qua vt effectus ſecundarius negatiuus cõtinetur. *Diſp.* 45. *num.* 124. *& ſeqq. maxime num.* 128.

Sub condignitate demeritoria peccati cadere poteſt non eſſe incarnationis Verbi nondum factæ, quod licet in eſſe rei ſit ita malum, ac bona eſt Incarnatio; non tamen in ratione pœnæ, ad quam non ſolum attenditur ad bonum negatum, ſed etiam ad debitum, quod finitum eſt. *Diſp.* 45. *num.* 129.

Peccatum vero ab humanitate aſſumpta (in hypoteſi impoſsibili) commiſſum, demereretur de condigno nõ eſſe Incarnationis iam factæ. *Diſput.* 45. *num.* 131. *& ſeqq.*

Vilitas, ſeu indignitas orta ex peccato habituali præcedenti, non dat peccato actuali ſubſequenti grauitatem demeritoriam, ſed omnino *materialiter* cum illo comparatur: ad differentiam dignitatis perſonæ merentis. *Diſp.* 45. *num.* 85.

PERSEVERANTIA.

PErſeuerantia in gratia dupliciter accipitur: primo pro continuatione gratiæ ſemel infuſæ vſque ad mortem: ſecundo pro auxilijs requiſitis ex parte Dei, vt homo illam per peccatum non amittat, & hoc modo eſt totius meriti principium, nec ſub merito cadere poteſt; ſecus vero primo modo conſiderata. *Diſp.* 51. *num.* 10. *&* 14.

PERSONA.

PErſona creata (per impoſsibile) vnita Deo *immediatè*, non poſſet peccare in ſenſu diuiſo vnionis, nec peccato diſſoluente vnionem, nec illam impediente. *Diſp.* 41. *num.* 491. *& ſeqq.*

Si perſona creata vniretur *immediatè* cum diuina exiſtentia (vt fieri potuit) non poſſet peccare, nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diuiſo vnionis. *Diſp.* 41. *à num.* 495. *vſque ad* 502.

POLLVTIO NOCTVRNA.

POllutio nocturna ex cauſa ineuitabili *libere* ſequuta, non ſolum eſt effectus præcedentis peccati, ſed etiam eſt peccatum in ſe ipſa *formaliter*. *Diſp.* 47. *num.* 90. *&* 92.

PONTIFEX.

LIcet Pontifex, vt doctor particularis errare poſsit, vt Magiſter tamen, & Eccleſiæ Caput eſt infallibilis auctoritatis. *Diſp.* 44. *num.* 112.

PŒNITENS.

POenitens poteſt laudabile pœnitentiæ exemplum dare, non ex hoc quod peccauit, ſed in hoc quod *voluntariè* pœnam ſuſtinet pro peccato, ſicut fecit Chriſtus. *Diſput.* 41. *num.* 7. *&* 8.

POSTVLATIO.

NOn poteſt, niſi impertinenter, & imprudenter poſtulari beneficium iam collatum. *Diſp.* 56. *num.* 109. *& ſeqq.*

POTENTIA GENERATIVA.

POtentia generatiua non prædicatur de Verbo, ſed tantum de Patre, cuius Paternitas complet naturam diuinam in ratione generatiuæ, ex conceptu *quo* à filiatione diſtinguitur. *Diſp.* 41. *num.* 478.

POTENTIA PECCANDI.

POtentia remota peccandi eſt eſſentialis, vel proprietas humanæ naturæ, non autem potentia peccandi abſolutè, quæ potentiam ad peccandum in actu primo expeditam dicit, & in humanitate Chriſti non fuit. *Diſp.* 41. *num.* 349. *& ſeqq.*

Potentia peccandi quantum ad entitatem, actualitatem, & perfectionem, quam dicit, eſt à Deo: non autem quantum ad defectibilitatem, & imperfectionem, quam importat. *Diſp.* 41. *num.* 351.

Potentia remota peccandi poteſt alicui ſubiecto competere, cui potentia proxima peccandi repugnet ex alio principio. *Diſp.* 41. *num.* 360.

PRÆCEPTA.

IN præcepto charitatis consistit substantialiter Christianæ Religionis perfectio; in alijs autem præceptis, solum instrumentaliter, quatenus ad præceptum charitatis ordinantur, vt remouentia ea, quæ sunt illicõtraria: ad differentiam consiliorum, quæ remouent illa, quæ charitatem tantum impediunt. *Disp.* 43. *num.* 4.

Materia præcepti positiui, est actus honestus, & liber libertate, non solum antecedenti, sed etiam conseruata; actus enim necessarius præcipi non potest, nec præceptum sui materiam destruere. *Disp.* 49. *num.* 10. 11, 12. & 13.

Præceptum in Scriptura aliquando accipitur pro voluntate, non approbatiua, sed permissiua Dei. *Disp.* 49. *num.* 62.

PRINCIPES.

PRincipes, & Domini creati tenentur sibi subditos gubernare, & illorum peccata, quantum est in se impedire, à morteque, & alijs pœnis iniuste illatis illos defendere, quando subditi fugere tenentur prædicta mala: secus verò quando iuste sustinent mortem pro Christo, aut pro illo flagellantur. *Disp.* 41. *num.* 176. & 177.

PROPOSITIO.

ISta propositio: *Christus quotidiè peccat, vel peccauit*, non est admittenda, sed vt scandalosa vitanda. *Disp.* 41. *num* 17.

Ad veritatem propositionis conditionalis sufficit, quod sit bona consequentia, siué conditio implicet, siué non. ad veritatem autẽ propositionis de futuro conditionato, nec sufficit, nec requiritur, quod sit bona consequentia, sed quod conditionatum sit futurum sub conditione, sub qua enuntiatur futurum, & conditio non repugnet subiecto in statu absoluto *Disp.* 41. *à num.* 425. *vsque ad* 432. *maximè num.* 432.

Propositio negatiua constans ex particula *non* multoties, non æquiualet eidem propositioni constanti ex particula *nullo modo*: sicut istæ propositiones non sunt æquivalentes: *Petrus non est albus*: *Petrus nullo modo est albus*. *Disp* 53. *num.* 41. & 42.

Hæc propositio, *hic homo* (signato Christo) *factus est Deus*, est falsa. *Disp.* 55. *à num.* 158. *vsque ad* 169.

Ista vero *hic homo* (signato Christo) *in quantum homo, factus est Filius Dei per gratiam vnionis*, potest vt vera concedi. *Ibidem num.* 168.

Hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, etiam sine reduplicatione, est vera. *Disp.* 55. *num.* 160. & *seq.* Vbi veritas, & falsitas diuersarum propositionum hanc materiam concernentium examinatur.

PROVIDENTIA.

QVomodo distinguatur prouidentia ab arte, & à dispositione, explicatur, *Disp.* 55 *num* 155.

PRÆDESTINATIO. PRÆDESTINATVS.

PRædestinatus existens in peccato mortali pro tempore, quo est in illo, non est Filius adoptiuus Dei, nec talis est dicendus absolutè, benè tamen cum hoc addito, secundum electionem æternam *Disput.* 52. *à num.* 227. *vsque ad* 230.

Absolutè loquendo, plus diligit Deus peccatorem prædestinatum, quam reprobum iustum. *Disput.* 52. *à numero* 231. *vsque ad* 239. *maxime num.* 236. & 237.

Duplex prædestinationis acceptio, & conditiones, quas requirit, assignantur *Disp.* 55. *num.* 1. 2. & 3.

Prædestinatio non versatur circa vniuersalia, sed circa singularia; vnde ratio communis non potest propriè prædestinari, vt per rationem differentialem contrahatur. *Disp.* 55. *num.* 39. & 46.

Prædestinatio tripliciter sumitur. *Disp.* 56. *numero* 1. & *seqq.* Vbi explicatur sub qua cõsideratione meritum subterfugiat, & quomodo sub merito cadat.

Prædestinati dicuntur propriè Christo Domino à Patre dati, quamuis illorum prædestinationem, tam in executione, quam in prima intentione, vel electione meruerit. *Disp.* 56. *num.* 68. & 69.

Q

QVADRATVRA CIRCVLI.

COgnitio quadraturæ circuli est nobis possibilis, & debita intellectuali naturæ, licet non in omni individuo: vnde cum proprietate dicimur illam ignorare. *Disp.* 44. *numero* 61.

QVALITAS.

DAbilis est qualitas creata, & permanens ab vnione hypostatica, & visione beatifica distincta a voluntatem, ita Deo subijciēs, & in bono cōfirmans, quod non possit peccare potentia in actu primo expedita. *Disp. 42 num. 151. & seqq.*

Talis qualitas esset specificé distincta à gratia, & virtutibus ipsam consequentibus, sicut & ipsa gratia esset diuersæ speciei à gratia, quæ de facto datur. *Ibidem num. 154.*

Vel licet talis qualitas voluntatem in bono cōfirmans, & impeccabilem constituens, repugnet, non tamen respectu appetitus, qui ad finem vltimum non extenditur, nec ex se libertatem habet, sed tantum ex subordinatione ad rationem. *Disp. 42. num. 156.*

R

REATVS.

REatus pœnæ tēporalis nō cōsistit formaliter in ipsa culpa, sed in dignitate subeundæ pœnæ ob culpam præteritam, quæ quandiu non remittitur quoad pœnam tēporalem, vel non est pro illa satisfactum, perseuerat moraliter. Vnde non manet effectus sine causa. *Disp. 41. num. 452. & seqq.*

RELATIO.

ABsoluta denominatio in relatiuis sumitur à fundamento, quod pluribus exēplis ostenditur. *Disp. 54 num. 177.*

Relatio filiationis Christi ad Beatissimam Virginem non est relatio realis, sed rationis; & licet fundamētaliter considerata, sit eiusdem speciei cum relatione, qua nos filij cōstituimur; sumpta tamen formaliter, est diuersæ speciei; idemque de Maternitate B. Virginis, & aliarum mulierum est dicendum. *Disp. 54. num. 177. & seqq.*

Relationi reali, & rationis nihil potest dari commune vniuocum, tam sub conceptu referentis, quam sub munere terminantis; vterque enim conceptus inadæquatus pertinet ad lineam entis. *Disp. 54. n. 178. & 179.*

Relatio, qua humanitas Christi refertur ad B. Virginem, vt effectus ad causam, distincta est à relatione filiationis. *Disp. 54. num. 195. & seqq.*

Vt homo referatur, requiritur distincta relatio ab ea, qua immediatè refertur natura, vt autem agant, & patiantur, vna actio, vnaque passio sufficiunt. *Disput. 54 num. 201. & 203.*

In Matre respectu Filij datur duplex relatio specificé distincta, vna, qua refertur ad suppositum filij, vt terminans immediatè, altera ad humanitatem. *Ibidem num. 202.*

Relatio dominij, & Patris in Deo diuersa est, à relatione primæ causæ, & creatoris rationalis creaturæ. *Ibidem.*

RELIGIO CHRISTIANA.

QVatuor gradus Christianæ Religionis distinguuntur, & exponūtur *Disp. 43. à num. 1. vsque ad 5.*

RELIGIOSVS.

REligiosus non seruans regulam suæ professionis, quantum ad simplicia statuta ad culpam non obligantia, est reprehensione dignus, propter indecentiam moralem, quæ in tali transgressione reperitur. *Disput. 49. num. 38.*

REMISSIO PECCATI.

REmissio peccati, seu non esse illius, vt terminans secundario habitudinē meriti (hoc est ratione gratiæ primario sub merito cadentis) non est in ratione præmij infinita: prout vero primario, & ratione sui terminat habitudinem meriti, est in ratione præmij infinita, & solum sub meritis infinitis cadere potest. *Disp. 45. num. 120. & sequentibus.*

REPROBVS.

Vide *Prædestinatus.*

REprobus in gratia existens est Filius Dei adoptiuus, & oppositum asserere, est ad minus temerarium. *Disput 52. numero 221. & sequentibus.*

S

SACERDOS.

MVnus proprium Sacerdotis non est mediare inter Deum, & homines, & pro illis satisfacere, sed offerre sacrificium exterius, quod protestatiuum sit interioris sacrificij. *Disp. 51. num. 197.*

SACRAMENTA.

INter Sacramenta Antiquæ, & Nouæ Legis multæ differentiæ assignantur. *Disput. 40. num. 201. 202. & 203.*

Sacramenta influunt *physicè* instrumentaliter in gratiam iustificantem, in instanti vltimo terminatiuo. Qualiter autem tunc existât, variè ab Auctoribus explicatur, tresq; modi dicendi obiter examinantur. *Disp.* 40. *à num.* 215. *vsque ad* 226.

Si Sacramenta (quæ entia successiua sunt solum extrinsecè existentia) assumi possunt, vt physica instrumenta ad causandam gratiam in instanti terminatiuo, assumi etiam possunt in instanti initiatiuo, in quo & extrinsecè existunt, & contiguantur durationi cu effectu in tali instanti existente. *Disp.* 40. *num.* 226.

Licet *Sacramentum Nouæ Legis, & causa instrumentalis gratiæ*, sint idem in supponendo, non tamen sunt idem in significando: vnde *causa instrumentalis* importat de formali vim causatiuam; sub nomine autem *Sacramenti* vis significatiua de formali importatur. *Disput.* 42. *num.* 17.

Quomodo, & in quo genere causæ, effluxerint Sacramenta ex latere Christi, explicatur. *Disp.* 47. *num.* 85. & 86.

Sacramenta viuorum (v. c. Eucharistia) per accidens causant gratiam spiritualiter regenerantem, & filium adoptivum constituentem. Quod tripliciter explicatur. *Disp.* 53. *num.* 187.

SACRA SCRIPTVRA.

LIcet testimonia Sacræ Scripturæ duplicē sensum admittentia, sint in rigoroso, & proprio accipienda, quando nullum sequitur inconueniens; aliqua tamen vtilitate consulta, cōuenientius in metaphorico sensu, quam in proprio (hunc tamen non excludendo) aliquando interpretari possunt. Exemplum apponitur. *Disp.* 53. *num.* 154.

SANCTI.

SAncti ex licito, honestoque motiuo, postulant à Deo vindictam delictorum in homines peccatores: quod tamen Christus in vita mortali non fecit, eo quod vt Redemptor, Advocatus, & hominum fideiussor aduenit. *Disp.* 56. *num.* 154. & *seqq.*

SANCTITAS.

SAnctitas substantialis, & sanctitas accidētalis compatiuntur simul in eodem subiecto: ad differentiam filiationis naturalis, & adoptiuæ. *Disp.* 53. *à num.* 96. *vsque ad numerum* 104.

SAPIENS.

IN animo sapientis potest esse tristitia, non de malo opposito bono honesto, sed de malo opposito bonis secundarijs, ad corpus pertinentibus. *Pag.* 103.

SCIENTIA.

SCientia practica *practicè*, & quoad modū, est sui obiecti causatiua: scientia verò, quæ solum *obiectiuè* est practica, id est, attingens modum, quo res à sua causa procedit, non est sui obiecti factiua. *Disp.* 38. *num.* 19.

Vel licet scientia practica, quæ *operatiuè* est practica, & alijs terminis dicitur *ars*, sit factiua sui obiecti: scientia tamen, quæ solum *actiuè* est practica quatenus potest ad rectā operationem dirigere, non est factiua sui obiecti. *Disp.* 38. *num.* 20.

Licet scientia infusa animæ Christi sit ex natura sua visione beatifica posterior, ab illaque dependeat, hæc tamen dependentia essentialis non est, nec illi subalternatur. *Disp.* 51. *num.* 131. & 133.

SENSVS COMPOSITVS, ET DIVISVS.

SEnsus compositus & diuisus explicatur, & defenditur. *Disp* 43. *à num.* 8.

Sensus diuisus, alius est positiuus, & alius præcisiuus. *Ibidem num.* 85. & *seqq.*

SEPARABILITAS. SEPARATIO.

SEparatio realis inter duo arguit realem distinctionem si sit separatio realis quoad entitatem: secus si separatio sit tantum quoad denominationem, vel secundariam terminationem. *Disp.* 48. *à num.* 102. *vsque ad* 110.

SERPENS.

FLatus, vel sibilus serpentis, qui Heuam in Paradyso decepit, non potuit esse causa efficiens cuiusdam morbidæ qualitatis, quam aliqui Auctores fingunt, & in illa fomitem consistere asserunt. *Disp.* 42. *num.* 7.

SERVVS. SERVITVS.

SEruus seruitute legali sui iuris non est, nulliusque rei habet dominium, sed quidquid illi competit Domini sui est *positiuè*, & *priuatiuè*: vnde pro labore sibi à Domino imposito, vel præcepto, illum obligare non potest, nisi Dominus iuri suo renunciet: ad differentiam serui seruitute naturali. *Disput.* 46. *num.* 51.

Seruus seruitute legali, & *philosophicè* sumptus est *organum animatum, actiuum, separatum, alterius homo existens. Disp.* 53. *num.* 123.
Naturæ rationali respectu Dei conuenit triplex seruitus. *Disp.* 53. *num.* 128. 138. 139. & 140.
Seruitus naturalis in creatione fundata conuenit verè, & propriè Christo vt homini *Disp.* 53. *à num.* 124. *vsque ad* 165.
Mater nequit esse serua seruitute legali, sui Filij, seruitus autem naturalis rectè cum maternitate componitur: vnde B. Virgo est Mater Dei, & illius serua. *Disput* 53. *num.* 174.
Seruitus (ad differentiam filiationis) conuenit suppositò ratione naturæ. *Disp.* 53. *num.* 161. & *seqq.*

SPIRITVS SANCTVS.

LIcet Spiritus Sanctus à Patre, Filioq; procedat, & esse ab illis recipiat, non tamen tenetur gratias illis agere; procedit enim liberè libertate tantum essentiali, quæ ad fundandum debitum gratiarum actionis est insufficiens. *Disp.* 48 *num.* 73. & 78.
Diuinitas Spiritus Sancti nobis *extrinsecè* vnita, non præstat per modum formæ filiationem adoptiuam. *Disp.* 52. *à num* 8.
Donatio Spiritus Sancti, & diuinitatis facta iustis media gratia habituali, quadruplicitèr explicatur iuxta diuersas Theologorum sententias. *Disp.* 52. *à num.* 48. *vsque ad* 52.
Si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, non esset Filius naturalis, nec adoptiuus Dei *Disp.* 53. *num.* 93. & 218. & *Disp.* 54. *n.* 167, 169. & 170.
Foret tamen tunc casus Filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis. *Disp.* 54. *à num.* 166.

STVPENS. STVPOR.

STupens timet in præsenti iudicare, & in futuro inquirere, vnde stupor est philosophicæ considerationis impedimentum: ad differentiam admirationis, quæ est philosophandi principium, quatenus admirans, licet in præsenti timeat de eo, quod miratur ferre iudicium timens defectum, in futurum tamen inquirit. *Disp.* 44. *num.* 82.

SVBDITVS.

SVbditum recedere à simplici superioris mandato, hoc est, à voluntate superioris intimata de aliquo opere efficiendo, sine intentione obligandi ad culpam mortalem, nec venialem, esto peccatum non sit, est tamen actus moraliter imperfectus. *Disp.* 43. *num.* 15. & 21.

SVBIECTVM.

VT subiectum substantiale causet materialiter accidentia, non sufficit, quod in re existat, sed requiritur existentia præintellecta. *Disp* 41. *num.* 260. & 261.
Vni, & eidem subiecto possunt conuenire contrariæ actiones, si duplici forma contraria afficiatur, vt in aqua calida contingit. *Disp* 41. *num.* 170.
Non implicat aliquod subiectum esse in termino, & ad terminum moueri motu instantaneo. *Disp.* 51. *numero* 126.
Stat in subiecto capacitas ad formam adæquatam cum incapacitate ad effectum secundarium, & connotatiuum formæ. *Disp.* 53. *num.* 182. 183. & 184.

SVBSISTENTIA.

VAriata subsistentia, quæ solum vt conditio ad operationes concurrit, non variantur *physicè* operationes, quæ à principio *quo* radicali, & proximo specificantur adæquatè. *Disp* 41. *num.* 250. & *seqq.*

SVBSTANTIA SVPERNATVRALIS.

SI esset possibilis substantia supernaturalis creata, decretum de illius productione nō esset prædestinatio: imo talis substantia non esset prædestinabilis, nisi aliud impossibile admittatur, quod scilicet visio beatifica illi non deberetur; tunc enim prædestinari posset ex vi decreti illam ad visionem beatam dirigentis. *Disp.* 55. *num* 87. 117. & 154.

SVPPOSITVM CREATVM.

SVppositò intellectuali creato attribuuntur peccata naturæ, non quia teneatur illā gubernare, sed quia eisdem legibus, quibus obligatur natura, ligatur etiam suppositum, & quia omnis operatio quæ est naturæ vt *quo*, est suppositi vt *quod*. *Disput.* 41. *num.* 152.

SVPPOSITVM VERBI DIVINI.

SVppositum Verbi, vt in humanitate subsistens, esset specialis causa peccati, si illa in sensu composito vnionis, peccaret, vel peccare potuisset. *Disp.* 41. *à num.* 190. *vsque ad* 231.

In

In tali casu peccaret Verbum *verè*, & *propriè*, & non solum diceretur peccans per communicationem idiomatum. *Ibid. in numero* 233.

Verbum vt in humanitate subsistens potest mori, non autem peccare. *Disp.* 41. *num.* 233. & *sqq. maximè à num.* 238.

Suppositum Verbi influit *perse* in operationes humanitatis, nō perfeitate principij, sed perfeitate entitatiua. Vel influit per se perfeitate non omninò absoluta, sed absoluta ex purificatione alicuius conditionis, nempé terminationis humanitatis à Verbo. *Disp.* 41. *num.* 254.

Suppositum Verbi vt in humanitate subsistēs, est subiectum *quod* completum immediatum inhæsionis accidentium, sicut influit effectiué vt *quod*, nec ex hoc sequitur in seipso mutari, sed tantum quod mutetur secundum humanitatem, cui inhærent vt *quod* immediatè tanquam subiecto incompleto. *Disput.* 41. *num.* 263. & 264.

# T

## Tempvs.

Sine coexistentia in tempore formali, aut virtuali nulla res potest *efficienter physicè* operari ad differentiam approximationis localis, quæ est conditio tantum connaturaliter ad *physicè* influendum requisita. *Disp.* 40. *à num.* 188. *vsque ad* 203. *maximè num.* 198.

## Tentatio.

Victoria grauis tentationis sine speciali gratia, dicitur in sensu Theologico moraliter impossibilis, eo quod nunquam sit euentura, quamuis sine speciali gratia non implicet euenire. *Disp.* 41. *num.* 419.

Tentatio à Dœmone potest sine peccato inueniri; secus vero tentatio à carne, quæ nō per solam exteriorem suggestionem, verū etiam per delectationem, & concupiscentiam interiorem semper fit; vnde Christus se ab hoste tentari permisit, à carne autem tentari non potuit. *Disp.* 42 *num.* 33. & *sequentibus.*

## Terminatio.

Terminatio libera dilectionis Christi erga bonitatem diuinam, prout est illi ratio diligendi Deo bona extrinseca, defiere potuit quoad denominationem, non quoad entitatem, quam (etsi includat) non multiplicat: ad differentiam filiationis diuinæ, quæ non solū implicat, verum etiam multiplicat entitatem transcendentem diuinam. *Disp* 48. *num.* 102. & *seqq.*

## Transfigvratio.

Transfigurationis tempore non fuit Christus cōstitutus beatus beatitudine corporis, & gloria fuit illius corpori non permanenter, sed transeunter communicata, sicut Pauli animæ in raptu. *Disp.* 45. *num.* 6.

## Trinitas.

Trinitas respectu humanitatis, non solum operatur, vt prima causa, verum etiam specialiter illam dirigere, & gubernare tenetur, ratione coniunctionis personalis ad Verbum: vnde non manet in Deo ius permittendi peccatum in humanitate vnita, sed est moraliter obligatus ad dirigendam illam ad bonum, nec potest illi offerre concursum indifferentem, quin peccatum humanitatis, illi attribuatur. *Disp.* 41. *à num.* 169. *vsque ad* 172.

Adoptare homines in filios Dei, est toti Trinitati commune. *Pag.* 609. & *Disp.* 52. *num.* 210. & *seqq.*

Nec de potentia absoluta dari potest opus ad extra ab vna tantum personā diuina sine aliarum consortio efficienter procedens. *Ibidem num.* 211. & *seqq.*

## Tristitia.

Obiectum tristitiæ est nociuum, seu malum interius apprehensum, siué per imaginationem, siué per rationem, potestque in animo sapientis reperiri, & in Christo Domino fuit. *Pag.* 102. & 103.

Tristitia mortis in Christo actus fomitis non fuit, duæ rationes reiiciuntur. *Disp* 42 *à n.* 47. *vsque ad* 51. Et vera assignatur, & defenditur, *à num.* 52. *vsque ad* 63.

# V

## Verbvm Divinvm.

Vide *Suppositum Verbi*, & *Christus.*

Non omne quod à Verbo *mediatè* fuit assumptum, est, vel redditur adorationis capax. *Disp.* 41. *num.* 27. & 28.

Ex vi vnionis humanitatis ad Verbum in vna Christi persona incumbit Verbo obligatio gubernandi humanitatem, taliter, quod si humanitas peccaret, tale peccatum Verbo in se ipso attribueretur. *Disp.* 41. *num.* 154. & *seqq.*

Operationes, quibus humanitas regitur, & gubernatur a Deo, non conueniunt Verbo immediatè, prout ab alijs personis distincto; operationes autem illæ, quas Verbum prout in humanitate subsistit, vt principium *quod* effectivum, illa se habente, vt principio *quo* elicit, specialiter conueniunt Verbo, prout ab alijs personis distincto. *Disp.* 41. *num.* 166. 167. 168.

Verbum non tenebatur vitare in humanitate mortem, & alia damna corporalia, quæ licet iniustè fuerint ab hominibus Christo illata, ab illo tamen fuerunt rationabiliter, & meritoriè in sua humanitate susceptа. *Disp.* 41. *num* 176.

Verbo humanitati vnito inest obligatio vitandi in illa peccatum, nedum cum vnione compositum, verum etiam vnionem dissoluens, & destruens. *Disp.* 41. *num.* 313. & *sequentibus.*

Verbo vt in humanitate subsistenti repugnat proxima potentia peccandi, ab illaque denominari, non autem potentia remota peccandi, illiusque denominatio. *Disp.* 41. *n.* 362. Repugnat etiam illi omninò fomes peccati. *Disp.* 42. *per totam.*

Verbo Diuino repugnat habitum vitiosum assumere, etsi admittatur posse indifferenter bonum, & malum respicere, & cum hac indifferentia inclinare; natura vero sensitiua, potest Verbo *hypostaticè* vniri, & cum summa humanitatis sanctitate componi. *Disp.* 42. *à num.* 180. *maximè num.* 204. & *sequentibus.*

Licet Verbo in se ipso repugnet ignorantia, & ignorantis denominatio, illi tamen vt in humanitate subsistenti talis denominatio non repugnat, est enim malum purè physicum, sicut mors, non autem est malum morale. *Disp.* 44. *num.* 10. 11. & 12.

## Virginitas.

Licet Virginitas de facto sub consilio sit, hoc tamen illi essentiale non est, sed potuit Deus matrimonium consulere, Virginitate, & cælibato relictis: vnde status perfectionis exigeret matrimonium contrahere, & Virginitatem relinquere. *Disp.* 43. *num.* 132. & 137.

## Virgo Maria.

Vide *Relatio, & seruitus.*

De fide est Beatissimam Virginem nunquam de facto peccasse. Nec peccare potuit de lege ordinaria, vel ordinata Dei. *Disp.* 41. *num.* 128.

Beatissima Virgo non influxit *actiuè* in vnionem humanitatis ad Verbum, sed *passiuè* ministrauit materiam ex qua fuit formata humanitas, & in eodem instanti Verbo *hypostaticè* vnita, & hoc sufficit vt Deus, conceptus & natus de Virgine dicatur, ipsaq; Mater Dei appelletur, & sit. *Disp.* 41. *numero* 257.

Quomodo Beata Virgo Maria fuerit à peccato originali exempta, explicatur. *Disp.* 41. *num.* 435. & 436.

In Beatissima Virgine ante Christi conceptionem fuit fomes ligatus, post illam verò fuit penitus extinctus. *Disp.* 42. *à num.* 109. *vsque ad* 114. *maximè num.* 112.

Beatissima Virgo ex priuilegio speciali (ad alios quantumvis eximiæ sanctitatis non extendendo) in omnibus sequuta est diuina consilia, & in omnibus maiori Dei beneplacito se conformauit. *Disp.* 43. *num.* 4.

Beatissima Virgo meruit de congruo Incarnationem Verbi, & quod in Matrem Christi eligeretur, illiusque ex ipsa natiuitatem. *Disp.* 51. *num.* 48. & *seqq.*

Existentia Beatissimæ Virginis fuit præmium meritorum Christi, qui tamen illius Maternitatem non meruit. *Disp.* 51. *à num.* 26. *maximè num.* 54. & *seqq.*

Natiuitas Christi ex Beatissima Virgine, non fuit, neque esse potuit, effectus prædestinationis B. Virginis *Disp.* 51. *num.* 57.

B. Virgo est simul Mater Dei, & eius serua, nō seruitute legali, sed seruitute naturali, quæ cum maternitate componitur. *Disput.* 53. *num.* 134.

Filiatio, qua Christus, vt homo, est Filius B. Virginis, non est relatio realis, sed rationis, & sumpta *fundamentaliter* est ejusdem speciei cum nostra: sumpta verò *formaliter relatiuè*, est diuersæ rationis *Disp.* 54. *num.* 173. & *seqq.*

Eodem modo philosophandum est de Maternitate B. Virginis cum maternitate aliarū mulierum comparata. *Ibidem num.* 180.

VIRTVS.

HOc nomen *virtus* iuxta phrasim Scripturæ, non solum pro principio operis miraculosi, sed etiam pro miraculoso effectu vsurpatur. *Disput.* 40 *numero* 9. & 10.

Licet præcipuus finis virtutis sit recta operatio, ordinari etiam potest ad aliud, ad rectã operationem conducens, sicut virtutes appetitui inhærentes, illum in statu innocentiæ impediebant, ne rationem motibus inordinatis præueniret. *Disput.* 42. *num.* 144.

VIRTVS INFVSA.

VIrtutes infusæ simul cũ gratia habituali ex se, & ratione intrinsecæ perfectionis fomitem in humanitate Christi extinxerunt, absque eo quod necessarius fuerit recursus ad connexionem gratiæ habitualis cum gratia vnionis, vel ad consecutionem ad illam *Disp.* 42. *num.* 128. 129. & 130. & *iterum num.* 148. & *seqq.* & *à num.* 169. *vsque ad* 176.

Perfectio ista virtutum infusarum, & gratiæ, non fuit gradus intensissimus, sed modus quidam similis modo gratiæ consummatæ. *Disp.* 42. *num.* 134.

VISIO BEATIFICA.

VIsio beatifica est practica *actiue*, non *operatiue*: vnde non est factiua sui obiecti, quod est Deus. *Disp.* 38 *num.* 20.

Videre Deũ est effectus formalis solius visionis beatificæ, nec ingreditur intellectus in genere causæ formalis, sed tantum *effectiue*, & *sustentatiue* concurrit. *Disp.* 40. *num.* 81.

Si intellectus influit in visionem beatificam *partialitèr* partialitate causæ, non potest cõcurrere ad illam *instrumentalitèr*. *Disp.* 40 *n.* 83. & 84.

Visio beatifica, & vnio hypostatica non sunt causa vnica & necessaria subijciendi totaliter vires inferiores rationi, fomitemque extinguendi, sed solum sunt causa sufficiens extinctionis fomitis. *Disp.* 42. *numero* 148. & *seqq.*

Visio beatifica non variatur *numerice* ex terminatione ad plures, vel pauciores creaturas existentes; & ex opposito sequeretur aliqua visio beatifica, cui ex conditione individuali, & numerica repugnaret essentialiter anihilatio. *Disp.* 48. *num.* 87. & 88.

Visio beatifica excedit *secundum quid* gratiam habitualem, à qua tamen exceditur *simpliciter*, & *absolutè*. *Disp.* 5[illegible]. *num.* 112. & 113.

VNIO.

LIcet vnio formæ cum materia non sit ratio formalis informãdi in actu primo, est tamen ratio formalis informandi in actu secundo. *Disp.* 40. *n.* 137.

Vel ad minus est conditio essentialiter requisita, & de potentia absoluta indispẽsabilis: ad differentiam vnionis, seu indistantiæ localis causæ efficientis cum subiecto. *Ibidem numero* 138.

VNIO HYPOSTATICA.

Vide *Gratia vnionis*

CVm vnione hypostatica (omni dono supernaturali secluso) repugnat essentialiter omne peccatum graue, & leue, habituale, & actuale. *Disp.* 41. *à num.* [illegible]4.

Licet vnio hypostatica conueniat specialiter Verbo, ex illa tamen cõsurgit obligatio toti Trinitati communis, licet titulus obligationis sit Verbo specialis. *Disp.* 41. *à num.* 169. *vsque ad* 172.

Non potuit Deus de potentia absoluta decernere assumere humanitatem, & illius vnionem conseruare vsque ad instans. *B.* v. c sub conditione, quod humanitas non peccaret in prædicto instanti, illamque si humanitas peccaret, destruere. *Disput.* 41. *num.* 389. & *seqq.*

Esse, vel non esse vnionis humanitatis ad Verbum non potest ab operatione bona humanitatis Verbo vnitæ dependere in principijs Thomistarum. *Ibidem num.* 390. & *seqq.* Vbi diuersorum decretorum possibilitas, vel impossibilitas iuxta diuersa principia examinantur.

Excessus in modo vnionis ad Deum penes *immediatè*, vel *mediatè* vniri meré materialis est in ordine ad inducẽdam inæqualitatem in effectu formali sanctitatis. Quod quatuor exemplis ostenditur. *Disp.* 41. *nu.* 486. & *seqq.*

Vnio duarum personalitatum diuinarum ad vnam, vel duas naturas creatas, non est quid *intensiuè* æstimabilius, quam vna tantum vnio, sed solum *extensiuè*: sicut inter duas diuinas personalitates, solum datur extensiuus excessus. *Disp* 4[illegible]. *num.* 54. & 55.

Vnio hypostatica disponit *physicè eminenter* humanitatem Christi ad gratiam habitua-


lem,

lem, licet nihil ad ordinem hypostaticum spectãs possit *physicè* sanctificare humanitatem. *Disp.* 51. *num* 87. *& seqq.*

Vnio hypostatica excedit *entitatiuè*, & *vnitiuè* gratiam habitualem, visionemque beatificam. *Disp.* 55. *num.* 201. *& seqq.*

VOLVNTARIVM.

Vide *Liberum.*

NOn sunt idem volitum, & voluntarium, seu liberum. *Disp.* 49. *num.* 241.

VOLVNTAS.

SI voluntas ex eleuatione efficeret, & reciperet intellectionem, constitueretur ab illa intelligens, reciperetque proprium effectum formalem, qui ab intellectione ratione suæ vltimæ differentiæ præstatur *Disput.* 40. *num.* 81. & 82.

In voluntate præmota ad amorem datur potentia antecedens ad odium, & ad amoris negationem: ad differentiam humanitatis Verbo *hypostaticè* vnitæ, in qua non datur potentia antecedens ad peccandum. *Disput.* 41. *num.* 469. *& seqq.* Vbi aliqua de potentia antecedenti, & consequenti *obitèr* attingun tur.

Licet in voluntate creata reperiatur malitia potentiæ vt defectibilis radicaliter ab illa inseparabilis, potest tamen à diuino Verbo assumi ista defectibilitas, quasi per accidẽs, assumpta *per se* humanitate, & voluntate ad differentiam habitus vitiosi, qui nullatenus assumi potuit. *Disp.* 42 *num.* 201.

Voluntas vt defectibilis formaliter, non est obiectum displicentiæ punitiuæ Dei, sed hoc solum conuenit malitiæ actuali: est tamen obiectum simplicis displicentiæ non punitiuæ, & prout sic non causatur à Deo, sed aliqualiter illi displicet. *Disput.* 42. *num.* 202.

In voluntate non semper præsupponitur actus necessarius ad actum liberum, nec conceptus naturæ, ad conceptum libertatis in operando, vt contitat in Angelis, & in Christo, qui in primo instanti actum liberum, & meritorium elicuerunt. *Disput.* 47. *num.* 11.

VOLVNTAS DIVINA.

VOluntas diuina in eligendis hominib⁹, libere expectauit voluntatem Christi humanam, quæ se conformauit diuinæ, in quam totum nostræ prædestinationis negotium, vt in primam radicem resoluitur. *Disp.* 50. *num.* 116 *& seqq.*

VOTVM.

LIcet votum in *fieri* sit voluntarium, non tamen est essentialiter voluntarium, conseruarique potest eius obligatio sine libero vouentis influxu. *Disp.* 41. *num.* 42.

Votum est actus religionis per se primo ordinatum ad confirmandam voluntatem in bono: vnde votum proprie acceptum repugnat Christo, & multo magis Deo, qui independenter à voto habent voluntatem in bono firmatam. *Disput.* 49. *à num.* 92. *vsque ad* 97.

Non repugnat votum exequendi ea, quæ Deo sunt gratiora, illiusq; voluntati magis conformia: imo de aliquibus exim[illegible]e sanctitatis legitur ita vouisse. *Disp.* 49. *num.* 151.

# INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

## Quæ in hoc Tertio Tomo de Incarnatione Diuini Verbi explicantur.

D. *vel* Disp. *Disputationem.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*


Ex Genesi.

CAp. 22. Nunc cognoui, quod timeas Dominum. *Disp.* 44 *num.* 32.

Ex Exodo.

CAp. 8 Digitus Dei est hic. *Disput* 39. *num.* 4.

Ex Libris Regvm.

SEcvndi Regum cap. 16. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. *Disp.* 49. *num.* 62.

Ibidem. Dimitte vt maledicat iuxta præceptum Domini. *Ibi.*

Ex Libro Iob.

CAp. 36 Causa tua tanquam impij iudicata est causam, iudiciumque recipies *Disp.* 51 *num.* 189.

Ex Psalterio.

Psalm. 2. Ego hodie genui te. *Disp.* 38. *num.* 7. & *Disp.* 51. *num.* 73.

Ibidem. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Disp.* 51. *num.* 190.

Psalm 9. Sedes super thronum, qui iudicas iustitiam. *Disp.* 51. *num.* 189.

Psalm. 21. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum. *Disp.* 41 *à num.* 10. *vsque ad* 17.

Psalm. 39. Comprehenderunt me iniquitates meæ. *Disp.* 41. *num.* 13.

Ibidem Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. *Disp.* 49. *num.* 2.

Psalm. 44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Disp.* 51. *num.* 73.

Psalm. 68. Domine tu scis insipientiã meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. D. 41. *num* 13.

Ex Canticis Canticorvm.

CAp. 5 Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. *Disput.* 41. *num.* 1.

Ex Ecclesiastico

CAp. 24. Et in plenitudine sanctorum detentio mea. *Disp.* 44. *num.* 20.

Ex Isaia.

CAp. 1 Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos *Disp.* 52. *num.* 248

Cap 6. Quem mittam? aut quis ibit nobis? D. 49. num. 174.
Cap. 42 Ecce seruus meus suscipiam eum. D. 53 num. 125.
Cap. 53. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Disp. 41. num. 1.
Ibidem. Si posuerit pro peccato animam, suam, videbit semen longæuum. Disp. 45 n. 1. & Disp. 46. num. 1.
Cap. 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me. Disp. 39. num. 1.

Ex Ieremia.

Cap 31. Nouum creauit Dominus super terram, mulier circundabit virum. Disp. 47. num. 5.

Ex Dvodecim Prophetis Minoribvs.

Oseae 4. Peccata populi mei comedunt Sacerdotes. Disp. 41. num. 11.
Zachariæ 6 Vir oriens nomen eius. Disp. 47. num. 5.

Ex Matthæo.

Cap. 11. Ite, & renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. Disp 39 num 1.
Ibidem Quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te. Disp. 40. num 9.
Ibidem. Omnia tradita sunt mihi à Patre meo. Disp. 42 num. 53.
Ibidem. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ. Disp. 53. num. 125.
Cap 16. Nõ caro, & sanguis reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Disp. 44. num. 51.
Cap. 26. Verum tamen, nõ sicut ego volo, sed sicut tu, spiritus quidem proptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua. Disp. 42. num. 62.
Ibidem. An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Disp. 49. num 177.
Cap. Vltimo. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Disp. 38. à num. 5. vsque ad 9. & Disp. 43. num. 53.

Ex Marco.

Cap 6. non poterat ibi virtutes facere. D. 40. num 9.
Cap. 13. De die autem illo nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. Disp. 44. à num. 26 Vbi variæ expositiones recensentur, & examinantur.

Ex Luca.

Cap. 1. Quod enim ex te nascetur sanctũ, vocabitur filius Dei. Disp. 41. num. 2
Ibidem Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Ibidem num 2.
Cap. 6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Disp 40. num 8. & seqq. passim.
Cap. 8. Noui virtutem de me exisse. Disp. 40. num. 8.
Cap. 10. Quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te. Disp. 40. num 9.
Cap. 11. Si in digito Dei eijcio Dæmonia, profecto peruenit in vos Regnum Dei. D. 39 num. 4.
Cap. 24. Non ne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Disp. 51. nu. 160.

Ex Ioanne.

Cap. 1. Plenum gratiæ, & veritatis. Disp. 41. num. 18. & Disp. 44. num. 20.
Ibidem. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Disput. 52. num. 253.
Cap 4 Pater in me manens, ipse facit opera. Disp. 39. num. 4.
Cap. 5. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam, ea ipsa opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me. Disp. 39. num. 4.
Cap. 6 sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Disp. 52. num. 32.
Cap. 6 descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Disp. 43. num. 6.
Cap. 7 Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me. Disp. 44. num. 31.
Cap. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? Disp. 41. num. 1.
Ibidem. Quæ placita sunt ei facio semper. D. 43. num. 6.
Cap 10. Ego & Pater vnum sumus Disp. 52. num. 171.
Cap. 10. Hoc mandatum accepi à Patre meo. Disp. 49. num. 2.
Ibidem. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso. D. 49. nu. 177.

Cap.

Cap. 12 Et clarificaui, & iterum clarificabo. *Disp. 5 .num. 162.*

Cap. 13. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus *D. 43. num. 55.*

Cap. 14. Tãto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. *Disp. 44. num. 43.*

Ibidem Ego rogabo Patrem, & aliũ Paraclytum dabit vobis. *Disp. 47. num. 72.*

Ibidem. Sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. *Disp. 48. num. 2. & Disp. 49. n. 99.*

Cap. 15 Iam non dicam vos seruos, sed amicos; quia omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis *Disp. 52. num. 256.*

Ibidem. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. *Disp. 56. num. 62. & 87.*

Cap. 15. Et ego Patris mei præcepta seruaui *Disp. 49 num. 2. & 15.*

Cap. 17. Vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in Patre *Disp. 52. num. 33.*

Cap. 17. Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod de[illegible]hi vt faciam, & nunc clarifica[illegible] *Disp. 51. num. 162.*

Cap. 20. A[illegible]trem meum, & Patrẽ vestrum, [illegible]neum, & Deum vestrum. *Disp. 53. nu[illegible]5.*

Ex Actibvs Apostolorvm.

Cap. 5. Per manus autem Apostolorum fiebant [illegible]na, & prodigia multa in plebe *Disp. 40. num. 100.*

Cap. 19. Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli. *Disp. 40. num. 9.*

Ex Epistola Ad Romanos.

Cap. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secũdum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. *Disp. 55. à num. 8. vsque ad 22.*

Cap. 5. Omnes in Adam peccauerũt *Disp. 41. num. 5.*

Ibidem. Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam, iusti constituuntur multi. *D. 49. num. 2. & 30.*

Cap. 7. Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio. *Disp. 42. num. 28.*

Ibidem. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. *Ibidem.*

Ibidem. Infelix ego, quis me liberauit de corpore mortis huius? *Ibi.*

Cap. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit. *Disp. 49. num. 124.*

Ibidem. Accepistis spiritum adoptionis. *Disp. 52. num. 2.*

Ibidem. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei. *Disp. 52. num. 3. & num. 221.*

Ibidem. Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. *Disp. 52 num. 252.*

Ibidem. Nos ipsi primitias spiritus habentes intra nos gemimus adoptionem Filiorum Dei expectantes *Disp. 52. num 259.*

Ibidem. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *D. 53. num. 172.*

Cap. 14. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur. *Disp. 51. num. 191.*

Ex Epistolis Ad Corinthios.

Primæ ad Corinthios cap. 13. Cum essem paruulus loquebar vt paruulus. *Disp. 52. n. 259.*

Secundæ ad Corinthios 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. *Disp. 41. num. 9.*

Cap. 12. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *Disp. 42. num. 14.*

Ex Epistola Ad Galatas.

Cap. 3. Hoc solum à vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? *Disp. 52. num. 247.*

Ibidem Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam *Disp. 52. num. 250.*

Cap. 3. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est. *Disp. 49. num 66.*

Cap. 4. Vt adoptionem filiorum reciperem', quoniam autem estis filij, &c. *Disp. 52. num. 2.*

Ibidem. Ita & nos cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus seruientes: at vbi misit Deus filium suum, &c. *Disp. 52. num. 246.*

Cap. 6. Dum tempus habemus operemur bonum. *Disp. 47. num. 64.*

Ex Epistola Ad Ephesios.

Cap. 1. In adoptionem filiorum, per Iesũ Christum in ipsum. *Disp. 52. num. 2. & fusius D. 56. num. 10. & seqq.*

Ibidem Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo Iesu. *Disp.* 50. *num.* 21.

Cap. 4. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? *Disp.* 51. *num.* 160.

Ex Epistola Ad Philippenses.

Cap. 2. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortē, propter quod & Deus exaltauit illum. *Disp.* 45. *num.* 1. & *Disp.* 49. *num.* 30. & *Disp.* 51. *num.* 162.

Ex Epistola Ad Colossenses.

Cap. 1. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare. *D.* 44. *num.* 20

Cap. 2. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis. *Disp.* 57. *num* 6.

Ex Epistolis Ad Thessalonicenses.

Ex 2. Cap. 3. Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne cōmisceamini cum illo, vt confundatur. *Disp.* 49 *num.* 77.

Ex Epistolis Ad Timotheum.

Primo ad Timotheum cap. 1. Sciens hoc quod lex iusto non est posita. *Disp* 49. *num.* 66.

Ex Epistola Ad Titum.

Cap. 3. Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire. *D.* 49. *num.* 77.

Ex Epistola Ad Hebraeos.

Cap. 2. Videmus Iesum propter passionē mortis, gloria & honore coronatum. *D.* 51. *num.* 160.

Ibidem Qui sanctificat, & qui sanctificatur ex vno omnes: propter quod non confunditur fratres eos vocare, &c. *Disput.* 57. *num.* 30.

Ibidem Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. *Disp.* 57. *num.* 3.

Cap. 4. Non enim habemus Pontificem, qui non possit cōpati infirmitatibus nostris; tētatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. *Disp.* 41. *num.* .

Cap. 7. talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, Innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus. *Disp.* 41. *num.* .

Cap. 8. Christus Iesus, qui est ad dexterā Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Disp.* 47. *num.* 72.

Cap. 9 Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuēcta. *Disp* 47. *num.* 61. & 62.

Cap. 10. Ingrediens in mundum dixit, hostiā, & oblationem noluisti, tunc dixi, ecce venio. *Disp.* 47. *num.* .

Ibidem. Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos. *Disp.* 47. *num.* 61. & 62.

Cap. 12 Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem. *Disp.* 49. *num.* 168. & 169.

Ex Epistola Prima Petri Apostoli.

Primæ Petri cap. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius. *Disp.* 41. *num.* 1.

Ex Epistola Secunda.

Magna, & præcioſa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiat[illegible]uinæ cōsortes naturæ. *Disp.* 52. *num.* 13.

Ex Epistolis Ioannis Apostoli.

Ex prima cap. 3. Filioli, custodite vos à simulacris. *Disp.* 49. *num.* 66.

Cap. 3. Cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. *Disp.* 52. *num.* 258.

Ex Apocalipsi.

Cap. 3. Ego vici, & sedi in throno Patris mei. *Disp.* 51. *num.* 189.

FINIS.

*Series Chartarum huius Tomi Tertij.*

✠ a b c A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq
Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh.
Iii KKK Lll Mmm.

*Omnes sunt Quaterniones,*

Et habet 248.



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL


BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

99 *Ratio decid. eiusdē legis.*

† Qua ratione [illegible] Imperatores decreuerunt castratū excusandū non esse: quoniam etsi verū sit ipsum morbosum esse, tamen ad excusationem tutelæ morbus talis esse debet, vt facultatem rerum gerendarum adimat, & qui impedimento sit eo minus suis rebus tutor superesse possit. *l. non solum. §. fin. cum alijs, l. 2. tit. 17. p.* Debilis namq; corporis etsi in castrato detur adhuc tamen non est impedimentum, quod à rebus suis administrandis arceat, & abdicat argumento *l. 2. §. quemadmodum verſ. corporis, D. de vacatio, muner. notat Balduin. in d. §. item si propter num. 2. Menochius de arbitrar. caſ. 60.* faciunt notata *ab Azeuedo in l. 6. ex num. 7. tit. 5. lib. 3. & in l. 4. tit. 9. eod. lib. num. 5. & in l. 8. tit. 4. lib. 6. recopilat. num. 5. iuxta quæ proceduntiura in l. iudex 46. D. de iudicijs, & in l. quæsitum 60. D. de re iudicata.* † Vbi morbus sonticus remittit iudicandi necessitatem, & diem litigantibus.

100 *Morbus sonticus quis.*

Morbus autem sonticus dicitur latius quilibet morbus cuique rei nocens *l. morbum 113. de verbor. signifi.* & ita vocatur *sonticus*, quod sit nociuus habita relatione ad negotia, *l. 4. §. fin. & l. [illegible] de ædilit. edict. notat Cuiac. 2. quæst. Paul. in d. l. 46. & lib. 5. digest. Iuliani in d. l. 60. & in d. l. 113. Brisson. & Schard. de verb. sign. verbo morbus, & Balduin. ad leges Romul. cap. 41. ex num. 3.* Ex quibus constat quod cum morbus eunuchi magis tendat in debilitatem corporis, quam in aliquod aliud impedimentum recte constitutum fuit non habere excusationem. Hæc in tam sterili steriliumspadonum materia congessimus, & ex vetustatis tenebricoso sinu extraximus. Si quid dignum laudis inueneris, Lector, gloriam redde totam Deo Opt. Max. à quo omne datum optimū. Sin vero minus recte cogitatum scriptū dictum labenti ingenio humano veniam præsta.

(.?.)

# FINIS.



contorquere *Vlpian. in l. si seruus, 27. §. etsi puerum 28. D. ad legem Aquiliam*, vbi per castrationem puerum effici pretiosiorem diserte reliquit scriptum. Quod videtur confirmare Iustinian. *in l. vltima in fine principij, C. communia de legatis, & in l. 1. §. ne autem quantitas 2. C. de communi seruo manumisso*, vbi in eligendis seruis legatis, & pretijs eorum constituendis eunuchi cæteris seruis pluris æstimantur. Sed huic difficultati, & Vlpianus ipse Achilleo more, & vulnus inflixit, & sanauit: nam respondendum est cum eo ædilitium edictum respexisse rei corpus an sit, vel non morbosum, vel aliquod habeat vitium quod corpus debilius, vel deterius reddat secundum, quod non potest negari quin eunuchus non sit morbosus vt diximus. At si attendas eunuchorum apud antiquos ministeria, officia & occupationes pretiosiores cæteris seruis existimabantur. Quintilian. declamat. 340. *Quam multa facere possit aduersus puerum mango iratus? Aut illi fortasse pretium excisſa virilitate producet,* & Claudian. lib. 1. in Eutrop. verſ. 45.

*Quare per castrationē eunuchus fiat pretiosior explicata l. 27. §. etsi D. ad l. Aqui.*

*Aduolat Armenius certo mucrone reciſos*
*Edoctus mollire mares, damnoq; nefandum*
*Aucturus pretium----------*

93 *Eunuchis commissa matronarū custodia & domorū gubernatio & alia id genus.*

† Huiusmodi ministeria erant matronarum custodia. Ammian. lib. 16. *Eunuchi fieri semper accidi carentes necessitudinibus cæteris acerrimi sunt matronarum custodes.* Obseruat *Alciatus in l. spadonum 128. de verborum significatione, Pet. Gregor. dict. lib. 7. syntag. cap. 2. num. 20.* & ita vocatos eunuchos ait *Epiphanius lib. 2. contra hæreses.* Quod beneuoli essent, & fidem didicerint seruare maritis. Præfectique fuerunt balneis mulierum Lautiorum *Lamprid. in Alex. supra Laudatus.* Monilia seruabant dominarum, vestes gemmas, stratum muniebant, crinesque pectere, & delicatorum vultus motis hinc inde voluerum pretiosarum plumis ventilare solebant eleganter *Claudianus dicto lib. 1. verſ. 105. de eunucho Eutropio.*

*Pectebat dominæ crines & sæpe lauanti*
*Nudus in argento limpham gestabat alumnæ*
*Et cum se rapido fessam proiecerat æstu*
*Patritius roseis pauonum ventilat alis.*

*Præfecti sed adhuc gemmis vestique dabantur*
*Custodes sacroque adhibere silentia somno*
*Militia eunuchi nunquam progressa cubile.*
*----------Secreta monilia seruent*
*Ornatus curent Tyrios.*

Martialis lib. 3. epigram. 82.

*Et æstuanti tenue ventilet frigus*
*Supina prasino concubina flabello*
*Fugatque muscas myrtea puer virga, &c.*

Notant docte *Fulvius Vrsinus ad librum Petri Ciaconij de Triclinio Romano. Barthius ad Claud. d. lib. 1. Dorleanus ad Tacit. lib. 4. fol. 448. & Don Laurent. Ramirez ad Mart. d. epig. 82.* Domorumque gubernacula eunuchis credebantur, vt colligere licet ex *Diuo Athanasio supra.* † Ad quæ & alia quæ laudati auctores commemorant multorum fuit castratorum puerorum familia *Pædagogia* dicta, apud nos inde diducto vocabulo *Pages.*, vt primus obseruauit *Cuiacius relatus ab Dorleano, & Turnebus lib. 8. aduers. cap. 9. Pancirol. lib. 2. var. cap. 88.* † Ad idque respexit *Seneca epistol. 123. & Iur. Cons.* *in l. quæsitum 12. §. si instructum 32. D. de fundo instruct. ibi si instructum fundum legasset, & pædagogia quæ ibi habebat, vt cum ibi venissent præsto essent in triclinio.* Quæ verba respiciunt morem cœnantium qui si quando ad vrinam vrgerentur matellas è manu Pœdagogiorum poscebant digitis pro voce crepantibus *Martial d. epig. 82.*

94 *Pædagogia quæ.*

95 *Explicatur l. 12. §. si instructū D. de fundo instr.*

*Digiti crepantis signa nouit eunuchus*
*Et delicatæ scisciator vrinæ.*

Ob quas causas eunuchum pretiosiorem vocasse Vlpianum credo potius quam quod indelicijs haberentur, vt existimauerat *Anton. August. dict. lib. 3. emend. cap. 5. in fine.* Ex quibus patet quod si inspicias corporis habitum eunuchus morbosus erat, si vero diuitum, & opulentiorum affectionem pretiosior, idque Vlpianus ipse indicauit in *dict. §. etsi puerum*, dum ex sententia Viuiani agi posse docet ex edicto ædilium tanquam puero iam reddito morboso, verbi gratia



ue. it, atque ita tradiderit. † Dubitabilius tamen est quæ actio *in quadruplum* sit quam cum supradicta coniungit *Vlpian. nam Accu[illegible] ibi quem sequitur Anton. Faber in ration. ad d. §. si puerum*, accipiunt de titulo, *si quadruplo pauperiem fe[illegible] dicatur.* Quod falsum est quia illa actio nō datur in quadruplum, ipse Anton. Fab. agnouit. Qui tandem ad ornarium [illegible]secationis remedium confugit, autumatque illa verba *in quadruplum* tollenda esse. Sed hoc miserorum refugium est. Quare dicerem ad actionem *vi bonorum raptorum*, illa verba referenda esse, quæ in quadruplum est, *l. 1. D. de vi bonor. rapt. princ. I. eodem vbi Pichard.* & datur quoties per vim aliquid fit ita, vt dominus rem amittat vel res ipsa corrumpatur scindaturve vel frangatur *l. 2. §. 1. iuncta l. 4. §. loquitur 9. & seq. D. vi bonor. rap. & l. Marcel. 9. de verb. sig.* quæ mire conueniunt cum castratione nam si quis forte seruū alicuius castrauerit per vim abductum tunc poterit dominus ex illa ratione in quadruplū condemnare aduersarium cum per castrationem seruus sit deterior factus.

96 *Verba d. l. 27. §. etsi contra Fabrum explicantur.*

Vltimo ex dictis supra descendit iure respondisse Imper. Seuerum, & Antoninum spadonem non habere excusationem à tutela *in l. spadonem 15. in princ. D. de excusation. tutor.* Sed quæ fuerit huius iuris ratio dubitandi, non satis est cognita Anto. Faber in iurisprudent. tit. 24. princ. 1. illat. 9. eam reddit quod spado qui verus pater esse non potest propter vitium, & impedimentum corporis, nec patris vicem gerere videatur quomodo gerit quis quis tutor est. Sed cum nihil habeat commune facultas generandi cum facultate administrandi res pupillares non debemus eum ob id excusare. Quæ ratio non videtur cum re conuenire, quia excusatio ex illo defectu esset plane ridicula: tutor enim vt administret constituitur non vt patrem agat. † Rectius sensit *Cuiac. in d. l. spadonem*, qui verbum illud *spado*, non de spadone qui generare aliquando potest, sed de castrato specialiter accipiēdā putat. Causa excusationis erat, quod castratus sit morbosus, vt dixi, & soleat admitti excusatio ob aduersam valetudinē, *l. nō solum 10. §. fin. cum l. seq. l. post susceptā 40. l. penul. §. fin. de excusation. §. item propter 8. I. eod. l. vnic. C. qui morbo.*

97 *Spado an possit excusari à tutela de eius ratione.*

98 *Ratio dubitandi ad l. 1. C. de excus. tut.*

Reales del señor pedro
de co B.º de esta villa un
ciento y seis y cua
tro reales y media por
dha cuenta del alcal
de dha yglesia = dijo
son un ciento y seis
y ocho reales = y lo firme
en la villa de ma
goya a seis y seis dias
del mes de mayo de
mil y seiscientos y se
senta y un años =
son 128 R.s

Fernando de Arcevillas

Cinbarte con [illegible] V.º R.
torque mas quintos o seiscientos
cabos varbados aragon cresta
dos [illegible]

E

1.096